REUERENDI PATRIS GAUDENTIJ BONTEMPI, ... PALLADIUM...

Gaudenzio Bontempi





REVERENDI PATRIS GAUDENTIJ BONTEMPI, BRIXIENSIS,

ORDINIS CAPUCINORUM

 Sacræ Theologiæ Professoris.

PALLADIUM THEOLOGICUM,

SEV

TOTA THEOLOGIA SCHOLASTICA

In septem Tomos distributa.

AD INTIMAM MENTEM D. BONAVENTVRÆ SERAPHICI DOCTORIS.

Cuius eximiæ Doctrinæ raptæ restituuntur, sententiæ impugnatæ propugnantur.

In qua diuinæ Sapientiæ Thesauri, dudum depositi, jam recens effossi, erutique, mundo elucent.

Tomus Secundus, In quo de Trinitate, & Angelis.




LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, IOAN. & PETRI ARNAVD.

M. DC. LXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



Ad Augustissimum, & semper inuictum

LVDOVICVM XIV.
FRANCIÆ, ET NAVARRÆ REGEM CHRISTIANISSIMVM,

MANDANTEM,

Sub idem tempus expugnari prælio Battauiæ oppida.
Excudique prælo R. PATRIS GAVDENTII opera.



T Christianissimus Aggrederis LVDOVICE Battauiam
Quaris in bello hostium salutem
Dum iubes in HOLLANDIA Hæresim perire, non ciues;
Liberam amas fidem, non captiuam opulentiam.
O verè sanctissima mentis castissimus mars!
Dignus sanè, cui fundat ab antris
ÆOLVS armatus hiemes, cui militet æther,
Et coniurati veniant ad classica venti:
Tantæ molis expugnaturus prouinciam
Iure
Iustissimis armis socias sapientissimas doctrinas
Vt quorum obsides corpora, validioribus machinis,
Mentem expugnes validissimis rationibus
Quam consultè, vt castrorum aciem ordinatam
Eligis fælicissimi BONAVENTVRÆ Quæstiones.
Sudatis ad Seraphici Vulcani ignes armis
Fortunatissimum faciunt auspicium
Nomen, purpura, Sanctitas
Authoris
Haud nouum, BONAVENTVRAM
Aduersus impia dogmata
Litterarij instrumenta Belli, & graues sententiarum copias
Suppeditare.

Quem admirati Parisij HANNIBALEM ad aras in perfidiam iurantem,
Stupuit Lugdunum EPAMINVNDAM
Si minus sanguine, certe fidei ardore rubentem.
Non improbabit, speramus, Regij ingenij celsitudo
Humilis Tribuni aciem instruentis laborem,
BRIXIENSIS quippe animi industria
Eo vsque in GALLIAM propensi
Donec memoris
Accepta à strenuißimo BRENNO Originis, & conditionis.
Impressus BONAVENTVRA
Fiet expressa tuæ auctæ pietatis imago
Ordinatus
Tuam ordinatißimam communem dabit charitatem
Triumphabit sub tua Augustißima fortitudine
Liberalitas.
Quis non prædicet ter, & vbique fælicem BONAVENTVRAM?
Dum sortitur
Nascens superos Tutores,
Viuens Alaxandros Doctores,
Defunctus Gallicos CÆSARES in aurea tuba suæ gloriæ
Buccinatores.

Ita deuotissimè applaudit adm. R. PETRVS CARMINATVS
in Mariano Collegio Bergomensi olim Rhetor. & Rector.

FACVLTA

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

NOS F. Stephanus à Cæsena totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum Generalis minister, licèt immeritus, virtute & tenore præsentium concedimus, vt, seruatis seruandis, mandetur Typis Opus, cui titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ*, à R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, ex Prouincia Brixiensi, olim Ordinis nostri Concionatore, & Sacræ Theologiæ Prælectore compositum; & in septem Tomos distributum: Opus quippè ad stateram reuisionis per aliquos Theologos, à nobis deputatos, ita sedulò appensum, & approbatum; vt nihil sit minus habens inuentum, quinimò Seraphicam Doctrinam, præclarè elucidatam, omnium oculis objicere censeatur: In quorum fidem, his, solito nostro sigillo firmatis, manu propria subscripsimus; Parisiis in Conuentu nostro Assumptionis, die 20. May 1674.

Fr. STEPHANVS MINISTER Generalis.

Aprobatio Theologorum Ordinis.

OPus de Augustissimo SS. Trinitatis Mysterio, ad mentem D. Bonauenturæ, Doctoris Seraphici, Authorè R. P. GAVDENTIO BONTEMPO Brixiensi, inscriptum, impigra, qua licuit, diligentia, perlegi, summaque animi mei admiratione è commissione Reuerendissimi Patris nostri Generalis, alacris perlustraui, in quo ingenij acumen, dicendi facundiam, explicandi luculentiam, arguendi subtilitatem, vindicandi solertiam, confutandi promptitudinem, verborum splendorem, sensusque profunditatem, ob oculos objiciens, non quasi per speculum, vel in ænigmate, sed velut facie ad faciem, omnibus vbique numeris absolutum, D. Bonauenturam, Authoris organo, tanquam oraculo loquentem, percepi & perspexi. Accurrant, properentque vndique legentes, gaudentique animo Seraphicum Doctorem, sibi restitutum, Orbi rediuiuum, Ordini relucentem, in R. P. Gaudentio suspiciendo suspiciant, sacræque doctrinæ fluenta è Seraphici pectoris fonte pleniùs, & profundiùs deriuata, auidè delibent: Ea propter dignissimum volumen, non modo ad tenebras de ineffabili Sanctissimæ Trinitatis mysterio é Christiadum plagis profligandas, æternumque in orcum relegandas, verum etiam ad mores iuxta supremi illius Numinis præscripta componendos, concinnè elaboratum, dilucidè dispositum, sicut maximâ sui iniuriâ hactenus sub angustæ cellulæ modio delituit, ita super Religionis Seraphicæ candelabrum in posterum toti Ecclesiæ, prælo mediante, vt ocyùs illuceat, firmiter censeo.

Brixiæ nonis Februarij 1674.

F. ELISEVS, in Prouincia Brixiensi, Concionator Capucinus Exprouincialis, & Definitor, olimque Philosophiæ, ac Sacræ Theologiæ plublicè Professor.

Eiusdem Approbatio in Tractatus de Creatione, & Angelis.

DE mandato Reuerendissimi Patris Stephani à Cæsenna, Ordinis Capucinorum Generalis ministri, opus Theologicum de Creatione, & Angelis, ad mentem D. Bonauenturæ, Doctoris Seraphici, à Reuerendo P. GAVDENTIO BONTEMPO Brixiensi Capucino, Sacræ Theologiæ Professore, conscriptum, summa, qua licuit, solertia perlegi, nihilque in eo offendi, quod fidei orthodoxæ, bonisve moribus offendiculum esse queat; quin potius Authoris ingenium in tractatu hoc, æquè ac in præcedenti de SS. Trinitate, paribus numeris absolutum reperi; Quam ob rem, vt Typis quam primùm mandetur, indubitanter adiudico.

Brixiæ 28. Iulij 1672.

F. ELISÆVS ab Oriano, qui suprà.

Approbatio in eosdem Tractatus.

CVm de mandato R. P. Stephani à Cæsenna Ordinis Capucinorum Ministri Generalis, Tractatum hunc Theologicum de Creatione, & Angelis, à R. P. GAVDENTO BONTEMPO, Prouinciæ Brixiensis Capucino, & Sacræ Theologiæ Professore, ad mentem D. Bonauenturæ eximiè compositum, studiosissimè percurrerem, & vbique opus suum spirans opificem, tam fidei firmitate, quam morum integritate, conspicerem, dignissimum censui, vt quantociùs è prælo in publicam prodiret lucem, & vtilitatem.

Bergomi 20. Iulij 1672.

F. IO. FRANCISCVS à Rumano Concionator Capucinus, Sacræ Theologiæ Professor.

APPRO

APPROBATIO.

NOs Ordinis Capucinorum Theologi, à Reverendissimo Patre Stephano à Cæsena Generali nostro deputati ad examen Operis, cui Titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ.* Authore R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, Sacræ Theologiæ professore; Testamur Tractatum hunc de Augustissimo SS. Trinitatis Mysterio, vti & alterum de creatione & Angelis, à nobis impigro studio perlectum, maturè & attentè perpensum, nihilque in eis nos deprehendisse, quod reprehendi posset: quinimmo omnia succrescenti lucis fænore ita ab alto resplendent, vt nec minimam obscuritatis vmbram obtendant; omnia obuiant sana, & sacræ fidei consona, probisque moribus nihil dissonum: Occurrunt vndique solida rationum firmamenta, sapidis Patrum sententiis, suauibusque sacrarum litterarum eloquiis, nec non conciliorum, ac Theologorum suffragiis ita stabilita, vt Seraphicum Bonauenturam in Cherubicum Gaudentium, tamquam in affinem,& secundam sibi intelligentiam illapsum,non incongruè quisque suspiciat; Quatenus in lucem itaque prodeat tam graue, & gratum opus, publicæ vtilitati vno vterque ore adiudicamus.

Parisiis in Conuentu nostro Maiori. Die 8. Martij 1674.

F. CYPRIANVS GAMACHÆVS, Capucinus olim Serenissimæ Britanniarum Reginæ Matris à Sacris.
F. FRANCISCVS COSSIN, Parisinus Capucinus, Lector Theologus.

APPROBATIO.

DE mandato Reuerendissimi Patris nostri Generalis, Tractatum de Augustissimo SS. Trinitatis Mysterio ad montem D. Bonauenturæ, Authore R. P. GAVDENTIO BONTEMPO Brixiensi, Sacræ Theologiæ Professore, tanta animi voluptate perlegi, tantoque ingenij acumine in difficillimis Theologicis quæstionibus decidendis ad Seraphici Doctoris Indolem elaboratum perspexi, vt appositè mihi visum sit Cœlum nouum deferens Seraphicum illum Solem. Ita enim vbique stabili rationum firmitate solidatur, ita præclara Authoritatum varietate venustatur: Ita denique profundo splendore passim paludatur, quòd nullibi cœlo sit dissimile, nisi quòd nusquam nubila, vel tenebræ in eo deprehendantur; Qua propter vt orbi irradiet, Fidei Catholicæ, Religioni nostræ, moribusque fouendis publicè affulgeat, Typis quam primùm mandandum censeo; sic enim fiet, vt præter Doctrinam, fidei Orthodoxæ accinentem, nulliusque erroris suspectam, lector propiùs hoc sacerrimum Trinitatis mysterium demirans, in eius venerationem, & cultum ardentiùs proficiat.

Bergomi die 20. Iunij 1668.

F. PETRVS A BERGOMO Concionator Capucinus, deffinitor, & S. Theologiæ Lector.

APPROBATIO.

EGo subsignatus sacræ Theologiæ Lector Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, de mandato Reuerendissimi P. Stephani à Cæsenna, eiusdem Ordinis Generalis Ministri, non parua voluptate hos binos de Trinitate & Angelis Legi tractatus,à R.P.GAVDENTIO BONTEMPO,Brixiensis Prouinciæ Capucino Concionatore, & Lectore Theologo compositos: In quibus non solum nihil sanæ, & Catholicæ Doctrinæ, purisue moribus contrarium inueni; sed, vt ait Esdras Sacerdos, vena intellectus, sapientiæ fons, & scientiæ flumen hinc abundanter scaturiunt. Dilata igitur os tuum,amice Lector, & tam salutari aqua plenum, loquetur Sapientiam: Testis est tibi.

Datum Lugduni in Conuentu S. Andreæ, die 5. Octobris 1676.

F. CALISTVS BVRGENSIS.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

CAutum est Authoritate Regis, nequis in regno suo, aliisve locis suæ ditioni subditis, intra decem proximos annos, librum, qui inscribitur: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ in septem Tomos distributa,* Authore R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, Ordinis Capucinorum Brixiensis Prouinciæ, absque LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, IOANNIS, & PETRI ARNAVD, Bibliopolarum Lugdunensium permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. Qui secùs fecerit, mulcta indicta, pro vt amplius in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Versalliæ 16. Martij anno Domini 1674. Signatum LE NORMANT. De mandato Regis.

Prima edionis prælum cessauit die primo Nouembris, anno 1674.

INDEX



INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, & Sectionum, quæ in hoc secundo Tomo, in Tres Tractatus diuiso, continentur.

TRACTATVS PRIMVS.
DE SS. TRINITATE.

DISPVTATIO PRIMA.

De Augustissimi huius Mysterij cognoscibilitate.

DISPVTATIO II.

De Emanationibus Diuinis.

DISPVTATIO III.

De Relationibus Diuinis.

DISPV

DISPVTATIO IV.

De Notionibus Diuinis.

DISPVTATIO V.

De Personis in Communi.

DISPVTATIO VI.

De Personis Diuinis.

DISPVTATIO VII.

De numero diuinarum Personarum.

DISPVTATIO VIII.

De Persona Dei Patris.

SECTIO I.

De prima Persona Diuina, vt principium dicitur. pag. 144

SECTIO II.

De prima Persona Diuina, vt ingenita, seu innascibili.

SECTIO

SECTIO III.

De prima Persona Diuina, vt Pater est.

DISPVTATIO IX.

De Persona Filij.

SECTIO I.

De Verbo mentis in genere.

SECTIO II.

De Verbo Increato.

SECTIO III.

De Filio Dei, vt est Imago.

DISPVTATIO X.

De Spiritu Sancto.

SECTIO I.

De tertia Persona Diuina, vt Spiritus Sanctus est.

SECTIO II.

De Spiritu Sancto, vt Amor est.

SECTIO III.

De Spiritu Sancto, vt donum est.

DISPVTATIO XI.

De Personis relatis ad essentiam.

DISPVTATIO XII.

De Personis Diuinis comparatis ad relationes.

DISPVTATIO XIII.

De Personis comparatis ad actus Notionales.


DISPVTATIO XIV.

De æqualitate, & similitudine Personarum.

IV. An

DISPVTATIO XV.

De Missione Personarum diuinarum.





INDEX TRACTATVS SECVNDI DE CREATIONE IN GENERE.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura Creationis.

DISPVTATIO II.

De rerum distinctione.

INDEX



INDEX
DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM TRACTATVS TERTIJ
DE ANGELIS.

DISPVTATIO PRIMA.
De substantia Angelorum.



DISPVTATIO II.
De intellectu Angelorum.

DISPVTATIO III.

De voluntate Angelorum.

DISPVTATIO IV.

De creatione Angelorum.

DISPVTATIO V.

De gratia Angelorum.

DISPVTATIO VI.

De gloria Angelorum.

DISPVTATIO VII.

De malitia Angelorum.

DISPVTATIO VIII.

De pœna Dæmonum.

III. Cur

DISPVTATIO IX.

De loco Angelorum.

DISPVTATIO X.

De motu Angelorum.

DISPVTATIO XI.

De potentia Angeli in creaturas.

DISPVTATIO XI.

De Missionibus Sanctorum Angelorum.

DISPVTATIO XIII.

De Custodia Angelorum.

DISPVTATIO XIV.

De infestatione Dæmonum.

DISPVTATIO XV.

De mensura durationis, & operum Angelorum.



TRACTATVS



TRACTATVS II.
PRIMÆ PARTIS THEOLOGIÆ, DE AVGVSTISSIMO SS. TRINITATIS MYSTERIO.

APPARATVS.

EMINENTISSIMVM Sacerrimæ Trinitatis Myſterium perluſtraturo animus caligat, ac tenebris obuolutus Cimmeriis, cæcutiendo curioſior intentans, ſi quid ſenſuum digitis attrectet, incaſſum defatigatus, tandem aliquando fateri cum Iſaia compellitur, *cap 6. Domus repleta eſt fumo.* Intimis ferè concutitur præcordiis, ac totis artubus contremiſcit: nam & ſuperliminaria commota ſunt, cardinéſque excuſſi ad Seraphici ſonum Triſagij. Demiſſo igitur profundiſſimè animo ad arcanum hoc eminentiſſimum accedamus, Fidei lumine præuio; neque temerè diſcutiamus: ſcrutator etenim Maieſtatis opprimetur à gloria. Profundiſſimum Deitatis triſubſiſtentis Oceanum ingredior diuino ſpiritu afflatus, noſtri glorioſiſſimi Seraph ex ore pendulus, ter *Sanctus* inclamantis. Hic ſpiritus addidit, animauit, roborauit. Hoc polo duce, ſyrtes (vt ſpero) declinans, ad portum incolumis appellam.



DISPVTATIO I.
De auguſtiſſimi huius Myſterij cognoſcibilitate.

SANCTISSIMAM Trinitatem eſſe admodum naturâ ſuâ cognoſcibilem, oſtendi *tract.* 1. *diſp.* 11. nunc autem quæſtiones inſtituendæ, quâ ratione id aſſequamur, vt ad eius perueniamus notitiam.

QVÆSTIO I.
An SS. Trinitas ſit naturalibus mediis cognoſcibilis.

D. Bonau. 1. d. 3. q. 4.
D. Thom. q. 32. art. 1.

ORTHODOXORVM omnium calculis ſancitum perpetuò fuit, non poſſe naturalibus mediis hoc myſterium comprobari. Quare immeritò oppoſitum inuritur Raymundo Lullo *in lib. Apoſtrophe, & lib. de Demonſtratione æquiparantiæ*, & *lib. Sen-*

initio; multò autem iniquiùs adscribitur Richardo Vict. & Henrico, vt ostendam *quaest.2.* Est enim de fide, vt ait Morand. *tom.6.q.17.* cum Suarez.

ASSERENDVM, non posse hoc mysterium, seclusâ reuelatione supernâ, demonstrari.

1 PROBATVR primò à Seraphico *Opusculo de reductione Artium ad Theologiam, circa medium*, ex Matth.11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.*

PROBATVR secundò à D.Bonau. *Itinere 3. Aeternitatis, dist.5.* & *itinere 5.dist.4.* tum ex loco adducto, tum ex Matth.16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui est in caelis.* Tum ex secunda Corinth.2. *Vsque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet, non reuelatum, quod in Christo euacuatur.* Loquitur autem de praestantissimis scripturis, quae Patrem, & Christum Filium inuoluunt cum Spiritu sancto. Haec multò minùs scripturis naturalibus discernimus, vt arguit S. Bonauent. *hic, argumento vltimo.* Totum confirmat statim S. Bonau. illo Ioan. 16. *Cùm venerit Paracletus, ille me clarificabit.* Et 1.Corinth.2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum, qui omnia perscrutatur, etiam profunda Dei.* Et 1. Ioan.2. *Vnctio docebit vos omnia.* Quibus ostenditur, haec altissima arcana, non nisi Spiritu sancto reuelante, cognosci.

2 PROBATVR tertiò à D. Bonau. *opusc. de septem donis, de dono Intellectus cap.4.* ex illo Ioan.16. *Paracletus me clarificabit.* Sic exponitur à D. August. *tract.110. in Ioann.* & ex illo Ioannis 17. *Ego clarificaui te, Pater*; nempe, quia Christus erat Verbum Patris, manifestauit Genitorem dicentem, saeculis anteactis reconditum; si enim verbum nostrae linguae se prodit, & loquentem; quantò magis Verbum Dei id praestat? Ita exponit, & arguit S. August. *tract.101. in Ioannem.*

PROBATVR quartò à S.Doctore *in Pharetra,c.1.* ex Patribus, praecipuè Ambrosio *lib.2. in Lucam,c.1.* vbi ait: *Nihil praescriptum, nihil circumscriptum, nihil dimensum Trinitas habet: non loco clauditur; non opinione comprehenditur, non aestimatione concluditur.* Confirmatur à S. Doctore hîc, ex D.Dionysio *lib.de Diuinis nominibus*, vbi id latè ostendit.

3 PROBATVR quintò à S. Doctore hîc. Omnis cognitio nostra naturalis habetur per sensus è creaturis: at creaturae nequeunt repraesentare Deum vt Trinum: ergo. Maior probatur à S. Doctore *q.2. huius dist.* ex 13. Sapientiae: *A magnitudine speciei, & creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Et ex Aristotele 3. *de Anima, sect. 30. & 39.* vbi habet: *Sensibile est via cognoscendi intelligibile.* Minor probatur à S.Doctore, quia esse vnum in essentia, & trinum in subsistentiis, nulli creaturae potest conuenire; quippè naturâ suae finitae subsistentiae commensurantur. Hac ratione vtitur Arriaga *disp.45. sect.4.*& alij moderni. Confirmatur ratione sequenti.

4 PROBATVR sextò à S. Bonau. *responsione ad 3. & 4.* Creatura eatenus ducit in cognitionem Dei, quatenus est eius effectus: at creatura est Dei effectus, non ex propriis Trinitatis, sed ratione vnitatis, essentiae, & virtutis, seu potentiae, sapientiae, & bonitatis, quae sunt appropriata quidem, non tamen propria Diuinarum Personarum: ergo. Eodem argumento vtitur D. Bonauent. *in secundo dist.3. art.2. q.2. ad 2.* & D. Thomas *hic.* His ferè mediis vtuntur Recentiores. Valentia *disp.2. in Prol.* & *q.6. part.1.* Suarez *lib.1.de Trinitate, cap.11.* vbi argumenta allata amplificat, cum D.Bonau. *lib.1.Compendij theologicae veritatis, cap.10.* Omne medium demonstrandi aliquid, vel est à priori, vel à posteriori. Sed à priori non datur aliquod medium demonstrandae Sanctissimae Trinitatis, quia medium à priori est per causam, vnde contexitur demonstratio *propter quid*; at verò Pater, Filius, & Spiritus sanctus nullam habent sui causam: Pater verò neque principium; Filius verò, & Spiritus sanctus solam Personam Diuinam Principiũ: ergo à priori non datur medium. Quod verò neque à posteriori possit hoc demonstrari, probat; quia hoc solùm medium habemus ab effectibus creatis, qui non exeunt à Deo ratione propriorum Sanctissimae Trinitatis, sed ratione virtutis essentialis, vt dixi. Quod enim ait Bouerius *demonstr.1. in Iudaeos*, Verbum non modò causam exemplarem, sed etiam effectricem: Psal.149. *Ipse dixit & facta sunt.* Psal.32. *Verbo Domini caeli firmati sunt.* Hebr.1. *Portans omnia Verbo virtutis suae.* 1.Corinth.1. *Christum Dei virtutem*; nil contrà probat: nam appropriatè dicuntur, sicut de Patre creatio, de Spiritu sancto ornatus. *Psal.32. &c.* Itaque solâ nobis reuelatione Trinitas innotescit.

OBIICIES primò. Multi Philosophi multa, eaque praeclara de SS. Trinitate dixerunt. Eos referunt SS. Patres. Clem. Alex. *lib.5. Strom.* Iustin. *in or. ad Gentes.* Cyrill. *lib.1.& 2. cont. Iul.* August.18.*de ciuit. Dei,c.23.* Eugub. *lib.de peren. Philos.* Iulius Syreneus *de Prouid.* Zamorrus *tract.6. de Deo, q.3.* Bouerius *tract.1.in Iud.art.13.*

Aliqua libanda appono. ZOROASTER Nino coaetaneus, anno 2044. ab hoc deuictus in fragmentis: *Toto in mundo lucet Trias, cuius monas est Princeps. Vbi paterna monas est ampliata, est monas, quae duo generat. Dyas enim apud hunc sedet, & intellectualibus fulget sectionibus: & gubernare cuncta*; prodit & emanationes, & aequalitatem.

MERCVRIVS TRISMEGISTVS apud Suidam: *id est Mercurius ter Maximus*, ait, *in Trinitate esse vnã diuinitatem. Pater Deus, & omnia sub ipsum, & in ipso sunt: nam Verbum eius perfectum existens, & foecundum, & opifex, lapsum in foecunda natura, & aqua foecunda, prolificam fecit aquam.* Et in Pimandro: *Mens Pater Deus: ex mente lucidum Verbum Filius Dei consubstantialis ὁμοούσιος. Mens autem cum Verbo mentem alteram, quae ignis, & spiritus Numen.*

PLATO epist. ad Dionys. *Circa omnium Regem omnia sunt, & illius gratiâ sunt omnia, illeque est causa omnium bonorum. Secundum autem circa secunda; & tertium circa tertia.* Haec Platonicus Porphyr. apud Cyrill. *lib. in Iulian.* ait, Platonem ponere tres hypostases, siue personas in Dei substantia. Clariùs infrà Patrem Regem fontem omnium bonorum vocat. Filium secundum opificem, mentale Verbum, à quo veluti exemplari creatio profecta est. Denique Spiritum sanctum viuificantem mundum. Haec nouit Porphyr. apud D. August.10. *de ciuit. c.23.* Plotinus Amelius apud Proclum, & alij Platonici ferè ad vnguem, praesertim Calcidius *in Timaeum.*

Praeclarè Humenius Pythagoricus *lib.de Bono.*

ORPHEVS Graecae Theologiae Magister, Patrem Deum, Filium Verbum, & iucundum adiungit Amorem. Adde ex Hebraeis Philonem *opusc. 99.* & *de agricult.*

Ne igitur neget D.Thom. *ad 1. part.* Philosophos agnouisse propria Trinitatis, vt monent relati DD. cum Euseb. *lib.2.prep.c.10.* Clem. Alex. *6.strom.*

Respondet S.Doctor in corpore, Philosophos non habuisse tam praeclaram notitiam naturalibus mediis, sed lumine supernaturali imbutos, aut saltem materiali fide, qualem habent etiam haeretici; vel id asseruisse ex auditu, aut lectione sacrorum voluminum.

Sic

Sic enim Chaldæi Sapientes, necnon Mercurius Trismegistus, Orphæus, Plato, & alij cum Hebræis in Ægypto, Perside, Syria, & alibi colloquuti, libros etiam sacros aliquando perlegentes hæc didicerunt. Sibyllæ quoque diuinitus afflatæ creduntur, maximè autem Erythræa, quæ plurima, eaque eximia de Filio Dei prædixit, vt refert D. August. *loc. cit.* Eodem responso vsi sunt Alensis 1. *p. q.*2.*m*.1.*art*.3. Valentia *suprà*, Suarez *loc. cit. n.*12. Vasquez *tom.*2. *disp.*132. etsi D.Thom. *hic ad primum*, neget Philosophos agnouisse propria Trinitatis. Nobis fauet Euseb. *lib.*2. *prap.c.*1. Clem.Alex. 6. *Strom.*

Obiicies secundò. In omnibus creaturis elucet vestigium Trinitatis, ex D. Aug. 6. *de Trinit.c.*10. Ergo è creaturis possumus eam indagare, sicuti è vestigio hominis autumamus, eum hàc transiisse.

6 Respondet S. Bonau. in creaturis elucere quidem Trinitatis vestigium, & ita ostendi non distinctè, sed tantùm quoad appropriata, potentiam, sapientiam, & bonitatem; neque enim è vestigio agnoscimus distinctè, maximè quoad intrinseca. Ita ex hominis vestigio colligimus, ibi fixum pedem hominis; non tamen hunc rationalem, &c. vt aduertit S.Doct. 1. *d.*3. *p.* 1. *q.*2. *ad vltimum*, quod quæritur; & *in* 2. *d.*24. *p.*1. *art.*2. *q.*1. *ad* 4. Suarez *lib.*1. *cap. vlt. n.*10.

Obiicies tertiò. Homo secundùm naturalia est imago Trinitatis. Ergo ex eo potest illa percipi.

Respondet D.Bonau. naturaliter cognosci, hominem constare animâ tribus dotatâ potentijs, memoriâ, intellectu, & voluntate. Similiter illam intelligendo producere notitiam, ac verbum; necnon diligendo, amorem. At verò his exprimi Trinitatem, sola fide haberi.

7 Genesis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Hinc enim Patres id colligi astruunt. Hæc è Seraph. congerunt Scholastici, quibus subscribit Morandus *supr.* Casp. *d.*5. *sect.*1. Bouer. *demonstr.*1. *in Ind. art.*14.

Obiicies quartò. Philosophi lumine naturæ difficiliora mysterio Trinitatis attigerunt; nam multa scrutati sunt, quæ vulgo sunt ardua: at Trinitatem etiam pueri discunt.

Respondet S.Doct. negando antecedens; nam mysterium hoc est supra rationem: quod si à rudibus percipitur, hoc fit lumine Fidei, non naturali modo: nam cognitio nostra à sensibus pendet; nusquam verò inuenimus Trinitatem personarum in vna indiui-

8 dua natura; imò oppositum comperimus, scilicet plures essentias, vbi plures personæ. Hinc disce, Seraphicum non asserere, Trinitatem esse contra rationem naturalem, vt aliqui dixere; sed supra, & contra id, quod modò sensibus experimur: plura enim rationi consona opponuntur his, quæ sensibus experimur. Quod autem hoc mysterium sit rationi consentaneum, probatur; quia ens simpliciter infinitum, tali perfectione debet esse præditum, vt dicam *quæst. sequenti.* Deinde probatur, quia hoc mysterium verum est; verum autem non repugnat vero, vt habet Concilium Lateranense sub Leone X. & refricat S.Doctor.

QVÆSTIO II.

An iactis Fidei fundamentis valeat aliquis hoc Mysterium demonstrare.

S.Bonau.d.2. per tres quæstiones.
D.Thom. loc. cit.

GENVINA Raymundi Lulli opinio est, SS. Trinitatis, ac cætera Fidei mysteria, suppositis Fidei fundamentis, euidenti demonstratione comprobari. Gloriatur autem, posito Fidei, vel alicuius saltem illustrationis lumine, præclarè hoc mysterium demonstratum, vt Paganus, aut Mahumetanus quilibet omninò conuincatur. Ita se SS. Patribus præfert, vt ait Arriaga *disp.*43. *sect.*4. Pro hac sententia adducit Vasquez *disp.*133. Richardum de S. Victor. *lib.*1. *cap.*4. Gersonem *Alphab.*13. *litera H.* Henricum *quodl.*8. *quæst.*14. aliosque addit *disp.*135. attamen Gerson indefinitè loquitur de quibusdam Fidei mysteriis, vt monet Tannerus *disp.*4. *quæst.*1. *dub.*2. *n.*2. 9

Vera tamen sententia est, non posse hoc mysterium, etiam supposito Fidei lumine, aliàve reuelatione, euidenti demonstratione comprobari. Ita S. Bonauentura *loc. cit.* & *dist.*9. *quæst.*1. & aliis locis allegandis in argumentis. D. Thom. *quæst.*32. *art.*1. vbi eius expositores, ac sententiarij multi *in* 1. *d.*2. & est communis. Ita Gregorius de Valentia *hic*, *q.*6. *p.*1. Suarez *lib.*1. *de Trinit.c.*11. *&* 12. Vasquez *disp.*133. Tanner, *suprà, n.*3. Multi tamen cum Seraphico fatentur, supposita fide, rationes de hoc ferri necessarias.

Asserendvm primò, supposito lumine fidei, posse rationibus necessariis congruè hoc mysterium probari. 10

Probatur primò à D. Bonau. 1. *part. Breuiloquij*, *cap.*2. argumento, quo vtuntur Vasquez *loco adducto*, Bellarm. *tom.*1. *de Christo*, *lib.*2. *cap.*8. & alij cum D. Thoma *quæst.*27. *art.*1. Fides, cùm sit veritas, & diuini cultus principium, dictat altissimè de Deo sentiendum, eum scilicet esse summæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Ergo dictat, eum posse, & velle se perfectissimè communicare, non posse enim, repugnat supremæ potentiæ; nescire, sapientiæ; nolle, bonitati: perfectissima autem communicatio esse debet secundùm modum Deo conuenientem; cùm autem Deus sit spiritus nobilissimus, eius communicationes erunt per intellectum, & voluntatem. Communicabit ergo se perfectissimè per intellectum, cuius partus est Verbum. Rursus per amorem, qui est primus voluntatis actus. Et cùm res productæ esse debeant per actus immanentes, sequitur, esse intra Deum. Ergo ipse Deus, non distinctæ substantiæ, & multò minùs accidentia. Ergo erunt tres perfectissimæ substantiæ eiusdem naturæ. Ergo subsistentes. Et quia producentes, & productæ: ergo erunt tres personæ. Eandem rationem refricat *lib.*1. *Compend. Theol. cap.*4. vbi suam primam suppositionem roborat eo *Isaiæ* 66. Domini effato: *Si ego, qui aliis generationem tribuo, ipse sterilis ero?* Idem confirmat *cap.*10. ex D. Dionysio *cap.* 4. *de Diuin. nom.* Omne enim bonum est sui diffusiuum intrinsecè: at Deus est summum bonum: ergo summè suam diffundit bonitatem; posse enim intrinsecè, debere, & facere, in Deo æternum esse debet. Ergo dantur duæ æternæ emanationes infinitæ; perfectissimæ autem sunt generatio à natura, & amor à voluntate; est enim verbum primus intellectus fœtus, & amor primum voluntatis donum. Idem habet S.Doct. *Itinerarij c.*6. vbi aliud fundamentum supponit, Deum, cùm intrinsecè bonus sit, non posse non esse talem, aut se non diffundere: non autem se summè diffunderet, nisi communicatâ substantiâ, & omnibus essentialibus perfectionibus: & quia diuina essentia est immultiplicabilis, cùm omninò contradictorium sit, plures Deos inueniri, vt ostensum est *tract.*1. *disp.*10. *q.*2. sequitur, perfectissimam substantialem communicationem esse in subsistentibus. Ergo tres personæ in vna natura; neque enim (ait) potest esse summa diffusio, nisi sit actualis, intrinseca, substantialis, hypostatica, naturalis, ac voluntaria, necessaria, & liberalis, indeficiens. E summa 11

12 verò communicatione consubstantialitatem, æqualitatem, coimmunitatem eminentissimam auspicatur. Hanc rationem assumpsit Henricus *quol.6.q.1.* ea verò abusus est Lullus, e bonitate Dei inferens actum bonificandi: hoc autem dictum, *Diuina bonitas bonificat*, reprobatur à Gregorio XI. & est secundus inter eius articulos reprobatos, vt notat Directorium Inquisit. *p.2 q.9.art.96.*

Suarez *lib.1.de Trinit.cap.11. num.9.* Lullum excutiens etiam argumentum S. Bonau. concutit, dicens, ex eo ad summum deduci dualitatem personarum, idest, communicantem; & eam, cui bonitas communicatur. Conspirat P. Theodorus Forestus Magister meus *disp.1.c.1.ad primum.*

13 Equidem iam S. Doctor ostendit communicationem ad intra actualem, eamque per actus immanentes intellectus, & voluntatis, vt vidimus: neque verò alius modus nobilis producendi reliquus est, ex Aristotele *2.Physic.text.49.* Ideò his modis producit perfectissimum. Ergo duas personas, alioqui producti erunt imperfecti; neque enim Natura Diuina potest produci. Sic vrget S.Bonau. *d.2.q.2. & q.4.* Eandem rationem Auersa *q.31.sect.1.* & Morandus *num.588.* laudant, & Bouerius *demonstr.1.in Iudæos*, dilatat cum D.Thom. *2.2.quæst.1.*

Insurgit tamen Scotus *dist.2.q.6.* & Fauent. *disp.15. cap.3.* tum quia ostendit ignotum per ignotius: tum quia, esto probetur ex bonitate diffusio; non tamen conuincitur communicatio suppositis eiusdem naturæ.

14 Enim verò notissimum est, ens summum esse summum bonum. Sicut enim ens simpliciter, & bonum conuertuntur; ita summum bonum cum summo ente: quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter; ita magis ad magis, & maximum ad maximum. Igitur dato, quòd Deus sit summum ens, clarè elucet, eum esse summum Bonum, atque adeò summè diffusiuum. Quod verò fiat diffusio suppositis naturâ distinctis, repugnat, quod tamen fieri debeat suppositis distinctis, iam ostendi: nam communicatio infinita est entis infiniti simpliciter. Ergo Diuinæ essentiæ. Iam sic arguit S.Doct. *locis allegatis*: Communicans debet realiter distingui ab eo, cui entitas cōmunicatur; sibi enim communicare id, quod habet, nemo potest. Sed implicat distingui essentiâ, vt ostensum est. Ergo distinguitur personâ; (distingui enim accidente, esset

15 imperfectionis.) Deinde cōmunicatio secundùm modum Deo proprium est per intellectum, & voluntatem. Ergo debet produci Verbum, & Amor, & hi perfectissimæ substantiæ. Ergo subsistentes. Quod verò debeant esse in eadem natura, probatur à S.Doct. *q.2. & 4. dist.2.* ex Diuina simplicitate, & vnitate intrinseca.

Probatvr secundò à D.Bonau. *locis adductis*, & *d.9.q.1.fund.3.* argumento, quo vtuntur D.Th. *q.27. art.1.* Scotus apud Fabrum *cap.2.* qui aiunt, optimè concludere intentum. Est autem hoc (detractis his, quæ Scotus, & asseclæ opinantur contra nos, de productione Verbi, & Spiritus sancti, quæ latiùs refellemus *disp.9.& 10.*)

Quando aliquid de sua ratione formali est principium productiuum sufficiens, erit tale vbique, maximè

16 si reperiatur in operante perfectissimo. Sed intellectus habens obiectum intelligibile sibi præsens, est formaliter principium productiuum verbi: ergo si in ente optimo perfectissimo reperiatur, producit verbum. Sed in Deo, qui est ens, & operans perfectissimum, reperitur intellectus, habens obiectum actu intelligibile. Ergo. Subsumo: intellectus Diuinus producens debet perfectissimum producere verbum, & qualis est eius cognitio. Sed cognitio est simpliciter infinita, ipsi intellectui Diuino adæquata. Ergo producet verbum adæquatum suo intellectui, qui est ipsemet Deus. At Verbum hoc, cùm sit adæquatum Deo, non potest esse extra Deum, alioqui daretur ens infinitum simpliciter, quod non esset Deus; vel esset alius Deus. Ergo est in Deo.

Iam verò debet esse distinctum à producente, vt patet, & perfectissimo modo: ergo substantialiter. Sed non secundùm naturam: ergo secundùm hypostasim. 17

Consimili ratione *dist.10. q.1. & 2.* argumentatur S. Doct. necessariò dandam emanationem Spiritus sancti, quâ vtuntur Scotistæ. Quando aliquid est principium formaliter productiuum, erit tale, si perfectissimè formaliter in perfectissimo sit. Sed voluntas de se est productiua amoris: ergo & in Deo erit talis, si habeat obiectum amabile actu cognitum. Sed diuina voluntas habet diuinam essentiam, attributa, & personas actu cognita præsentia. Ergo producet amorem sibi adæquatum, vt dixi de Verbo. Tunc sic: Amor infinitus simpliciter non potest esse extra Deum, quia extra Deum nil est simpliciter infinitum: ergo est in Deo. Est autem subsistens in se, quia quod est ens infinitum, non est in alio, sed est per se: ergo est persona Diuina. Ostendit autem ibi S.Doctor, debere emanare amore mutuo, qui est perfectissimus; & alia, quæ à nobis demonstrabuntur disputationibus futuris. Vide Præpositum *q.27.d.2.* Auersam *loc.cit.* hæc vrgentes.

Probatvr tertiò à Scoto sup à, & Fabro *n.21.* 18 Necessitas est conditio dicens perfectionem, quando non est in aliquo, quod dicat imperfectionem. Ergo producens perfectum est necessariò producens; primum autem producens, idest Deus, non potest esse necessariò producens aliud à se extrà: ergo ad intrà. Confirmatur. Productio naturalis est prima productio: ergo competit primo producenti; non autem ad extra producere naturaliter competit illi: ergo ad intrà. Minor probatur, quia ea, quæ ad extra fiunt, creaturæ sunt, quæ non habent esse necesse, & fiunt ab arte diuina, quæ est libera. Ergo. Est autem argumentum D.Bonau. *d.6.q.1. ad tertium.*

Probatvr quartò à D. Bonau. *d.2. q.2.* multis 19 argumentis, quibus allata roborantur, suppositis certissimis fundamentis.

Primvm est: In Deo est summa beatitudo; cùm enim sit summa bonitas, debet esse vltima, ac summa quies. Tunc sic: Vbi est summa bonitas, est summa communicatio in producendo sibi æquale; alioqui non erit summa, nisi detur suum esse summum. Vbi est summa charitas, est amor ad alterum summus; neque enim charitas est amor priuatus ad se solum. Vbi est summa iucunditas, est societas in fruitione; nullius enim boni sine socio est iucunda possessio: at hæc omnia sunt in Deo. Ergo. Probatur minor. Vbi est summa beatitudo, est summa bonitas, charitas, iucunditas: at in Deo est summa beatitas: ergo. Maior probatur. Perfecta beatitas comprehendit omnia bona, quæ sunt enumerata, atque adeò consortium, & æqualitatem personarum. Ergo. Hoc argumento vtitur Bellarm. *tom.1.de Christo, lib.2.c.6.*

Contra argumentum obiicit S.Doct. Beatus per essentiam sibi soli sufficit ad beatitudinem. Ergo non eget societate.

Respondet, non egere alio beatificante, sed solùm communicante in beatitate.

Secvndvm argumentum constituitur super hoc fundamentum. Deus est summè perfectus. Iam sic: 20 Vbi est summa perfectio, est etiam omnis perfectio, inter quas est generare simile in natura, & amare

fœcundum

fœcundum. Deus est summa perfectio. Ergo. Hac ratione vtitur Bellarminus *loco citato*. Eruitur ex Isaiæ 66. relato, *n.* 11.

Dices: Summè perfectum non capit additionem. Deus est summè perfectus. Ergo non capit additionem alterius personæ.

Respondet S. Doctor, non addi nouam perfectionem, sed primam redundare, de quo latiùs *disp.* 3. *q.* 10.

TERTIVM argumentum sumitur è diuina simplicitate. Ad simplicitatem facit, quod vna natura sit in pluribus, vt constat de Vniuersali: quod tamen à simplicitate declinat in eo, quod natura illa in indiuiduis numeretur. Sed in Deo est summa simplicitas in nullo deficiens. Ergo est natura in pluribus non numerata.

Dices: Summa simplicitas magis seruatur, vbi non est pluralitas.

Respondet S. Doctor, pluralitatem per additionem repugnare simplicitati, non verò pluralitatem per originem, quæ non superaddens, nec componit, nec repugnat simplicitati, sed solitudini. Et hæc est in diuinis, non autem illa.

21 QVARTVM argumentum sumitur ex hoc fundamento. Deus est ens simpliciter primum: est autem omnium sapientum sententia, vt docet D. Bonau. *dist.* 27. *q.* 2. Tunc sic: Quantò aliquid est prius, tantò fœcundius, & aliorum principium. Ergo sicut essentia diuina, quia prima, est principium aliarum essentiarum; sic prima persona habet fœcunditatem respectu personarum. Sed fœcunditas in Deo, respectu Dei, non potest esse nisi actui coniuncta. Ergo necesse est, plures esse personas.

Dices: Si in Deo est summa primitas: ergo cùm status sit in primo principio, etiam status est in vnitate. Ergo primitas infert vnam personam, non plures.

Respondet S. Doctor in prima persona esse statum vnitatis in primitate, sicut & in prima essentia est status essentiæ; tamen esse in ea fœcunditatem, manente in ea statu originis.

His argumentis, pluralitate personarum comprobata, arguit *quæst.* 3. eas non posse esse infinitas.

Hic autem supponit, Deo attribuendum, quod est perfectius.

22 PRIMÒ igitur arguit: Omnis distinctio excludens confusionem, dicit perfectionem: at hæc infinitate discreta destruitur, quæ confusionem inducit. Ergo non est, vbi est perfectio distinctionis.

SECVNDÒ: Ordo dicit perfectionem: hic autem claudit terminationem, quæ ab infinito discreto destruitur; est enim ordo series plurium à primo, &c. at infinitum non habet primum. Ergo vbi est ordinis perfectio, non est talis infinitas: at in Deo est talis perfectio. Ergo.

TERTIÒ: Connexio est perfectio, quæ omnia ad vnum reducens colligat; hæc autem connexio destruitur infinitate discreta, quia ponit numerata in distantia infinita: ergo hæc à Deo arcenda.

QVARTÒ: Habere rationem complentis satietatem, est perfectio summi boni: at hæc non stat cum infinitate personarum: ergo. Probatur minor; nam cùm personarum fruitio spectet ad beatitudinem, atque earum cognitio sit etiam essentialis, non potest omnes cognoscere, cùm virtus eius sit finita, si illæ essent infinitæ.

23 Si quæ autem argumenta vrgeantur ad probandam hanc infinitatem, quia in Deo omnia infinita.

Respondet S. Doctor eam infinitatem, quæ dicit perfectionem, simpliciter Deo conuenire, qualis non est infinitas numeralis. Vnde, cùm neque multiplicare se infinitè secundùm numerum sit simpliciter perfectio, sed supponens imperfectionem in iam productis, non est Deo tribuendum.

Quæstione verò quarta nititur tres tantùm esse Diuinas Personas, ex iam positis fundamentis.

PRIMA ratio sumitur ex beatitudine essentiali Dei. Vbi est summa beatitas, ibi summa concordia, atque adeò summa germanitas, summa charitas: at si essent plures personæ, non esset summa germanitas; si pauciores, non esset summa charitas. Ideò sunt tres tantùm. Probatur minor quoad priorem partem. Si esset ibi quarta persona, aut procedit ab vna, aut à duabus, aut à tribus. Si ab vna, vel duabus tantùm, tunc non perfectè, & æqualiter conuenit cùm omnibus, sed cum aliqua earum nil habet relationis. Si autem à tribus, tunc duæ personæ intermediæ magis conueniunt ad inuicem, quàm cum extremis; quia producuntur, & producunt: & ita non est ibi perfectus nexus. Probatur altera pars minoris. Perfectus amor & est liberalis, & est communis. Quia liberalis; tendit ad alterum; quia communis, vult alterum diligi ab altero, sicut à se. Ergo est ibi dilectio, & condilectio: hoc autem non potest esse minùs, quàm in tribus. 24

SECVNDA ratio sumitur è diuina perfectione, estque supra significata. Vbi est summa perfectio, ibi persona producens perfectè producit, & quoad modum producendi, & quoad rem productam: sed non reperitur alius modus nobilis producendi, nisi per modum naturæ, atque voluntatis, ex Philosopho 2. *Physic. text.* 49. ergo his duobus modis, & his tantùm producit: sed persona producta vtroque ex his modis est perfectissima; ideò si vltra perfectionem est omnem, & quod superfluit, & quod est citrà, deficit, necesse est, duas esse tantùm personas emanantes, & non plures, nec pauciores; & vnam primam, à qua emanant. Ergo tantùm tres. 25

Huius numeri perfectionem adiungit S. Doctor *in corpore*: nam in numero ternario vnitas, quæ est omnis numeri principium, reflexa supra se reduplicatione quadrata, triplicatur secundùm rationem, remanens vna secundùm veritatem, vt si dicatur: *Semel, vnum, semel*. Et hoc est simile admodùm Trinitati increatæ, in qua in vnitate substantiæ est Trinitas rationum. Non tamen est omninò simile, quia ibi cum vnitate substantiæ est Trinitas rationum & rerum, scilicet personarum; hîc tantummodò rationum. Huc allusit Trismegistus *in Pimandro, dialogo* 4. dicens: *Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem*. Similiter numerus iste in quantitate continua habet primam perfectionem, & summam. Primam quidem, quia omnis quantitas habet principium, medium, & vltimum: summam, quia perfectio quantitatis continuæ suprema consistit in trina dimensione, scilicet longitudine, latitudine, & profunditate; & hoc est, quod ait Aristoteles 1. *cæli, text.* 3. *Præter has* (tres magnitudines) *non est alia magnitudo, propterea quod ipsa tria omnia sunt, & ipsum ter omniquaquè*. Quapropter hoc numero didicimus, Deum magnificare vnum Creatorem omnium, eminentem proprietatibus eorum, quæ sunt creata. Hinc nobile illud Trisagium *Isai.* 6. *Apocal.* 4. de quo infrà. Huius numeri præstantiam lege in D. Bonau. & Bongo. Tandem numerus iste in creaturis consideratus, habet in se perfectionem primam, quia in qualibet creatura est reperire Trinitatis vestigium; habet perfectionem summam, quia secundùm Trinitatis imaginem reformatam, & deiformen attenditur summa, & nobilissima perfectio creaturæ, idest beatitudo. 26

27 Tertia ratio sumitur è diuina simplicitate: nam, si ibi est summa simplicitas, Pater totum dat absolutum cuilibet emananti. Ergo emanantes non differunt naturá, quam accipiunt, sed penes relatiua, & modum accipiendi, & emanandi. Sed duo tantùm sunt modi emanandi, scilicet per naturam, idest intellectum; & per voluntatem. Ergo non possunt esse, nisi duæ personæ emanantes relatiuæ, & tertia producens: ergo tres sunt. Argumentum supponit plura absoluta simplicitati nocere, quod ostendam *d.12.q.1.*

28 Quarta ratio sumitur ex primitate. Oportet enim deueniri ad vnam primam personam producentem, in qua sit omnis nobilis fœcunditas. Itaque debet esse prior omni productionis genere; quo fit, vt nequeat persona aliqua diuina producere aliam, ea productione, quá ipsa producitur; quia respectu illius non est prior, & quia deberet esse illa prima productio imperfecta; non autem infinitè perfecta, absorbens omnem perfectionem illius modi producendi. Cùm autem duo tantùm sint modi producendi, idest per naturam, & voluntatem; sequitur, dari primam producentem secundùm vtrumque modum; sed secundùm naturam vnam produxisse, idest Filium, qui non potest rursùm alium generare, sed tantùm spirare; persona verò spirata non potest aliam spirare, neque etiam generare, quia non est prior illo modo, sed posterior. Itaque tres tantùm possunt esse personæ. Prima, quia innascibilis, & inspirabilis generat, & spirat. Secunda, quia inspirabilis,
29 sed genita, spirat, sed non generat. Tertia verò, quia spiratur, & procedit à generante, & genito, nec generat, nec spirat.

Confirmatur è sufficientia combinationum, quia cùm amor sit in omnibus personis, vt ait Richard. Vict. *lib.3. de Trinit. c.19. &* 20. & non nisi sit triplex amor, videlicet gratuitus, debitus, & mixtus ex vtroque; sequitur, tres tantùm fore personas. Vnam, quæ tantùm dat, in qua est amor gratuitus; aliam, quæ tantùm accipit, in qua est amor debitus; & mediam, quæ dat, & accipit, in qua est amor permixtus ex vtroque.

30 Rursùs hæc combinatio ex originis ratione sic ostendit Trinitatem. Nam est inuenire personam, quæ est principium personæ, & non est principiatum. Rursùs, personam, quæ est principiata, non principium personæ. Tandem, personam, quæ est principium, & principiatum. Quartus verò modus, vt sit persona, quæ nec principium sit, nec principiata, non est intelligibilis. Has tamen rationes congruas vocat S. Doctor, & cum eo asseclæ.

Obiicies primò: Pater totum, quod potest, dat Filio: ideò non potest ampliùs communicare.

Respondet S. Doctor, argumentum peccare secundùm accidens, quia ex antecedente negante rem nouam communicabilem, infert in consequentia negationem non modò rei, sed etiam modi: igitur est neganda, quia nouam producere personam non est ampliùs dare, sed nouo modo eandem Deitatem non producere, sed potiùs communicare.

31 Obiicies secundò. Multiplicatio personarum est ad declarationem virtutis: at Pater adæquatè declaratur per Filium, qui est Verbum exprimens comprehensiuè dicentem. Ergo superflua est noua personæ productio.

Respondet S. Doctor, Verbum non esse declaratiuum Patris omni modo, quia non declarat eius voluntatis fœcunditatem liberalem, nisi quatenùs & spirat.

Obiicies tertiò. Filius, quia non est spiratus, habet fœcunditatem spiratiuam. Ergo & Spiritus sanctus, quia non generatur, potest generare. 32

Respondet S. Doctor, Filium non ideò solum habere fœcunditatem spiratiuam, quia non est spiratus, sed quia præcedit spirationem; at Spiritus sanctus sequitur generationem, quæ in filio exhauritur.

Obiicies quartò. In Diuinis est modus producendi per voluntatem perfectissimus. Ergo & per modum artis debet quarta persona produci. 33

Respondet S. Doctor primò, modum producendi per artem esse à voluntate, quæ satis exprimitur, dum producit per modum liberalitatis.

Respondet secundò meliùs, modum producendi per artem producere simile secundùm rationem exemplatis; dissimile verò in natura: talis autem modus est ad intrà impossibilis, quia repugnat pluralitas diuinarum essentiarum. Satis igitur est, produci similem in natura Filium, qui est Verbum, & Ars; artefacta verò solùm creata esse possunt.

Assero secundò, non posse etiam lumine fidei, vel reuelationis euidenter hoc mysterium demonstrari. 34

Probatur ex dictis *quæst.1.* quia non habemus Trinitatis notitiam medio naturali, sed per fidem, quæ est obscura. Vnde ait Apostolus 2. Corinth.15. *Per fidem ambulamus, & non per speciem.* Definitur autem fides Hebr.11. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ideò *tract.1. disp.1. proœm. quæst.2.* conclusimus, Theologiam non esse scientiam. Sic Casp. *d.5. sect.1.* Præp. *q.27. d.2.* Auersa *q.32. sect.1.* Tanner. *d.4. q.1. d.2.*

QVÆSTIO III.

An possit Viator quidditatiuè Sanctißimam Trinitatem cognoscere.

Scotus *in 2. dist.3. q.9.* & *in 4. d.49. q.11.* ait, posse hominem viatorem peculiari lumine illustratum habere notitiam quidditatiuam Trinitatis abstractiuam; imò potuisse Angelum illam naturaliter habere, si speciem Trinitatis accepisset. Consentiunt Maior *2.d.3. q.5.* Bassol. *q.1. prol. art.2.* Aliacus *1. quæst.1. prol. art.2.* Ocham *q.1. prol. art.3.* Hi verò quatuor Doctores volunt, eam cognitionem fore supernaturalem; at Scotus ait, fore supernaturalem tantùm ex parte agentis, quatenus à Deo liberè infunditur species: naturalem verò; quia ordinatur ad actum naturalem eliciendum. Eum sequuntur Molina *1.p.q.1. art.2. disp. vlt.* Arriaga *disp.43. sect.5.* & alij allegati *tract.1. disp.11. quæst.2. & 3.* Accinit Casp. *d.5. sect.2.* 35

Opposita verò sententia vera id negat penitùs. Ita D. Bonau. quæstionibus allegatis, quem secuti sunt Doctores ibi relati. Hanc verò speciatim tradunt Suar. *3.p.d.27. sect.5.* & *lib.1. de Trinitate, cap.1.* Vasquez *disp.134.*

Fundamentum primum. Cognitio intuitiua non requirit præsentiam realem obiecti, sed sufficit in sua specie repræsentante videri. Neque verum est id, quod ait Forestus *disp.1. cap.2. fol.18.* Seraphicum *in 4. dist.50.* & multò minus 60. *p.2. q.2.* requirere ad notitiam intuitiuam rei præsentiam, de quo Vtinensis etiam dubitat, num alibi S. Doctor id docuerit; sed scrupulosè, vt vidit P. Galitius *lib.2. Dialectica, tract.2. c.4.* quod etiam probat. Nam si ad cognitionem intuitiuam exigeretur præsentia realis, cognitio 36

cognitio, quam habet Deus de rebus futuris, non esset intuitiua, sed abstractiua, & imperfecta, quod est absonum, etiam in via S.Bonau. *1.d.39.quæst.vlt.* & antè *preced. quæst.* Perperam verò Lichetus *1. d.8. q.3.* concedit, Deum non cognoscere futura intui-
37 tiuè, sed abstractiuè; eatenus verò cognosci intuitiuè, quatenùs eminenter in diuina essentia sunt præsentia diuino intellectui; at sequitur adhuc creaturas formaliter non cognosci intuitiuè à Deo, quia non continentur formaliter in eius essentia: vnde homo, leo, bos non sunt formaliter præsentes. Similiter entia rationis non cognoscerentur à Deo intuitiuè, quia formaliter dicunt imperfectionem, & contingentiam; & ideò nequeunt esse in diuina essentia formaliter. Quod autem respondet Lichetus, cognosci intuitiuè, quia cognoscuntur secundùm totam entitatem, & quantùm cognoscibilia sunt; friuolum est, quia secundùm Scotum *3.dist. 14. q.3.* ad notitiam perfectam intuitiuam exigitur præsentia rei; ad imperfectam verò saltem species, vt notat Vtinensis *tract.2. de Deo, q.6. art.4. num.21.* Vnde Lichetus suo dicto non probat eam notitiam intuitiuam. Quod etiam replicat, esse imperfectam in respectu, non in se, non satisfacit; quia perfectio cognitionis non stat in respectu illo, sed in certitudinis, & euidentiæ intensione, eaque minùs in perfectione rei cognitæ collocari potest; nam cognitio, quam habet Angelus de lapide, est perfectior mea de Angelo.

38 FVNDAMENTVM secundum. Species quidditatiua Dei continet etiam existentiam, atque præsentiam Dei, quæ est intimè quidditatiua Deo, vt docui *tract.1. locis adductis*, cum D. Bonau. *ibi*, & *opusculo declaratorio terminorum Theologiæ.* Vnde ibi rectè demonstraui, habentem talem speciem fore comprehensorem, non autem viatorem, vt ostendam *tract.de Angelis, disp.2.q.9.*

ASSERO, non posse aliquem in via manentem, habere cognitionem Dei quidditatiuam.

Probatur primò è fundamento primo. Cognitio Dei per speciem propriam est intuitiua. Sed hæc repugnat Viatori, vt Viator est: ergo. Ita arguunt & Suarez, & Vasquez.

Probatur secundò è fundamento secundo; quia species quidditatiua ostenderet Deum præsentem.

39 OBIICIES primò. Potest Deus notitiam intuitiuam obiecti conseruare, absente obiecto, & tunc erit clara, & abstractiua. Probatur antecedens. Potuit enim Deus in Paulo, & Moyse (esto viderint Deum) conseruare illam notitiam, absente obiectiuè essentiâ.

Respondetur, illam notitiam futuram fuisse, non abstractiuam, sed intuitiuam, quæ est eadem cum clara Dei visione.

OBIICIES secundò cum Arriaga. Potest dari species expressa immediatè Dei, ita tamen imperfecta, vt non repræsentet, Deum necessariò existere. Addunt Scotistæ, dato etiam, quod repræsentaret existentiam, non tamen exhiberet Deum præsentem facialiter. Sic Casp.

Respondetur, hæc omnia esse falsam congeriem, vt ostendi *locis allegatis.*

40 PRO CORONIDE aduerto, malè Forestum, & Vtinensem asserere, scientiam intuitiuam vocari à D.Bonau.*1.d.39.q.3.* scientiam visionis; abstractiuam verò dici simplicis intelligentiæ: ibi enim diuisione tritâ diuidit scientiam Dei respectu obiectorum futurorum, & non futurorum. Omnis autem diuina scientia ab eo vna, vno modo asseritur intuitiua, vt videre est *dist.eadem, art.2. quæst.1.& vltima.*

Falsò etiam opinantur, S. Doctorem *in 3. dist. 14.* tradere hanc scientiæ diuisionem sub vocabulis notitiæ simplicis, & experientiæ; ibi enim de scientia animæ Christi agens, eam sic diuidit, vt alia fuerit cognitio vt sic; alia verò practica, ad experimenta deducta, sicut & alij Theologi diuidunt; vnde & experimentali professisse autumat, vt dicam *3.p. tract.1. disp.14.quæst.6.*

QVÆSTIO IV.

Quibus authoritatibus probetur Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

{ S.Bonau.d.1.dub.8.lit.

FATEOR doctrinæ ordinem exigere, vt authoritatibus primò, deinde rationibus hoc augustum demonstretur Mysterium, vt monet S.Bonau. *1.d.2. ad literam Magistri*; aliquas tamen rationes coactus sum prælibare, nixas tamen authoritatibus, vt quæstiones superiores cum alijs expedirem, quæ ad cognoscibilitatem huius mysterij conducebant.

Iudæi cum innumera hæreticorum caterua, Sanctissimam Personarum Trinitatem negant. Horum hæresiarcha fuit Praxeas, referente Tertulliano *de præscriptionibus contra hæreticos, cap.vlt.* & *lib. contra Praxeam, cap.1.* Eundem errorem docuere Hermogenes, & Sabellius, relati à D. August. *lib. de hæres. cap.41.* Samosatenus relatus ab Epiphanio *hæres.65.* Photinus apud eundem Epiphanium *hæres.71.* Priscillianus apud S. Leonem *epist.93.* His verò fæculis Seruetus, Gregorius Blandrata, & Franciscus Dauid, aliique hæretici oblatrarunt. 41

CATHOLICA sententia de fide est, tres esse Personas diuinas in vna essentia. 42

Hoc probabo priùs veteri sacra pagina, quam vnicam Iudæi recipiunt.

PROBATVR primò à S. Doctor *dist.2. dub.8. lit.* ex limine Genesis: *In principio.* Vbi Hebraïca legit בראשית, *Beresith*, quod significat Principium, Filium, seu Verbum, vt notat Hilarius *in psal.2.* Ex Hebræis, maximè Rabbi Eleazar *ad hunc locum*, vbi habet, sicuti refert Marsilius Ficinus *lib. de Religione Christiana, cap.31. Non est creatus mundus, nisi per Verbum, & cum Verbo; sicut habetur psal.32. Verbo Domini cœli firmati sunt.* Idem fatentur alij relati à D. Hieronymo *qq. in Genes. initio*, qui obseruat, ideò dictum psalmo 19. *In capite libri scriptum est de me.* Ibi autem loquitur Filius, allegans libri primi initium. 43

Idem roboratur à S. Bonauent. sequentibus: *Creauit Deus.* Hebraïcè ברא אלהים, *Bara elohim*: Creauit Dij. Est autem eius singulare אל el; subditque: *Spiritus Dei ferebatur.* Itaque significat: In Principio, &c. id est, Deus Pater in Filio: *& Spiritus Domini.* En Sanctissima Trinitas, quæ vnitatem essentiæ, & virtutis in Verbo singulari *Bara*; in nomine verò plurali *elohim*, Trinitatem creantis personarum expressit. Ita exponunt passim Hebraïcæ linguæ peritissimi Lyra, Burgensis *hoc loco*, Galatinus *lib.2. de arcanis, cap.9.* Catherinus *lib.4. contra Caietanum*, & deducitur e nominis expositione, quæ magna est in æstimatione apud Rabbines. Atque laudunt Magister, aliique Scholastici *1.dist.1.* Simon *tom.1. prolog.1. quinquag 2. conc.8.* Suarez *lib.1. de Trinit.cap.2.* Tannerus *disp.4. q.1. dub.3.* Bonucius *demonstr.1. in Iudæos, art.14.* qui, & linguæ sanctæ

 gnaris,

gnati, cum Origene, & quod caput est, Alexand. I. P. vt dicam *num*.48.

44 Hunc tamen locum euertere conantur Caietanus, Peterius, Delrius *ad* 1. *Genes*. Bellarm. *lib. de Christo*, *cap*.6. Vasquez *disp*.108. *cap*.6. & quod mirum, Forestus Seraphici interpres *d*.1. *cap*.3. sugillat quasi inerudite differentes, eos, qui argumentum hinc arripiunt. Hic sanè idiomatis sancti ignarus fuit. De Caietano verò, qui Rabbinum domi alebat, dicere solebat nobis, quot fabulas ei Rabbinus implantauit! Vasquez modicè gnarus multoties aberrat, vt ostendam. Cæteri verò in aëra loquuti.

Hi opponunt primò id, *In principio*, non significare in Filio, ex D. Hieronymo. Deinde nomen

45 *elohim*, esse idiomisma Hebraïcum. Sic *Genes*.24. vbi dicitur: *Posuit manum super femur Abraham Domini sui*; Hebræus habet אֲדֹנָיו, *Adonaiu*, *Dominorum*. Exodi 21. *Si Dominus dederit vxorem illi*; Hebraïcè habetur *Adonaiu*, *Dominorum* 1. Reg. 21. vbi dicitur: *Vidi Dominum ascendentem è terra*; hebraïcè est *elohim*, *Deos ascendentes*.

Obiiciunt alia loca, vbi nomina pluralis nu-

46 meri verbo singulari nectuntur. Exodi 20. *Non habebis Deos alienos*; ex Hebræo habetur: יִהְיֶה אֱלֹהִים, *Iehieh elohim*, *erit Dij*. Omitto aientes, *elohim* poni & pro singulari. Sanè *eloha*, aut *el*, habent pro singulari, vt notant R. Moys. Had. *hîc*, & alij. Vrget nos Bell. si hoc est Trinitatis Mysterium, dicito & Latinè tres Deos.

Respondetur ergo id, *In principio*, nobiscum exponi à multis Patribus Linguæ sanctæ peritissimis apud Ascanium Martinengum *in Glossa magna*, quibus additur Seraphicus eruditissimus, vt constat ex illa Threnorum explicatione, & aliis locis. D. autem Hieronymus solùm vult, non hoc solùm significare. Ad illud *Genes*.24. dico Mysterium latêre, dum vocat *femur Dominorum*, quia in eo erant filij, & nepotes sancti Abrahæ, (*Domini sui omnes*) seminaliter. Locus Exodi originarius habet singulare. Vel dic, ibi figurari fœcunditatem diuinam. Ad illud Regum respondetur, vocari plures, quia ascendit Samuel cum dæmone inuocato. Vide Lyram *lib. de Diuinitate Christi*, *cap*. 1. Ad id Exodi 20. dico, ibi mysterium elucête. Iam enim dixerat, esse vnum Deum; & ideò subdit: *Non erit tibi Dij alieni*; idest, non veneraberis eum cultu superstitioso Paganorum, quo Deos falsos colunt; & ne existimes, hunc esse Deos Gentium, quod sanè rectè construitur, veluti cùm dico: *Ne sis vt Pagani*; vel, *Ne euadas totus vitia*. Neque sequitur, posse in nostra lingua dici plures Deos, quia malè sonat, quod non in Hebraïca, vt fatentur Vasquez, Forestus, & alij.

Tandem Bellarminus non rectè soluit, dicens, Moysen vocare Deum in plurali ob reuerentiam, sicuti solent nominari primores.

Hoc verò friuolum est; quamuis enim alloquentes Principem dicamus, *Vos precor*; non tamen dicam Principes eum, qui vnus principatur.

47 Igitur concludit S. Doctor *loc. cit.* & 2. *p. Breuil. cap*. 5. ibi exprimi Trinitatem, vbi per *Principium*, Filius, per *Spiritum*, Spiritus sanctus à multis Patribus intelliguntur, vt habes in Glossa magna. Idem indicat S. Bonau. 1. *part. stimuli diuini amoris*.

Probatvr secundò à S. Doctore *in* 1. *d*. 2. *dub*. 5. & *dist*. 3. *quæst*. 4. *ad* 4. & *in* 2. *d*. 16. *dub*. 1. ex illo Genesis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Hunc locum vrgent Catholici contra hæreticos, expositione omnium ferè Patrum,

48 quos referunt Vasquez *disp*. 108. Bellarm. *lib*. 2. *de Christo*, *cap*.6. & ex Concilio Syrmiensi, quâ parte Catholico, quod anathemate ferit negantes, hoc esse Diuinarum Personarum colloquium. Cui enim creaturæ diceret Deus: *Faciamus*, *vel creemus hominem*? aut quæ creatura est, ad cuius imaginem factus sit Adam? Profectò Scriptura subdens: *Ad imaginem Dei fecit illum*; testatur, ad Dei tantùm imaginem factum, vt monet Conc. Syrm. & DD. Hilar. *de Synod*. Basil. *hom*.9. *in Gen*. Amb. *lib*.6 *Hex. cap*.7. Aug. 16. *de ciu. cap*. 6. Adde Rabbinos apud Galatin. *lib*.2. *art*.19.

Hanc in plurali loquutionem habes Genesis 3. *Et dixit Dominus Deus: Ecce Adam quasi vnus ex nobis. Heb.* אֱלֹהִים, *Dij*. Nota pluraliter dici *Dij*, & *nos*; ne dicant Iudæi, nomen *elohim* singulare; hoc enim nec ipsi admittent, vti cætera pluralia. Hinc itaque Trinitatis Mysterium hauriunt D. August. *lib*.11. *de Genes. ad lit. cap*. 39. Rupert. *lib*.3. *in Genes. c*.38. Quamuis autem ibi verbum וַיֹּאמֶר, *vaiomer & dixit*, sit in numero singulari; tamen ea etiam, quæ ei non nexa, pluraliter dicuntur, *ex nobis vnus*. Ex his loquutionibus hoc mysterium astruit Alexander P. I. *epist*.1. *tom*.1. *Concil*.

Probatvr tertiò à S. Doct. 1. *dist. cit. dub*... 49
litt. è Genesis 19. *Pluit Dominus ignem à Domino*. Sic de Trinitate sanctissima exponendum præcipit Concilium Syrmiense, quâ parte Catholicum, *cap*. 15. 16. & 17. Neque dicat Carthusianus, Angelum hîc vocari Dominum, pluereque à Domino Deo. Nam vtrobique est nomen *Tetragrammaton*, quod nusquam Angelis adscribitur, vt notat Lyra *opusc. adducto contra Iudeos*, & Rabbi Eleazar apud Galatinum *lib*.2. *cap*.9. Bouet. *d*.1. *art*.15. Neque audiendus Vatablus, exponens: *Pluit Dominus à seipso Domino*; ac similes in Scriptura phrases audiri. Nam ibi Hebraïca sic habet: וַיהוָה מֵאֵת יְהוָה, *Et Dominus de cum Domino pluit*. Sic ad litteram sonat: *Va Iehouah meet Iehouah*. Quapropter longè abit, posse exponi, *Dominus à se Domino*; nam particula *cum*, denotat æqualitatem, & associationem cum altero ad hoc patrandum. Quis autem Domino coæqualis Dominus, nisi alia persona diuina? Ideò meritò sic exponunt Patres Ignatius *epist. ad Antiochenos*, Iustinus *dialogo cum Tryphone*, *ante medium*, Athanasius *contra gregales Sabellij*, Hilarius *lib*. 5. *de Trinit*. Tertullianus *lib. aduersus Praxeam*, *cap*. 16. Epiph. *in Ancorato*, Rupertus *lib*. 6. *in Genesim*, *cap*. 11. & alij apud Bou.

Probatvr quartò à D. Bonau. *d*. 2. *dub*. 8. ex 50
eo psalmi 67. *Benedicat nos Deus, Deus noster: benedicat nos Deus*. Sic Deus primò dicitur Pater; Deus noster per antonomasiam est Filius; & tertiò Spiritus sanctus; & ita etiam ordo personarum exprimitur. Idem habet S. Doctor *sermone* 2. *de Trinitate*.

Probatvr quintò à D. Bonau. *dub. citato*: & *in soliloquio*, ex illo Seraphinorum cantu Isaïæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth*. Vbi Rabbi Simeon scribit: *Sanctus hic est Pater: Sanctus hic est Filius: Sanctus hic est Spiritus sanctus*.
Similia habet Rabbi Ionata Vzielis Filius. Quæ te- 51
stimonia Galatinus se legisse iurat in vetustis eorum codicibus; sed iam expuncta sunt à Rabbinis perfidis modernis. Idem confirmatur à S. Bonau. *serm*. 1. *de sanctissima Trinitate*, & *serm*. 3. vbi aduertit, ratificatum etiam in nouo Testamento, *Apoc*. 4. cum Origene *hom*.4. *in Isai*. Ideò ad hoc mysterium celebrandum vtitur Ecclesia eo cantu in Missa, & in officio: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, vt obseruat S. Doctor *in expositione Missæ*; & in Parsceue, ac festo sanctissimæ Trinitatis, illo Trisagio: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, quo præcipuè vsa est

est Ecclesia Græca. Huius rei meminit Felix III. Papa *epist. ad Zenonem Jmp.* Damasc. *lib.* 3. *de fide*, c.10. vbi ait: *T. statur diuino numine afflatus Patrum chorus, quòd sancti illi Seraphim per triplicem sanctitatem, tres supersubstantiales Trinitatis personas nobis subindicent; per vnam autem Dominationem, vnam Diuina Trinitatis substantiam declarant.* Idem aiunt D. Cyprianus opere illo *de operibus Card.* S. Epiphanius *in Anchorato*, Tertull. *de oratione Dominica.* D. Aug. *in Ioan.* 17. D. Cyrillus *lib.* 11. *cap.* 18. S. Gregorius
52 Magn. *homil.* 16. *in Ezech.* Basilius, Nazianzenus, & cæteri apud Damascenum.

Idem ab Alexandro Papa, vt habetur in instructionis Armenorum Decreto, in Concil. Florent. astruitur: *Fidem sanctæ Trinitatis sic docendam ex Patribus* (idest Apostolis, quibus vicinus fuit) *vobisque tradendam subditis destinamus: Isaias namque c.6. prophetauit: Vidi Dominum sedentem, & Seraphim stabant, &c. & clamabant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. Si Trinitas non est, quare tertiò sanctus dixerunt? aut si vnitas non est, quare sub trina repetitione vnum Deum, ac Dominum intimauerunt?*

In quinta synodo Constantinopol. *act.* 1. acclamatum est: *Sic qui non loquitur, Manichæus est: Sanctus, sanctus sanctus. Trinitas vincit.*

In Chalcedonensi, *act.* 1. acclamatur propterea: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis.*

Vere autem loquutum de sanctissimis personis
53 testatur Euangelium, *Ioan.* 12. vbi ait: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo*; idest, de Christo, vt exponunt Cyrillus *lib.* 7. *dial. de Trinit.* Ambrosius *lib.* 3. *de Spiritu sancto*, *cap.* 24. Hilar. 5. *de Trin.* Athanas. *lib. de communi essentia Trinitatis*, August. *ad hunc locum*, Hieronymus *ad 6. Isai.* Rupertus *ibidem*, & indicat Seraphicus *ad eum locum Ioan.* explicito Filio, per brachium ibi nominato: & alij Expositores. Confirmatur ex illis Patribus, qui asserunt, quoties dicitur in veteri pagina, apparuisse Deum, semper fuisse Filium. Ita Hilarius 5. *de Trin.* Ambrosius *lib.* 1. *in Lucam.* Tertull. *lib.* 1. *aduersus Praxeam.* Clem. Papa *lib.* 5. *Constitutionum Apostolicarum, cap.* 16.

Qvod si dicas, Patrem hîc loquutum, vt asserunt Athanasius *lib. de communi essentia Patris, Filij, & Spiritus sancti*, Basil. *lib.* 3. *cont. Eunom.* Damascenus *epistola de hoc Trisagio*, hoc nostrum dictum confirmat; nam sequitur, ibi loquutum Patrem, & Filium. Adde cum Apostolo *Act. vlt.* ibi loquutum Spiritum sanctum. Quo fit, vt tota Trinitas loquuta sit; vna tamen loquutio dicitur vnius Dei, eo quod opera ad extra indiuisa sunt. Deducitur ex Athanasio *lib. de Jncarn. Christi*, & Ambrosio *lib.* 3. *de Spiritu sancto, cap.* 23. De his multa S. Bonau. *in* 1. *dist.* 16. *quæst.* 1.

54 Observa, hunc locum aliis etiam sensibus, siue morali, siue tropologico, siue anagogico exponi à S. Doctore, nullo facto sensui litterali præiudicio. Sic *de Ecclesiastica Hierarchia part.* 3. *cap.* 2. ait, quod Seraphim illis vocibus mutuò ad sanctitatem excitabantur. Et opusc. *de puritate, ad Blancam*, ait: *Sanctus Deus sua in se sanctitate: sanctus ex delectatione, quam maximam percipit sanctitatis, & puritatis nostræ: sanctus propter vindictam, quam de læsa sanctitate sumit.* Et in Psalterio B. V. ait: *sancta, Sancta, sancta Domina mater Dei sabaoth.* Quod è D. Ephrem *serm. de Deipara*, hausit.

In sermone verò octauo de Luminaribus Ecclesiæ, ait Seraphim cantasse alternatim; alterum quidem Trinitatem personarũ diuinarum; alterum verò Trinitatem naturarum in Christo, idest animæ, corporis, & deitatis. Ob id, hanc visionem cæterarum radicem visionum acclamat, dum mysteria omnia Trinitatis, Incarnationis, & totius Redemptionis inuoluit. Igitur plures etiam sensus hic admittendi, sicuti de aliis scripturis asserui *tract.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 8. Similes expositiones *in 6. Isai.* habent Adamus Sasbout, & alij, atque Arias Mont. *de arcano sermone cap.* 14.

Libet hîc verba aliqua S. Doct. *in Dieta tit.* 10. *in fine*, apponere: Tandem omnes sancti dicent alter ad alterum illum sacratissimum hymnum, & trisagium gloriosum, quod scribitur in Isaia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth: pleni sunt cœli, & terra gloriâ eius, cuius est tanta virtus, vt qui dicit illud, à morte subitanea, & fulgure, & omnibus tribulationibus sit securus, vt ait D. Damascenus *lib.* 3. *de fide*, c.10. Propter quod statuit sancta Synodus Chalcedonensis quarta, hoc Trisagium SS. Trinitatis dici contra omnes stellionatus, idest hominum insidias, & Dei minas, vt ait Damascenus ibidem, scilicet: Agios ô Theos, sanctus Deus; Agios ischyros, sanctus fortis; Agios athanatos, eleyson ymas, sanctus & immortalis, miserere nobis. Propterea in exorcismis contra tempestates adhibetur.

Probatvr sextò à D. Bonau. *dist.* 12. *dub.* 1. *c.* 55
Gen. 18. vbi apparuit יְהֹוָה Dominus in tribus viris, quos Abraham videns vnum Dominum adorauit, אֲדֹנָי, idest Adonai. Vnde SS. Patres hoc eruunt mysterium apud Rupertum, & Peter. Imò Ecclesia in officio SS. Trinitatis canens: *Tres vidit, & vnum adorauit.* Componit autem D. Aug. *de Trin. cap.* 12. hanc cum sequenti apparitione Lot, vbi personas diuinas saltem repræsentatas ait, vt notat D. Bonau. *d.* 16. *q.* 1.

Hoc in nomine præmisso יהוה, meditatur cum aliis Bouer. citatus, quatuor litteris intexto, nempe *Jod*, י; quod apud Hebræos sonat *Principiũ*. En prima Persona. *He*, ה signat *Vita*. En Filius. *Vau*, ו *virtutem*, & copulat dictiones. En Spiritus, vt indicatur Psalm. 32. *Et spiritu omnis virtus.* Replicatur *He*, vltimò, quo vita nobis data per Christum demonstratur. Gemina est in vno verbo, vt geminæ vitales naturæ Verbo vnam dicunt Personam. Ita ergo quoties hoc nomen *Iehoua*, leges, hoc perlege, vt latè cum D. Bonau. ostendi 1. *p. tr.* 1. *d.* 12.

Probatvr septimò à S. Doctore *serm.* 2. *Trin.* 56
ex Midra Theillim exponente huius mysterij nodum illis verbis, Eccl. 4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Quod explicitum ait *ps.* 49. trina Dei repetitione: *Deus Deorum Dominus.* Vbi Hebræus, אֵל אֱלֹהִים יְהֹוָה, *el elohim*, (non *elohith*, vt mendosè apud Bouer.) *Deus, Deus, Deus.* Quod obseruat Thalmud, & *Exod.* 20. *Josue* 22. condictum ad tres creantes personas. Sic & Predembach. Peregrinus Herus, Faber *hi*. Pintus ad 23. *Ezech* & *Dan.* 1. Hunc sensum vidit S. Bonau. in commentario & glossa à Iudæis deletum.

Probatvr octauò à S. Doctore *serm.* 3. *Trin.* Eccles. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Sic exponunt R. Moyses Hadars *ad* 42. *Gen.* SS. Martial. *ad Burd. c.* 10. Nyss. *de Trin.* Cyprian. 2. *cont. Jud. cap.* 3. Amb. *in symb. c.* 6. August. *de essentia Dei, & de Jncarn.*

Probatvr nonò à S. Doctore *dub. cit.* è Pro- 57
uerb. 8. *Dominus possedit me initio viarum suarum. Antè omnes colles ego parturiebar.* Hinc Bellarminus demonstratiuum vrget argumentum. Qui accipit esse ab

ab alio, distinguitur ab illo; neque enim potest aliquis produci à seipso. Sed Filius accipit esse à Patre, vt habetur loco adducto: *Dominus possedit me*; idest, acquisiuit per generationem; id enim significat hebraica קָנָנִי. Rursùs nil potest fingi in Deo inhærens, & non subsistens, quia in Deo nulla imperfectio. Ergo & Filius est persona distincta à Patre. Idem probatur de Spiritu sancto. Hoc idem confirmat Galatinus *lib. 2. cap. 10.* è nomine *Ichouah.* Vide Vasquez *disp.8.cap.3.*

Quamuis autem vtriusque sacræ paginæ volumina testentur vnitatem in Trinitate Diuina, vt obseruat D. August. *serm.38. de tempore*; attamen præclariora sunt in nouo testamento hac de re testimonia.

58 Ideò Christus *Ioan. 17.* ait: *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*; ille enim, qui notus erat in Iudæa Deus, manifestatus est vt Pater. Sic exponunt August. *tract. 16. in Ioan.* Chrysost. *homil.* 80. Cyrillus *lib.11.in Iom.c.18.*& D. Bonau. *in Commentario.* Ideo *dub.citat.* obseruat id Galat.4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum Filij sui.* Missio enim manifestationem dicit, vt docet D. August. 3. *contra Maximinum, c.14.* & 4. *de Trinitate, cap.2.* Hilarius 8. *de Trinit.* Gregor. *homil.26. in Euang.* Itaque Filius missus à Patre hunc manifestauit: & Spiritus sanctus missus à Patre, & Filio manifestauit vtrumque, adeoque tota Trinitas apparuit.

Probatvr ergo à S. Doctore *dub.citato*, ex vltimo Matth. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in*
59 *nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Hoc testimonio nituntur omnes sancti PP. vt obseruat Tannerus *num.* 29. Hic enim essentiæ vnitas in singulari, *Nomine*; Trinitas verò propriis exprimitur nominibus; vnde æqualiter salus in baptismo confertur.

Probatvr secundò à D. Bonau. *ad 14. Ioan.* illis verbis: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Vbi & Patris maiestas, atque authoritas; & Filij distincti ordinatio notatur. Idem colligit ex aliis verbis,
60 ibi: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Vbi rursùs distinctionem Spiritus sancti à Patre conuincit. Apponit verò & id Ioannis 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic & Filius. Quecunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit.* E quibus essentiæ diuinæ identitatem, & trium personarum distinctionem elicit cum D. August. *tract.71. in Ioan.* & Basilio contra Sabellianos, & Arrianos, vbi ait: *Nonne palam impudens es, cum audis: Ego de filio; ille de Patre; alius de Spiritu sancto: & omnia tu misces, & omnia confundis, & vni rei omnes appellatio-*
61 *nes tribuis?*

Probatvr tertiò à D. Bonau. *ad 15. Ioan.* ex illis verbis: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Ibi tres personæ elucent. Mittens Filius; Spiritus sanctus missus: Pater, à quo mittitur, vt obseruat etiam
62 Tannerus cum S. Doctore.

Probatvr quartò à D. Bonau. *serm. 2.3. & 4. de sanctissima Trinitate*, & Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Hic locus luce clariùs asserit vnitatem essentiæ, & Personarum diuinarum Trinitatem. Ita legitur non modò in Latinis Bibliis, sed etiam apud SS. Patres plerosque: imò & in ipso textu Græco Regiis Bibliis inserto, & in Codice Pagnini: etsi Lutherus Erasmum sequutus eum locum omisit.

Dimitto plura alia loca noui Testamenti, in quibus, vbi de Patre, Filio, & Spiritu sancto est sermo, vsurpantur particulæ, *Apud, Cum, De,* 63
Et: quæ omnes distinctionem personarum signant. Id colligit S. Bonau. *ad primum Ioan.* ex illis verbis: *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; cum Chrysostomo *homil. 3. in Ioan.* Beda *in Glossa.* Obseruat autem S. Doctor ibi, id Ioannis 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Vbi & vnitas notatur essentiæ, & personarum distinctio.

Hæc veritas definita est in Concilio Nicæno, & in omnibus sequentibus, in quibus recipitur symbolum, & confessio illius: & acclamatur ab omnibus Catholicis, vt ostendit D. Bonau. 3. *dist.* 25. 64
vbi inter præcipuos, qui hanc veritatem sustinuere, ponit Athanasium ferè in omni opere. Hoc ex professo sustinuere etiam Gregorius Nazianz. *in quatuor orationibus de Theologia*: Gregorius Nyssenus *quatuor orationibus*: Chrysostomus *quinque orationibus de visione Isaiæ*: Basilius *lib. contra Eunomium*, Damascenus *lib. 1. de fide*, & alij Græci PP.

E Latinis verò Tertullianus *lib. cont. Praxeam,* Hilarius *duodecim libris de Trinitate*, & *lib. de Synod.* Augustin. *libris quindecim de Trinitate*, & passim alibi. Fulgentius *lib. ad obiectiones Arrianorum.* Idacius, *cont. Varimandum.* Richardus de S. V. *libris de Trinitat.*

Scholastici verò cum Magistro *in* 1. & cum D. Th. *à q.27. ad* 43. Has verò tres personas esse vnum Deum ostendi *tract.1. disp.10.* & omnes semper Catholici confessi sunt. Id verò confirmat S. Doctor *in compend. theol. veritatis, lib. 1. cap.* 10. primò *ex Isai. 6.* vbi Seraphim ter sanctum acclamantes, 65
vnum Dominum Deum fatebantur. Et *Genes.* 1. dicitur: *Faciamus*; sed in singulari, *ad imaginem.* Et *Psalm. 67.* Ter, *Deus benedicat*, dicitur; *& metuant eum.* Rom. 1. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ipsi* (scilicet vni Deo) *gloria in secula.* Ex his habes, quàm temerè sectarij nostrorum temporum relati à Bellarm. *tom. 1. disp. de Christo*, à Valentia *disp. 2. de Trinitat.* Tannero *disputat. 4. quæst. 1. dub.* 3. errores ex Orco reuocare sint ausi contra hanc certissimam veritatem. Temerè Lutherus nomen Trinitatis, & Homousios auersatur. Temerè Caluinus contra Valentin. latrat, Filium impropriè Creatorem, necnon impropriam, ac duram sancti Concilij Nicæni vocem, *Deus de Deo.* Insolentissimus Erasmus *in schol. epist. Hieron. tom.* 3. euomit ore atro, Arrianos non docuisse hæresim.

QVÆSTIO V.

Quibus authoritatibus nitatur Catholica assertio de Patris Persona.

Patrem æternum non esse Personam, vnus, tot 66
sæculis, nouissimè negauit Valentinus Gentilis *in suis prothesibus.* Sed non videtur intelligere Personæ quidditatem, dum ait, Patrem non esse Personam, sed spiritum; quasi verò spiritui repugnet esse personam.

Assero, Patrem in diuinis esse Personam.

Probatur primò ex omnibus, quæ Deo adscribuntur in Scripturis, vt creare, misereri, punire, producere,

producere, &c. quæ subsistentibus tantùm conueniunt. Loca non refero, quia innumera sunt. Quod verò sit etiam Pater, ostendam quæstione sequenti.

Probatur secundò à S. Doctore 1. *dist.* 26. *quæst.* 2. *ad* 1. Generare Deum, personæ tantùm est. Sed Scripturæ attribuunt Patri generare Filium Deum. Ergo. Minor patebit quæstionibus sequentibus.

Tandem quotquot fatentur, Deum esse, coguntur fateri, esse subsistentem, vt dixi cum D. Bonau. *quæst.* 2. *& sequentibus*, ne Deum imperfectum faciant; quidquid verò sit de proprietatibus relatiuis istius Dei, de quibus infrà. Ideò *Exod.* 3. ait: *Ego sum qui sum*, vt notat D. Bonau. *ad cap.* 1. *Ioan. initio*. Quare insanus est Valentinus.

QVÆSTIO VI.

Quibus authoritatibus probetur Persona Filij.

67 FILIVM Patris vnigenitum, quatenùs Filium, omnes (excepto amente Valentino) fatentur esse personam. Hanc tamen personam multi hæretici negant, esse illud Verbum, de quo sæpè Ioannes; absonum enim clamant, sermonem Dei personam astruere. Ita Samosateni relati ab Athanasio *oratione contra Arrianos*, Valentinus apud Irenæum *lib.* 1. *cap.* 1. Arrius, teste Athanasio *in epistola de Synodi Nicænæ decretis*; Sabelliani, testibus Athanasio *oratione contra gregales Sabellij*, & Basilio *serm. contra Sabellianos, & Arrium*. Idem sensit Michaël Seruetus *lib.* 2. *&* 3. *de Trinitate*, tametsi sibi ipsi mentitus, Hominem Christum Verbum Patris asserat. Eamdem hæresim sequutus est Georgius Blandrata, & Franciscus Dauid, aliique Serueti asseclæ cum suo Magistro igne damnati.

ASSERO cum Ecclesia Catholica, Verbum propriè dictum, quod est conceptus mentis Paternæ, esse personam.

68 Probatur à S. Bonau. *ad c.* 1. *Ioannis*, & *in* 1. *dist.* 27. *part.* 2. *q.* 1. ex illis verbis: *Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt. Verbum caro factum est, &c.* Tunc sic: Is, qui est Deus, per quem omnia facta sunt, quique incarnatus est, assumens naturam humanam debet esse persona. Huiusmodi est Verbum Dei. Ergo. Hoc est argumentum Sanctorum Athanasij contra gregales Sabellij, Basilij *oratione contra Sabellianos, & Arrianos*. Aug. *lib.* 1. *de Trin. c.* 6. & *lib.* 15. *c.* 11. Ambrosij *lib.* 4. *de fide ad Gratianum*, *c.* 3. Irenæi *lib.* 1. *cap.* 1. & Ignatij *epist. ad Magnesianos*. Imò Sacra Concilia definiunt, Filium Dei personam esse illud Verbum. Argumentum hoc validissimum acclamat Gregorius de Valentia *d.* 2. *q.* 1. *punct.* 1. *§.* 2.

69 ADVERTIT autem S. Doctor *loc. cit. in* 1. *Sent.* cum D. August. 15. *de Trin. c.* 10. & *tract.* 1. *in Ioannem, circa medium*, & *tract.* 37. quod Verbum non est solùm, quod sonat exteriùs ore, & transit; sed magis id, quod intùs dicitur cogitando, de quo sæpè habetur: *Cogitabant dicentes*: Matthæi 9. Lucæ 5. Et licèt sermonem multiplices expressiuum Verbi interioris; tamen Verbum interius vnum manet. Hoc modo considerando verbum mentale, aliqualiter percipies Verbi æterni naturam, quod est vnum permanens. Iob 33. *Semel loquitur Deus*. Vbi D. Gregorius *lib.* 23. *Moral. cap.* 11. *Loqui Dei est Verbum genuisse. Semel loqui est, Verbum aliud præter vnigenitum non habere.*

70 ADVERTIT secundò ex Damasceno *lib.* 1. *de fide, c.* 18. *post medium*, Verbum quadrupliciter dici. Primò, Verbum quod cum Patre coëxistit, de quo D. August. *lib.* 7. *de Trin. c.* 3. *ante medium*; & *lib.* 15. *c.* 11. *initio*, ait: *Sicut verbum nostrum temporale seipsum ostendit, & illud, de quo loquimur; quantò magis Verbum Dei, quod ita ostendit Patrem, sicut est Pater.* Igitur Verbum Dei est nostro simile. Ideò ait Glossa: *Per similitudinem cum verbo cordis humani, natum est Verbum Patris, non quia Filius Dei non sit verum Verbum; sed quia per notitiam verbi humani mentalis manuducamur in notitiam Verbi æterni, quod simile quidem est, sed non in omnibus; in nobis enim est accidens.* Secundò dicitur verbum naturalis nostri intellectus motus, per quem intelligit, & cogitat, veluti lux eius, & splendor. Tertiò dicitur Verbum, quod intùs à nobis enunciatur simile Verbo Dei, vt dixi. Quartò id, quod ore profertur, & dicitur Angelus, siue nuncius, & interpres interioris conceptus.

ADVERTIT tertiò S. Doctor 1. *d.* 27. *part.* 2. *q.* 2. 71 ex D. August. *lib.* 11. *confess. cap.* 7. Deum Patrem, quicquid dicit, dicere, & exprimere per suum Verbum, siue loquatur docendo in Scripturis, siue extrà operando; ideò & scripturas, & imperium Dei vocari Verbum, quia sunt expressiones, vel effectus Verbi, quod vnum tantùm est, vt notat idem S. Augustin. ad id psalmi 61. *Semel loquutus est Deus.* Igitur Scripturæ canonicæ, & iussa Dei, qualia 1. *cap. Genes.* loquuntur: *Fiat lux. Fiat firmamentum, &c.* & quicquid è præscripto Dei fit, dicitur figuratè Verbum Dei, vt id 1. Reg. 3. *Ecce ego facio Verbum.* Et Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Hinc ruit Arrij argutula *lib. serm. comm.* vbi ait: *Multa verba profert Deus. Quodnam igitur ex istis verbis Filium, & Verbum vnigenitum Patris recipiemus?*

Respondetur enim cum S. Athanasio *epistola de Decretis Synodi Nicænæ*, vnum esse Verbum Dei, per quod omnia exprimuntur, & prouidentur. Idem habet D. Bonau. *locis adductis*.

Obiicit Seruetus *Ioan.* 1. dicitur: *Verbum erat*; 72 non autem *est*. Ergo transiit.

Respondet D. Bonau. *ad cap.* 1. *Ioan.* è Chrysostomo *homil.* 2. *in Ioan. ante medium*, hoc tempus *erat*, cùm de nobis dicitur, significare tempus præteritum, imperfectum, & finitum; at cùm de Deo dicitur, æternitatem exprimere: sicut & ens, dictum de homine, præsens tempus tantùm significat; at de Deo æternum esse.

Respondet ergo, dici *erat*, quia esse Verbi describitur, vt omnia antecedens, omniaque causans; & exprimit durationem antecedentem, & immutabilitatem. Igitur ait *erat*, vt ostendat, Verbum nunquam non fuisse; ad hoc enim Ioannes scripsit emanationem Verbi, vt Deum assereret, contra Cerinthum. Quod si Deus erat Verbum, & iam non est, vt latrat Seruetus; cùm Verbum sit Deus, (quia Deus erat Verbum,) sequitur, Deum desiisse; & ecce Atheïsmus.

Obiiciunt Samosateni: *Actor.* 10. dicitur: *Verbum misit filiis Israel, euangelizans pacem per Iesum Christum.* Ergo Verbum non est Iesus Christus. 73

Respondetur cum D. Athanasio *oratione contra Arrianos*, eundem esse Verbum missum, & Iesum Christum; attamen eum euangelizasse, vt incarnatum, in quo est aliqua diuersitas ab eo, vt erat solùm Filius Dei, & Verbum: ita per eum hominem nunciasse.

An autem Verbum accipiatur non solùm personaliter, veluti accipitur *Ioan.* 1. *Apocal.* 19. & 1. *Ioan.*

1. *Ioan.* 5. sed etiam essentialiter, dicam *disp.*9. de quo S. Bonau. *d.*27. *part.*2. *art.*2. *quæst.*2. Capreol. *q.*2. *assert.*4. sed cautiùs loquitur S. Doctor, vt etiam Valentia asserit *d.*2.*q.*1.*p.*1.§.3.

QVÆSTIO VII.

Quibus authoritatibus nitatur fides de Diuinitate Filij Dei.

74 MAGNAM illam adorimur hæresim, quæ Vniuersum fœdo vastauit incendio. Hæc Filium Dei negans, Patrem etiam, & Spiritum sanctum de medio tulit, & Atheïsmum inuexit: nam, vt sapienter Nazianzenus oratione 2. de Theol. *Si quid è tribus personis euerteris, totum euerteris.* Plurimos hæreticos Filij Dei negantes deitatem, adducit Serlogus *in cap.*5.*Cant. vestig.*33. & è regione Patres defensores.

Primò Ebion, & Cerinthus, Paulus Samosatenus, & Photinus Christum, idest Filium, purum hominem proclamarunt. Deinde Ætius, & Eunomius, & inter omnes virulentissimus Arrius, Filium Dei creaturam blasphemauit. Nestorius Christum purum hominem faciebat. In idem ferè lapsi sunt Felix, & Elipandus.

Mirabar nostri sæculi nouatores omnium ferè hæresum, etiam Arrianismum non eructasse. Horum Vexillifer Michaël Seruetus, qui Geneuæ combustus vlulans ad Arrium descendit, sic docuit 1. *de Trinit.* at verò *in dialogis*, Christum secundùm carnem Filium Dei fatebatur. Hunc sequuti sunt in Transyluania plurimi, & in Polonia, inter quos Georgius Blandrata, & Franciscus Dauid, vt legitur in eorum disputatione Albana.

75 Lutherus contra Lacomum ait: *Anima mea odit vocabulum Homousion*; quâ voce Concilium Nicænum consubstantialitatem Filij cum Patre acclamauit. Idem *in cap.*1. *Genes.* Filium instrumentum Patris ad creandum asseruit, quod est Arrij theorema, vt testatur D. Athanasius *oratione* 2. *contra Arrianos.* Similiter in Litaniis Germanicis abstulit illud: *Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis.* Et in suis Bibliis editis Lypsiæ, Vuittembergæ, & Francofordiæ, de nono Isaiæ, vbi Christus dicitur *Deus fortis*, expunxit vocem *Deus.* Et ex 1. Ioannis 5. illud: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt.* Tandem *lib.*2. *de Conciliis*, Eutycheu, & Nestorium Diuinitatis Christi perduelles, excusat accusans Sanctos Cyrillum, & Leonem, qui eorum hæresim damnarunt.

Melanchthon *epistola ad Electorem Brandeburgi*, & *lib. cont. Staniarum*, & *in locis communibus*, Filium inferiorem Patre facit. Eodem veneno imbuti debacchantur Vbiquetarij.

Tandem infandus Caluinus *lib. cont. Valentinum*, dicit, Filium impropriè dici Creatorem. Mordet & S. Nicænum Concilium, confessum Verbum Deum de Deo. Locum etiam Ioannis 14. *Ego, & Pater vnum sumus*, quo maximè SS. Patres Filij consubstantialitatem cum Genitore vrgebant, non de vnitate substantiæ, sed de concordia voluntatis intelligendum clamat, cui acclamat Blandrata *suprà.* Eundem sequuti sunt Beza *lib.cont.Brentium*: Bullengerus *lib. de authoritate Scripturæ, & Ecclesiæ.* Idem latrant Iudæi.

76 DOGMA Catholicum est in Concilio Nicæno acclamatum, & à sequentibus Conciliis vniuersali applausu acceptatum, Dei Filium Iesum esse verum Deum, Patri consubstantialem.

Plurimæ authoritates afferuntur à Valentia *d.* 2. *q.*1.*punct.*1.à §.11.*vsque ad* 20. Suarez 3.*part. disp.*1. Bellarmino *tom.*1. *lib.*1. *de Christo*, *à cap.*4. *vsque ad* 10. Tanneto *d.*4.*q.*1.*dub.*3. Foresto magistro meo in fine Operis *de Trinit. super D. Bonauenturam.* Miror verò, loca præclara è S. Doctore omninò conticuisse.

Equidem authoritatibus Scripturæ, quibus Seraphicus hoc dogma confirmat, satis superque q i-escam.

PRIMVM CAPVT authoritatum est veteris Testamenti expliciti in nouo Testamento, vbi ea, quæ ibi de Deo vero dicta sunt, hîc explicantur de Christo Iesu nostro. Ea tamen loca cum applicationibus potiùs supponit S.Doctor vt clara. 77

PRIMVS locus innuitur à S. Bonauent. *in medit. vita Christi, cap.*7. è psalmo 96. *Adorate Deum omnes Angeli eius.* Hunc locum de Christo dictum adorando, testatur Apostolus ad Hebræos 1. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ*, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ex quo infert S. Bonauent. Angelos agnouisse Christi Deitatem initio.

SECVNDVS, Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Ex vtero ante Luciferum genui te.* Quod de Messia intelligunt omnes Hebræi, & Chaldæus cum Apostolo *Hebr.*1 qui hinc diuinitatem Christi argumentatur. Vide Galatinum *lib.*3.*c.*5. Imò Christus hinc arripit argumentum, *Math.* 22. argnens: *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo Filius eius est?* Obseruat autem S. Bonauent. *ad* 78
hunc psalmum, è Glossa exponente, Dixit Dominus ei, qui Dominus meus meus est, secundùm quod homo; Christum dici Dominum, secundùm quod talis homo subsistens in Persona Diuina. Deinde aduertit, eum sedere à dextris Dei, vt æqualem, vt arguit Apostolus, super omnes creaturas. Ideò & *Psal.*8. dici: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, vt arguit Apostolus *Hebr.*2. Deinde obseruat dictum: *Tecum principium*; vbi commendatur Christus ab æqualitate, per particulam *Tecum*; à deitate, per nomen *Principium*; ab æternitate generationis, dum air: *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te*; quod est Apostoli argumentum. Hæc adeò sunt obuia, vt hæreticorum mira appareat insolentia negantium Apostoli, & Christi argumentum.

TERTIVS est *Psal.*67. quem ponderat S. Bonau. 79
sermone 2. de Ascensione Domini: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium. Dominus in eis in Sina in sancto. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem.* Hunc locum S. August. adductus à D. Bonau. & cæteri cum Apostolo *Ephes.* 4. de Christo interpretantur. Hinc deducit S.Bonau. Christum esse Deum.

Respondet Blandrata, Psalmistam loqui de futuro Christo, non de Deo Israëlis: ita respondet etiam Franciscus Dauid. Contrà: nam idem dicitur Deus Israëlis, qui dedit omnia bona, & contulit præcipuè beneficia in liberatione ab Ægypto. Ergo is, qui est Christus, est etiam Deus.

QVARTVS locus est *Psal.*44. vbi multa de hoc 80
replicantur. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis, virga regni tui. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, &c.* quæ de Christo Ecclesiam desponsante dicuntur. Ideò Chaldaïca versio sic habet: *Tu Rex Messia dilexisti iustitiam. Pulchritudo tua, ô Messia, maior est, quàm filiorum hominum.*

hominum. Et Apostolus *Hebr.1.* hoc testimonio nititur ad Christi Deitatem comprobandam.

Falsò igitur Iudæi aliqui interpretantur de Assuero desponsante sibi Estheram; alioqui Mardochæus, cui hunc psalmum adscribunt, initiasset Estheram ad adorandum vt Deum Assuerum, il-
81 lis verbis: *Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus, & adorabunt eum*; vt aduertit Lyra *in cap.1.ad Hebr.*& Bouerius *demonstr.1. in Iudæos, art. 9.*

Neque de Salomone omnia propriè valent exponi, vt putant Hebræi; sed solùm aliqua vmbraticè, vt aduertit D. Bonauent. *serm. 2. Dom. primæ Adu.* cum D. Augustino. Quapropter concludit ibi, de solo Christo posse exponi propriè; vnde Christi Deitatem deducit, applicans alia Scripturæ loca, quæ Redemptorem Deum asseuerant.

Ineptè autem respondet Dauid Seruetianus, Christum vocari Deum communicatione Deitatis. Si communicatam à Patre Deitatem fateretur in generatione, phrasi Catholicâ, non esset controuersia; at cùm velit communicatam naturam Diuinam indiuiduo naturâ distincto extrà Deum, plures Deos à sancto Dauide admissos infert.

82 QVINTVS locus est *Psalmo 101. Tu in principio Domine terram fundasti.* Qui locus de Christo exponitur ab Apostolo *Hebr.1.* Huic nectit D.Bonau. *ad cap. 1. Ioan.* illud: *Omnia per ipsum facta sunt*; & diluit errorem dicentium, Christum fuisse merum creationis instrumentum, vbi affert & Chrysostomum *hom.4. in Ioan.*

SEXTVS est *Malach. 3.* vbi Deus loquitur: *Ecce mitto Angelum meum, & præparabit viam ante*
83 *faciem meam.* Iste Deus loquens, à Luca *cap. 1.* asseritur esse Christus; eius autem Angelus Præcursor Ioannes. Ideo & *Isai. 40.* dici: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*; idest Christi, vt ait S.Doct. *Luca 1.*& *Ioan.1.*

84 SEPTIMVS locus est Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Et Deuter.32. *Deus solus Dux eius fuit.* At S.Thaddæus testatur, Iesum liberasse Hebræos ex Ægypto. Hunc locum vrget D. Bonauent. *serm.1. Dom.2. post octauam Epiph.* ad Christi Deitatem magnificandam, qui & tunc agnitus est Pharaonis euersor; quem nullus dubitat, an fuerit Deus.

85 OCTAVVS locus est Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Hunc locum Ioannes *cap.12.* de Christo interpretatur. *Hoc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo*; idest Christo, vt vidimus *quæst.4.* Hunc locum vrget S. Bonauent. *ad 12.Ioan.* Ad idemque obseruat exponi id Isaiæ 53. *Vt sermo Isaiæ impleretur. Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui reuelatum est?* Per brachium Domini Christum intellexit, cum D. Augustino *tract.53. in Ioan.* aduertens, eum esse Filium, Brachium, & Verbum, per quem omnia facta sunt.

86 NONVS est Isaiæ 43. *Ante me non est Deus, & post me non erit, quia mihi curuabitur omne genu.* Quod de Christo intelligi aduertit S.Doct. *1.dist.9. dub.5. lit.* cum Apostolo *Philip.2.* & *Rom.14.*

Huic similis est locus Isaiæ 45. *Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius. In memetipso iuraui, egredietur à me Iustitiæ Verbum, & non reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu.* Hunc autem, qui vnus est Deus verus, interpretatus est Paulus *Rom. 14.* esse Christum, dicens: *Omnes stabimus ante tribunal Christi; scriptum est enim, mihi curuabitur omne genu.* Hanc interpretationem refert, atque supponit S. Bonauent. *4. dist.47. quæst.3.*

Respondent Seruetiani, curuanda Christo genua, non quia sit Deus, sed quia datum est ei nomen supremum.

Quid blaterant? En ipse se Deum testatur, nec alium Deum reperiri.

DECIMVS locus est Isaiæ 44. *Hæc dicit Dominus Rex Israël, & Redemptor eius Dominus exercituum: Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei?* 87

Hunc verò Deum principium, seu primum, & finem omnium, testatur Christus seipsum esse, *Apoc.1. Ioan.8.& Psal.110.* Vnde Christi deitatem elicit S. Doct. *ad eum Ps.& ad c.8.Ioan.*& *serm.3. in Septuag. ex Isaia etiam 41.* & *in primo dist.29. quæst.1.*

VNDECIMVS habetur Isai.8. *Dominum exercituum* 88
ipsum sanctificate, ipse sit pauor, & erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel. Hunc autem lapidem esse Christum, habemus *Ioan. 9. 1. Petri 2. Luca 2.* vt aduertit S. Bonau. *ad 2. Lucæ* Eisdem auctoritatibus idem probat S.Doct. *serm.1. Dom. infra octauam Natiuitatis,*

DVODECIMVS locus est Zachariæ 12. *Dominus extendens cœlum, & fundans terram, &c. Effundam super Domum Dauid spiritum gratiæ, & aspicient in me, quem confixerunt.* Hunc autem esse Christum, testatur Ioan.
c.19. Ex quo esse Filiũ Dei argumentatur S.Bon. *ibi.* 89

SECVNDVM CAPVT auctoritatum est, in quibus diuinitas absolutè Christo tribuitur.

PRIMA est Baruch 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, &*
Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum 90
hominibus conuersatus est. Huic addit S. Bonauent. *serm.4. Vigil. Nat. Domini,* illud Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*; idest, *nobiscum Deus.* Quo testimonio vtuntur communiter ad id sancti Patres, Athanasius *de suscepta natura, contra Apollinar.* Basilius *lib. 4. contra Eunom.* Nazianzenus *oratione 4. de Theolog.* Eusebius *lib. 6. demonstr. Euang. cap.19.* Cyrillus *lib.7. contra Iulianum*, Chrysost. *oratione, Quod Christus sit Deus.* Theodoretus *ad hunc locum.* Augustin. *lib.9. de Ciuitate, cap.33.* Hilar. *lib.5. de Trin.* Ambros. *lib. 5. de fide, ad Gratianum, cap.1.* Cyprianus *lib. 2. contra Iudæos, cap. 5.* Fulgentius *lib.de Incarn. & gratia Christi, cap.10.* & alij.

Ad locum Baruch respondet Franciscus Dauid cum Iudæis, librum non esse canonicum: deinde, eum loqui de sapientia, non de aliquo Dei Filio.

At librum canonicum ostendi *tract. 1. dist.2. q.2.* Præclarè autem constat, loquentem, qui in terris conuersatus est, esse Deum, qui sapientiam docuit. Vide etiam Bellarminum *lib.1. de Verbo Dei, cap.8.* Præterea non aduertit homo cæcus, eam sapientiam vocari Deum Israël.

SECVNDA authoritas est Iob 19. *Scio, quod* 91
Redemptor meus viuit, &c. & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Hunc locum vrget S.Doct. *serm.1. Dom. primæ Aduentus.*

TERTIA est Isaiæ 9. *Paruulus natus est nobis, & vocabitur Admirabilis, Deus fortis.* Ex quo Deita-
tem Verbi incarnati deducit S. Bonauent. *ad 1. Lu-* 92
cæ, ad ea verba: *Vocabitur Filius Dei.* Et *serm.2. Epiph. & serm. 1. Dom. infrà octauam Epiphaniæ,* cum Chrysost. *hom. 5. de incomprehensibilitate Dei.*

Aduerte, Iudæos post tempora D. Hieronymi mutasse puncta, & legisse יִקְרָא *Iikra actiuè, vocabit Deus Ezechiam, vel Messiam.* Verùm punctatura est spuria; nam antiquitas legit יִקָּרֵא *likkare, vocabitur.* Ita non solùm Latinus Interpres, qui & *in Prol. Pentat.* obseruat, sic legisse etiam Septuaginta; quamuis nomen Dei abscondeerint, ne Rex Ptolomæus arbitraretur, pluralitatem Deorum ab eis adorari: sed legunt etiam Symmachus, & Chaldæus sic habens: *Infans datus est nobis, & vocabitur nomen eius ab antè admirabilis, consilio Deus fortis, permanens in sæcula sæculorum Messias, in cuius diebus multiplicabitur pax.* Vbi Vulgata: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis.* Certè 4. *Regum* legitur, imperium Ezechiæ non fuisse æternum: sic igitur legunt etiam Patres, Ignatius, Irenæus,
93 Eusebius, & D. Bonauent. sequutus Septuaginta *loc. cit.*

QVARTA est Isaiæ 45. *Verè tu es Deus absconditus. Deus Israël Saluator.* Hinc Christi Deitatem infert S. Doct. *in expositione Missæ*, cum D. Fulgentio *ad obiectiones Arrianorum*, & *ad Trasim.*

Frustrà verò Iudæi hæc ad Cyrum detorquent, vt aduertit D. Hieronymus *lib.* 13. *in Isaiam.* Hic obseruat S. Bonau. *Itinere* 2. *Æternit. dist.* 5. ea verba: *Ego, qui loquor Iustitiam*; vbi idemmet Deus loquitur, qui & dicitur *Deus absconditus.*

94 QVINTA est Isaiæ 56. *Hæc dicit Dominus: Custodite iudicium, & facite Iustitiam, quia iuxta est salus mea, vt veniat; & iustitia mea, vt reueletur.* Hæc autem iustitia, & salus est Christus, vt constat. Ex quo deducit S. Bonau. *serm.* 2. *Dom.* 2. *Aduentus*, debuisse esse Deum, qui redemit, satisfaciens pro nobis ex iustitia.

95 SEXTA est Isaiæ 60. *Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram: super te autem orietur Dominus.* Hunc locum vrget S. Bonauentura *serm. primo Dom. infra octauam Natiuitatis.*

96. SEPTIMA est ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri. Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Et cap. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Hæc loca vrget S. Bonau. *serm.* 1. *Circumcisionis Domini*, vbi concludit: *Hæc est fides, per quam Dominus apparet, etiam in Trinitate personarum.*

97 OCTAVA est Apoc. 9. *Rex Regum, & Dominus Dominantium. Et ipse reget gentes in virga ferrea.* Quem locum refert ad probandam Christi Deitatem S. Doct. *serm.* 2. *de Epiph.* Includitur etiam in hoc Psalmus secundus. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quem locum Rabbi Salomon, & cæteri Rabbini de Messia interpretantur, teste Galatino *lib.* 3. *cap.* 2. Sic exponitur etiam *Actorum* 4. & 13. & *ad Hebr.* 1. & allegatur tanquam Iudæis inconfesso. Et ne putetis filium adoptiuum, subdit: *Et nunc Reges intelligite; erudimini qui iudicatis terram. Apprehendite disciplinam.* In Hebræo habetur נַשְּׁקוּ־בַר: *Osculamini filium*; id-est, in signum subiectionis. Confirmatur; nam subdit: *Ne quando irascatur Dominus.* In Hebræo non est Dominus, sed refertur ad Filium, qui supponitur Dominus ab omnibus Regibus adorandus; ideò Deus. Hanc authoritatem supponit certissimam de Filij Deitate S. Bonau. 1. *dist.* 9. *dub.* 9. *litt.* cum Magistro.

98 NONA est Isaiæ 48. *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus sanctus Israël. Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via, quâ ambulas. Vtinam attendisses mandata mea.* Notat autem S. Bonau. *Opusculo de decem præceptis*, hîc loqui Deum, qui dedit legem populo antiquitùs, vt ipse suprà testatur Propheta. Et ipse Missus à Deo, vocat se Deum præsentem in Sina, cùm acciperent Hebræi legem. Insana ideò est responsio Iudæorum, Prophetam loqui de seipso. Vide Bellarminum, & Lyranum confutantes effugia etiam Seruetianorum.

DECIMA est Isaiæ 64. *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* Et Psalmo 143. *Domine inclina cælos tuos, & descende.* Hinc S. Bonauent. *in medit. vitæ Christi, cap.* 4. Deum Verbum carnem factum auspicatur. 99

VNDECIMA est, quam vehementer obseruat S. Bonau. *ad c.* 20. *Ioan.* vbi Thomas confitetur Christum rediuiuum: *Dominus meus, & Deus meus.* 100
Et Christus acceptat eam confessionem. Id confirmat expositione S. Aug. *tract.* 121. Gregorij *hom.* 26. *in Euang.*

Impiè Mopsuestenus respondet, Thomam exclamare ad Deum; cuius responsio damnata est in quinta Synodo, *c.* 12. Est etiam nostra omnium Patrum interpretatio, nec eam negat Erasmus Seruetianorum patronus. Quare oculos in Thomam coniiciant, eumque audiant confitentem Christum Deum, vt monet Athanasius *epistola ad Maximum.*

DVODECIMA est 1. Ioan. 5. *Vt simus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Ideò autem Christus *Ioan.* 17. ait: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Patrem, & quem misisti Iesum.* Idem antè obseruauit S. Bonau. ibi, cum D. Athanasio disputatione cum Arrio, vbi hoc testimonium acclamatur scripta demonstratio. Eo vtuntur SS. Patres, 101
Cyrillus *lib.* 12. *Thesauri, c.* 13. Basilius, Nazianzenus, Hieronymus, Ambrosius *ad* 65. *Isaiæ*, August. 1. *de Trin. c.* 6. Hilarius 6. *de Trin.* & alij Patres, qui ex Græco efficaciùs id hauriunt, vt aduertit Tanner. *n.* 14. Bellarminus *loc. cit.*

Quare temerè Erasmus ait, id: *Hic est verus Deus*, dici de Patre, non de Filio. Quis enim non videt relatiuum *hic*, referendum ad personam proximè expressam? Hæc autem est Filius, cuius fidem Ioannes nobis commendat.

Ruit etiam Seruetianorum effugium, dici Christum Deum participatione: nam vt ait D. Cyrillus suprà, si Christus verus Deus est, substantialiter, non participatione hoc ipsum est.

TERTIA-DECIMA authoritas est Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Hinc Diuinitatem Christi arguit S. Doct. 4. *p. Breuil. cap.* 5. & ideò latriæ cultum humanitati vnitæ exhibendum. Idem colligunt Patres, Origenes, Chrysost. Theodoretus, Ambrosius, & omnes alij huius loci interpretes. Irenæus *lib.* 3. *c.* 18. Tertull. *lib. contra Praxeam*: Hilarius *lib.* 4. & 8. *de Trinit.* Cyprian. *lib.* 2. *contra Iudæos, c.* 6. Aug. 2. *de Trin. c.* 13. & *lib.* 3. *contra Faustum, c.* 3. Ambrosius *lib.* 1. *de fide, c.* 5. & *lib.* 1. *de Spiritu sancto, c.* 3. Gregor. *hom.* 8. *in Ezech.* Athanasius *serm.* 2. *contra Arrianos*, Cyrillus *lib.* 1. *Thesauri, cap.* 5. Fulgent. *lib.* 3. *ad Trasimundum.* 102

Respondet Erasmus, ponendum esse punctum ante ea verba: *Qui est benedictus Deus*; & ita ait, se legisse in Chrysostomo. Deinde addit, Hilarium *in psal.* 121. atque Cyprianum *lib.* 2. *contra Iudæos, c.* 6. omisisse voculam *Deus.*

Contrà, quia in Chrysostomo, & omnibus est sola virgula, seu comma, vt ego vidi. Deinde etiamsi esset punctum, adhuc relatiuum *qui*, responderet Christo,

Christo, de quo loquitur Hilarius. Neque omisit voculam *Deus*, neque eam tacuit Cyprianus.

103 QVARTA-DECIMA est *Lucæ* 1. vbi Angelus ait Zachariæ: *Multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum.* Hic autem Dominus Deus est Christus, cui præiuit Ioannes, vt obseruat S. Bonau. *ibi* cum Patribus. Cùm igitur Dominus Deus Israël sit verus Deus, fatentibus aduersariis; ante hunc autem præierit Ioannes, præierit autem Christo, vt eius Præcursor, vt habetur *Actorum* 13. atque expendunt Irenæus *lib.* 3. *c.* 11. Ambrosius, Beda, Euthymius, & alij ad hunc locum; quis negabit, Christum esse Dominum Deum Israël?

104 QVINTA-DECIMA Lucæ 1. *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis ante Dominum parare vias eius.* Altissimus hic non alius est, quàm Christus, cui præiuit Ioannes. Cùm autem nomen Altissimi Deo soli concedatur, vt fatentur Transyluani *lib.* 1. *c.* 5. & olim Arriani, vt habet D. Hieronym. *ad psal.* 86. vbi nomen Altissimi Deo tribuitur: *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus*; vt exponit D. Hieronymus cum Augustin. quod etiam habetur *psal.* 82. vt aduertit S. Bonau. *Tu solus Altissimus*; necessariò infert S. Doctor, Christum esse Deum.

105 SEXTA-DECIMA authoritas insignis est Ioannis 1. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum.* Quo testimonio eliduntur omnes hæreses Diuinitati Christi infensæ, vt probat luculenter D. Bonau. *hoc loco*, referens etiam PP. conferens alia etiam Scripturarum loca. Prou. 8. *Dominus possedit me initio viarum suarum. Cum eo eram cuncta componens.* Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Philip. 2. *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Hebr. 1. *Per quem fecit & sæcula.* Psal. 101. *Tu in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*; quod de Christo exponit Apostolus *loc. cit.* Psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Et alia. Patres refert vnanimes Bouer. *loc. cit.* qui hæreticos confundunt.

Respondent Transyluani, Christum dici Verbum, quatenùs loquutus esset salutem; sicut Ioannes dicitur *Vox.* Ideò in Græco haberi: *Verbum caro fuit*; non autem *factum est.* Rodunt etiam illud: *Verbum erat apud Deum*; quasi extra Deum fuerit, insipienter loquuti.

106 Verbum sanè Dei Filium vnigenitum exponunt in Patre *Principio*, Clem. Alex. *orat. hortatoria ad Gent.* Orig. *tr.* 1. *in Ioan.* Greg. Nyss. *orat. ad Simplicium*, August. 6. *de Trin. c.* 2. Theophil. Antioch. *lib.* 4. *allegor.* & alij. Siue *in principio ab æterno*, Greg. Nazianz. *orat.* 2. *de Filio*, Ambr. *de Incarnat.* & *de Sacram. cap.* 3. Basil. *hic*, Chrysost. *hom.* 2. *in Ioan.* Siue *in principio Deo erat*, vt exponit etiam Origin. *lib.* 1. *in Ioan.* 1. Horum quilibet Verbi Diuinitatem declarat; nam primi in Patre eiusdem substantiæ astruunt Verbum, vt monent S. Martialis *epist. ad Burdegal.* Hilar. *in ps.* 122. In secundo verò sensu id conuincunt, quia nil præter Deum esse potest æternum, vt arguunt D. Hilar. *lib.* 2. *de Trin.* Cyrill. *sup.* Basil. *lib.* 2. *in Eunom.*

107 Similiter cùm dicitur: *Verbum erat apud Deum*, nempe apud, & intrà producentem exprimitur, vt notat Tertul. *Aduers. Prax.* distinctum verò personâ, in se subsistens; non Sabellianè confusum. Sic Ambr. *lib.* 1. *de fide, c.* 5. Cyrill. *loc. cit.* Chrysost. *hom.* 3. *in Ioan.* Beda *in Gloss.* cum D. Aug. 6. *de Trin. c.* 2. Irenæo *lib.* 3. *c.* 8. Athan. *orat. Quod Deus de Deo sit Verbum*: Fulg. *lib.* 1. *ad Monim.* Victorin. *lib.* 2. *cont. Arr.* qui idem ac in Deo exponunt: quibus adde Seuerum Antioch. Leontium apud D. Bonau. & Maldon. *hic*. Dicitur ergo apud Patrem suum Principium in eius si-nu, vt innuunt allati, & Theophylact. Adde cum D. Greg. 1. *mor. c.* 19. indicari in sinu arcano. Clarè verò ostenditur sequentibus, *& Deus erat Verbum*; vt notant D. August. *lib.* 3. *de doctr. Christ. c.* 2. Chrysost. *hom.* 3. & alij cum D. Bonau. *hic*; adeò, vt præcedentia *apud Deum*, non extra, sed in Patre, etsi aliam Personam, signent.

Id tandem: *Verbum caro factum est*, legunt Patres Græci, & Latini. Athan. *dial. de Trin.* Nazianz. *ep. ad Cledon.* Chrysost. *hom.* 10. Conc. II. Constantinop. generale *can.* 8. D. Aug. *tr.* 2. Irenæus *lib.* 3. *c.* 5. Hilar. *lib.* 9. *de Trin.* & alij cum D. Bonau. *hic*. Sic legunt omnes ἐγένετο, *factum est.*

DECIMA-SEPTIMA est Ioan. 19. *Secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Ipse autem id concessit, non autem adoptiuum; nam tales se dicebant & ipsi Iudæi, Ioan. 8. *Vnũ Patrẽ habemus Deum.*

Respondent Transyluani *lib.* 2. *cap.* 7. & Blandrata *disp.* 6. Christum esse Filium Dei, quia conceptus est de Spiritu sancto.

Inania hæc sunt, nam suprà, *Ioan.* 10. dixerant Iudæi: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum*, vt notat D. Bonau. Ergo (ait) accusabatur, quia se faciebat Deo æqualem: non autem, quia ex conceptione naturæ humanæ de Spiritu sancto id proponeret. Eum autem verè Deo æqualem testatur Apostolus 2. *Philip.* & hic erat sensus Christi verus, vt notat S. Bon. Idem sensisse Iudæos de Christi propositione, constat Ioan. 5. *Propterea magis quærebant eum interficere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed etiam Patrem dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Neque ab hoc se excusat: quod profectò fecisset, si non esset id verum, ne deciperet, vt notat Chrysost. Imò, vt idem Chrysost. ait *hom.* 37. adductus à D. Bonau. Deitatem suam Iudæis proposuit, & cum Patre æqualitatem, vt notat S. Bonau. Ideò etiam subdit ibi: *Quæcunque ille fecerit, hæc & Filius facit*, alludens ad id Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Coloss. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Et Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

Instant Arriani: Christus ibidem dixit: *Non potest Filius facere quicquam.* Ergo non est æqualis Patri. 107

Respondet S. Bonau. ex Glossa, hoc solùm arguere emanationem à Patre, in eadem tamen natura: quia à Patre habet esse, & operari: non quasi sint duo fabri distincti, alter alterum docens, vt admonet D. Aug. *tract.* 18. *in Ioan.* & cum eo S. Bonau. Eandem verò potentiam, & virtutem astruit, dicens: *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*, vt aduertit Chrysost. *homil.* 37. *in Ioan.* & post eum S. Bonau. quem vide ibi egregiè differentem.

DECIMA-OCTAVA est Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*: idest, eiusdem essentiæ, maiestatis, & potentiæ, vt aduertit S. Doct. ibi cum Sanctorum Patrum acie, hoc testimonio arguentium contra Arrium. Sic exponit de vnitate essentiæ Conc. Sardicense apud Theodoret. *lib.* 2. *c.* 8. *hist.* 108

Respondent Transyluani *lib.* 2. *c.* 9. & Franciscus Dauid *disp.* 2. *Albana*, hunc locum sic intelligi, esse vnum concordiâ voluntatis: quod probant authoritate Caluini, & Erasmi. Poterant addere authoritatem etiam Arrij, & Eunomij. Probant ex 17. Ioannis, vbi Christus orat, vt fideles sint vnum, *sicut & nos vnum sumus.*

At Christum asserere, se esse vnum cum Patre essentiâ, & virtute, probat D. Bonau. *ibi*, cum Chrysostomo *ibidem.* Assumit probandum oues suas non perituras, *quia nemo rapiet eas de manu Patris mei.* Ergo nec de manibus meis. *Ego enim, & Pater vnum sumus.* 109

ſumus. Hoc ſanè argumentum non concluderet, niſi eſſent vnum eſſentiâ, & virtute; ſi enim eadem eſt virtus: ergo eadem ſubſtantia, vt arguit S. Bonau. cum Chryſoſt. *hom.60. in Ioan.* Et ſubdit rationem: Pater, quod dedit mihi, maius omnibus eſt; ſcilicet vt ſim Verbum eius vnigenitum, vt infert S. Auguſt. *ibidem.* Ergo eadem virtus, & eſſentia.

Confirmatur à S. Doctore ex D. Aug. *tract.48. in Ioan.* nam Iudæi cùm Chriſtum pertuliſſent teſtantem, ſe Patris voluntati conformem, mox tulerunt lapides in eum, cum dixit: *Ego, & Pater vnum ſumus*; intelligentes, eum ſe Deum prædicare.

Inſtant aduerſarij: Chriſtus in ſequentibus videtur ſe expurgare à Iudæorũ opinione, dicendo ſe Deum ſolum per gratiam; ait enim: *In lege veſtra ſcriptum*
110 *eſt: Ego dixi, Dij eſtis. Si ergo eos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum.*

Reſpondet S. Bonau. ex D. Aug. *loc. cit.* Chriſtum argumentari ad hominem à minori ad maius. Vos conceditis nomen Dei his, qui illuminati ſunt per gratiam; & negatis ei, qui eſt lumen, & Filius Dei per naturam? Quod autem ſe intelligeret Filium per naturam, probatur; ſic enim arguit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere.* Quia enim ſubſtantiam diuinam non poterant videre, ab operibus demonſtrationem contexit, vt ait Chryſ. *hom.60. in Ioan.* & aduertit D. Aug. *ad* 14. *Ioan.* Hinc arguit æqualitatẽ eſſentiæ ex virtute: *Vt credatis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Eam autem conuincit, quia ea opera patrabat propriâ auctoritate, cæteri verò nequaquam. *Actor.4.*

111 Ex his intelligitur falſum id, quod ſuprà aduerſarij opponebant ex 17. Ioannis, vbi Chriſtus orauit, vt diſcipuli eſſent vnum inter ſe, ſicut ipſe erat vnum cum Patre. Vbi particula *ſicut*, eſt nota ſimilitudinis, non æqualitatis, vt aduertit D. Chryſoſt. *hom.1. in Ioan.* Cyrill. *lib.11. in Ioan. c.20.* Itaque, vt ait S. Doct. ad eum locum, poſtulat perfectam ſanctificationem eorum, vnionemque in ſeipſo per gratiam, vt recipiant influxum vitæ, vt dicitur *Epheſ.5.* quem Eccleſiæ ſponſæ communicat, ad imitationem communicationis, quam habet à Patre.

Decima-nona eſt Ioan.14. *Creditis in Deum, &*
112 *in me credite.* Hinc deducit S. Bonau. *ibi*, cum D. Aug. *tract.67. in Ioan.* & 1. *de Trin. c.12.* & aliis Patribus huius loci interpretibus, Chriſtum eſſe illum verum Deum, quem Iudæi colebant; alioqui non ſibi arrogaret fidem, quæ ſoli Deo debetur. Neque enim rectè ſequeretur, eum qui credit in Deum, credere etiam in eum, niſi is eſſet Deus. Hinc arguit: *Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cognouiſſetis.* Et: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Et Apoſtolus Hebr.1. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*; ſeu character (quo viſo, videtur ipſe Deus) vnde non eſt mera figura, vt blaterat Franciſcus Dauid. Ideò enim Phillippo volenti videre Patrem, ait: *Qui videt me, videt & Patrem; non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* En aſſerit, ſe eſſe intrinſecum.

113 Vigesima eſt Ioan.16. *Omnia, quæ Pater habet, mea ſunt.* Hinc S. Bonau. ibi infert, Filium communicare cum Patre in eſſentia. Similiter deducit, & Spiritum ſanctum communicare in eſſentia cum Filio, & ab eo procedere; atque adeò Filium eſſe Deum. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Quæcumque audiet, loquetur.* Ab eo enim audit, à quo ſcit; & ab eo ſcit, à quo procedit, vt arguit S. Doctor cum D. Aug. *tract.99.* Ab eo enim eſt ſcientia, à quo eſt eſſentia; quia ſcire, & eſſe, in Deo vnum ſunt, vt agnouit etiam Ariſtot. Ita arguunt omnes Catholici.

Vigesima-prima eſt Philip.2. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, &c.* Ex quo loco S. Bonau. *ad c.1. & 10. Ioan.* & *ſerm.1. infrà octauam Epiph.* aliiſque locis *ſuprà*, argumentatur Chriſti deitatem. 114

Eraſmus ſic torquet locum. Chriſtus accepit formam ſerui, ideſt, opera exteriora, non veram formã; quia non fuit verè ſeruus. Ergo neque habebat verã formam Dei, oppoſitam in antitheſi ab Apoſtolo.

Hæc tamen ludicra ſunt: nam Apoſtolus opponit formam Dei veram, cum forma humana aſſumpta, quæ eſt ſerua, tametſi non ſit Chriſtus ſeruus, ratione perſonæ Verbi: tamen ratione naturæ aſſumptæ dicitur ſeruus, *Iſaiæ* 49. & *Matth.12.* vbi de Chriſto exponitur id Iſaiæ 42. *Ecce ſeruus meus, &c.* Idem 115
habet D. Hieron. *in c.1. ad Titum.* Tandem omnes Patres per formam, naturam intelligunt. Athan. *ſerm.4. contra Arrianos*: Nazianz. *orat.5. de Theologia.* Nyſſen. *lib. de ſerm. in monte.* Hilar. *in Pſal.138.* & *lib.8. de Trin.* Cyrill. *lib.3. Theſauri, c.1. & 2.* Aug. *lib.2. contra Maximinum, c.5.* Ambr. *epiſt.47.* vbi ait: *Quid eſt in forma Dei? In natura Dei.* Idem habet *lib.2. de fide, c.4.* Commentarij verò, quos D. Ambroſio adſcribit Eraſmus, non ſunt D. Ambroſij. Deinde Author illius commentarij dicit quidem Chriſtum apparuiſſe operibus ſerui, non tamen negat naturam: nam hæc eſt principium *quo* operandi. Sic & Hieron. *in cap.1. ad Tit.* Greg. Boëtic. *de Trin.* Anſelm. *hic.*

Franciſcus Dauid *diſp.2.* ait, Chriſtum dici in forma Dei, quia erat imago Dei exterior, eâ phraſi, quâ *Deuter.4.* dicitur: *Dei formam nullam vidiſtis*, ideſt externam. 116

Verùm proprio marte hæc expuit, nec forma apud Græcos formam exteriorem ſignificat, prout hîc ſcribitur, vt notat Chryſoſt. Græcorum Patrum facilè Princeps. Quod verò è Deuteronomio allegatur, non eſt ad rem, nam in Hebræo eſt תמונה, *Temunah*, quod ſimilitudinem ſignificat.

Eraſmus, & Tranſyluani *lib.2. c.6.* ſequuti Maximinum hæreticum apud Auguſt. *lib.2. c.5.* aiunt, hinc potiùs colligi, Chriſtum non eſſe Deum, atque particulâ *ſed*, exprimere, Chriſtum noluiſſe rapere æqualitatem cum Deo, ſed ſui conſcium, ſemet exinaniſſe.

Contrà eſt, quia Apoſtolus ait præclarè, Chriſtum in forma Dei, Deoque Patri æqualem; attamen ſe exinaniſſe: nam particula *ſed*, Græcè eſt *tamen.* Ita D. Aug. *loc. cit.* & Ambroſ. Græci idiomatis peritiſſimi. Aut habet vim correctionis, ſecundùm Chryſoſtomum, Oecumenium, Theodoretum, Theophylactum, & alios Argolicæ linguæ gnaros, vt ſenſus ſit: Cùm Chriſtus eſſet Deus, adeò non putauit rapinam, æquare ſe Deo, vt potiùs nõ dubitarit veluti deponere inſignia Deitatis, certus ſe non poſſe eã amittere.

Vigesima-secunda eſt *Hebr.* 1. vbi de Filio dicitur: *Per quem fecit & ſæcula.* Et infrà: *Et tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Hæc autem eſſe opera creationis, probatur cap.11. *Fide intelligimus, aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* 117

Stulta eſt autem aduerſariorum reſponſio, aptata eſſe ſæcula, ideſt renouata per redemptionem; nam, vt obſeruat S. Doctor *ad 1. Ioan.* idem omninò ſonat: *In principio erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt.*

Vigesima-tertia eſt Coloſſ.1. *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue poteſtates. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſtant.* Hunc locum vrget S. Bonau. *ad c.1. Ioan.* & roborat 118

aliis

aliis suprà adductis, quæ omnia constipata elidunt aduersorum responsum, loqui Apostolum de sola reparatione.

119 VIGESIMA-QVARTA est 1.Ioan.5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt.* Hunc locum vrget S. Doctor *serm.2.3.& 4. de Trinitate*, ad Deitatem Filij, & Spiritus sancti comprobandam. Per testes enim in cælo, Diuinas Personas accipit. Addit verò: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis.* Hæc enim probant humanitatem. *Spiritus*, scilicet expiratus. *Aqua, & sanguis*, effusa in cruce. Ita accepere Hyginus Papa *epistola* 1. Cyprianus *lib. de vnitate Ecclesia*: Idacius *aduersùs Varimandum*: Athanasius *lib. 1. ad Theophylum, de vna deitate Trinitatis.* Author disputationis cum Arrio in Concilio Niceno. Fulgentius *lib. contra obiectiones Arrianorum*: Eugenius Carthaginensis *in explicatione fidei Catholica.* Ex quo elucet Blandratæ insolentia, dicentis ita explicari à solo Hieronymo, quem impudentiæ accusat. Idem testimonium vrget D. Bonau. *ad* 3. *Luca*, dicens testimonium hoc confirmatum ibi, cùm Christo baptizato, descendit Spiritus sanctus, & vox Patris super illum: *Hic est Filius meus dilectus, &c.*

120 VIGESIMA-QVINTA authoritas est *Isaia* 48. vbi ille idem Dominus Deus Israel, qui dixit: *Propter me faciam, gloriam meam alteri non dabo*; addit: *Non à principio in abscondito loquutus sum; ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus misit me, & spiritus eius. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus sanctus Israël: ego Dominus Deus tuus, &c.* Hunc Deum Israël, qui se dicit missum, interpretantur Christum SS. Patres, Ambrosius *lib.2. de fide, cap.4.* August.20. *de ciuit.cap.vlt.* Athanasius *serm.de Deipara*, Chrysostomus *homil. de Spiritu sancto.* Adde Origenem *lib.1. contra Celsum*, Eusebium *lib. 5. demonstr. c.6.* Hinc responsio aduersariorum ruit, Prophetam loqui de se; nam Isaias non aderat in Sina, &c. Hunc locum vrget S. Bonau. *ad 4. Luca*, in ea verba: *Spiritus Domini.* Missus autem dicitur secundùm deitatem à Patre; at secundùm naturam assumptam, etiam à Spiritu sancto. Vide ibi D. Bonauenturam, & Lyram *loco citato.*

TERTIVM CAPVT authoritatum desumptum è nominibus Dei, quæ Christo tribuuntur.

121 PRIMVM nomen est, *Deus*, quod soli Deo propriè attribuitur, vt ait D. Irenæus *lib. 3. cap.6. & 8.* hoc verò nomen sæpè adscribitur Christo. Isaiæ 9. *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Deus fortis*, vt suprà vidi, & ostendit S.Bonau. *serm.3. in Nat.Domini.* Sic & Ioan.20. dicitur: *Dominus meus, & Deus meus*, vt vidit S. Bonau. *ibi*, & nos suprà. Sic & Lucæ 1. *Benedictus Dominus Deus Israël, &c.* vt obseruat S. Bonau. *ad Psal.*44.

SECVNDVM nomen, & sanè maximè proprium solius Dei, est יהוה, quod Græcè *Tetragrammaton*, seu quatuor litterarum. Hoc nomine Iesus acclamatur Isaiæ 40. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*; vbi Hebræus habet *Iehouah.* Ergo est Deus. Ita innuit S.Bonau. *serm.1. Dom.4. Adu.& ad 3.Luca*, ad ea verba: *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaia Propheta: Vox clamantis, &c.* Ibi *sermone citato* D.Bonau. addit & illud Exodi: *Omnipotens nomen eius. Flauit spiritus tuus.* Vbi Chaldæus: *Dixisti in Verbo tuo: Quis similis tui in fortitudine Domine?* vbi habetur nomen *Iehouah.* Est autem Verbum, in quo omnia dicit, vt eruditè obseruat S. Doctor *ad 3. Luca*, explicans variam Euangelistarum phrasim in explicanda voce Patris è cælo delapsa: nam

Matth.c.17.scribit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; vt explicet complacentiam Patris in Verbo, quo dicit se in se. Lucas: *In te complacuit mihi*, in quantùm Pater omnia Verbo dicit. Marcus: *In te complacui*; quatenùs Pater Verbo se dicit nobis. Vide S.Doctorem. Eodem nomine decoratur Christus, *Psal.*92. illis verbis: *Dominus regnauit, decorem indutus est*; vbi est יהוה. Dictum est autem de Christo, vt fatentur omnes PP. & cum eis D. Bonau. ad *Psal.* 44. vbi idem obseruat è *Psal.*95. vbi dicitur: *Dominus regnauit.* Abstulerunt autem rabidi Rabbini *à ligno*, quod in antiquis codicibus erat, vt legit etiam S. Bonau. & sancta Mater Ecclesia. Idem aduertit ibidem S.Doctor in illis verbis: *Dominus fortis, & potens: Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Porrò R. Moys. Had. *ad* 41. *Gen.* ait, hoc esse Messiæ nomen. Sic & R.Adda *in Thren.* 122

Adde nomen *Iehouah*, sumptum ex illo Exodi 3. *Ego sum, qui sum; ero, qui ero.* Nam si addas litteram י, *Iod*, significat *Iehouah*, & significat eum, qui est fons essendi, vt docet D. Bonau. 1. *dist.2. dub. 4. litt.* Iam verò adscribi Christo id, quod hoc nomine significatur, certum est *Apoc.1.4.& 11. Qui est, qui erat, & qui venturus est*; vt legi in S.Doctore.

Nomen ALTISSIMI, proprium Dei, vt dicitur Psal.96. *Tu solus altissimus super omnem terram*, Christo adscribitur, vt aduertit S.Bonau ad ea verba Lucæ 1. *Filius Altissimi vocabitur. Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, praibis ante Dominum parare vias eius.* Vbi affert & illud Psalmi 86. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* Et Philip.2. *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ergo est Altissimus, vt infert S.Bonau. Ita etiam *Rom.9.* dicitur: *Christus super omnia Deus.* 123

REX GLORIÆ, est nomen Dei, quod adscribitur Christo, vt notat D.Bonau ad ea Lucæ 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Vnde Danielis 7. *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum, quod non corrumpetur.* Loquitur autem de Filio hominis, qui peruenit ad antiquum dierum Monarcham, qui est Pater æternus, vt notat D. Bonau. *prologo ad primum Sent.* Eum verò, qui venit, esse Filium, probat *in 4.dist.48.q.1.ex Glossa.* Hoc idem ostendit opusculo *de septem donis, c.9. ex* 19. *Apoc. In femore habet scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Et *ad Psal.*44. ex Psalmo 23. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* 124

Nomen INVISIBILIS, esse proprium Dei, concedunt Transyluani *lib.2. c. 5.* & olim Arriani apud D.Aug. *lib.3. contra Maximinum, c.vlt.* hoc verò adscribitur Christo, Coloss.1. *Qui est imago Dei inuisibilis*, vt notat S.Doctor *ad c.7. Sapientia in fine.*

QVARTVM CAPVT authoritatum eruitur ex attributis Dei, quæ Christo adscripta sunt. 125

Nomen IMMVTABILIS, est Dei, quod Christo datur Hebr. 1. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*; vt notat S. Doctor ad ea verba Ioannis 8. *Ego principium, qui & loquor vobis.*

Nomen ÆTERNI, est Deo proprium. Genesis 21 *Inuocauit nomen Dei æterni.* Romanor. 16. *Secundùm preceptum Dei æterni.* Hoc Filio Dei, qui est sapientia genita, adscribitur *Prou.*8. vt notat D.Bonau. 1. *dist.2. dub.10. Ab æterno ordinata sum, &c. Ante omnes colles ego parturiebar.* Idem habet S. Doctor in opusculo, cui titulus, *Compendium principium in libros Sent. & de reductione artium ad Theologiam*, & *de Eccl. Hierarchia part.4. cap.2.* 126

Hunc verò librum Prouerbiorum esse scripturam canonicam, ostendi *tract. 1. disp. 2. quæst.2.* neque

 vllus

vllus vnquam Catholicus, aut Hebræus id negauit, vt obseruat D. Hieronymus *in prologo Galeato*. Filij
127 Dei æternitatem venatur D. Bonau. *in commentario* 1.*Ioan.* ex illis verbis: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*; cum Chrysostom. *hom.*1.*in Ioannem*, vbi verbum *erat*, significat immutabilitatem, atque æternitatem. Ibi adducit etiam id Ioannis 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Et id Prouerb. 8. *Dominus possedit me initio viarum suarum.* Et id Eccli. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.*

Ex his habes, inane esse responsum hæreticorum, asseri, Christum affuisse initio renouationis, non autem creationis. Adde cum S. Bonau. *ad* 1.*Ioannis*, & D. August. id: *Omnia per ipsum facta sunt*; quæ inuoluunt omnia creata in Genesi. Id confirmat illo Hebr. 1. *Per quem fecit & secula.* Et psalmi 101. *Tu in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cali.* Quæ Christo adscribit Apostolus. Addit id Psalmi 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt*; confirmans ex Glossa, & Patribus, & illo Ioannis 1. *Sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Et refert Patres.

128 Obiicit verò ipse S. Doctor sibi id *Actorum* 2. vbi dicitur: *Dominum Christum Pater fecit.* Et cap. 13. *Quem suscitauit à mortuis.* Respondet S. Bonau. cum Patribus, ibi accipi Christum secundùm naturam humanam. Vrget S. Doctor *ad c.* 8. *Ioan.* id: *Antequam Abraham fieret, ego sum*; vbi æternitatem suam inuariabilem, omnia tempora amplectentem insinuat: nam particula *ante*, præteritum signat, *sum* præsens; ad modum, quo Exodi 3. *Ego sum qui sum.* Sic obseruat cum Aug. *tract.* 43. *in Ioan.* Gregorio *hom.* 18. Itaque se asserit ante Abraham, non in typo, vt latrat Franciscus Dauid, sed realiter: nam respondet Iudæis, qui eum iuuenem asserebant, dicentes: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*

Confirmatur ex illo Ioannis 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te Patrem, & quem misisti, Iesum Christum.* Et 1. Ioan. 5. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Item Micheæ 5. *Et tu Bethlehem terra Iuda, &c. Ex te egredietur, qui sit Dominator in Israël, & egressus eius a diebus æternitatis.* Quem locum indicat S. Bonau. *dub.* 2. *litt.* Ridiculè autem respondet Franciscus Dauid, intelligi dies creationis.

129 Bellarminus affert etiam id Ioannis 17. *Clarifica me, Pater, claritate, quam habui priusquam mundus fieret*; quod tamen potest sic explicari: Da claritatem prædestinatam ab æterno; atque adeò eneruari, vt obseruat ibi D. Bonauentura.

IMMENSITAS etiam est attributum Dei. Hierem. 23. *Cælum, & terram ego impleo.* Hæc adscribitur Filio. Baruch 3. *Magnus est, & non habens finem; excelsus, & immensus.* Et mox: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersùs eum. Hic in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*; vt notat S. Bonau. *serm.* 4. *Vigilia Nat.* post Augustin. *lib.* 3. *contra Maximinum, cap. vlt.* Sic & Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui & descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.*

Hic S. Bonau. infert Christum immensum, quia loquens in terris, erat etiam in cælo: secutus D. Augustinum *tract.* 12. *in Ioannem.*

Dices: Vel loquitur secundùm naturam humanam, & hoc non, quia secundùm illam non descendit de cælo: vel secundùm Diuinam, & hoc neque; nam secundùm eam, nec ascendit, nec descendit. Respondet S. Bonau. loqui de persona Diuina, quæ descendit secundùm effectum Incarnationis, & ascendit quoad esse hominem. Dicit verò simul, *qui est in cælo*, vt ostenderet, eum, qui secundùm effectus descendit, & ascendit, esse simul immutabiliter in cælo, atque immensum.

OMNIPOTENTIA est Dei attributum: *Qui solus potens*, 1. *Timoth.* 6. Hæc verò attribuitur Filio Dei, vt notat D. Bonau. ad id 13. Ioan. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim.* 130
Hoc attributum sibi Christus adsciuit *Ioan.* 5. dicens: *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*; vt notat S. Bonau. *ibi*, & addit ea Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Coloss. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Et addit expositionem D. Aug. *tract.* 18. *in Ioan.* & Chrysostomi *homilia* 37. *in Ioannem.* Ideò nomen שדי: *Sadai*, Christo adscribitur, vt notat Bouer.

Quod verò obiiciunt Arriani, ibidem dici: *Non potest Filius facere, nisi quod viderit Patrem facientem*; iam resolutum est, id solùm concedere, Filium habere à Patre omnia per generationem, vt exponit D. Bonau. ibi cum D. August. *tract.* 18. *in Ioannem.* Nazianzenus *oratione* 4. *de Theologia*, Ambr. *lib.* 4. *de fide, c.* 3. Itaque vult dicere: Filius non à se, sed à Patre in generatione æterna habet potentiam, & virtutem operatiuam.

Obiiciunt Transyluani: *Data est Christo omnis potestas.* Matth. vlt. Ergò per gratiam. 131

Respondet S. Doctor 3. *d.* 14. *dub.* 4. *litt.* hoc intelligi secundùm humanitatem.

SAPIENTIA est Dei attributum. Rom. 16. *Soli sapienti Deo.* Hæc autem Christo adscribitur, Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, vt demonstrat S. Bonau. *de septem donis c.* 1. *& vlt.* & 1. *Corinth.* 2. vocat Christum, *Dei virtutem, & sapientiam*; vt aduertit S. Doctor 1. *d.* 32. *art.* 2. *q.* 1. *arg.* 1. addito responso, & *q.* 2. *ad vltimum.*

Obiiciunt Arriani illud Matth. 24. *De die illa nemo scit, neque Filius, nisi solus Pater.*

Respondet D. Bonau. 4. *dist.* 48. *q.* 4. *ad* 1. ex Glossa, loqui de filiis adoptiuis, idest sanctis, qui Angelis comparantur; non de filio naturali. Deinde respondet, filium non nosse, quia non notificat, nec ostendit se scire: sicut fouea dicitur cæca, non quia non videat, sed quia, quod habet in se, non ostendit aliis.

BONITAS est propria Dei. Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Vbi non corrigit, quasi mendacem illum, qui se vocarat bonum, vt latrant Arriani, & Transyluani, vt notat D. August. apud D. Bonau. *ibi*; sed quia eum bonum tantùm hominem putabat: ipse autem non sic esse summum bonum per antonomasiam, sed vt est Deus. Ita etiam Basilius *lib.* 4. *in Eunomium*, Ambr. *lib.* 2. *de fide, c.* 1. Hieronymus, & Chrysost. *in c.* 10. *Matth.* Probat autem S. Doctor ibi, Bonitatem esse Christo propriam; nam *Apoc.* 1. se nominat α, & ω: Principium, & finem omnium. Finis autem vltimus est bonitas. Deinde bonitatem esse Christi attributum, ostendit 132
D. Bonau. *ad* 7. *Sap.* illis verbis: *Candor est lucis æternæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius; & cùm sit vna, omnia potest.* 133

MAIESTAS adoranda tribuitur soli Deo. Deuter. 6. Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Hæc autem Christo attribuitur. Hebr. 1. *Adorent eum omnes Angeli Dei*, vt ostendit S. Doctor *de vita Christi c.* 7. Vbi aduertit, adoratum vt Deum, quia *apparuit benignitas Saluatoris nostri Dei*; ad Titum 3. Hic enim locus sumptus est è Psalmo 95. vbi latriâ Deum Angeli adorant. *Adorate eum omnes Angeli Dei.* Quod ex antithesi roboratur; nam eam adorationem opponit idololatriæ. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia.*

Neque

Neque dicant hæretici, adorari latriâ, quia id Pater præcipit, & quia in eo habitat Deus: nam sic adorandus esset mundus; quia Deus in eo est. Et si Pater latriam Angelis præcipit: ergo iustè.

QVINTVM CAPVT authoritatum habetur ex operibus Deo propriis.

134 PRIMVM Dei opus est Creatio. Isaiæ 44. *Ego sum Dominus, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Iob 9. *Qui extendit cælos solus.* Christum autem esse Creatorem mundi, patet ex locis adductis. Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Coloss. 1. *Omnia per ipsum creata sunt.* Hebr. 1. *Tu Domine initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Quæ agitat S. Bonau. præcipuè *ad cap. 1. Ioan.* Sic Prouerb. 8. *Quando præparabat cælos, aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Item Ioan. 5. *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit.*

Arriani, & Valentinus concedunt, Christum fuisse instrumentum creationis, & nihil ampliùs. Id probant, quia Scriptura constanter asserit, Patrem creasse per Filium. Addunt Concilium Syrmiense, quod ait, Filium Patri fuisse ministrum in creatione. Irenæum *lib. 3. cap. 8.* & *lib. 4. cap. 15.* Tertullianum *lib. de Trinit.* Eusebium *lib. 1. hist. cap. 1.* Clem. Alex. *exhortat. ad Gent.* dicentes, Christum fuisse instrumentum creationis.

135 Seraphicus *ad cap. 1. Ioan.* probat, non posse propriè dici, Filium fuisse instrumentum Patris, ex Apoc. 1. *Ego sum α, & ω: principium, & finis.* Vbi Christus se asserit primum principium; instrumentum autem non est primum vniuersale principium. Deinde ex 1. Hebr. *Tu in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Quâ authoritate nititur etiam Chrysostomus *homil. 4. in Ioan.* dicens: *Si enim per hoc, quod dicitur: Per ipsum, existimas, aliquid esse minorationis in Filio, audi Prophetam loquentem ad Filium: Tu Domine in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Particulam verò *per*, ait Seraphicus adhibitam, non solùm vt ostendat emanationem Filij à Patre; sed etiam vt probet, Filium non modò fuisse coëfficientem eadem virtute, sed etiam exemplar, & mundum archetypum. Ita respondent Basilius *lib. de Spiritu sancto, cap. 8.* Damascenus 1. *de fide, cap. 9.* Confirmatur; particulam *per*, non esse notam instru-
136 menti: nam *Rom. 11.* attribuitur Deo. *In ipso, & per ipsum sunt omnia*; vt aduertit S. Doct. adducens Glossam. Idem confirmat *ad cap. 5. Ioan.* allegatis suprà verbis: & 1. Coloss. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Vbi idem Filius, per quem, & in quo sunt omnia condita, astruitur. Hoc sensu D. Hilarius explicat Concilium Syrmiense, & sunt explicandi Patres, vocari instrumentum ob authoritatem Patris; tametsi in dogmatibus parùm authoritatis ferant Tertullianus, & Eusebius. Cæterùm Irenæus solùm vult, Verbum se exhibere vt exemplar; vt explicat *lib. 1. cap. 1. & 19.* & *lib. 3. cap. 8.* Clemens verò clarior, ait hanc sapientiam esse Deum. Sic alij.

137 Confirmatur ex Baruch 3. *Qui emittit lumen, & vadit; vocat illud, & obedit illi. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersùs eum.* Et concludit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Hic autem est Filius Dei, vt ostendit S. Bonau. *serm. 4. vigil. Natiuitatis Domini*, & fides edocet.

Idem confirmat S. Doct. *ad 8. Lucæ*, illis verbis: *Quis est hic? quia & venti, & mare obediunt ei.* Quasi dicat: *Nullus est ei similis*, vt dicitur Exodi 15. *Quis similis tui in fortibus, Domine? &c.* Et Iob 28. *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura: quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.* Et Eccl. 3. *In verbo eius stetit aqua, sicut congeries.* Et Iob 38. *Quis conclusit ostiis mare?* Et Eccli. 42. *In necessitate omnia obaudiunt ei.*

SECVNDVM opus Dei est Saluatio. Isaiæ 42. 138
Ego sum Dominus, & non est absque me Saluator. Et cap. 45. *Deus iustus, & saluans non est præter me.* Idem habes *Oseæ* 13. Hoc est opus excellentissimum Christi. Probatur à D. Bonau. *ad* 1. *Lucæ*, ad ea verba: *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et confirmatur illo *Act.* 4. vbi in nomine IESV sanato claudo, subdit Petrus: *Neque enim est aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat, nos saluos fieri.* Hinc argumentum exstruitur: Non est salus, nisi à Deo, vt dicitur *Isaiæ cap. 42. & 45.* & *Oseæ* 13. Non est aliud nomen, & alia inuocatio, in qua detur salus, quàm Iesu Christi. *Act.* 4. Ergo Iesus est Deus. Est argumentum D. Bonau. quod confirmat sequentibus: *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Confirmatur à S. Doct. *ad* 2. *Lucæ*, ibi: *Reuersi sunt pastores glorificantes Deum*; ex 3. Coloss. *Omne quodcunque facitis in opere, aut in verbo, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Confirmatur à Seraphico ad id Lucæ 2. *Vocatum est nomen eius Iesus.* De hoc Iob 13. *Ipse erit Saluator meus* (loquitur de Deo.) Philip. 2. *Dedit ei nomen super omne nomen.* Matth. 1. *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Profectò nomen hoc gloriosum Saluatorem prædicat.

TERTIVM opus est Iustificatio. *Quis potest di-* 139
mittere peccata, nisi solus Deus? Lucæ 5. quod sanè proprium Dei est. Isaiæ 43. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*; vt ostendit S. Bonau. *ad eum loc. Lucæ.* Iam verò hoc esse Christi opus, latè probat ibi S. Doct. illis Christi verbis: *Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Ephes. 1. *Gratificauit nos in dilecto filio suo.* Et 1. Ioan. 2. *Remittuntur vobis peccata propter nomen eius.* Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa.* Act. 10. *Huic omnes testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius.* Ita ostendit S. Doct. *serm. 4. de Circumcisione*, vbi rursùs remissionem peccatorum à Deo solo arguit. Hierem. 14. *Domine fac propter nomen tuum; quoniam multæ sunt auersiones nostræ.* Psal. 24. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.* Nomen autem *Iehouah*, additâ litterâ scin ש, facit IESVS. Ita propter nomen Domini, quod hebraïcè est *Iehouah*, & Iesu, fit propitiatio peccatis. Idem probat ex 1. Ephes. *In quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum.*

QVARTVM opus est operatio miraculorum pro- 140
priâ virtute; nam ad miracula patranda requiritur omnipotentia, vt obseruat D. Bonau. 2. *d.* 37. *art.* 2. *q.* 1. *ad argumenta*, & 3. *part. Centil. sect.* 37. & *lib.* 1. *compend. Theologicæ veritatis, cap.* 17. Id probat præcipuè de miraculis primi generis secundùm substantiam; vt ex partu Virginis, *Lucæ* 2. & *Matth.* 1. vbi adducitur id Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet.* Idem probat ex statione solis, *Iosuë* 10. & regressu, *Isaiæ* 38. Vide ibi S. Doctorem. Ideò dixit Christus 7. *Lucæ*, vt suam testaretur Deitatem: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt,*

mortui resurgunt. Ibidem verò ostendit, huiusmodi parata à Christo, vt prædixerat Isaias cap.35. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & saliet sicut ceruus, claudus.* Et Michæas cap.4. *In illa die congregabo claudicantem.* Plenæ sunt autem Euangelij paginæ Christi miraculis, præcipuè suscitationibus mortuorum, quæ profectò arguunt omnipotentiam, vt ostendit ibi S. Doct. *Lucæ* 7. illo Ezech.37. *Et scietis, quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra.* Ideò autem *Ioan.*5. dicitur: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei*, vt ostenderet, se propria potestate mortuos euocare ad vitam, vt obseruat S. Doct. *loc. cit. Lucæ*, & *cap.*5. *Ioan.* obseruat ea verba: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei*; vt ostendat, omnes mortuos in vltima die à Christo euocandos suâ propriâ potestate, cuius ideò vocem audient animæ, licèt separatæ. Hæc autem virtus moraliter est communicata etiam Christo homini.

Idem etiam S. Doct. conuincit *Lucæ* 10. illis verbis: *In nomine tuo dæmonia subiiciuntur nobis.* Idem arguit *serm.*4. *Circumcisionis.*

Glorificatio Dei est opus. Psal.83. *Gratiam, &*
141 *gloriam dabit Dominus.* Ideò *Act.*7. Stephanus orat: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Ex quo patet, inuocasse Iesum absentem, quod est latriæ actus, vt aduersarij fatentur.

Neque dicant, hoc non esse assertum Scripturæ, sed Stephani; nam is erat plenus Spiritu sancto, *Act.*6. & 7. aut sensum esse: Domine Iesu, *in genitiuo*; nam inuocat Iesum, quem videt, & alloquitur.

Idem probatur ex Ioan.10. *Ego vitam æternam do eis, &c.* ex quo deitatem Christi arguit ibi S. Doctor.

142 QVINTVM opus est scrutatio cordium. Isaiæ 41. *Annunciate, quæ futura sunt, & sciemus, quia dij estis vos.* Et 3. Reg. 8. *Tu solus nosti corda hominum.* Hierem.17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda.* Hoc autem Christo conuenire, probatur Ioan. 14. *Nunc dixi vobis, priùs quam fiat, &c.* Idem habetur *Ioan.*16. & *cap.*2. *Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Lucæ 5. *Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum.* Id obseruat S. Bonau. ad hæc loca. Quare ad nuper adductum Lucæ ait: Cognouit cogitationes eorum, tanquam Deus; quia oculi Domini multò plus lucidiores sole, circumspicientes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes. Hoc autem probat S. Doct. argumento Apostoli *Hebr.*4. dicens: Nec mirum, quia est Verbum Dei, de quo ad Hebr. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Idem colligit D. Bonau. *ad* 6. *Lucæ*, ex eis verbis: *Ipse verò sciebat cogitationes eorum.* Vbi eleganter S. Doct. & verè, quia Dominus sapientissimus; vnde *Psal* 93. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Et ideò erant Deo cogitationes apertæ; propter quod dicitur Isaiæ 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Vnde & *Ioan.*27. dicebant ei discipuli: *Nunc scimus, quia scis omnia, & non est opus, vt quis interroget.* Nec mirum, quia est ille, de quo Hierem.16. *Ego Dominus scrutans cor, &c.* Idipsum probat S. Doct. ad id Lucæ 9. *At Iesus videns cogitationes eorum.* Subditque, tanquam verus Deus: *Homo enim videt, quæ parent; Deus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. & addit allegatum locum *Eccli.*23. vbi Deo proprium asserit scrutari corda, vt ostendam *tract. de Angelis, disp.*2. *quæst.*12. Obserua tandem Prophetas fateri, hæc sibi reuelata, non sic Christus.

SEXTVM opus Dei est Institutio Sacramentorum. Genesis 17. *Hoc est pactum meum.* At Christus instituit Sacramenta, Ioan.1. *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Vnde Ioannes Baptista deduxit: *Hic est Filius Dei*, vt obseruat S. Doct. Alia quoque Sacramenta à Christo instituta ostendam 3. *p. tract.*2. *disp.*1. 143

SEPTIMVM opus Dei proprium est spiritualis Ecclesiæ, & mundi gubernatio. Hæc autem Christi est. Ioan.14. *Sine me nihil potestis facere.* Ergo; nam *sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Corinth.3. Sic opus Dei est illuminare corda. *Isai.*54. *Erunt omnes docibiles Dei.* Hoc autem Filio conuenit, vt ostendit S. Doct. ad 1. Ioannis: *Illuminat omnem hominem, &c.*

OCTAVVM opus inde sequens est, leges ferre vniuersales, irritantes etiam Mosaïcas, latas à Deo. Hoc autem Christo conuenire, ostendam 1.2. *tract. de Legibus, d.*1. *q.*9.

SEXTVM CAPVT authoritatum sumitur ex Patribus, quos per singula sæcula diuinitatem Filij altè confessos recenset Bellarminus *lib.*1. *de Christo, cap.*10. aliique. Ego eos recensebo, quos refert D. Bonauentura. 144

E primo sæculo sunt Dionys. *lib. de Diuin. nominibus, cap.*1. & 2. apud D. Bonau. 1. *dist.*3. *part.*1. & *dist.*9. Habemus Symbolum Apostolorum, vbi dicitur: *Credo in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum.* Credere in Filium est nota, eum esse Deum, vt ostendit D. Bonau. 3. *dist.*25. *quæst.*1.

E secundo sæculo vsque ad annum 200. sunt Iustinus *de fidei explicatione*, & *apol. ad Antoninum*, vbi etiam Athenagoras: Irenæus *lib.*3. *cap.*6. Clem. Alex. *lib.*1. *Pædag.*

E tertio sæculo habemus Origenem *homil.*6. *in Hier.*11. & *lib.*7. *epistola ad Rom.* apud D. Bonau. 1. *dist.*9. & D. Cyprianum apud Doctorem Sanctum *de idolorum vanitate*, & *lib.*2. *ad Quirinum, c.*6.

E quarto sæculo est Concilium Nicænum 318. Patrum, qui Symbolum ediderunt, relatum à D. Bonau. 1. *d.*4. & *in* 3. *dist.* 25. *quæst.*1. vbi obseruat, ideò definiri: Primò, quòd Christus sit verus Deus. Secundò, quod sit ὁμοούσιος Homousios; id est eiusdem cum Patre substantiæ. Tertiò, quod sit æternus. Quartò, quod sit immutabilis, sicuti Pater. Quintò, quod sit genitus, non factus. Hoc Symbolum repetitur in Symbolo Constantinopolitano, *cap.*1. & in Symbolo Athanasij, qui eodem sæculo claruit, vt aduertit S. Doct. *loc. cit.* Edidit etiam de hoc quinque sermones: quæ refert S. Bonau. etiam 3. *part. Centil sect.*38. & *lib.*5. *Compend. Theol. cap.*21. 145
Habemus etiam Basilium *contra Eunom.* Nazianzenum *orationibus quinque de Theologia.* Gregorium Nyssenum *libris quinque*, Cyrillum Hierosol. *catechesibus quinque*, Epiphanium *hæresi* 65. & 69. accuratè scribentes, quos refert passim S. Bonau. 1. *Sent.* E Latinis Hilarium *libris duodecim*, Ambrosium *libris quinque*, de quibus sæpe D. Bonau. *in* 1. *Sent.* & aliis locis citandis.

E quinto sæculo refert S. Bonau. passim Chrysostomum *oratione, Quod Christus sit Deus*; & *in c.*1. *Ioan.* & *in* 1. *cap. ad Coloss.* & 1. *ad Philip.* Cyrillum *libris septem de Trinit.* & *Thesauri*, Augustinum *libris quindecim de Trinit.* & *tribus contra Maximinum, in Ioannem, &c.* Hieronymum *contra Luciferianos, epistola ad Marcellam, & ad Auitum, ac duabus ad Damasum de nomine Hypostasis:* Leonem *epistola ad Flauianum.* Addo ego sanctum meum Gaudentium

*tract.*7.

tract.7. in Exod. & *epistola ad Paulum.* Fuit autem Gloriosissimus Brixiæ Episcopus, quem sæpè Valentia, & Bellarm. Diuo æqualem Ambrosio acclamant. Illos refert S. Doct. *in Pharetra, lib.1. cap.2. Breuiloq. 1. p.* & *in compend. Theol.*

146 Eodem sæculo Synodus prima Ephesina *epistola ad Nestorium*; & Calcedonensis *act.2.* doctrinam Nicæni Concilij approbarunt, vt refert S. Bonau. *3. dist.25.*

E sexto sæculo recenset S. Bonau. passim, Fulgentium *lib. de fide ad Petrum, cap.1.* & *lib.3. ad Monimum*, & *ad obiectiones Arrianorum*, & *ad Trasimundum*: Boëtium *de Trinitate.* Habemus ibi etiam quintam Synodum, quæ *cap.1.* asserit, tres personas vnius essentiæ. Et *act.11.* anathema clamat Artio, Eunomio, & asseclis.

E septima ætate refert Gregorium *lib.3. Dial. c.29.* Isidorum *lib. de Trinitate.* Habemus etiam sextam Synodum *act.17.*

Ex octaua ætate refert Bedam *in commentariis de Trinitate*: Damascenum *lib.1. de fide*: & habemus septimam Synodum.

147 E nona ætate habemus octauam Synodum, Rabbanum *in cap.9. ad Rom.* & *2. ad Philip.* Photium, Theophylactum, Haymonem, quos aliquando refert S. Doctor.

E decima ætate habemus Ambrosium Ansbertum *in Apoc.* Radulphum *in Leuit. c.2.*

Ex vndecima adducit S. Anselmum *lib. de Trinit.*

E duodecima Richardum de S. Vict. *libris sex de Trinitate*: Bernardum *epistola 190.*

E terriadecima habemus Concil. Lateran. *cap.1.* & multos insignes Theologos, qui vel Petrum Lombardum sunt commentati, vel proprio marte scripta edidere. Inter hos enumerat Bellarminus *lib.1. cap.10.* Alensem, Albertum, D. Thomam, & D. Bonauenturam.

In quartadecima ætate est Concilium Viennense *in Clem. vn. de summ. Trinitate.*

In quintadecima est Concilium Florentinum *sess. vltima.*

In sextadecima est Concilium Tridentinum *sess.3.* In his autem ætatibus, vsque ad hanc decimamseptimam, sunt innumeri eruditissimi Scholastici, qui vel D. Thomæ Scholam, vel Scoti Gymnasia illustrarunt, vel neutrales vtramque amplexantur.

148 E schola D. Bonauenturæ solus est P. Theodorus Forestus fidelis. Expectantur eruditissimi Commentarij cum suis quæstionibus Reuerendissimi P. Galitij nostri emeritissimi Generalis, Romæ oraculi. Sed heu raptum! Denique hanc veritatem definiêre multi Pontifices. Felix I. *epistola 3.* Marcellinus I. *epistola ad Salomonem.* Anacletus *epist.2.* Hyginus *epist.1.* Ioan. II. *epist. ad Valerium.*

Sibyllæ etiam diuinitus de hoc mysterio prophetarunt, & quidem in præmium pudicitiæ, vt refert D. Bonauent. *serm.2. de sancta Agnete*, cum D. Hieronymo *lib.1. contra Iouinianum.*

Extat carmen Sibyllæ Erythrææ celeberrimum, cuius capitales literæ astruunt hanc sententiam: *Iesus Christus Dei Filius Saluator, crux.* Et concluditur hoc disticho:

149 *Vnus, & æternus Deus; hic seruator, & idem*
Christus pro nobis passus, quem carmina signant.

Leguntur hæc carmina *in oratione Constantini Magni ad Sanctorum cœtum*, quæ habetur apud Eusebium post vitam Constantini.

Lactantius *lib.4. cap.18.* & August. *lib.18. de ciuitate, cap.23.* referunt hæc carmina Sibyllarum de Christi diuinitate.

Ipsa tuum stulta Deum non agnouisti;
Sed spineâ coronasti coronâ; horridumque fel miscuisti.
Et dabunt Deo alapas manibus incestis.

Præterea *lib.6. Sibyllinorum*, circa finem, hæc legimus:

Cum domus effundet stirpem Dauidica, cuius
In manibus totus mundus, tellus, mare, cælum.

Et infrà:

Namque Dei malè sana tui te notio fugit.
O lignum fœlix, in quo Deus ipse pependit!

Et *lib.7.*

Non nosti miseranda tuum, quem proluit olim
In Iordane Deum, &c.

Lib.8. ponuntur hæc:

Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico.

Multa etiam miracula extant hoc roborantia, quæ refert Bellarm. *lib.1. de Christo, c.11.*

Obiiciunt multa Transyluani. Primò, Christus, & Apostoli prædixere venturum statim Antichristum, ad abolendam veram Christi fidem. Cùm igitur adhuc vigeat fides de Trinitate, sequitur eam esse Antichristi; vel sequitur, Christum, & Apostolos mentitos. Antecedens probatur, Ioan.5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepistis; si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Lucæ 21. *Videte, ne seducamini; multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum, & tempus appropinquauit.* Actorum 20. *Post discessum meum intrabunt lupi rapaces.* 2. Thess. 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis.* 1. Ioan. *Antichristus iam nunc est in mundo. Omnes, qui negant Christum venisse in mundum, hic est Antichristus.* 150

Respondetur, miro modo hæreticos detorquere Scripturas à tota Ecclesia in oppositum explicitas. Et primò falsum est, fidem, & regnum Christi defectura, cùm promittatur absolute æternum. Lucæ 1. *Regnabit in æternum, & regni eius non erit finis.* Id promissum erat 2. *Reg.7. Isaiæ 9. Danielis 7.* vt ostendit S. Bonau. *ad 1. Luc.* Neque Christus *Ioan.5.* dixit citò Antichristum regnaturum, aut destructurum fidem sanctam; sed venturum aliquando nomine proprio, & à Iudæis tanquam Messiam acclamandum; cùm tamen se, verum Messiam, non receperint vnquam, venientem in nomine Dei Patris. Ita exponunt Chrysost. *homil.40. in Ioan.* apud D. Bonau. Adde Augustinum, Cyrillum, & omnes alios Interpretes.

Ad secundum respondet S. Bonau. *in commentario*, Christum indicere, venturos multos hæresiarchas, non Antichristos; nam Antichristus non veniet in nomine Christi, vt ipse Christus prædixerat *Ioan.5.* sed in nomine proprio. Prodiit autem Apostolorum sæculo Simon Magus, & post eum Menander, qui se Christum dicebant, vt narrat D. Irenæus *lib.1. cap.20. & 21.* Sic refert Iosephus *lib.20. Antiq.* fuisse suo tempore plurimos se prædicantes Saluatorem Israël. Talis fuit Simon Essæus. Sic litigantibus Romæ filiis Herodis de successione ad Regnum, erant quatuor in Iudæa, quorum quisque se Christum dicebat. Manichæus etiam dictitabat, se esse Spiritum sanctum. Mahometes, se magnum Messiam. Finaliter quidem sequetur Antichristus, de quo 2. *Thess.2.* Ait autem, tempus appropinquasse discernendæ veritatis ab erroribus. Fuere illi sane Antichristi, idest Christi hostes, vt dicitur 1. *Ioan.2.* Eodem modo de futuro, post suum, alio sæculo, explicat S. Bonau. *2. dist.7. p.2. art.2. q.2. argumento 5. ad oppositum*, illud 2. *Thess.2.* eius verò præcursores hæreticos, quos vocat Antichristos, de quibus & *Act.20. Coloss.2.* 151

Ex

Ex his ruit etiam id, quod opponunt è Ioan 9. *Venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Neque enim infert, omnia tenebris Antichristi, obuoluenda statim post suam mortem; sed infert, operandum, dum dies est vitæ, nec mortis expectandam noctem, vt habetur *Eccl.9. Iob 32.* hortatur autem, vt optimam arripiant occasionem suæ præsentiæ, qua specialiter illuminat. Sic exponit S. Bonau. *in commentario*, cùm Patribus.

Obiiciunt secundò. Nomen Dei non est nomen essentiæ, sed potestatis, & imperij summi: at verò Pater habet imperium, & potestatem in Filium, non è contra: ergo solus Pater est Deus.
153 Maior patet; nam in scripturis Principes dicuntur Dij. Minor probatur Ioan. 14. *Pater maior me est.* Ioan.6. *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me Patris.* Et 1.*Corinth*.15. Christus dicitur subiectus Patri.

Respondet S. Doct. 1. *dist.*2. *dub.*3. hoc nomen Deo impositum à Græco θεὸς ἀπὸ τοῦ θέειν, αἴθειν, θεᾶσθαι, quod sonat currere, vrere, intueri: sic ab operatione impositum est; nam *æthein* significat ardere, fouere.; *theasthe* videre, *thein* currere, vt obseruat S. Bonau. Argolicæ linguæ peritissimus, *loc. cit. & opusculo, cui titulus Principium sacræ Scripturæ*, allegans Damascenum *lib.*1. *de fide*, *cap.*12. vbi ait: *Nomen hoc impositum Diuinæ Maiestati ab actu, quem habet circa nos, qui est succurrere, prouidere.* Idem habet S.Doct. 1. *dist.*23. *quæst.vlt.* Quare ex nomine Dei nullam subiectionem Filij colligunt. *Ad* 14. *Ioan.* respondet *in Comment.* ex D. August. *tract.*78. ibi Christum loqui ratione humanæ naturæ, secundùm quam est Patre minor, vt habes etiam in Symbolo Athanasij. Eodem modo explicant Chrysostomus, Cyrillus, & alij ibi, inter quos D. Gaudentius Brix. Episcopus *ad Paulum.* Alter etiam locus infert, Filium Dei è cælo descendisse, vt factus homo naturam, & voluntatem humanam personæ Diuinæ vnitam concordaret cum Dei voluntate. Eodem sensu 1.*Corinth.*15. dicitur: Filius secundum humanam naturam Patri subiectus. Sic D. Bonau. *in cap.6. Ioannis*, cum Ambrosio *lib.5. de fide, cap.7.* August. *tract. in psal.97.* Nyss. *ad hæc verba*: & est regula D. August. *lib.* 83. *qq. quæst.69.* Et quidem ex Apostoli textu id colliges, vbi priùs dixerat: *Per hominem resurrectio mortuorum.* Ergo loquitur de Christo homine. Vide Bouerium soluentem Caluini ambages.

154 Obiiciunt tertiò. Solus Pater est vnus verus Deus. Ioan.17. *Agnoscant te solum verum Deum.* 1. Cor. 8. *Nobis vnus est Deus Pater.* Ergo Filius non est Deus.

Probatur consequentia, quia solus idem est, ac non cum alio, ex 1.*Elenc.cap.*4. Confirmant hoc argumento. Christus est Filius vnicus Dei: ergo qui non habet Christum Filium, non est Deus: at Trinitas non habet Christum Filium: ergo Trinitas non est Deus.

Respondet S. Doct. *ad Ioan.*17. cum D. August. *tract.*105. *in Ioan.* & Glossa, particulam *solum*, extendi etiam ad Filium. Vt cognoscant te Deum Patrem solum, idest, non cum alio Deo, sed cum alia persona Filij, quem misisti. Ita etiam Chrysostomus & Cyrillus ibi. Latiùs hunc modum dicendi prosequitur S.Doct. 1.*dist.*21.*p.*4. *q.*9. De hoc nos, cùm de modis dicendi, in disputationibus agemus *d.7.q.7.*

Ad argumentum respondetur ex doctrina D.Bonau.*loc.cit. q.*1. *&* 2. negando consequentiam: nam cùm plura sint supposita, sufficit, vt sit Filius Patris, qui suppon tur ibi sub nomine Dei.

Obiiciunt quartò. Apostoli, atque Euangelistæ perpetuò inculcant, Christum esse nat m, & factum, vt patet in Euangeliis, & *Act.*2. *Prou.*8. *Eccl.*24. *Ioan.* 1. *Coloss.*1. *Hebr.*1. *&* 3.

Respondet D. Bonau. *ad* 1. *Ioan.* ea intelligenda de Christo secundùm humanam naturam. Illud verò *Prou.*8. ait S. Bonau. legendum: *Dominus possedit*; quia in eo sunt thesauri Diuini. Subditur verò: *Ab æterno ordinata sum. Ante omnes colles ego parturiebar*; quo principium suum ab æterno astruit. Cur autem à Septuaginta legatur: *Dominus creauit me*, acutè obseruat D. Bonau. nempe quia Filius genitus est, vt exemplar creaturarum, & mundus archetypus creationis. In fonte autem Hebraïco est קָנָנִי, *acquisiuit, possedit*, quod est verbum exprimens generationem. Sicut *Genes.*4. nato Caino, ait Adam קָנִיתִי, *possedi hominem.* Ad locum Ecclesiast. respondet S. Doct. *loc. cit.* confundi in Scriptura verba gignendi, & faciendi. Eum verò de anima sancta explicat *in soliloq. & parte 4. de Ecclesiast. Hierarchia*; de B. Virgine interpretatur. Ad id *Ioan.*1. vbi dicit Ioannes, antè se eum factum. Respondet S.Bonau. ibi significari, prælatum etiam vt hominem. Eodem modo exponit Ambrosius *lib.*4. *de fide*, *cap.*5. & omnes Interpretes, vt Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus. *Ad primum Hebr.* respondent Patres, Christum meliorem factum, idest declaratum; loquitur enim de gloria adepta post resurrectionem.

Obiiciunt quintò. Beatius est dare, quàm accipere. Sed Pater dat Filio essentiam: ergo beatior.

Respondet D. Bonau. *de Paupertate art.*2. veram esse maiorem, quando acceptio venit ex indigentia.

Obiiciunt etiam aliquas rationes. Prima est: Christus est Filius Dei: ergo non est primum Principium, sed ens ex alio.

Respondet S.Doct. 1. *dist.* 5. *quæst.*1. *&* 2. Filium, vt est persona, esse ab alio; non autem illud simplicissimum primum ens, quod nec generat, nec generatur. Ideò acutè aduertit D. Bonau. *ad cap.*1. *Ioannis*, post Chrysostomum *homil.*3. *in Ioannem*, non dixisse *De*, aut *ex* principio erat Verbum; sed *in principio*, vt ostenderet Verbi continentiam in omni puncto, in quo fuit & principium eius. Itaque subditur: *Et Deus erat Verbum.* Audis hæretice?

Secunda ratio hæreticorum. Vel Pater genuit Filium existentem, vel non existentem. Si primum: ergo non fuit genitus; nam implicat, generari id, quod est. Si secundum: Ergo aliquando non fuit. 156

Respondet D. Bonau. 1.*dist.*5.*dub.*10. Patrem genuisse Filium, nunquam non existentem: quia non de nihilo fuit, sed in æternitate semper habuit esse: modus verò loquendi aduersariorum est temporalis, & non aptus ad diuinam generationem exprimendam. Verè quidem in temporalibus, quod generatur, habet esse post non esse; non sic in æternis, vt aduertit S. Doctor *dist.9. dub.8. lit.* Ratio verò, cur non potuerit generatio, aut Filius habere esse post non esse, est summa Filij actualitas, & immutabilitas diuina, cui repugnat habere esse post non esse, vt probat D.Bonau. *dist.9.q.3.* 157

Tertia eorum ratio est. Vel generatio est iam finita, vel non. Si primum: ergo sicut habet finem, habuit etiam principium. Si secundum: ergo imperfecta. 158

Respon

Respondet D. Bonau. *dist.9. quæst. vltima*, generationem non esse finitam, & tamen perfectam; quia in eo idem est *fieri*, & *factum esse*. Et hoc oritur è summa diuina actualitate, & simplicitate. Vnde D. August. *lib.6. in Genesim ad litt.* ait, quod etiam lumen semper nascitur, & dum nascitur est; vnde aër semper est illuminatus, & illuminatur. Sic igitur generatio semper est perfecta, & est non terminata, seu finita. Hoc enim repugnat infinitæ illius perfectioni. Aduersarij verò imaginantur diuinam generationem ad modum nostræ, quâ qui nascitur, nondum est natus. Sed quia generatio æterna ediscitur per naturalem, & in perfectè nato magis propriè dicitur natus, quàm nasci; ideo D. August. *lib.83. qq. quæst.37.* vult, meliùs dici Filium natum esse, quia intelligibilius est; non quia ei non conueniat semper nasci.

Hæc sunt, quæ vrgent aduersarij, quibus satis superque fecit D. Bonauentura, quem secuti sunt Bellarminus, Valentia, Vasquez, & alij, eius argumenta, & solutiones obiectis capientes. Præstitit enim ita D. Bonauentura argumentandi subtilitate, definiendi solertia, vt viri Doctissimi admirentur, vt ait Sixtus V. *tom.3. opusc. S. Bonau.*

QVÆSTIO VIII.

Quibus auctoritatibus nitatur fides de Persona Spiritus sancti.

159 HÆRETICI nonnulli ex antiquis blaterarunt, Spiritum sanctum non esse Personam aliquam diuinam; sed quoddam Dei donum, seu virtutem aliquam. Eos refert D. Athanasius *lib. de communi essentia Patris, Filij, & Spiritus sancti.* Idem blasphemarunt Seruetus *lib.1. de Trinitate*, Blandrata *act. 6. disp. Albana.* Franciscus Dauid *act. 5. diei*, & alij Serueti canes odoratici.

ASSERO de fide cum Ecclesia Catholica, Spiritum sanctum esse Personam.

160 PROBATVR. Id necessariò est persona subsistens, quod cognoscit, operatur, iudicat, arguit, consolatur, docet, annunciat, loquitur mysteria Dei. Talis est Spiritus sanctus: ergo. Maior probatur; nam operari est subsistentium: & saltem hoc sensu verum est, necessariam esse ad operationem subsistentiam. Minor probatur ex Ioan.16. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ille testimonium perhibebit de me.* Et: *Cùm venerit ille, arguet mundum de iustitia. Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hinc cum D. August. *tract.95. in Ioannem, ad calcem propè*, colligit Seraphicus, Sanctissimam Personarum Trinitatem, in Commentariis ad ea loca: *Ego mittam.* En Filius: *A Patre.* En Pater, en Parens: *Ille docebit, arguet, &c.* En tertia Persona Spiritus sancti. Vide quæso Seraphicum diuinitùs differentem, & obiecta ibidem eluentem. Idem probat S. Doctor ad id Ioan.14. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c.* vbi idem probat ex illo Matth.10. *Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et *serm.7. & 8. Pentecost.* idipsum ex allegato *Ioan.14.* colligit.

Idem colligit, & supponit S. Bonau. *4.d.3.p.1.q.2.* & *art.2.q.2.* ex illo Matth. vltim. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; vbi formam hanc ad Baptismum necessariam ostendit, quia æqua trium Personarum operatio; eademque essentia astruitur.

PROBATVR etiam à D. Bonau. 1. *dist.33. dub.2.* ex illo Isai.61. *Spiritus Domini super me: euangelizare pauperibus misit me.* Vbi D. Hieronymus in Glossa ait, de illo Spiritu intelligi, de quo Isai.16. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Et Lucæ 11. *Si in digito Dei eiicio dæmonia*, idest in Spiritu sancto. Mittere autem, illuminare, eiicere dæmonia, ad personam pertinent. Vnde tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam colligit S. Bonau. quæ misit Filium hominis, vt habetur *Lucæ 4.* vbi de seipso Christus eum locum Isaiæ interpretatur: Ibi eadem loca suprà allegata illi applicita ostendit. Addit, de eo dici id Ioan.1. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat.* Ideò enim dicitur baptizare in Spiritu sancto. Et *Act.10.* dicitur: *Vnctus Spiritu sancto*, idest per virtutem Spiritus sancti, qui super eum mansit dona conferendo, conseruando, seu habitus infundendo. 161

RESPONDENT Seruetiani, Spiritum sanctum dici, docere, operari, quatenus Deus Pater per virtutem suam hæc operatur; non enim Spiritus personam sonat, sed flatum, qui Hebraïcè dicitur רוח *Ruach.* Ita Ioan.3. *Spiritus vbi vult, spirat, &c.* 162

At spiritus ibi non ventum significat, sed Spiritum Domini sanctum, operantem voluntate, vt colligit S. Doct. nam secretam eius aspirationem proponit Christus; ventus autem flatus est patens. Quis enim ignorat, Austrum à meridie ad polum: Aquilonem verò è regione efflare? Sic adnotat etiam D. August. *tract. 12. in Ioan.* & ideò subdit: *Sic est omnis, qui natus est è Spiritu.* Quasi dicat: Hi sunt Spiritus sancti efflatus. At estò exponas de vento, cum Chrysostom. *homil.26.* attamen non est idem sermo aliis in locis, vbi operationes diuinæ Spiritui sancto adscribuntur. Ita ex allatis locis Diuinitatem Spiritus sancti colligunt Basilius *lib.5. contra Eunom.* Nazianzenus *orat.4. de Theologia*, & alij Patres.

Obiiciunt adhuc: Spiritus sanctus est donum quoddam. Ergo non est Persona.

Respondetur cùm D. Bonau. *opusc. de septem donis, a capite primo*, Spiritum sanctum esse donum, quatenus liberaliter procedit; esse tamen etiam donatorem. Vide S. Doct. *1. dist. 10. & 17.*

Obiiciunt tertiò. Nomen Spiritus conuenit etiam Patri. Ioan.4. *Spiritus est Deus.* Ergo non est alia Persona.

Respondet D. Bonau. *dist.10. quæst. vltim.* nomen Spiritus spirati esse proprium tertiæ Personæ. Sed de hoc *dist.10.*

QVÆSTIO IX.

Quibus authoritatibus nitatur Diuinitas Spiritus sancti.

OMNES Arriani, Eunominiani, ac Macedoniani blasphemum proloquium elatrabant, Spiritum sanctum non verum, sed adscriptitium esse Deum. 163

VALENTINVS verò addebat, Spiritum sanctum esse Angelum, vt testatur D. Athanas. *epistola longiori ad Serapionem*; quod & Serueto maximè probatur, vt colligo ex eius secundo dialogo de Trinitate. Similiter Transyluani, Serueti affeclæ, & Franciscus Dauid *act.3. disp. Albana*, eodem errore scatent.

scatent. Audet autem Erasmus ad libros Hilarij dicere: *Audemus Spiritum sanctum Deum appellare, quod veteres non sunt ausi.* Mira hæretici insania. Videamus quàm grandis.

164 ASSERO, Spiritum sanctũ esse Personam tertiam Diuinam. Est de fide articulus in Concilio Constantinopolitano: *Et in Spiritum sanctum Dominum.* Idem definitur in omnibus Conciliis, quæ Nicænam Synodum receperunt, in qua asseritur: *Credo & in Spiritum sanctum Dominum viuificantem, qui cum Patre, & Filio simul adoratur.* Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *cap. Firmiter, de summa Trinitate.* Nonnullas retuli Scripturas id astruentes; eas tamen subtiliùs cum reliquis discutiam, inuocans cum Ecclesia: *Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.* Anthore Roberto Franc. Rege, testimonium è veteri pagina 2.*Reg*.23. adducunt: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Dixit Deus Israël mihi, locutus est fortis Israël dominator hominum.* Is enim Spiritus dicitur Deus Israël Dominus. Sed clariora è nouo proferam Testamento.

165 PROBATVR primò ex illo Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vbi aduertit D. Bonauent. 4.*dist*.3.*part*.1.*quæst*.2. *& art*.2. *quæst*.2. cum Patribus, ideò ad formam Baptismi necessariò poni cùm Patre, & Filio etiam Spiritum sanctum; quia est vnus cum illis Deus, & persona distincta. Id præcipuè arguit Nazianzenus *orat*.4.*de Theologia*, & Athanas. *in Nicæno Conc.disp. contra Arrium.*

166 PROBATVR secundò ex illo *Act*.5. vbi ait Petrus Ananiæ: *Cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Deinde ait Saphiræ: *Quid vobis conuenit tentare Spiritum Domini?* Ex quo textu S. Bonau. *in Bibliis Pauperum, cap*.14. colligit, Spiritum hunc esse Deum, cum D. Athanasio *lib. de communi essentia Patris, Filij, & Spiritus sancti*, Nazianzeno *orat*.5. *de Theol.* Dydimo *lib*.1. *de Spir.S.* Chrys. *de consubst. Trinit.* Vrgent autem idem Athanasius *in Dialogis de Trinit.* & Basilius *serm. contra Sabellianos*, Spiritum sanctum Deum acclamari, cùm dicitur: *Spiritus Domini.* Nulla enim creatura Spiritus Domini vocatur. Sic *Genes*.1. intelligitur id: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, vt supponit S.Doct. *in* 2.*d*.14. *p*.1.*q*.1.

167 PROBATVR tertiò à D. Bonau. *in sermonibus Dom. Pentecost.* ex illo Ephes.4. *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis.* Et cap.1. *Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto*; hoc autem signo discernuntur fideles ab infidelibus: ergo est signum veri Dei.

PROBATVR quartò à S. Doct. *serm*.4. *Dom. Pentec.* ex illo *Psal*.44. vbi Pater loquitur ad Filium. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*; vbi Deus dicitur bis, idest Pater, & Spiritus sanctus, vt exponunt Patres. Et apponitur Filius Deus ibidem, *Sedes tua Deus.*

168 PROBATVR quintò. Deus verus est, qui locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius; nam & Prophetæ dicebant: *Hæc dicit Dominus Deus*, vt aduertit S.Bonau. *ad primum Lucæ*; hic autem est Spiritus sanctus, *Actor*.2. vt dicitur: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui.* Et 2. Petri 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirante, locuti sunt sancti Dei homines*, vt adnotat ibi S.Doct. Confirmatur à S. Bonau. ex 3. Amos: *Dominus Deus locutus est; quis non prophetabit?* Ergo, qui locutus est per Prophetas, est Deus; sed ille est Spiritus sanctus, vt suprà ostendi: ergo. Idem ostendit S.Bonau. *ad primum Sap.* illis verbis: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis*; idest, præstat hominibus intelligentiam, & locutionem Scripturæ.

PROBATVR sextò à D. Bonau. *ad cap*.1. *Sap.* ex attributis Dei, quæ Spiritui sancto adscribuntur. 169
Primum Immensitas, Hierem.23. *Nunquid non cælum, & terram ego impleo!* Quod probat etiam è D. Gregorio *lib*.2. *Moral. cap*.16. vbi ait: *Vbique est Deus, intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus.* Iam verò dicitur Sap.1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, &c.* Vbi aduertit S. Bonau. nomen Domini attribui Spiritui sancto, vel intransitiuè, vt ait D. Athanas. *Dominus Pater. Dominus Filius. Dominus Spiritus sanctus.* Vel transitiuè; Spiritus, qui est à Domino, vt habetur Ioan.15. *Spiritus veritatis, qui a Patre procedit.*

SAPIENTIA, maximè in cordibus scrutandis, est 170
Dei proprietas. Hierem.17. *Ego Dominus, scrutans corda.* Psal.7. *Scrutans corda, & renes Deus.* Hoc autem attribui Spiritui sancto, ostenditur à S. Doct. *loc. cit.* illis verbis Sap.1. *Testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus.* Et reddit rationem: *Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, &c.* Confirmatur secundò à D. Bonau. ex 1. Corinth.2. *Nobis autem Deus reuelauit per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Hunc autem Spiritum esse Deum, subdit Apostolus, dicens: *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Et concludit: *Quis enim cognouit sensum Domini?* Iam verò dixerat suprà: *Homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Act.1. *Tu Domine, qui solus nosti corda.* Sic arguit Eucher. *de Trinitate.*

OMNIPOTENTIA sanè est Deo propria, vt habetur in Symbolo. Hæc autem Spiritui sancto adscribitur, vt ostendit S.Doct. *ad cap*.7. *Sap.* illis verbis: *Omnium enim artifex docuit me sapientia. Est enim in illa Spiritus intelligentiæ sanctus.* 171

BONITAS communicatiua omnium bonorum est 172
Dei attributum; hæc verò Spiritui sancto adscribitur. Sic 1. Corinth. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, &c. hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Et Ephes. 4. *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Idem ostendit S. Doct. *de septem donis cap*.5. illis verbis Sap. *O quàm suauis est, Domine, Spiritus tuus!*

COMMVNICATIO scientiæ arcanorum, est Dei attributum. Hoc Spiritui sancto adscribitur, 1. Corinth.2. *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Hoc ferè coincidit cum eo Ezech.1. *Quocumque ibat Spiritus, pariter & rotæ eleuabantur. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Nam cùm stabilis sit in se, mouet vitaliter creaturas, vt dicitur *Sap*.10. vbi omnem ei virtutem adscribit.

Ex his argumentatus est D. Athanasius in Concilio Nicæno. Nulla creatura potest comprehendere diuina arcana, nec esse omnipotens, & infinitæ virtutis, cæterisque suprà enarratis dotibus esse prædita; sed ea omnia Deo sunt propria. Spiritus sanctus hæc omnia habet. Ergo est Deus.

Dices, 1. *Corinth*.2. habetur: *Nemo nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei.* Ergo nec Filius. 173

Respondet S. Doct. 3. *distinct*.14. *dub*.2. id asseri ex opposito creaturarum; & quia Pater, & Filius operantur dona in nobis per Spiritum sanctum.

Ideò

Ideò dicitur solus scrutari, quia facit nos scrutari, influens cum suis Spiratoribus.

PROBATVR septimò à D.Bonau. *opusc.de septem donis,& ad Sap.& in 3.a dist.23.*ex operationibus Deo propriis,quæ Spiritui sancto attribuuntur.Sic ei adscribitur creatio, Psal.32. *Verbo Domini cæli firmati sunt,& Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Sic arguit D.Fulg.*ad Donat.c.*8. Similiter communicatio donorum,maximè fidei, spei, charitatis,& gratiæ sanctificantis.Sic 1.Cor.6.*Iustificati estis in Spiritu Dei nostri.*
174 Similiter saluatio : *A modò iam dicit Spiritus, vt requiescant.* Apoc.14.Neque minùs miraculorum operatio. Rom.15. *In virtute signorum, & prodigiorum,in virtute Spiritus sancti.*Sic & resurrectio mortuorum. Rom.4. *Si autem spiritus eius, qui suscitauit Christum à mortuis,habitat in vobis, viuificabit mortalia corpora*
175 *vestra per Spiritum sanctum.* Affluentia gratiarum. Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Hæc obseruat D. Bonauent. ad eum locum, & *ad* 4. *Lucæ*, in ea verba : *Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, &c.* Similiter gubernatio Ecclesiæ. Act.20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit, regere Ecclesiam Dei.* Act.13. *Dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum, & Barnabam ad opus ministerij, ad quod assumpsi eos.* Largitur illi media ad salutem. 1.Cor.12. *Hæc omnia operatur idem Spiritus, diuidens singulis,prout vult.* De quo S.Bonau. *in* 2.*dist.*27.*q.*1. Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum,qui datus est nobis.*De hoc S.Bonau. 1.*dist.*14.*dub.*6.*lit.*& *art.*2. *q.*1.*fundamento* 1. Rom.5. *Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati.* Et 1.Cor.12.*Nemo potest dicere,Dominus Iesus,nisi in Spiritu sancto.* De hoc S.Bonau. *dist.*46. *dub.*8. *litt.in primo Sent.*Sic ibi dicitur : *Vnum Spiritum potauimus.*
176 De quo S. Doct. 1.*dist.*14. *dub.*5. *lit.* Similiter ex eo ostenditur, quòd Christus ter dederit Apostolis Spiritum sanctum. *Matth.*10.*Ioan.*20.*Actorum* 2.scilicet, Primò ad eiicienda dæmonia. Secundò ad absoluendum à peccatis, & ad miracula patranda. Tertiò ad conuersionem gentium. De quo S. Bonau. *loc. cit. dub.*4.*litt.* Idem ostendit S.Doct. 1.*dist.*14. passim,& *dist.*15.*q.*3. vbi affert etiam id Ioan.4. *Ad eum veniemus,& mansionem apud eum faciemus.* Vbi se cum Patre, & Spiritu sancto comparat in assistentia Ecclesiæ. His arguit D.Basil. *cont. Eunom. lib.*7.
177 PROBATVR octauò Scripturis, quæ Spiritum sanctum Filio, & Patri æqualem astruunt. 1.Ioan.5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt.* Matth.28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Id supponit D. Bonauent. 4. *d.*3. *art.*2. Et Ioan.13. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vnde arguunt Nazianzenus *oratione* 5. *de Theologia*, & Cyrillus *lib.*13. *Thesauri*, *cap.*1. Quomodo potest Spiritus sanctus nos cum Patre, & Filio baptizare, si non est Deus.
178 PROBATVR nonò illis Scripturis, quæ Spiritum sanctum Christo, secundùm humanam naturam, præferunt. Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hinc enim superexcellentiam Spiritus sancti super omnia colligit S. Doct. *ad* 1.*Lucæ*, id exponens cum illo Act.1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* Confirmat magis ex illo Christi effato, *Isaiæ* 61. & *Lucæ* 4. *Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me.* Cùm igitur Spiritus sanctus super humanam Christi emineat naturam, quæ omnibus superstat creaturis, signum est, eum esse Deum, vt colligit S.Doct.*ad* 4.*Lucæ*, & *in* 1. *distinct.*34. *dub.*2. Ideò obseruat *ad* 3. *Lucæ*, Spiritum sanctum simul cum Patre testatum Christi diuinitatem, iuxta id primæ Ioan.5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus : & hi tres vnum sunt.* Et : *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Idem confirmat *ad* 3. *Lucæ*, illis verbis : *Iesus autem plenus Spiritu sancto agebatur in desertum.* Et *Marci* 1. vbi dicitur expulsus in desertum. Idem colligit S. Doct. *ad* 11. *Lucæ*, ex illis verbis : *Si in digito Dei eiicio dæmonia.* Et ad 4. Lucæ, ex Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Act. 10. *Vnxit eum Deus Spiritu sancto.* Et Ioan.1. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.*

PROBATVR decimò à D. Bonauent. Scripturis, 179
quæ excellentias aliquas Deo proprias adscribunt Spiritui sancto. Sic *Lucæ* 2. de Simeone : *Spiritus sanctus erat in eo*, idest per gratiam, & charitatem; iuxta id Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, vt ibi adnotat S. Bonauentura, qui apponit etiam id 1. Ioan.4. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Et *Act.*6. de Stephano dicitur : *Plenus fide, & Spiritu sancto.* De quo 1. Cor.16. *Gratia Domini nostri vobiscum.* Deinde reuelationes sunt à Deo, 1. Corinth.2. *Nos accepimus Spiritum, qui ex Deo est; vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Rom 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei.* Itaque cùm reuelationes sint à Spiritu sancto, sequitur, hunc esse Deum. Hinc Symbolum Nicæn. *Qui cum Patre, & Filio simul adoratur.*

Efficacissimè verò hoc demonstrat S. Doct. *ad* 180
12. *Lucæ*, illis verbis : *Qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei ; ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.* Et Matth.12. *Non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex his deducit S. Bonauentura, blasphemiam in Spiritum sanctum esse conuitium in Deum; est enim deterior blasphemia, quàm in Christum, vt hominem, qui ex aduersantium confesso, cæteras excellit creaturas.

Confirmat sequentibus verbis ; nam subdit : *Cùm autem inducent vos in synagogas, nolite solliciti esse, qualiter, aut quid respondeatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.* Hoc sanè nullus potest facere, nisi Deus, qui *Ioan.*6. dicitur docere omnia. 1.*Corinth.* 2. asseritur scrutari profunda. Et Matth.10. *Non estis vos, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* Ideò dicitur, rapere in excessus, *Ezech.*3. *Apoc.*1.

Tandem probatur ex Patribus, qui à S. Bonau. etiam referuntur locis adductis. Præcipui sunt Athanasius *ad Serapionem*, Basilius *lib.*3. & 5. *in Eunom.* & *lib. de Spiritu sancto*, *ad Amphiloc.* Nazianzenus *oratione* 5. *de Theol.* Nyssenus *lib. ad Eustach.* Epiphanius *hæresi* 74. Dydimus *in lib. de Spiritu sancto.* Cyril. Hierosol. *Catech.*16.& 17. Chrysost. *hom.*1. *de Spiritu sancto.* Cyril. Alex. *lib.*7. *de Trin.* & *lib.*13. & 14. *Thesauri.* Hilarius *lib.*12. *de Trin.* Ambrosi. *lib. tribus de Spiritu sancto.* August. *lib.*1. *de Trin. cap.*6. & *lib.*1. *cont. Maxim.*D.Thom. 4.*cont. Gent.* à *c.*16.*ad* 27.

Aduerte, hæreticos rabido in hunc articulum 181
liuore abrasisse è cap.4. Euangelij Ioannis ea verba :

Spiritus est Deus. Et: *Eos, qui adorant, in spiritu, & veritate adorare oportet*; & tamen ibi non intelligitur tertia Persona Diuina, sed essentialiter Deus, vt notat Bellarminus *lib. 1. de Christo, cap. 13.* post D.Bonau. *1. dist. 10. quæst. 1 lit. in resolutione.*

Obiiciunt primò omnes hæretici, Spiritum sanctum nunquam in Scripturis vocatum Deum.

Respondetur, hoc esse falsissimum, vt loca suprà allata probant, quibus adde *2. Reg. 23. Act. 5. 1. Corinth. 6.* Addo, satis esse, adscribi Spiritui sancto Trinitatis opera.

Obiiciunt secundò. Omnia per Verbum sunt facta. *Ioan. 1.* Ergo & Spiritus sanctus factus est per Verbum.

182 Respondet S.Bonau. ad hunc locum, nominari solum Verbum, quia est Ars, Sapientia, & Idea rerum. Et ideò singulari modo ei adscribi mundi fabricam; sicut Spiritui sancto adscribitur conseruatio, quia similiter appropriatè est Bonitas. Ideò ait Apostolus *Rom. 11.* Ex ipso, idest *Patre*; per ipsum, idest *Filium*, & in ipso, scilicet *Spiritu sancto*, sunt omnia, vt habet Glossa. Tamen *Psal. 32.* poni & Spiritum sanctum. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, vt aduertit S. Bonau. ibi ex Glossa.

Negat igitur ibi S. Doct. consequentiam cum Chrysost. *homil. 4. in Ioan.* nam ea sola, quæ facta sunt, per Verbum facta dicuntur; non autem omnia absolutè. Ideò subdit: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est*, idest factibilium, vt supplent Chrysostomus, & Origenes.

183 Obiiciunt tertiò. *Amos 5.* ait Deus: *Ego Dominus, creans spiritum.*

Respondetur ex D.Bonau. *ad primum Ecclesiastici*, ad ea verba: *Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus*; sæpè nomine Spiritus ventum accipi. Idem habet *ad Psal. 147.* ad ea verba: *Flabit spiritus eius.* Et *Psal. 134.* vbi per Spiritum etiam dona sancti Spiritus docet accipi.

184 Obiiciunt quartò. *Rom. 8.* dicitur *Spiritus sanctus postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ergo est creatura.

Respondetur ex D. Bonau. *de sex alis Seraphim, c. 8.* ideò dici, quia Spiritus sanctus dat virtutem, & vnctionem ad postulandum, vt habetur secunda Ioan. 2. *Vos vnctionem habetis à Spiritu sancto.* Et Ioan. 14. *Docebit vos omnia.* Spem erigit. Rom. 8. *Ipse testimonium reddit, quòd sumus Filij Dei.* Charitatem accendit. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Addit fiduciam, vt habetur 1. *Ioan. 3.* Orationem impinguat. *Psal. 19.* Vnde Apostolus seipsum explicans, ait: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Vide Seraph. ibi, D.August. *epist. 121. & loc. cit. cont. Maximin.* Nazianz. *orat. 36.* sic exponentes. Adde cum D. Bonau. *de 6. alis cap. 8.* exponi etiam de Spiritu gratiæ, quo oramus. Vide Vasq. *d. 110.*

Obiiciunt quintò. *Ioan. 10.* dicitur Spiritus sanctus non à semetipso loquuturus.

185 Respondet D.Bonau. ibi ex D.Chrysost. *homil. 77. in Ioan.* & D.August. *tract. 99.* id dici, vt ostendatur Spiritus sanctus non esse à se, sed à Patre, & Filio. Ideò subdi: *Et quæcumque audiet, loquetur*; audit enim, & scit, à quo procedit, & habet esse.

Dices, asseritur in futuro *audiet.* Ergo non audit, nec scit semper.

Respondetur, id dici iuxta rerum mutationem, non iuxta Spiritus sancti cognitionem, quæ semper est præsens. Semper enim audit, sicut procedit à Patre, & Filio.

Obiiciunt sextò. *Ioan. 17.* dicitur: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* De Spiritu sancto nil dicitur.

Respondet S.Doct. *in Commentario*, ex Glossa ord. & D.Aug. *1. de Trin. c. 13.* includi etiam Spiritum sanctum, quia beatitudo primò consistit in Deitate; cùm autem recensentur Pater, & Filius, includitur etiam Spiritus sanctus, qui est nexus amborum. Adde, solum Deum hic opponi Deorum multitudini; is autem Deus est trinus personis. Ita respondet etiam Basilius *lib. 5. cont. Eunom.* 186

Obiiciunt septimò. Spiritus sanctus est tertius in ordine: ergo & naturâ.

Respondet D.Bonau. *1. dist. 12. & 13. passim*, cum Basilio *lib. 3. in Eunom.* Spiritum sanctum esse tertium ratione originis, quæ nullam affert inæqualitatem.

Obiiciunt octauò. Quod non procedit per naturam, procedit per artem, & contingenter, atque adeò è creatura. Spiritus sanctus non procedit per naturam: Ergo. Minor probatur, quia non procedit per generationem. 187

Respondet S.Doct. *1. d. 10. q. 1.* Spiritum sanctum emanare à voluntate, non vt datum per artem, sed vt rationem dandi; licèt enim procedat liberaliter, tamen communicat in natura; & hic modus est naturalis, non contingens. Ita respondent etiam D.Basil. *serm. cont. Sabellianos*, & Nazianz. *orat. 5. de Theol.* Falsum etiam est, modum solum per generationem esse naturalem: nam etiam creaturæ habent esse naturale per creationem. Similiter Adam è luto: Eua è costa, vt notat S.Doct. *1. dist. 13. dub. 3. lit.*

Hæc de Diuinitate Personarum Sanctissimæ Trinitatis è Seraphico excerpsêre Suar. *lib. 2. de Trin.* Bellarm. *tom. 1. lib. 1. de Christo.* Valent. *disp. 2. q. 1. p. 1.* Vasq. *1. p. disp. 108.* & alij. Sicque iactis fidei fundamentis, vt præcipit S. Doct. *1. dist. 2. ad litteram Magistri*, ad sedulum rationum examen accedamus, ac quæstionum subtilitatem humillimè subeamus.



DISPVTATIO II.

De Emanationibus Diuinis.

Acturis de Sanctissima Personarum Trinitate, disputandum de Diuinis Emanationibus, quæ Personas Diuinas multiplicant.

QVÆSTIO I.

An dentur in diuinis Emanationes.

D.Bonau. d. 13. q. 1.
D.Thom. q. 27. art. 1.

Processio dicit exitum vnius ex alio. Quoniam verò duplex est processio, alia immanens, alia transiens; hic de immanente agitur: est enim disputatio de processione Personarum diuinarum, quæ sunt Deus, communicantes in eadem natura, vt dixi.

Quatuor verò exigit S. Bonau. ad processionem. Primum, vt sit via ad aliquod esse. Secundum, vt aliquid detur, & accipiatur. Tertium consequens, vt detur aliqua distinctio inter dantem, & accipientem. Quartum, vt sit aliqua prioritas in dante. 1

Assero

Assero, dari in Diuinis processiones. Hoc demonstratum est *disp.1.q.2.*

2 Probatvr primò à S.Doctore *ad c.8.Ioan.* illis verbis: *Ego enim ex Deo processi.* Quo vtitur D. Auguſt.*tract.42.in Ioannem*, & D.Thomas *hic*.

Probatvr secundò à D.Bonau.*hic*, ex 15.Ioan. *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Idem habet S.Doct.ad eum locum, qui tamen computatur pro initio capitis 16.

Probatvr tertiò à D.Bonau.in corpore,& fundamentis. Vbi est relatio ad aliud, tanquam ad suum principium, ibi est processio ab illo principio. At in diuinis est relatio Filij, vt ad Genitorem; & Spiritus sancti ad vtrumque, tanquam suum principium. Ergo. Maior probatur à Seraphico; nam processio dicit exitum à principio *à quo*, & respectum ad illud.

3 Quod verò in creaturis dicat motum, est per accidens: similiter, quod dicat in eis elongationem procedentis à suo principio ob finitatem, quâ fit, vt ab vno exiens, recedat ab illo. Neque verò hoc semper euenit; nam radius procedit à corpore luminoso, neque tamen ab eo recedit. Sic & flos ex arbore procedens, manet in suo principio. De intrinseco igitur emanationis est, vt dicat processionem vnius ab altero, & respectum eius ad suum principium, ac distinctionem ab eo. Igitur vbi est relatio vnius ad aliud, tanquam suum principium, ibi supponitur processio. Minor verò probatur à D. Bonau. *loc. cit. & fundamento 3.* Nam Spiritus sanctus est amor mutuus,& nexus Patris, & Filij se mutuò amantium, vt principium,& is, à quo manat. Amor autem non est sui, sed ab alio. Idem patet de Verbo ad Dicentem, seu Genito ad Genitorem, vt ait S. Auguſt. *tract.29. in Ioannem.*

4 Cùm autem distinctio per absoluta non sit in diuinis, sed per relationes oppositas, vt habetur in Concilio Florentino *sess.18.* Lateranensi *c. Firmiter*, & Toletano vndecimo, & apud Patres relatos à Foresto *fol.47.* vt latiùs *disp.12.q.1.* ostendam; profectò distinctio, quâ relatio nititur, ex emanatione exoritur, nec aliunde.

Probatvr quartò à S.Doct.ratione iam supposita, *1.dist.2.q.2.fundamento vlt.* & *dist.8.p.2.q.1.ad 2.* atque allata *1.p.Breuil.c.3.* Nititur verò duplici fundamento. Alterum est, dari plures Personas Diuinas, quod est de fide: alterum, eas distingui per oppositas relationes, vt dixi argumento tertio. Tunc sic. Debet assignari primum Principium, & hoc simplicissimum. Ergo debet esse indiuisum,& vnum. Ergo

5 vna prima persona improducta: ergo reliquæ debent esse productæ, alioqui erunt duo Dij, & sic compositio erit in diuinis. Nec obest emanatio Spiritus sancti à duobus relatiuis.

Hæc ratio est Sanctorum Athanasij *oratione contra Gregales Sabellij*, Fulgentij *lib. ad obiect. Arrian.* Hilarij *lib.4.de Trin.*& *lib.de Synodis, explic.4.confessionis fidei,n.26.* D.Thomæ *q.34.art.4.ad 4.* Et Concilij Syrmiensis, qua parte Catholicum, *can.26.* vbi anathematizat dicentes, Filium esse innascibilem, quia sic ponentur duo innascibiles,& duo Dij. Eam etiam laudat Vasquez *disp.140. c.2.* Itaque à duobus absolutè distinctis esset productio.

6 Eam tamen impugnat Scotus *1. dist.2.q.3.* quia etiam creaturæ sunt à tota Trinitate, & tamen sunt ab vno primo principio. Sic igitur, si à duabus personis esset tertia, posset esse ab vno primo principio. Quare negat cum eo Lichetus, probari ab Hilar. At Macedo *coll.8.diff.3.sect.7.* modestè carpit.

Verùm non aduertit vim rationis, quam vidit Philosophus Plotinus apud Eusebium *lib.11. de prapar. Euang.c.10.* qui cùm dixisset, Filium esse genitum à Patre, subdit: *Neque enim numerus primus est, sed necesse est, vnum antecedere, à quo sit dualitas genita.* Ratio est, quia oportet, vt gignens sit persona, alioqui si essentia, seu Deus, vt vnus gigneret, oporteret genitũ esse alium Deum; quia inter gignentem,& genitum debet esse distinctio, ne idem seipsum gignat. Qua ratione creaturæ conditæ differunt à Conditore. Quare non est simile, quia creaturæ non sunt à Trinitate formaliter, vt Trinitas est; sed vt vnus Deus, vna virtute operans: at personæ à persona formaliter sunt. Vult igitur dicere Plotinus, numerum illum personarum debere reduci ad aliquam vnitatem, à qua est omnis numerus; hoc enim spectat ad nobilitatem summam ordinis, quæ in Deo supponitur simplicissima.

Mox verò Scotus rationem adducit, quæ vt sit valida, nostro debet niti fundamento: *Natura*, ait, *diuina non dicit immediatum ordinem ad duas personalitates, sed ad vnam primò, & per illam ad alias; alioqui nulla posset ratio reddi multiplicationis personalitatum, & distinctionis personarum in eadem natura.*

Hæc ratio supponit primò, radicem vnitatis primæ esse diuinam simplicitatem perfectissimam: radicem verò multiplicationis esse oppositionem relatiuam, quòd est fundamentum D.Bonau. *dist.11.q.1.* & nititur principiis fidei, vt ostendam *disp.de Spiritu sancto*; tametsi dubitet Suarez *lib.1.c.4.n.5.* an è sola deducatur ratione à Patribus. 7

Probatvr quintò à S.Doct.*dist.2.q.3.*& *in Breuil.adducto loco.* De fide est, esse duas tantùm personas productas; & omnes esse tantùm tres. Ergo est vnica tantùm improducta: quod si & ipsa esset producta; vel si essent plures improductæ, eadem ratione possent in infinitum multiplicari, quia non esset cogitare rationem vnius numeri magis, quàm aliorum; 8
esset enim multiplicatio absque vllo ordine per se: in his autem, quæ multiplicantur quasi per accidens, abiri potest in infinitum: inordinatio autem,& processus in infinitum Deo repugnant. Sequela probatur, quia & Pater haberet Patrem, Auum, Atauum,& sic in infinitum: & ita immoderata esset diuina generatio, vt arguit S.Auguſt.*lib.1.contra Maximinum.* Si enim vna generatio non sufficeret in Diuinis, non esset inuenire sufficientiam in secunda, tertia, &c. & ita abeundum in infinitum. Hanc rationem Scoto adscribunt Suarez *loc.cit. num.18.* Faber *disp.17. cap.4.* Macedo *coll.8. diff.3. sect.7.* eamque acclamant optimam.

Obiicies primò. Si in diuinis dantur emanationes, sequitur esse potentiam passiuam, seu receptiuam, quod est absonum, vt ostendit D.Th. *1.p.q.25. art.1.* Probatur sequela. Si in Deo est processio ad intrà, id quod procedit, in Deo recipitur. Ergo est in Deo potentia passiua. Confirmatur. Filius accipit essentiam. Ergo generatio respicit Filium, vt receptiuum generationis, & essentiæ. 9

Respondetur ex D.Bonau.*ad 4.* (estque vulgatum in Seraphico proloquium) negando sequelam; non enim est ibi potentia passiua, cùm non recipiat aliquid, ad quod habet potentiam, seu quo careat; neque propriè respiciat vt subiectum, sed vt obiectum, personam productam; cùm in eadem sit natura semper, vt hypostasi. Ita & Valentia *quæst.1. punct.1.* Zamorra *tract.8. art.1.* Morandus *quæst.1.de Trinit.*

Obiicies secundò. Processio dicit motum, & ita imperfectionem.

Respondet D. Bonau. processionem dicere motum in creaturis; non autem intrinsecè.

vllus vnquam Catholicus, aut Hebtæus id negauit, vt obseruat D. Hieronymus *in prologo Galeato*. Filij
127 Dei æternitatem venatur D. Bonau. *in commentario* 1. *Ioan.* ex illis verbis: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*; cum Chrysostom. *hom.* 1. *in Ioannem*, vbi verbum *erat*, significat immutabilitatem, atque æternitatem. Ibi adducit etiam id Ioannis 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Et id Prouerb. 8. *Dominus possedit me initio viarum suarum.* Et id Eccli. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.*

Ex his habes, inane esse responsum hæreticorum, asseri, Christum affuisse initio renouationis, non autem creationis. Adde cum S. Bonau. *ad* 1. *Ioannis*, & D. August. id: *Omnia per ipsum facta sunt*; quæ inuoluunt omnia creata in Genesi. Id confirmat illo Hebr. 1. *Per quem fecit & secula.* Et psalmi 101. *Tu in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Quæ Christo adscribit Apostolus. Addit id Psalmi 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt*; confirmans ex Glossa, & Patribus, & illo Ioannis 1. *Sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Et refert Patres.

128 Obiicit verò ipse S. Doctor sibi id *Actorum* 2. vbi dicitur: *Dominum Christum Pater fecit.* Et cap. 13. *Quem suscitauit à mortuis.* Respondet S. Bonau. cum Patribus, ibi accipi Christum secundùm naturam humanam. Vrget S. Doctor *ad c.* 8. *Ioan.* id: *Antequam Abraham fieret, ego sum*; vbi æternitatem suam inuariabilem, omnia tempora amplectentem insinuat: nam particula *ante*, præteritum signat, *sum* præsens; ad modum, quo Exodi 3. *Ego sum qui sum.* Sic obseruat cum Aug. *tract.* 43. *in Ioan.* Gregorio *hom.* 18. Itaque se asserit ante Abraham, non in typo, vt latrat Franciscus Dauid, sed realiter: nam respondet Iudæis, qui eum iuuenem asserebant, dicentes: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*

Confirmatur ex illo Ioannis 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te Patrem, & quem misisti, Iesum Christum.* Et 1. Ioan. 5. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Item Micheæ 5. *Et tu Bethlehem terra Iuda, &c. Ex te egredietur, qui sit Dominator in Israël, & egressus eius a diebus æternitatis.* Quem locum indicat S. Bonau. *dub.* 2. *litt.* Ridicule autem respondet Franciscus Dauid, intelligi dies creationis.

129 Bellarminus affert etiam id Ioannis 17. *Clarifica me, Pater, claritate, quam habui priusquam mundus fieret*; quod tamen potest sic explicari: Da claritatem prædestinatam ab æterno; atque adeò eneruari, vt obseruat ibi D. Bonauentura.

Immensitas etiam est attributum Dei. Hierem. 23. *Cælum, & terram ego impleo.* Hæc adscribitur Filio. Baruch 3. *Magnus est, & non habens finem; excelsus, & immensus.* Et mox: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*; vt notat S. Bonau. *serm.* 4. *Vigilia Nat.* post Augustin. *lib.* 3. *contra Maximinum, cap. vlt.* Sic & Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui & descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.*

Hic S. Bonau. infert Christum immensum, quia loquens in terris, erat etiam in cælo: secutus D. Augustinum *tract.* 12. *in Ioannem.*

Dices: Vel loquitur secundùm naturam humanam, & hoc non, quia secundùm illam non descendit de cælo: vel secundùm Diuinam, & hoc neque; nam secundùm eam, nec ascendit, nec descendit. Respondet S. Bonau. loqui de persona Diuina, quæ descendit secundùm effectum Incarnationis, & ascendit quoad esse hominem. Dicit verò simul, *qui est in cælo*, vt ostenderet, eum, qui secundùm effectus descendit, & ascendit, esse simul immutabiliter in cælo, atque immensum.

Omnipotentia est Dei attributum: *Qui solus potens*, 1. *Timoth.* 6. Hæc verò attribuitur Filio Dei, 130
vt notat D. Bonau. ad id 13. Ioan. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim.* Hoc attributum sibi Christus adsciuit *Ioan.* 5. dicens: *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*, vt notat S. Bonau. *ibi*, & addit ea Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Coloss. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Et addit expositionem D. Aug. *tract.* 18. *in Ioan.* & Chrysostomi *homilia* 37. *in Ioannem.* Ideò nomen שדי: *Sadai*, Christo adscribitur, vt notat Bouer.

Quod verò obiiciunt Arriani, ibidem dici: *Non potest Filius facere, nisi quod viderit Patrem facientem*; iam resolutum est, id solùm concedere, Filium habere à Patre omnia per generationem, vt exponit D. Bonau. ibi cum D. August. *tract.* 18. *in Ioannem.* Nazianzenus *oratione* 4. *de Theologia*, Ambr. *lib.* 4. *de fide, c.* 3. Itaque vult dicere: Filius non à se, sed à Patre in generatione æterna habet potentiam, & virtutem operatiuam.

Obiiciunt Transyluani: *Data est Christo omnis potestas.* Matth. vlt. Ergò per gratiam. 131

Respondet S. Doctor 3. *d.* 14. *dub.* 4. *litt.* hoc intelligi secundùm humanitatem.

Sapientia est Dei attributum. Rom. 16. *Soli sapienti Deo.* Hæc autem Christo adscribitur, Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, vt demonstrat S. Bonau. *de septem donis c.* 1. *& vlt.* & 1. *Corinth.* 1. vocat Christum, *Dei virtutem, & sapientiam*; vt aduertit S. Doctor 1. *d.* 32. *art.* 2. *q.* 1. *arg.* 1. addito responso, & *q.* 2. *ad vltimum.*

Obiiciunt Arriani illud Matth. 24. *De die illa nemo scit, neque Filius, nisi solus Pater.*

Respondet D. Bonau. 4. *dist.* 48. *q.* 4. *ad* 1. ex Glossa, loqui de filiis adoptiuis, idest sanctis, qui Angelis comparantur; non de filio naturali. Deinde respondet, filium non nosse, quia non notificat, nec ostendit se scire: sicut fouea dicitur cæca, non quia non videat, sed quia, quod habet in se, non ostendit aliis.

Bonitas est propria Dei. Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Vbi non corrigit, quasi mendacem illum, qui se vocarat bonum, vt latrant Arriani, & Transyluani, vt notat D. August. apud D. Bonau. *ibi*; sed quia eum bonum tantùm hominem putabat: ipse autem non sic esse summum bonum per antonomasiam, sed vt est Deus. Ita etiam Basilius *lib.* 4. *in Eunomium*, Ambr. *lib.* 2. *de fide, c.* 1. Hieronymus, & Chrysost. *in c.* 10. *Matth.* Probat autem S. Doctor ibi, Bonitatem esse Christo propriam; nam *Apoc.* 1. se nominat α, & ω: Principium, & finem omnium. Finis autem vltimus est bonitas. Deinde bonitatem esse Christi attributum, ostendit 132
D. Bonau. *ad* 7. *Sap.* illis verbis: *Candor est lucis æternæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius; & cùm sit vna, omnia potest.* 133

Maiestas adoranda tribuitur soli Deo. Deuter. 6. Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Hæc autem Christo attribuitur. Hebr. 1. *Adorent eum omnes Angeli Dei*, vt ostendit S. Doctor *de vita Christi c.* 7. Vbi aduertit, adoratum vt Deum, quia *apparuit benignitas Saluatoris nostri Dei*; ad Titum 3. Hic enim locus sumptus est è Psalmo 95. vbi latriâ Deum Angeli adorant. *Adorate eum omnes Angeli Dei.* Quod ex antithesi roboratur; nam eam adorationem opponit idololatriæ. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia.*

Neque

Neque dicant hæretici, adorari latriâ, quia id Pater præcipit, & quia in eo habitat Deus: nam sic adorandus esset mundus, quia Deus in eo est. Et si Pater latriam Angelis præcipit: ergo iustè.

QVINTVM CAPVT authoritatum habetur ex operibus Deo propriis.

134 PRIMVM Dei opus est Creatio. Isaiæ 44. *Ego sum Dominus, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Iob 9. *Qui extendit cælos solus.* Christum autem esse Creatorem mundi, patet ex locis adductis. Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Coloss. 1. *Omnia per ipsum creata sunt.* Hebr. 1. *Tu Domine initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Quæ agitat S. Bonau. præcipuè *ad cap. 1. Ioan.* Sic Prouerb. 8. *Quando præparabat cælos, aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Item Ioan. 5. *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit.*

Arriani, & Valentinus concedunt, Christum fuisse instrumentum creationis, & nihil ampliùs. Id probant, quia Scriptura constanter asserit, Patrem creasse per Filium. Addunt Concilium Syrmiense, quod ait, Filium Patri fuisse ministrum in creatione, Irenæum *lib. 3. cap. 8.* & *lib. 4. cap. 15.* Tertullianum *lib. de Trinit.* Eusebium *lib. 1. hist. cap. 1.* Clem. Alex. *exhortat. ad Gent.* dicentes, Christum fuisse instrumentum creationis.

135 Seraphicus *ad cap. 1. Ioan.* probat, non posse propriè dici, Filium fuisse instrumentum Patris, ex Apoc. 1. *Ego sum α, & ω: principium, & finis.* Vbi Christus se asserit primum principium; instrumentum autem non est primum vniuersale principium. Deinde ex 1. Hebr. *Tu in principio terra n fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Quâ authoritate nititur etiam Chrysostomus *homil. 4. in Ioan.* dicens: *Si enim per hoc, quod dicitur: Per ipsum, existimas, aliquid esse minorationis in Filio, audi Prophetam loquentem ad Filium: Tu Domine in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Particulam verò *per*, ait Seraphicus adhibitam, non solùm vt ostendat emanationem Filij à Patre; sed etiam vt probet, Filium non modò fuisse coëfficientem eadem virtute, sed etiam exemplar, & mundum archetypum. Ita respondent Basilius *lib. de Spiritu sancto, cap. 8.* Damascenus 1. *de fide, cap. 9.* Confirmatur, particulam *per*, non esse notam instru-
136 menti: nam *Rom. 11.* attribuitur Deo. *In ipso, & per ipsum sunt omnia*; vt aduertit S. Doct. adducens Glossam. Idem confirmat *ad cap. 5. Ioan.* allegatis suprà verbis: & 1. Coloss. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Vbi idem Filius, per quem, & in quo sunt omnia condita, astruitur. Hoc sensu D. Hilarius explicat Concilium Syrmiense, & sunt explicandi Patres, vocari instrumentum ob authoritatem Patris; tametsi in dogmatibus parùm authoritatis ferant Tertullianus, & Eusebius. Cæterùm Irenæus solùm vult, Verbum se exhibere vt exemplar, vt explicat *lib. 1. cap. 1. & 19.* & *lib. 3. cap. 8.* Clemens verò clarior, ait hanc sapientiam esse Deum. Sic alij.

137 Confirmatur ex Baruch 3. *Qui emittit lumen, & vadit; vocat illud, & obedit illi. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersùs eum.* Et concludit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Hic autem est Filius Dei, vt ostendit S. Bonau. *serm. 4. vigil. Natiuitatis Domini*, & fides edocet.

Idem confirmat S. Doct. *ad 8. Lucæ*, illis verbis: *Quis est hic? quia & venti, & mare obediunt ei.* Quasi dicat: *Nullus est ei similis*, vt dicitur Exodi 15. *Quis similis tui in fortibus, Domine? &c.* Et Iob 28. *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura: quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.* Et Eccl. 3. *In verbo eius stetit aqua, sicut congeries.* Et Iob 38. *Quis conclusit ostiis mare?* Et Eccli. 42. *In necessitate omnia obaudiunt ei.*

SECVNDVM opus Dei est Saluatio. Isaiæ 42. 138
Ego sum Dominus, & non est absque me Saluator. Et cap. 45. *Deus iustus, & saluans non est præter me.* Idem habes *Oseæ* 13. Hoc est opus excellentissimum Christi. Probatur à D. Bonau. *ad 1. Lucæ*, ad ea verba: *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et confirmatur illo *Act. 4.* vbi in nomine IESV sanato claudo, subdit Petrus: *Neque enim est aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat, nos saluos fieri.* Hinc argumentum exstruitur: Non est salus, nisi à Deo, vt dicitur *Isaiæ cap. 42. & 45.* & *Oseæ* 13. Non est aliud nomen, & alia inuocatio, in qua detur salus, quàm Iesu Christi. *Act. 4.* Ergo Iesus est Deus. Est argumentum D. Bonau. quod confirmat sequentibus: *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Confirmatur à S. Doct. *ad 2. Lucæ*, ibi: *Reuersi sunt pastores glorificantes Deum*; ex 3. Coloss. *Omne quodcunque facitis in opere, aut in verbo, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Confirmatur à Seraphico ad id Lucæ 2. *Vocatum est nomen eius Iesus.* De hoc Iob 13. *Ipse erit Saluator meus* (loquitur de Deo.) Philip. 2. *Dedit ei nomen super omne nomen.* Matth. 1. *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.* Profectò nomen hoc gloriosum Saluatorem prædicat.

TERTIVM opus est Iustificatio. *Quis potest di-* 139
mittere peccata, nisi solus Deus? Lucæ 5. quod sanè proprium Dei est. Isaiæ 43. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*; vt ostendit S. Bonau. *ad eum loc. Lucæ.* Iam verò hoc esse Christi opus, latè probat ibi S. Doct. illis Christi verbis: *Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Ephes. 1. *Gratificauit nos in dilecto filio suo.* Et 1. Ioan. 2. *Remittuntur vobis peccata propter nomen eius.* Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa.* Act. 10. *Huic omnes testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius.* Ita ostendit S. Doct. *serm. 4. de Circumcisione*, vbi rursùs remissionem peccatorum à Deo solo arguit. Hierem. 14. *Domine fac propter nomen tuum; quoniam multæ sunt auersiones nostræ.* Psal. 24. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.* Nomen autem *Iehouah*, additâ litterâ scin ש, facit IESVS. Ita propter nomen Domini, quod hebraïcè est *Iehouah*, & Iesu, fit propitiatio peccatis. Idem probat ex 1. Ephes. *In quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum.*

QVARTVM opus est operatio miraculorum pro- 140
priâ virtute; nam ad miracula patranda requiritur omnipotentia, vt obseruat D. Bonau. 2. *d. 37. art. 2. q. 2. ad argumenta*, & 3. *part. Centil. sect. 37.* & *lib. 1. compend. Theologicæ veritatis, cap. 17.* Id probat præcipuè de miraculis primi generis secundùm substantiam; vt ex partu Virginis, *Lucæ 2.* & *Matth. 1.* vbi adducitur id Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet.* Idem probat ex statione solis, *Iosuè 10.* & regressu, *Isaiæ 38.* Vide ibi S. Doctorem. Ideò dixit Christus *7. Lucæ*, vt suam testaretur Deitatem: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt,*

mortui resurgunt. Ibidem verò ostendit, huiusmodi patrata à Christo, vt prædixerat Isaias cap.35. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & saliet sicut ceruus, claudus.* Et Michæas cap.4. *In illa die congregabo claudicantem.* Plenæ sunt autem Euangelij paginæ Christi miraculis, præcipuè suscitationibus mortuorum, quæ profectò arguunt omnipotentiam, vt ostendit ibi S. Doct. *Luc.* 7. illo Ezech.37. *Et scietis, quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra.* Ideò autem *Ioan.5.* dicitur: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei*, vt ostenderet, se propria potestate mortuos euocare ad vitam, vt obseruat S. Doct. *loc. cit. Luca*, & *cap.5. Ioan.* obseruat ea verba: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei*; vt ostendat, omnes mortuos in vltima die à Christo euocandos suâ propriâ potestate, cuius ideò vocem audient animæ, licèt separatæ. Hæc autem virtus moraliter est communicata etiam Christo homini.

Idem etiam S. Doct. conuincit *Luca* 10. illis verbis: *In nomine tuo dæmonia subiiciuntur nobis.* Idem arguit *serm.4. Circumcisionis.*

Glorificatio Dei est opus. Psal.83. *Gratiam, &*
141 *gloriam dabit Dominus.* Ideò *Act.7.* Stephanus orat: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Ex quo patet, inuocasse Iesum absentem, quod est latriæ actus, vt aduersarij fatentur.

Neque dicant, hoc non esse assertum Scripturæ, sed Stephani; nam is erat plenus Spiritu sancto, *Act.6. & 7.* aut sensum esse: Domine Iesu, *in genitiuo*; nam inuocat Iesum, quem videt, & alloquitur.

Idem probatur ex Ioan.10. *Ego vitam æternam do eis, &c.* ex quo deitatem Christi arguit ibi S. Doctor.

142 QVINTVM opus est scrutatio cordium. Isaiæ 41. *Annunciate, quæ futura sunt, & sciemus, quia dij estis vos.* Et 3. Reg. 8. *Tu solus nosti corda hominum.* Hierem.17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda.* Hoc autem Christo conuenire, probatur Ioan. 14. *Nunc dixi vobis, priùs quàm fiat, &c.* Idem habetur *Ioan.16.* & *cap.2. Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Lucæ 5. *Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum.* Id obseruat S. Bonau. ad hæc loca. Quare ad nuper ad ductum Lucæ ait: Cognouit cogitationes eorum, tanquam Deus; quia oculi Domini multò plus lucidiores sole, circumspicientes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes. Hoc autem probat S. Doct. argumento Apostoli *Hebr* 4. dicens: Nec mirum, quia est Verbum Dei, de quo ad Hebr. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Idem colligit D. Bonau. *ad 6. Lucæ*, ex eis verbis: *Ipse verò sciebat cogitationes eorum.* Vbi eleganter S. Doct. & verè, quia Dominus sapientissimus; vnde *Psal 93. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Et ideò erant Deo cogitationes apertæ; propter quod dicitur Isaiæ 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Vnde & *Ioan.27.* dicebant ei discipuli: *Nunc scimus, quia scis omnia, & non est opus, vt quis interroget.* Nec mirum, quia est ille, de quo Hierem.16. *Ego Dominus scrutans cor, &c.* Idipsum probat S.Doct. ad id Lucæ 9. *At Iesus videns cogitationes eorum.* Subditque, tanquam verus Deus: *Homo enim videt, quæ parent; Deus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. & addit allegatum locum *Eccli.23.* vbi Deo proprium asserit scrutari corda, vt ostendam *tract. de Angelis, disp.2. quæst.12.* Obseruat tandem Prophetas fateri, hæc sibi reuelata, non sic Christus.

SEXTVM opus Dei est Institutio Sacramentorum. Genesis 17. *Hoc est pactum meum.* At Christus instituit Sacramenta, Ioan.1. *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Vnde Ioannes Baptista deduxit: *Hic est Filius Dei*, vt obseruat S.Doct. Alia quoque Sacramenta à Christo instituta ostendam 3. *p. tract.2. disp.1.* 143

SEPTIMVM opus Dei proprium est spiritualis Ecclesiæ, & mundi gubernatio. Hæc autem Christi est. Ioan.14. *Sine me nihil potestis facere.* Ergo: nam *sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Corinth.3. Sic opus Dei est illuminare corda. *Isai.54. Erunt omnes docibiles Dei.* Hoc autem Filio conuenit, vt ostendit S. Doct. ad 1. Ioannis: *Illuminat omnem hominem, &c.*

OCTAVVM opus inde sequens est, leges ferre vniuersales, irritantes etiam Mosaïcas, latas à Deo. Hoc autem Christo conuenire, ostendam 1.2. *tract. de Legibus, d.1.q.9.*

SEXTVM CAPVT authoritatum sumitur ex Patribus, quos per singula sæcula diuinitatem Filij altè confessos recenset Bellarminus *lib.1. de Christo, cap.10.* aliique. Ego eos recensebo, quos refert D. Bonauentura. 144

E primo sæculo sunt Dionys. *lib. de Diuin. nominibus, cap.1. & 2.* apud D. Bonau. 1. *dist.3. part.1. & dist.9.* Habemus Symbolum Apostolorum, vbi dicitur: *Credo in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum.* Credere in Filium est nota, eum esse Deum, vt ostendit D.Bonau.3. *dist.25. quæst.1.*

E secundo sæculo vsque ad annum 200. sunt Iustinus *de fidei explicatione, & apol. ad Antoninum*, vbi etiam Athenagoras: Irenæus *lib.3. cap.6.* Clem. Alex. *lib.1. Pedag.*

E tertio sæculo habemus Origenem *homil.6. in Hier.11.* & *lib.7. epistola ad Rom.* apud D. Bonau. 1. *dist.9.* & D.Cyprianum apud Doctorem Sanctum *de idolorum vanitate, & lib.2. ad Quirinum, c.6.*

E quarto sæculo est Concilium Nicænum 318. Patrum, qui Symbolum ediderunt, relatum à D. Bonau. 1. *d.4.* & *in 3. dist. 25. quæst.1.* vbi obseruat, ideò definiri: Primò, quòd Christus sit verus Deus. Secundò, quod sit ὁμοούσιος Homousios; id est eiusdem cum Patre substantiæ. Tertiò, quod sit æternus. Quartò, quod sit immutabilis, sicuti Pater. Quintò, quod sit genitus, non factus. Hoc Symbolum repetitur in Symbolo Constantinopolitano, *cap.1.* & in Symbolo Athanasij, qui eodem sæculo claruit, vt aduertit S. Doct. *loc. cit.* Edidit etiam de hoc quinque sermones: quæ refert S. Bonau. etiam 3. *part. Centil sect.38.* & *lib.5. Compend. Theol. cap.21.* 145
Habemus etiam Basilium *contra Eunom.* Nazianzenum *orationibus quinque de Theologia.* Gregorium Nyssenum *libris quinque*, Cyrillum Hierosol. *catechesibus quinque*, Epiphanium *hæresi 65. & 69.* accuratè scribentes, quos refert passim S.Bonau. 1. *Sent.* E Latinis Hilarium *libris duodecim*, Ambrosium *libris quinque*, de quibus sæpe D. Bonau. *in 1. Sent.* & aliis locis citandis.

E quinto sæculo refert S. Bonau. passim Chrysostomum *oratione, Quod Christus sit Deus*; & *in c.1. Ioan.* & *in 1. cap. ad Coloss.* & 2. *ad Philip.* Cyrillum *libris septem de Trinit. & Thesauri*, Augustinum *libris quindecim de Trinit. & tribus contra Maximinum, in Ioannem, &c.* Hieronymum *contra Luciferianos, epistola ad Marcellam, & ad Auitum, ac duabus ad Damasum de nomine Hypostasis:* Leonem *epistola ad Flauianum.* Addo ego sanctum meum Gaudentium *tract.7.*

tract.7. in Exod. & epistola ad Paulum. Fuit autem Gloriosissimus Brixiæ Episcopus, quem sæpè Valentia, & Bellarm. Diuo æqualem Ambrosio acclamant. Illos refert S. Doct. *in Pharetra, lib.1. cap.2. Breuiloq. 1.p. & in compend. Theol.*

146 Eodem sæculo Synodus prima Ephesina *epistola ad Nestorium*; & Calcedonensis *act.2.* doctrinam Nicæni Concilij approbarunt, vt refert S. Bonau. *3.dist.25.*

E sexto sæculo recenset S.Bonau. passim, Fulgentium *lib.de fide ad Petrum, cap.1.* & *lib. 3. ad Monimum, & ad obiectiones Arrianorum, & ad Trasimundum*: Boëtium *de Trinitate.* Habemus ibi etiam quintam Synodum, quæ *cap.1.* asserit, tres personas vnius essentiæ. Et *act.11.* anathema clamat Arrio, Eunomio, & asseclis.

E septima ætate refert Gregorium *lib.3.Dial.c.29.* Isidorum *lib. de Trinitate.* Habemus etiam sextam Synodum *act.17.*

Ex octaua ætate refert Bedam *in commentariis de Trinitate*: Damascenum *lib. 1. de fide*: & habemus septimam Synodum.

147 E nona ætate habemus octauam Synodum, Rabanum *in cap.9. ad Rom.* & *2. ad Philip.* Photium, Theophylactum, Haymonem, quos aliquando refert S.Doctor.

E decima ætate habemus Ambrosium Ansbertum *in Apoc.* Radulphum *in Leuit.c.2.*

Ex vndecima adducit S. Anselmum *lib.de Trinit.*

E duodecima Richardum de S. Vict. *libris sex de Trinitate*: Bernardum *epistola 190.*

E tertiadecima habemus Concil. Lateran. *cap.1.*& multos insignes Theologos, qui vel Petrum Lombardum sunt commentati, vel proprio marte scripta edidere. Inter hos enumerat Bellarminus *lib.1. cap.10.* Alensem, Albertum, D. Thomam, & D. Bonauenturam.

In quartadecima ætate est Concilium Viennense, *in Clem.vn.de summa Trinitate.*

In quintadecima est Concilium Florentinum *sess. vltima.*

In sextadecima est Concilium Tridentinum *sess.3.* In his autem ætatibus, vsque ad hanc decimamseptimam, sunt innumeri eruditissimi Scholastici, qui vel D.Thomæ Scholam, vel Scoti Gymnasia illustrarunt, vel neutrales vtramque amplexantur.

148 E schola D. Bonauenturæ solus est P. Theodorus Forestus fidelis. Expectantur eruditissimi Commentarij cum suis quæstionibus Reuerendissimi P. Galitij nostri emeritissimi Generalis, Romæ oraculi. Sed heu raptum! Denique hanc veritatem definiere multi Pontifices. Felix I. *epistola 3.* Marcellinus I. *epistola ad Salomonem.* Anacletus *epist.2.* Hyginus *epist.1.* Ioan. II. *epist.ad Valerium.*

Sibyllæ etiam diuinitus de hoc mysterio prophetarunt, & quidem in præmium pudicitiæ, vt refert D.Bonauent. *serm.2.de sancta Agnete*, cum D. Hieronymo *lib.1.contra Iouinianum.*

Extat carmen Sibyllæ Erythrææ celeberrimum, cuius capitales literæ astruunt hanc sententiam: *Iesus Christus Dei Filius Saluator, crux.* Et concluditur hoc disticho:

149 *Vnus, & æternus Deus; hic seruator, & idem*
Christus pro nobis passus, quem carmina signant.

Leguntur hæc carmina *in oratione Constantini Magni ad Sanctorum cœtum*, quæ habetur apud Eusebium post vitam Constantini.

Lactantius *lib.4. cap.18.* & August. *lib 18. de ciuitate, cap.23.* referunt hæc carmina Sibyllarum de Christi diuinitate.

Ipsa tuum stulta Deum non agnouisti;
Sed spineâ coronasti coronâ, horridumque fel miscuisti.
Et dabunt Deo alapas manibus incestis.

Præterea *lib.6. Sibyllinorum*, circa finem, hæc legimus:

Cum domus effundet stirpem Dauidica, cuius
In manibus totus mundus, tellus, mare, cœlum.

Et infrà:

Namque Dei malè sana tui te notio fugit,
O lignum fœlix, in quo Deus ipse pependit!

Et *lib.7.*

Non nosti miseranda tuum, quem proluit olim
In Iordane Deum, &c.

Lib.8. ponuntur hæc:

Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico.

Multa etiam miracula extant hoc roborantia, quæ refert Bellarm. *lib.1. de Christo, c.12.*

Obiiciunt multa Transyluani. Primò, Christus, & Apostoli prædixere venturum statim Antichristum, ad abolendam veram Christi fidem. Cùm igitur adhuc vigeat fides de Trinitate, sequitur eam esse Antichristi; vel sequitur, Christum, & Apostolos mentitos. Antecedens probatur, Ioan.5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepistis; si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Lucæ 21. *Videte, ne seducamini; multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum, & tempus appropinquauit.* Actorum 20. *Post discessum meum intrabunt lupi rapaces.* 2.Thess. 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis.* 1. Ioan. *Antichristus iam nunc est in mundo. Omnes, qui negant Christum venisse in mundum, hic est Antichristus.* 150

Respondetur, miro modo hæreticos detorquere Scripturas à tota Ecclesia in oppositum explicitas. Et primò falsum est, fidem, & regnum Christi defectura, cùm promittatur absolute æternum. Lucæ 1. *Regnabit in æternum, & regni eius non erit finis.* Id promissum erat 2. *Reg. 7. Isaiæ 9. Danielis 7.* vt ostendit S.Bonau. *ad 1.Lucæ.* Neque Christus *Ioan.5.* dixit citò Antichristum regnaturum, aut destructurum fidem sanctam; sed venturum aliquando nomine proprio, & à Iudæis tanquam Messiam acclamandum; cùm tamen se, verum Messiam, non receperint vnquam, venientem in nomine Dei Patris. Ita exponunt Chrysost. *homil.40. in Ioan.* apud D. Bonau. Adde Augustinum, Cyrillum, & omnes alios Interpretes.

Ad secundum respondet S. Bonau. *in commentario*, Christum indicere, venturos multos hæresiarchas, non Antichristos; nam Antichristus non veniet in nomine Christi, vt ipse Christus prædixerat *Ioan.5.* sed in nomine proprio. Prodiit autem Apostolorum sæculo Simon Magus, & post eum Menander, qui se Christum dicebant, vt narrat D.Irenæus *lib.1.cap.20.& 21.* Sic refert Iosephus *lib.20. Antiq.* fuisse suo tempore plurimos se prædicantes Saluatorem Israël. Talis fuit Simon Essæus. Sic litigantibus Romæ filiis Herodis de successione ad Regnum, erant quatuor in Iudæa, quorum quisque se Christum dicebat. Manichæus etiam dictitabat, se esse Spiritum sanctum. Mahometes, se magnum Messiam. Finaliter quidem sequetur Antichristus, de quo 2. *Thess.2.* Ait autem, tempus appropinquasse discernendæ veritatis ab erroribus. Fuere illi sanè Antichristi, idest Christi hostes, vt dicitur 1.*Ioan.2.* Eodem modo de futuro, post suum, alio sæculo, explicat S. Bonau. *2.dist.7.p.2.art.2.q.2. argumento 5. ad oppositum*, illud 2. *Thess.2.* eius verò præcursores hæreticos, quos vocat Antichristos, de quibus & *Act.20. Coloss.2.* 151

Ex

Ex his ruit etiam id, quod opponunt è Ioan. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Neque enim infert, omnia tenebris Antichristi, obuoluenda statim post suam mortem; sed infert, operandum, dum dies est vitæ, nec mortis expectandam noctem, vt habetur *Eccl.9. Iob 32.* hortatur autem, vt optimam arripiant occasionem suæ præsentiæ, qua specialiter illuminat. Sic exponit S. Bonau. *in commentario*, cùm Patribus.

Obiiciunt secundò. Nomen Dei non est nomen essentiæ, sed potestatis, & imperij summi: at verò Pater habet imperium, & potestatem in Filium, non è contra: ergo solus Pater est Deus.

153 Maior patet; nam in scripturis Principes dicuntur Dij. Minor probatur Ioan. 14. *Pater maior me est.* Ioan.6. *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me Patris.* Et 1.*Corinth.*15. Christus dicitur subiectus Patri.

Respondet S. Doct. 1. *dist.*2. *dub.*3. hoc nomen Deo impositum à Græco θεὸς ἀπὸ τοῦ θέειν, αἴθειν, θεᾶσθαι, quod sonat currere, vrere, intueri: sic ab operatione impositum est; nam *ethein* significat ardere, fouere.; *theasthe* videre, *thein* currere, vt obseruat S. Bonau. Argolicæ linguæ peritissimus, *loc. cit. & opusculo, cui titulus Principium sacræ Scripturæ*, allegans Damascenum *lib.*1. *de fide*, *cap.*12. vbi ait: *Nomen hoc impositum Diuinæ Maiestati ab actu, quem habet circa nos, qui est succurrere, prouidere.* Idem habet S.Doct. 1. *dist.*23. *quæst.*2 *lit.* Quare ex nomine Dei nullam subiectionem Filij colligunt. *Ad* 14. *Ioan.* respondet *in Comment.* ex D. August. *tract.*78. ibi Christum loqui ratione humanæ naturæ, secundùm quam est Patre minor, vt habes etiam in Symbolo Athanasij. Eodem modo explicant Chrysostomus, Cyrillus, & alij ibi, inter quos D. Gaudentius Brix. Episcopus *ad Paulum.* Alter etiam locus infert, Filium Dei è cælo descendisse, vt factus homo naturam, & voluntatem humanam personæ Diuinæ vnitam concordaret cum Dei voluntate. Eodem sensu 1.*Corinth.*15. dicitur: Filius secundum humanam naturam Patri subiectus. Sic D. Bonau. *in cap.*6. *Ioannis*, cum Ambrosio *lib.*5. *de fide*, *cap.*7. August. *tract. in psal.*97. Nyss. *ad hæc verba*: & est regula D. August. *lib.* 83. *qq. quæst.*69. Et quidem ex Apostoli textu id colliges, vbi priùs dixerat: *Per hominem resurrectio mortuorum.* Ergo loquitur de Christo homine. Vide Boucrium soluentem Caluini ambages.

154 Obiiciunt tertiò. Solus Pater est vnus verus Deus. Ioan.17. *Agnoscant te solum verum Deum.* 1. Cor. 8. *Nobis vnus est Deus Pater.* Ergo Filius non est Deus.

Probatur consequentia, quia solus idem est, ac non cum alio, ex 1.*Elenc.cap.*4. Confirmant hoc argumento. Christus est Filius vnicus Dei: ergo qui non habet Christum Filium, non est Deus: at Trinitas non habet Christum Filium: ergo Trinitas non est Deus.

Respondet S. Doct. *ad Ioan.*17. cum D. August. *tract.*105. *in Ioan.* & Glossa, particulam *solum*, extendi etiam ad Filium. Vt cognoscant te Deum Patrem solum, idest, non cum alio Deo, sed cum alia persona Filij, quem misisti. Ita etiam Chrysostomus & Cyrillus ibi. Latiùs hunc modum dicendi prosequitur S.Doct. 1.*dist.*21.*p.*4.*q.*9. De hoc nos, cùm de modis dicendi, in disputationibus agemus *d.*7.*q.*7.

Ad argumentum respondetur ex doctrina D.Bonau.*loc.cit. q.*1. *&* 2. negando consequentiam: nam cùm plura sint supposita, sufficit, vt sit Filius Patris, qui suppon tur ibi sub nomine Dei.

Obiiciunt quatiò. Apostoli, atque Euangelistæ perpetuò inculcant, Christum esse natum, & factum, vt patet in Euangeliis, & *Act.*2. *Prou.*8. *Eccl.*24. *Ioan.* 1. *Coloss.*1. *Hebr.*1. *&* 3.

Respondet D. Bonau. *ad* 1. *Ioan.* ea intelligenda de Christo secundùm humanam naturam. Illud verò *Prou.*8. ait S. Bonau. legendum: *Dominus possedit*; quia in eo sunt thesauri Diuini. Subditur verò: *Ab* 155
æterno ordinata sum. Ante omnes colles ego parturiebar; quo principium suum ab æterno astruit. Cur autem à Septuaginta legatur: *Dominus creauit me*, acutè obseruat D. Bonau. nempe quia Filius genitus est, vt exemplar creaturatum, & mundus archetypus creationis. In fonte autem Hebraïco est קָנָנִי, *acquisiuit, possedit*, quod est verbum exprimens generationem. Sicut *Genes.*4. nato Caino, ait Adam קָנִיתִי, *possedi hominem.* Ad locum Ecclesiast. respondet S. Doct. *loc. cit.* confundi in Scriptura verba gignendi, & faciendi. Eum verò de anima sancta explicat *in soliloq. & parte* 4. *de Ecclesiast. Hierarchia*; de B. Virgine interpretatur. Ad id *Ioan.*1. vbi dicit Ioannes, antè se eum factum. Respondet S.Bonau. ibi significari, prælatum etiam vt hominem. Eodem modo exponit Ambrosius *lib.*4.*de fide*, *cap.*5. & omnes Interpretes, vt Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus. *Ad primum Hebr.* respondent Patres, Christum meliorem factum, idest declaratum; loquitur enim de gloria adepta post resurrectionem.

Obiiciunt quintò. Beatius est dare, quàm accipere. Sed Pater dat Filio essentiam: ergo beatior.

Respondet D. Bonau. *de Paupertate art.*2. veram esse maiorem, quando acceptio venit ex indigentia.

Obiiciunt etiam aliquas rationes. Prima est: Christus est Filius Dei: ergo non est primum Principium, sed ens ex alio.

Respondet S.Doct. 1. *dist.* 5. *quæst.*1. *&* 2. Filium, vt est persona, esse ab alio; non autem illud simplicissimum primum ens, quod nec generat, nec generatur. Ideò acutè aduertit D. Bonau. *ad cap.*1. *Ioannis*, post Chrysostomum *homil.*3. *in Ioannem*, non dixisse *De*, aut *ex* principio erat Verbum; sed *in principio*, vt ostenderet Verbi continentiam in omni puncto, in quo fuit & principium eius. Itaque subditur: *Et Deus erat Verbum.* Audis hæretice?

Secunda ratio hæreticorum. Vel Pater genuit 156
Filium existentem, vel non existentem. Si primum: ergo non fuit genitus; nam implicat, generari id, quod est. Si secundum: Ergo aliquando non fuit.

Respondet D. Bonau. 1.*dist.*5.*dub.*10. Patrem ge- 157
nuisse Filium, nunquam non existentem: quia non de nihilo fuit, sed in æternitate semper habuit esse: modus verò loquendi aduersariorum est temporalis, & non aptus ad diuinam generationem exprimendam. Verè quidem in temporalibus, quod generatur, habet esse post non esse; non sic in æternis, vt aduertit S. Doctor *dist.*9. *dub.*8. *lit.* Ratio verò, cur non potuerit generatio, aut Filius habere esse post non esse, est summa Filij actualitas, & immutabilitas diuina, cui repugnat habere esse post non esse, vt probat D.Bonau. *dist.*9.*q.*3.

Tertia eorum ratio est. Vel generatio est iam 158
finita, vel non. Si primum: ergo sicut habet finem, habuit etiam principium. Si secundum: ergo imperfecta.

Respon

Respondet D.Bonau.*dist.9. quæst.vltima*, generationem non esse finitam, & tamen perfectam; quia in eo idem est *fieri*, & *factum esse*. Et hoc oritur è summa diuina actualitate, & simplicitate. Vnde D. August. *lib.6. in Genesim ad litt.* ait, quod etiam lumen semper nascitur, & dum nascitur est; vnde aër semper est illuminatus, & illuminatur. Sic igitur generatio semper est perfecta, & est non terminata, seu finita. Hoc enim repugnat infinitæ illius perfectioni. Aduersarij verò imaginantur diuinam generationem ad modum nostræ, quâ qui nascitur, nondum est natus. Sed quia generatio æterna edíscitur per naturalem, & in perfectè nato magis propriè dicitur natus, quàm nasci; ideo D.August. *lib.83. qq. quæst.37.* vult, meliùs dici Filium natum esse, quia intelligibilius est; non quia ei non conueniat semper nasci.

Hæc sunt, quæ vrgent aduersarij, quibus satis superque fecit D. Bonauentura, quem secuti sunt Bellarminus, Valentia, Vasquez, & alij, eius argumenta, & solutiones obiectis capientes. Præstitit enim ita D. Bonauentura argumentandi subtilitate, definiendi solertia, vt viri Doctissimi admirentur, vt ait Sixtus V.*tom.1. opusc.S.Bonau.*

QVÆSTIO VIII.

Quibus auctoritatibus nitatur fides de Persona Spiritus sancti.

159 HÆRETICI nonnulli ex antiquis blaterarunt, Spiritum sanctum non esse Personam aliquam diuinam; sed quoddam Dei donum, seu virtutem aliquam. Eos refert D. Athanasius *lib. de communi essentia Patris, Fily, & Spiritus sancti.* Idem blasphemarunt Seruetus *lib.1. de Trinitate*, Blandrata *act. 6. disp. Albana.* Franciscus Dauid *act.5. diei*, & alij Serueti canes odoratici.

ASSERO de fide cum Ecclesia Catholica, Spiritum sanctum esse Personam.

160 PROBATVR. Id necessariò est persona subsistens, quod cognoscit, operatur, iudicat, arguit, consolatur, docet, annunciat, loquitur mysteria Dei. Talis est Spiritus sanctus: ergo. Maior probatur; nam operari est subsistentium: & saltem hoc sensu verum est, necessariam esse ad operationem subsistentiam. Minor probatur ex Ioan.16. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ille testimonium perhibebit de me.* Et: *Cum venerit ille, arguet mundum de iustitia. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hinc cum D. August. *tract.95. in Ioannem, ad calcem propè*, colligit Seraphicus, Sanctissimam Personarum Trinitatem, in Commentariis ad ea loca: *Ego mittam.* En Filius: *A Patre.* En Pater, en Parens: *Ille docebit, arguet, &c.* En tertia Persona Spiritus sancti. Vide quæso Seraphicum diuiniùs disserentem, & obiecta ibidem eluentem. Idem probat S. Doctor ad id Ioan.14. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c.* vbi idem probat ex illo Matth.10. *Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et *serm.7.& 8. Pentecost.* idipsum ex allegato *Ioan.14.* colligit.

Idem colligit, & supponit S.Bonau. *4.d.3.p.1.q.2. & art.2.q.2.* ex illo Matth.vltim. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Fily, & Spiritus sancti*; vbi formam hanc ad Baptismum necessariam ostendit, quia æqua trium Personarum operatio, eademque essentia astruitur.

PROBATVR etiam à D. Bonau. *1. dist.33. dub.2.* 161 ex illo Isai.61. *Spiritus Domini super me: euangelizare pauperibus misit me.* Vbi D. Hieronymus in Glossa ait, de illo Spiritu intelligi, de quo Isai.16. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Et Lucæ 11. *Si in digito Dei eiicio dæmonia*, idest in Spiritu sancto. Mittere autem, illuminare, eiicere dæmonia, ad personam pertinent. Vnde tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam colligit S. Bonau. quæ misit Filium hominis, vt habetur *Lucæ 4.* vbi de seipso Christus cum locum Isaiæ interpretatur, ibi eadem loca suprà allegata illi applicita ostendit. Addit, de eo dici id Ioan.1. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat.* Ideò enim dicitur baptizare in Spiritu sancto. Et *Act.10.* dicitur: *Vnctus Spiritu sancto*, idest per virtutem Spiritus sancti, qui super eum mansit dona conferendo, conseruando, seu habitus infundendo.

RESPONDENT Seruetiani, Spiritum sanctum 162 dici, docere, operari, quatenus Deus Pater per virtutem suam hæc operatur; non enim Spiritus personam sonat, sed flatum, qui Hebraïcè dicitur רוח *Ruach.* Ita Ioan.3. *Spiritus vbi vult, spirat, &c.*

At spiritus ibi non ventum significat, sed Spiritum Domini sanctum, operantem voluntate, vt colligit S. Doct. nam secretam eius aspirationem proponit Christus; ventus autem flatus est patens. Quis enim ignorat, Austrum à meridie ad polum: Aquilonem verò è regione efflare? Sic adnotat etiam D. August. *tract. 12. in Ioan.* & ideò subdit: *Sic est omnis, qui natus est è Spiritu.* Quasi dicat: Hi sunt Spiritus sancti efflatus. At estò exponas de vento, cum Chrysostom. *homil.26.* attamen non est idem sermo aliis in locis, vbi operationes diuinæ Spiritui sancto adscribuntur. Ita ex allatis locis Diuinitatem Spiritus sancti colligunt Basilius *lib.5. contra Eunom.* Nazianzenus *orat.4. de Theologia*, & alij Patres.

Obiiciunt adhuc: Spiritus sanctus est donum quoddam. Ergo non est Persona.

Respondetur cùm D. Bonau. *opusc. de septem donis, a capite primo*, Spiritum sanctum esse donum, quatenus liberaliter procedit; esse tamen etiam donatorem. Vide S.Doct. *1.dist.10.& 17.*

Obiiciunt tertiò. Nomen Spiritus conuenit etiam Patri. Ioan.4. *Spiritus est Deus.* Ergo non est alia Persona.

Respondet D. Bonau. *dist.10. quæst. vltim.* nomen Spiritus spirati esse proprium tertiæ Personæ. Sed de hoc *dist.10.*

QVÆSTIO IX.

Quibus authoritatibus nitatur Diuinitas Spiritus sancti.

OMNES Arriani, Eunominiani, ac Macedoniani blasphemum proloquium clamabant, 163 Spiritum sanctum non verum, sed adscriptitium esse Deum.

VALENTINVS verò addebat, Spiritum sanctum esse Angelum, vt testatur D. Athanas. *epistola longiori ad Serapionem*; quod & Serueto maximè probatur, vt colligo ex eius secundo dialogo de Trinitate. Similiter Transyluani, Serueti asseclæ, & Franciscus Dauid *act.3. disp. Albanæ*, eodem errore scatent.

Ideò dicitur solus scrutati, quia facit nos scrutati, influens cum suis Spiratoribus.

PROBATVR septimò à D.Bonau. *opusc. de septem donis*,& *ad Sap.*& *in* 3.*a dist.*23.ex operationibus Deo propriis,quæ Spiritui sancto attribuuntur.Sic ei adscribitur creatio, Psal.32. *Verbo Domini cœli firmati sunt,& Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Sic arguit D.Fulg.*ad Donat.c.*8. Similiter communicatio donorum,maximè fidei, spei, charitatis,& gratiæ sanctificantis.Sic 1.Cor.6.*Iustificati estis in Spiritu Dei nostri.*
174 Similiter saluatio : *A modò iam dicit Spiritus , vt requiescant.* Apoc.14.Neque minùs miraculorum operatio. Rom.15. *In virtute signorum , & prodigiorum,in virtute Spiritus sancti.*Sic & resurrectio mortuorum. Rom.4. *Si autem spiritus eius, qui suscitauit Christum à mortuis habitat in vobis, viuificabit mortalia corpora*
175 *vestra per Spiritum sanctum.* Affluentia gratiarum. Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aqua viua ; hoc autem dicebat de Spiritu , quem accepturi erant credentes in eum.* Hæc obseruat D. Bonauent. ad eum locum , & *ad* 4. *Lucæ* , in ea verba : *Spiritus Domini super me , euangelizare pauperibus misit me , sanare contritos corde , &c.* Similiter gubernatio Ecclesiæ. Act.20. *Attendite vobis , & vniuerso gregi , in quo vos Spiritus sanctus posuit , regere Ecclesiam Dei.* Act.13. *Dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum, & Barnabam ad opus ministerij, ad quod assumpsi eos.* Largitur illi media ad salutem. 1.Cor.12. *Hæc omnia operatur idem Spiritus, diuidens singulis,prout vult.* De quo S.Bonau. *in* 2. *dist.*27.*q.*1. Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum,qui datus est nobis.*De hoc S.Bonau. 1.*dist.*14.*dub.*6.*lit.*& *art.*2. *q.*1.*fundamento* 1. Rom.5. *Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati.* Et 1.Cor.12.*Nemo potest dicere,Dominus Iesus,nisi in Spiritu sancto.* De hoc S.Bonau. *dist.*46. *dub.*8. *litt.in primo Sent.*Sic ibi dicitur : *Vnum Spiritum potauimus.*
176 De quo S. Doct. 1.*dist.*14. *dub.*5. *lit.* Similiter ex eo ostenditur, quòd Christus ter dederit Apostolis Spiritum sanctum.*Matth.*10.*Ioan.*20.*Actorum* 2.scilicet, Primò ad eiicienda dæmonia. Secundò ad absoluendum à peccatis , & ad miracula patranda. Tertiò ad conuersionem gentium. De quo S. Bonau. *loc. cit. dub.*4.*litt.* Idem ostendit S.Doct. 1.*dist.*14. passim,& *dist.*15.*q.*3. vbi affert etiam id Ioan.4. *Ad eum veniemus,& mansionem apud eum faciemus.* Vbi se cum Patre , & Spiritu sancto comparat in assistentia Ecclesiæ. His arguit D.Basil. *cont. Eunom. lib.*7.
177 PROBATVR octauò Scripturis , quæ Spiritum sanctum Filio , & Patri æqualem astruunt. 1.Ioan.5. *Tres sunt , qui testimonium dant in cœlo , Pater , Verbum , & Spiritus sanctus ; & hi tres vnum sunt.* Matth.28. *Baptizantes eos in nomine Patris , & Filij, & Spiritus sancti.* Id supponit D. Bonauent. 4. *d.*3. *art.*2. Et Ioan.13. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vnde arguunt Nazianzenus *oratione* 5. *de Theologia* , & Cyrillus *lib.*13. *Thesauri* , *cap.*1. Quomodò potest Spiritus sanctus nos cum Patre , & Filio baptizare , si non est Deus.
178 PROBATVR nonò illis Scripturis , quæ Spiritum sanctum Christo , secundùm humanam naturam , præferunt. Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te , & virtus Altissimi obumbrabit tibi ; quod enim ex te nascetur Sanctum , vocabitur Filius Dei.* Hinc enim superexcellentiam Spiritus sancti super omnia colligit S. Doct. *ad* 1.*Lucæ* , id exponens cum illo Act.1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* Confirmat magis ex illo Christi effato , *Isaia* 61. & *Lucæ* 4. *Spiritus Domini super me , euangelizare pauperibus misit me.* Cùm igitur Spiritus sanctus super humanam Christi emineat naturam, quæ omnibus superstat creaturis , signum est , eum esse Deum , vt colligit S.Doct.*ad* 4.*Lucæ*, & *in* 1. *distinct.*34. *dub.*2. Ideò obseruat *ad* 3. *Lucæ*, Spiritum sanctum simul cum Patre testatum Christi diuinitatem , iuxta id primæ Ioan.5. *Tres sunt , qui testimonium dant in cœlo , Pater, Verbum , & Spiritus sanctus : & hi tres vnum sunt.* Et : *In ore duorum , vel trium testium stet omne verbum.* Idem confirmat *ad* 3. *Lucæ* , illis verbis : *Iesus autem plenus Spiritu sancto agebatur in desertum.* Et *Marci* 1. vbi dicitur expulsus in desertum. Idem colligit S. Doct. *ad* 11. *Lucæ* , ex illis verbis : *Si in digito Dei eiicio dæmonia.* Et ad 4. Lucæ , ex Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Act. 10. *Vnxit eum Deus Spiritu sancto.* Et Ioan.1. *Super quem videris Spiritum descendentem , & manentem , hic est , qui baptizat in Spiritu sancto.*

PROBATVR decimò à D. Bonauent. Scripturis, 179
quæ excellentias aliquas Deo proprias adscribunt Spiritui sancto. Sic *Lucæ* 2. de Simeone : *Spiritus sanctus erat in eo* , idest per gratiam , & charitatem ; iuxta id Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum , qui datus est nobis* , vt ibi adnotat S. Bonauentura , qui apponit etiam id 1. Ioan.4. *Qui manet in charitate , in Deo manet.* Et *Act.*6. de Stephano dicitur : *Plenus fide , & Spiritu sancto.* De quo 1. Cor.16. *Gratia Domini nostri vobiscum.* Deinde reuelationes sunt à Deo , 1. Corinth.2. *Nos accepimus Spiritum , qui ex Deo est ; vt sciamus , quæ à Deo donata sunt nobis.* Rom 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur , hi sunt Filij Dei.* Itaque cùm reuelationes sint à Spiritu sancto , sequitur , hunc esse Deum. Hinc Symbolum Nicæn. *Qui cum Patre , & Filio simul adoratur.*

Efficacissimè verò hoc demonstrat S. Doct. *ad* 180
12. *Lucæ* , illis verbis : *Qui dixerit verbum in Filium hominis , remittetur ei ; ei autem , qui in Spiritum sanctum blasphemauerit , non remittetur.* Et Matth.12. *Non remittetur ei , neque in hoc sæculo , neque in futuro.* Ex his deducit S. Bonauentura , blasphemiam in Spiritum sanctum esse conuitium in Deum; est enim deterior blasphemia , quàm in Christum; vt hominem , qui ex aduersantium confesso , cæteras excellit creaturas.

Confirmat sequentibus verbis ; nam subdit : *Cùm autem inducent vos in synagogas , nolite solliciti esse , qualiter , aut quid respondeatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora , quid oporteat vos dicere.* Hoc sanè nullus potest facere , nisi Deus, qui *Ioan.*6. dicitur docere omnia. 1.*Corinth.* 2. asseritur scrutari profunda. Et Matth.10. *Non estis vos, qui loquimini ; sed Spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* Ideò dicitur , rapere in excessus , *Ezech.*3. *Apoc.*1.

Tandem probatur ex Patribus , qui à S. Bonau. etiam referuntur locis adductis. Præcipui sunt Athanasius *ad Serapionem* , Basilius *lib.* 3. *&* 5. *in Eunom.* & *lib. de Spiritu sancto* , *ad Amphiloc.* Nazianzenus *oratione* 5. *de Theol.* Nyssenus *lib. ad Eustach.* Epiphanius *hæresi* 74. Dydimus *in lib. de Spiritu sancto.* Cyril. Hierosol. *Catech.*16.*&* 17. Chrysost. *hom.*1. *de Spiritu sancto.* Cyril. Alex. *lib.*7. *de Trin.* & *lib.*13. *&* 14. *Thesauri.* Hilarius *lib.*12. *de Trin.* Ambros. *lib. tribus de Spiritu sancto.* August. *lib.*1. *de Trin. cap.*6. & *lib.*1. *cont. Maxim.*D.Thom. 4.*cont. Gent.* à *c.*16.*ad* 27.

Aduerte, hæreticos rabido in hunc articulum 181
liuore abrasisse è cap.4. Euangelij Ioannis ea verba :

Spiritus est Deus. Et: *Eos, qui adorant, in spiritu, & veritate adorare oportet*; & tamen ibi non intelligitur tertia Persona Diuina, sed essentialiter Deus, vt notat Bellarminus *lib.1. de Christo, cap.13.* post D.Bonau. 1.*dist.10. quæst.2.lit. in resolutione.*

Obiiciunt primò omnes hæretici, Spiritum sanctum nunquam in Scripturis vocatum Deum.

Respondetur, hoc esse falsissimum, vt loca suprà allata probant, quibus adde 2. *Reg.23. Act.5.* 1.*Corinth.6.* Addo, satis esse, adscribi Spiritui sancto Trinitatis opera.

Obiiciunt secundò. Omnia per Verbum sunt facta. *Ioan.1.* Ergo & Spiritus sanctus factus est per Verbum.

181 Respondet S.Bonau.ad hunc locum, nominari solum Verbum, quia est Ars, Sapientia, & Idea rerum. Et ideò singulari modo ei adscribi mundi fabricam; sicut Spiritui sancto adscribitur conseruatio, quia similiter appropriatè est Bonitas. Ideò ait Apostolus *Rom.11.* Ex ipso, idest *Patre*; per ipsum, idest *Filium*, & in ipso, scilicet *Spiritu sancto*, sunt omnia, vt habet Glossa. Tamen *Psal.32.* poni & Spiritum sanctum. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, vt aduertit S. Bonau. ibi ex Glossa.

Negat igitur ibi S. Doct. consequentiam cum Chrysost. *homil.4. in Ioan.* nam ea sola, quæ facta sunt, per Verbum facta dicuntur; non autem omnia absolutè. Ideò subdit: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est*, idest factibilium, vt supplent Chrysostomus, & Origenes.

183 Obiiciunt tertiò. *Amos 5.* ait Deus: *Ego Dominus, creans spiritum.*

Respondetur ex D.Bonau. *ad primum Ecclesiastici*, ad ea verba: *Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus*; sæpè nomine Spiritus ventum accipi. Idem habet *ad Psal.147.* ad ea verba: *Flabit spiritus eius.* Et *Psal.134.* vbi per Spiritum etiam dona sancti Spiritus docet accipi.

184 Obiiciunt quartò. *Rom.8.* dicitur *Spiritus sanctus postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ergo est creatura.

Respondetur ex D. Bonau. *de sex alis Seraphim*, c.8. ideò dici, quia Spiritus sanctus dat virtutem, & vnctionem ad postulandum, vt habetur secunda Ioan.2. *Vos vnctionem habetis à Spiritu sancto.* Et Ioan. 14. *Docebit vos omnia.* Spem erigit. Rom.8. *Ipse testimonium reddit, quòd sumus Filij Dei.* Charitatem accendit. Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Addit fiduciam, vt habetur 1.*Ioan.3.* Orationem impinguat. *Psal.19.* Vnde Apostolus seipsum explicans, ait: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Vide Seraph. ibi, D.August. *epist.121.* & *loc.cit. cont. Maximin.* Nazianz. *orat.36.* sic exponentes. Adde cum D. Bonau. *de 6. alis cap.8.* exponi etiam de Spiritu gratiæ, quo oramus. Vide Vasq. *d.110.*

Obiiciunt quintò. *Ioan.10.* dicitur Spiritus sanctus non à semetipso loquuturus.

185 Respondet D.Bonau.ibi ex D.Chrysost. *homil.77. in Ioan.* & D.August. *tract.99.* id dici, vt ostendatur Spiritus sanctus non esse à se, sed à Patre, & Filio. Ideò subdi: *Et quæcumque audiet, loquetur*; audit enim, & scit, à quo procedit, & habet esse.

Dices, asseritur in futuro *audiet*. Ergo non audit, nec scit semper.

Respondetur, id dici iuxta rerum mutationem, non iuxta Spiritus sancti cognitionem, quæ semper est præsens. Semper enim audit, sicut procedit à Patre, & Filio.

Obiiciunt sextò. *Ioan.17.* dicitur: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* De Spiritu sancto nil dicitur.

Respondet S.Doct. *in Commentario*, ex Glossa ord. 186
& D.Aug. 1.*de Trin.c.13.* includi etiam Spiritum sanctum, quia beatitudo primò consistit in Deitate; cùm autem recensentur Pater, & Filius, includitur etiam Spiritus sanctus, qui est nexus amborum. Adde, solum Deum hic opponi Deorum multitudini; is autem Deus est trinus personis. Ita respondet etiam Basilius *lib.5. cont. Eunom.*

Obiiciunt septimò. Spiritus sanctus est tertius in ordine: ergo & naturâ.

Respondet D.Bonau. 1.*dist.12. & 13. passim*, cum Basilio *lib.3. in Eunom.* Spiritum sanctum esse tertium ratione originis, quæ nullam affert inæqualitatem.

Obiiciunt octauò. Quod non procedit per naturam, procedit per artem, & contingenter, atque adeò è creatura. Spiritus sanctus non procedit per naturam: Ergo. Minor probatur, quia non procedit per generationem. 187

Respondet S.Doct. 1.*d.10.q.1.* Spiritum sanctum emanare à voluntate, non vt datum per artem, sed vt rationem dandi; licèt enim procedat liberaliter, tamen communicat in natura; & hic modus est naturalis, non contingens. Ita respondent etiam D.Basil. *serm.cont.Sabellianos*, & Nazianz. *orat.5. de Theol.* Falsum etiam est, modum solum per generationem esse naturalem: nam etiam creaturæ habent esse naturale per creationem. Similiter Adam è luto: Eua è costa, vt notat S.Doct. 1.*dist.13.dub.3.lit.*

Hæc de Diuinitate Personarum Sanctissimæ Trinitatis è Seraphico excerpsêre Suar. *lib.2. de Trin.* Bellarm. *tom.1. lib.1. de Christo.* Valent. *disp.2. q.1. p.1.* Vasq. 1.*p. disp.108.* & alij. Sicque iactis fidei fundamentis, vt præcipit S.Doct. 1.*dist.2. ad litteram Magistri*, ad sedulum rationum examen accedamus, ac quæstionum subtilitatem humillimè subeamus.



DISPVTATIO II.

De Emanationibus Diuinis.



ACTVRIS de Sanctissima Personarum Trinitate, disputandum de Diuinis Emanationibus, quæ Personas Diuinas multiplicant.

QVÆSTIO I.

An dentur in diuinis Emanationes.

D.Bonau. d.13. q.1.
D.Thom.q.27.art.1.

PROCESSIO dicit exitum vnius ex alio. Quoniam verò duplex est processio, alia immanens, alia transiens; hîc de immanente agitur: est enim disputatio de processione Personarum diuinarum, quæ sunt Deus, communicantes in eadem natura, vt dixi.

Quatuor verò exigit S. Bonau. ad processionem. 1
Primum, vt sit via ad aliquod esse. Secundum, vt aliquid detur, & accipiatur. Tertium consequens, vt detur aliqua distinctio inter dantem, & accipientem. Quartum, vt sit aliqua prioritas in dante.

Assero

Assero, dari in Diuinis processiones. Hoc demonstratum est *disp.* 1. *q.* 2.

2 Probatvr primò à S.Doctore *ad c.*8.*Ioan.*illis verbis: *Ego enim ex Deo processi.* Quo vtitur D. Auguſt.*tract.*42.*in Ioannem*, & D.Thomas *hic.*

Probatvr secundò à D.Bonau.*hic*, ex 15.Ioan. *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Idem habet S.Doct.ad eum locum, qui tamen computatur pro initio capitis 16.

Probatvr tertiò à D.Bonau.in corpore, & fundamentis. Vbi est relatio ad aliud, tanquam ad suum principium, ibi est processio ab illo principio. At in diuinis est relatio Filij, vt ad Genitorem; & Spiritus sancti ad vtrumque, tanquam suum principium. Ergo. Maior probatur à Seraphico; nam processio dicit exitum à principio *à quo*, & respectum ad illud.
3 Quod verò in creaturis dicat motum, est per accidens: similiter, quod dicat in eis elongationem procedentis à suo principio ob finitatem, quâ fit, vt ab vno exiens, recedat ab illo. Neque verò hoc semper euenit; nam radius procedit à corpore luminoso, neque tamen ab eo recedit. Sic & flos ex arbore procedens, manet in suo principio. De intrinseco igitur emanationis est, vt dicat processionem vnius ab altero, & respectum eius ad suum principium, ac distinctionem ab eo. Igitur vbi est relatio vnius ad aliud, tanquam suum principium, ibi supponitur processio. Minor verò probatur à D. Bonau. *loc. cit.* & *fundamento* 3. Nam Spiritus sanctus est amor mutuus, & nexus Patris, & Filij se mutuò amantium, vt principium, & is, à quo manat. Amor autem non est sui, sed ab alio. Idem patet de Verbo ad Dicentem, seu Genito ad Genitorem, vt ait S. Auguſt. *tract.*29. *in Ioannem.*

4 Cùm autem distinctio per absoluta non sit in diuinis, sed per relationes oppositas, vt habetur in Concilio Florentino *sess.*18. Lateranensi *c. Firmiter*, & Toletano vndecimo, & apud Patres relatos à Foresto *fol.*47. vt latiùs *disp.* 12.*q.*1. ostendam; profectò distinctio, quâ relatio nititur, ex emanatione exoritur, nec aliunde.

Probatvr quartò à S.Doct.ratione iam supposita, 1.*dist.*2.*q.*2.*fundamento vlt.* & *dist.*8.*p.*2.*q.*1.*ad* 2. atque allata 1.*p.Breuil.c.*3. Nititur verò duplici fundamento. Alterum est, dari plures Personas Diuinas, quod est de fide: alterum, eas distingui per oppositas relationes, vt dixi argumento tertio. Tunc sic. Debet assignari primum Principium, & hoc simplicissimum. Ergo debet esse indiuisum, & vnum. Ergo
5 vna prima persona improducta: ergo reliquæ debent esse productæ, alioqui erunt duo Dij, & sic compositio erit in diuinis. Nec obest emanatio Spiritus sancti à duobus relatiuis.

Hæc ratio est Sanctorum Athanasij *oratione contra Gregales Sabellij*, Fulgentij *lib. ad obiect. Arrian.* Hilarij *lib.*4.*de Trin.*& *lib.de Synodis*, *explic.*4.*confessionis fidei n.*26. D.Thomæ *q.*34.*art.*4.*ad* 4. Et Concilij Syrmiensis, qua parte Catholicum, *can.*26. vbi anathematizat dicentes, Filium esse innascibilem, quia sic ponentur duo innascibiles, & duo Dij. Eam etiam laudat Vasquez *disp.*140. *c.*2. Itaque à duobus absolutè distinctis esset productio.

6 Eam tamen impugnat Scotus 1.*dist.*2. *q.*3. quia etiam creaturæ sunt à tota Trinitate, & tamen sunt ab vno primo principio. Sic igitur, si à duabus personis esset tertia, posset esse ab vno primo principio. Quare negat cum eo Lichetus, probari ab Hilar. At Macedo *coll.*8.*diff.*3.*sect.*7. modestè carpit.

Verùm non aduertit vim rationis, quam vidit Philosophus Plotinus apud Eusebium *lib.*11. *de præpar. Euang.c.*10. qui cùm dixisset, Filium esse genitum à Patre, subdit: *Neque enim numerus primus est, sed necesse est, vnum antecedere, à quo sit dualitas genita.* Ratio est, quia oportet, vt gignens sit persona, alioqui si essentia, seu Deus, vt vnus gigneret, oporteret genitũ esse alium Deum; quia inter gignentem, & genitum debet esse distinctio, ne idem seipsum gignat. Qua ratione creaturæ conditæ differunt à Conditore. Quare non est simile, quia creaturæ non sunt à Trinitate formaliter, vt Trinitas est; sed vt vnus Deus, vna virtute operans: at personæ à persona formaliter sunt. Vult igitur dicere Plotinus, numerum illum personarum debere reduci ad aliquam vnitatem, à qua est omnis numerus; hoc enim spectat ad nobilitatem summam ordinis, quæ in Deo supponitur simplicissima.

Mox verò Scotus rationem adducit, quæ vt sit valida, nostro debet niti fundamento: *Natura*, ait, *diuina non dicit immediatum ordinem ad duas personalitates, sed ad vnam primò, & per illam ad alias*; *alioqui nulla posset ratio reddi multiplicationis personalitatum; & distinctionis personarum in eadem natura.*

Hæc ratio supponit primò, radicem vnitatis primæ esse diuinam simplicitatem perfectissimam: radicem verò multiplicationis esse oppositionem relatiuam, quòd est fundamentum D.Bonau. *dist.*11.*q.*1. & nititur principiis fidei, vt ostendam *disp.de Spiritu sancto*; tametsi dubitet Suarez *lib.*1.*c.*4.*n.*5. an è sola deducatur ratione à Patribus. 7

Probatvr quintò à S.Doct.*dist.*2.*q.*3.& *in Breuil.adducto loco.* De fide est, esse duas tantùm personas productas; & omnes esse tantùm tres. Ergo est vnica tantùm improducta: quod si & ipsa esset producta; vel si essent plures improductæ, eadem ratione possent in infinitum multiplicari, quia non esset cogitare rationem vnius numeri magis, quàm aliorum; 8
esset enim multiplicatio absque vllo ordine per se: in his autem, quæ multiplicantur quasi per accidens, abiri potest in infinitum: inordinatio autem, & processus in infinitum Deo repugnant. Sequela probatur, quia & Pater haberet Patrem, Auum, Atauum, & sic in infinitum: & ita immoderata esset diuina generatio, vt arguit S.Auguſt.*lib.*1.*contra Maximinum.* Si enim vna generatio non sufficeret in Diuinis, non esset inuenire sufficientiam in secunda, tertia, &c. & ita abeundum in infinitum. Hanc rationem Scoto adscribunt Suarez *loc.cit. num.*18. Faber *disp.*17. *cap.*4. Macedo *coll.*8. *diff.*3. *sect.*7. eamque acclamant optimam.

Obiicies primò. Si in diuinis dantur emanationes, sequitur esse potentiam passiuam, seu receptiuam, quod est absonum, vt ostendit D.Th. 1.*p.q.*25.*art.*1. Probatur sequela. Si in Deo est processio ad intrà, id quod procedit, in Deo recipitur. Ergo est in Deo potentia passiua. Confirmatur. Filius accipit essentiam. Ergo generatio respicit Filium, vt receptiuum generationis, & essentiæ. 9

Respondetur ex D.Bonau.*ad* 4. (estque vulgatum in Seraphico proloquium) negando sequelam; non enim est ibi potentia passiua, cùm non recipiat aliquid, ad quod habet potentiam, seu quo careat; neque propriè respiciat vt subiectum, sed vt obiectum, personam productam; cùm in eadem sit natura semper, vt hypostasi. Ita & Valentia *quæst.*1. *punct.*1. Zamorra *tract.*8. *art.*1. Morandus *quæst.*1. *de Trinit.*

Obiicies secundò. Processio dicit motum, & ita imperfectionem.

Respondet D. Bonau. processionem dicere motum in creaturis; non autem intrinsecè.

Obiicies tertiò. Persona producta recipi debet in persona producente. Ergo in hac est potentia passiua.

10 Respondetur, personam producentem, v.g. Patrem, non recipere id, quod non habeat, aut aliquid absolutum distinctum. Quare nihil est imperfectionis: nam persona procedens est cum Patre idem natura, cui non repugnat personarum distinctio; & recipit id, quod habet per identitatem naturæ, quæ tota communicatur Filio, & tota in Patre incommunicata manet ex infinita simplicitate. Ita D.Bonau.*ad 1lt.*

Obiices quartò. Persona producta recipit esse; hoc autem dicit reductionem de potentia ad actum, & hoc per actionem in rem actam terminatam.

11 Respondet D.Bonau.negãdo minorem;non enim recipit esse ex potentia ante actum; sed semper in actu existens absque mutatione. Et hoc mirabile est, & à nobis peregrinum. Neque verò persona producta, ex eo, quod recipit esse, scatet imperfectione; nam tantam ostendit perfectionem terminando productionem, quantam ostendit persona producens producendo. Neque id per actionem prædicamentalem, vt monet Casp.*n.16.*

Obiicies quintò. Omne procedens in aliquo conuenit, & in aliquo differt, & ideò componitur, quia habet quid commune, & quid proprium.

12 Respondetur, non sequi compositionem: tum quia id, quo conuenit, & id, quo differt, vt sunt *In*,sunt idem formaliter: at relatio, vt *Ad*,non componit, cùm eius esse sit ad aliud, non autem *Cum*, aut *Ex*, aut *In alio*, quæ sola struunt compositionem.

Obiicies sextò. Id, quod procedit, est effectus eius, à quo procedit. At Filius non est effectus Patris, &c. Ergo.

Respondet S.Doct. *ad vltimum*, has processiones esse ad modum causalitatis, quatenus ad producendum terminant; sed differre, quia causa producit distinctum naturà, atque adeò productum exiens elongatur à producente, à quo dependet indigens. Nam dependentia sequitur naturam, ex non esse, & indigentiam, vt monet Nazar. *ad quæst.*28. *art.*1. Zumel ibi, *disp.*1 *ad primum*: & vbi diuersa natura, ibi indigentia, vt ait Morandus *q.*1. cum Scoto *d.*2. *q.*7. ac D. Bonau.sæpiùs, vt dicam. Vide Casp.*n.*13. Et ideo Græci propriè causæ nomen adhibentes decepti sunt; sapientes verò, etsi nomen causæ adhibuerint, non tamen effectûs, vt monet etiam Tannerus *d.*4.*q.*2.*d.*1.*n.*14. & Morandus *n.*521. quod est dicere, neque correlatiuam causam propriè adesse, sed principium. Hinc eruit S.Doct. in quo hæ processiones à localibus differant, nempe in elongatione; nam procedunt in eadem natura communicata immanenter. Personæ sanè distinctæ, neque procedens recipitur in termino *ad quem*, ad modum localium, etsi respiciant terminum; sed tanquam obiectum. Adde processionem localium esse motum; non ita hæ.

Obiicies septimò. Diuina essentia non est genita, *ex c. Damnamus*: ergo nec persona, cùm sint idem formaliter.

Respondetur, differre virtualiter, & hoc sufficit, vt dicam *disp.*3.*a.*4. Sic & Morand.*tract.*6.*q.*1.sumens rationem ex infinitate essentiæ, ne multiplicabilis sit.Addunt Salmanticenses,oriri ex infinitate absoluta. Sic *disp.*1. *d.*1. at relationes multiplicabiles sunt. De hoc *disp.*3.

QVÆSTIO II.

An plures dentur in Deo emanationes; & quæ

D.Bonau d.1.q.2.3.& 4.& d.9. q.1.& d.10.q.1.2.& 3.
D.Thom.q.27.art.1.& 3.

ASSERO primò, esse plures in diuinis emanationes. Est de fide. Sic in Symbolo Athanasij habetur, Filium esse genitum; Spiritum sanctum nequaquam, sed aliter procedere. Iam patet ex dictis, maximè *disp.*1. *q.*2.

Probatur à D. Bonau.*dist.*10.*quæst.*1.*fundamento* 2. Quicquid est nobilitatis simpliciter, est Deo adscribendum. Sed inter creaturas nobilissimas duplex 13 inuenitur modus producendi nobilis, scilicet per modum naturæ, dum intelligendo producitur Verbum; & per modum voluntatis, dum producitur Amor, qui est perfectissimus primogenitus voluntatis: ergo & in Deo. Eadem ratione vtuntur Alensis, Richardus, D.Thomas hîc, Vasquez *disp.*111. Morandus *q.*2. & alij.

Confirmatur à S.Doct.*fundamento* 3. & ostenditur, his emanationibus produci personas. In Deo est ponere intellectum, qui est natura; atque voluntatem: & sicut natura, vt sit perfecta, debet esse fœcunda; ita & voluntas esse liberalis: sed intellectio perfectissimâ fœcunditate prædita, producit subsistentem, alioqui imperfectum produceret. Ergo & voluntas liberalitate amorem subsistentem producet.

Probatur secundò à D. Bonauent. Omnes creaturæ procedunt à Deo per intellectum, & voluntatem. Sed ante creaturarum productionem ponere fuit emanationem Verbi ab æterno, in quo Pater omnia facienda disposuit. Ergo pariter necesse fuit, emanare personam, in qua omnia vellet, & donaret per modum liberalitatis. Hac ratione vtuntur allegati Doctores.

Eam tamen impugnat Ægidius Romanus.Primò, quia arguit ex effectuum distinctione distinctionem causæ, quod est fallax.

Secundò, quia ex emanatione varia creaturarum arguit emanationem variam ad intrà in Deo, quod non rectè fit; exeunt enim creaturæ à Deo vt vno; at emanationes à personis, vt tales sunt.

Respondetur tamen, argumentum fieri, supposita fide, & distinctione principiorum, nempe intellectus, & voluntatis, quæ variè producunt ex natura sua; sic varietatem colligi emanationum. E creaturis autem colligitur à posteriori hæc ratio diuersa principiorum ad operandum. Quamvis enim creaturæ procedant à Deo, vt vnus est; habent tamen duplicem rationem emanandi, nempe Ideam, seu Verbum; & voluntatem liberalem,è quibus arguitur fœcunditas ad intrà multiplicandi personas. 14

ASSERO secundò, esse tantùm duas emanationes.

Probatur à D. Bonau. *prima parte Breuil. cap.*3. 15 Duæ tantùm actiones immanentes sunt in Deo. Ergo duæ tantùm emanationes. Antecedens probatur. Omne enim agens agit, aut per naturam, aut per voluntatem. Hinc postea deducit S. Doct. Trinitatem personarum, vt dixi *quæst.*1. quia duæ sunt personæ productæ; vnica verò improducta, ne tollatur ordo in diuinis, & inducatur infinitum. Ergo sunt tres. Eandem rationem explicat 1. *dist.* 2. *quæst.*4.

*quæst.*4. *in corpore*, sic: Duplex in diuinis tantùm fœcunditas reperitur. Ergo duplex tantùm emanatio. Antecedens probatur. Fœcunditas venit ex primitate, & è non esse ab alio. Sed in diuinis solus
16 Pater est primus, non ab alio simpliciter: Filius verò non est ab alio spiratione voluntatis. Ergo in solo Patre est fœcunditas intellectus, & voluntatis; in Filio voluntatis tantùm. Hæc autem voluntas est una cum voluntate Patris, vt ostendam *disp.*10. *quæst.*8.

Vrgeo: Vtraque fœcunditas est diuina, & perfectissima, & adæquatum terminum producens. Ergo immultiplicabilis, & quoad numerum, & quoad speciem, & simpliciter. Eandem rationem refricat *dist.*13.*quæst.*2. & 3. & *in compend.Theol.lib.*1. *cap.*7. cum Alensi *quæst.* 47. *m.*7. D. Thom. 4. *cont. Gentes,cap.*26. & *de potentia quæst.*9. *art.*9.& *quæst.*10. *art.*2.& *primo Sent.dist.*2.*quæst.*1.*art.*4.& 1.*part.* q.27. *art.*4. quos imitantur Scotus *dist.*2. *part.*2. *quæst.*2. Henricus *quol.*6.*quæst.*1. & *in Summa art.*52. *quæst.*8. & 9. Richard.*d.*2.*art.*2. *quæst.*2. Gabriel *d.*10.*quæst.*1. Maior *d.*10.*quæst.*2. Marsil. *q.*14. *art.*2. Argent.*d.*10. *quæst.*1.*art.*2. Vasquez *disp.*111. *cap.*1. Suarez *loc.cit. de Trinit. cap.*9.*num.*6. & *cap.*5. Valentia *disp.*2. *q.*1. *puncto* 3. & alij moderni, qui eam optimam acclamant, præcipuè Morandus *q.*2.

17 Tamen Arriaga *disp.*44 *sect.*1. *subsect.*2. & *sect.* leue argumentum hoc vocat. Primò, quia substantia est operatiua immediatè. Secundò, quia potest dari etiam alia operatio ad intra, esto in creaturis non detur.

Fateor substantiam operatiuam immediatè in creaturis, ad producendum aliud à se; at Diuina essentia potest sanè producere ad extrà, aliud à se creando; sed producere ad intrà, repugnat illi ex eius perfectione, quæ aliam Deitatem existere horret. Quod si produceret, deberet producta entitas illa ad intrà, esse distincta à producente, & noua Deitas. Itaque remanent in diuinis duo modi tantùm producendi ad intrà; sicuti sunt duo principia tantùm productiua, habentia diuersos modos principiandi, scilicet Intellectus, & Voluntas: Ergo duæ tantùm emanationes, & productiones, scilicet generatio per Intellectum, & spiratio per Volunta-
18 tem, quibus producuntur Filius, & Spiritus sanctus. Ea verò esse duo principia diuersa, probatur à Scoto *dist.*2.*q.*7. quia Intellectus producit naturaliter; Voluntas liberè. Neque alterum horum reducitur ad alterum: quia sunt perfectissima. Hæc verò est ratio D. Bonau.ad vnguem; tametsi eam diuersam existimet Faber *disp.*16. *cap.*2.

Quòd verò hæ productiones debeant esse secundùm actus immanentes, probatur à S. Doct. locis adductis. Nobilissima operatio debet Deo attribui: hæc autem est immanens (nam transeuntes sunt etiam in creaturis ignobilioribus.) Confirmatur; nam, si diuinæ Personæ emanarent per actiones transeuntes, iam non manerent in eadem numero
19 essentia, & consequenter non essent consubstantiales suo principio, cùm nihil extra Deum, sit Deo consubstantiale. Hanc adhibet Valentia *loc.cit.* Idem vult inferre D. Bonau. *loc. cit. Breuil.* dum ait: Salua vnitate essentiæ, sunt ibi modi emanandi perfectissimi, qui solùm sunt duo immanentes per Intellectum, & Voluntatem. Id ò *dist* 13. aduertit, has processiones, quæ in diuinis admittuntur, non posse esse per elongationem à suo principio, vt dixi *num.*12.

Assero tertiò, alteram emanationem diuinam esse generationem. Legito Seraphicum *serm.*11. *Hexaëmer.* seu *de Luminaribus*: vbi duodecim generationum genera affert, exprimentia diuinam generationem, tametsi imperfectè. Eum imitatur Gulielmus in Reflexis Sanctissimæ Trinitatis, *disc.*21. De his *d.sp.*9.agam.

Probatur ergo primò à Seraphico *dist.* 9. *q.*1. ex Isaiæ vltim. *Si ego, qui generationem aliis tribuo, sterilis ero?* Quo sensu adducitur à Concilio Hispalensi, & à Theologis.

Probatur secundò à S. Doct. ex tertio ad Ephes. 20
Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. Quamvis autem daremus Vasquezio, hæc verba: *Omnis paternitas*, ex Hebraïco, & Græco fonte habere *familiam*, *cognationem*; tamen prima verba: *Flecto genua mea ad Patrem*, testantur in diuinis generationem. Vide *tractatum primum*, *disp.*3. *q.*3. *ad secundum.*

Probatur tertiò à S. Doct. *fundamento* 3. Quic- 21
quid est simpliciter perfectionis, est Deo attribuendum: sed generare dicit perfectionem simpliciter, ex Aristotele 2. *de anima*, *textu* 34. Ergo. Eadem ratione vtitur *in Compend.Theol.lib.*1. *cap.*5. & confirmat: quia Bonitatis fons debet habere emanationes perfectissimas.

Probatur quartò à S. Doct. *fundamento* 4. & *in corpore*. Natura perfectissima, actualissima, potest se perfectissimè communicare, actuque communicat (in æternis enim idem est *posse*, & *esse*.)
Sed natura Diuina est perfectissima, in quà potentia ob simplicitatem est actui coniuncta: ergo. 22
At prima communicatio est per generationem: ergo.

Probatur quintò à S.Bonau. in corpore ex generationis definitione: *Generatio est productio similis in natura, ex se ipso, siue principio coniuncto.* Quam definitionem habet etiam *in* 2.*dist.*8.*p.*2. *art.*3.*q.*1.& *in* 23
1.*dist.*27.*quæst.*2.*lit.*

Vbi libet comparare definitionem, quæ circumfertur: *Generatio est origo viuentis a viuente, à principio coniuncto in similitudinem naturæ.* Omisit autem Seraphicus verba illa: *Viuentis à viuente.* Sed aduertit, ea includi in illis: *Origo à principio coniuncto*; seu à se, è propria substantia, similis in natura. Vt enim argutè notat, soli viuentes è propria substantia generant simile sibi in natura. Idem aduerterat Damascenus *lib.*1. *de fide*, *cap.*8. vbi definit generationem: *Generatio est, ex substantia gignentis proferri secundùm similitudinem.* Vbi easdem particulas omisit. Similia habes in Seraphico *serm.*11. *Luminarium.*

Hac definitione statuta, quæ eruitur ex Aristot. 24
8. *Ethic. cap.*12. vbi ait: *Genitum coniunctum esse gignenti*; vnde colligitur ea pars definitionis: *Vt sit à principio coniuncto.* Et 7.*Metaph.cap.*8. & *primo de gener. animalium, cap.*1. & 2.*de anima,cap.*4. vbi docet, generans esse genito simile: & è contra. Eamque recipiunt Theologi cum D.Bonau. *loc. cit.* & D. Thom.4.*contra Gentes*, *cap.*11.

Probatur, reperiri in Deo, à D. Bonau. sic: Filius est verbum, & conceptus mentis Patris, illique communicatur eadem natura intrinseca, estque similis Patri, eiusque imago.

Quapropter alias etiam generationes præcellit, 25
in quibus datur tantùm pars substantiæ, nec communicatur eadem natura indiuidua; nam ex se toto producere, solus ille potest, cuius essentia potest esse in pluribus vna, & tota; nam si non potest esse vna in pluribus; dato, quòd generans communicet totam essentiam genito, ipse eam deper-

dit, cùm tota transeat in genitum. Ideò necesse est, vt talem habeat naturam, quæ vna, & tota sit
26 in pluribus: talis autem substantia ea est, quæ est summè simplex; hæc verò est sola diuina essentia, in qua propter summam simplicitatem suppositum non addit ad essentiam; vnde nec ipsam coarctat, vel limitat, nec formam multiplicat. Et ideò in eo potest esse generatio multiplicans supposita, communicando eandem substantiam totam; aliter in creatis viuentibus deciditur pars, idest semen, & communicatur natura distincta numero, per mutationem corruptionis, & transitus de non esse ad esse. Hæc S. Bonau. & postea Vasquez *disput.* 113. *cap.* 2.

27 Obiicit verò sibi S.Bonau. Si generatio dicit perfectionem, concedenda est Angelis nobilissimis, sicut conceditur viuentibus ignobilioribus.

Respondet S. Bonau. generationem communicantem totam naturam numero eandem, soli Deo propriam esse, vt diximus cùm S.Doct. suprà: Generationem verò, quæ communicat solùm eandem naturam specie, per decisionem partis, idest seminis, non posse conuenire Angelis; quia includit multas imperfectiones materiales; vt, quòd sit capax vegetationis, corruptionis seminalis, & habeat corpus,& totum compositum defectibile: ad quem defectum supplendum, pro conseruanda specie, generatio viuentibus conceditur; non Angelis, qui secundùm se totos immortales sunt, & indiuisibiles. Hanc vltimam rationem si aduertisset Forestus *in Commentario*, non dixisset, Seraphicum defecisse in responsione; neque recurrisset ad Alensem *q.* 41. *m.* 1. *ad* 3. ob hanc rationem afferendam, cur Angelis negetur generatio, cùm imperfectioribus sit concessa. Igitur ad formam argumenti negatur sequela; imò redarguitur. Angelus est perfectissima creatura. Ergo non est ei inurenda generatio, quæ ex indigentia conceditur inferioribus creaturis. Subscribit Morand. *num.* 526.

28 Assero quartò, alteram emanationem esse processionem Spiritus sancti.

Probatur à D. Bonau. primò ex illo Ioan. 15. *Mittam vobis alium Paraclitum, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Nominatur autem solus Pater, tum quia ille est primus fons, à quo & Filius habet fœcunditatem spiratiuam, vt obseruat S. August. *lib.* 3. *contra Maximinum*, & D. Bonau. *in Commentario.* Tum quia, cùm Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus sancti, Patre nominato, intelligitur & Filius. Addit S.Doct. *dist.* 11. *quæst.* 1. Christum ex humilitate hoc suum elogium tacuisse, solo Patre nominato, eò magis, quò satis ex eodem sermone hanc veritatem eruere poterant, dum ait: *Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.*

Probatvr assertio etiam rationibus allatis *quæst.* 1. & 2. & *disp.* 1. *quæst.* 2.

Probatur verò à S. Doct. præcipuè argumento, quo vtitur etiam D. Thom. *art.* 3. In diuinis est emanatio solùm secundùm operationem, quæ non egreditur extrà, sed immanet in agente. Talis autem est actio non solùm intellectus, sed etiam voluntatis, vt suprà.

Obiicies primò: In diuinis intellectio, & volitio est vnica actio. Ergo vnica processio.

29 Respondet D.Bonau. *dist.* 13. *quæst.* 2. & 3. præcipuè *ad* 2. negando consequentiam; licèt enim natura, & voluntas; similiter intellectio, & volitio, in Patre v. g. sint idem: tamen per virtutem infinitam Intellectus respicit aliquid formaliter, quod non respicit Voluntas formaliter, sed solùm materialiter: sic Voluntas formaliter spirat, comitante naturâ; & Intellectus formaliter generat, sed comitante voluntate. Ita respondent Valentia *disp.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 2. Suarez *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 2. vbi addit ex D. Bonau. *quæst.* 2. *in fundamentis*, & *quæst.* 3. *in corpore*, has emanationes passiuè quidem realiter differre; sunt enim ipsæ personæ productæ, vt etiam Valentia *loc. cit.* notauit: actiuè verò habere diuersum fundamentum virtualiter eminenter distinctum, ex quo aliquid generatur formaliter ab intellectu, non à voluntate: aliquid spiratur formaliter à voluntate, non ab intellectu. Idem habet S.Doct. *q.* 2. *ad vlt.*

Obiicies secundò. Vna processio in diuinis requirit totam perfectionem, quam possit habere actio diuina. Est enim perfectio infinita simpliciter, non ex genere. Ergo exhaurit totam potentiam fœcunditatis, & non remanet secundæ emanationi locus.

Respondetur ex D. Bonauent. *loc. cit.* & *dist.* 10. *quæst.* 1. *ad vlt.* præcipuè verò *dist.* 2. *quæst. vlt. ad* 1. Patrem in generatione Filio dare quicquid est fœcunditati generatiuè possibile, id est intensiuè. Et hoc est infinitum simpliciter, prout cætera includit: remanet autem alia virtualiter distincta perfectio, communicanda amore, & ita nouus modus communicationis remanet virtute distinctus; identificatus quoad perfectionem cum altero. Ex quo etiam sequitur, vnam communicationem non esse perfectiorem alterâ, neque ambas, quàm vnam. Ita respondet etiam Valentia *loc. cit.* Ruitz *d.* 3. *sect.* 2. Suarez *lib.* 1. *cap.* 9. Amicus *disp.* 18. *sect.* 2. Morand. *quæst.* 2. cum D.Thoma *art.* 5. *ad* 3. ex D.Athan. 30

Obiicies tertiò. Filius, per vos, ideò potest spirare, quia ipse non exit per actum amoris: & ideò viget in eo primitas ad talem actum. Ergo & Spiritus sanctus potest producere per modum artis aliam personam, quia non exit per artem.

Respondet D. Bonau. *dist.* 2. *quæst. vlt. ad* 4. primò, emanationem per modum artis esse per voluntatem, secundùm quam procedit Spiritus sanctus, sed præstantiùs. 31

Respondet secundò meliùs, modum producendi per artem in eo conuenire cum modo producendi per naturam, quòd vtrobique producitur simile; sed differt, quia in productione naturali producitur similis in substantia, seu natura, alius in persona: in productione autem artis producitur simile secundum rationem formæ exemplaris, dissimile verò in substantia, & natura. Talis autem ad intra modus producendi repugnat Deo, qui non compatitur diuersitatem essentiarum.

Obiicies quartò. Quidquid est in Deo, est infinitum, non modò intensiuè, sed etiam extensiuè, cùm sit infinitum simpliciter. Ergo & emanationes, atque adeò erunt innumeræ.

Respondet D. Bonau. *dist.* 2. *ad* 1. & 2. quicquid est in Deo, esse infinitum, non quavis infinitate, sed illa, quâ Deus est infinitus; & hæc est infinitas virtutis, immensurabilis, non numeralis, quæ repugnat Deo; quippè quæ ordinem destruit, qui est perfectio, vt refricat S. Doct. *fundamento* 2. & *in corpore.* 32

QVÆSTIO III.

Secundùm quasnam operationes sint in diuinis geminæ processiones Personarum.

EX varietate principiorum, vt dixi, aucupabimur distinctionem emanationum diuinarum. Itaque, vt earum distinctionem agnoscamus, videndum per quas operationes prodeant.

33 Fuit error Durandi 1. *dist.6. q.2.* Filium non procedere per intellectum, nec Spiritum sanctum per voluntatem; sed vtrumque proximè prodire ex natura diuina, vt natura est; processionem tamen Filij, per quandam appropriationem intellectui adscribi; & processionem Spiritus sancti voluntati. Hinc *dist.10.quæst.2.*infert,non rectè è numero operationum immanentium deduci numerum emanationum, earumque distinctionem, vt conantur D. Bonauent. locis adductis *quæst.1. & 2.* & D. Thom. *quæst.27. art.5.* ostendere.

Errorem Durandi haurit Hieronymus Zanchius hæreticus, *part.1. operis de Trin. lib.5. cap.vlt.* audens proclamare, temerarium esse Theologorum effatum, Filium procedere per intellectum; & Spiritum sanctum per voluntatem.

Aliqui eum adscribunt etiam Gregorio 1. *dist.7.*
34 *quæst.5. art.2.* & *dist.10. quæst.1.* & *dist.13. quæst.1.* sed ibi solùm negat, dari principium *quo* distinctum à Persona, quam vocat principium *quod*, quia putat, nec ratione distingui in Deo. Igitur non negat, processionem Verbi esse intellectionem; aut Spiritus sancti volitionem.

Alienus est etiam ab hac insania Richardus de S. Vict. licèt à nonnullis immisceatur; is enim solùm ostendit, ex amoris perfectione tres debere esse personas; quia alioqui perfectus amor non esset. Quâ phrasi vtuntur etiam Alensis 1.*p. q.43. m.5.* & *q.45.m.7.* D.Bonauent. 1.*dist.2. q.4.* vbi etiam refert Richardum 3. *de Trinitate, cap.19. & 20.* dicentem:
35 *Cùm non sit, nisi triplex amor, Gratuitus, Debitus, & Mixtus; ex his erunt tantùm tres Personæ. Vna, quæ tantùm dat, in qua est amor Gratuitus: alia, quæ tantùm recipit, in qua est amor tantùm debitus: & media, quæ dat, & accipit, in qua est amor mixtus.* Vult dicere, vt exponit S. Bonauent. quod, sicut ex diuina perfectione, quæ est summa, requiritur duplex communicatio, scilicet intellectus, qui dicitur natura, prout opponitur voluntati, & liberalitati; ita ex summa beatitudine requiritur dilectio,& condilectio harum personarum. Ipse verò S. Doct. ex duplici actione immanenti necessariò infert duplicem emanationem. Propterea non erat cur aliundè hanc doctrinam in S. Bonauent. emendicaret Vasquez *disp.111. cap.1.* quasi verò hoc loco suspicandi ansam exhibuerit.

36 Scholastici vnanimes in Durandum conclamant, asserentes, Diuinas processiones esse operationes intellectus, & voluntatis. Ita S. Doct. locis adductis, *quæst.2. & in hac tertia.* Idem habet de emanatione Verbi *dist.27.part.2.quæst.1.* & de processione Spiritus sancti *dist.10.* & alibi de vtraque D.Thom. *quæst.27. art.3. & 5.* eiusque Commentatores, præcipuè Caietanus, Canar. Bannes, Zumel, Molina, Ruitz *dist.55.* Vasquez *loc.cit.*Valentia *dist.2.quæst.1. punct.3.* Suarez *lib.1. de Trinitate, à cap.5.* Scotus *quol.2. art.2.* & *in 1. dist.2. part.2. quæst.4.*& *dist.27. quæst.1. & 2.* vbi Scotistæ, præcipuè Faber *disp.15.* Richardus *d.2. quæst.1.* Arriaga *d.44.sectione 2.* Caspensis *d.1. sect.2.* Morand.*quæst.3.* Baudun. *quæst.27. art.3.* Coriolanus *art.2.*

Est avtem aperta sanctorum P.P. sententia. Ita 37 Irenæus *lib.2. cap.2. & 48.* Nazianzen. *oratione 23.* Basilius *homil.16. cap.1. Ioan.* August. 5. *de Trinitat. cap.6.13.& 14.* & *lib.de cognitione veræ vitæ,à cap.14.* Chrysostom. *homil. de illo oraculo: In principio erat Verbum.* Et *oratione 9.* de illo Abrahami: *Pone manum, &c.* Cyrill. *lib.1. in Ioan. cap.5.* Theodoret. *lib.2. ad Græcos,* Nyss. *lib. contra Appollinar.* Athanasius *contra Gregales Sabellij.* Anselmus *in Monol.* & *oratione 5. à cap.45.* & alij apud Ruitz *d.2.sect.2.* Adde cæteros, qui Filium Dei sapientiam, & Verbum confitentur, vt infrà dicam *quæst.4.*

Assero primò,Filium Dei emanare per actum 38 intellectionis.

Probatvr à D. Bonauent. 1. *distinct.27.part.2. quæst.1.* efficacissimè. Verbum emanat per intellectionem. Filius Dei est Verbum: ergo. Maior est certa, & communis SS. Patrum *ad cap.1. Ioan.* Minor est de fide, *ex primo Ioan.* quod refert S. Bonau. *fundamento primo.* Hanc rationem efficacissimam acclamant Suarez, Vasquez, Valentia, & alij suprà adducti. Idem argumentum refricat S.Bonauent. ad ea verba Ioan.1. *In principio erat Verbum*; assignans ex D. Chrysostomo quatuor rationes, ob quas dixerit,potiùs, *erat Verbum*; quàm *erat Filius.* E quibus quarta est, quia voluit ostendere, ipsum esse conceptum mentis impassibilem: nam, sicut impassibiliter generatur Verbum in mente humana; ita & multò magis in Deo.

Arriaga *disput. 44. sectione. 2. num. 26.* ait, hanc rationem bonam esse in nostris principiis; non autem ad reiiciendam Durandi sententiam, vt erroneam. Sed fallitur; nam argumentum nititur scriptura, & Patrum consensu, vt notat Baudunius, *quæst.27. art.3.*

Probatvr secundò à D. Bonauent. *ad cap. 7. 8. & 9. Sapientiæ:* vbi ponderat Filium Dei, sapientiam Patris, quam inuocat Salomon cap. 9. *Mitte illam de cælis sanctis tuis*; idest de te ipso, qui cœlum es omnia continens. Psal. 18. *A summo cælo egressio eius à diebus æternitatis.* Adnotat verò, sapientiam increatam quandoque dici, esse in sinu 39 Patris; 1. *Ioan.* 1. aliquando gigni ex ore, Eccli. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita*, ob manifestationem. Ideò *dist. 27. part. 2. quæst. 3.* ostendit, Filium oriri, vt sapientiam, ex intellectu paterno se contemplante, quod ex multis habetur scripturis suprà relatis. Idem probat S. Doct. *dist.6. quæst. 2. fundamento 3.* ex D. Augustino *ad Orosium quæst.7.*

Respondet Durandus, Filium dici Verbum per quandam accommodationem. Sed contrà arguit S. Bonauent. *dist.27. part.2. quæst. 1. fundamento primo.* 40 Nam Euangelista ad exprimendam Incarnationem vnius singularis personæ, quæ de fide est, asserit esse Verbum, quod erat apud Deum. *Et Verbum caro factum est.* Ergo Verbum personaliter dicitur de Filio solo; alioqui non satis distingueretur Persona incarnata ab aliis duabus non incarnatis.

Probatvr tertiò ratione D. Bonauent. quam 41 magni pendit Suarez *lib. citato num. 6.* Valentia *loc. cit.* & habetur præcipuè *in Breuil. D. Bonauent. 1 part. c.2. 3.* Emanationes Diuinæ debent esse secundùm modum perfectissimum, competentem naturæ intellectiuæ nobilissimæ; hic autem debet esse intrà eandem naturam diuinam, habentem intellectum, & voluntatem, saluaque vnitate naturæ, distinguendo hypostases sanctissimæ Trinitatis. Ergo

debent esse per operationes vitales intellectionis, & volitionis immanentes; alioqui, si vtraque erit à naturâ, erit transiens; neque erit distinguere alteram emanationem ab altera, cùm vtraque sit à natura, vt natura; ab vno autem, vt vno, semper manat idem: atque adeò non discernes cur Filius sit genitus, & imago Patris: at Spiritus sanctus non sic. Ita vrgent alij.

ASSERO SECVNDÒ, Spiritum sanctum emanare per actum voluntatis.

Probatur à Seraphico *dist.* 10. *quæstione* 1. & 2. Id, quod procedit vt amor, procedit per voluntatem. Spiritus sanctus procedit vt amor: Ergo. Maior est omnibus Philosophis, ac Theologis certa:
42 Minor probatur è Scripturis, & Patribus, qui Spiritum sanctum charitatem acclamant. Confirmatur à Seraphico *quæst.* 2. *fundamento* 4. Id, quod est ratio diffusionis charitatis in se, est charitas. Talis est Spiritus sanctus, Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ergo.

Probatur secundò à Seraphico, *dist.* 10. *art.* 2. *quæst.* 1. ex D. Augustino 15. *de Trinitat. cap.* 17.
43 & 19. vbi præcipuè *ex* 1. *Joan.* 4. ostendit, Spiritum sanctum esse charitatem. Ex quo deducit cum D. Augustino in corpore, Spiritum sanctum procedere per voluntatem.

Respondet Durandus, dici charitatem, solùm per appropriationem. Sed hoc refutatum iacet ex dictis; cùm Verbum pariter per intellectum propriè emanare ostendi. Vnde sequitur, & Spiritum sanctum procedere modo simili ex voluntate.

Obiicit primò Durandus. Sancti PP. dicunt, Filium oriri à Patre, naturâ, non voluntate. Id etiam habet S. Bonauentura passim cum cæteris Theologis.

44 Respondetur, ex ignorantia crassiori argui. Volunt sanè, Filium oriri per naturam, non vt dicit essentiam nudam, & opponitur relatiuis; sed vt opponitur voluntati liberæ, ex qua manat Spiritus sanctus; & voluntati contingenti, è qua emanant per creationem res extrà. Ita S. Bonauent. *loc. cit. Breuil.* vbi ait, Filium oriri per modum naturæ, vt Verbum, similitudinem intellectualem Patris: Spiritum sanctum verò per modum voluntatis, vt charitatem amborum.

Respondet secundò D. Bonauent. 1. *distinct.* 27. *part.* 2. *quæst. vltim. in corpore*, quod Filius per naturam nascitur, qui oritur per intellectum: quia sicut filius inter nos oritur per naturam, ex natiuitate patri similis; ita & verbum intellectus procedit per modum naturæ, per omnia ei simile. Ideò dicitur mentis conceptus.

Obiicit secundò. Ex Diuinæ naturæ fœcunditate oritur, vt essentia diuina sit communicabilis pluribus; & ex eadem fœcunditate oritur,
45 vt sit in Deo talis processio. Ergo immediatè per naturam.

Respondetur è D. Bonauent. *loc. cit. Breuil.* & 1. *sent. loc. cit.* Diuinas Personas esse ex diuinæ naturæ fœcunditate radicaliter, ex infinitaque eius bonitate, & perfectione; proximè autem eam communicabilem secundùm modos tantùm immanentes, intrinsecos; alioqui essentia diuina multiplicaretur: quia producens debet re distingui à producto.

Obiicit tertiò. In creaturis naturalis productio Filij non est per actum intellectus, nec per alium immanentem, etiam in his rebus, quæ talem actum habere valent; sed est per immediatam actionem ipsius naturæ, per formam suam. Ergo simili modo est in Deo.

Respondet S. Doct. *dist.* 9. *q.* 1. rationem generationis esse in diuinis, secundùm id, quod est intrinsecum illi, quod est producere de propria substantia similem in 46
natura: & quia in spiritualibus natura operans est intellectus, ideo Verbum per intellectum manat. Dissimiliter in creaturis corporeis emanatio est extrà, per communicationem partis substantiæ. In puris verò spiritualibus nulla potest communicare suam substantiam, etiam per immediatam actionem ipsius naturæ. Aliter est in Deo, in quo est generatio nobilissima. Quòd si sequamur dicta Durandi, nullo modo diuina essentia erit communicabilis: quia neque ad intrà, neque ad extrà, neque tota.

Obiicit quartò. Si Verbum oritur per actum intelligendi, vel oritur tanquam per principium, *quo* producendi, vel tanquam per productionem ipsam: neutrum dici potest: ergo. De priori constat, quia actus immanentes sunt steriles, ex Aristot. 9. *Metaph. text.* 16. Secundum probatur: nam intelligere est commune omnibus personis. Ergo potest etiam Filius, & Spiritus sanctus generare Filium.

Respondetur ex D. Bonauent. locis adductis, 47
præcipuè *distinct.* 27. *part.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. intelligere quidem esse tribus commune Personis: at verò intelligere dicendo, esse proprium primæ personæ. Ratio est, quia in ea est fontalis plenitudo, & non est ab alia: dicit autem Pater, sicque generat Verbum; non ita Filius, cùm iam potentia generatiua habeat totum suum infinitum actum, qui non est multiplicabilis, cuique non potest addi. Quod si valet ratio Durandi, contra ipsum vrget; natura enim est communis tribus personis. Cur ergo solus Pater generat? Neque actus immanentes sunt omninò, & semper steriles, vt ostendam *quæstione sequenti.*

PRO elucidatione aduerte è D. Bonauent. *loc. cit. corpore*, quod sicut in latitudine infinita diuinæ substantiæ dantur duæ rationes, idest absoluta essentiæ, & relatiua personæ, virtualiter distinctæ; ita & in latitudine infinitæ actionis debent dari duæ rationes actionis, virtute saltem distinctæ, quarum altera sit absoluta, atque adeò communis tribus Personis, sicut est essentia, siue natura; altera relatiua, quæ sit propria personæ, vel personarum productiua: & sicut primum non repugnat diuinæ simplicitati, ita neque hoc secundum; quia non est 48
distinctio, & compositio, sed sola virtute infinitatis differunt; & ita eadem formaliter intellectio habet duas virtualitates in Patre, alteram absolutam, communem tribus personis; alteram respectiuam ad Verbum productum. Et hoc expressit S. Bonauent. etiam *distinct.* 26. *quæst.* 3. cum Magistrò *ibi*, & D. Thom. *quæst.* 41. *art.* 1. *ad* 2. dicentes, actus notionales, siue origines in diuinis, esse illas ipsas relationes, quæ sunt proprietates personales, aliis omnibus significatas, vt aduertit Valentia *disput.* 2. *quæst.* 1. *puncto tertio.*

Iam verò intellectio absoluta est sanè communis tribus personis; at verò fœcunda est in solo Patre, & consequenter respectiua ad Verbum, eo quòd in Patre est primitas simpliciter, atque adeò fontalis omnium communicationum, vt notat D. Bonauent. locis omnibus suprà adductis, & *dist.* 28. 49
in multis quæstionibus: quo fit, vt postea, veluti exhausta potentia generatiua, seu actum suum consecuta, qui est infinitus, non relinquatur fœcunda in Filio, & Spiritu sancto.

Hinc

Hinc habes, quàm validè S. Bonauent. elidat opinionem Durandi, apponens fundamenta necessaria, quibus conteratur.

Dices primò. Tres personæ dicunt, ex D. Anselmo *in Monologio*, *cap.* 28. Ergo generant.

50 Respondet S. Doct. tres personas dicere, idest extrà se manifestare in effectibus creatis: & hunc esse D. Anselmi genuinum sensum, patet.

Dices secundò. Verbum est cum Amore notitia, ex S. Augustino 9. *de Trinit. cap.* 10. notitia verò dicitur essentialiter.

Respondet D. Bonauent. notitiam absolutam esse quidem essentialem, non autem fœcundam; neque enim esse notitiam est tota ratio Verbi, sed additur, esse fœcundam ex primitate relatiua.

51 Dices tertiò. Dicere, nil est aliud, quàm cogitando intueri. Sed hoc est essentiale: ergo. Maior est Anselmi *in Monol. cap.* 31. Minor probatur. Omnis actus, secundùm quem Persona reflectitur super se, est essentialis: sed cogitando intueri in Patre, est reflecti supra se: Ergo.

Respondet D. Bonauent. veram esse Maiorem in creaturis, & in Patre, in quibus est fœcunditas; non tamen vniuersaliter esse veram: nam & Filius, & Spiritus sanctus se ipsos intuentur, & tamen non generant Verbum. Ratio autem, cur in nobis vera sit maior, est quia, vt ait D. August. 9. *de Trinit. cap.* 12. nos non intelligimus, nisi per intelligentiam, & illa semper est genita imperfecta; at in sanctissima Trinitate non sic: quia quælibet persona intelligit; nec tamen omnes habent totam rationem dicendi, quia actio generatiua, totum actum suum infinitum assecuta in Patre, non relinquitur Filio, vel Spiritui sancto: quia infinito non potest addi.

Hinc aliud etiam soluitur argumentum, quod refert Valentia. Per notitiam intuitiuam, quæ fit per entitatem obiecti cogniti, non producitur verbum distinctum ab ipsa notitia, secundùm omnium sententiam: at notitia Patris est intuitiua illo modo: Ergo non producitur per eam Verbum distinctum.

52 Respondetur ex D. Bonauent. per notitiam intuitiuam, etiam in nobis, produci verbum distinctum, vt de Beatis, qui videndo Deum, producunt verbum distinctum. Dixi *tract.* 1. *disput.* 11. *quæst.* 4. Multò magis Pater, cuius notitia ex fœcunditate generat, non ex aliqua indigentia: in Filio autem, & Spiritu sancto non est fœcunda, ob suprà latam rationem. Sed de his *quæstione sequenti.*

Obiicit vltimò. In nobis nihil procedit per voluntatem. Ergo nec in diuinis. Ant. probatur; nam voluntas tendit, & fertur in aliud, absque vllo medio producto.

53 Respondet S. Bonauent. *dist.* 10. *quæst.* 2. *ad* 2. negando Antec. nam per voluntatem producitur amor, qui est accidens. Ad probationem respondet S. Doct. voluntatem tendere in aliud, vt obiectum, medio accidente producto; in nobis quidem subsistente in voluntate nostra: at in diuinis, vtpote infinitè perfecto, subsistente in seipso. Ita respondet etiam Caietanus 1. *part. quæst.* 27. *art.* 3. Neque opposita probatio quidquam facescit negotij, vt timet Valentia *puncto adducto*, in fine. Idem docet D. Thom. hîc, & *quæst.* 37. *art.* 2. neque oppositum docuerat *de veritate quæst.* 4. *art.* 1. vt obseruat Ripa hîc, *ad art.* 3. Morand. *quæst.* 2.

QVÆSTIO IV.

Quæ operationes Intellectus, & Voluntatis sint scaturigines diuinarum emanationum.

VT argumentum quartum Durandi funditùs corruat, sedulò inquirimus, qui præcisè, & quales actus Intellectus, & Voluntatis sint, è quibus manant Diuinæ Personæ, vt ab actibus infœcundis discernantur.

HENRICVS, *quolibeto* 6. *q.* 1. & *in summa art.* 54. in nostro intellectu, & nostra voluntate distinguit duplicem operationem; alteram per modum simplicis passionis, per quam intellectus est patiens, idest quoad simplicem notitiam, quæ est quasi indeterminata, & confusa; alteram per modum actionis, secundùm quam intellectus informatus perfectam obtinet notitiam, quam peracto discursu obtinet; & tunc perfectum est verbum, quod in discursu adhuc erat informe, quia nondum definitionem plenè expresserat. Quam doctrinam sumpsit ex D. Augustino 15. *de Trinitate, cap.* 15. Similiter in voluntate distinguit duplicem operationem, alteram in actu, respectu cuius voluntas dicitur se habere passiuè, sed metaphoricè, quia à bono ipso allecta dicitur quodammodò moueri; & hunc amorem simplicem appellat; quam sanè operationem ait respondere priori operationi intellectus: alteram operationem voluntatis, dicit, esse amorem feruentem, quo fertur voluntas in rem amatam, & in ea quiescit; & hic amor respondet posteriori operationi intellectus. 54

Eadem proportione in Deo distinguit duplicem notitiam; alteram essentialem, quæ respondet simplici nostræ notitiæ, quia licèt in Deo sit perfecta, est tamen simplex tantummodò manifestatio; alteram operationem vocat declaratiuam eius, quod notitiâ essentiali manifestatum est, & hac produci Verbum. Pariter in Deo duplicem distinguit amorem; alter simplex, alter feruens est, quo producitur Spiritus sanctus: & hunc sanè amorem vocat notionalem; sicuti & actum illum declaratiuum, quo producitur Verbum.

SCOTVS 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. §. *Obiicitur contrà*, distinguit duos actus intellectus; alterum essentialem, qui est intelligere; alterum notionalem, qui est dicere, formaliter distinctum; & per hunc ait produci Verbum. Simili ratione effatur *quol.* 14. circa actum voluntatis diuinæ, vt alter sit simplicis amoris, & hic est essentialis; alter actus spirandi notionalis, formaliter distinctus, qui dicitur Impulsus. Vide Fabrum *disputat.* 21. *cap.* 2. *num.* 23. & alios Scotistas, ac Coriolanum *quæst.* 27. *art.* 5. Mastrium *disput.* 6. *de anima, quæst.* 3. Macedum *collat.* 5. 55

TERTIA opinio est, actum intellectionis esse omninò actum dictionis fœcundæ, ita vt Verbum producatur simpliciter per verum actum intellectionis, qui est dictio: distingui tamen a dictione, solùm quatenùs in Patre habet simpliciter primitatem, non ab alio; atque adeò fœcunditatem generatiuam. Ita referuntur D. Thomas *quæst.* 37. *art.* 1. & 2. præcipuè *ad primum*, vbi Caietanus: Torres 1. *part. quæst.* 27. *art.* 5. *in secunda parte disput.* Aureol. *in* 1. *d.* 23. *quæst.* 1. *art.* 1. Capreol. 1. *d.* 32. *quæst.* 1. *art.* 1. Suarez *lib.* 1. *de Trinitate, c.* 7. Recentes Thomistæ, Bañes, Naz. Ioan. à S. Thoma, Salmaticenses. 56

QVARTA

QVARTA opinio est, actum dicendi esse formaliter intellectionem; differre tamen ratione, non vt duas rationes particulares, sed veluti includens, & inclusum, veluti homo differt ab animali, quod includit, & addit modum rationalis peculiarem. Sicuti ergo in Diuinis persona differt ab essentia, quia eam includit, & addit modum peculiarem, quo contrahitur essentia ad esse personæ; & sicut Diuina Persona formaliter est Deus, & sine deitate nequit intelligi; sic productio Verbi, seu dictio, est intellectio. Idem de actu amoris. Itaque actus essentiales intelligendi, & amandi clauduntur in notionalibus, qui superaddunt primitatem, quæ est
57 radix fœcunditatis. Ita ferè Vasquez *disp.*112.*cap.*3. adducens Caietanum *quæst.*27. *art.*5. Canariensem *disput. vnica, ibidem.*

QVINTÒ Gregorius de Valentia *disp.*2. *quæst.*1. *punct.*3. sic explicat, intellectionem, & dictionem esse virtualiter tantùm distinctas; & priorem quidem absolutam, alteram verò notionalem relatiuam. Sicut enim propter diuinarum personarum tum conuenientiam in substantia, seu essentia; tum distinctionem personalem, necesse est esse duas rationes saltem virtualiter distinctas, videlicet rationem absolutam, quæ est essentiæ; & rationem respectiuam, quæ est personæ: ita etiam in latitudine actionis diuinæ oportet ponere duas rationes actionis, saltem virtute distinctas, quarum altera sit absoluta, atque adeò communis tribus Personis, sicut etiam essentia, siue natura: altera respectiua, quæ non sit communis omnibus, sed propria personæ, vel personarum producentium; quia cùm per eam producatur persona, oportet, vt personæ productæ non conueniat, alioqui ipsa produceret seipsam. Ex alia verò parte, propter identitatem naturæ, à qua est etiam actio intellectus, & voluntatis, oportet quoque intellectionem, & volitio-
58 nem secundùm aliquam rationem communem esse omnibus personis, sicut est communis & natura. Sicut autem tota ratio respectiua non actu, sed virtualiter solùm distinguitur à ratione absoluta tota, ita & relatio illa Patris, quæ est intellectio, vt dictio, non alia est actu à relatione, quæ est proprietas personalis Patris, nempe à paternitate, sed virtualiter distincta.

Hanc doctrinam confirmat authoritate D. Thomæ 1. *part. quæst.*34. *art.*1. *ad* 3. Idem ait voluisse docere alios Theologos, cùm aiunt, actus notionales, siue origines in diuinis, esse illas ipsas relationes, quæ sunt proprietates personales, aliis nominibus significatas. Hi sunt Magister 1. *dist.* 26. *cap.*2. cuius hac in re sententiam approbant D. Thom. 1. *part. quæst.*41. *art.*1. *ad* 2. D. Bonauent. 1. *dist.* 26. *quæst.*3. Ægid. *eadem dist. artic.* 1. *quæst.* 2. Caspens. *disput.*1. *sect.* 4. Baudunius *quæst.* 27. *articulo* 4. Hæ duæ vltimæ opiniones sunt potiùs modi dicendi, quibus quàm consentiat S. Bonauent. dicam.

59 PRIMÒ quidem sentit, non esse idem *dicere*, & *intelligere*; alioqui, & Filius, & Spiritus sanctus, qui intelligunt, generarent Verbum. Ita *dist.*27. *part.*2. *quæst.*1. *in fundamentis*, contra Suarez. In corpore verò statuit, Verbum produci per actum dicendi, qui includit actum intelligendi, quem intuitionem vocat *in resp. ad argumenta*; actum, inquam, intelligendi, provt in Patre, ex fœcunditate fontali, secundùm quam est simpliciter primus. Actum hunc Patris vocat actum reflexum impropriè, secundùm nostrum modum intelligendi, non quasi primò consideret, deinde reflectatur; sed quatenùs notitiam suam quasi ingeminat generando.

Hunc porrò actum dicendi ab actu essentiali intelligendi, solâ ratione ratiocinata, contra Scotum distingui asserit *quæst.*3. *arg.*1. ex D. Augustin. 9. *de Trinit. cap.*10. & *argumento* 2. & *in fine corporis*, vt rectè adnotauit Forestus *d.* 5. *cap.* 2. Reliqua habes suprà *quæst.* 3. *ad* 4. Itaque S. Doct. conuenit cum quarta, & quinta sententia; magis verò cum quinta. 60

ASSERO primò contra Henricum: Quia non minùs perfecta, & distincta in Deo est notitia essentialis, quàm notionalis. Ergo nil ratio Henrici obstat, quin producantur personæ per actus essentiales, quàm per notionales. Vide Vasquez *cap.*1.

ASSERO secundò, dictionem, quâ Verbum producitur, esse formaliter intellectionem, contra Scotum. Est communis omnium ferè Theologorum, apud Ruitz *d.*2. *sect.*2. Arriagam *disput.*45. Motandum *quæst.*4. Caspensem *disput.*1. *sect.*3.

Probatur à D. Bonauent. *d.*27. *part.*2. *quæst.*1. *corpore*, ratione, quam vsurpant Caietanus 1. *part. quæst.*27. *art.*5. Canariensis *ad art.*1. *quæst.*17. *D. Thom. disput.*4. *part.*1. & post eum Vasquez *disputat.*112. *cap.*2. *num.*6. Eo ipso, quòd intellectus dicit aliquid, loquitur: loqui autem spiritualiter est intelligere id, quod dicitur, & profertur; nemo enim loquitur, nisi id, quod cognoscit, & intelligit. Neque verò dictio intellectualis supponit intellectionem eius, quod dicitur, vt contingit in dictione externa vocis, quâ profertur id, quod iam intellectum est; sed ipsa dictio est intellectio quædam. 61

Probatur à D. Bonauent. in corpore. Illa est vera intellectio, ratione cuius intellectus assimilatur rei intellectæ, & secundùm quam intellectus fit omnia. Sed hæc est dictio, idest productio Verbi, secundùm quam assimilatur rei conceptæ: ergo.

Confirmatur à Bannes *ad quæstionem* 27. *art.* 1. *dub.*2. Caspensi *sect.* 4. *num.*35. ex D. Bonauent. Intellectus essentialiter est potentia intellectiua. Ergo omnis actus ab eo realiter elicitus, est intellectio. Consequentia probatur inductione à simili, quia omnis actus potentiæ visiuæ, est visio; auditiuæ est auditio formaliter. Ergo si dictio est actus intellectus, necesse est, vt sit intellectio. 62

Respondet Faber, & Mastrius *dicere*, esse intelligere causaliter, non formaliter; nam dictione in nobis producitur intellectio per veram actionem; at intelligere formaliter, seu intellectio ipsa, est quædam qualitas perficiens intellectum. Itaque sic in Deo Patre est duplex actus; alter, qui est dicere, & producere notitiam genitam: & hic est quasi actio: alter est ipsa notitia genita, quæ est Verbum, & secunda persona diuina. Differt verò Deus Pater à nobis, quia in ipso, præter actum dicere, quo producit notitiam genitam, est alter actus præcedens ipsum dicere, qui dicitur intelligere propriè, & est actus operatiuus, & essentialis ipsius Patris, non distinctus ab ipso Patre, nec verè genitus, sed quasi genitus: hic verò non est in nobis, in quibus omnis notitia est genita. Illi autem actus in Patre, scilicet intelligere essentiale, & dicere, se habent ordinatè; vterque verò prouenit à memoria, sed vnus priùs naturâ, quàm alter. 63

Falsissimum est tamen, actum omnem intellectus non esse formaliter intellectionem: nam potentiæ actus est agere talis potentiæ formaliter, non causaliter. Sic videre visus, odorare odoratus; & sic de reliquis. Ergo & in potentia intellectiua idem dicendum, ne æquiuoca inuoluamus. 64

Deinde

Deinde est contra D. Damascenum *lib. 1. de fide, cap. 11.* vbi multa verba distinguens; verbum, quod ore profertur, vocat angelum, seu nuncium intelligentiæ, vt notat D. Bonauent. ad ea verba Ioan. 1. *In principio erat Verbum.*

65 Est etiam contra D. Augustinum 15. *de Trinitate, cap. 11.* vbi ait: *Formata quidem cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus; nec alicuius lingua est, quia scilicet, nec Græcum, nec Latinum*, vt notat D. Bonauent. *loc. cit.* Cogitatio autem est intellectionis actus, vt rectè cum D. Bonauent. notat Vasquez *cap. 2. num. 7.* Vbi nota cum S. Doct. *dist. 27. quæst. vlt. corpore*, dari triplex verbum. Primum est intelligibile, & de hoc loquitur D. Augustinus. Secundum est medium, & est ex cogitatione vocis, quam volumus proferre; & de hoc non loquitur D. Augustinus *hic*: nam est vel Latinum, vel Græcum, vel aliorum idiomatum, vt notat etiam Vasquez *disput. 112. cap. 2.* Tertium est Verbum sensibile, idest vox; & neque de hoc loquitur, quia est alicuius linguæ, & est signum tantùm verbi interni.

VRGET contra Scotum idem D. Augustin. 15. *de Trinitate, cap. 10.* probans, *dicere* mentis nostræ esse cogitare. Quod probat ex illo *Sap. 2. Dixerunt impij, apud semetipsos cogitantes.* Et infert, de scientia nasci Verbum; quod ipse D. Bonauent. aduertit, *d. 27. part. 2. quæst. 3.* adducens etiam D. Anselmum *in Monol. cap. 34.* vbi ait: *Cùm cogito hominem absentem, format acies cognitionis in se talem imaginem eius, qualem per visum oculorum in memoriam attraxi; quæ imago in cogitatione est verbum eiusdem hominis, quem cogitando dico.* Hinc concludit: *Habet ergo mens rationalis, cùm, cogitando, se intelligit, secum imaginem suam, ex se natam, idest, cogitationem sui ad sui similitudinem, quasi sua impressione formatam; quæ imago eius verbum est. Hoc itaque modo, quis negat, summam Sapientiam, cùm se, dicendo, intelligit, gignere consubstantialem sibi similitudinem, idest, Verbum suum. Quoniam autem* (concludit) *idem est summo Spiritui scire, quod intelligere, siue dicere; necesse est, quod eodem modo sciat omnia,*

66 *quæ scit, quo ea dicit, aut intelligit.* Hinc S. Bonau. locis adductis, Filium scientiam, seu notitiam Patris, sapientiamque cum SS. Patribus vocat passim: ergo Verbum apud se habet. Vtique cogitando habet, quia nil aliud est apud se dicere, quàm apud se cogitare. Hinc vrgeo Scotum; nam Filius à Patribus dicitur sapientia Patris genita (non absoluta) vt concedam Macedo. Sic Athan. *cont. Gregal.* August. 15. *de Trinit. cap. 1.* & *lib. 6. cap. 1. & 2.* & alij; atque Concilia apud Zunig. *quæst. 27. disput. 2. d. 5. & 6.* Ruiz *loc. adducto, quæst. 3.*

Instat Macedo è D. August. 15. *de Trinit. cap. 16.* Verbum non est Dei cogitatio. Hoc tam filium interpretem dicere miror: nam D. Augustin. reddit rationem. *Cogitatio enim nostra perueniens ad id, quod scimus, atque inde formata, verbum est nostrum, & ideò Verbum Dei sine cogitatione debet intelligi, vt forma ipsa simplex intelligatur.* En solam amouet cogitationem nostro modo.

67 Aduerte, neque dixisse Augustinum *sup.* cogitationem formaliter Verbum, nam eo *lib. 15. c. 15.* infert: *Cum Verbum nostrum nostra cognitione dicatur.* Et infrà: *Verbum nostrum verum, intimum, nisi nostra cognitione non dicitur.* Ergo Verbum est terminus intellectionis. Hoc idem ostendit ratio primò allata, & cæteræ authoritates. Tandem, si de memoria oritur: ergo per intellectionem.

ASSERO tertiò, actum intellectionis essentialem differre virtualiter à notionali.

Probatur ex D. Bonauent. *dist. 27. part. 2. quæst. 1. ad argumenta*: quia Filius, & Spiritus sanctus intelligunt; nec tamen dicunt, aut generant Verbum. Quod si dicere, & intelligere idem omninò sunt, etiam ipsi generarent. 68

Respondet Suarez, eos non generare, quia actum intellectionis habent à Patre; Pater verò ante omnem productionem: & hoc sufficere, vt solus Pater generare possit.

Hæc sanè est doctrina, etiam apud Seraphicum, assignans primam radicem talis fœcunditatis; neque tamen est tota ratio internoscendi in Patre actum fœcundum. Nam, vt arguit S. Doct. ad argumenta, & *dist. 26. quæst. 3.* in Patre est actus absolutus, & relatiuus; sicuti est essentia, & relatio; atque esse absolutum, & respectiuum. Itaque est in eo actus fœcundus, & infœcundus, qui profectò differre debent virtualiter; quando enim sunt duo tales actus, profectò non reperitur tota ratio fœcundi in actu, vt actus est. Cùm igitur actus intelligendi, vt est actus intelligendi, sit etiam in aliis personis, & etiam in Patre, cui est communis essentia, oportet distinguere actum relatiuum fœcundum ab absoluto infœcundo in Patre, ratione esse communis, & esse proprij Patris, absoluti, & relatiui; alioqui, cùm esse absolutum sit commune tribus, non satis adæquatè constabit è sola primitate Patris, cur vnus in eo sit absolutus, communis tribus: alter fœcundus, relatiuus. Et si vnus cum Suarez astruatur, iam confundetur absolutum cum relatiuo. 69

ASSERO quartò: Actus intelligendi, & dicendi sic se habent, vt essentialis in notionali sit inclusus. Ita Seraphicus *locis adductis.* 70

Probatur à S. Doct. *dist. 27. part. 2. quæst. 3.* Id, quod addit alicui, supponit id, cui addit, illudque includit. Actus dicendi addit supra actum intelligendi fœcunditatem: Ergo. Maior patet: minor probatur à D. Bonauent. quia, vt ait D. Augustin. *9. de Trinit. cap. 10. Verbum est cum amore notitia*; idest, addit supra notitiam, esse prolis: ergo & generare, supra notitiam, addit fœcunditatem prolificatiuam. Probatur secundò minor propositio. Etenim notitia est communior dictione: ergo est prior ipsa dictione. Communiora enim sunt priora singularibus, vt constat ex Logicis. Hinc arguit. Commune, & proprium se habent vt includens, & inclusum: actus intelligendi est communis; actus dictionis est proprius: ergo iste claudit illum.

Probatur secundò à D. Bonauent. in corpore, ex D. Anselmo, & D. Augustino suprà allegatis, qui volunt, dictionem esse intellectionem fœcundam Verbi.

Probatur tertiò à D. Bonauent. in corpore. Verbum est similitudo expressa vi intellectionis: ergo intelligentia in productione Verbi clauditur: at productio Verbi est dictio: ergo intellectio clauditur in dictione. Antecedens est SS. Patrum *suprà.* 71

Probatur quartò à S. Doct. *fundamento 2. & in corpore.* Respectiuum addit supra absolutum, & in eo est: at dictio est respectiua; intellectio absoluta: ergo illa clauditur in ista.

Probatur quintò à Seraphico *in corpore quæst. 1. & ad 2.* Si dicere non includit intelligere: ergo intellectus noster intelligit distinctè realiter, & dicit: sed hoc est contra D. Augustin. *de Trinit. cap. 12.* vbi ait, omnem nostram intellectionem esse genitam,

tam; & contra Patres suprà allegatos, dicentes, per intellectum cogitantem, & dicentem produci verbum.

72 Idem pariter concluditur de amore, quo Spiritus sanctus spiratur, similibus rationibus; debet enim internosci actus amandi, communis tribus, essentialis absolutus, à relatiuo fœcundo.

Obiicies primò. Actio immanens differt à transeunte; quia illa non habet terminum productum, hæc verò habet. Intellectio est actio immanens. Ergo.

73 Respondetur ex D. Bonauent. *dist.* 27. *part.* 2. *quæst.*1. actionem immanentem pro varietate subiecti aliquando esse productiuam, aliquando non. Et in hoc differt à transeunte, quæ semper est productiua. Ita respondent Caietanus, & Bannes.

Instat Faber. Aristot. distinguit actionem immanentem à transeunte toto genere, adeò vt hæc habeat effectum, illa non. Quod si immanens haberet nonnunquam effectum, non differret à transeunte toto genere, sed solùm secundum *magis*, & *minus*, quod non variat speciem.

Respondeo, esse diuersitatem toto genere in eo, quod alteram possibile est habere effectum, alteram non.

Vrget Faber *disput.*21. *num.*8. Sequeretur, intellectionem Patris non producere Verbum, sed solam nostram intellectionem id præstare; quia obiectum intellectionis hominis est extra hominem: obiectum verò intellectionis diuinæ non est extra Deum: ergo non eget exprimere sibi obiectum per Verbum.

Respondetur ex S. Doct. *loc. cit.* etiam visione produci verbum, secundùm varium statum intelligentis. Et sic in nobis semper generatur; non quia obiectum semper sit extrà: nam & cùm mens se ipsam cognoscit, est parens notitiæ suæ, & quidem

74 sola; nam ipsa est obiectum, & cognoscens. Ratio autem, cur in nobis semper gignatur verbum, est quia verbum quodcunque à nobis productum est imperfectum, & limitatum, & relinquit intellectui aliquid de tabula rasa; ideò possunt multiplicari verba: at verbum diuinum est simpliciter infinitum; vnde vnum tantùm esse potest. Ita D. Bonau. *dist.*27. *part.*2. *quæst.*2. *in corpore*. Baudunius *loc. cit.*

Hæc igitur necessitas non transit ad Patrem, quia actualissimum Verbum infinitum simpliciter generat: neque ex necessitate, sed ex fœcunditate; neque hæc potest transire ad Filium, & Spiritum sanctum, quia actus ille infinitus est, totamque suam adeò perfectionem in Patre consecutus est, vnde nil potest addi.

75 Premit Macedo. Per id producitur Verbum, quod est notionale formaliter. Intellectio non est notionalis formaliter. Ergo differt vt proprium à communi; ab absoluto relatiuum.

Dico productionem Verbi esse intellectionem, vt in Patre fœcundo: differe autem ab intelligere essentiali, quo aliæ Personæ non dicunt; quippè intellectus iam habet Verbum infinitum, cui non additur. Nil verò dicit aliud D. Augustin. quàm Patrem dicendo gignere: at non negat hoc esse intelligere notionale, vt vellet Macedo: quod in locis ab eo allatis obseruaui. Ibi etiam negat Patrem generare cogitando modo nostro composito: sic 15. *de Trinit. cap.*16. Ideò frustra affert id Macedo.

Obiicies secundò. Communis actio productiua talis est, vt non possit intelligi sine suo termino: sed possumus intelligere intellectionem sine aliquo termino: Ergo non est productiua. Maior probatur exemplis calefactionis, & similium, quas non est intelligere sine suo termino. Minor probatur in Filio, & Spiritu sancto.

Respondetur, maiorem esse veram de actione, cui essentiale est producere terminum, qualis est transiens.

Obiicies tertiò ex D. Augustino 15. *de Trinit. cap.*10. & 24. Verbum non gignitur de intelligentia, sed de memoria: at si Verbum mentale gigneretur de intellectione actuali, sequeretur, illud gigni de intelligentia, non de memoria.

Respondetur, D. Augustin. *cap. illo* 24. nil de hoc dicere: *in cap. verò* 10. ait, *verbum nasci de scientia, quam memoriâ tenemus*; nam dum cogitamus, loquimur, vt suprà allegaui. Et addit: *Formata quippè cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus, quod nec Græcum est, nec Latinum.* Et subdit, verbum gigni de scientia, quæ manet in anima, quando eadem scientia dicitur intùs, sicuti est. Hinc colligit, Verbum esse sapientiam, de qua Eccl. 1. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Et infrà ait, quod scientia, de qua veraciter cogitatio nostra formatur, est quando, quæ scimus, loquimur. Dixerat autem, nos cogitando formare verbum, & hanc dicit similitudinem emanationis Verbi Diuini. Igitur ex D. Augustino Verbum in diuinis oritur ex cogitatione actuali, è memoria autem remotè. 76

Adde particulam *de*, memoriam indicare, quasi rationem originariam, vel consubstantialitatem; quia memoria magis exprimit naturam, quàm intellectio. Et ita intellectio signat actionem, quæ producitur; memoria verò naturam ad modum materiæ, *ex qua* (si ita licet modo nostro explicare.) Ita exponitur à S. Doct. *lib.* 1. *Compend. Theol. cap.*5. 77

Subdit Faber, memoriam formaliter distinctam esse propriam Patris, & per eam differre à Filio. Tunc arguo ad hominem. Memoria, sic per te *disput.*22. dicit infinitam perfectionem; est enim fœcunda infinitæ perfectionis: ergo est aliqua perfectio in Patre, quæ non in Filio, quod ibidem respuis. Hæc enim est propria Patris, vt suprà dixisti.

Nec dicere valet, esse eandem realitatem etiam in Filio; distinctam tamen formaliter. Contrà primò. Quæ formaliter distinguuntur in diuinis, habent suam infinitatem, non inclusam in aliis, ex Scoto 1. *dist.* 2. *quæst.*7. *corpore*, §. *Ad quæstionem.* Deinde Scotistæ eandem sequelam inducunt contra nos in relationibus, etiam vt sunt in essentia, eo quòd dicimus, esse perfectas; & tamen sciunt, nos inter has solam virtualem admittere distinctionem. Ergo multò magis eos vrget, qui distinctionem formalem admittunt. Imò si memoria fœcunda est propria, quia relatiua, differt realiter à Filio producto, secundùm illos. Ergo est aliqua perfectio in Patre, quæ non est realiter in Filio.

Obiicies quartò. Intelligere est commune tribus Personis. Ergo & Filius generat. 78

Respondetur, intelligere esse commune; at dicere esse virtualiter quid additum, vt dixi.

Instat Faber. Quando aliqua forma est in pluribus suppositis, erit in eis & actio eiusdem formæ: at in tribus personis est intellectio: ergo & actio eius, idest dictio Verbi.

Respondetur ex S. Doct. *dist.*27. *p.*2. *quæst.*3. actum formalem intellectionis, qui est intelligere, esse in tribus personis; & hoc solùm probat maior propositio:

sitio: at verò actus fœcundus non est actus necessarius intellectionis cuiusque; sed tantùm habentis primitatem. Is enim actus existit pro varietate subiecti. Imò Arriaga *disputat.45. sect.3.* retorquet. Si actus essentiales non sunt principia processionum ex eo, quia communes sunt, ne omnes personæ sint producentes: ergo nec intellectus diuinus potest esse principium dictionis in solo Patre. Nam & ipse intellectus est communis etiam Filio, & Spiritui sancto.

Obiicit quintò Faber. Sequeretur, Patrem non esse ex se formaliter beatum, & consequenter nec perfectum Deum; atque adeò per generationem, (quæ est intelligendo,) fit perfectus, ac beatus. Ex quo infert Rada, Patrem non communicare Filio essentiam perfectè beatam.

79 Plvrima congerit Nazarius *quæst.27. artic.3. controu.4.* quæ in angustias deductum eum innuunt fuisse à Rada *controu.8.* Mihi sanè facilis est responsio in D. Bonauent. *distinct.27. p.2. q.3.* maximè *ad vltimum*: quæ doctrina est grauiter obseruanda, & sæpiùs Scotistis erit opponenda. Oportet igitur aduertere, notitiam in nobis accipi ab obiectis, per eorum similitudines impressas, eamque verbo, seu specie expressa perfici; atque adeò nos esse sapientes sapientia genita actibus, è quibus habitus acquiruntur. Similiter ex ipsius obiecti cogniti expressione accipimus impulsum amoris; vnde sumus aliunde beati: at Pater æternus sapientiâ essentialiter infinita à sua essentia præditus, in qua omnia videt, non quidem producit Verbum essentiale,

80 sed solùm notionale. Verbum enim non est absolutum, sed relatiuum proferentis: neque priùs infœcundè intelligit intellectione essentiali; alioqui primitas eius non conferret ad fœcunditatem; aut dicendus esset, non posse habere suum actum primò à persona prima. Neque verò hoc sensu essentialia sunt priora notionalibus, vt exeant primò in actus absolutos, deinde in notionales; sed hoc sensu id verum est, perfectiones ad modum habitus (vt ita loquar) esse priùs, quàm notionales. Sic in Patre prior est essentia, quàm personalitas, (priùs, inquam, ratione, non realiter;) at verò actus non possunt esse, nisi suppositorum. Itaque non priùs Pater intelligit infœcundè, & postea fœcundè; sed primò, cùm sit persona prima, perfectam habens fœcunditatem, intelligit fœ-

81 cundè. Et quia sapientiam habet à se, ideò gignendo Filium non est, aut fit sapiens à sapientia genita. Similiter, quia à se habet fœcunditatem spirandi ex contemplatione sui, in quo est etiam Verbum originaliter, ideò à se habet amorem Boni, atque adeò est à se beatus, quia propriam habet bonitatem infinitam, in qua quiescit. Sicut tamen non esset Deus adæquatum obiectum beatitudinis, nisi esset Pater, Filius, & Spiritus sanctus; ita non esset beatus, nisi essent tres personæ, vt dicebat D. Bonauent. *citata quæst.3.* suprà cum Richardo de S. Vict. Ex his igitur constat, quàm leues sint Scoti, & assectarum instantiæ.

Collige secundò, verbum in nobis produci ex necessitate intelligendi: at in Patre ex fœcunditate, quia antè Verbum est intelligens in se, quia Deo esse, est nosse, ex D. Augustino 15. *de Trinitate, cap.14.*

Obiicies sextò. Pater actu toto dicendi, quo producit Verbum, distinguitur ab illo: ergo ille actus neque est intelligere formaliter, nec illum formaliter includit.

82 Respondetvr, actum illum, secundùm esse intellectionis, solùm virtute distingui à Filio; sed secundum esse relatiuum, realiter: actus enim simplicissimus ille duas claudit rationes virtualiter distinctas; alteram absolutam, idest, intelligere; alteram respectiuam, vt relationem ad Verbum, vt dicebat S. Bonauent. & cum eo Valentia, & Zumelus, atque Nazarius; & per hanc distinguitur realiter. Hæc porrò distinctio virtualis satis est ad fundandam illam varietatem, vt sæpè Scotistis respondemus; neque est mera intellectus confictio, vt putat Rada *loc. cit.* Estque doctrina solida D. Bonauenturæ *distinctione 27. p. 2. quæst. 1.* & sequenti.

Obiicies sextò cum Suarez. Si actus intelligendi clauditur in actu dicendi, aut intelligere notionale, vltra essentiale, addit aliquid formaliter pertinens ad actum intelligendi, & sub illo quasi contrahit ad esse talis actus; & hoc non, quia intellectus diuinus non est duplex, neque in ratione intellectus est determinabilis: aut fit per additionem alicuius conditionis personalis, quæ necessaria quidem non sit ad intelligendum, sed benè ad dicendum; at hoc stat, etiamsi sit vnum intelligere cum tali conditione personæ, putà fœcundæ. 83

Respondetur, fieri secundo modo: hæc tamen conditio personalis facit, vt sint duo actus virtute distincti. Alter Personæ, vt Deus est; alter, vt est Persona fœcunda. Et hæc est responsio D. Bonau. suprà.

Ex dictis obiter colligo, Verbum esse terminum intellectionis. Confirmatur. Nam vera actio in genere habet suum terminum. Intellectio est vera actio: ergo. Maior patet. Minor probatur ex Aristot. 9. *Metaph.* & alibi. Confirmatur ex eodem Aristot. 10. *Eth. c.3.* vbi ait, operationes non esse qualitates. 84

Respondet Faber *disp. 21. cap.2. n.28.* intelligere non esse actionem propriam. Ad Aristotelem respondet, accipi intelligere, pro dicere, siue producere intellectionem.

Contra primò: nam omnis intellectio in nobis est dictio, ex dictis cum D. Augustino, & D. Anselmo. Sed per te omnis dictio est actio. Ergo & omnis intellectio. Omnem porrò actum intellectus esse intellectionem formaliter, suprà ostendi: nam omnis potentia denominat suam actionem formaliter, vt demonstraui suprà.

Ex his etiam habes, intellectionem esse principium *Quo* Verbi. Similiter actum amandi esse principium *Quo* Spiritus sancti. Est D. Bonau. *dist. 27. p.2. q.1. & 4.* vt notat Frassus *disp.5.* passim; eum verò sequuntur Henricus *quol.6. q.1.* Suarez *lib.1. de Trin. c.8.* & alij contra Torrem *ad art.5. q.27. D. Thom. p.1.* Vasquesium *disp.112. c.2.* 85

Probatvr à Suarez. Supponit autem ex D. Thoma, essentiam diuinam esse potentiam generandi, quatenus est in Patre, ita vt essentia sit radicale principium; & quatenus est intellectus, sit principium proximum.

Hinc argumentatur. Intellectus diuinus per seipsum, & essentialiter est actus vltimus intelligendi, ita vt in Deo non tam sit intellectus, quàm ipsum intelligere; quia intellectus dicit potentiam, intelligere autem dicit actum. Ergo si intellectus, seu natura, & voluntas est principium proximum, multò magis ipsum intelligere. Hæc ratio eruitur è D. Bonauent. *distinctione 2. quæst.2. §. Ex quarta suppositione.* 86

Hanc roborat S. Doct. *quæst.3. citata distinctionis 27. in corpore*, vbi sic discurrit. Verbum est imago cognitionis,

cognitionis, seu intellectionis, ex D. Anselmo *in Monol. suprà cit.* ergo non est ipsa cognitio, seu intellectio; sed supponit intellectionem actu, & notitiam quasi habitu.

Obiicies primò cum Vasquez, & aliis, ex D. Augustino 10. *de Trinitate*, *cap.* 7. *&* 10. Verbum procedit ex memoria fœcunda; memoria autem dicit intellectum constitutum in actu primo: Ergo non quatenus est constitutus in actu secundo per intelligere.

87 Respondetur, patere iam ex dictis. Addit Suarez, D. Augustinum ibi loqui magis de intellectu humano, quàm de Diuino. Deinde, memoriam esse quasi fœcundam ad actum intelligendi, quem verè non producit, sed à nobis concipitur, ac si produceret. Eadem verò memoria, iam formata illo actu, adhuc est fœcunda, vt sit principium, quo producitur Verbum: quia illud non oritur ad intelligendum, sed ex intelligentia, vt ita dicam.

Obiicies secundò. In nobis principium producendi verbum non est intellectio, sed species, seu actus primus. Ergo etiam in Patre.

88 Respondetur, non seruari in omnibus similitudinem. Nam verbum humanum producitur, vt constituat intellectum in actu secundo intelligendi; Verbum autem diuinum non producitur, vt constituat Patrem intelligentem, vt docet D. Aug. 15. *de Trin. c.* 10. quia Pater non producit ex indigentia, sed ex fœcunditate. Ita Suar. cum D. Bonau. *dist.* 26. *p.* 1. *quæst.* 1. *in corpore*, *&* *ad* 3. eamque responsionem roborat ex D. Augustino 9. *de Trinitate*, *cap.* 12. Sed de hoc latiùs *tract. de anima*, *disp.* 9. *cap.* 4. *sect.* 4. *quæst.* 7.

QVÆSTIO V.

Quomodo distinguantur hæ duæ emanationes, & quænam sint rationes, quibus altera internoscitur ab altera.

D. Bonau. d. 13. q. 1.
D. Thom. q. 27. art. 1.

EX dictis iam constat, geminas esse distinctas in diuinis emanationes. Quomodo autem distinguantur, hîc quæro.

89 Timuere SS. Patres hoc arcanum inquirere. Anastasius Synaïta *lib. de rectis fidei dogmatibus* ait, non esse tutum hoc inquirere. Humillimè S. Augustinus *lib.* 3. *contra Maximinum*, *cap.* 13. confitetur: *Quid inter nasci, & procedere intersit de illa excellentissima natura, linguis explicare quis possit? Non omne, quod procedit, nascitur; quamuis omne procedat, quod nascitur. Hæc scio, distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem, nescio, non valeo, non sufficio: quia & illa, & ista est ineffabilis.* Idem habent Damascenus *lib.* 1. *de fide*, *cap.* 10. Athanasius *dial.* 3. *contra Anomæos*, Basilius *homil.* 2. *contra Sabellianos*, Nazianzenus *oratione* 5. *de Theologia*. Bernardus *serm.* 1. *Pentec.* & alij apud Ruitz *disp.* 5. *sect.* 1.

90 Verum S. Bonau. locis infrà allegandis conatus est distinctionem harum emanationum, rationesque assignare, cur altera non sit altera; imitatus ipsos Patres, præcipuè D. Augustinum, qui reliquis subtiliùs hac de re disputauit, præcipuè *lib.* 5. *de Trinitate*, *cap.* 14. *lib.* 9. *cap.* 12. & *lib.* 15. *cap.* 26. *&* 27. Idipsum Scholastici omnes vtiliter præstiterunt, vt expediti inueniamur ad reddendam eius, quæ in nobis est, fidei aduersariis rationem.

Quoad primum, Gregorius de Arim. Gabriel Biel, & alij Nominales *d.* 13. has emanationes sola ratione distinguunt.

Durandus *d.* 13. *quæst.* 2. Bassolis ibidem, *quæst. vnica*, *art.* 1. *&* 2. eas distingui realiter autumant, realitate quidem relatiua, non absoluta.

Scotus, & Asseclæ distinctionem formalem intermiscent.

D. Bonaventura *distinct.* 26. *quæst.* 1. ait, has emanationes distingui ratione. Et ad secundum ait, distingui attributione, eò quòd alia ratione vni personæ: alia ratione alteri conueniunt, vt explicat Forestus *disput.* 2. *cap.* 3. *fol.* 56. Similiter habere ordinem realem originis, & consequenter distinctionem, fatetur *d.* 20. *quæst.* 3. *&* 4. quatenùs emanatio per voluntatem supponit emanationem per intellectum. Ita D. Thom. *quæst.* 27. *art.* 3. *ad* 3. & *de potentia quæst.* 9. *art.* 9. *ad* 25. & *quæst.* 10. *art.* 2. *ad septimum*. 91

Nota, ex D. Bonau. dupliciter sumi emanationes. Primò actiuè: secundò passiuè.

Assero primò, non sufficere distinctionem meræ rationis ad emanationes diuinas actiuè sumptas. 92

Probatur à D. Bonauent. *loc. cit.* & *dist.* 13. *quæst.* 3. Si sola ratione distinguerentur, sequeretur, generationem esse spirationem. Ergo Spiritus sanctus generaretur, & Filius spiraretur. Imò Filius esset Spiritus sanctus. Quod argumentum vrgent vehementer Scotistæ. Enim verò sola distinctio virtualis, eminens, actualissima, sufficit ad verificandas istas contradictiones; neque est necessaria distinctio formalis, vt tales affirmationes, & negationes subsistant. Certissimum est autem, Filium esse genitum. Ioan. 1. & 2. *Gloriam, quasi vnigeniti à Patre.* Ioan. 3. *Vt Filium suum vnigenitum daret.* Et in Symbolo Apostolorum: *Et in Iesum Christum, Filium eius vnicum.* Et in Symbolo Nicæno: *Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium eius vnigenitum.* E contra verò de Spiritu sancto dicitur in Concilio Tolet. 11. in confess. fidei: *Spiritus sanctus non est genitus.* Et in Symbolo Athanasij: *Spiritus sanctus non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Probatur secundò à S. Doct. *dist.* 13. *citata quæst. ad* 3. Si eadem est emanatio per voluntatem, & naturam: ergo creaturæ, quæ emanant per voluntatem à Deo, emanant etiam per naturam. 93

Probatur tertiò à S. Doct. præcipuè in fundamentis. Quæ sunt à diuersis principiis, quæ inuicem non conueniunt, nec in aliquo tertio vniuntur, hæc sunt diuersa: at emanationes hæ sunt à diuersis principiis, vt dixi *quæst.* 3. *&* 4. Ergo. Hanc rationem vsurpat Scotus *d.* 2. *quæst.* 7. Eamque illi adscribit Faber *disp.* 16. *cap.* 2. initio.

Assero secundò, has emanationes actiuè sumptas formaliter non distingui.

Probatur à S. Doct. primò, argumento primo, *Sed contra*, addita responsione; sequeretur enim in Deo compositio. Eodem argumento vtitur *distinct.* 26. *quæst.* 1. *argum.* 3. *in opp. addita responsione*. Quo argumento vtuntur omnes ferè moderni, & à nobis explicabitur *disp.* 3. *quæst.* 4. 94

Assero tertiò, eas distingui virtualiter. Hoc latiùs ostendam loco citato.

Assero quartò, emanationes passiuè distingui realiter.

Probatur

Probatur à D. Bonau. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *corpore*, *& fundamento* 4. alioqui non daretur distinctio realis inter Filium, & Spiritum sanctum: sed hoc est hæreticum: ergo. Probatur sequela, quia emanatio passiua generationis est Persona Filij: sic & emanatio passiua spirationis est Persona Spiritus sancti.

Obiicies cum Nominalibus. In eadem persona istæ duæ emanationes actiuè se compatiuntur, nimirum in Patre est generatio, & spiratio: in Filio est generatio passiuè, & spiratio actiuè. Sed eadem Persona est summè simplex, & differens sola ratione à seipsa: ergo. Confirmatur. Hæ emanationes in eadem Persona non opponuntur relatiuè. Ergo non differunt à parte rei, sed sola ratione. Probatur consequentia ex illo axiomate Theologico: *In diuinis omnia sunt vnum, excepta oppositione relatiua.*

96 Respondet D. Bonauent. *dist.* 13. *quæst.* 3. *ad* 2. *&* 5. & *distinct.* 26. *quæst.* 1. *ad* 3. *&* 4. multitudinem relationum non componere, vt etiam Aristot. fatetur. Adde cum Seraphico, *loco mox citato*, *ad sextum*, verum esse hoc de eo, quod est suus respectus. Hæ autem emanationes solùm ordinem relatiuum habent distinctum, ideò non componunt; cum omnis compositio, secundum Aristotelem, fit vel *ex his*, vel *cum his*, vel *in*.

Quæris, an differant numero; an specie.

Respondetur è D. Bonauent. *d.* 19. *p.* 2. *quæst.* 2. non poni in Deo propriè genus, aut speciem: ita & D. Thom. *de pot. quæst.* 10. *art.* 2. *ad* 12. Molin. *d.* 2. *de Trin.*

97 Addo, in essentia nullam omninò speciem nominari, cùm sit vna: at in proprietatibus personalibus apparere differentiam plus quàm numero. Non enim sunt duæ paternitates, duæ filiationes, duæ processiones; sed paternitas, filiatio, & processio. Hinc etiam rationem vniuocationis remouendam colligit Molina, & alij; licèt propriam admittant analogiam, quo in similia relabuntur inconuenientia compositionis, vt notat Arriaga: *disputat.* 46. *sect.* 4. Neque tamen benè ipse concedit aliquam vniuocationem inter relationes, eo quòd æquè perfectè habeant rationem emanationis, & concipi valeant conceptu communi; nam includitur in vniuocatione abstractio ab inferioribus, vt compositionem metaphysicam habentibus, à qua fit separatio; ita vt comparentur cum analogis, quæ partim conueniunt, partim differunt. Compositio autem metaphysica non est mera rationis, vt putat Arriaga; fundatur enim in physica, non in ente rationis: alioqui Metaphysica esset scientia rationalis, non realis.

98 Quoad alteram partem quæstionis, quibus rationibus dignosci possit, generationem non esse spirationem, plurimæ referuntur, quæ sunt examinandæ.

Multæ à Sanctis PP. assignatæ sunt, ad retundendos Arrianos, Macedonianos, Eunomianos, qui, teste D. Athanasio *epistola de Spiritu sancto, ad Serapionem*, hoc medio arguebant. Si Spiritus sanctus est eiusdem naturæ cum Patre, eamque à Patre, & Filio obtinet: ergo est Filius amborum. Imò ex illis alter erit Pater; altera Mater. Est ergo assignanda causa, cur Spiritus sanctus, tametsi procedat accipiendo eandem naturam cum Filio, tamen non est Filius. Eam referunt latè Ruitz *disput.* 8. Vasquez *disput.* 113. Valentia *disputat.* 2. *quæst.* 3. *p.* 4. qui solas congruentias de re hac, fide certissima, afferri posse ait. Omnes verò refert Meldula *disp.* 7. *de Trinitate, quæst.* 3.

Plurimi Scholastici rationes Sanctorum PP. omittunt, quasi non traditas more Scholastico, & imbelles. Ego verò plurimi eas pendendas existimo.

Prima ratio sit D. Athanasij apud Ruitz, quam 99 Meldula paruipendit, distinctas esse has processiones, quia vna est ex vtero, altera ex ore; atque adeò vnam personam esse Filium, alteram Spiritum sanctum. Hæc autem est differentia, vt emanatio Filij sit ex vtero, idest naturalis: altera ex corde, idest liberalis; sicuti Spiritus, vbi vult, spirat. Quæ est ratio Scoti.

Secunda ratio est eiusdem Athanasij loco al- 100 legato, quam veluti retundentem hæreticorum petulantiam, apponit dicens: *Sed tamen, ne taciturnitas nostra causam illis impudentia prabeat, audiant è nobis vicissim. Inter homines, pater communicat filio partem sua substantie, ideò, vt ipse filius possit alteri communicare per generationem; & ita, qui filius est huius, est pater alterius: at in diuinis, Pater communicat Filio totam substantiam in generatione: vnde nil remanet communicandum per eundem modum generationis.*

Hinc Vasquez non assecutus vim rationis, putansque in eo consistere, vt quia Pater communicat Filio, non partem substantiæ, sed totam; ideò nequeat generare Spiritum sanctum, malè redarguit: *Filius communicat totam naturam Spiritui sancto. Ergo eum generat, iuxta Athanasij premissas.*

At tanti Doctoris ratio, tantâ grauitate oppo- 101 sita hæreticis, alia omninò est. Pater æternus, non more hominum communicat Filio partem substantiæ, imperfecta generatione; sed infinitâ communicat quicquid est per generationem communicabile, ita vt genitus sit adæquata imago Patris infinitè perfecti; atque adeò modus iste producendi naturalis, qui consistit in hoc, vt producatur simile in natura, & imago Patris, iam exhaustus est; alioqui primus non esset infinitus in ratione generationis. Igitur, qui reliquus est producendus, non potest esse genitus: quia non remanet imagini nouæ profectiori, vel perficienti locus. En ratio, quam Vasquez *cap.* 7. cæteris præfert, quam Canariensi adscribit. Nonne satius erat S. Athanasio acceptam referre? Hunc autem esse Athanasij sensum, ostendo ex illius epistola *de decretis Nicænæ Synodi*; vbi ait: *Si cum imaginem nomines, filium hoc ipso eum esse indicaueris; quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies?*

Hanc porrò allegat D. Bonauent. *ad* 3. quam Vasquez detorsit ad S. Athanasium impugnandum. Ideò multiplicabiles esse inter nos generationes, quia terminantur ad naturas imperfectas, atque adeò multiplicabiles; at in diuinis terminatur ad hypostasim, per naturæ infinitæ communicationem: primo quidem modo per naturam, seu generationem, quæ ad imaginem terminatur in personâ genitâ infinitè perfectâ, atque adeò per generationem immultiplicabili. Itaque tertia per- 102 sona, non per intellectum genita esse potest, sed actu consequenti amoris per voluntatem debet procedere, vt nexus, & amor pariter infinitus; atque adeò immultiplicabilis. Hæc ratio est etiam D. Basilij *lib.* 5. *contra Eunom. cap.* 12. ed-

que efficax, vt notat Suarez *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 20. vbi tamen frustrà addit, intelligendam formaliter de communicatione naturæ, vt natura est; alioqui probaret, in Deo esse vnam tantùm communicationem substantialem: frustrà, inquam; nam se explicat de communicatione per generationem tantùm.

Tertia ratio est D. August. 5. *de Trinit. cap.* 14. hanc assignans diuersitatem; quia Verbum exit, vt natum à Patre: Spiritus autem à Patre, & Filio, vt datus.

Hanc rationem impugnat Vasquez *num.* 17. quia adhuc omnino restat quærendum, cur Verbum, vt natum; & Spiritus sanctus, vt datus prodeat: dum enim quærimus, cur procedat per generationem, inquiritur etiam, cur procedat, vt natus.

Argutiam hanc præsensit D. Bonau. *in corpore*; attamen ratio S. Augustini est valida: nam, vt obseruat S. Bonauent. *quæst.* 3. *d.* 13. cùm diuinæ emanationes seipsis differant, vt infrà dicam, adhuc hæ differentiæ per alias innotescunt à posteriori; sicut etiam differentiæ differentiarum innotescunt nobis per alias differentias, quæ ab illis oriuntur. Itaque in diuinis, quia generatio, & spiratio seipsis differunt, ad eas sequitur secundùm rationem intelligendi differentia duplex. Vna, quia generatio est ab vno: spiratio verò à duobus. Quia enim generatio est emanatio per modum perfectæ assimilationis, ideò ad vnum principium respicit: spiratio verò, quia est emanatio per modum perfectæ connexionis; ideò est à duobus. Altera differentia est, quia enim Spiritus sanctus spiratur, vt nectens, adeoque in alterum tendens, ideò procedit, vt donabilis: Filius verò generatur; & ge-
103 neratio non respicit tertium. Has autem differentias à posteriori colligit; non à priori, vt putat Vasquez. Itaque rectè D. Augustinus has emanationes distinguit ex ratione perfectæ assimilationis, secundùm imaginem, quæ in esse nato reperitur, propter quam ab vno principio esse debet generante, non autem à duobus, vt inter homines, inter quos est imperfecta ratio assimilationis; at ratio nexus, & doni esse debet inter duos: & quia talis manat Spiritus sanctus, ideò satis à D. Augustino distinguitur, dum Filius è Patre natus; Spiritus sanctus, vt datus, & nexus, oritur à duobus.

Eadem est ratio Ruperti *lib.* 2. *de Trinitate, cap.* 2. vbi Filium imaginem Patris, at Spiritum sanctum similitudinem tantùm asserit, quia imago perfectissima est vnius, esto materialiter possit esse plurium, vt vidit Suarez *lib.* 11. *cap.* 4. *num.* 5. Eadem est ratio D. Bonauenturæ *distinctione* 31. *p.* 1. *quæst.* 2.

104 Quarta ratio D. Augustini 9. *de Trinit. cap.* 12. talis apud Vasquez, quia scilicet Filius procedit per intellectum; & Spiritus sanctus per voluntatem. Quare filius est Verbum, & partus: Spiritus sanctus non item; quoniam id, quod per intellectum producitur, præcedit inquisitio quædam, cum desiderio reperiendi: quæ autem reperiuntur. Quasi pariuntur, ideò notitia per intellectum producta, partus, seu proles dicitur; quia ante illius productionem intellectus quasi parturiebat; quod non conuenit amori, qui ex voluntate, sine inquisitione procedit; cùm feratur in rem iam possessam. Hanc rationem adscribit Vasquez *num.* 23. D. Bonauenturæ *dist.* 4. *quæst.* 1. *num.* 8.

Hic aduertè, non satis fideliter afferri à Vasquez, quasi differentia in eo constituatur, quia Verbum partu reperitur, per inquisitionem; non sic amor, qui fertur in rem iam possessam: hoc enim solùm de nostro conceptu sæpè fieri docet; neque semper. Neque vult, verbum nobis esse filium propriè, vt addit Vasquez, qui malè rationem carpit, vt patet legenti textum.

Igitur D. August. quæstionem instituit, cur & Spiritus sanctus non dicitur genitus, vt dicatur Filius? Et aliquam similitudinem ex imagine longè accipere se velle ait, vt ad diuina assurgat. Dicit 105
igitur, mentem, cognoscendo seipsam, parere notitiam sui, siue reperiat illam per inquisitionem, siue non. Itaque ex vi cognitionis, seu intellectionis, prolem, veluti sibi omninò similem, edit: quia non minùs se nouit, quàm est; nec alterius essentiæ est notitiâ eius, quia ipsa nouit seipsam. Cur ergo, ait, & amando se, non dicitur genuisse amorem sui? Quia notitia iam inuentum, quod partum, vel repertum dicitur. Ex eo igitur, quòd extet notitia perfecta sui, non remanet noua notitia, nec aliquid noui menti assimilandum; sed in placita prole amplectenda delectatur appetitus. Ea igitur est differentia, vt ideò Verbum non sit Spiritus sanctus; nec huius emanatio illius, quia verbum oritur, vt simile, ex natura sua cognoscenti; & quò perfectior est notitia, eò similior; partâ verò, seu repertâ perfectissimâ notitiâ, non remanet alia notitia parienda, seu partu reperienda. Cum igitur talis sit notitia Patris, non remanet, nisi vt in amplexu illius notitiæ delectetur per amorem, qui non potest esse partus, quia non editur partu, seu non reperitur, aut potest reperiri, vt noua notitia, ex vi productionis similis. Hic est germanus S. August. sensus, ac ratio multis plausibus accepta, vt infrà dicam. Idem vult S. Bonauentura.

Quinta ratio est D. August. 15. *de Trinitate*, 106
cap. 26. Filium ideò genitum, quia ex Patre natus, idest ex natura; at si Spiritus sanctus dicatur natus, oportet, vt cùm sit à duobus, generetur ab vno, vt Patre; & nascatur ex alia persona, vt matre; sicut inter nos euenit. Hanc rationem sectantur D. Anselmus *Monol. cap.* 53. D. Bonauent. *dist.* 13. *quæst.* 2. *fundamento* 3. Aliacensis *in* 1. eamque probabilem ait Valentia.

Vasquez *num.* 18. infidelis est in ea referenda, ait enim, ideò ex D. Augustino Filium natum, quia ab vno: Spiritum sanctum non item, quia à duobus. At S. Augustini ratio est alia, vt dixi.

Hanc impugnat Vasquez, quasi leuiorem. Primò, quia esto in humanis ita sit; tamen in diuinis, cur non posset Spiritus sanctus procedere à Patre, & Filio, vt genitore; sicut & Filius contra ordinem hominum, è solo Patre nascitur? eo magis, quò Spiritus sanctus procedit ab eis, vt vnico principio. Igitur non est necesse, vt alter sit pater, alter verò mater. Sequitur Petrus à S. Ioseph Fuliensis *lib.* 2. *cap.* 1.

Verum malè Vasquez insurgit. Nam S. August. 107
procedit ad hominem contra Arrium, Macedonium, & Eunomium, qui negabant, Spiritum sanctum accipere naturam diuinam in sua emanatione à Patre, & Filio, vt nos dicimus; quia accepisset eam ab altero, vt Patre; ab altero, vt matre. At S. Doct. suprà ostenso, quod Spiritus sanctus accipiat naturam eandem à Patre, & Filio; mox arguit ad hominem

hominem, ex concessis, non accipere eam per generationem: quia, secundùm illos, alter deberet esse pater, alter verò mater. D. verò Bonauentura, & alij arguunt ex eo, quod semper inter nos euenit: & ita in Diuinis idem tunc eueniret; quia esset aliud genus productionis per generationem; non per amorem mutuum. Eandem rationem carpit Scotus *dist.*13. *quæst.* 1. §. *Alio modo.* Pluralitas enim, & vnitas principij non variat actionis naturam. Sequitur Aduocatus Macedo *collat.* 7. *diff.* 2.

Hoc tamen falsum est; plurimùm enim confert multitudo principiorum in illa Spiritus sancti emanatione. Si enim non emanaret ab vtroque, esset alia persona, vt ostendam *disput.*10. *quæst.*3. *&* 7. & deducitur è D. August. suprà à D. Bonauent. *fundamento* 1.

108 SEXTA ratio est D. Basilij *lib.*5. *contra Eunom. cap.*12. ideò Spiritum sanctum non esse dicendum Filium, ne dicatur filius Filij, & nepos Patris; ac suspicemur, ne infiniti, vel saltem plures sint Filij.

Hanc respicit Vasquez, quia si Spiritus sanctus non est filius, assignanda est causa hæreticis: nam dicere, sequi vt plures sint filij, concedetur ab hæreticis: si verò est filius, non est adeò insudandum, ne hoc nomine appelletur.

REOR tamen rationem optimam, Spiritum sanctum non posse esse Filium, quia sic plures essent in diuinis Filij; atque adeò primus non esset perfectissimus infinitè: & ita non repugnaret, dari alios, & alios Patres, & Filios in infinitum: quæ est ratio Seraphici *lib.*1. *Breuiloquij*, *cap.*3.

109 VASQVEZ ait, septimam rationem esse D. Bernardi *epistola* 190. vbi respondet argumento initio allato, quod adhibebat Abailardus. Si Spiritus sanctus est de substantia Patris: ergo est genitus; & ita Pater fuit illi genitor, & secunda persona genitrix. Respondet autem S. Doctor, negando sequelam: quia non omne, quod est de substantia generantis, illicò est Filius. Sic enim è carne hominis nascuntur vermes; nec tamen sunt eius filij.

Eam verò sic redarguit: Omne, quod procedit de substantia alterius, viuens à principio coniuncto simile generanti, est filius. Sed hoc modo manat Spiritus sanctus: ergo. Neque verò ex eo solùm, quod de substantia scatet, colligit hæreticus esse Filij.

At Vasquez non percipit argumentum S. Doctoris melliflui. Arguit enim contra hæreticum negantem, Spiritum sanctum esse de substantia Patris; quia sequeretur, esse Filium. Hæc verò sequela includit vniuersalem hanc. Quia omne, quod est de substantia alterius ortum, est filius. Tunc D. Bernardus hæreticum conuincit. Nam, & pediculi de substantia hominis nascuntur; nec tamen sunt filij eius. Igitur non benè inducis: Non est de substantia Patris, quia non est Filius.

110 OCTAVAM rationem adducit è Patribus Richardus Victor. *lib.*6. *de Trinit. a cap.*18. Quamuis & Filius, & Spiritus sanctus accipiant naturam diuinam in sua emanatione; tamen Verbum gignitur, & est Filius, quia est imago Patris; non sic Spiritus sanctus: rationem verò imaginis in eo positam, vt diuinitatem & ipse alteri communicet personæ; at Spiritus sanctus non potest communicare alteri, atque adeò est omninò in proprietatibus dissimilis: & in his quærendam rationem imaginis, non in essentia, quæ cùm sit vnica, non potest esse fundamentum similitudinis.

Caspensis *disput.*1.*c.*69. Suarezque *lib.*11. *cap.*6. aiunt, D. Bonauenturam huic rationi applaudere, quod falsum est, vt patet legenti; eam tamen refert pro doctrinæ suæ declaratione, quæ est etiam D. Augustini 15. *de Trinitate*, *cap.* 17. Ipse verò Seraphicus *dist.*31.*p.*2. *quæst.*2. *in corpore*, ait eam metam congruitatem esse imaginis. Eam tamen sequuntur Alensis 1.*p. quæst.*42. *m.*2. §. 1. & *m.*3. *artic.*2. *ad* 3. Maior *in* 1. *d.* 13. *quæst.*1. Zuniga *dist.*2. *dub.*2. *m.*9.

PROBATVR à Zuniga primò, quia natura est vis insita rebus, & similibus similia procreans. Ergo Spiritus sanctus ideò non procedit similis in natura, vt ad rationem filij exigitur; quia licèt sit similis in essentia, caret tamen hac virtute fœcunditatis. Confirmatur: nam Filius semper habet virtutem generandi similem. 111

SECVNDO probat, quia in Concilio Florentino, *sess. vlt.* habetur: *Nam credentes, Spiritum sanctum nequaquam ex Filio procedere, necesse est, vt Spiritum sanctum à solo Patre intelligant procedere, ac consequenter, non esse Filium.* Tunc sic: Negantes, Filium esse principium Spiritus sancti, coguntur negare, Filium esse in diuinis: ergo Filius constituitur per fœcunditatem spiratiuam. Ita refert Arriaga *disputat.* 47. *num.* 43. quosdam Recentiores argumentari.

Ad primum dico cùm D. Bonauent. *dist.*13. *q.*2. *ad* 3. esto inter nos natura sit talis virtutis; tamen diuina essentia est immultiplicabilis ob sui perfectionem; atque adeò in productionibus diuinis non potest similis natura produci, sed tantùm hypostases, naturæ communicatione, vt docent omnes Patres, & cum eis respondet Mastrius *disput.*8. *de gener. quæst.*1. *num.*6. & *de Trin. d.*7. *quæst.*3. *num.*138. Alioqui (infert cum Bargio, & Suarez) neque productio Filij esset generatio, quia neque Filius accipit virtutem generatiuam, quam filius in humanis accipit; atque adeò Filius Dei esset inadæquatè & incompletè imago Patris, quia non nasceretur adæquatè similis in fœcunditate, vt arguit Morandus *tract.*6. *q.*6. 112

NEQVE ad rationem Filij, vel imaginis id vnquam requisitum est à Patribus, vt notat Morandus ex D. Bonauent. *distinct.*31. *p.*2. *quæst.*2. Neque id Patres Florentiæ intulerunt, sed ibi dixere, & consequenter, esse Filium, idest non distinctum à Spiritu sancto, si non esset eius principium: quia in diuinis omnis multiplicatio est per emanationes, & oppositas relationes; sed de hoc latiùs *disput.*10. *quæst.*3. Contra hunc modum dicendi vide plura in Fasolo *quæst.*27. *art.*2. *d.*5. Ayossa *d.*5. Quod verò ait Mastrius, Patres Concilij inferre, & consequenter, Spiritum sanctum non esse Filium, vanum est: nam id infert Concilium, tanquam absurdum consequens assertionem Græcorum, vt patet legenti; non vt illationem catholicam. Quid enim, obsecro, inferret eo argumento? Negantes, Spiritum sanctum à Filio procedere, asserunt, à solo Patre manare; atque adeò Spiritum sanctum non esse Filium. Quid enim infertur ad conuincendum Græcos? Imò eorum assertio inferretur Catholica, ex qua distinctio sequeretur Personarum. Sed de his *d.*10. *quæst.*3. Deinde, etiamsi demus Scotistis, Spiritum sanctum adhuc manere distinctum à Filio, tamersi ab eo non manaret; non tamen hinc sequitur, seu infertur causata distinctio personarum, vt ipsi Scotistæ fatebuntur.

113 Friuola est etiam alia ratio Mastrij, contra modum Richardi. Si esset de ratione Filij esse alterius personæ productiuum (vt dicebat Richardus) sequeretur, Filium potiùs in ratione Filij constitutum per spirationem actiuam, quâ refertur ad Spiritum sanctum; quàm per filiationem, quâ refertur ad Patrem.

Responderet enim Richardus, negando sequelam: quia constituitur Filius, & imago per naturam fœcundam, seu fœcunditatem, vimque generatiuam à Patre acceptam, iuxta naturæ definitionem traditam; non per executionem illius virtutis.

114 Prosequitur Vasquez referre Scholasticorum placita circa hoc; & primò quidem rationem expandit, tanquam leuiorem, D. Bonauenturæ *dist.*13. *quæst.*2. *ad* 1. quam dicit esse Alensis 1. *p. quæst.*43. *m.*1. Richardi *dist.*13. *art.*1. *quæst.*3. & ferè Durandi *d.6. quæst.*2. *num.*16.

Sic autem eam Vasquez exhibet. Vt discrimen constituant inter processionem Filij, & Spiritus sancti, cur vna potiùs, quàm altera dicatur generatio, notant, triplicem esse modum productionis. Primum, secundùm voluntatem, vt in creatione Adami factâ à Deo. Secundum, præter naturam, vt in productione Euæ de costa Adæ. Tertium, secundùm naturam, qualis est productio Abelis ex Adamo, & Eua. Addunt deinde, generationem esse debere viuentis à viuente, ordinatione naturæ, non voluntatis, aut præter naturam. Hinc colligunt (air) processionem Filij esse generationem, quia est modo secundùm naturam, cùm sit per intellectum: at processionem Spiritus sancti non esse generationem, quia est per voluntatem, ac proinde non vi naturæ, nec modo naturali.

Eam impugnat, quia cùm vterque modus procedendi, idest Filij, & Spiritus sancti, sit naturalis, idest, determinatus ad vnum per modum naturæ, & nullo modo voluntarius, hoc est liber, & indifferens, nihil ex hac parte deerit Spiritui sancto, vt genitus dicatur. Quare longè diuersus est modus, quo procedit Spiritus sanctus per voluntatem, ab illo, quo Deus produxit Adamum, qui contingenter fuit productus. Ex illo ergo modo non rectè colligunt Bonauentura, & alij, processionem Spiritus sancti non esse generationem; sicut non fuit Adami productio: quia Spiritus sanctus necessitate, & immutabilitate procedit. Hæc Vasq. *n.*14. ac Morand. *n.*539.

115 Enim verò ratio S. Bonauenturæ est optima, sed à Vasquez detruncata refertur, vt aduertit Franciscus Longus à Coriolano *q.*27. *art.*8. Quare etiam Bañes immeritò dixit, non satis explicare quæstionis plexum.

Rationem igitur sic astruit, & explicat S. Doct. Inter nos quidem completi rationem, definitionemque generationis, si sit productio substantiæ similis ex intrinseco; & si sit viuentis ex viuente, maximè rationali, manet completa ratio generationis filij, & hoc ex potentiæ nostræ limitatione, quæ non valet producere sibi simile in substantia, aliter quàm per generationem: attamen Deus potest tribus illis distinctis modis producere sibi simile ex infinitate suæ potentiæ, ac fœcunditatis. Primò potest producere æqualem sibi in substantia, modo simili ei, quo Adam genuit Abelem; modo tamen spirituali naturæ competenti per actum intellectus, qui ex vi suæ productionis producit simile, nempe Verbum ex notitia simile; & quidem ex notitia sui simile sibi, vt monet D. Bonauent. ipse *dist.*27. *p.*2. *q.*1. cum D. Anselmo *in Monol. cap.*31. quia intelligentia assimilatur intellecto: & ita intelligendo aliud concipit simile alij. Mens igitur dicendo se apud se, concipit per omnia simile sibi: & hoc est verbum conceptum, quod quidem in nobis est accidens; at in Deo est substantia perfectissima, ideóque Persona. Hoc igitur Verbum ex vi Paternæ intellectionis nascitur simile, & æquale Patri, tanquam terminus formalis, seu ex vi talis intellectionis, seu ex vi tendentiæ talis principij ad terminum suum. Itaque Verbum ex vi suæ productionis nascitur simile Patri, atque adeò, cùm sit è substantia viuentis Dei, erit Filius. 116

Habet Deus ex fœcunditate, & virtute infinita naturæ, iuxta modum operandi proportionatum, virtutem producendi sibi simile ex propria substantia, nouo alio modo immanenti per voluntatem; quæ licèt in nobis non producat simile principio suo, tamen in Deo potest alium sibi æqualem producere, similemque propterea, non formaliter ex vi tendentiæ, sed quasi materialiter aliundè; quatenùs talis productio voluntatis est in tali subiecto, idest Deo. Quare Spiritus sanctus non generatur, sed spiratur. Ita S. Bonauent. *dist.*10. *quæst.* 1. *ad* 2. & 3.

Tertius modus in Deo seorsim reperitur producendi voluntate extrà per artem, similem sibi imaginem, vt cùm creauit hominem, & Angelum; aut saltem simile in vestigio, vt in creatione mundi.

E supra dictis habes, non superfluè poni in definitione generationis, vt sit productiua rei similis ex vi suæ productionis, vt putarat Vasquez; nam cùm definitio transferenda sit ad diuina, remoto omni imperfectionis næuo, vt ipse monuit, debet aliquid addi, per quod diuinæ conueniat generationi; nempè, quia Virtus creata ideò semper producit substantiam ex vi generationis, eo quòd sit limitata; idcircò potest habere tres illos modos præfatos distinctos: at verò Deus ex virtutis infinitate habet eos modos indistinctos. Ideò quamvis in istis inferioribus materia determinata completa sit ratio generationis, si sit productio substantiæ similis, &c. non tamen in diuinis; ideò oportet addi illam particulam, *ex vi fœcunditatis natiuæ*: quæ conditio, quia deest in productione Spiritus sancti, ideò ea non est generatio. Ita S. Bonauent. *loc. cit.* quem sequitur Arriaga infrà citandus. 117

Per hæc ruit instantia etiam noua Vasquez. Vel particula illa, *ex vi processionis*, indicat Filium emanare similem, quatenus est per intellectum, aut quatenus est per talem intellectum. Si primum: ergo omnis processio per intellectum est generatio; atque adeò frustra apponitur illa reduplicatiua. Si secundum: ergo intelligitur ex vi intellectus, quia Diuinus est. Cùm autem etiam voluntas, quia diuina est, producat Spiritum sanctum similem: ergo & is est Filius. 118

Respondetur enim cùm D. Bonauent. quem imitantur Suarez *lib.*15. *cap.*5. Nazar. *ad* 1. & alij emanationem Filij esse generationem, quia producit similem ex vi intellectionis talis, idest intellectionis contractæ ad esse tale per differentiam intellectualitatis formaliter, idest, per esse perfectissimum eius, quæ est differentia per se; non autem præcisè, vt contrahitur ad esse tale, ratione subiecti, purà Dei, vel Angeli; hæc enim differentia contrahit intellectionem materialiter: Spiritum verò sanctum ex vi talis processionis voluntatis, quæ contrahitur per differentias, per se voluntatis, non produci

produci similem, quia nulla differentia voluntatis producit simile; sed amorem, qui est impulsus. Quod igitur id habeat Spiritus sanctus, hoc habet ex differentia extranea, scilicet natura diuina, cui identificatur; non autem ex differentia per se *amoris*, vt amor est. Hæc sententia, & ratio est etiam
119 D. Thomæ *quæst.*27. *art.*4. quam latè explicant, atque sequuntur Thomistæ, Caietanus, Zumellus, Bañes, Nazarius, Cornejo, Salmanticenses *ibi*, Ferrar. 4. *contra Gent. cap.*11. & 19. Lezana *tract.*5. *d.*1. *q.*3. eamque Scoto adscribit Brancat. *lib.*1. *d.*3. *q.*6. *num.*22. Quare Scotistas admonet, vt cautiùs ad eam impugnandam erumpant. Per hæc corruunt argumenta Vasq. *loc. cit.* Torrensis *q.*27. *art.*2. 4. *part.* Commentarij Morandi, qui tandem hunc modum, sic explicitum, sequitur cum Tannero *disp.*4. *q.*2. *dub.*8. Arrubale, Granado, Ruitz. Quod verò opponit Mastrius *num.*143. & 148. Vtraque productio vniuoca est: ergo in hoc debet conuenire, vt ex intrinseco, & ex vi sua sit productio similis; debet enim conuenire in ratione specifica.

Respondetur, negando vniuocationem inter has emanationes, vt dixi initio.

120 Instant alij. Cognitio non est similis physicè, sed intentionaliter, etiamsi perfectissima sit. Solùm ergo dicitur similitudo metaphorica, secundùm quam intellectus dicitur fieri omnia; quod ad explicandam rationem Personæ distinctæ non prodest.

Respondet Didacus Ruitz *d.*6. ex D. Bonauent. *hic ad argumenta*, Verbum quidem creatum non esse similitudinem physicam sui obiecti, ob sui finitatem; at Verbum diuinum, intra suam formalissimam, & explicatam lineam habere, vt sit similitudo realis, substantialis Patris. Ita & Morandus.

Contrà arguunt alij. Quia & Spiritus sanctus est intra lineam similitudinis Physicæ. Ergo erit Filius. Vide Arriagam *disp.*47. *sect.*5.

Respondetur ex dictis, cum Thomistis, diuersam esse rationem; nam amor, ex se, solùm dicit impulsum in obiectum, quia bonum.

COMMVNIS sententia Thomistarum, & Iesuitarum, vt notat Zuniga *m.*6. Arriaga *sect.*8. Suarez *lib.*11. *cap.*6. Fasolus *q.*27. *art.*2. *dub.*13. est, Essentiam diuinam virtualiter consistere in intellectione, provt virtualiter distincta, & antecedit volitionem;
121 atque adeò est radix eius. Itaque intellectio sola est virtualiter essentia, seu natura diuina. Probatur consequentia, quia essentia est primum cuiusque rei distinctiuum. Hoc autem habet intellectio diuina: ergo. Ex hac doctrina deducunt, Filium per naturam nasci, quia procedit per intellectionem. Igitur, cùm generatio sit formaliter communicatio naturæ, producens sibi simile; natura autem sit intellectus, secundùm quam Pater generat, quippè omne producens aliquid, producit simile secundùm formam secundùm quam agit, vt omnes Theologi, & Philosophi astruunt; sequitur, Filium nasci similem, secundum naturam; & Spiritum sanctum procedere per volitionem, quæ non constituit, sed supponit naturam constitutam in esse. Adhæret Caspensis noster *disp.*1. *n.*86. post D.Thom. *q.*33.

Hic modus aliqua dicit Seraphico assona, & veritati. Primò quidem, intellectum esse priorem ratione, & virtute, vt dicam *quæstione sequenti*. Deinde verum est, ideò priorem esse intellectum, quia est natura; & ideò productio eius est per modum naturæ. Ita S.Bonauent. *dist.*12. *quæst.*4. maximè *in corpore*. Verum est etiam, Deum naturæ intellectualis vocari; at verò naturæ diuinæ ratio extenditur etiam ad voluntatem, vt docet D. Bonauent. *d.*7. *q.*1. cum Concilio Florentino *sess.*18. vbi Ioannes Theologus asserit, ad productionem Spiritus sancti concurrere naturam, vt principium communicandi.

Respondet Arriaga *subsect.*5. ibi eum loqui de prædicatis absolutis, vt condistinctis à relatiuis, quæ asserit, esse principia *quibus* in diuinis ema- 122
nationibus; non tamen ibi determinare, quòd sit propria eorum natura.

MIHI verò videtur sumpta natura pro ea, secundùm quam assimilatur Spiritus sanctus: assimilatur autem etiam secundùm intellectum; agens enim assimilat sibi, secundùm eam formam, quâ agit, vt etiam Arriaga concedit *subsect.*5.

Neque dicat, hoc non conuenire spirationi amoris, sed materialiter tali spirationi; nam neque productioni Verbi omnis conuenit communicatio naturæ, vel productio similis in natura; sed tali productioni (scio diuersitatem.) Contra verò est maximè: quia, vt ipse Arriaga vrget *num.*47. dum Patres, & Concilia loquuntur de natura, & essentia; per naturam intelligunt diuinam naturam, tribus personis communem; non autem pro omnibus prædicatis absolutis, condistinctis à relatiuis.

QVOD etiam dicunt isti Theologi, diuinam naturam constitui solo intellectu, falsum est; quia includit voluntatem, & quicquid potest de ea prædicari in abstracto, vt docent SS. Patres apud Ruitz *d.*8. *sect.*7. & 8. ad quod non sufficit vnitas realis: quod non aduertit Arriaga *subsect.*4. aut Mastrius *n.*141. vel Caspensis *disp.*1. *n.*86. 123

Præterea, diuina essentia est fons, vnde oritur intellectus, & voluntas; non è contra. Sic videmus in nobis, essentiam esse fontem potentiarum, non autem potentias essentiæ, aut vnam potentiam esse fontem alterius, vt putant Arriaga, & Suarez: non enim inter intellectum, & voluntatem est prioritas causæ, & effectus; sed plurium effectuum ab essentia, vt causa, vt aduertit Meldula *num.*142. cum 124
D.Bonau. 1. *dist.*3. *p.*1. passim.

Vrgeo ex Arriaga *disp.*47. *sect.*8. *subsect.*5. ex communi Philosophorum, & Theologorum sensu. Omne producens aliquid per suam actionem, producit sibi simile, quantùm ad formam, quâ agit. Sed Pater generans producit Filium sibi similem, secundùm etiam voluntatem, maximè quoad fœcunditatem: ergo & voluntate agit. Sed per te agit generando per naturam: ergo & voluntas est natura.

MELIVS dicerent, eatenus dici generationem Verbi secundùm naturam, quia producitur intellectu, qui agit modo naturaliter necessario; quæ communicatio perfectissima fit per assimilationem perfectam producti ad producentem: at verò Spiritus sanctus procedit per modum liberalitatis, seu amoris, qui est liber, & liberè etiam producitur; at productio per amorem non requirit assimilationem, quæ tamen per diuinum priuilegium ei obuenit. Quod verò Spiritus sanctus liberè emanet, ostendam *disp.*13. *quæst.*3. Hæc ratio est D. Bonau. *dist.*13. *quæst.*2. & 3. D.Thom. *quæst.*10. *de Potentia, art.*2. *ad* 4. quos sequitur Scotus *dist.*13. *quæst.*1. *art.*1. Mayro *d.*10. *q.*1. Faber *d* 40 *cap.*2. Vulpes *d.*55. *art.*2. Rada *controu.*14. *art.*1. Brancas. *lib.*1. *disp.* 3. *quæst.*6. Smising. *de Trin. d.*3. *q.*2. *concl.*2. Poncius *d.* 10. *num.* 9. Sghemma *tit.*18. *quæst.*3. Mastrius *d.*7. *q.*3. *num.*159. & alij; eamque probabilem existimat Lezana *quæst.*3. *citata*, *in fine*. Fuliensis *lib.* 2. *de Trinit. cap.*1.

125 PROBATVR primò hæc ratio discriminis à D. Bonau. *d.*10.*q.*1. Duo sunt principia diuersa agendi in agentibus nobilibus, idest per naturam, seu intellectum, qui est necessarius; & per voluntatem, quæ est libera. At modi perfectissimi agendi debent Deo adscribi. Igitur duplex emanatio est Deo adscribenda, iuxta hæc principia. Et hoc est, quod intendit D.August.5.*de Trin.c.*14.& 9.*de Trin.c.*12. vt dixi in tertia, & quarta ratione.

Ex his respondetur Scherio *d.*7.*q.*2. vbi ait, non satis definitam quæstionem, sed adhuc manere dubium, cur Spiritus sanctus non sit genitus, cùm emanet similis.

126 Respondetur cum D. Bonauent. *loc. cit.* satis explicitum, quia voluntas liberè producit genere diuerso; nec producit simile, nisi ratione subiecti, quia est idem formaliter cum natura diuina. Ita D. Bonau.*loc.cit.ad* 2.& Mastrius *n.*161.

Respondent tamen moderni, hanc rationem non satis explicare differentiam harum emanationum; quia emanatio etiam Spiritus sancti est necessaria, non libera, cùm determinetur ad vnum.

Respondetur, necessitatem non coincidere cum naturalitate; atque adeò, licèt productio Spiritus sancti sit necessaria, potest tamen esse non naturalis, sed libera; non contingentiæ libertate, sed essentialiter, quatenus procedit per actionem, non intrinsecè determinatam ad vnum, sed per actum, cuius dominium sit in agente; indifferentia enim ad vtramlibet contradictionis partem non est necessaria ad libertatem essentialem, sed solùm ad accidentalem. Quod verò naturale, & liberum non coincidant, probatur, quia sunt primæ differentiæ actionum, & principij actiui, vt docet Aristoteles 2.*Physic. text.*49. vbi diuidit causam; aliam quidem secundùm propositum; aliam verò non secundùm propositum: sunt autem,quæ ab intellectu aguntur, & quæ à natura. Eandem diuisionem tradit, licèt sub aliis terminis, 9.*Metaph.*10. diuidens potentiam actiuam in rationalem, & irrationalem. Ita & D. August. *lib.*5. *de ciuit. c.*9. diuidit causam agentem adæquatè, in voluntatem, & naturam.

127 QVOD verò è contra stet libertas cum necessitate, probatur à D. Bonauent. 1. *dist.* 25. *q.*1.*&* 2. & Scoto *quol.*16.*art.*1. ac Meldula *num.*166.ex D.Aug. *in Enchir.cap.*105. vbi ait: *Multò quippè liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit seruire peccato.* Et ex D.Anselmo *lib.de liber.arbitr.c.*1. vbi ait: *Qui sic habet, quod decet, & expedit, vt hoc amittere nequeat, liberior est, quàm ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere. Liberior itaque est voluntas, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quàm quæ illam potest deserere.* Loquuntur autem hi Patres de libertate ad peccandum, quâ liberum arbitrium se determinat ad non peccandum, vt notat cum D. Bonau. Meldula *num* 166. contra Vasquez *disp.*161. *cap.*4. qui respondet, hos Patres loqui non de libertate agendi, sed de libertate à seruitute peccati. Idque deduci ex verbis, quæ subdit: *Aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ beati esse sic volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsùs velle possimus.* Ergo concedit, non esse liberam talem voluntatem ad agendum.

128 Verùm non recitat Vasquez integram D.August. periodum, & negationem omittit, ait enim: *Posteà verò sic erit, vt malè velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio. Multò quippè liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit seruire peccato.* Ex quo patet D. Augustinum loqui non de sola libertate à seruitute peccati, vt putat Vasquez; nam ex eo statu deducit libertatem ad actus, dum non potest actu peccare; ita vt liberè adhuc non peccent, qui non possunt ex confirmatione in gratia peccare. Mox verò rationem reddit, confirmans suprà dicta,vt obseruat S.Bonau. quæst.2. fundamento 1. *Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ beati esse sic volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* At Vasquez omittit negatiuam, *Neque,* quæ oppositum facit sensum, vt notat Macedo *collat.*7.*diff.*1.

Ex his sequitur, quod cùm prima differentia principij sit in naturale, & liberum, vt dixi cum Aristotele, non autem necessitas, & contingentia; poterit vtrauis ex his vtrique principio conuenire. 129

Obiiciunt. Id dicitur agi naturaliter, quod agitur à principio, in quantum determinato ad vnum: at hoc ipsum est necessariò agi. Ergo sunt idem agi naturaliter, & necessariò. Cùm autem sic procedat Spiritus sanctus, dicendus est procedere naturaliter.

Confirmatur, quia libertas, & necessitas repugnant eidem actui, ex Sanctorum PP. consensu.

Respondetur ex dicendis *tract.* 10. *de anima, disp.*9. *quæst.*13. ad esse naturale actus non sufficere determinatum esse ad vnum; sed requiri, vt sit determinatum aliundè, non à seipso eligibiliter cum dominio actus. Et hæc est libertas essentialis, quæ conuenit arbitrio, prout commune Deo, Angelis, & Hominibus: Sancti verò Patres loquuntur de libertate defectibili, vt notat D. Bonauentura, & cum eo Mastrius *n.*175.Sed de hoc *disp.*13.*q.*3.vbi de emanatione libera Spiritus sancti.

ASSERO tandem,modum Vasquez *disp.*113.post Canariensem *quæst.*27.*art.*2. qui dicitur Torres,Alarconij *d.*8.*c.*16. in eo ponentium discrimen harum emanationum, vt Spiritus sanctus procedat quidem vt similis in natura Patri, & Filio; non tamen esse Filium, ideò quia solum Verbum vi suæ processionis procedit non modò vt simile in natura principio producenti, sed etiam procedit vt imago ad repræsentandum expressa. Vnde dicunt, particulam illam definitionis generationis, scilicet *in similitudinem naturæ*, non competere processioni Spiritus sancti: quia similitudo requisita ad rationem filij, & termini generationis, non est quælibet similitudo in natura, sed similitudo imaginis: vnde ignis productus procedit vtique similis igni producenti in natura specifica; quia tamen non procedit vt imago ad repræsentandum expressa, non dicitur filius. Quare, licèt Spiritus sanctus vi suæ originis procedat similis suo principio; quia tamen non procedit vt imago ad illum repræsentandum expressa, non est Filius. 130

Filium verò in diuinis esse imaginem Patris, non Spiritum sanctum, probat Vasquez ex Patribus, Athanasio *de decretis Synodi Nicænæ*, Nazianz. *orat.*4. *de Theologia*, quæ est 36. Hugone de S.Vict. *lib.*6.*de Trinit.cap.*19.20.*&* 21. August. *lib.*5. *de Trin. c.*24.& *lib.*15.*c.*27. Anselmo *in Monol.c.*53. 131

PROBATVR etiam ratione: quia solius Verbi est repræsentare, quia procedit vt species declaratiua obiecti intelligibilis intellectui dicenti: amoris autem tantùm est procedere, vt impulsum voluntatis in rem amatam. 132

Confirmatur in creaturis, à quibus transfertur imago diuina. Omnis filius est imago patris. Sic quò viuaciùs repræsentat patrem, dicitur filius eius.

Hunc

Hunc modum refellunt Suarez *lib.*11. *cap.*5. Amicus *d.*18. Arriaga *sect.*3. quia repræsentatio, seu ratio imaginis, quam addit Vasquez, reperitur etiam in similitudine naturæ, loquendo de imagine naturali, de qua nos. Quare id, quod procedit ab alio simile in natura, habet vt sit etiam repræsentatiuum eius. Ideò inter homines filius est imago patris, quia nascitur similis in natura. Cùm ergo Spiritus sanctus procedat similis in natura suo Principio; sequitur, etiam ipsum esse imaginem. Neque enim ratio imaginis Filij stat, vt sit Verbum sui Parentis; nec quia procedat per intellectum, vt vidit Caspensis *num.*85. Sed quia habet naturam parenti similem. Confirmatur à Morando. Vel *το ad repræsentandum*, exprimit finem; & tunc neque animal esset imago genitoris sui: vel exigit ex ratione actionis; & cùm hæc sit per actum intelligendi, seu Verbi, à Vasquez requisita, iam Abel non esset imago Adæ, quia non repræsentat intellectiuè. Ex his Arriaga, & Morandus refellunt modum Amici, & Granadi. Filium Dei nasci, vt similitudinem, etiam intentionalem; & ideò omninò similem; non sic Spiritum sanctum; quam enim vocat imaginem, isti similitudinem intentionalem vocant. Contrà etiam est, quia esse intentionale non facit simile in natura, requisitum ad generationem.

133 Illud verò mihi occurrit obiiciendum Vasquezio, quod sæpè ipse monet, ne nouas Philosophias proprio marte excogitemus; alioqui nil vnquam solidum habebimus ad fundamenta. Igitur definitio generationis viuentium est hæc: *Est origo viuentis à viuente, ex principio vitæ coniuncto, in similitudinem naturæ.* Quæ definitio est Damasceni *lib.*2. *de fide, cap.*8. quam allegat, & sequitur D. Bonau. *dist.*13. *quæst.* 2. *ad* 2. vbi explicat necessarium, vt exeat simile formaliter ex vi productionis. Et D.Thom. *quæst.*27.*art.*2. Scotus 3. *d.* 8. *quæst. vnic.* & communiter.

Et colligitur ex Aristotele 2. *de anima, tract.*34. vbi generationem viuentium definiens, ait: *Naturalissimum operum, quæ in viuentibus, est facere aliud, quale ipsum; animal quidem, animal: plantam autem, plantam.* Similia habet 7.*Metaph. tract.*28. Vbi obseruo, in definitione poni, vt sit productio naturalissima. Scotus verò dicit: Est productio naturalis. D. Bonau. *d.*13. *q.*2. *ad* 1. per modum fœcunditatis naturæ: cæteri verò ex productionis vi. Hanc verò particulam reiicit Caspensis *disp.*1. *n.*78.

134 Porrò definitionem illam: *Est origo viuentis à viuente, à principio coniuncto, in similitudinem naturæ*, Theologis meritò probari, ait Vasquez *disp.*113. *num.*3. Ei autem nil noui additur, dum dicitur ex vi productionis; sed solùm aduertitur, esse in sensu formali intelligendam.

Iam verò Filius eo ipso, quòd ex alio oritur, producitur similis similitudine naturæ, ad exprimendum, & repræsentandum Patrem, vt constat inter homines.

Similiter & in Diuinis, vnde Sancti Patres non dicunt, Verbum esse imaginem, quia est Verbum cognitionis; sed quia est simile in natura, vt aduertit Arriaga *disp.*47.*sect.*3.*num.*14. Sic D. Athanasius epistola illa citata à Vasquez de decretis Nicænæ Synodi. *Si eum imaginem nomines, Filium hoc ipso, eum esse indicaueris: quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Pondero Concilij verba formaliter imaginem astruere, eo ipso, quòd sit Filius, & reddere rationem è similitudine profectò progeniei. Itaque imago similitudini Filij non addit aliquid noui. Hoc sensit D. Bonauentura, qui cùm in responsione ad primum dixisset, hanc esse differentiam emanationum, quòd Filius nascitur similis ex vi fœcunditatis naturæ; non sic Spiritus sanctus: rursus in responsione *ad secundum* ait, eas emanationes differre, quia vna terminat ad amorem; altera ad imaginem. Imaginis autem, non verò amoris est generari. Vnde pro eodem habet oriri similem ex vi emanationis, & oriri vt imaginem. Idem habet *dist.*31. *p.*2. *q.*1. & 2. Eum sequitur Scotus 135
1.*dist.*10.*q.*1.*ad primum.*

Alij quoque Sancti Patres eiusdem sunt sensus. D.August.*quæst.*4.*in Deuter. Si Patri est similis Filius, etiam imago rectè dicitur; at Spiritus sanctus similis quidem dicitur, imago non dicitur.*

D.Nazianzenus loc. cit. *Breuis, & compendiosa, facilisque paternæ naturæ declaratio est Filius. Omne enim, quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit.* D. Anselmus etiam *in Monol.c.*53. *Sicut Verbum, mox vt consideratur, se prolem esse eius, à quo procedit, euidentissimè probat, promptam præferendo parentis imaginem; sic amor apertè se prolem negat: quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet, se contemplanti, eius ex quo est, similitudinem; quamuis ipsum considerata ratio doceat omninò idipsum esse, quod & Pater, & Filius.* Vbi obserua, ex natura generationis viuentis oriri, vt Filius nascatur imago; & ideò videntur pro eodem accipere Patres imaginem, & similitudinem in Filio, vt notat Ruitz *d.*8.*sect.*3. *n.*4. Arriaga *disp.*47.*sect.*3.*n.*20. qui per hæc respondent authoritatibus Sanctorum.

Ego existimo, rationem imaginis in ratione Filij includi. Pro quo aduerto, tres conditiones requiri ad rationem imaginis. Prima est similitudo in natura specifica. Secunda respectus producti ad producentem: & hæ fundantur in alia conditione, vt productum exeat à producente, modo naturali, & per modum naturæ: nam ex vi huius conditionis habet productum, vt non tantùm procedat in similitudinem naturæ. Hæc autem conditio deest Spiritui sancto. Itaque statim, ac dixero, oriri naturaliter, seu similem ex vi fœcunditatis naturæ; intelligo, oriri imaginem. 136

Ex his habes, quid sentiendum de aliorum opinione, qui modicè à Vasquez discedunt; in eo differre has emanationes, quòd Verbum procedit per intellectionem, atque adeò adæquatè simile, non solùm in natura, sed etiam simile ipsi principio productiuo, & specifico obiecti intelligibilis; procedit enim declaratiuum, & expressiuum obiecti. Ergo procedit, vt Filius: at Spiritus sanctus, qui non ordinatur ad exprimendum, sed ad inclinandum appetitum, non habet hanc similitudinem in 137
ratione obiecti; ideo neque est Filius. Ita ferè Amicus *d.*18.*sect.*7.*n.*158.

Sanè hæc opinio fundat rationem Filij in similitudine intentionali, secundùm quam Filius est magis similis, quàm Spiritus sanctus, qui solâ similitudine reali naturæ assimilatur. Sed hoc suprà refelli; ea enim similitudo non sufficit ad fundandam filiationem, vt patet in verbo nostro, quod est similitudo intentionalis obiecti, & tamen non est Filius.

Deindè ad esse filij non est necessaria similitudo adæquata; mulus enim est filius asinæ, & equi; & tamen non est similis adæquatè.

Præterea filius non accipit virtutem generatiuam: ergo non est similis adæquatè Patri.

Dices cum Vasquez, non omne, quod ex natura sua procedit simile, procedit etiam vt imago: nam

nam ignis generatur similis igni generanti; neque tamen est eius imago, quia non est similior ei, quàm aliis ignibus.

138 Respondetur, de ratione imaginis non esse, vt sit similior suo principio, quàm cæteris: nam vnus homo potest esse similior suo fratri, quàm Patri; cùm tamen sit imago patris, non fratris. Sed quamvis hoc daremus in rebus homogeneis, in quibus non est perfecta ratio generationis, vt notat D. Bonau. *dist.9. q.1.corpore*; non enim generatur à principio intrinseco: tamen in viuentibus nihil procedit perfectè simile suo principio, ex vi processionis, quod non sit imago eius. Quod verò ait Vasquez, Spiritum sanctum non esse imaginem, quia nullum repræsentat; non enim Pater, & Filius intelligunt Spiritu sancto: hoc, inquam, supponit Patrem intelligere Filio, & ita sapientem esse sapientiâ genitâ, quod est contra D. Augustinum, vt infert etiam Faber *disputatione citata, n.10.*

139 Propria verò Seraphici ratio discriminis inter has emanationes, quam ex eo sumpsit Scotus *dist.13.quæst.vnic.* Fauentinus *disp.39.cap.3.* Mastrius *disp.7.de Trin.quæst.3. num.134.* Rada *controu.14.* & alij Scotistæ, quæ est etiam D.Thom.*1.p.q.27.art.4.* Iauelli, Caietani, Bannes, Zumelli, Ripæ, Nazarij *ibidem*, Ferrar.*4.cont.Gent. cap.14.* Capreoli *1.disp.13.q.1.* est, has emanationes differre seipsis formaliter, more aliarum differentiarum, nempe per propria essentialia. In eo autem altercantur hæ duæ scholæ, quòd Scotistæ, cum Magistro suo, volunt eas emanationes differre seipsis formaliter primò, seu esse primò diuersas, quia in vltima realitate nil habent commune. Ea enim differunt formaliter primò, quando in vnius formalitate nil inuenitur, quod in vltima alterius quidditate reperitur; rametsi in aliquo generico conueniant: Thomistæ verò negant, differre primò; quia earum distinctio sumitur ex alio distinctiuo eis intrinseco, & essentiali, & in multis prædicatis conueniunt; maximè in hoc, quòd sint processiones diuinæ, naturæque diuinæ communicationes, quod eis commune est, ad modum vniuoci, & instar generis, quod per differentias per se descendit ad species, vt ait Nazarius. At non est hæc ratio bona, ad definienda primò diuersa apud Scotum, vt dixi. Sed de hoc ipsi digladientur.

140 Illud sanè præmonuerim, neque Scotum, neque D. Bonauenturam existimasse, ita has emanationes seipsis differre, vt non sit alia ratio quærenda, quasi eos Patres sint secuti, qui dicebant, hanc differentiam esse inexplicabilem; nam oppositum habetur ex dictis: concedunt enim radicaliter à principiis suis, intellectu, & voluntate, vltimò verò ex terminis distingui. Neque ideò S. Doctor impugnat dicentes, distingui penes principia; sed quia dicebant, distingui penes sola principia: quæ fuit opinio Henrici, impugnata posteà à Scoto. Quare non rectè Scotum, atque adeò & Seraphicum carpunt Suarez *lib.11. cap.5. num.3.* Vasquez *disput.113. cap.4. in fine*: Auersa *quæst.7.* & alij Recentiores, vt acutè aduertit Mastrius *loco citato.*

141 Has autem emanationes differre formaliter, probatur à Fabro *cap.3.* quia generatio est in Patre tantùm: spiratio verò in Patre, & Filio. Et hoc docet de mente Scoti.

Verùm non recordatur se *cap.1.n.5.* attulisse quatuor rationes è Scoto, ad hanc differentiam reprobandam, quam asseruit, esse D.Thomæ *q.26. art.2. ad vltimum.*

Enim verò virtute differre, meliùs probatur à D.Bonauent. quia habent intrinseca distinctiua simplicissima; sunt enim substantiæ perfectissimæ.

Probatvr secundò à Fabro, authoritate D. August.*15.de Trin.cap.17.* vbi ait: *Sic enim videbis, quid distet natiuitas Verbi, à productione Doni.*

Hæc verba non inueni in allegato loco; sed solùm, differre emanationes passiuè: quia Filius emanat, vt Verbum; Spiritus sanctus, vt Charitas. Et se extendit ad ostendendum, Spiritum sanctum esse charitatem; quia sic dicitur in Scriptura, & suo nos aduentu accendit, vt prosequitur etiam D. Bonauent. *dist.10.art.2.quæst.1.fundamento 2.* at estò ita D. Augustinus loqueretur, adhuc non probaretur inde nostrum assertum.

Aliam authoritatem D. Augustini *5. de Trin. c.9.* affert Scotus; quia Filius procedit, vt natus; Spiritus sanctus, vt Donum. Hanc verò non habet D.Augustinus loco adducto à Fauentino, & Scoto; sed *cap.14.& 15.* & post eum D.Bonau. *hic in corpore*, & *dist.18. quæst.4. & 5. fundamento 1.* & verè hoc ostendit intentum: Emanationes istas à seipsis differre; sicuti (ait S.Bonau.) rationale, & irrationale seipsis differunt. Quamvis enim differentiæ hæ habeant quid commune, vt esse ens, substantiam; tamen in vltima quidditate nihil habent commune. Ita proportione quadam in diuinis illæ geminæ emanationes. Ex quo non infertur, has esse primò diuersas, quia non sunt substantiæ completæ, absolutæ; sed relatiuæ, habentes communem dependentiam ad extrinseca. Imò Nazarius hinc negat, differre seipsis formaliter hoc sensu, quia differunt per ordinem ad extrinseca. 142

Probatvr tertiò à S. Bonau. has emanationes seipsis differre: quia omnis distinctio in diuinis venit ex modis originis, & relationis. Tunc sic: Ea, quæ sunt ratio formalis distinctionum aliarum, debent distinctionem à seipsis habere: emanationes sunt huiusmodi: ergo. Maior probatur primò: nam nemo dat, quod non habet. Secundò, quia à principio vniuersali sunt omnia principiata. Minor probatur; nam omnia in diuinis sunt vnum, exceptis his, quæ ad relationes spectant, quarum origo sunt emanationes. Si ergo hæ sunt origines distinctiuorum, debent seipsis distingui.

Dices, à quo res habet esse, habet & distinctum esse, *ex 4. Metaph. tract.3.* sed istæ emanationes habent esse ab intellectu, & voluntate: ergo ab his distinguuntur.

Respondet S.Bonauent. *in corpore*, istas emanationes habere esse, & distinctum esse à principiis suis extrinsecè: intrinsecè verò à suis essentialibus differentiis. Ita etiam Scotus, & Faber.

Respondet S.Bonau.etiam ad 4. quod in esse originali illud axioma deficit. Sic differentiæ, licèt habeant esse à genere; tamen non distinguuntur à genere, sed à seipsis.

Vrget S. Doctor pro responsi confirmatione, non satisfieri difficultati dicendo, distinctionem prouenire à diuersis principiorum fœcunditatibus; oportet enim iterum quærere, in quo fœcunditas intellectus differat à voluntatis fœcunditate. Si dicas, differre, quia fœcunditas naturæ est in solo Patre; at fœcunditas voluntatis in Patre, & Filio; rursùs redit quæstio, vnde veniat hæc differentia? & oportet venire ad hoc, quòd fœcunditas naturæ est in vno; quia imago per illam procedens nata est esse ab vno, fœcunditas autem voluntatis in duobus; & ita redibo ad primum, circulo compacto: ergo perfectiùs assignatur ab intrinseco. 143

Contrà

Contra hanc differentiam à D. Bonau. assignatam, arguit Vasquez *cap.4.* arbitratus, eam esse Scoti, quia est insufficiens; non assignans aliquam rationem differentiæ. Sic vrget & Caspensis *disp.1. n.68.*

144 Respondet S. Bonauent. *corpore*, quod quando aliqua seipsis differunt, non potest assignari alia ratio intrinseca, nisi quia talia sunt entia. Posse verò externas assignari.

Inter alias, ea est etiam apud D. Bonauenturam, quòd generatio fit ab vno: spiratio à duobus. Quia enim generatio perfecta, est per modum perfectæ assimilationis; ideò ad vnum principium respicit. Quia verò spiratio est emanatio per modum connexionis, ideò est à duobus. Hinc etiam sequitur, vt Spiritus sanctus procedat vt donabilis: non sic Filius. Idem habet D. Thom. *quæst.36.art.2. ad vlt.* Hoc autem modo intellecta non benè impugnatur à Scoto *dist.13.initio*, & Fabro *disp.39.*

Contra eam tamen insurgit Faber è Scoto. Principium formale producendi aliquid, non est principium alterius rationis, ex hoc, quod est in hoc supposito, vel illo: sed productio Spiritus sancti habet vnum principium formale: ergo non variatur ex hoc, quod sit in vno, vel alio supposito. Probatur maior; nam albedo est principium immutandi visum: neque mutatur per hoc, quod sit in niue, aut lacte. Sed eadem ratio immutandi visum manet vbique.

145 Respondetur ex D. Bonauentura *in corpore*, hoc argumento solùm probari in genere, hanc non esse differentiam intrinsecam, sed consequentem.

Respondetur secundò, falsam esse vniuersaliter maiorem in his, quæ relationes fundant. Præterea falsa est etiam minor, vt ait D. Bonau. *in corpore*; nam ratio formalis emanationis Spiritus sancti includit esse nexum, & donum, atque amorem mutuum. Ideò variatur admodùm ratio principij, si in vno, vel in duobus; nam in vno non erit nexus, &c.

146 Argvit secundò Faber è Scoto. Sequeretur, quod non haberemus rationem, ob quam in Trinitate sint Personæ tres. Quia ideò sunt tantùm duæ personæ productæ, quia sunt tantùm duæ productiones. Si ergo distinctio productionum sumitur ex pluralitate suppositorum, patet, quod ratio determinandi numerum suppositorum, non posset sumi è distinctione emanationum; esset enim circulus.

Hoc est argumentum D. Bonau. *in corpore*, quo probat optimè, non sumi hinc rationem formalem distinctionis adæquatam; sed solùm consequenter ad naturam talem emanationem. Eundem reor esse D. Thomæ sensum, vt indicat Vasquez *disp.148. cap.2.* Quare non benè instat Faber, hinc saltem destrui viam inquirendi emanationum distinctionem.

147 Argvit tertiò argumento S. Bonau. *in corpore.* Omnis distinctio reducitur ad aliqua primò diuersa, seu ad aliquas primò differentias (vt cum Seraphico loquar:) ergo eorum distinctio debet reduci ad tales differentias; at vnitas, & pluralitas suppositorum non est huiusmodi, quia circumscriptis principiis productiuis, pluralitas suppositorum non haberetur, & consequenter non posset esse distincta ab vnitate suppositorum. Ergo distinctio inter vnitatem, & pluralitatem suppositorum pendet ab alia; & sic non est prima.

Caietanus *quæst.36.art.2. ad vlt.* respondet, Scotum non percepisse rationem D. Thom. qui non vult, solam distinctionem suppositorum esse caussam distinguendi has emanationes; quod licèt non videatur ad mentem D. Thomæ, qui in responso concludit, quòd non aliter processiones distinguerentur; tamen est expressa responsio D. Bonau. vt patet legenti *resolutionem.*

Ex his autem sequitur, has emanationes differre etiam ordine quodam, quatenus emanatio per voluntatem supponit emanationem per intellectum, à quo ducit originem. Ità D. Bonau. *d.20.q.3. & 4.* D. Thom. *de potentia, q.9.art.9.ad 2.* & *1 p. q.27. art.3. ad 3. hic.* Hic autem ordo dicitur relatio originis à Foresto *disp.1.c.3. fol.56.* 148

Contra hanc arguit Scotus. Hæc ratio non est prima; nam adhuc quæritur ratio *propter quid* illa emanatio per intellectum sit prior: & pro causa assignanda sunt principia productiua, vel quia illæ productiones talis sunt conditionis.

Deinde relatio non distinguitur primò ab alia relatione per relationes: sed relationes prioris, & posterioris sunt aliæ relationes à relationibus originis, cuiusmodi sunt istæ emanationes. Ergo emanationes non distinguuntur per relationes prioris, & posterioris. 149

Prior ratio ex his est D. Bonau. *in corpore*, quæ ostendit, eam non esse primam rationem, sed consequentem. Idem tantùm probat secunda. Quare nil contra Seraphicum.

Vt autem ostendam, Scotum hæc omnia è S. Bonau. decerpsisse, referam, quas ipse è D. Bonau. refert hac de re sententias, & argumenta, quibus nititur ad eas confutandas.

Prima est Vattonis, & Ægidij *disp.3.art.2.* Ferrar. *4.contra Gent. cap.24.* qui volunt, has origines distingui per terminos, qui sunt personæ productæ. Quia ex Aristotele *5.Physic. text.4. & 48.* motus distinguitur per terminos; istæ autem productiones sunt viæ ad terminos, idest personas. 150

Contrà, quia personæ sunt ab emanationibus passiuè, easque passiuè terminant: ergo nequeunt actiuè illas specificare. Igitur, vt differentiam personarum assignemus, oportet ad emanationes redire priores, quæ dant terminis esse, & sunt antequam intelligantur personæ productæ; & ita in hac assignatione erit circulus. Hac ratione vtitur Scotus *loc.cit.* & Faber *disp.39.n.2.*

Præterea arguit D. Bonau. *ad tertium.* Ideò motus specificatur à termino, quia forma fluens, quæ dat esse motui, est in potentia ipse terminus, qui producitur; dealbatio enim specificatur ab albedine, quia albedo est forma fluens per motum illum albificationis; & est terminus eius: in diuinis autem emanationibus nulla datur fluens forma, nec est in potentia. 151

Scotus addit, quòd ideò terminus non specificat emanationes istas, quia forma, veluti fluens per eas, non est persona, sed essentia diuina, quæ est eiusdem rationis in vtraque productione diuina; neque est terminus adæquatus productionis, sed formalis tantùm, ideò ab illo nequeunt habere specificationem.

Contra arguo. Illa est veluti forma fluens, quæ producitur; at non producitur essentia, sed communicatur: producitur verò Persona, quæ est terminus adæquatus. Cùm autem Personæ differant, rectè à posteriori, & passiuè (vt subdit S. Bonau.) potest sumi distinctio.

Secunda fuit opinio Henrici *in summa, art.37. quæst.7.* has emanationes differre tantùm per vim genera- 152

generatiuam, & spiratiuam, quæ sunt principia formalia elicitiua earum.

Contrà arguit Scotus ex D. Bonau. *in fine corporis* (vt notant Marginistæ Seraphici.) Hæc ratio est insufficiens, quia probat ignotum per ignotius; notiùs est enim differre emanationes, quàm relationes illas actiuas paternitatis, & spirationis actiuæ in Patre, quia illæ possunt esse, & sunt in eadem persona: hæ autem duæ emanationes nequaquam; quia eadem persona non potest produci
153 duabus productionibus diuersis. Tum etiam, quia hæc differentia non est per intrinseca, sed per extrinseca.

Alibi Henricus ait, hanc distinctionem realem prouenire à distinctione principiorum, quæ solâ ratione differunt.

CONTRA arguit S. Doct. *initio corporis*. Distinctio rationis ratiocinantis non potest fundare distinctionem talem plurium diuerso modo realiter se habentium; tales autem sunt emanationes à parte rei; nam origine tales sunt, vt vna realiter sit generatio, altera non; alter sit Filius, alter non: nam in Symbolo Athanasij definitur Filius esse genitus; Spiritus sanctus non. Sic etiam in Concil. Nicæno, Constantinopolitano, & aliis.

Prætereà in Scripturis dicitur Filius esse vnigenitus. Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Et iterum: *Vnigenitus, qui est in*
154 *sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Vbi S. Bonau. *ad 1. Ioan.* argutè notat, dici gloriam vnigeniti, quia non potest alius dari Filius Patris. Neque particulam illam *quasi*, esse dubitantis, vel assimilantis, vt ostendit ex D. Chrysostomo; sed certificationis, & certissimæ asseuerationis, ac si diceret: *Vidimus gloriam eius*, qualem decet habere Vnigenitum, & naturâ Filium Dei. Idem habet D. Gregor. apud S. Bonau. *ibi*. Hæc verò nequeunt euidenter probari, vt habet D. Athanasius *dialogo de Trinitate*.

QVÆSTIO VI.

An detur aliquis ordo inter diuinas emanationes.

D. Bonau. d. 12. q. 4.
D. Th. in 1. d. 12. q. 1. art. 1.

DVRANDVS *d. 12. q. 1.* vult, dari inter eas aliquem ordinem, sed per accidens.

Vasquez *disp. 168.* admittit ordinem, & prioritatem, etiam per se realem, cùm Scoto.

155 ASSERO cum D. Bonau. dari inter has duas emanationes ordinem aliquem per se, sed rationis.

PROBATVR à S. Doct. in fundamentis. Primò, quia diuinæ emanationes cognoscendæ sunt secundùm analogiam quandam ex imagine diuina, quæ est in nobis; in imagine autem creata hic ordo reperitur, vt notitia priùs emanet, quàm amor, ex D. Aug. 10. *de Trinit. c. 1.* Ergo & in diuinis prior est processio Filij Verbi à mente, quàm Spiritus Amoris à voluntate.

PROBATVR secundò. Voluntas est, cuius principium est in ipso cognoscente singula, ex Aristot. *de motibus animalium.* Ergo voluntas, vt volitio, supponit cognitionem. Ergo emanatio amoris supponit emanationem notitiæ, & Verbi.

PROBATVR tertiò. Esse principium est aliquâ ratione prius, quàm esse principiatum. Sed Filius est principium Spiritus sancti. Ergo oportet præintelligere Filium Spiritui sancto. Ergo & generationem priùs, quàm spirationem. 156

Hanc rationem impugnat Durandus. Idem est esse per se, & secundum quod ipsum, ex Aristot. 1. *Poster. c. 4.* Sed spirare non conuenit Filio, secundùm quod Filius est: ergo neque per se.

Respondet Vasquez, ex D. Bonau. quod spirare conuenit Filio, in quantum Filius, non quòd filiatione spiret, atque adeò eo spiret, quo est Filius; sed quia de ratione Filij est fœcunditas ad spirandum; hoc enim habet Filius sua caracteristica proprietate. Prætereà etiam effectus subsequitur per se; nam amor supponit per se notitiam, sicut voluntas intellectum. 157

PROBATVR quartò. Productio, secundùm rationem naturæ, supponitur productioni secundùm rationem voluntatis. Sed emanatio Verbi est productio secundùm rationem naturæ; & Spiritus sancti secundùm rationem voluntatis: ergo. Easdem rationes reperit *in corpore*.

Obiicies primò. Relationes sunt simul, etiam cognitione. Personæ diuinæ sunt relatiuæ: Ergo. 158

Respondetur, quòd licèt relatiua, vt relatiua, sint simul cognitione; tamen fundamentum relationum supponitur. Sic Pater prior est Filio. In diuinis verò, vbi non admittitur prioritas temporis, vel naturæ, vt ostendam *disp. 14. q. 4.* debet saltem admitti originis.

Obiicies secundò. Partum mentis præcedit appetitus quidam, quo id, quod nosse volumus, quærendo, & inueniendo, nascitur proles, & notitia, ex D. August. 9. *de Trin. cap. 12.* ergo in imagine antè est appetitus, quàm notitia. Ergo antè est amor, quàm verbum. 159

Respondet D. Bonau. duplicem esse appetitum; alterum inhiantem ad scientiam, & est appetitus naturalis, generalis, indeterminatus; & hic est imperfectus, cùm inhiet ad scientiam, quâ caret. Alius appetitus est, vt voluntas, ortus ex cognitione; & hic perfectus, & in Deo, qui sequitur notitiam, secundùm quem mouetur voluntas rationaliter liberè; hic verò est fœcundus. In diuinis ergo voluntas, vt natura reperitur sine inhiatione; & dicitur voluntas essentiæ, communis tribus personis: hæc sanè est ante notionalem; sicut absolutum est ante relatiuum. Voluntas verò notionalis accipitur à voluntate, vt voluntas, quæ consequitur notitiam, Verbique generationem, saltem secundùm rationem intelligendi.

Obiicies tertiò: Vniuersaliora sunt priora, at spiratio est vniuersalior, quàm generatio: ergo. 160

Respondetur ex D. Bonau. vniuersaliora, quoad prædicationem, esse priora; at spiratio non est aliquod genus supra generationem hanc Verbi; sed est emanatio particularis per amorem mutuum, quæ nomine quodam vniuersali spirationis recensetur; eò quòd non adsit nomen ad explicandam emanationem amoris, qui sit persona: sicuti adest ad exprimendam emanationem filij, quæ est generatio.

HVNC verò ordinem, non realem, sed rationis esse, ostendam *disp. 14. q. 5.* dum idipsum probabo de ordine personarum inter se, quarum ordo ex emanationibus oritur.

DISPVTA

DISPVTATIO III.

De Relationibus Diuinis.

QVONIAM è diuinis Emanationibus insurgunt Relationes, vt ait D. Bonauentura initio disputationis secundæ adductus; ideò post disceptationem de Emanationibus diuinis, agendum est de Relationibus.

QVÆSTIO I.

An dentur in diuinis aliqua Relationes reales.

1 FVIT error Gilberti Porretani, Episcopi Pictauiensis, Relationes diuinas non esse realiter in Deo intrinsecè, sed tantùm extrinsecè assistentes. Ita coarguunt eum antiquiores, ac proceriores Theologi. D.Bonau.*dist.*33.*q.*1.D.Thom.*q.*28.*art.*2.Alensis 1.*p.q.*68.*m.*5.*art.*6.§.3.& alij.Perperam verò Vasquez *disp.*114.ait, Gilbertum nil tale docuisse, quod ei à Theologis istis asciscitur. Adducit autem ad hoc Otthonem Frisingensem Episcopum, qui floruit anno 1260. Profectò Alensis eodem tempore floruit, Doctor irrefragabilis: & D.Bonau.eius discipulus, Ecclesiæ Sanctæ Doctor, anno 1274. ad cœlos euolauit, & paulò antè S.Thomas, qui omnes in fidei controuersiis fuere eruditissimi. Prætereà Concilium Rhemense, quod fuit contra Gilbertum ab Ecclesia congregatum, contra id definit, vt ostendi *tract.*1.*disp.*3.*q.*8.vbi vide collisum Vasquium.

Inter Catholicos adducuntur Caietan. & Canar. *ad art.*1. *q.*28. relationes diuinas, secundum esse *ad*, non reales, sed communes ad esse reale, & rationis asserentes.

Præpositiuus verò apud D. Bonau. censuit, dari proprietates solo modo loquendi distinctas. Guilielmus verò Parisiensis censuit, proprietates esse mera entia rationis, vt refert Carthus. 1.*d.*26.*q.*2. Idem sentiunt Nominales. Arbitror, Caietanum locutum de relationibus solùm in genere, quod suspicatur etiam Faber *disp.*27.

2 ASSERO primò, in essentia diuina esse relationes intrinsecas reales.

Definitum est in Concilio Later. sub Innoc. III. & refertur *in cap. Firmiter, de summa Trinitate*, cùm dicitur: *Hac sancta Trinitas, secundùm communem essentiam, indiuidua; secundum proprietates personales, discreta.* Proprietas enim personalis est Relatio.

Et in Concilio Tolet. 11. *in confess. fidei*, dicitur: *In relatis verò Personarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem; Spiritus sanctus ad vtrumque refertur.* Hoc innuit S. Bonau. dicens, omnes Catholicos ita sentire.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex D. Hieron. *de Symbolo ad Damasum*, *c.*17. *Non tantùm nomina, sed & nominum proprietates confitemur.* Hæc est confessio fidei. Deinde ex D. Fulgentio *de fide ad Petrum*, *c.*1. *Proprium est Patris, quod vnum Filium genuit.* Prætereà ex D. Damasceno *lib.*1. *de fide*, *c.*11. *Differentiam Personarum in tribus proprietatibus, &c. cognoscimus.*

3 PROBATVR etiam à D. Bonau. ratione theologica, ex fidei principiis. Si relationes non essent realiter in Deo intrinsecè, sed essent extrinseca quædam denominatio relatiua, non possent Personæ relationibus multiplicari, & distingui; ac proinde nec aliâ viâ, quia cætera sunt communia: communia autem non distinguunt. Sic in hæresim Sabellij laberemur, qui vnicam in Deo personam fatebatur. Hoc est tertium fundamentum D.Bonau. *hic*, & *quæst. adducta*, *dist.*33. quæ est ratio etiam D.Thom. *argumento Sed contra*, Turriani, Zumelli, & Nazarij *ad hunc articulum*, qui asserit ab omnibus ferè modernis adhiberi.

Distingui autem Personas relationibus, asseritur à Concil. Lateran. *loc. cit.* Florentino *sess.*18. & 19. Toletano 7. & 11. *can.*1. sexta Synodo *act.*11. & habetur 1. *Ioan.*5. & in Symbolo Athanasij, & Damasceno *lib.*1. *c.*11.

Quamvis autem relata Concilia non dicant formaliter expresè, illas relationes esse reales; tamen, dum asserunt per eas realiter distingui Personas diuinas, in eisque verè esse, non minùs quàm substantiam, profectò volunt, esse entia realia intrinseca, vt aduertunt Suarez *lib.*5. *c.*1. Vasquez *disp.*114. & 158. qui hac ratione nituntur; & Nazarius, qui concludit, totum argumentum esse de fide.

4 PROBATVR quartò à D.Bonau. Quandocumque aliqua fundant quæstionem substantialem de intrinsecis enti reali, debent esse entia realia intrinseca: at relationes talem fundant quæstionem: ergo. Maior est euidens, alioqui esset quæstio fictitia, vel de ente rationis. Minor probatur. Sicuti enim, cùm de essentia diuina agitur, inquiritur *Quid*? ita, cùm de Personis, inquiritur *Quis*? & de relationibus, *Quomodo*? seu *Qua*? Sed hæ quæstiones sunt substantiales: ergo.

PROBATVR quintò à D. Bonau. Relationes è realibus emanationibus procedentes debent esse reales, quando sunt in eodem ordine naturæ. Tales sunt diuinæ relationes: ergo sunt reales: & cùm sint in eodem ordine naturæ, debent esse intrinsecæ. Eodem argumento nititur Suarez *num.*3.

5 Vrget S.Doctor. Generatio, & processio differunt, alioqui non differrent Personæ: at vtraque est in Persona Patris, quæ est vna, & proprietates sunt plures: ergo est ponere in diuinis proprietates reales distinctas, non differentiâ essentiali, vt constat; neque personali, cùm sint in eadem persona: ergo notionali. Quod si non differunt generatio, & spiratio, sequitur, sicut vera est hæc: *Pater spirat Spiritum sanctum*; veram esse etiam hanc: *Pater generat Spiritum sanctum*; & ita sequitur, Spiritum sanctum esse Filium.

PROBATVR sextò à D. Bonau. consimili argumento. Vnum est principium Spiritus sancti: at non est vnum essentiâ, quia esset etiam in Spiritu sancto; neque est vnum Personâ, quia est Patris, & Filij: ergo vnum proprietate spirationis actiuæ: at hoc dat esse reale distinctum intrinsecum Spiritui sancto per relationem productam: ergo datur proprietas realis intrinseca.

Eodem ferè modo deducitur realitas paternitatis, & innascibilitatis in Patre, qui est vna Persona, & refertur ad Filium paternitate, non innascibilitate. Ergo in vna Persona sunt distinctæ proprietates.

6 Easdem rationes refricat in corpore, vbi totum confirmat. Videmus enim, quod vno modo vna persona comparatur ad vnam, vt Pater ad Filium: & videmus vnam personam vno etiam modo, seu vna habitudine comparari ad duas, vt Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium. Rursus vnam Personam

ſonam pluribus modis comparari ad plures, vt Filius ad Patrem, & Spiritum ſanctum. Similiter plures Perſonas eodem modo comparari ad vnam, vt Pater & Filius ad Spiritum ſanctum. Ergo vnitas habitudinis non poteſt ſumi à parte eſſentiæ, nec à parte perſonæ, quæ refertur; neque ex ea, ad quam refertur. Ergo ex parte alicuius realis proprietatis conſtituentis, diſtinguentis intrinſecè; alioqui omnia eſſent chimæræ.

7 Hinc orti ſunt tres modi prædicandi in diuinis. Eſſentialis, ſeu *in Quid*: Perſonalis, ſeu *in Quis*: & Notionalis, quo inquiritur de perſonarum proprietatibus; & dicitur *in Qua*; nempe, quia proprietates, ſeu notiones perſonarum realiter variant, modis relatis, vnam, pluresque perſonas; & aduertit S. Doct. ex commutatione horum modorum ſequi eluſiones in conſequentiis, & fallaciam, quæ dicitur figura dictionis; nempe, quia vna dictio transfertur, more figurarum, ad aliam ſignificandam: ſicuti ſolet euenire in commutatione terminorum vnius prædicamenti, ad aliud inferendum translatorum.

Quod ſpectat ad doctrinam illam Caietani, quæ adſcribitur etiam D. Thomæ, relationes prædicamentales non eſſe reales ſecundùm id, quod eſt eis proprium & formaliſſimum, ideſt ſecundùm eſſe *ad*, quo primò relatio à cæteris prædicamentis diſtinguitur; nec eſſe ens reale, nec rationis; ſed abſtrahere ab vtroque: idemque, quod Nazarius, & alij de relatione diuina aſſerunt, falſum omninò aſſeritur.

8 PROBATVR primò, quoad relationes prædicamentales, argumento Bannes *ad art. citatum D. Thomæ*, & Vaſquez *diſp.* 114. *c.* 2. Nullus conceptus communior poteſt eſſe, quàm conceptus entis: ſed nullus conceptus entis poteſt ſignificare aliquid commune enti reali, & enti rationis. Ergo neque vllus conceptus relationis poteſt ſignificare aliquid commune relationi reali, & rationis. Conſequentia eſt euidens cum maiori. Minor probatur. Ens reale diuiditur in decem prædicamenta, tanquam commune analogicè, quod intrinſecè eſſentialiter includitur in propriis modis, per quos decem rerum genera ſunt primò diuerſa: ergo nihil ita proprium conſiderari poteſt in aliquo genere entis realis, in quo non includatur intrinſecè, & eſſentialiter ens reale: ergo eſt pura chimæra, quod proprius modus diſtinctiuus prædicamenti ad aliquid, abſtrahat ab ente reali, cùm ſit conſtitutiuus vnius generis entis realis. Prætereà arguo ad hominem. Caietanus arguens contra eſſe *cognitum* Scoti, quod ipſe videtur ei aſſerere ens medium inter reale, & rationis; vrget, non dari ens tale medium; nam ens diuiditur in reale, & rationis: & clamat, ſe Peripatetico lacte enutritum, nunquam aliter in Scholis didiciſſe. Multò minùs dabitur in ipſo formali genere entis realis; hoc enim implicat.

At, eſto id admitterem in relationibus prædicamentalibus, nunquid admittere debeo in diuinis, quæ non ſunt prædicamentales? Vide D. Bonauent. *diſt.* 26. *q.* 2.

9 ASSERO igitur ſecundò, relationes diuinas ſecundùm eſſe formaliſſimum *Ad*, eſſe omnino reales; non autem abſtrahere ab eſſe reali, & rationis.

PROBATVR primò à D. Bonau. *diſt.* 26. *q.* 1. & 2. *corpore*, & *diſt.* 33. *q.* 1. *corpore*. Proprietates in diuinis, ſecundùm eſſe *ad*, provt referuntur, conſtituunt Sanctiſſimam Trinitatem, vt ait Boëtius 1. *de Trin. c.* 12. & omnes ſapientes Theologi fatentur, cum D. Aug. 7. *de Trin. cap. vlt.* & *lib.* 9. *c.* 1. Ambroſ. *lib.* 1. *de fide ad Gratianum, c.* 1. Hieron. *in expoſitione Symboli ad Damaſum*, Anſelmo *lib. de Incarn. cap.* 3. & *de promiſſione Spiritus ſancti, c.* 1. Damaſc. 1. *de fide, c.* 10. & 11. apud D. Bonau. *diſt.* 26. *q.* 1. & *ſequentibus*. Idemque è Conciliis ſuprà cum eo collegimus.

Si igitur relationes diuinæ, vt ſunt *ad*, non eſſent reales, ſequeretur, ſanctiſſimam Trinitatem, illiſmet conſtitutam, non eſſe ens reale. Dic igitur, relationes conſtitutiuas, & diſtinctiuas diuinarum Perſonarum eſſe reales.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. ibidem, *diſt.* 26. *q.* 1. & 2. *in fundamentis*. Oppoſitio Perſonarum diuinarum eſt realis; verè enim Pater Filio realiter opponitur. Sed oppoſitio venit à relationibus, ſecundùm eſſe formaliſſimum, vt ſunt *ad*: ergo ſunt reales; alioqui non darent id, quod non habent, ideſt oppoſitionem realem. 10

PROBATVR tertiò ibi. Eſſe *ad*, eſt habitudo. Pater autem realiter ſe habet ad Filium, & vterque ad Spiritum ſanctum, ſimiliter vna perſona ad duas: duæ ad vnam, multis modis relatiuis realibus, nullo cogitante intellectu. Ergo hæ ſunt reali entitate nixæ.

Reſpondet Nazarius cum Caietano, non omne, quod eſt in relatione reali, præſertim diuina, ſecundùm propriam rationem formalem illimitatè ſumptam, eſſe reale. Quid autem ſignificet τὸ *illimitatè*, explicuere in ſua ratione; quia ſumptæ in ſua ratione vniuerſali, eſſe *ad*, ſeu ſe habere ad aliud, eſt commune relationi reali, & rationis.

Contrà primò, quia vt dicebam, non datur hic conceptus communis. Deinde, quia *eſſe ad* relationis prædicamentalis eſt modus determinatus entis realis, quod in bona Metaphyſica diuiditur in decem Prædicamenta, è quibus Relatio eſt genus entis realis, diſtinctum à cæteris, vt dicit *eſſe ad*. Prætereà, eſſe diuinum relatiuum eſt ſubſtantia, vt arguit S. Bonau. *diſt.* 26. *q.* 2. & hæc perfectiſſima: ergo realis. Et ideò oſtendam *q.* 10. dicere infinitam perfectionem. 11

Prætereà Nazarius *concl.* 2. & alij Thomiſtæ fatentur, relationem etiam prædicamentalem, ſecundùm propriam rationem formalem, quæ eſt eſſe ad aliud, limitatè ad talem entis modum eſſe ens reale, ex Ariſtot. 5. *Metaph. cap. de ente*. Cùm igitur relationes diuinæ ſint hoc modo contractæ ad eſſe tale, ſanè non video, quas chimæras excogitent circa Relationes ipſas, quæ diuinæ ſunt, ſic limitatæ, & ab omni ente fictitio alieniſſimæ.

Ex his habes, relationes eſſe proprietates. Ita D. Bonau. *d.* 26. *q.* 2. D. Thom. *q.* 33. *art.* 2.

Probatur à D. Bonau. Primò ex Hilario 12. de Trin. cap. 4. *Proprium eſt Deo nato eſſe Filium*: Filiatio autem eſt relatio. Secundò ex Damaſceno *primo de fide, cap.* 11. Tertiò ex Richardo de S. Vict. 4. *de Trinitate, cap.* 13. & 14. 12

Probatur deinde à D. Bonau. Proprium eſt, quod conuenit ſoli, & eſt incommunicabile: at in diuinis Relationes conueniunt ſoli, & ſunt incommunicabiles: ergo ſunt proprietates.

Probatur etiam in corpore. Ea, quæ ſunt communia, non faciunt differre: at relationes, in diuinis, ſunt quæ faciunt differre Perſonas diuinas. Ergo. Eſt ratio etiam D. Thomæ *argumento Sed contrà*.

Tandem probatur omnibus illis Scripturis, Conciliis, & Patribus omnibus, Perſonas propriis nominibus appellantibus, *Patris, Filij, Spiritus ſancti*, vt indicat D. Bonau. *hic in corpore*, & authoritatibus allegandis. Pater enim eſt alicuius filij Pater. Et Filius, ſeu Verbum, eſt alicuius filius, & Verbum. Sic & Spiritus

Spiritus sanctus est alicuius spiritus. Ideò in Concil.
13 Later.cap. *Firmiter*,& cap. *Damnamus*, habetur: *Hæc est Sancta Trinitas, secundùm communem essentiam indiuidua; & secundùm proprietates discreta.* Proprietates verò esse relationes, patet ex Concil. Tolet. 7. & 11. ex epistola Sophronij in sexta Synodo, *act.* 13. à toto Concilio accepta; & ex Concil.Flor. *sess.* 18. & 19.

Ex his habes primò, quod cùm Personæ relationibus constituantur, & distinguantur, debent relationes esse reales: at verò, cùm Deus in esse Creato-
14 ris, vel Domini non constituatur per relationem ad creaturam, non est necesse, hanc relationem esse realem in Deo, vt notant Torres, & Molina post D.Bonau. *dist.* 27. *p.* 1. *q.* 2. *ad* 3. & *dist.* 26. *q.* 1. *in corpore*, & *ad* 5. vt dicam *ad quintum.*

Habes secundò, relationes inter se oppositas, realiter distingui: paternitatem v.g. à filiatione; sicut & personæ distinguuntur. Probatur ex cap. *Firmiter*, in Concil.Later.suprà, & Concilio Toletano, vbi dicitur: *In relatione personarum verus numerus inuenitur.* Confirmatur ex dogmate illo Theologorum, sumpto ex D. Anselmo suprà: *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*: & habetur in D.Bonau. *dist.* 11. *q.* 1.

15 Probatur à D.Bonau. *dist.* 26. *q.* 1. Personæ realiter differunt: sed differunt per relationes oppositas: ergo & ipsæ relationes distinctiuæ realiter differunt.

Ex his habes, relationes dici, abstractis nominibus, realiter: quod de notionibus etiam ostendam *disp.* 4. *q.* 2.

Obiicies primò, quæ differunt solis nominibus, non habent proprietates reales distinctiuas. Personæ differunt solo nomine: ergo. Minor est D. Hilarij *lib.* 4. *de Trinitate.*

Respondet D.Bonau. D.Hilarium asserere, Patrem differre à Filio, solo nomine Patris, idest solo eo, quod intelligitur in esse Patris; vt excludat, eum differre secundùm formam, seu substantiam, siue naturam. Idem ait de cæteris.

Obiicies secundò ex Damasc. *lib.* 1. *de fide, c.* 12. In creaturis est differentia re, & conuenientia ratione: sed in diuinis è contrario. Ergo in diuinis non sunt relationes distinguentes.

16 Respondet D.Bonau. sensum esse, in creaturis esse differentiam rei, idest naturæ; neque hanc in omnibus creatis ponit: nam Petrus, & Paulus, v.g. in natura conueniunt specificè, licèt differant numericè: hæc autem naturæ differentia in diuinis omninò tollenda est.

Obiicies tertiò. In summo simplici non cadit differentia aliqua: sed diuina persona est summè simplex: ergo ibi non est proprietas realis distinguens.

Respondet, proprietatem relatiuam dare distinctionem secundùm esse *ad*, quod non componit; multiplicantur enim respectus, etiam in creaturis, absque compositione, & sæpe absque vlla innouatione, vt cùm ex dealbatione plurium montium ex niue incipit altissimus mons, antea albus, esse eis similis; neque ex plurificatione respectuum ad omnes componitur.

Obiicies quartò. Ita simplex est Persona, sicut essentia. Sed proprietates essentiæ differunt solo modo loquendi: ergo.

17 Respondet, differre essentialia solo modo; quia, cùm absoluta sint, diuiderent, & componerent essentiam; non sic proprietates relatiuæ.

Obiicies quintò. Diuina essentia, propter summam simplicitatem seipsa refertur ad creaturam, vt cùm dicitur Dominus: ergo similiter & persona; absque proprietate reali.

Respondet D.Bonau. essentiam, vt referatur, debere
18 referri ad aliam essentiam; ad aliam autem essentiam non potest referri, quia relatio dicit ordinem, & habitudinem. Deus autem non ordinatur ad res; sed res ad Deum, ex Aristot. 12. *Metaph. text.* 52. & ideò non est ibi relatio, nisi solo modo loquendi. Sed cùm Persona ad Personam refertur, est ibi vera ratio originis. Et ideò habitudo, atque relatio.

Obiicies sextò. Creatura propter essentialem comparationem ad suum principium, seipsa refertur ad suum Creatorem; alioqui inter creaturam, & Creatorem caderet medium, quòd nec esset creatura, nec Creator. Ergo si multò essentialior est comparatio Personæ ad Personam: ergo seipsa refertur, non per aliquam realem proprietatem.

Respondet S. Bonau. ad Deum creaturam referri 19
seipsa, idest non per essentiam distinctam; nam seipsa essentialiter dependet. Ideò & Aristot. 2. *Physic. text.* 25. ait: *Materia, hoc ipso, quòd est, ad alterum est.* Tamen nec materia est suus respectus, quia non est simplicissima: & in omnibus sanè id, quod refertur, est aliquid ab eo, quod relatiuè dicitur; alioqui relatio ipsa referretur, & relationis esset relatio. Itaque in omnibus relatis differt aliquo modo relatio, seu proprietas; magis verò in creatura, quàm in Deo.

QVÆSTIO II.

Quot sint Relationes Diuinæ.

D.Bonau. d. 26. quæst. vltim.
D.Th. q. 28. art. 4. & q. 32. art. 3.

Sciendvm primò ex D.Bonau. *in corpore*, distin- 20
guenda hæc tria nomina: *Proprietas, Relatio,* & *Notio*, in diuinis Personis. Proprietas enim dicitur, quatenus conuenit soli. Relatio, quatenus dicit habitudinem ad alterum. Notio, quatenus est principium cognoscendi. Quoniam verò omnis proprietas, & omnis relatio est Notio, seu ratio cognoscendi Personas diuinas; ideò nomen Notionis latiùs patet, quàm Relatio, vel Proprietas.

Et quia inter Proprietates, aliquæ sunt Relationes, vt Paternitas: aliquæ non, vt Innascibilitas, quæ non dicit ordinem, sed carentiam ordinis: similiter inter Relationes, aliquæ sunt Proprietates, vt Filiatio; aliæ non, vt spiratio actiua, hæc enim pluribus conuenit: hinc est, vt nomen Proprietatis, & nomen Relationis se habeant, vt *excedens*, & *excessum*, & in numero sint æquales; nam in spiratione actiua Relatio excedit Proprietates: at in Innascibilitate, Proprietas excedit Relationem.

Sciendvm secundò, Relationes ex originibus 21
numerandas: duæ autem sunt tantùm origines in diuinis; altera per Intellectum, quæ dicitur Generatio: altera per Voluntatem, & dicitur Spiratio. Quælibet autem origo duarum relationum fundamentum est; quarum altera est relatio Principij: altera est relatio eius, quod est à Principio per originem. Ita fit. Sic generatio est fundamentum Paternitatis in Generante, & filiationis in Genito. Spiratiua verò potentia est principium relationis spirationis in Patre, & Filio; & processionis in Spiritu sancto. Ita Valentia ex D.Bonau. *q.* 3. *dist.* 26.

Quare autem emanatio Amoris hoc nomine spirationis dicatur, sumpta actiuè; & nomine generi-

eo, veluti accepta passiuè, dicam *disp.*10. Interim vide D.Bonau.*d.*13.*q.*2.*ad* 4.

23 Assero primò, Relationes diuinas esse quatuor. Probatur à Seraphico *in corpore*, & *dist.*30.*q.*3. & D.Thom.*q.*28.*art.*4. Omnis relatio fundatur, vel suprà Quantitatem, vt duplum, & dimidium: vel in aliqua Qualitate, vt similitudo; vel in aliqua dependentia essentiali, vt relatio materiæ ad formam; vel super originem, & actionem, vt Pater, & Filius; ex Aristot. 5. *Metaph.text.*20. & 1. *Physic.text.*60. & 12. *Metaph.text.*14. Sed in Deo non est Quantitas, vel Qualitas, vel dependentia essentiæ; cùm sit prima. Ergo relationes diuinæ fundantur in Actione, & Origine, non extrinseca, quia Deus extra non egreditur. Ergo super origine intrinseca. Sed duæ sunt origines tantùm, vt ostendi *disp.*2.*q.*2. Ergo relationes erunt quatuor. Probatur consequentia; quia ex singulis originibus duæ tantùm insurgunt relationes. Probatur antecedens, quia vnaquæque processio habet tantùm vnum principium, & vnum terminum. Hac ratione vtuntur Suarez, Valentia, & communiter Theologi.

24 Assero secundò, Relationes personales esse tres.

Probatur. Tot sunt proprietates personales, quot sunt personæ constitutæ; sed hæ sunt tres. Ergo & proprietates.

QVÆSTIO III.

An Relationes diuinæ Personales sint tres res distinctæ ab Essentia.

D. Bonau. d.13. q.2.
D.Thom.q.28. art.5.

D. Bernardvs *serm.*80. *in Cant.* & *lib.*5. *de consideratione*, arguit contra Gilbertum Porretanum Episcopum Pictauiensem, vt asserentem in Deo quaternitatem; tres, scilicet, relationes diuinas, vt res distinctas ab essentia. Idem habetur in actis Concilij Rhemensis, videlicet, Gilbertum asseruisse tres diuinas proprietates, quibus personæ distinguuntur, esse tres res ab inuicem, & ab essentia numero distinctas: ex quo sequitur, Gilbertum posuisse relationes veluti extrinsecas essentiæ, quod ex argumentis D. Bernardi clarè colligitur. Damnatus fuit in Concilio Rhemensi, anno Domini 1148. vt habet Baronius.

25 Ideò Scholastici insigniores, qui temporibus ferè illis floruere, hunc Gilberto errorem adscribunt. Alensis 1.*p.q.*68.*m.*5.*art.*6. Henricus *quol.*5.*q.*7. quos sequitur Prateolus verbo *Gilbertus*, Tannerus *d.*4.*q.*3. *dub.*2. Nazarius *q.*28.*art.*2. & communiter.

Verumtamen Vasquez *disp.*120. hos Doctores carpit, quasi audaciæ, ac mendacij, falsò notam hanc Gilberto inurentes; quippe sola aliqua Theologica consideratione distingui asseruit; itavt non sola abstractione mathematica, seu nostro modo intelligendi (nam mathematicus sola consideratione separat à

26 materia ea, quæ verè in materia sunt;) sed aliquo modo reali, putà ex natura rei, vt vera Theologia docet, distingui diceret: nunquam tamen dixisse, esse quatuor res summè distinctas. Allegat autem Vasquez Otthonem Frisingensem *lib. de gestis Friderici I. Imperatoris*, cuius ipse fuit nepos *c.*56. & 57. Floruit verò hic author circa annum 1160. centum, & ampliùs annos post Bernardum. Quo fit, vt Alensis, Seraphici magister, vir nulli obnoxius exceptioni, ante eum floruerit; cùm existeret circa annum 1230. Ex quo sequitur, eum errores Gilberti propiùs audiisse. Huic, si duos Sanctos Ecclesiæ Doctores, ac cæteros relatos addideris, omnes profectò eos Otthoni censebis præferendos.

Quare Suarez *lib.*4. *de Trin.c.*2. Vasquesium, quem semper moderni titulo decorat, audaciæ incusat.

Longo autem tractu Vasquez proloquitur, se acta Concilij Rhemensis ex Episcopo quodam accepisse, anno 1590. cùm esset Romæ. Ea verò Baronius ad annum 1148. latiùs prosequitur.

Testatvr P. Theodotus Forestus magister meus, vir ingenuitatis eximiæ, qui diu Romæ Visitator Apostolicus Religionum, in Sacris Cardinalium Congregationibus Consiliarius, & Eminentiss. Cardinalis Antonij Barberini, germani fratris Vrbani VIII. Theologus, se in Bibliotheca Romæ florentissima legisse, Otthonem illum non negare Gilberto errorem, quem Theologi inurunt. 27

Deinde in erroribus Gilberti apud Vasquez, hic est; quòd tres proprietates personarum non sunt ipsæ personæ; sed sunt tres res æternæ, & ab inuicem à diuina substantia numero differentes: quod est quaternitatem rerum realiter distinctarum inuehere, quam etiam posteà damnauit Concilium Lateran. *cap. Damnamus*. Idem enim est, ac quaternarius numerus rerum à Gilberto assertus, vt aduertit Suarez *loc.cit.*

Neque rectè diuinauit Vasquez, errores Gilberti non fuisse in Vaticano depositos, eo quòd is palinodiam decantasset, atque adeò non existimauerit Pontifex rationi consentaneum, eius notas immortalitati consignare, vt aduertit Nazarius ad articulum citatum D. Thomæ. Fuere etenim plurimi Gilberti sectatores, qui fuere perpetuo damnationis monumento obsignandi.

Assero, Relationes diuinas non esse res ab essentia distinctas. Est de fide.

Probatvr primò ex definitione Concil. Rhemensis, vbi habetur: *Cùm de tribus personis loquimur, Patre, Filio, & Spiritu sancto; ipsos vnum Deum, vnam diuinam substantiam fatemur: & è conuerso, cùm de vno Deo, vna diuina substantia loquimur, ipsum vnum Deum, vnam diuinam substantiam esse tres personas confitemur.* 28

Probatvr secundò ex Concil. Lateran. *cap. Damnamus*; vbi damnantur ponentes in Deo quaternitatem, nempe vnam essentiam, & tres personas.

Probatvr tertiò ex Concil. Florent. vbi communi omnium Latinorum, & Græcorum consensu omnis distinctio inter essentiam, & personas, præter distinctionem rationis, reiecta est, vt dicam *q.*4.

Præterea ex eodem Concilio, & ex Toletano vndecimo hauritur illud dogma Theologicum: Omnia in diuinis esse vnum, vbi non obuiat oppositio relationis. 29

Probatvr quartò ratione prima D.Bonau. Nihil est adorandum latria, quod non sit Deus, ac diuina substantia: sed proprietates relatiuæ adorantur latria per se, vt canit Ecclesia in Præfatione Missæ Sanctissimæ Trinitatis. Vt in personis adoretur proprietas: ergo. Maior est D.Bernardi *lib.*5. *de consider.* vbi ait: *Illam proprietatem, quæ non est Deus, non mihi adorabilem credo.* Profectò si relationes essent res distinctæ à diuina essentia, non essent substantia diuina, aut Deus, vt notat D.Aug.1. *de Trin.c.*6. Hoc argumẽto nituntur Suar. *lib.*4.*c.*2.*n.*6. & alij cõmuniter.

Probatvr quintò fundamento secundo D.Bonau. Si relationes essent distinctæ realiter ab essentia, daretur compositio. Sed est contra fidem: ergo. Probatur sequela; nam ex diuina essentia, & relationibus resultaret vnum quid distinctorum realiter. Ita & Suarez *n.*4. 30

Proba

Probatvr sextò fundamento tertio D.Bonau. Omne, quod est, vel est entitas, & essentia creata, vel increata: sed relatio est aliquid, & non est essentia increata: ergo.

Si dicas, non esse creaturam; sed personalitates Dei.

31 Contrà arguit Suarez *num.* 7. & D.Bonau. *fundamento vlt.* Hæc relatio vel est Deus, vel inferior Deo, vel superior ipso. Si inferior: ergo creatura. Si superior: ergo datur aliquid maius Deo. Si Deus, habeo intentum. His ferè argumentis vsus est S. Bonau. etiam suprà adductis locis, ex D. Bernardo.

32 Ottho ille Frisingensis refert, Gilbertum nisum esse illo axiomate philosophico: *Quæ sunt eadem vni tertio, hæc sunt eadem inter se.* Si ergo relationes sunt idem vni tertio, idest essentiæ: ergo sunt idem inter se: ergo tolletur Sanctissima Trinitas. Ideò videndum

Quomodo vnitas realis Relationum cum Essentia diuina non aduersetur illi axiomati: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.*

33 Ne ansam aduersariis præbeamus conclamandi, nos docere Mysterium contra rationes naturæ, ac syllogistica dogmata; tenemur explicare, quomodo illud non aduersetur huic axiomati: *Quæ sunt eadem, &c.* Est enim principium, quo nititur omnis syllogistica illatio, vt concedunt communiter; malè tamen negatur à Ruitz & Vasquez, qui postea tamen id concedit, vt notat Arriaga *disp.*45. *sect.* 1. ex eo enim, quòd extrema syllogismi conueniunt in medio secundùm prædicationem: sic in conclusione deducitur, illa extrema esse idem inter se, scilicet prædicatione. Hoc principium ait Forestus *fol.*70. idem ferè exprimere, ac illud Aristotelicum 1. *priorum, cap.* 1. *Dici de omni, & dici de nullo*, idest: Quicquid dicitur de omni subiecto; dicitur & de omni contento sub illo. Et quicquid negatur de omni subiecto, negatur de omni contento sub illo. Hoc tamen non puto ad mentem D. Bonauenturæ, vt infrà dicam.

Iam verò soluendum est argumentum. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Sed relationes diuinæ, per vos, sunt idem realiter Diuinæ essentiæ. Ergo sunt idem realiter inter se: ergo nulla Trinitas.

34 Respondent Suarez *lib.*4. *de Trin. cap.*3. Vasquez *disp.*123. *c.*2. illud principium, quod assumitur, verum esse solùm in entibus finitis, seu creatis: at in Deo nequaquam, ex infinitate, & simplicitate diuina. Ita Caspens. *d.*2. *n.*31.

At hoc est ansam dare infidelibus dicendi, nos vrgere syllogismis pro libito, eorumque vim, ac regulas ad placitum effugere; non enim rationem affert, vt notant Albertinus, & alij, distinctionis extremorum, sed tantùm identitatis in tertio.

Alij respondent, maiorem esse veram tantùm in synonymis, siue qui sunt idem re, & ratione. Essentia autem, & relatio diuinæ non sunt synonymæ. Ita videtur D.Thom. *q.*28. *art.*2. & alij, Thomistæ præsertim.

At hæc expositio reddit hoc principium ludicrum, & inutile ad probandum. Quis enim non videt, synonyma esse idem? Quis conabitur probare, mare, æquor, & pelagus esse idem, sic: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: mare, & æquor sunt eadem pelago: ergo? Hoc sanè est ludere. Aristoteles verò 7. *Top.* hoc axioma prodit, vt locum communem ad arguendum. Hunc modum latè defendit Nazarius *q.*28. *art.*3. *controuersia vnica.*

35 Respondent D.Bonau. 1. *dist.*33. *q.*1. *ad* 1. D.Thom. 1. *dist.*33. *q.*1. *art.*1. quos sequitur Scotus 1. *dist.*2. *q.*7. *ad primum principale*, & Capreol. 1. *disp.*2. *q.*3. *art.*1. Caietan. *q.*28. *art.*3. *p.*1. Nazar. *loc. cit.* ex Thomistis: è Scotistis verò Fauentin. *disp.*19. *c.*4. *n.*15. vbi Scoto hanc responsionem adscribit; & alij vtrinsque Scholæ, hanc propositionem esse veram eo sensu, vt eadem ratione sint idem inter se, quâ sunt idem illi tertio; quo fit, vt ea, quæ sunt eadem vni tertio inadæquatè, ita vt sint aliquo modo idem: aliquo modo non, ex vi illius principij non inferantur esse omninò idem inter se, sed tantùm eo modo, quo sunt idem illi tertio. Iam verò Personæ diuinæ sunt idem essentiæ diuinæ simpliciter, sed non adæquatè, quia includunt relationem *ad*, quæ refertur non ad subiectum, sed ad terminum. Ideò neque sunt idem inter se ipsi termini, vt referuntur, sed solùm, vt sunt in essentia; nam hoc modo sunt idem tertio, idest essentiæ.

Contra hanc expositionem arguit Arriaga *disp.* 43. *sect.* 1. & quærit, quid intelligam per *τὸ adæquatè.* Affert verò geminas responsiones, quæ non sunt nostræ, easque refellit.

36 Respondetvr ergo, intelligi simpliciter, vt dixi, quando sunt omninò idem extrema vni tertio; itavt illud tertium comparatum ad ambo extrema, ea adæquet, & completè commensuret, & vice versa; vt sunt duo puncta, vel duæ lineæ pedales: tunc erunt idem & inter se; cùm sint idem vni tertio puncto, vel lineæ pedali. Si verò extrema ita sint idem vni tertio, vt illud tertium non absorbeat totum esse extremorum; sequitur neque posse esse mensuram, quâ illa extrema inuicem vniantur. Iam verò relationes diuinæ comparationem habent ad essentiam in esse *in*, sed habent aliud esse, quod est *ad*, secundùm quod non comparantur ad subiectum, sed ad terminos. Ex quo fit, vt essentia absoluta (quam loco subiecti nomino) non possit esse mensura apta ad commensurandas ipsas relationes inter se; sed mensura relatiuorum est adhibenda, quæ distinctionem realem inter eas docebit.

Pro lucidiori explicatione doctrinæ S.Doctoris 37 oportet adnotare, hoc axiomate niti syllogismum (quod malè negat Vasquez) cuius regulam, & exemplum tradit Aristot. *primo Priorum.* Hoc A, est B. Hoc A, est C: ergo hoc C, est B. Qui syllogismus verum infert ex eo, quòd extrema syllogismi conueniunt in medio. Ideò in conclusione colligitur, illa extrema esse idem inter se; quod ad omnem syllogisticam rationem extenditur: sic arguo in Barbara. Omne corpus est quantum. Omne elementum est corpus: ergo omne elementum est quantum. Ex eo enim, quòd quantum, & elementum sunt idem cum corpore, sequitur esse idem inter se. Quoniam verò, vt ait D.Bonau. fundatur vis syllogismi in illo axiomate: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*; obseruare oportet, vt eo tantùm modo vniantur inter se in conclusione, quo asseruntur eadem alteri extremo in præmissis.

Hæc autem identitas sufficit, si sit realis; non 38 autem necesse est, esse etiam rationis, vt videtur prætendere Capreolus.

Instat Vasquez, hunc modum non esse verum in diuinis.

At non videt, se in campum quinque pertica-

rum reuersum: non enim est verum in diuinis, eo quòd in conclusione extrema magis vniuntur inter se, quàm in præmissis adnexa sint illi tertio. Fiat hic syllogismus (ait D. Bonau.) Pater est paternitas: Pater est innascibilitas: ergo paternitas est innascibilitas. Vel: Petrus est indiuiduum: Petrus est homo: ergo homo est indiuiduum. Peccant autem hi syllogismi; nam innascibilitas est eadem cum paternitate in esse *in*; sed inadæquatè: quia paternitas habet esse etiam ad Filium, quod non habet innascibilitas. Quo fit, vt licèt sint idem cum Patre in esse *in*; tamen ob rationem allatam, non sunt omninò idem; propter esse *ad*, quod egreditur, & non respicit subiectum, sed obiectum. Eodem crimine peccat & alter syllogismus; nam homo, & indiuiduum non sunt idem cum tertio adæquatè: seu Petrus, qui est ille tertius, non est idem cum illis duobus eodem modo; nam est adæquatè indiuiduum, sed homo inadæquatè: plures enim alij homines sunt. Quo fit, vt malè inferatur: ergo homo est indiuiduum; nam homo plura indiuidua complectitur.

Ex his constat, hanc propositionem esse aliam ab ea, *dici de omni*, & *dici de nullo*, vt etiam Vasquez concedit, quicquid dicat Caspensis *disp.2. num.32.* Et ideò neque in sententia Seraphici, neque aliorum, esse idem principium syllogizandi. Addo, in eo principio occurrere eandem difficultatem, vt notat Arriaga *sect.2.* Fiat argumentum. Essentia diuina est Pater: Essentia diuina est Filius: ergo Pater est Filius.

39 Contra hanc interpretationem illius axiomatis insurgunt Suarez, & Vasquez, atque alij: tunc enim axioma esset inutile, quia faceret hunc sensum. Quæ sunt eadem vni tertio, vniuntur in illo; quæ est petitio principij.

Fauentinus *num.17.* concedit, facere hunc sensum: at ego non admitto simpliciter. Facit itaque hunc sensum. Quæ sunt eadem vni tertio, consequenter etiam identitatem habent inter se; ex eo enim primo aperitur ostium videndi hoc secundum; quo fit, vt non sit petitio, &c. nam potest aliquis cognoscere aliqua duo, & ignorare, quod inter se conueniant; quia ignorat, an conueniant in tertio: ex vnione verò in illo tertio arguitur etiam vnio inter se, eo modo, quo in tertio conueniunt, quod antea nesciebat; & hoc modo omnis discursus procedit, gradiendo è cognitione in cognitionem aliquorum, quæ non sunt synonyma, sed differentia.

40 Arguit secundò Suarez: Formetur ratio hæc. Quæ sunt eadem vni tertio realiter, sunt eadem inter se realiter, ita quòd non distinguantur realiter: sed personæ sunt eiusdem essentiæ, vt ab ea non distinguantur realiter: ergo. Euidenter colligitur, non valere, quia colligitur, Personas non distingui realiter inter se.

41 Respondetur, explicata illa maiori, cum conditione assignata, non sequi id quod infert Suarez; sequitur enim: ergo sunt idem realiter inter se essentialiter. Et in minori: Sed personæ sunt idem realiter cum essentia: interuenit inadæquatio; ideò sequitur non esse idem inter se, vt suprà dixi. Sed sicuti in minori assumitur, sunt idem realiter essentialiter, vt sunt *in*: ergo & inter se eodem modo. Quoniam verò, vt sunt *ad*, non comparantur cum essentia in minori, ideò neque in consequentia possunt vniri inter se. Miror, viros illustres spectris terreri.

Instat Valentia *disp.2.quæst.2. p.4.* ex Aureolo. Idem est dicere: Paternitas, & Filiatio sunt idem inter se, secundùm rationem absolutam, ac dicere, esse idem in tertio; illa enim ratio est quoddam tertium, in quo identificantur.

Respondetur, non esse hunc sensum, sed alium, nempe: Paternitas, & Filiatio sunt conuenientes in essentia, vt in tertio. Ex quo videtur sequi, esse omninò inter se, nisi relationes alium respectum haberent.

Instant Aureolus, & Valentia; arguatur sic: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quoad id, in quo conueniunt cum illo tertio; at paternitas, & filiatio, quoad suam realitatem, sunt eadem vni tertio: ergo sunt eadem inter se realiter. Hoc argumentum (ait Valentia) omninò non soluitur à Capreolo, vel Caietano, est tamen facillimum; nam in minori sumit realitatem relationum, vt comparari possunt ad essentiam; at malè in consequentia infertur realitas respectiua, secundùm quam nec fuit comparata, nec comparatur cùm essentia; & ideò non concluditur secundùm idem.

Alias duas solutiones huic principio affert S. Bonauent. *dist.34.quæst.1. ad vltimum*, vbi illud sibi opponit, non solùm positiuè, sed etiam negatiuè, vt opponitur à Suarez. Quæcumque sunt eadem vni tertio, ita vt ab illo non differant realiter, hæc sunt eadem inter se. Sed relationes diuinæ sunt idem realiter cum diuina essentia, per omnimodam indifferentiam: ergo. 42

Respondet S. Doctor, non esse verum illud principium, quando illud tertium, in quo alia vniuntur, est communicabile pluribus, & commune; vnde species, & differentiæ non identificantur, neque prædicantur ad inuicem, licèt conueniant in genere, quia genus commune est pluribus. Hinc est, vt in diuinis non habeat locum; essentia enim, videlicet singularissima, pluribus tamen communicabilis est. Hac responsione vtuntur Capreolus *1.d.33. q.1. art.1.* Durandus, Molina, Bannez, & Zumellus. Hoc putarim ferè coincidere cum primo, quando non sunt idem adæquatè; si enim id, cui alia sunt vnum, est aliis communicabile, non est idem adæquatè. Id persensit Nazarius *loc. cit.* & Caspensis *disput.2. sect.3.* Hinc fallax est argumentum: Essentia Diuina est Pater. Essentia diuina est Filius: ergo Filius est Pater.

Idem ferè dixit Valentia *disp.2. quæst.3. p.4. in fine*, principium verum esse, quando illud tertium, quo cum extrema sunt eadem, ita est vnum, vt neque sit, neque possit esse plura: si autem est etiam plura, non potest esse verum; nam illa, quæ identificantur in eo, erunt identificata in eo, vt vnum est, non vt plura. Quare hac ratione different inuicem. Quod idem ferè est, ac dicere; quia non sunt idem adæquatè. Iam verò diuina essentia est quidem singularissima; habet tamen, vt sit communicabilis pluribus personis, easque contineat; ideò non valet illatio. Quod si relationes sunt idem cum essentia, sint idem etiam inter se, quia sunt idem illi inadæquatè; non enim identificantur cum eo in hoc, vt etiam ipsæ contineant relationes oppositas inter se. 43

Aliam solutionem affert D. Bonau. *loc. cit.* Ea, quæ sunt eadem vni tertio, esse idem inter se, nisi ob distinctas origines distinctos habeant respectus; tunc enim non erunt eadem inter se. Affert exemplum. Duæ stellæ mittent radios ad idem punctum, & in eo vnientur radij; & tamen different inter se, ratione diuersæ originis radiorum, & respectus ad diuersas stellas. Iam verò, licèt diuinæ relationes, 44

nes, & personæ cum diuina essentia sint idem ad inuicem; tamen differunt, ob diuersas origines personarum: quod explicat potiùs vim inadæquationis, quæ facit, vt quia diuinæ personæ sunt idem realiter cum essentia, vt sunt *in*; non secundùm origines; & vt *ad*, nequeant consequenter esse vnum inter se.

45 Hæ duæ vltimæ responsiones assumuntur à Suarez, & Vasquez, dum aiunt, non valere in diuinis, ex eo, quod est ibi ens infinitum simplicissimum, cui singulare est habere vnicam essentiam communicabilem, & tres personas relatiuas incommunicabiles; continereque esse absolutum, & relatiuum. Et hoc sensu eorum solutiones bonæ sunt, reddunt enim rationem suæ negationis aptam, alioqui deficerent.

Similiter Arriaga *sect.* 3. sic exponit: Quæ sunt eadem vni tertio, ita vt sint incapacia distinctionis virtualis, sunt eadem inter se: at in diuinis, relationes ita sunt idem cùm essentia, vt differant virtute; & tota difficultas in eo posita est, quod eidem rei plura conueniunt contradictoria, quæ sunt incompossibilia omninò; scilicet, identificari cum altera persona in essentia, non identificari in relatione. Igitur ex eo, quod extrema sunt idem illi tertio, ita debent esse, vt non conueniant eis prædicata contradictoria, qualia conueniunt essentiæ, & personis. Hæc verò est expositio allata è D. Bonauent. quam omnium optimam Morand. *quæst.* 9. acclamat.

Ludouicus Caspensis tandem sic explicat; propositionem veram esse, acceptam pro identitate, secundùm prædicationem, sub omnimoda vniuersalitate, tam diuina, quàm humana.

46 Ita, quæ secundùm prædicationem sunt eadem vni tertio, esse eadem secundùm prædicationem inter se. Hæc autem identitas, secundùm prædicationem (ait) cum vno tertio fieri debet, secundùm regulas bonæ argumentationis.

Hæc sanè expositio non satis omnia explicat, sed inuoluit tantùm aliquem sensum, putà allatum in syllogismo expositorio. Hæc essentia est Pater. Hæc essentia est Filius: Ergo Filius est Pater. Quia hic syllogismus apparenter tantùm est expositorius: nam hæc essentia non est singularis omninò, sed secundùm rem communis tribus; quò fit, vt licèt Personæ de essentia prædicentur, de se inuicem prædicari nequeant.

Enim verò, si fiat syllogismus. Quæ sunt eadem vni tertio, hæc sunt eadem inter se. Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt idem formaliter diuinæ essentiæ. Ergo & inter se. Rursùs recurrendum est ad identitatem inadæquatam, quâ essentia est idem cum singulis personis: atque adeò etiam maior sic exponenda cum D. Bonauent. Dicere enim: Quæ sunt eadem prædicatione, secundùm omnimodam vniuersalitatem, verè esse idem inter se, non explicat; quia prædicatio ex rei vnitate sumitur. Addere etiam esse verum, seruatis regulis syllogizandi, repetit principium, si alio modo intelligatur, quàm à nobis suprà. Quare obscura, & incerta est expositio. Vide multa in Nouarino *p.* 3. *axiom. Phil. Theol. axiom.* 779.

QVÆSTIO IV.

An relationes à Diuina Essentia differant, saltem formaliter.

D.Bonau. d.33. q.2.
D.Thom.q.39.art.1.

EXPLOSA iam hæresi Gilberti, quam ipse quoque ex alio antiquiore hauserat, relato à D. Anselmo *lib. de Incarn. Verbi, cap.* 1. quique Rhemis in alio Concilio, tenente Archiepiscopatus clauum Reginaldo, eundem errorem retractauit; iam cum Catholicis versamur, è quibus aliqui visi sunt ad eum errorem accedere; non tamen vnquam venenum ebibêre.

E Scholasticis nostris aliqui non infimi ordinis asserunt inter essentiam, & relationes diuinas, distinctionem vt rei, & modi rei. Ita Durandus 1. *d.* 33. *quæst.* 1.

SECVNDA sententia est Scoti, 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. & *d.* 2. *quæst.* 7. attributa & inter se, & ab essentia; similiter & essentiam à relationibus differre, media quadam distinctione inter realem, & rationis, quam vocat formalem. Et quidem, quoad differentiam relationum ab essentia, assentiuntur etiam Nominales. Gabriel *in* 1. *d.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. *not.* 3. & 4. & *art.* 3. *dub.* 3. Ocham *quæst.* 1. Marsil. 1. *q.* 6. *art.* 2. *concl.* 4. qui aliter sentiunt de essentia comparata cum attributis, atque de his inter se, vt dixi *tract.* 1. *disput.* 3. *quæst.* 8. vbi, quoad hanc partem quæstio est definita. Cæterùm post Scotum cursim abeunt Scotistæ, Lichetus, Tartaretus, Vigerius, Bargius, Bassolis 1. *d.* 2. Sghemma *tit.* 35. Lusitanus *tom.* 1. *de beatitudine, lib.* 5. *de visione, quæst.* 5. *artic.* 4. Rada *controu.* 4. Faber 1. *d.* 20. Mayro 1. *d.* 8. *quæst.* 3. & *d.* 33. *q.* 1. Smising. *tract.* 2. *disput.* 1. *quæst.* 2. Saxius *in sua Catast. d.* 7. *art.* 3. Posnan. 1. *disput.* 47. Vulpes *tom.* 1. *p.* 1. *d.* 7. *art.* 5. & 6. & *tom.* 3. *p.* 1. *disp.* 59. *art.* 3. Brancasius *tom.* 1. *d.* 20. *quæst.* 5. Mastrius *tom.* 1. *disputat.* 2. *quæst.* 2. & reliqui Scotistæ. 47

DIVIDIT autem Scotus distinctionem, in distinctionem ex natura rei, & in distinctionem rationis, quæ est per intellectum. Rursus distinctionem ex rei natura subdiuidit in realem, quâ vna res differt ab alia; & in formalem, quâ vnum ab alio in eadem re distinguitur formaliter, secundùm distinctionem, quam ait esse ante intellectus operationem, vt patet ex locis adductis. 48

At verò *d.* 2. *q.* 7. §. *Sed restat*, hanc distinctionem appellat virtualem, non actualem, posseque vocari distinctionem rationis, vt ait Doctor quidam (intelligens S. Bonauenturam 1. *dist.* 15. *q.* 1.) & ratio accipitur pro quidditate rei, secundùm quod quidditas est obiectum intellectus. At verò, cùm ipse glorietur ibi, hanc distinctionem in scholas inuehere; non video, quâ ratione adducat pro ea antiquiorem D. Bonauenturam. Præterea ille idem Scotus subdit, loquens de essentia diuina, & relationibus: Dico, quòd in essentia diuina, ante actum intellectus, est entitas A. & est entitas B. & *hæc* non est formaliter *illa*.

Tandem asseclæ Scoti grauiter insistunt in constituenda ex mente Præceptoris distinctione formali, ante omne opus intellectus, vt legere est apud Fabrum *disp.* 20. Meldulam *num.* 18. *hic*, & *disp.* 6. *Metaph. q.* 11. Lusitanum *lib.* 5. *q.* 5. *art.* 2.

49 Sex autem gradus vnitatis Scotus constituit. Primus est aggregationis. Secundus ordinis. Tertius accidentis. Quartus partium essentialium in vno composito. Quintus, vnitas simplicitatis, quæ est identitas. Sextus, formalis. Et quia, vt reor, ex conscientia sciebat, enti perfectissimo vnitatem deberi perfectissimam, quæ est formalis; ideò protestatur, se suam distinctionem formalem in diuinis astruere, absque præiudicio.

Tertia sententia ponit inter relationem, & essentiam diuinam, solam distinctionem rationis nostræ. Ita Vasquez *disput.*120. Granado *tract.*2. *de Deo, d.*5. *sect.*4. & alij apud Arriagam *disput.*42. *sect.*5. *subsect.*3.

50 Quarta sententia est, Relationes diuinas ab essentia differre ratione ratiocinata, quam etiam virtualem vocant eminentem, vt monent Ruitz *d.*12. *sect.*4. Arriaga *loc. cit.* Suarez, & Auersa hic. Ita D. Thom. 1. *p. quæst.*28. *art.*2. & *quæst.*39. *art.*1. & 2. & *quæst.*8. *de Potentia.* Et 4. *contra gentes, cap.*4. & *in* 1. *d.*33. *art.*1. Magister 1. *d.*8. & *d.*33. & 34. Alensis 1. *p. quæst.* 56. *m.*2. & *quæst.*68. *m.*5. *art.*6. Albertus M. 1. *p. quæst.*39. *m.*2. *art.*1. *part.*2. & *art.*2. & *quæst.*44. *m.*4. Henricus 2. *p. summa*, *art.*56. *q.*4. & *quol.*5. *quæst.*6. & 7. Richardus 1. *d.*33. *art.*2. *q.*1. & *d.*34. *art.*1. *quæst.*1. & 2. Ægidius, & Argent. *d.*33. *quæst. vn. art.*2. & 3. Gregorius ibi, *quæst.*1. *artic.*2. Maior *disputat.*26. Aureol. 1. *d.*1. *quæst.*1. & *d.*33. *quæst.*1. Capreolus *d.*33. *quæst.*33. *quæst.*1. *art.*1. & 3. Ferrar. 4. *cont. Gent. cap.*14. Caietanus *de ente & essentia quæst.*12. & *ad art. citatum D. Thomæ*, vbi catervatim Zumel, Canariensis, Bannes, Nazarius, & reliqui Thomistæ, ac D. Thomæ expositores ferè omnes. Torres *disput.*3. Albertinus *corol.*1. & *septimo principio phil. p.*3. Valentia *disput.*2. *quæst.*17. *p.*1. Molina *quæst.*28. *d.*6. Suarez *in Metaph.* & *lib.*1. *de essentia Dei, cap.*10. & *lib.*4. *de Trinit. cap.*4. Amicus 1. *p. d.*3. *sect.*2. & *d.*19. *sect.*4. Pesantius *d.* 2. *ad quæst.*26. Blasius à Conceptione *d.*12. *Metaph. quæst.* 1. Auersa 1. *p. quæst.*28. *sect.*4. Arriaga *loc. cit.* Morand. *tract.* 6. *quæst.* 8. Tanner. *d.*4. *quæst.*3. *dub.*2. & alij, è quibus plurimi allegant D. Bonauenturam 1. *d.*33. *quæst.*2. & alibi. Pro hac eadem allegatur, & meritò S. Doct. etiam à Scotistis, quibuscum nolens Marcus noster *q.*28. *art.*2. pugnare, pugnat. Est autem communis cæterorum apud Suarez, & Auersam suprà, ac Fuliensem *lib.*2. *cap.*2.

Sed videamus exactiùs Seraphici Doctoris sensum.

51 Is igitur in primo, *distinct.*24. *q.*2. *in corpore*, initio expressè hanc habet sententiam: & *dist.*7. *q.*3. potentiam creandi, quæ est essentiæ; & potentiam generandi, quæ est personæ, probat differre ratione, non re; sicuti & persona ab essentia distinguitur.

Dist. 33. *quæst.*2. concludit ex professo, relationem esse omninò essentiam; habere tamen modum in ordine ad obiectum, ad quod refertur, & à quo distinguitur realiter. Nam essentia non refertur; at persona relatione refertur. Vbi non ponit distinctionem modalem Durandi; sed solùm vult, relationem habere modum, qui cum essentia identificatur, secundùm esse *in*; at verò, vt est *ad obiectum*, non est comparabilis cum essentia; cùm totum suum esse habeat ad correlatiuum obiectum. Sanè, vt relationes sunt *in*, semper vbique asserit, transire omninò in substantiam. Eodem modo, quo & Damascenus *lib.*1. *de fide, cap.*9. 11. & 13. vbi relationem modum essentiæ asserit, non distinctum ab essentia, sed vt pelagus infinitum perfectionum simplicissimum. Idem habet S. Bonau. *dist.*19. *p.*2. *quæst.* 2. *ad penult.* vbi soluit principale argumentum Gilberti, quod Scotistæ admodum vrgent. Et dicit relationem in comparatione ad essentiam, dicere modum non distinctum re, sed ratione. Idem habet *dist.*26. *quæst.*1. & *dist.*22. *art.*2. *quæst.*2. vbi asserit, Personam in diuinis componi ex essentia, & relatione, non per rem, sed per intellectum. Et *dist.* 24. *p.*2. *q.*2. ait, vnitatem personæ differre ab vnitate essentiæ tantùm ratione. Et *dist.*33. *q.*1. ait, esse communem Magistrorum opinionem. Et hoc aduertit etiam Meldula *num.*15. dicens, esse Theologorum antiquorum sententiam. Hanc verò distinctionem modi, quam vocat Capreolus *inadæquationis*, ait D. Bonauent. præcipuè *dist.*26. non esse solius conceptus, seu rationis ratiocinantis; sed rei, idest, habere fundamentum reale, non quia vera distinctio realis præcedat, sed dicitur realis attributionis à D. Bonauent. eò quòd reali ex fundamento aliquid attribuitur personæ, quod negatur essentiæ, vt infrà dicam. Ita explicat Seraphicum Capulius *ad quæst.*2. *d.*33. Forestus *ad eandem quæst. fol.* 89. Cæterùm distinctionem rationis non ex natura rei ponit S. Bonauent. *loc. cit.* & *dist.*5. *quæst.*1. Ideò & *in Breuil.* 1. *part. cap.*4. ait, Relationem transire in substantiam, ne faciat compositionem; sed respicere ad alterum, vt faciat distinctionem personarum.

Fateor, S. Doctorem admittere maiorem distinctionem inter relationes, & essentiam, quàm inter attributa. Ita *dist.* 26. *quæst.* 1. *ad* 4. eò quòd maius fundamentum adest rationis ratiocinatæ, quæ tamen non egreditur limites distinctionis virtualis. Quare non rectè Vtinensis Seraphicum trahit in Scoti sententiam, quod sæpè intentat, quippè Scotista; non tamen rectè, inquam, vt cæteri Scotistæ conclamant, præter Herreram *tract.*1. *d.*8. *q.*3. & *d.*14. *quæst.*1. & alios, quos refellunt Meldula *disp.*6. *quæst.*15. *art.*1. Lusitanus *lib.*5. *quæst.*5. *art.*2. & alij, qui acriter renuunt suam distinctionem formalem cum nostra rationis ratiocinatæ commiscere, aut cum nostra virtuali; sicuti tentarunt confundere Suarez *disput.*7. *Metaph. sect.*1. & *lib.*4. *de Trinitate, cap.*4. Fasolus 1. *p. quæst.*28. *art.*2. *d.*1. Salas *p.*2. *quæst.*3. *tract.* 2. *disput.* 4. *sect.* 3. Hurtad. *disput.*6. *Metaph. sect.*3. & alij etiam inter Scotistas. E nostris verò Caspensis *disputat.*2. *num.*29. Marcus *quæst.*28. *art.*2. 52

Vt igitur sententiæ Seraphici vltimum colophonem imponam; addo alium locum *d.*34. *quæst.*1. & 2. vbi probat, proprietatem nihil addere naturæ distinctum, atque adeò non componere; sicuti nec distinguit multitudo attributorum, de quibus egi *tract.*1. *d.*3. *quæst.* 8. vbi ostendi cum Seraphico, non distingui formaliter; vbi etiam ostendi, Scotum ex D. Bonau. suam habuisse distinctionem formalem; atque adeò non fuisse illius in Scholas inuectorem, vt gloriatur; non tamen in hac quæstione assertam à S. Bonau. potest ostendere.

Pro elucidatione autem nostræ distinctionis virtualis, contra quam omnes arietes impellunt Scotistæ, quippè qui eam non perceperint, arbitrati esse merè potentialem; adnotare oportet, eam in eo positam esse, vt intellectus diuersis conceptibus formalibus inadæquatis distinguat ens infinitum diuinum, quod licèt non habeat ea omnia formaliter distincta; ea tamen habet actu virtute distincta, quatenùs ens infinitum simpliciter est pelagus continens quicquid est perfectionis entis absoluti, 53

absoluti, & entis relatiui; quo fit, vt & communicabile sit, & incommunicabile, ob eminentiam illius infinitæ entitatis. Vnde non implicat contradictoria in hoc, vt aduertit D. Bonauent. *infra*, eò quod non dicit ens, & non ens; sed ens infinitum continens in se vtrumque, & communicabile, & incommunicabile, quæ in ente finito non capiuntur; & ideò se excludunt, vt contradictoria. Quia igitur diuina essentia est ens infinitum, continens eminenter omnes perfectiones, modo simplicissimo; habet in se esse communicabile, & esse incommunicabile, quod vnum simplicissimum est, neque contradictorium in ente infinito; esto in finito non capiatur. Hæc autem eminentia non erigitur à Caietano ad asylum sibi ab argumentis extruendum, vt clamat Faber; sed est nobile asylum, ad res diuinas meditandas à sanctis Patribus ædificatum.

54 D. Dionysius *lib. de diuinis nominibus, cap.2.* ait, Naturam diuinam esse summam, infinitam, & eminentissimam perfectionem, continentem omnes creatas perfectiones; nec posse dici aut absolutam præcisè, aut relatiuam, aut mixtam; sed eminentissimam, complectentem & quod absolutum est, & quod relatiuum, eminenter tamen; & tamen etiam formaliter diuina omnia, iuxta exactissimam rationem, toti Diuinitati inesse. Habet verò hæc aurea verba initio. *Denique, sicut in Theologicis institutionibus admonuimus, nisi quis de tota deitate accipiat dictum (idest omnes istas proprietates denominationes indiuiduas) blasphemare, ac scindere nefario scelere præsumit coniunctam supremè vnitatem.* Vbi vides, eum ponere ea omnia, idest proprietates, & essentiam, esse vnitatem supremam, & consequenter etiam formalem; & oppositum ait esse blasphemum. Infrà verò addit: *Ego, & Pater vnum sumus, & omnia, quæ habet Pater, mea sunt; & tua mea* (intelligens in essentia:) *neminemque arbitror ex his, qui in diuinis eloquiis rectissima, piaque intelligentia sunt enutriti, huic sententiæ contradicturum, quòd diuina omnia, iuxta exactissimam rationem, toti, diuinitati insunt.*

55 Item, cum dixisset, solas personas inter se, & humanitatem Christi à Deo distingui, subdit: *Vnitatem diuinorum attributorum, & personarum, vt sunt in diuina essentia, & eam* (vocat) *vnitatem superprincipalem, omnia superantem. Ineffabile, quod multis vocibus prædicatur.* Et infrà habet hæc verba: *Supersubstantialem itaque coniunctionem illam longè eminere dicimus, non modò corporalibus coniunctionibus, verùm & omnibus etiam spiritualibus ipsis.* Hinc infero: Ergo est vnitas formalis.

Hæc eadem est doctrina D. Ioannis Damasceni *lib.1. de fide*, suprà adductis locis, quam ad litteram ferè haustam, docet S. Bonauent. 1.*d*.45. *art*.2.*q*.1. vt vidimus *tract*.1. *d*.3. *quæst*.8. Eandem docet *distinct*.22. *quæst*.2. & *d*.34. *quæst*.1. & alibi. Idipsum ex D. Augustino, aliisque Patribus infrà solidabo.

Assero primò, Relationes non distingui ab essentia actu formaliter, vel modaliter.

Probatvr primò à D. Bonauent. 1.*d*.7. *q*.3. *fund. mento primo*, & *d*.33. *quæst*.2. *fund*.2. & alibi efficacissima ratione, quà nituntur Suarez, Valentia, & ferè omnes Recentiores nostræ sententiæ.

56 Omnis actualis distinctio, excepta relatiua personarum, præiudicat diuinæ simplicitati. Actualis est distinctio Scoti, &c. Ergo. Minor est conclusio aduersariorum. Maior probatur ex Conciliis, & Patribus.

Primò quidem Concilium Florent. *sess*.18. post medium, in disputatione inter Ioannem Theologum pro Ecclesia Latina: & Marcum pro Græca. Ioannes pro Ecclesia Latina sic ait. *Diuina substantia, & Persona re quidem sunt idem; secundùm autem modum intellectionis nostræ differre videntur.* Marcus verò pro Græcis de hoc non vult agere, & ait, se forsan non differre in hoc; sed quia apponit vulgare exemplum differentiæ inter naturam, & personam, tametsi ad D. Basilium mittat arctantem; ideo subinttat Andreas Episcopus Coloss. *sess*. 19. sic: *Plurimum refert proferre Diuinam substantiam, vel Patris, Filiique substantiam; haud tamen quaquam putare debemus, vt re differant, quandoquidem sola ratione aut intelligentia differre creduntur.*

Respondet Macedo cum Rada, & Mastrio, Ioannem Thomistam Dominicanum, modestè tamen 57.
dicere *videntur*, seu putantur, & idem sonare dictum Andreæ *creduntur*.

Contrà, quia *plurimum conferre*, id ait, vt hoc credatur, vt sola ratione, &c.

Deinde Ecclesia Latina mittit ad Græcam fidei confessionem, quæ dicit: *Porrò autem ne identitatem, coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam substantiam re, non autem sola ratione à personis differre credere videamur.* En absonum à fide asserit, etiamsi esto, existimaremus; cogitque credere non modò esse idem re, sed ampliùs sola ratione distingui, in quo rursus Macedo fallitur. Neque à Scotistis potest solui, vt ait Morandus.

Faber soluit, Patres intelligere, distingui ratione ratiocinata, quæ apud multos formalis.

Contrà, nam explicant *rationis, seu intelligentiæ*, quæ non est ea Scotica. Ideò *sess*.19 paulò ante medium: *Ne tamen re differre hoc putetis, sed apprehensione tantùm, & intelligentiâ.* Huic arridet *sess. eadem ad finem*, definiens: Persona patris non distinguitur à Paternitate, aut substantia, nisi ratione; has autem confundere renuunt Scotistæ (etiamsi sit tantùm ex natura rei formalis), cum ea, quæ est rationis, & intelligentiæ; negantque à Patribus vnquam confundi, vt videre est in Fabro *disp*.20. *cap*.6. ante numerum 66. & seipsum allegat *disput*.19. *cap*.2. & 3. *num*.10. Neque aliquis è nostra sententia voluit confundere distinctionem nostram virtualem rationis ratiocinatæ, cum formali actuali Scoti; sed quatenùs eam, loco suprà citato, negat formalem actualem, & tantùm virtualem confitetur. Sic igitur intellectum Scotum visum esse plane ad nostram virtualem declinare; & formalem actualem esse eandem cum nostra, nullus dicit, neque potest dicere, vt clamant Scotistæ, præcipuè Lusitanus, Mastrius, Faber suprà.

Respondet Mastrius *num*.69. cum Rada *controu. citata*, Patres quidem Concilij loqui de distinctione 58
rationis, eo modo, quo nos dicimus; attamen voluisse tantùm negare distinctionem realem rei à re; an verò sola ratione differant essentia, & relationes, disputationi Theologorum integrum reliquisse; & ideò opinatiua phrasi eam astruere distinctionem rationis, dum aiunt: Secundùm autem modum intellectionis nostræ differre videntur. Quare intentum Concilij erat, solam distinctionem realem eliminare, quam hæretici innexerant. Quod si aliquid nimium asseruit, hoc fuit, vt ab extremo validiùs recederet, atque ad medium traheret. Sic enim assolent Patres, & Concilia, vt constat; ideoque, dum Patres, & Concilia allegantur, oportet cautè videre, contra quos errores agerent; quia vt hæreses serpentes radicitus conuellerent, excessiuè locuti sunt, declinantes

ab

ab extremo hæreticorum ad aliud extremum. Sic enim & in moribus via deueniendi ad medium, est procedere vltra medium ad alterum extremum; quod Mastrius acclamat aureum documentum D. Bonauenturæ 2. *dist.*33. *art.*3. *quæst.*1. & Scoti ibidem, *quæst.vnica.*

59 CONTRA primò: quia Florentinum Concilium non ad quaternitatem rerum impugnandam in diuinis, sed ad litem dirimendam inter Ecclesiam Latinam, & Græcam, agit: An Spiritus sanctus procedat etiam à Filio, vt ingenuè fatetur Mastrius, *disput.*7. *de Trinitate, quæst.*4. *num.*204. Infert verò Concilium; si Spiritus sanctus non procederet à Filio, sequi, Patrem non communicasse Filio virtutem spiratiuam, atque ideò in essentia esse aliquid communicabile, & aliquid distinctum incommunicabile; ac propterea diuisam esse essentiam (addit Vasquez *disput.*147. *num.*14.) aut aliquid essentiale plus quàm ratione differret à relationibus personalibus. Hæc tamen illatio Vasquez, quoad hoc additum, est falsa, & contra eum; nam si communicabile, & incommunicabile arguit distinctionem plus quàm ratione; sequitur, essentiam, quæ est communicabilis, differre à relatione, quæ est incommunicabilis, saltem formaliter, cum Scoto.

60 ILLATIO igitur Concilij hæc est: Secuturum, vt essentia tota non detur Filio, cùm illi negetur virtus spiratiua, ante actum spirationis fœcunda Spiritu sancto, atque adeò diuisa iaceat essentia, alia in Filio, quàm in Patre; ac proinde, cùm sit absoluta, nec habeat, in quo alio vniatur, erit distincta realiter, quod est absonum; cùm essentia sit vna simplicissima, à relationibus etiam ipsis solà ratione distincta; multò magis in se vna simplicissima, quoad absoluta. Itaque infert Concilium, absurdum esse, diuidi essentiam in se realiter, cùm & à relatiuo inepto compositioni sola ratione differat, à quo tunc realiter differre cogeretur. Itaque non è solo esse communicabili, & incommunicabili sequi distinctionem plus quàm ratione, vt malè infert Vasquez; sed ex eo, quod essentia absoluta ex parte communicabilis, & ex parte incommunicabilis, nempe secundùm virtutem spiratiuam, remaneret in Patre, & pars daretur Filio; sed non integra, negatâ ei virtute, & perfectione fœcunditatis voluntatis, quæ in nullo vniretur; cùm ipsa sit, in qua & relationes ipsæ vniuntur. Quod autem dicebant Mastrius, & Rada, atque Macedo, verbum, *videntur*, esse opinatiuum, falsò asseritur; nam opponitur ei, *sunt idem*: sed videntur (ait) nostræ intellectioni, idest, apparent nostro intellectui imperfectè, & inadæquatè capienti

61 ens infinitum. Confirmatur: nam posteà dicitur, *differre creduntur sola ratione.* Itaque ad fidem id pertinet. Profectò in his, quæ ad fidem spectantia in Conciliis astruuntur, non est sanum ponere excessum ad extremum; sed medium mathematicè assertum. Hanc igitur vnitatem formalem relationum, & essentiæ, solâque ratione, seu intelligentiâ differentiam, non ampliùs agitabat Concilium, vt controuersam; sed vt iam creditam, inferebat sartamtectam seruandam, ne aliquid contra eam ex dogmate Græco inferretur à minori. Si relatiuum, & absolutum sola ratione distinguuntur, non à parte rei, multò minùs essentia inter se est distinguenda, & diuidenda.

SECVNDÒ probatur illa maior, nempe, distinctionem formalem detrahere simplicitati. Probatur à D. Bonauent. *distinct.* 33. *quæst.*1. & 2. ex definitione Concilij Rhemensis, vbi definitur ab Eugenio III. & toto Concilio, vt refert Otho *cap.*57. ne aliqua ratio inter essentiam, & Personam diuideret; idest, ne ratione aliqua theologica distinguerermus; sed tantùm mathematica, quæ solâ operatione intellectus abstrahit à materia ea, quæ materiæ sunt vnita, vt explicat etiam D. Bonauent. *d.*34. *quæst.*2. *in corpore.* Deinde prohibet sententiam Gilberti, etiam in eo, quod negat, *Pater est deitas*: at idem sequitur in opinione Scoti, vt hæc sit falsa: *Pater est deitas.*

Respondet Faber, Scotum concedere, hanc omninò propositionem esse veram identicè, quod Gilbertus negabat: ideò non esse Scoti sententiam damnatam. Quod enim ratione mathematica distingui finat, satis est: nam in mathematica distinctione, seu abstractione, non est mendacium, vt ait Aristoteles 3.*Physs. tract.*18. quia scilicet abstrahit illa, quæ licèt non sint separata à natura, tamen intellectu seiungi possunt. 62

Contrà: quia Aristoteles *loc. cit.* & 3. *de anima, tract.* 18. ait, quod in abstractione mathematica non est mendacium; quia considerat vt separata, quæ ante operationem intellectus talia non sunt: ait enim, *Mathematica non separata, tanquam separata intelligit, cùm intelligit illa.* Et quod intelligat de non separatis formaliter, patet: nam antè affert exemplum de cauitate, quæ potest abstrahi à carne sima; caro autem sima est formaliter caua, ait enim: *Quæ verò abstractione dicuntur, intelligit; vt enim simum, secundùm quod simum, non separatim, aut vt cauum, si quis intelligeret actum sine carne, vtique intelligeret, in qua cauum est.* Vbi non dixit, quod intelligeret cauitatem sine carne; sed cauum, idest carnem simam, & cauam sine carne.

Ideò igitur abstrahens non dicit falsum, v.g. lineam abstrahens à materia; quia modum illum ponit, non circa rem, sed circa suum intelligere, vt notat D. Bonauent. *dist.*34. *quæst.*2. *in corpore.*

Confirmatur: nam Mathematica abstrahit solâ ratione; ad differentiam Metaphysicæ, quæ abstrahit etiam re. 63

Præstereà non loquitur vsquam Aristoteles de abstractione negatiua, sed de præcisiua; Scotus autem, & asseclæ volunt, non solùm abstrahi relationem ab essentia; sed etiam de ea negari formaliter: quod nunquam Aristoteles concedet à mendacio immune.

Respondet Mastrius *num.*68. Concilium Rhemense solam distinctionem realem condemnare, contra Gilbertum.

CONTRA; quia licèt Concilium id ostendat, vt damnet Gilbertum, & concludat, nullas esse proprietates, & relationes in Deo, quæ non sint Deus; tamen vlteriùs definit, Deum esse sapientiam essentiam. Intelligit autem nomine Dei Personam ratione relationum; non Deum ratione deitatis: quia error Gilberti præcipuus fuit circa essentiam, & relationes, inter quas negat Concilium distinctionem, non modò rei, sed etiam rationis theologicæ, idest quoquo modo ex natura rei. Quod si relatio non esset formaliter essentia, sequeretur, falsum esse: *Deus Pater est essentia.* 64

PROBATVR tertiò illa maior ex Concilio Later. sub Innocentio III. & habetur in cap. *Firmiter*, sic: *Vnus solus est verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres personæ; sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omninò.* Et cap. *Damnamus*, definitur, esse idem omninò id, quod est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, his verbis: *Licèt igitur*

igitur alius sit Pater, alius sit Filius, alius sit Spiritus sanctus; non tamen aliud: sed id, quod est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, idem omninò. Si omninò idem sunt. Ergo omnibus modis. Ergo etiam formaliter.

Neque solam rerum vetat distinctionem, vt putant Macedo,& Faber; sed omnem.

Quoniam autem Macedo à Patribus timet, congerit illos, qui visi sunt Angelos è materia componere, & forma; alioqui futuros in simplicitate Deo pares, quia aliæ compositiones non violant simplicitatem. Enim verò,ne vnus ex Patribus hoc infert; nam apud Scotum distinctio formalis in creatura componit, & nullus ex asseclis inficiatur; eamque omnes in Angelis ponunt,& à Deo pellunt.

65 PROBATVR ergo quattò illa maior ex Patribus relatis *tract.* 1. *d.* 3. *quæst.* 8. Alios ad rem pono, Damascen. 1. *de fide, cap.* 11. apud D.Bonauent. 2. *d.* 38. *dub.* 3. & *in* 1. *d.* 16. *quæst.* 1. *Vnaquaque enim illarum nihilo minus erga aliam se habet, quàm ipsa secum; hoc est, vnum, idemque omninò sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nisi quod Pater genitus non est, Filius genitus est, Spiritus procedit. Quod autem in ea* (scilicet essentia) *dictum est, cogitatione sola distinguitur.* Profectò cum ait, *sola*, omnem distinctionem ex natura rei negat.

Faber omittit particulam, *sola*; & dicit loqui de ratione ratiocinata, quæ est formalis.

66 At Faber suprà nititur diuersam esse rationem formalem à ratione ratiocinata. Præterea Damascenus, vt Fabrum eluderet, dixit, distingui sola cogitatione; non autem ratione: at distinctio solâ cogitatione, à nullo vnquã est cum formali confusa.

D. Bernardus, præcipuè *lib.* 5. *de consider.* relatus à D. Bonauent. hìc *fundamento* 1. vrget Gilbertum, & quemcunque ponentem distinctionem à parte rei, inter personas, & essentiam: quia sic personæ non essent adorabiles, quippè non essent formaliter essentialiter Deus; & esset vnum compositum. Deinde reprobat illud Gilberti effatum: *Pater est Deitas*, idest, *Deus*: *est bonitas*, idest, *bonus*; quippè negabat, esse verum in abstracto, atque adeò formaliter falsum asseuerabat.

Respondet Faber, D. Bernardum solùm negare distinctionem plurium rerum; non autem plurium formalitatum.

67 Contrà,nam infert: *Visus sum protulisse plura; sed vnum est. Vnus Deus signatus est pro captu nostro, non pro suo statu. Voces diuersæ, semita multa; sed vnum per eas significatur.* Et retrò contra Gilbertum ait: *Deus Trinitas est, Deus trium singula Personarum; si quartam diuinitatem adiicere placet interim, ego hanc, quæ Deus non est, persuasi mihi minimè adorandam.* Dicit autem, *Quæ Deus non est*, quia Gilbertus dicebat, Deum sumptum pro persona, non esse suam deitatem: hoc idem sequitur in sententia Scoti, vt ait Vasquez, cum D. Bonau. *loc. cit.* Rursùs ait: *Nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum: facit hoc speculum, & ænigma, per quod solùm interim videre datur. Cùm autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenùs resiliet, desilietue in suam pluralitatem; colliget se magis, adunabit, conformabitque vnitati illius; vel potiùs vnitati illi, vt vna vni facies respondeat faciei.*

Respondet Faber, D. Bernardum abire in sententiam D. August. (qui cum Scoto est) *serm.* 8. *in Cant.*

CONTRA: nam ibi Bernardus loquitur de attributis, aitque: *Securus, & libens pergo in eius sententiam, qui dicebat: Deus non nisi ea magnitudine magnus est, quæ est, quod ipsa.* Hinc arguo ex D. Bonauent. *dist.* 8. *p.* 2. *quæst.* 1. Omne, quod est quicquid habet, est simplicissimum; & quod est simplicissimum, est quod habet formaliter, excepto relatiuo in referri, ex D. Augustino 11. *de ciuitate Dei, cap.* 10. apud D. Bonauenturam *distinct.* 33. *q.* 1. *fundamento* 2. Et *septimo de Trinit. cap.* 2. ait: *Eo magnus, quo sapiens. Eo* autem, & *quo*, formalem indicant vnitatem, vt arguit Faber *cap.* 1. *num.* 5. 68

Deinde D. Augustinus *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 6. loquens etiam de personis, & essentia: *Non* (inquit) *aliud est Deo esse, aliud Personam; sed omninò idem.* Et infrà: *Non aliquid aliud eius essentia est, præter istam Trinitatem: tamen tres personas eiusdem essentiæ, vel tres personas vnam essentiam dicimus. Tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit, quod essentia est; aliud quod persona.* En apud D. Augustinum, esse idem omninò, idest omnibus modis realibus. Quare dum ait *cap.* 4. aliud esse Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse; loquitur secundùm distinctionem tantùm rationis; quo modo Deus, & Dominus distinguuntur. Cùm igitur D. Bernardus sit cum D. Augustino, est etiam nobiscum.

Mastrius *num.* 68. respondet iuxta regulam suprà allatam, Patres in dicendo excessisse, vt quaternitatem rerum in diuinis delerent, ab hæreticis inuectam.

CÆTERVM, cùm D. Bernardus loqueretur in ordine ad definitionem canonicam hac de re faciendam, ac posteà statutam; malè asseritur, excedere. Idem de D. Augustino contra Arrium; clarè enim astruit, esse omninò idem. 69

Damascenus verò nullam hac de re habebat controuersiam.

D. Dionysius *cap.* 2. *de diuinis nominibus, part.* 1: perpendens illud Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*: *Neminem* (inquit) *arbitror ex iis, qui in diuinis eloquiis rectissimâ, piaque intelligentia sunt enutriti, huic sententiæ contradicturum, quod diuina omnia, iuxta exactissimam rationem, toti diuinitati insunt.* Pondero *exactissimam rationem*, quâ diuina essentia omnia sibi identificans claudit.

D. Athanasius oratione contra gregales Sabellij: *Vniuersa plenitudo, & integritas diuinitatis est Pater, vt Pater; & Filius, vt Filius.* Et infrà idem de Spiritu sancto existimandum ait. Et dialogo primo contra Anom. *Neque Deus hoc esse dicitur per compositionem, sed ex diuersis considerationibus.* Et serm. 4. contra Arrianos: *Necesse* (ait) *est, vt cogites ipsam deitatem, & proprietatem Patris essentiam Filij constituere.* En proprietates sunt essentialiter formaliter essentia.

D. Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina: *Vnum* (ait) *in tribus diuinitas est, & tria vnum, in quibus diuinitas est; vel, vt magis propriè dicam, quæ diuinitas est.* Vbi vides diuinitatem, si propriè loquamur, esse ipsa diuina supposita, iuxta id Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus. Ego in Patre, & Pater in me est.* Vbi perfectam vnitatem Personarum in essentia astruit, vt notat S. Bonau. *in comment.*

Ex his habes, sanctos Patres non admittere Scotistarum effugium. Non enim solam identitatem realem asserunt, sed etiam formalem; dicunt enim, esse idem exactissimè, omninò vnum, idemque in abstracto vnum. Vnde D. Bernardus *lib.* 5. *de consider.* 70

fider. cap. 7. vocat Deum *vnissimum.* Quæ omnia distinctionem, etiam formalem, excludunt. Quapropter Lusitanus Scotista *quæst.* 5. *art.* 5. opinionem Scoti tremulam ingemiscit, eamque hinc validè concutit Fasolus *quæst.* 4. *art.* 2. *d.* 12. *num.* 95. cum D. Bonauentura *dist.* 33. *quæst.* 1.

71 Respondet secundò Mastrius *num.* 70. è Scoto *in* 2. *dist.* 16. *quæst. vn.* in quæstionibus Theologicis possumus reiicere Patres contrarios, & fauentes recipere: & hoc documentum refert ex D. August. *epistola* 111. vbi loquens de Ambrosio, Hieronymo, Athanasio, Nazianzeno, ait: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus; vt nobis non liceat (salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus) aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere. Talis ego sum in scriptis aliorum; tales esse volo intellectores meorum.* Cùm igitur agamus rem non statutam de fide, & aliqui Patres stent pro Scotistis, possumus eos recipere, dimissis aliis, qui fauent Thomistis.

72 Hic author fatetur ingenuè, aliquos Patres nobis fauere; nos autem nullos eis fauere ostendemus, sed alios etiam nobiscum sentire, vt arguit Valentia *loc. cit.*

Probatvr secundò ratione D. Bonauent. *d.* 8. *p.* 2. *quæst.* 1. Id, quod est simplicissimum, est omne id, quod habet formaliter. Ideo D. Bernardus 5. *de consid. c.* 7. ait, Deum esse vnissimum, quia mera simplicitas est. Sed Deus, secundùm Scotum, non est quicquid habet. Nam Deus non est formaliter relatio, quam habet. Ergo.

Respondet Faber, esse idem identicè; distinctionem verò formalem non derogare simplicitati, sicut nec derogat Trinitas Personarum.

73 Contrà: nam plures formalitates sunt plures essentiæ, habentes distinctas definitiones reales, & vniuntur ad vnum compositum. Quod verò ait de relationibus, non est ad rem. Relatio enim, cùm sit ad obiectum, non componit, vt docet Aristoteles: nam compositio est *in his*, vel *cum his*, vel *ex his.* Quod si pari passu incederent absoluta, & relatiua, sequeretur, quod sicuti plures personæ realiter distinctæ non componunt; ita neque plures relationes cum essentia: quod est damnatum in Concilio Rhemis, & Later. Hanc doctrinam haurio è D. Bonau. *dist.* 33. *quæst.* 1. *corpore.*

Prætereà, vt arguit S. Bonauent. *d.* 8. *p.* 2. *quæst.* 1. sicuti ens est vnum, & simplex; ita infinitum ens debet esse infinitè vnum, & simplex. Confirmatur ex D. Athanasio suprà citato, vbi excludit compositionem è sola rationis distinctione.

Respondet Faber, non omnem simplicitatem dicere perfectionem, materia enim est simplicissima, & imperfecta: & composita sunt multis simplicibus perfectiora.

74 Enim verò extra rem est responsio; materia enim ideò est imperfecta, quia in simplicitate habet potentialitatem ad perfectionem: at simplicitas actualis est perfectio entis simpliciter, & de hac nos loquimur. Ea enim est, quæ Deo est adscribenda, vt ait D. Bonauent. *loc. cit. corpore.* Similiter, quod de compositis ait Faber, extra chorum est; nam ideò composita inter nos perfectiora sunt, non in ratione compositionis, sed quia habent multiplicatas entitates. Vnde, si daretur ens simplex, habens perfectiones omnium compositorum, quis negabit, fore perfectius? Talis est Deus. Itaque argumentum è simplicitate validè aufert distinctiones formales, vt vidimus etiam ex Patribus, & Conciliis: quod est fundamentum præcipuum D. Bonau. *dist.* 33. *quæst.* 1.

Respondet Meldula *num.* 79. Scotistarum nomine, distinctionem formalem non inducere compositionem. Ratio Scoti est, quia cum ipsa stat summa, & vltima actualitas rerum, quæ distinguuntur; atque summa identitas realis eorum, quæ distinguuntur: ad compositionem autem requiritur, vt vnum sit realiter distinctum ab alio, & quod sit aliquo modo in potentia ad illud.

Contrà arguo, cum Suarez, ex D. Bonauent. *in corpore.* Ea, quorum vnum se habet vt subiectum, alterum vt proprietas perficiens, se habent vt actus, & potentia: at essentia se habet vt subiectum; proprietas vt perfectio. Ergo. Maior est Scoti. Minor probatur, quia ita se habent, vt essentia non sit in vltima actualitate sine personis. Confirmatur; nam eo etiam differentia perficit genus, & cum eo componit, quia aduenit ei, & perficit.

Hic videbis perpulchram Scotistarum implicantiam. Respondet Mastrius, ideò realitates generis, & differentiæ facere compositionem metaphysicam, ex Scoto *dist.* 8. *quæst.* 4. *ad primum,* quia eorum realis identitas non est perfecta; at diuinæ Relationes sunt idem perfectissimè, ratione infinitatis: quia enim non sunt finitæ, vna nequit per modum compartis concurrere ad constitutionem vnius tertij, sicuti concurrunt genus, & differentia; sed tantùm per simplicitatem, ratione infinitatis earum. Hic Scotista sic redarguendus. Ea, quæ in se sunt infinitæ perfectionis, ideò neque possunt componi cum aliis; sed ea tantùm, quæ talia non sunt, per te hìc *num.* 80. *& seq.* at relationes diuinæ non sunt infinitæ perfectionis, per te *disput.* 7. *de sanctissima Trinitate, quæst.* 1. & secundùm Scotum: Ergo. 75

Deinde entia in vltima actualitate minùs vniuntur, quàm ea, quorum alterum est actus alterius; hæc enim vniuntur ad faciendum vnum per se: illa verò faciunt vnum per accidens, seu aggregatione.

Respondet Mastrius *num.* 80. verum esse, quando sunt finitæ entitates, quæ possunt esse inuicem compartes ad vnum tertium constituendum; at relationes, & essentia, ratione infinitatis earum, non possunt se sic habere.

Contrà. Quantò aliqua sunt in se perfectiora, tantò magis faciunt cum aliis vnum per aggregationem; quia non potest alterum perficere alterum, & esse alteri vt actus. Per te, relationes, & essentia sunt infinitæ perfectionis. Ergo. Maior est educta è responso Mastrij. Minor est eius responsio. 76

Vrgeo cum D. Bonau. *dist.* 8. *loc. cit.* & Amico *disput.* 19. *sect.* 4. Quod diminuit de simplicitate summa, derogat diuinæ perfectioni: at distinctio formalis minuit simplicitatem, quæ maior est in vno formaliter: ergo.

Respondet Mastrius *num.* 81. retorquendo, fore maiorem simplicitatem, si auferretur etiam nostra distinctio virtualis. Deinde, si tolleretur pluralitas Personarum.

Friuola sanè responsio: nam distinctio virtualis actualissima nullam à parte rei distinctionem ponit, sed infinitas perfectiones in vno simplicissimo. Quoad distinctionem Personarum respondet Amicus ex D. Bonauent. *d.* 33. *quæst.* 1. *in corpore*, non esse ad rem; nam pluralitas relationum non respicit subiectum, sed obiectum; & hoc, vt non componere queant: vnde Mastrius scrupulosè timet, ne componant aggregatum per accidens.

Respondet

77 Respondet igitur directè *num.*82. simplicitatem summam cum distinctione formali consistere, maiorem verò vnitatem esse in Deo impossibilem; alioqui perfectiones diuinæ suas formales perfectiones in eo non retinerent; atque adeò non essent in eo formaliter, sed tantùm eminenter, sicuti sol est calidus. Aduertit autem cum Rada *controu.*4. *ad 4. principale*, & Licheto 1. *disputat.*8. *quæst.*3. aliud esse loqui de summa vnitate, aliud de summa simplicitate, quas perperam quidam confundunt. Summa vnitas quidem excludit necessariò omnem pluralitatem; non sic verò simplicitas.

78 CONTRA primò, quia simplicitas formaliter consistit in identitate rei ad seipsam, vt colligitur ex D. Bonauentr. 1. *distinctione* 8. 1. *p. quæst.*2. *ad argumenta*: & *in* 2. *d.*3. *p.*2. *quæst.*1. & *artic.* 2. *quæst.*2. Probatur à P. Galitio: quia quod cadit ab identitate, cadit à simplicitate: ergo simplicitas dicit identitatem. Probatur Antecedens. Deus est simplex; quia in eo est idem, atque vnum essentia cum attributis, & relationibus, vt asserunt Concilia, & Patres suprà allegati: creatura verò est composita, quia in ea aliud est actus, aliud potentia; aliud genus, aliud differentia.

CONTRA secundò, quia secundùm Scotum, si non tollitur maxima simplicitas in Deo, saltem tollitur maxima vnitas. Quare falsò Patres suprà dicunt, esse vnum exactissima ratione, vnum omninò quicquid est in eo, atque vnissimum. Hoc argumento Lusitanus concutitur.

Respondet Meldula *num.*83. cum Licheto, retorqueri posse argumentum: quia magis vnus esset Deus, si tolleretur distinctio nostra virtualis, & Trinitas Personarum. Itaque non est exigenda vnitas formalis, quæ si perfectionem diceret simpliciter, albedo foret Angelo perfectior, quia continet pauciora formaliter distincta, quàm Angelus. Addit cum Bassolio 1. *d.* 22. *quæst.*4. *ad* 3. talem vnitatem esse impossibilem in ente infinitè perfecto, quod debet omnes formalitates perfectionum simpliciter continere distinctè.

CONTRA, quia perfectiones sparsæ in inferioribus, debent colligi, & vniri in superioribus, *ex libro de causis*: sic potentiæ perceptiuæ coloris, soni, odoris, &c. sparsæ in sensibus externis, vniuntur in internis, & magis in intellectu hominis, & plus in angelico, & summè in diuino; vt arguit Fasolus, post D. Bonauent. *distinctione* 33. *quæst.*1. *in fundamento* 3. Primum enim ens, & principium aliorum debet esse vnissimum.

79 Cæteris profectò paribus, eo est ens perfectius, quo magis vnum: quia quo magis vnum, eo est illimitatius, vt arguunt Fasolus, & Amicus *num.*30. contra Lichetum, & Mastrium. Quod dicitur de distinctione virtuali, iam solutum est. Quoad relationes, non est ad rem: nam debet dari maxima vnitas in Deo, vt Deus vnus, & trinus; at hæc cùm nequeat dari in esse *ad*, debet saltem dari in esse *in*, secundùm quod esse vnitas essentialis computatur; imò excellentissima vnitas est, vt vniantur & absolutum, & relatiuum; neque esset maior vnitas, si esset vna persona, quia vnitas Dei sumenda est secundùm esse entis diuini simplicissimi, quod ex vnitate excellentissima resultat; relationes verò simplicitatem non lædunt, vt dixi, & arguit S. Bonauent. *distinctione* 2. *quæst.*2. *ad* 3. Hæc sequenti ratione firmabo. Quæ verò de albedine mussitat, iacent *num.*74. est enim simplicitas eius potentialis entis entium, quæ est extra rem.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *distinct.*7. *quæst.* 7. *fundamento* 2. ratione validissima, qua nituntur Moderni. Omnis prædicatio in abstracto est falsa, nisi sit in primo modo dicendi per se, ex Scoto *in reportatis*, *lib.*1. *d.*45. *quæst.*2. vt docet D. Bonauent. 1. *distinctione* 33. *quæst.* 3. *fundamento* 2. at prædicatio deitatis de relationibus, & personis, non est in primo modo dicendi per se: ergo est falsa. Minor probatur. Quæ differunt formaliter, non possunt prædicari inuicem in abstracto, in primo modo dicendi per se; & si prædicantur, prædicatio est falsa, ex Scoto suprà, & Fabro *disputat.*19. *cap.*3. Sed relationes, & essentia differunt formaliter, per Scotum. Ergo nequeunt prædicari in primo modo; primus enim modus dicendi per se, dicit vnionem formalem, ex Fabro *loc. cit. num.*10. 80

SI dicas, Scotum *in* 1. *dist.*8. *q.*4. in fine asserere, propositiones in abstracto esse veras tantùm formaliter in creaturis, non in Deo.

DICO, *Reportata* esse post libros sententiarum Scoti, vt notat Fotestus *pag.*135.

Faber *disp.*20. *c.*7. ad argumentum, quod est decimumoctauum, respondet, has prædicationes esse falsas formaliter, sed veras identicè. At non respondet ad textum Scoti.

Prædicari autem relationes de deitate, & è contra, certum est. Primò quidem dicitur Deus Trinitas in Litaniis, & in officio sanctissimæ Trinitatis ab Ecclesia vniuersali. Similiter dicitur: *Deus vna Trinitas; vna, & summa Deitas; sancta, & vna vnitas.* Vbi summa, & vna Deitas, & vnitas dicitur. 81

Præterea dicitur: *Veritas Filius; Charitas Pater; Veritas Spiritus sanctus.* Vbi essentialia in abstracto de personis prædicantur. Similiter dicitur: *Gloria tibi Trinitas æqualis, vna Deitas*: & in Concilio Rhemensi definitum est, quod Pater sit sua Deitas, & paternitas. Et ait, *nullo Catholico sensu id posse negari.* Quæ omnia, si Scoto credimus, erunt falsissima.

Vrgeo. Sequitur, prædicationes etiam concretas, quæ in Scripturis reperiuntur, in quibus dicitur Pater, Filius, & Spiritus sanctus esse Deus, falsas esse formaliter. Plurimas retuli *disp.*1. *à q.*4. *ad octauam vsque.* Hoc infrà cum Brancasio ostendam, sequi etiam omninò. 82

Sequitur, essentiam à Personis distingui essentialiter, seu esse alterius essentiæ, quæ Faber non horret concedere. Itaque, cùm dicitur Ioan. 1. *Deus erat Verbum*, propriè est falsum. Et cùm ait Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*; & sexcentæ aliæ similes, sunt falsæ. En quò perducat hæc opinio.

Propositiones verò huiusmodi propriè, & formaliter esse veras, probatur è sanctis Patribus. Nazianzenus *orat.* 36. ait, *quod licèt essentia, & relatio vnam personam faciat; hoc tamen non fit ex duobus distinctis naturâ, sed rerum cognitione.* Et *orat.* 39. ait: *Tria vnum, in quibus est diuinitas; vel, vt magis propriè dicam, quæ est diuinitas.* Nota, magis propriè dici veram in abstracto, in recto: ergo formaliter; nam si formaliter esset falsa, solùm impropriè esset vera. 83

D. Athanasius suprà relatus: *Vniuersa plenitudo diuinitatis est Pater, vt Pater. Vniuersa item plenitudo deitatis est Filius vt Filius.* Nota reduplicationem, quæ formalitatem indicat. Hoc argumentum latè prosequitur Didacus de Antoya *disput.*11. *sect.*6.

S. Damascenus *lib.*1. *de fide, cap.*11. ait: *Cùm verò ad ea, in quibus est diuinitas, siue (vt exactius loquar) quæ sunt ipsa diuinitas.* Cùm dicit, *In quibus*

est diuinitas, profectò intelligit identicè; at exactiùs loquendo, vult formaliter esse deitatem.

S. Bernardus *serm.*80. *in Cant.* ait, hanc propositionem, *Pater est veritas*, esse magis propriam, quàm sit hæc, *Pater est verus*. Sed hæc est vera identicè, per Scotum. Ergo illa est vera formaliter.

84 Alensis 1.*p. quæst.*70. *m.*5. asserit, olim in Ecclesia non fuisse hæc nomina abstracta, *Paternitas*, &c. sed inuenta esse ad magis propriè loquendum: hic autem Doctor fuit vicinus temporibus Concilij Rhemensis, vbi definitur, *Paternitas, Filiatio est deitas.* Si enim hæ propositiones, magis propriè loquendo, idest formaliter, essent falsæ, vt tenent Scotistæ, iam inuentæ essent ad magis impropriè loquendum, dum à Concilio Rhemensi definiuntur veræ. Et tamen etiam D. Bernardus, qui Concilio illi affuit, *lib.*5. *de consid. c.*7. ait: *Personæ non sunt illa vna natura, vna essentia, vna deitas. Catholicus es; minimè hoc dabis.*

85 Præterea summa vnitas ex Scoto, & Fabro *locis adductis*, est vnitas formalis. Sed hæc est diuinæ essentiæ, & relationum. Ergo. Minor probatur ex S. Dionysio *cap.*2. *de diuinis nominibus*, vbi ait, vnitatem personarum esse summam, & superare omnem corporalem, & spiritualem. Certum est autem, inter corporea, & spiritualia reperiri plurima, quæ solùm formaliter differunt, secundùm Scotum. Ergo in Deo est formalis vnitas, fundans prædicationem formalem. De hoc *q.*5.

Insuper ex Scoto 4. *Metaph.* vnitas importat perfectionem ad ens. Tunc sic: Sicut se habet simpliciter ad simpliciter: ita magis ad magis, & infinitum ad infinitum. Sed vnitas, per te, importat perfectionem ad ens. Ergo ens infinitum debet esse infinitè vnum. Ergo formaliter. Probatur consequentia, nam maxima vnitas est formalis, ex Scoto suprà.

86 Confirmatur ex Aristot. 4. *Metaph. cap.*2. vbi ait: *Ens, & vnum non sunt diuersæ naturæ; sed eadem.* Ergo qua ratione Deus est ens infinitum, erit infinitè vnus. Ergo formaliter.

Tandem Boëtius, & omnes Theologi dicunt, in diuinis esse vnum omnia, præter oppositiones relatiuas.

Respondet Faber, omnia esse vnum, etiam formaliter, præter relationes oppositas, vel disparatè, vel alio modo.

Hic ligone ferit pedem; concedit enim attributa, & essentiam, seu omnia absoluta esse idem formaliter.

87 Probatur quartò à D. Bonau. *fundamento* 4. Si proprietates sunt formaliter, essentialiter, ac definitione distinctæ ab essentia; vel ista entitas est melior Deo, vel deterior, vel æqualis. Si primum: ergo datur aliquid melius Deo. Si secundum: ergo est creatura. Si tertium: ergo infinitè perfecta, contra Scotum refellendum *quæst.*6.

Secundò: Ergo datur inter essentiam, & relationes relatio realis æqualitatis. Hoc est argumentum D. Bernardi, quod vrget etiam Scotum, vt notat Suarez relatus *quæst.*3.

Respondet Faber *ad* 3. & 19. Scotum non vrgeri hac ratione: quia concedit, esse vnam rem; sed distinctas formaliter.

88 Contra: nam distinctio formalis est plurium essentiarum, & definitionum, inter quas cadit comparatio illa Melliflui Doctoris.

Respondet Mastrius *n.*11. distinctionem formalem non sufficere ad comparanda hoc pacto ea, quæ sunt vnum realiter, vt sint æqualia; quia eadem res non est sibi ipsi æqualis. Igitur fatendum, esse idem realiter; sed distingui formaliter Deum, & relationem. Ita communiter Scotistæ, obliti sic se comparare voluntatem, & intellectum, &c. Hæc responsio reprehenditur à Brancasio *disp.*20. *quæst.*5. *art.*7. quòd admittat, Patrem, vt est persona, non esse formaliter Deum, aut deitatem; alioqui aliquid esset in Deo, quod non esset Deus. Itaque hunc modum scandalo esse clamat.

Respondet Mastrius, hunc Scotistam scrupulosè inferre hanc sequelam. Pater, vt persona, non est formaliter Deus. Ergo non est simpliciter Deus. Sicut qui arguet: Petrus non est homo albus. Ergo non est homo.

At non est eadem ratio; nam in allato exemplo infertur nouum prædicamentum realiter: at hic manet idem. Si enim formaliter non est Deus. Ergo non est verè Deus: quia quod non est formaliter tale, non potest dici propriè tale. Hoc sequenti ratione ostendam.

Probatur quintò à S. Bonau. *in Breuil.* 1.*p. cap.*2.3.& 4. & *in* 1.*d.*2.*q.*1. & *d.*8.*p.*2.*q.*1. & *d.*23. *art.*2.*q.*3. & *d.*33.*q.*1. *fundamentis*, & *d.*45. *art.*2. *q.*1. ratione sumptà ex infinita Dei perfectione, qui cum sit pelagus omnium perfectionum, vt loquitur Damascen. *lib.*1.*c.*11. & cùm sit id, quo maius excogitari non potest, vt loquitur Anselmus; atque adeo sit ens illimitatum in omni genere perfectionis possibilis; vtique debet omnes continere, non modò identicè, sed etiam formaliter, in suo esse primario vnificatas. 89

Probatur autem hoc, argumento Scoti *in Reportatis, dist.*35.*q.*1.*art.*4. vbi probat, quod intellectualitas est de ratione quidditatiua Dei tali medio. Quod potest esse idem alicui, non inest illi perfectissimè, nisi sit de ratione quidditatiua intrinsecè illi idem. Sed intellectualitas perfectissimè Deo conuenit. Ergo inest illi omninò idem quidditatiuè formaliter. Tunc sic: At attributa, & relationes insunt Deo perfectissimè. Ergo sunt intrinsecè formaliter idem illi.

Respondet Faber, quod inter attributa est quidam ordo; intellectualitas enim non est sicut Bonitas, sapientia, &c. quæ veluti circumstant essentiam, vt ait Damascenus: sed est intrinseca, non tamen idem formaliter; quia inadæquatè illi inest, sicut rationalitas homini.

Contra primò. Quod est de quidditatiua definitione alicuius, est idem formaliter, ex Fabro, & Scoto, qui dicunt, ea quæ distinguuntur formaliter, distingui essentia, & definitione. Talis est intellectualitas, respectu Dei, secundùm Scotistas. Ideò 90
ait Faber in responsione, quod si Deus posset definiri, in definitione poneretur intellectualitas. Idem argumentum currit de voluntate, quæ eodem modo intrinseca est.

Quod verò ait de rationalitate, non est ad rem: nam non quærimus hic, an singula attributa, & relationes sint idem adæquatè; certum est enim, non esse: nam præter intellectum, conuenit Deo & voluntas. Sed quæritur, an singula à parte rei distinguantur formaliter? Et asserimus, constituere vnum formaliter adæquatum. Quod probo. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; eodem modo, inquam, sunt eadem, iuxta expositionem Scoti, allatam *quæst.*3. Sed intellectus, & voluntas sunt idem formaliter essentiæ adæquatè: ergo simul sumpta sunt idem inter se adæquatè. Et ita ex eadem formalitate non repugnat oriri Filium, & procedere Spiritum sanctum.

Respondet

Respondet Mastrius *num.86.* retorquendo argumentum in nos, qui tenentes, attributa, & relationes in conceptu diuinæ naturæ includi, vt dicam *quæst.5. & 6.* saltem ratione, hæc inter se distinguimus. Vel enim ratione concipimus alterum, putà essentiam, sine relatione finitam, & limitatam in suo conceptu; vel non. Si primum, iam Dei essentiam non concipitis: si secundum, eodem modo præscinditur distinctione ex natura rei.

At retorsio hæc parum vrget nos, vt acutè aduertit Mastrius *num.78.* incautè se implicans; nam diuersa est admodum abstractio per solum conceptum nostrum imperfectum inadæquatum, à distinctione actuali ex natura rei, quam faciunt Scotistæ, quæ non eodem modo potest saluare infinitatem singularum rationum, cùm à parte rei formaliter se excludant ab inuicem. Neque nos includimus conceptus, vt dicam *quæst.5. & 6.*

92 Respondet secundò, directè cum Scoto *quol.2. artic.1.* & *in 1. d. 8. quæst. 4. S.* & *d. 13. quæst. vn. N.* & *in 4. d.13. quæst.1. artic.1.* & *quol.5. X.* diuinam essentiam, secundùm suam quidditatem continere omnes perfectiones attributales, & proprietates radicaliter originatiuè: quatenus prædicto modo inspecta est fœcundissima radix, ex qua pullulat omnis perfectio; & hoc sensu dici à Damasceno *pelagus omnium perfectionum*; & eodem sensu vocari ab Anselmo *ens perfectissimum, quo maius excogitari non potest.* Cui solutioni subscribunt Vasquez, Turrianus, & Arriaga.

93 At in ente superiori adunantur formaliter, non autem radicaliter, perfectiones inferiorum, vt disserit Scotus *2.d.3.quæst.9.§. Ad quæstionem*; & constat exemplis: nam in intellectu adunantur virtutes potentiarum inferiorum cognitiuarum, non radicaliter, sed formaliter eminenter. Huius ratio à priori est, quia quo magis aliqua eleuantur ad naturam superiorum, eo magis perfectiora euadunt, & illimitatiora. Ergo, quæ eleuantur ad naturam supremam, atque infinitam, euadunt infinitè perfecta. Ergo euadunt vnum formaliter; alioqui remaneret limitata in sua ratione formali. Quod argumentum, ait Meldula, fuisse Achillem Caietani *lib. de ente, & essentia*, contra distinctionem formalem attributorum.

94 Respondet Meldula, hoc argumento inferri, Verbum, & Spiritum sanctum produci eodem formali principio, quia intellectio, & volitio sparsæ in inferioribus, vniuntur in superioribus, ad vnicum principium constituendum. Hæc autem est falsissima illatio; alioqui Filius, & Spiritus sanctus erunt vnus. Itaque negat assumptum. Ad probationem ait, perfectiones sparsas in inferioribus, non omni modo vniri in superioribus, sed modo possibili. Itaque, cùm perfectiones in Deo esse debeant secundùm formales earum rationes distinctas, nequeunt vniri formaliter, sed identicè, vt ait Scotus *quol.5.*

Verum enim verò illatio illa est vera, vt dixi *tract.1. disputat. 3. quæst. 8.* & infrà ostendam, ad

95 argumenta respondens. Contra verò id, quod miscet, arguo sic. Perfectiones simpliciter, non mixtæ næuis, debent modo perfectissimo inesse Deo, vt dicebat Scotus suprà: at esse in Deo fundamentaliter, vel originaliter, non est modus perfectissimus. Ergo. Minor probatur: nam sicuti non omnis perfectio creaturarum est sufficienter in Deo, quia originaliter sunt à Deo per productionem, sed quia earum perfectiones sunt formaliter in eo, vel eminenter, si sunt perfectiones intrinsecè dicentes imperfectionem; ita diuina essentia, seu Deus, non satis erit illimitatæ, & infinitæ virtutis, si originaliter tantùm perfectiones includat.

Deinde si essentia emittit perfectiones: Ergo per veram efficientiam, quæ saluatur in emanatione distinctorum ex natura rei. Deinde sequitur, essentiam esse in potentia ad illas, eisque informari, & tanquam potentiam actuari. Ita Suarez. 96

Respondet Scotus, relationes resultare, vt subsistentias, vt natæ sunt esse Deus, ipsa deitate formaliter.

Contra: Si relationes emanant vt subsistentiæ: ergo vt perfectiones aduenientes essentiæ, quæ formaliter non est subsistens. Et si manant vt aptæ esse formaliter Deus, ipsa deitate formaliter: ergo relatio Patris producitur, & nascitur. Deinde: ergo absorbentur in formalitate deitatis. Præterea: ergo id solùm habent formaliter diuini, quod habent ab essentia. Addo, si in primo signo relationes non sunt formaliter in essentia: ergo ea tunc est in potentia ad eas; & cùm per veram emanationem producantur, sequitur esse in aliquo priori in potentia reali; & secundùm Scotistas, etiam in aliquo instanti priori reali essentiam esse imperfectam. Tandem sequitur, essentiam in se formaliter non esse sapientem, atque sapientiam non conuenire Deo in primo modo. Ergo non est Deus, nec à se.

Probatvr sextò ad hominem. Ex eodem fundamento distinctionis consurgit eadem distinctio: sed ex prædicatis Dei quidditatiuis, putà entis, substantiæ, spiritus ex vna parte; & ex attributis, essentia, ac relationibus exurgit par fundamentum distinctionis: ergo. Minor probatur, quia Deus non est eo Deus, quo ens; alioqui, cùm Deus, & creatura in ratione entis conueniant vniuocè, (in via Scoti,) sequeretur, Deum in ratione Deitatis cum creatura conuenire; & tamen hæc prædicata entis, substantiæ, spiritus, ac Dei, non differunt formaliter, apud Scotum, & asseclas. Ergo neque inter attributa, & relationes, atque essentiam datur distinctio formalis. 97

Neqve dicas, infinitatem in his variare: quia ex Scoto *distinctione 8. quæst.4.* infinitas non mutat rerum formalitates: vnde infert: Si sapientia, & bonitas, in diuinis infinitæ sunt idem formaliter: ergo & sapientia in genere erit bonitas. Tunc sic: Si entitas infinita esset formaliter substantia infinita, tunc ratio entis in communi esset ratio substantiæ in communi; quia infinitas addita non variat rationem formalem rei. Itaque fuit commune Scotistarum asylum, apud Mastrium *disp.2. q.8. num.305.* infinitatem efficere, vt illæ formalitates non componant. 98

Vulpes *tract.1. disputat.6. artic. vltim.* concedit, Deum eo omninò esse ens, quo substantiam, quo spiritum, &c. non sic autem eo dici substantiam, quo sapientem, bonum, &c.

At non soluit inconueniens, quod sequitur, Deum in ratione deitatis conuenire cum creatura. Deinde refellitur a Mastrio *num.104.* quem vide.

Respondet ipse, non esse eandem rationem de prædicatis Dei quidditatiuis, & attributis, ac relationibus, quia cùm ens, substantia, &c. se habent sicut magis commune, & minùs commune; si proprias præseferrent formalitates distinctas, ad Deum constituendum, facerent compositionem metaphy-

metaphysicam; at hoc non sequitur in diuinis proprietatibus.

99 Contra: at ita (subsumo) se habent essentia, & proprietas, quia essentia se habet vt communis; relatio vt propria, quæ manat ab essentia, & ei aduenit in secundo signo pòst reali. Ergo secundum te, si habent formalitates distinctas, faciunt compositionem metaphysicam. Hoc vrgebo *in resp. ad primum.*

Vrgeo. Istæ realitates entis, & substantiæ, sunt constitutiuæ essentiæ diuinæ. Ergo, cùm eodem fundamento distinctionis cum relationibus, & essentia nitantur; sicuti hæ, per vos, sunt plures formalitates: ita & essentia præcisa erit, è multis formalitatibus constituta, atque composita. Probatur consequentia ex doctrina Mastrij: quia se habent vt superius, & magis commune ad essentiam diuinam.

Addit, prædicata quidditatiua includi in conceptu deitatis; non sic attributalia. Vnde non est idem iudicium ferendum de vtrisque.

Contra. Si conceptus entis clauditur in conceptu Deitatis, & è contra; sequitur secundùm te, creaturam, & Deum conuenire in conceptu Deitatis, qui includitur in conceptu entis.

100 Hinc plurimi Scotistæ, videntes hæc, & illa pari passu in via Scoti procedere, admittunt inter vtraque distinctionem formalem.

Contrà. Nam compositionem metaphysicam inuehunt in essentiam, vt dixi.

Mastrius respondet, Deum eo esse ens, quo substantia, &c. negat verò sequi, Deum conuenire in esse diuino cum creatura; quia non conueniunt actualiter in ratione entis, sed tantùm virtualiter.

At cùm secundùm Scotistas conueniant vniuocè, debent actu conuenire; & conuenientia vniuoca generis secundùm Scotistas, est realis, non per solum intellectum: ex quo fit, vt verificentur de his contradictoria, Deum cum creatura conuenire in ratione entis, & deitatis; & ab eo differre sub eadem ratione deitatis.

101 Assero secundò, Relationes ab essentia differre plusquam ratione ratiocinante.

Probatvr à D. Bonauent. authoritatibus, & rationibus, quas vsurpant Scotistæ ad vrgendam distinctionem formalem; quæ, vt infrà ostendam, hoc tantùm nostrum assertum probant. Vide alias authoritates, & rationes in Foresto *fol.* 107. & 108.

Probari potest etiam authoritatibus Patrum, quæ astruunt veras proprietates, quibus vna persona, à parte rei, diuerso modo se habet ad essentiam, & ad personas. Vide aliquas in D. Bonauent. *d.*26. *quæst.* 1. Sic D. Hieronymus *in expositione fidei ad Damasum,* ait: *Ita etiam impietatem Sabellij declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus.* Et infrà concludit: *Non nomina tantùm, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel vt Græci exprimunt, hypostases, id est substantias confitemur.* Vbi proprietates non accipit pro ipsis personis, vt putat Vasquez *disput.*158. *cap.*1. sed vt constitutrices Personarum, è quibus, & essentia infert, Personas distinctas constitui. Ita D. Bonauent. & hoc sensu etiam Sophronius in epistola recepta à sexta Synodo *act.* 11. ait: *Hoc quidem propter naturam, & identitatem; illud verò propter alterificas horum trium proprietates, propterque dissimilitudinem proprietatum, quæ inconfusè vnamquamque figurant personam.*

102 Profectò si solà intellectus fictione apponerentur distinctæ ab essentia proprietates, essent synonymæ cum essentia, nec esset ratio distinguendi Personas; sed oriretur Sabelliana Personarum euersio. Idem infertur ex D. Fulgentio *lib. de fide ad Petrum, cap.* 1. *inter opera D. Augustini,* dicente: *Proprium est Patris, quod vnicum Filium genuit.* Ergo est aliquid ab essentia communi distinctum, plusquam intellectus fictione; alioqui etiam Filius gigneret, cui est communis essentia, quæ esset solà fictione intellectus distincta.

Idem infert Damascenus 1. *de fide, cap.* 11. dicens: *Differentiam hypostaseon in tribus proprietatibus, paternali, filiali, & processibili, cognoscimus.* Si relationes sunt rationes distinguendi tres personas, quibus essentia est communis, profectò oportet, vt non solà intellectus fictione differant ab essentia.

Probatvr tertiò à S. Bonauent. Sicut diuersi sunt modi quærendi de persona, & de essentia; ita diuersæ respondere debent entitates, alioqui tota Theologia battologiis, & synonymis scatebit. Sed verum est illud; nam de essentia quæritur *Quid?* de Persona *Quis?* Ergo verum etiam secundum. 103

Probatvr quartò à D. Bonauent. Si proprietates non differrent aliquo fundamento reali, sequeretur, generationem, & spirationem actiuè in Patre confundi, & consequenter etiam generatio erit spiratio, & Filius esset Spiritus sanctus.

Probatvr quintò. Spiratio est propriè Patris, & Filij; non autem conuenit Spiritui sancto. Si autem solà intellectus fictione differrent essentia, & spiratio actiua, conueniret etiam Spiritui sancto spirare.

Probatvr sextò à S. Doct. In Patre est Paternitas, & Innascibilitas. Si autem omnia essent vnum, & solà fictione differrent ab essentia, & inter se, in eadem Persona, sicuti Paternitate respicit Filium, respiceret etiam Innascibilitate distinctè. 104

Probatvr tandem à S. Doct. *in corpore.* In vna persona sunt proprietates, quarum vna non dicitur de altera. Videmus vnam Personam vno modo comparari ad vnam, vt Patrem ad Filium. Videmus etiam vnam Personam vno modo comparari ad plures, vt Spiritum sanctum ad Patrem, & Filium. Et iterum vnam Personam pluribus modis comparari ad plures, vt Filium ad Patrem, & Spiritum sanctum. Similiter plures personas vno modo comparari ad vnam, vt Patrem, & Filium ad Spiritum sanctum. Si autem relationes ab essentia solà ratione ratiocinante differrent, hæc omnia essent chimæræ; imò tota Trinitas esset chimæra.

Assero tertiò. Relatio in diuinis est veluti modus essentiæ, cum ea tamen formaliter identificatus. Ita D. Bonau. *dist.* 25. *q.* 2. & *dist.* 26. *q.* 1. & *dist.* 33. *q.* 2. & alibi. Alensis 1. *p. q.* 44. *m.* 2. *ad* 5. & *q.* 49. *m.* 2. Albert. 1. *p. q.* 44. *m.* 2. Richard. 1. *d.* 2. *art.* 2. *q.* 3. Marsil. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 8. Richard. de S. Vict. *lib.* 4. *Trin. c.* 19. & *c.* 24. De hoc infrà *disp.* 5. *q.* 3. & 4. 105

Probatvr etiam è sanctis Patribus. Iustinus in expositione fidei de Trinitate: *Ingenitum, Genitum, & Procedentem, nomina non ad essentiam attinere, sed ad modos subsistentiæ.* Basilius lib. 4. contra Eunom. *Ingenitum, & Innascibilem esse modum substantiæ.* Idem habet *lib.* 5. Nazianzenus oratione 29. *Simul atque Pater ingenitè erat, Filius quoque genitè erat.* Quibus modis dicendi explicat modos existendi. Cyrillus *dialogis de Trinitate, lib.* 1. in Patre, & Filio modum quendam, & differentiam deducit: & *lib.* 2. *col.* 4. & *lib.* 7. propè medium: *Proprietas* (ait) *non quæ diuinitatem indicat, sed quæ benè significat, quis modus existentiæ singulorum nominatorum*

nominatorum à nobis intelligatur. Damascenus *lib.*1. *de fide, cap.*9. *Spiritus sanctus à Patre procedit; non tamen per generationem, sed per processionem: alius autem hic subsistendi modus incomprehensibilis.* Et *cap.*11. *Existentia modum differentiam intelligimus.* Et *cap.*13. de iisdem relationibus loquens, ait:
106 *Non substantiæ sunt indicia, sed habitudinis ad inuicem, & modi subsistendi.*

Contra nostram doctrinam plurima congerunt Scotistæ argumenta, quæ & D. Bonau. refert, ac soluit, pluris faciens Ecclesiæ authoritatem, ac sanctorum Patrum, in re grauissima, sententiam, quàm rationum subtilitates, quas difficile est sanè retundere, vt ait Valentia *loc. cit.* Attamen aureum sibi Hilarij effatum ob oculos constituant, apud Magistrum *d.*33. *cap.*5. Quærenti enim, quomodo possit idem esse absolutum, & relatiuum? respondet: *Immensum est, quod exigitur, & incomprehensibile; extra significantiam est sermonis, extra sensus intentionem; non enunciatur, non attingitur, non tenetur.* Hæc S. Hilarius. Infinitum enim ens à nobis comprehendi non potest: imò vix apprehendi. Ideo, lumine præuio fidei, cautè, ac humillimè incedendum. Vide fundamentum pro responsione ad argumenta *tract.*1. *disput.*3. *quæst.*8.

107 Obiiciunt primò. D. August. 7. *de Trinit. cap.*1. ait: Non eo Verbum, quo sapientia. Et: Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est aliud, excepto relatiuo.

Faber *cap.*3. *num.*31. clamat, D. Thomam 1.*p. quæst.*28. *art.*2. *ad* 1. *& secundum*, dare dexteram, & concedere formalem distinctionem. At hoc falsum est; vnde concludit Angelicus: *Non sequitur, quod in Deo, præter relationem, sit aliquid aliud secundum rem, sed consideratâ solùm nominum ratione.*

Ad primum igitur respondet D. Bonau. *d.*27. *p.*2. *dub.*1. & *quæst.* 1. Verbum non eo Verbum, quo sapientia; quia secundùm esse Verbi habet habitudinem ad Patrem, ex D. August. 7. *de Trinit. cap.*2. *&* 3. quam non habet, vt sapientia essentialis, quæ tantùm ad se dicitur: non autem negat, eo esse Verbum, quo sapientia, vt *in*; secundùm quem sensum (ait *d.*26. *quæst.*1.) distinguuntur, non solo intellectu ratiocinante, sed posito fundamento. Ideò & ponuntur tres modi prædicandi. In *Quid*, cum quæritur de essentia. In *Quis*, cum de Persona. In *Quo*, cum de notione. Sed de hoc latiùs dicam *ad secundum*. Idem ait S. Thomas loco adducto à Fabro.

108 Ad secundum respondet S. Bonau. *dist.*26. *q.*3. *ad* 4. in creaturis sanè, de quibus S. August. affert exempla, aliud est essentia, aliud relatio; vt aliud est homo, aliud, quod ille homo sit Dominus: at, in diuinis infert, esse aliud, fundamento, & virtualiter distinctum. Absit, vt velit eodem modo distingui, ac in creaturis; alioqui differrent, sicut subiectum, & accidens. Sed è creaturis consurgens ad Deum, qui est simplicissimus, à quo non secundùm rem potest relatiuum abstrahi ab absoluto, sed sola mathematica abstractione; quia sicut Mathematicus sola consideratione abstrahit, & separat à materia ea, quæ in materia sunt; ita solâ ratione mathematica distinguuntur, quæ in se sunt vnum, & intellectu solùm distincta concipiuntur. Addit, quod, si ab hypothesi Patris abstraheretur relatio, non maneret Persona Patris distincta: & hoc tenet etiam Scotus, qui hinc falsitatis arguitur, dum Seraphico adscripsit *distinct.*26. *quæst.vn.§.*
109 *Tertia opinio*, quod asseruerit, personas constitui per absoluta. Hinc postea infert, quod abstracta proprietate relatiua, maneret de persona, non ratio distincta personæ, sed solùm intellectus huius nominis *res*, secundùm quod est generale vocabulum. Itaque etiam in sententia Scoti, qui ponit personas constitui, & distingui relationibus (si credimus Scotistis: de quo agam *disp.*12. *quæst.*1.) sequitur, abstractis relationibus, manere conceptum entis, atque adeò non eo esse personam, quo ens; sola facta per intellectum distinctione. Idemque dicere debemus de persona, & essentia, dum dicitur: *Non eo Verbum, quo sapientia. Non est eo Deus, quo Pater*: dum in simplicissimo vno vniuntur, quæ sunt sparsa in inferioribus; vt ait S. Dionysius. Habet sanè Persona diuina, præter absolutum esse, seu esse *in* relationis, aliud esse, quod non comparatur ad subiectum, sed ad obiectum; secundùm quod esse *ad*, dicitur habere aliud esse; at secundum esse *in*, vult S. Augustinus omnia esse vnum; Patremque esse sapientem, atque sapientiam. Et subdit, loquens de Patre: *Quia verè ibi est summè simplex essentia; hoc ergo est illi esse, quod sapere.* Hinc explicitus manet alius locus D. Augustini 11. *de ciuitate, cap.*10. vbi ait: *Omne simplicissimum est omne id, quod habet, excepto relatiuo.* Quem refert S. Bonauent. *d.*33. *quæst.*1. Addo, solùm inferri, essentiam non includere in suo conceptu obiectiuo relationes, vt dicam *quæst. sequenti.*

Obiicies secundò ex D. August. 7. *de Trinit. c.*2. 110
Non eo Pater, quo Deus.

Respondet D. Bonauent. *distinctione* 5. *quæst.* 1. & *distinctione* 7. *quæst.*3. *ad* 1. & *distinctione* 19. *p.*1. *dub.*3. *lit.* & *p.*2. *quæst.* 2. *ad* 4. & *distinct.* 33. *dub.* 4. *litt.* & *quæst.* 2. *ad* 1. D. Augustinum intelligere, esse alio, & alio, ratione, & conceptu, non re. Est quidem verè in Patre essentia communicabilis; persona incommunicabilis: essentia, quæ non generat; & persona, quæ generat. Est ibi id, quod absolutum, & quod relatiuum; vnificata tamen in simplicissimo ente, retinentia verò suum esse actuale, virtuale, eminentissimum distinctum, quod exprimit D. Augustinus his terminis: *Non eo, quo*: ita verò, vt in abstracto sit formaliter verum: Pater est essentia. Essentia est paternitas, ob entis simplicitatem: quod non fit in creaturis, nisi quando prædicatione identica, idest de se dicitur, vt: Essentia est essentia: humanitas est humanitas. Differunt tamen conceptu obiectiuo, ex virtualitate vtriusque distincta, vt dicam *quæstione sequenti.*

Respondet ergo secundò S. Doct. *distinct.*33. *dub.*4. velle dicere D. Augustinum: *Non eo Patrem esse Patrem, quo est Deus.* Quia conceptus Dei præcisus dicit tantùm absolutum: at Pater dicit relatiuum, quod licèt formaliter vnificatum, ratione simplicitatis, in esse *in*; tamen retinet alium respectum ad Filium. Quod verò illud *eo*, & *quo*, non exprimant distinctionem formalem, probatur ad hominem, contra Scotum: nam S. Augustinus subdit: *Eo tamen magnus, quo sapiens.* Si ergo *eo*, & *quo*, significant rationem formalem: ergo sapientia, & immensitas in Deo sunt vnum formaliter. Significat ergo conceptum distinctum, vt dicam *quæst. sequenti.*

Frivola est autem responsio Fabri, D. Augustinum intelligere *eo*, & *quo*, in primo loco formaliter, in secundo realiter; ita, vt velit dicere: 111
Non eo formaliter est Pater, quo Deus; nec eo Verbum, quo sapientia: eo tamen realiter magnus, quo sapiens. Contrà enim est, quia particulæ *tamen*,

men, indicat exclusiuam eiusdem rationis. Maiorem (fateor cum D. Bonauent. *distinctione* 19. *dub.*3. *litt.*) distinctionem ponit inter absoluta, & relatiua, quàm inter absoluta inuicem comparata, ob rationem suprà; attamen, vt sunt *in*, suam differentiam maiorem habent intra limites distinctionis virtualis eminentis, ob maius fundamentum; quia ens absolutum, & relatiuum naturâ suâ magis differunt inter nos, licèt in primo ente simplicissimo vnificentur formaliter. Hoc vult dicere S. Bonauent. *in hac quæst.* ablatiuum *eo*, dicere diuersitatem denominandi, quantùm ad modum: quia, scilicet ibi verè est relatio, quæ est verus modus in essentia; non tamen essentialiter differt, vt suprà dixit. Sed de hoc *quæst. sequenti.*

112 Eodem sensu D.Hilarius 12.*de Trinitate, cap.*50. ait: *Filium nasci in his nominibus æternarum proprietatum*; quia ibi verè sunt proprietates virtualiter eminenter distinctæ. Ideò ait Hilarius, *nominibus*; non rebus distinctis: quod si legisset Faber, non vrgeret hanc authoritatem in nos. Eodem verò libro ait quidem: *Aliud est res natura, aliud natura*, vt refert Magister *d.*34. & ibi S. Bonauent. Hoc autem intelligit realiter in creaturis; at in diuinis, solùm secundùm rationem significandi, cum fundamento. Ita etiam exponitur S. Augustinus 7. *de Trinitate, cap.*6. à D.Bonauent. *loc. cit.* Fundamentum autem est, quia ibi est verè ens absolutum, & ens relatiuum, in ente simpliciter vno infinito formaliter vnificatum; & hinc explicatus manet D. Augustin.*loc. cit.* dum ait: *Non eo Verbum, quo sapientia*: ibi enim contendit probare, Patrem esse sapientiam; at cùm Filius etiam sit sapientia, & Pater à Filio differat; quomodo, ait, Pater non erit Filius? Respondet ergo, *Verbum non eo Verbum, quo sapientia*; quia Verbum, præter id, quod habet in essentia omninò identificatum, habet etiam respectum ad obiectum, secundùm quem respectum comparatur solùm ad obiectum, non ad subiectum. Ideò reddit rationem, cur non sit *eo Verbum, quo sapientia*: non enim Verbum ad se est; etenim relatio habet esse ad aliud, ex Aristotele in prædicamentis, *cap. Ad aliquid.*

113 Idem habet S. Athanasius *dialogo primo de Trinitate*, dicens: *Verbum non differre à Patre, in Deum esse, sed in ad Patrem esse.* Vult igitur dicere S. Augustin. esse Verbi addere modum nouum ad essentiam in Filio, qui modus identificatur cum essentia; tamen, vt respicit obiectum, aliò tendere. Et hic modus vtcumque conceptibus distinguitur.

Eodem sensu loqui videtur D.Bonauent. *d.*24. *artic.*1. *quæst.*2. dicens: *Relationes non transeunt conceptu in essentiam.* Vellet dicere, non transire in essentiam, vt sunt *ad*; quia ad solum obiectum comparantur. Quæ expositio colligitur ex ipso Seraphico *hic in corpore*: sed hoc differendum *quæst.*5. & 6.

Obiiciunt tertiò. Ea, de quibus verificantur contradictoria, distinguuntur, à parte rei, ante omnem intellectus operationem: at de essentia, & proprietate relatiua verificantur contradictoria; nam de essentia verificatur, quod sit communicabilis; de relatione, quod incommunicabilis. Ergo. Minor est de fide. Maior probatur clarè ex Aristot. 4. *Metaph.text.*27. Impossibile est enim idem eidem inesse, & non inesse, vt dixerat *text.* 8. Neque inter contradictoria est aliquod medium, vt notat ibi Aristoteles *text.* 27. secundùm quod idem habeat esse communicabile; & alterum etiam extremum, esse incommunicabile.

Respondet D. Bonau. primò, *in hac quæst. ad vlt.* quod licèt essentia, & relatio sint idem formaliter; tamen, quia essentia est ens absolutum, non supponens relatiuum; & è contra relatio est ens relatiuum, non supponens in esse absoluto esse relatiui, dicit aliud virtuale; attamen vtrumque inuicem vnitur in constitutione entis infiniti, in quo omnes perfectiones entis simplicissimi vniuntur, retinentes tamen suas formales perfectiones, quæ sunt simpliciter simplices; ideò aliqua conueniunt essentiæ formaliter, vt essentia est virtualiter, actualiter, eminenter differens à relatiuis; in qua virtuali actualitate possunt habere fundamentum oppositæ enunciationes. Hoc responsum desumpsere Caietanus 1. *p. quæst.*39. *artic.*1. Molina *quæst.*28. *art.*2. *d.*1. Bannes ibidem, *dub.*3. *ad* 2. Suarez, & Valentia *locis adductis*, Canar. *d.*3. *ad hunc art. citatum D. Thomæ, p.*3. Addit S.Doctor *distinctione* 34. *quæst.*1. *corpore*, esse suprà vires humani intellectus, quomodo hæc simul stent. Sunt enim altissima; ideo authoritas Ecclesiæ rationi præferenda, vt ait Morand. *num.*562. 114

Vasquez *cap.*6. ait, argumentum non satis ita solui; quia non redditur ratio, ob quam illa virtualitas sit sufficiens ad verificanda contradictoria. Addit verò ipse, hanc distinctionem fieri in ordine ad nostros inadæquatos conceptus, qui imperfectè hæc diuina infinita concipiunt.

Contra omnes arguit Faber. Nullo cogitante intellectu, siue adæquatè, siue inadæquatè concipiente, essentia à parte rei communicatur; at relatio diuina non est communicabilis: at si hæc contradictio esset solùm ex nostro intellectu, iam diuinæ emanationes erunt chimæræ. 115

Respondetur ex D. Bonauent. non venire ex nudis conceptibus hanc distinctionem, sed ex entitate rerum, quæ ens infinitum constituunt, ac in eo sunt formaliter vnum, sed virtualiter eminenter distinctæ; ita vt ens illud infinitum habeat esse communicabile.

Contrà vrget Faber, quia actu formaliter essentia est communicabilis, relatio incommunicabilis: ergo debet dari distinctio realis formalis actu in ente illo communicabili, ab incommunicabili; alioqui vel vtrumque erit communicabile, vel vtrumque incommunicabile, si sunt vnum formaliter à parte rei.

Hæc obiicit aduersarius, quia non percipit, quæ sit hæc virtualis distinctio: ait enim, esse virtualitatem potentialem, quæ Deum componeret; esseque hanc virtualem eminentiam, miserrimum effugium, & asylum confractum.

Respondetur ergo, hanc eminentiam virtualem distinctionis esse; quia ens diuinum est pelagus infinitum, comprehendens, atque absorbens ens relatiuum, atque absolutum: habet etiam esse communicabile, & esse incommunicabile, exactissimâ ratione vnum, eminenter formaliter vnum, vt dicebant Areopagita, & D. Bonau. suprà allegati, & *tract.*1.*disp.*3.*quæst.*8.

Itaque non est fugientium asylum, sed Arx Theologica, quæ docet, infinitatem Dei comprehendere ea, quæ Aristotelicis conceptibus non possunt in creaturis adæquatè palpari, seu etiam inueniri. Per hæc patet ad tres primas instantias, & ad vltimam Faentini.

Neque verò ista vnitas formalis relationis, & essentiæ aufert earum rationes formales proprias; 116 retinens

retinent enim esse proprium; sed in ente simplicissimo vnificantur infinito. Quo fit, vt non confundantur esse absolutum, & relatiuum; communicabile, & incommunicabile. Per hoc patet quartæ instantiæ Fabri.

ITAQVE cùm in essentia relationes, & emanationes actu,& virtute distinctæ sint,distinctæ etiam personæ valent emanare. Vnde male infert Faber, generationem fore spirationem: & sic patet ad quintam.

117 INSTAT adhuc. Vel illa ratio infinita eminens continet etiam perfectiones creaturarum,vel eas solas, quæ simpliciter perfectæ sunt, & nullam admittunt imperfectionem. Si primum: ergo æquè poterit Deus dici Homo, leo, petra; sicut dicitur Bonus, Sapiens, Pater, Filius: eodem enim modo vtraque perfectio continetur. Si secundum: ergo in Deo saltem duæ erunt formalitates; altera perfectionum simpliciter; altera perfectionum secundùm quid.

Respondetur, illam rationem infinitam continere perfectiones creaturarum, eminenter contentas in perfectionibus formalibus simpliciter simplicibus. Vnde negatur, eodem modo posse Deum dici leonem, &c. nam leo non habet rationem formalem sui in Deo, sicut eam habent Bonitas, Sapientia, & cæteræ perfectiones simpliciter simplices; quæ tamen vnificantur ob simplicitatem. In hoc verò decipitur Faber.

INSTAT octauò. Sequeretur, diuinas personas differre realiter, nec tamen formaliter; nam fierent vnum formaliter per illam eminentiam.

Respondetur negando sequelam; differunt enim formaliter, & realiter, vt *ad*, non vt *in*: de quo est quæstio.

118 RESPONDET secundò D. Bonau. ad principale argumentum, *dist.34. quæst.2. ad vlt.* negando, communicabile, & incommunicabile esse contradictoria, sed differre sicuti habere, & non habere proprietates; quia enim persona habet proprietatem relatiuam, ideò distinguitur, & est incommunicabilis: sed quia essentia caret illa proprietate, communis est, & communicabilis pluribus, ideò non distinguitur. Quod si aliqua apparet contradictio, ea est in intellectu. Vult dicere (vt reor) contradictionem vergere ad ens finitum, quod quia limitatum est, non continens totam latitudinem entis, ideò contradicit esse absolutum, & relatiuum; communicabile, & incommunicabile: quod contradicit in posse habere, & non habere. At ens diuinum, cùm simpliciter infinitum sit, continet omnia, absolutum, & relatiuum; atque adeò habet esse communicabile, & esse incommunicabile. Esse quidem communicabile, ratione entis absoluti, seu naturæ communis: esse verò incommunicabile, ratione proprietatum, & entis relatiui. Eadem responsio elicitur ex eodem S.Bonauent. *dist.5.quæst.1. ad primum.*

119 Respondet tertiò, ibi ens communicabile, & incommunicabile se habere, vt commune, & proprium, quæ inuicem non implicant; licèt enim homo, seu natura humana, sit communicabilis; tamen Petrus formaliter est homo: quantò magis in diuinis se inuicem compatientur? Proprium ergò non distinguit à communi, sed ab alio proprio opposito. Idem habet S. Doct. *distinct.5. quæst.1. ad primum.*

Vasquez *cap.6.* refert, aliquos respondere, duo contradictoria non affirmari de eadem re, quia affirmans propositio est vera, scilicet res, quæ est essentia,communicatur; & negans est falsa, nempe res, quæ est essentia, non communicatur; quia negatio denotat, rem illam nullo modo communicari, neque vt essentia, neque vt relatio est, eò quòd negatio omnia negat. Hanc responsionem retuli, vt videatis, eam non esse Seraphici, qui propositionem assumit, vt obiicitur. Impossibile est, ea de 120
quibus verificantur contradictoria, esse idem realiter formaliter, & ex re ipsa. Solutionem sumit non è nuda propositione; quod idem videre est *d.19. p.2.q.2.ad 4.* vbi ait, quod alio etiam est communicabile, alio incommunicabile, vt ait D. August.*7.de Trin. cap.6.* sed non est alio secundùm rem, sed secundùm rationem: quia Deitate est Deus: Paternitate Pater; & paternitas non est aliud re ab essentia, quia paternitas est essentia; est tamen aliud ratione: & quia ablatiuus dicit rationem, ideò non eodem est Deus, quo Pater. Et si obiicias: Aut respondet illi rationi aliquid, aut nihil. Respondetur, quòd ratio illa, per comparationem ad essentiam, non est, nisi modus; sed comparando ad aliam personam, est res. Vide D. Bonau. Idem habet *dist.32.dub.1.*

HANC verò distinctionem secundùm rationem, 121
cum fundamento in distinctione virtuali, esse sufficientem ad verificandum in eodem Deo simplicissimo & communicabile, & incommunicabile, explicat S. Doct. *dist.34.quæst.2. ad quintum*, vbi ait: *Quantulacumque distinctio rationis sufficit ad affirmationem, & negationem; & persona aliquo modo differt à natura.* Eandem responsionem sequuntur Bannez, Canar. Vasquez, & alij, quæ vera est, supposito fundamento distinctæ virtualiter, actu eminenti, perfectionis.

EA verò, quæ cæteri Scotistæ opponunt circa 122
hoc argumentum, soluta vide *tract.1.d.3.q.8. ad 6.* Memento solùm aureum Seraphici effatum *dist.34. quæst.1. in corpore*, hæc esse supra vires intellectus.

Obiiciunt quartò. Pater, vel intelligit essentiam, & suam paternitatem, vt obiecta distincta; vel vt vnum. Si primum, habeo intentum; quia cognitio illa est intuitiua rerum, sicuti sunt. Si secundum: ergo differunt solis nostris fictionibus, atque adeò à parte rei communicatâ essentiâ, communicatur & Paternitas.

Respondet D. Bonau. *dist.7. quæst.3.* verè à parte rei essentiam, & relationem esse idem; attamen diuersis virtualibus actualibus perfectionibus distingui, quibus & communicabile, & incommunicabile clauditur: & hoc modo videri à Patre. Eadem responsione vtitur Caietanus. Sunt autem istæ virtualitates, non potentia, vt fingit Faber; sed actualissimæ, distinctæ virtute, vt sunt *in*. At Faber ludit, transiens sæpè ad esse *ad*. Per hæc patet ad quartum Scoti, quod est repetitio secundi.

Obiicit quintò. Nihil eodemmet est idem for- 123
maliter cum alio, & distinctum realiter ab eo. Sed relatio per vos est idem formaliter cum essentia, & totam Patris entitatem constituit, secundùm quam est idem cum Filio, & distinguitur ab eo realiter. Ergo essentia, & relatio non possunt esse idem formaliter.

RESPONDET S. Bonauent. eandem rem infi- 124
nitam posse esse rationem vniendi, & distinguendi; quia in illa ratione infinita sunt virtualiter omnes rationes perfectæ: & ita in casu nostro est. Nam essentia cum relatione virtualiter sunt plura; & ideò, secundùm essentiam, est vnum cum Filio, sed distinctum realiter secundùm supposi-

tum, quod è subiecto abstrahens respicit tantùm obiectum. Ita S. Doct. ad secundum, & Valentia ad tertium.

Obiicit sextò Faber ex Concilio Florentino, in litteris vnionis. Pater, generando Filium, communicat ei essentiam; non paternitatem: ergo essentia, quæ datur, differt saltem formaliter à paternitate, quæ non datur.

Respondetur, negando consequentiam. Sufficit enim distinctio virtualis, vt idem Concilium suprà allegatum clarè asserit.

115 Obiicit septimò ex Gregorio *d.8.q.2.art.1.* Quicquid naturâ suâ est vnum, non potest per intellectum fieri plura. Sed relationes, & essentia sunt vnum: ergo nequeunt multiplicari per intellectum; alioqui erunt nuda rationis entia.

Respondetur ad minorem, distingui virtualiter, & hoc sufficit ad fundandam distinctionem, quæ emergit, non ex proprietatibus, vt sunt *in*; sed vt sunt *ad*.

Vltimò arguo ego (ait Faber) authoritate omnium Sanctorum, Theologorum, & ex definitione fidei; ex quibus certum est, productionem Verbi non esse productionem Spiritus sancti, ante omnem intellectus operationem. Ita D. Augustinus 15. *de Trin. cap.* 27. & *lib.* 5. *cap.* 9. & 14. D. Athanas. *in Symbolo*. Ideò in Scriptura nunquam Spiritus sanctus dicitur Filius. Porrò hæc veritas definita est in Concilio Toler. primo, confirmato à Leone I. & omnes Scholastici consentiunt. Hinc arguo: Ante omnem cogitationem nostram, generatio, à parte rei, non est spiratio; sed hæ sunt processiones distinctæ, nec inuehunt compositionem in Deum, nec tollunt simplicitatem. Ergo nec distinctio, à parte rei, attributorum, & relationum. Minor probatur; quia generatio, & spiratio est in Patre, & in eadem essentia.

Hoc argumentum est D. Bonau. *dist.* 13. *q.* 3. *in fundamentis*. Et *dist.* 26. *q.* 1. *fundamento* 5. & *dist.* 33. *q.* 3. *fundamento vltimo*; quod desumpsit Scotus 1. *dist.* 2. *quæst.* 7.

116 Respondet S. Doct. *in corpore*, & ad argumenta; hæc esse vnum essentia formaliter, & definitione, vt fatetur etiam Scotus *in Reportatis*, *dist.* 35. *quæst.* 1. *argumento* 4. habere tamen modos diuersos virtute, qui possunt esse fundamentum distinctæ emanationis actiuæ: nam à pluribus virtute, tametsi vnâ formâ, prodeunt plura; ita Sol eadem luce diuersa producit. Esto autem in creatis distinctio actuum distinctionem argueret potentiarum, tamen in Deo non sequitur, in quo omnia sunt vnum simplicissimum; sic eadem volunrate spirat Spiritum sanctum, & creaturas condit: vnde malè Faber ex illo primo infert secundum; nempe, debere distingui etiam in diuinis: nam est contra Damascenum *lib.* 1. *de fide*, *cap.* 11. vt notat D. Bonau. *dist.* 26. *q.* 1. *ad* 2. Vide hoc argumentum solutum ex D. Bonau. *quæst.* 8.

117 Præterea respondet D. Bonau. *dist.* 13. *citata in corpore*, has emanationes non habere distinctionem à suis principiis, sed à seipsis, vt ait etiam Scotus *d.* 13. *quæst. vnic.* Neque est facere Trinitatem imaginariam, si hæ emanationes suis virtualitatibus distinctæ asseruntur vnum formaliter simplicissimum, non compositum è multis essentiis, vt ipsi aduersarij nituntur. Sic respondet & Caietanus *lib. de ente*, & *essentia*, *ad vlt.* apud Fabrum *num.* 51.

Obiicies cum Durando. Essentia diuina est in aliquo supposito formaliter, in quo non est quælibet relatio formaliter: est enim in Patre, in quo tamen non est filiatio; alioqui, sicut formaliter Pater est Deus, ita formaliter esset Filius. Ergo relatio ex natura rei differt ab essentia.

Respondetur negando consequentiam: non enim ideò filiatio non est in Patre, quia differat, vel sit idem cum diuina essentia; sed quia opponitur relatiuè, & differt à paternitate. Licèt autem sit idem paternitas cum essentia; non est tamen idem adæquatè. Hoc argumentum est D. Bonau. locis adductis: seu dic non esse in Patre filiationem, vt formaliter est filiatio ad obiectum. 118

Tandem obiiciunt. Si relatio, & essentia sunt idem realiter formaliter, sequitur, alteram de altera prædicari; & quod dicitur de vna, dici de altera: sed hoc est absonum: ergo. Probatur sequela, quia in hoc sanè stat vnitas formalis, vt fundare valeat prædicationem abstractam. Minor probatur, quia sequeretur, quod cuicumque inest essentia, inesset & qualibet relatio. Et sic, cùm Filio insit essentia, inesset & paternitas. Similiter, cùm Persona generet, generaret & essentia. 119

Respondet D. Bonau. *dist.* 34. *quæst.* 2. & ad argumenta, prædicari quidem per identitatem formalem, non tamen reduplicatiuè; quia in ente infinito relatio est id, quod est proprium; & essentia, quod est commune; & proprietas est modus essentiæ, dans intellectui rationem virtualem distinctam, ob quam intellectus vnum de hoc asserit, quod non de altero: nam Deus, vt persona, dicit aliquid virtute distinctum ab essentia: ob id intellectus habet fundamentum negandi aliquid de vno, quod de altero affirmat; quia præter id, in quo formaliter conueniunt, vt sunt *in*, persona egreditur ad obiectum. Ex quo diuinæ consurgunt prædicationes diuersæ, quæ non sunt prædicationes singulares in ente diuino. Ideò ait D. Augustinus apud Seraphicum in corpore: *Deus veriùs est, quam cogitetur; & veriùs cogitatur, quàm dicitur.* Et *lib.* 5. *de Trin. cap.* 6. ait: *Relationes non prædicari de Deo secundùm substantiam, neque secundùm accidens.* Et Boëtius ait: *Trinitas non prædicatur substantialiter de Deo.* Itaque sicut res diuinæ superexcellunt creatas; ita & earum prædicationes. De hoc quæstionibus sequentibus exactiùs. Interim monet Morand. *num.* 562. hæc diuina ad fidei statuta astruenda. 130

Ex dictis soluta iacent, quæ obiicit Vrinensis noster *tract.* 7. *q.* 2. *art.* 1. *sect.* 3. Quoad loca verò D. Bonauenturæ discutientur *quæst. sequenti.*

QVÆSTIO V.

An Diuina Essentia in suo conceptu includat Relationes.

D. Bonau. d. 34. q. 2.
D. Thom. q. 39. art. 3.

QVÆSTIO est, an in conceptu obiectiuo essentiæ includatur conceptus obiectiuus relationum. 131

Prima opinio est affirmatiua. Ita Henricus *quol.* 5. *quæst.* 6. Aureolus *disp.* 1. *q.* 1. *art.* 2. & *disp.* 33. *q.* 1. *art.* 1. & 3. Ita etiam Capreol. 1. *d.* 2. *q.* 3. Arimin. *d.* 2. *quæst. vnic. art.* 1. D. Thom. *q.* 27. *art.* 2. *ad* 3. Valentia *d.* 2. *q.* 13. *p.* 1. *ad* 4. inclinat Amicus *d.* 11. *sect.* 5. Fuliensis *lib.* 2. *c.* 2. Granado apud Morandum, *loco citando*. Canar. *loco citando*, & aliqui alij Expositores

totès D.Thom. *loc. cit.* recentiores, qui tamen non videntur consequenter locuti; dum enim inter essentiam, & relationes distinctionem statuunt virtualem, vel rationis ratiocinatæ, non bene asserunt, alteram in conceptu alterius claudi; quia apud eos distingui ratione ratiocinata, est vnum non claudi in conceptu obiectiuo alterius. Idcò eos meritò redarguit Mastrius *disp.2. q.2.n.45.* Pro hac sententia allegatur S. Bonauentura *dist.28. q.3.* vbi ad argumenta docet, proprietatem personalem dicere totum esse personæ; vnde refert Forestus *fol.116.* Ergo secundùm D. Bonauent. dicit etiam essentiam. At non est ad rem: esto enim personalis proprietas dicat omne esse personæ completum, & proprium; non tamen dicit vnum conceptum, cùm non includat virtualitatem essentiæ distinctam, in via S.Bonau.vt dixi quæstione superiori.

Alterum locum allegat Forestus è *dist.33.q.3. ad vltimum*, vbi ait: *Essentia prædicatur essentialiter de persona.* Et subdit: *Quo quid clarius?* Sed est extra chorum. Non enim est quæstio, an essentia sit de intrinseco personæ essentialiter; sed an relatio sit de conceptu essentiæ. Videatur Auersa *q.28.sect.6.* Mor.*n.560.* Alia loca D.Bonau. quæ videntur huic fauere sententiæ, infrà examinabo.

132 Secunda sententia est negatiua; nempe, diuinam essentiam non includere in suo conceptu obiectiuo relationes. Hanc consequenter non modò qui cum Scoto, & Durando ponunt distinctionem inter eas formalem; sed etiam qui asserunt solam virtualem, quos recensui quæstione superiori, tenentur sectari. Eam verò profitentur Alensis *1. part. q.56.m.7. art.1. ad octauum*, & *q.68. m.5. art.5.* Richardus *1. d.34. art.1. q.1. & 2.* Marsil. *q.57. art.3. concl.5.* Ægid. *d.34. art.2.* Argent. *d.33. quæst. vnic. art.3.* Allegatur etiam Canariensis *ad quæst. 28. D. Thom.art.2.d.2.dub.vlt.* & *disp.3.p.2.* & *ad quæst.39. art.6.* Eam verò sustinent Suarez *lib.4.de Trin.cap.5. & 6.* Bellarm.*lib.2.de Christo,cap.9.* Antonius Ayossa *tract.de Sanctissima Trin.q.28.disp.7. art.2.* Vasquez *disp.121.* & hic adducunt D. Thomam *q.33. art.3. ad 1.* Idem sentiunt Torres *d.3. p.2.* Molina *ad q.39. art.1.disp.5.* Caspensis *disp.2.sect.3.* Tannerus *disp.4. p.3.dub.2.* Arriag. *disp.48.sect.3.* Auersa *q.28. sect.6.* Morandus *tract.6. q.9.* adducens, præter allegatos, Alarconium, Præpositum, & alios, qui magis ad suam sententiam consentaneè sunt locuti, cum Ferrariensi *2. cont.Gent.cap.9.*& D.Thom.*q.33.art.3. ad primum*, præclare asserentibus.

133 Quoad Seraphicum, præclarè stat pro hac sententia; nam *dist.5. q.1.* eam astruit, & probat, vt dicetur *in argumentis*: & *ad primum* soluit aduersariorum fundamentum, sumptum ex identitate formali relationis cum essentia: vnde inferunt mutuam inclusionem essentialem; quæ illatio necessaria non est, vt ex creaturis colligitur (ait Suarez.) Humanitas enim, vt sic, non distinguitur in re ab hac humanitate; nec species ab indiuiduo, putà Petro; & nihilominus differentia indiuidualis non est de essentia humanitatis, seu speciei. Quo exemplo vtuntur (ait) Patres, maximè Græci, ad hoc mysterium explicandum. Dicunt enim, illud non esse essentiale: comparant autem proprietates relatiuas differentiis indiuiduantibus. Sed hæc doctrina Suarezij non probatur.

134 Idem habet D. Bonau. *d.7. q.3.* confirmans id, quod dixerat *d.5.q.1.* Sic & *dist.26.q.1.* vbi ait, proprietates personales non transire in essentiam. Et *dist.33. q.2.* præcipuè *ad 5.* vbi ait: *Essentia non supponit proprietatem; nec proprietas essentiam.* Et argumento quarto, addita responsione, elicitur argumentum infrà citando loco referendum. Tandem valent loca relata *quæst. superiori*, *assert. vltima*, vbi D. Bonau. ponit relationem modum additum essentiæ. Idem docet *dist.34. quæst.2.* præcipuè *ad quintum*, vbi asserit, non esse eandem rationem de attributis, & essentia; ac de relationibus, & essentia: quia attributa comparantur ad essentiam, vt substantialis perfectio intensiua essentiæ: at relationes dicunt modos diuersos se habendi, esto in ea formaliter vnificatos, virtute tamen distinctos, vt aduertit etiam Suarez *lib.4. cap.6.* & *resp. ad 6.* supponens, relationem (vt dixit) concipi vt modum aduenientem essentiæ; non omninò esse formalem hanc propositionem: *Essentia est paternitas*; quòd hanc indicat sententiam, imò & probat, vt ostendit Vasquez *cap.2.* Plura è S. Bonau. referam in assertione probanda. Quare frustrà laborat Forestus in eximendo Seraphico ab aliqua implicantia, cùm vbique constanter hanc asserat sententiam. Eum sequuntur Baudunius *q.28. art.2. d.1.* Coriolanus *q.32. art.2.* sed personatus Scotista.

Assero: Essentia diuina non includit in suo conceptu obiectiuo relationes.

Probatvr primò à D. Bonau. locis adductis *quæst. superiori*, ex D.August.*7.de Trin.cap.1.2. & 4.* vbi ait, aliud esse in Patre esse Patrem; aliud esse Deum. Adde aliis locis, scilicet *5. de Trin. cap.8. & sequenti*, *lib.6. cap.6. & 7. lib.11. cap.10. lib.15. cap.5. & 6.* dicere D. Augustinum, in Deo non esse aliud esse, quàm sapientem esse, vel magnum esse; cùm tamen hæc sint ratione distincta. Itaque hæc est apud D. Augustinum inter hæc diuersitas, quòd attributa in essentiæ conceptu includuntur, non sic relationes in conceptu essentiæ. Idem sentit Boëtius *lib. de Trin.* vbi hanc D.Augustini propositionem habet. 135

Probatvr secundò ex D.Bonau. *locis hic allegatis*, præcipuè *dist.34.q.2.* vbi cum D. August.*5.de Trin.c.6. & seq.* docet, relationes non prædicari de Deo, secundùm substantiam, neque etiam secundùm accidens; sed vt ad aliquid. Sumit autem secundùm substantiam, ac secundùm essentiam, seu essentialiter, non prout opponitur accidentali; nam subdit, neque dici secundùm accidens. Idem ait Boëtius.

Probatvr tertiò à D.Bonau.*locis adductis*, vbi iuxta phrasim Conciliorum, & Patrum loquitur: quoties enim distinguunt in Deo communia à propriis, communia vocant essentialia; propria verò non ita, sed personalia: & eodem modo distinguunt absoluta à relatiuis. At verò, si relationes essent de conceptu deitatis, essent æquè essentialia, atque absoluta. His nititur Tannerus. 136

Probatvr quartò à D.Bonau.præcipuè *dist.5. q.1.* Si relatio est de essentiali conceptu essentiæ, sequitur, quòd sicut essentia fuit Filio communicata à Patre, fuerit communicata etiam paternitas; & quod essentia ipsa generet, sicut generat paternitas. Sed hoc est falsum, vt definiunt Concilia Later. *cap. Firmiter*, & *cap. Damnamus*: & Florentinum, & alia, quæ definiunt, Patrem communicasse Filio totam essentiam, non verò paternitatem: ergo. Eodem argumento vtitur Suarez *n.4.* Vasquez *cap.4.* Tannerus *n. 7.* Baudunius, & alij.

Probatvr etiam multis argumentis, è quibus illud existimat Suarez *n.5.* euidens, ac necessarium, quod affertur à D. Bonau. *dist.19. p.2.q.1.ad 5.* Quicquid est de essentia Dei, est de essentia singularum personarum. Sed tres relationes non sunt de 137

essentia

essentia singularum personarum: ergo nec sunt de essentia Dei. Consequentia legitima est in Camestres. Minor constat; quia nulla persona est Trinitas. Maior patet; quia singulæ personæ sunt verus Deus. Ergo quicquid essentialiter conuenit Deo, conuenit singulis personis. Hanc rationem habet S. Bonau. *locis allegatis*, præcipuè *dist.* 34. *q.* 2. quam adhibent & Vasquez, & alij, suitque ratio Boërij suprà, ex qua colligit, nihil eorum, quæ ita dicuntur de personis, vt de omnibus dici non possint, dici substantialiter de Deo. Intelligit vero substantialiter, vt dixi suprà, essentialiter. Hac nituntur ex nostris Baudunius, & Caspensis.

138 Ita etiam respondent omnes Patres Arrianis, qui contrario argumento nitebantur probare, substantiam Patris esse diuersam à substantia Filij, quia Pater est ingenitus. Vnde argumentabantur. Vel ingenitum dicitur substantialiter de Patre; vel non. Si non: ergo accidentaliter, quod dici non potest. Si verò dicitur substantialiter: ergo alia est substantia Patris; alia substantia Filij. Patres autem sentientes, hanc vltimam illationem esse bonam, respondent negando, dici substantialiter: atque etiam negant, dici accidentaliter, sed relatiuè: ergo prædicata propria Personarum non sunt essentialia, vt rectè intulit D. Bonau. *supra*, & *dist.* 5. *q.* 1. & *dist.* 34. *q.* 2.

139 SECVNDA ratio validissima habetur in D. Bonau. *dist.* 26. *quæst.* 1. *in corpore*, ex Boërio. Diuina essentia tota est vna, & adeò simplex, vt in ratione essentiæ nullam distinctionem admittat. Quod manifestè colligitur ex vnitate perfecta personarum in essentia; idque supponunt omnia Concilia, vbicumque hanc vnitatem explicant. Relationes autem, seu proprietates intrinsecè postulant distinctionem: ergo impossibile est, vt relationes, quatenus diuinæ ipsæ Relationes sunt, constituant essentiam, quatenus essentia est. Ergo non sunt de essentia diuinitatis; nam si de illius essent essentia, suo modo complerent illam in ratione essentiæ, seu talis

140 naturæ. Ad hanc rationem reducuntur aliæ, quæ afferri possunt, v.g. quod essentia tota est communis. Ergo tota est absoluta. Ergo non includit essentialiter relationes. Item, quod Pater communicat Filio per generationem totam substantiam, & essentiam suam, vt definitur *in cap. Damnamus*; & non communicat paternitatem: ergo paternitas non intrat rationem essentiæ. Rursus è conuerso. Pater priùs origine, quam generet Filium, est completè essentialiter Deus. Ergo per generationem Filij non producitur aliquid, quod sit essentiale Deo; producitur autem persona Filij, & nostro modo concipiendi comproducitur eius relatio: ergo illa non est essentialis Deo.

Arriaga retorquet hoc principale argumentum contra Suarez, & Ruitz, huius iactatos authores. Dicunt enim, quòd relatio includit essentiam. Sequitur ergo, quòd in relationibus, vt oppositis, sit identitas: Sic enim etiam infert identitatem essentiæ, & relationum, vt sunt oppositæ, contra authores primæ sententiæ: quia dicunt, essentiam includere relationes.

141 QVAMVIS autem hæc illatio nos non vrgeat, vt dicam quæstione sequenti, vbi nego inclusionem essentiæ in relatione, tamen dico, neque rectè coarguere illos Authores, vt colligo ex D. Bonau. *d.* 33. *q.* 1. *ad* 2. & *dist.* 34. *q.* [illegible] nam relatio includit essentiam, secundùm eos, vt in ea sunt omnes tres, secundùm merum respectum, quem habent ad subiectum, seu esse *in*: at si è contra essentia clauderet relationes, deberet eas absorbere, secundùm omnem, & totam rationem earum; atque adeo vnire in vnum, etiam esse *ad*, secundùm quod non comparantur, nisi ad obiectum. Quare in eo casu sequeretur abolitio Trinitatis; non autem in casu, quo essentiam claudat relatio: quia ita relatio includit essentiam, vt *in*, vt egrediatur ad obiectum.

Respondent alij, quòd licèt omnes relationes sint de essentia deitatis, nihilominùs vnaquæque persona est Deus; quia ad hoc sufficit, vt in se habeat illam naturam, quæ identificat sibi omnes has relationes. Et hac ratione Forestus ad concordiam reuocare conatur dissidentes sententias, vt essentia includat relationes formaliter: omnes quidem adæquatè; singulas verò inadæquatè sibi respondentes: omnes verò, & singulas virtute distinctas. 142

VERVMTAMEN Suarez instat *n.* 8. hanc responsionem vel confundere identitatem realem cum inclusione essentiali, aut manifestam inuoluere repugnantiam. Quia si relationes secundùm rationes proprias pertinent ad essentialem constitutionem deitatis, non potest intelligi diuinitas integra, & completa esse in aliquo, ita vt identificetur cum illo, nisi etiam relationes omnes eodem modo cum illo sint identificatæ. Quod patet in quocumque attributo diuino, v. g. omnipotentia; nam, quia illud est de constitutione essentiali diuinitatis, fieri non potest, vt aliqua persona habeat diuinitatem sibi identificatam, quin eodem modo habeat omnipotentiam, alioqui non haberet totam essentiam diuinitatis. Ita euenit in relationibus; si enim sunt de conceptu essentiæ, profectò non erit Deus illa persona, quæ omnes relationes non habeat. Ita acutè Molina *q.* 28. *art.* 2. *d.* 6. *ad* 2. Morand. *num.* 562.

Quare sequeretur, relationes esse communes, vt vrget Vasquez *num.* 14. post D. Bonau. *d.* 26. *q.* 1. & *d.* 34. *q.* 2. hoc argumento. Deitas est relatio: Deitas est communis: ergo relatio est communis. Nec obstat, quod medium sit terminus communis: quia in vtraque propositione est vniuersaliter suo modo; si enim de conceptu essentiæ est relatio, illa debet conuenire deitati in tota sua communitate: & ita forma syllogistica bona erit. 143

PROBATVR tertiò a D. Bonau. *d.* 33. *q.* 2. *in resolutione*, & *d.* 34. *q.* 2. *ad* 5. 6. & 7. argumento, quo vtitur Vasquez *num.* 15. Ens ad se, & ens ad aliud: ens communicabile, & ens incommunicabile nequeunt se inuicem in propriis conceptibus includere, sunt enim entia contradictoria: at Deitas est ad se, & non ad aliud, ex D. August. 7. *de Trin.* *c.* 2. Concilio Toletano 11. *in confessione fidei*: at relatio est ens ad aliud, vt omnes confitentur Catholici. Similiter essentia est communicabilis; relatio incommunicabilis, vt habent Concilia Later. & Florent. *supra*: ergo essentia non claudit in suo conceptu relationes, nec è contra. 144

Quamvis autem vtamur argumentis, quibus abutitur Scotus ad distinctionem formalem inuehendam; non tamen cogimur ad solam exclusionem conceptuum obiectiuorum argumenta eiaculata contra distinctionem formalem delere, vt putat Mastrius *disp.* 2. *q.* 2. *n.* 16 & ideo inutili labore insudat Auersa *q.* 28. [illegible] nam ad exclusionem conceptuum satisfit distinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ, vt [illegible] S. Bonau. *locis allegatis*, & *quæstione præcedenti*, & agnouerunt Thomistæ amici, & cæteri nostræ sententiæ.

Quare

145 Quare frustrà Thomistæ aduersarij, præcipuè Nazar. *concl.7.* & 8. ex vnitate formali relationum cum essentia, inferunt alteram esse de conceptione alterius, vt acutè obseruat Molina.

Instat Nazarius. Deitatis vltima perfectio, quæ conuenit per se primò illi, est subsistere. Ergo subsistentia, & proprietas est de ratione eius intrinseca. Antec. est D.Thom. *q.28. art.3.* & probatur; alioqui essentia non esset per se perfectissima, sed egeret alio extra essentiam ad supremum sui complementum; sicut natura humana eget personalitate realiter distinctâ, vt sit actu subsistens, & absolutè perfecta. Est argumentum D. Bonauenturæ *dist.34. quæst.1.*

146 Verùm satis est ad intentum, si sint vnum formaliter, vt externis non perficiatur essentia. Et quidem Scotistæ insistunt, satis esse realem identitatem, quæ neque reperitur inter naturam humanam, & eius subsistentiam: nam hæc est separabilis ab illa, vt constat in humanitate Christi: conceptus autem diuersos obiectiuos in essentia præcisè, & relationibus asserit D.Thom. *de potentia q.8. art.2.* & *1. p. q.33. art.3. ad 1.* atque Caietanus *q.36. art.6.* Zumellus *d.3. q.4.* ac Nazar. *concl. vltima*, vbi asserit: Relationes diuinæ præcisè sumptæ non sunt de intrinseca ratione essentiæ ita etiam sumptæ.

Vrgent verò frequenter Scotistæ. Sumo conceptum essentiæ nudæ; vel est infinitæ simpliciter perfectionis essentia, vt sic; vel non. Si primum: ergo habet quidquid est perfectionis in ente; & ita personalitates additæ non addunt aliquam perfectionem. Si secundum: ergo essentia est formaliter imperfecta.

147 Respondetur ex dictis *quæst. præcedenti*, essentiam in suo conceptu non dicere, nisi perfectionem infinitam simpliciter deitatis; perfici autem subsistentiis. Ex quo non tamen sequitur, esse in se imperfectam, quia relationes ab essentia prodeunt, vt vnum formaliter simplicissimum cum ea. Scotistæ verò, qui distinctionem formalem admittunt inter essentiam, & perfectiones, quæcumque sint, coguntur succumbere, vt dixi *quæst. præcedenti*.

Afferunt aduersarij multos Patres, præcipuè Nazianzenum *orat.45.* vbi ait, *Diuinam essentiam ex tribus Personis esse constitutam*; & *orat.19.* vbi ait: *Vnum in tribus diuinitas est; & tria vnum. Ea, inquam, in quibus diuinitas est, vel vt magis propriè dicam, quæ diuinitas est.*

Cyrillum *dial. de Trin. lib.2.* vbi ait: *Diuinam, si quis agnominaret naturam, integram nobis, quasi vno significato, ostenderet Sanctissimam Trinitatem; quia vna deitate intelligitur.* Similia habet *lib.13. cap.1.* dicens: *Spiritus sanctus in ipso Deo essentialiter est, & inseparabiliter ex Deo prodit.* Hilarium lib.4. de Trin. *Pater, Filius, & Spiritus sanctus solis differunt nominibus* (profectò ab essentia; nam inter se realiter differunt.)

Damascenum primo de fide, cap.11. *In creaturis est differentia re, & conuenientia ratione: sed in diuinis è contrario.*

148 Respondet Suarez *c.5. n.1.* cùm D.Bonau. *dist.26. q.1.* & *dist.34. q.2.* Patres solùm velle identitatem summam à parte rei, nempe formalem; tamen, quòd sint diuersi conceptus obiectiui ratione virtualitatis distinctæ, non negant.

Quoad D. Hilarium respondet, sensum esse, Patrem, Filium, Spiritumque sanctum differre solis conceptibus personalium nominum expressis, idest realiter personaliter, excludendo distinctionem in natura.

Obiiciunt verò omnes ferè Authores primæ sententiæ. Ea, quæ prædicantur per se formaliter, sunt idem formaliter; & vnum est de conceptu alterius: at relatio prædicatur formaliter de essentia diuina; atque è contra, essentia de hypostasibus, vt ait Damascenus *lib.1. de fide, cap.4.* apud D. Bonau. *dist. 34. q.2. fundamento primo*: ergo. Hoc argumentum eruitur è D. Bonau. *d.7. q.3. fund.1.* Maior est certa; nam ab eo, quod est, vel non est, prædicatio est vera, vel falsa, ex Aristotele relato *quæst. superiori, ad 3.* Minor probatur à D. Bonau. *dist.34. quæst.2.* nam hæ: *Deitas est Pater, Deitas est Filius*, &c. veræ sunt. Et, *Deus est Pater*, est propositio per se. Tandem paternitas est de essentia Patris: ergo de essentia Dei, quia Pater non habet aliam essentiam, quàm Dei.

Respondet D.Bonau. *dist.5. q.1.* ad quam remittit; relationem prædicari de essentia per identitatem, non ex vi formalis prædicationis, quia Deitas non supponit pro persona; sed propter summam identitatem verificatur. Benè tamen hæc: *Deus est Pater*; est formalis, quia Deus potest supponere pro persona, quia significat deitatem, vt in habente. Itaque, quia Pater habet deitatem formaliter, ex vi enunciationis potest prædicari de Deo. Vnde nec dicitur: *Deitas est genitor.* Benè tamen: *Deus est genitor.* Propter summam verò identitatem vera est hæc: *Essentia est paternitas*; vt notat S. Doct. ad 2. *Essentia est Pater.* Hæc autem, vel similis prædicatio in creatis non est, quæ non sunt tantæ simplicitatis. Ideò vera est tantùm in prædicatione identica, cùm idem prædicatur de se, vt: *Humanitas est humanitas.* Sic Vasq. *q.39. art.6.* Alarc. *d.2. sect.11. c.2.* Morand. *n.559.* 149

Obiiciunt adhuc. Quæcumque duo sic se habent, quod quicquid est in vno, est alterum per essentiam, vnum nihil addit super alterum. Sed quicquid est in persona, est Deitas: ergo persona nil addit supra naturam; & consequenter est vnus conceptus obiectiuus. Est argumentum Bañes *q.28. art.2.* D. Bonau. *dist.34. q.1. fundamento 3.* 150

Respondetur ex D.Bonau. *dist.33. q.2.* ad quam remittit, proprietatem esse essentiam realiter formaliter; ita tamen, vt proprietas dicat etiam modum respiciendi obiectum; atque adeò possit fundare diuersos conceptus ab absolutis essentiæ. Idem docet S.Doct. *dist.34. q.2. fundamento vltimo.*

Obiiciunt vltimò. Prædicationes, in quibus essentia prædicatur de personis, non sunt per accidens, vt *Deitas est Pater*; nullum enim accidens est in Deo. Ergo prædicatum est de essentia subiecti. Tandem, quia paternitas est de essentia Patris: ergo est de essentia deitatis. Quia Pater non habet aliam essentiam, nisi deitatem: ergo hæc erit formalis: *Pater est Deitas: Trinitas est essentia vna*; cùm sit vnius essentiæ, vt ait D.Bonau. *d.34. dub.5.* 151

Respondet Suarez, & Arriaga ex D.Bonau. *d.5. q.1.* & aliis locis suprà, has propositiones non esse accidentales (absit;) neque tamen esse formales, sed identicas, ob summam identitatem formalem in esse *in*. Attamen quia alium modum virtute distinctum habet, quo respicit obiectum, & potest fundare alios conceptus formales distinctos; ideò, &c. Reliqua soluam quæstione sequenti. Ex his compositionem virtualem concedunt Præp. *q.4. art.3. d.4.* Alarc. *c.5.* Arriag. *subsect.4.* Morand. *q.9.*

Quæstio

QVÆSTIO VI.

An Relationes è contra includant in suo conceptu Essentiam.

152 QVAMVIS asserentes in superiori quæstione, quod essentia includit in suo conceptu relationes, teneri videantur asserere etiam, quod relationes claudant essentiam; & negantes primum, negare etiam secundum, vt ait Forestus *fol.120.* tamen aliqui ex his, qui negant, quod essentia claudat relationes; asserunt hîc, quòd relationes in suo conceptu claudunt essentiam. Ita Suarez *lib.4. de Trin.cap.7.* Torres *1.p.q.28.art.2.disp.3.*& D.Thom. *q.33.art.3. ad 1.* dum ait, communia esse de conceptu propriorum. Bellarm.*loc.cit.*

153 SECVNDA sententia est, negantium ex vtraque parte, essentiam includi in relationibus, aut relationes in essentia. Ita Vasquez *disp.121.* Arriaga *disp.48.sect.3.subsect.2.* Ruitz *disp.18.*Granado, & apud eos etiam alij. Sic & Caspens. & Baudun. ac Morand. *loc.cit.q.5.*

Nazarius *quæst.28.art.2.controu.1.* censet, relationes, & essentiam, secundùm se, prout sunt à parte rei, se mutuò includere, & ita videri à Deo, & Beatis; at verò sumptas, prout à nobis diuersis conceptibus apprehenduntur, præcisè, & seorsim, ait nec essentiam esse de conceptu relationis, nec relationem esse de conceptu essentiæ. Addit, multos falli, qui existimantes se loqui de diuina essentia, vt in se est, de ea disserunt, vt diuersis nostris conceptibus dissecatur.

Itaque videtur solâ ratione ratiocinante eas distinguere, non virtualiter, cum Caietano; contra ea, quæ dixerat præcedentibus conclusionibus. Ad hanc videtur etiam pro superiori quæstione inclinare Tannerus *disp.4.q.3.dub.3.*

QVOAD D.Bonauenturam, allegatur à Foresto, & aliis pro sententia prima *d.33. q.2.* & *d.34. q.1.* maximè *fundamento 3.* sed ibi solùm asserit vnitatem formalem simplicissimam. Idem habet *ad primum, & secundum, ac sextum.* Allegatur etiam *d.28. q.3. ad argumenta*, vbi solùm vult, proprietatem personalem dicere totum distinctum personæ; sed hoc non est ad rem. Et *dist.13.q.3. ad vltimum*, vbi ait, non tantùm differre essentiam à persona, quantùm differt persona à persona; vnde prædicatur essentialiter de persona, nec facit numerum. Sed hæc non est quæstio nostra; sed, an essentia prædicetur de relationibus, seu proprietatibus præcisè; non de persona, vt aduertit Suarez.

Cùm negauit Seraphicus *quæst.præcedenti* allegatus, essentiam claudere in suo conceptu relationes, consequenter idem tenet vice versa, iuxta regulam Foresti. Id verò luculenter ostendam in argumentis, & responsis ad opposita.

154 ASSERO. Relationes diuinæ in suo conceptu non includunt essentiam.

PROBATVR primò à Vasquez, argumento eruto è D.Bonau. *d.26. q.3. ad 4.* nam essentia diuina non potest comparari cùm relationibus eo modo, quo ratio entis cum ratione particulari entium: nam ratio entis non est vna communis omnibus entibus particularibus; sic enim esset vniuersalis,& vniuoca; sed sola vox est communis, proximè significans decem rationes particulares prædicamentorum; substantiam quidem simpliciter, alias verò cum additamento; quia non sunt simpliciter entia, sed entis entia, vt docet Aristoteles *7. Metaph.cap.1.* & *lib.9.cap.1.* & ita *4.Metaph.cap.2.* docet, ens eodem modo dici de omnibus, sicut sanum de omnibus sanis: numerat autem inter sana medicinam, & vrinam; inter entia autem numerat etiam priuationem. Quis autem dicat, esse vnam rationem communem ad omnia sana, & ad ens, & priuationem? Quare ens substantia nihil magis expresè significat, quàm substantia: si verò ratio entis esset communis abstracta à multis, manerent sine dubio rationes particulares entium, in quibus ratio entis non includeretur, sicut manent in animalibus rationes particulares, abstracta ratione communi animalis. Quare, cùm nulla sit ratio communis entis, quæ non maneat in modis intrinsecis inferiorum; sequitur, nomina analoga non significare vnum conceptum communem, sed proximè ipsa analogata, vt optimè docet Caiet. *3.tom. opusc. tract.5.* At essentia diuina non potest conferri cum relationibus, sicut ratio analogicè significata cum particularibus; quia verè est vna, tota in multis; non quidem communis ratione, & conceptu, sicut est animal, sed re ipsa: impossibile est autem concipere essentiam communem tribus, quin in singulis particularem rationem concipiamus, quæ in suo conceptu non includat essentiam: sicut non possumus rationem generis cogitare communem, quin etiam intelligamus rationes particulares specificas, quibus communis fit, in quarum conceptu non includatur, quales sunt differentiæ. Ergo essentia non se habet ad relationes, sicut ens ad entia particularia. Hæc Vasquez.

Ego igitur ad mentem D.Bonau. vrgeo argumentum, è regione Zumelli. Quod potest abstrahi à ratione deitatis, seu entis Dei, non est essentialiter diuina essentia: at relationes possunt præscindi à conceptu deitatis: ergo. Maior est Zumelli. Minor probatur, nam relatio dicit esse proprium; essentia dicit esse commune: at esse proprium potest & re ipsa abstrahi à communi realiter in creaturis: ergo in diuinis eodem modo. Quod sanè possibile est enti simplicissimo, in quo ens commune, & proprium sunt plura virtute, & potest fieri abstractio conceptuum obiectiuorum. 155

E contrà verò ens non potest habere conceptum præcisum à singularibus: nam sic, abstracto ente, nihil manet. Abstrahe à Petro esse ens, & nil manebit Petri; at abstractis relationibus à deitate, & persona, manet intellectus huius nominis *res*, secundùm quod est ens in persona, & esse absolutum diuinum.

PROBATVR secundò à Vasquez ratione D. Bonau.*dist.34.quæst.1. in corpore.* Id, quod concipitur cum fundamento aduenire alteri, non includit illud. Sed relatio cum fundamento in re concipitur aduenire essentiæ diuinæ: ergo. Maior est certa; quod enim aduenit, seu superuenit alteri, non indiuisè habet eam rem, cui superuenit. Minor probatur à D. Bonau. nam in creatis personalitas est vltima perfectio naturæ, ac separabilis. Etiam definitur à Boëtio: *Rationalis naturæ indiuidua substantia.* Ex quo patet, addere rationali naturæ: in diuinis verò plurificat personas, naturâ remanente vnicâ; quod non esset intelligibile, si non conciperetur cum fundamento alicuius virtutis additæ, distinctæ virtualiter. Deinde de nullo eodem, & secundùm idem omninò est affirmatio, & negatio, ex Aristot. *4. Metaph. & primo Periherm.* sed de persona affirmatur, manere incommunicabilem oppositam alteri, 156 157

alteri, vt ab ea distinctam; communicatâ, & communi manente essentiâ: ergo debet dari aliquis conceptus fundatus distinctus personæ à natura. Idem argumentum habet S.Doct. *dist.35. q.2.in resolutione.*

158 PROBATVR tertiò à Vasquez, ratione S.Bonau. *loc. cit. in corpore*, explicando quintum fundamentum. Relatio ita concipitur aduenire essentiæ, vt veluti vltima perfectio determinet eam: hoc autem concipitur cum fundamento, vt quod commune est, fit Patris, & ipse Pater, qui realiter distinguitur ab aliis habentibus illam; qui & determinantur ad esse tales, per rationem determinantem in se naturam communem. Iam verò id, quod determinatur, non continetur in conceptu determinantis; vt inductione constat in rebus creatis.

Respondet Suarez *cap.* 8. arguere tantùm distinctionem nostri conceptus.

Contrà. Quia si hic esset merus conceptus noster, non esset intelligibile plurificari personas, non plurificata essentia, vt arguit S.Doct. *d.34.q.1.in corpore.*

PROBATVR quartò à Vasquez, ratione D. Bonau. *loc. cit.* & fundamentis. Si relatio formaliter includit essentiam, sequitur personam non constitui relatione, sed hoc est falsum: ergo.

159 PROBATVR quintò à Tannero. Si relatio includit essentiam: ergo Verbum Diuinum terminat naturam humanam, non minùs per proprietatem, quàm per essentiam.

PROBATVR hoc syllogismo. Verbum Diuinum terminat naturam humanam. Verbum formaliter est essentia: ergo essentia terminat. Hæc probatio est D.Bonau. *dist.5.q.1. ad argumenta.*

Obiicies primò ex D.Bonau. *d.33.q.1.& 2.& d.34. q.1.* Proprietates personales sunt Deus, vt definit Concil. Rhemense, quod esset falsum, si proprietates essentiam non clauderent.

RESPONDETVR, ibi solùm definiri, esse idem perfectissima identitate, à parte rei; propter quam illæ propositiones sunt veræ.

Obiicies secundò. Diuinitas est de essentia Patris. Ergo & de essentia paternitatis. Probatur consequentia: quia ita comparantur abstractum, & concretum in diuinis, vt nihil essentialiter includat vnum, quod non includat alterum, præsertim quando est sermo de concreto immediato, & adæquato ipsi abstracto. Probatur: quia concretum in Deo nihil aliud est, quàm ipsa forma subsistens, propter summam Dei actualitatem, atque simplicitatem. Sic ergo in præsenti. Pater est ipsa paternitas: ergo paternitas subsistens includit quicquid includit Pater. Est autem subsistens ex propria ratione relatiua: ergo relatio illa in sua ratione claudit essentiam. Hæc Suarez, quibus contradicit dictis à se initio, non esse eandem quæstionem de concretis, & abstractis. Hanc tamen prædicationem esse essentialem mutuam, videtur asserere S.Bonau. *d.33. q.3. ad argumenta.*

160 Confirmatur, si Persona non includeret essentiam; sequeretur, eam habere esse non à se, sed per participationem, vt videtur asserere inferri D.Bonau. *d.34.q.1.fundamento* 3.

RESPONDET Arriaga cùm D. Bonau. *loc. cit.* & adducto à Foresto initio recitato, æquiuocè aduersarium arguere, sumendo paternitatem, vt dicit rationem Personæ, quæ claudit & essentiam, pro paternitate, vt dicit meram proprietatem paternitatis, quo sensu sumi debet hic. Hæc est enim verè paternitas formaliter. Vnde Concilia, & Patres aiunt, Patrem constitui essentia, & paternitate: quòd si paternitas diceret totum Patrem, non ritè diceretur Pater constitui etiam essentia. Secundò, si paternitas dicit totum Patris in abstracto. Ergo paternitas generat. Porrò mutuam prædicationem ex identitate summa admittit S. Doct. non aliter. Ex dictis etiam patet, Seraphicum loqui eo sensu dicto; nempè personam, non relationem meram, claudere essentiam, quod est diuersum, vt viderunt Doctores allati, *n.131.*

Obiicies tertiò Quælibet relatio diuina est Deus: 161 ergo essentialiter Deus: ergo includit in suo conceptu essentiali deitatem. Ant. patet, tum ex Concilio Rhem. Tum quia quicquid est in Deo, est ipse Deus essentialiter. Consequentia secunda probatur: nam impossibile est, aliquid esse essentialiter tale, nisi in suo conceptu essentiali includat tale prædicatum, seu formam, à qua illud desumitur. Confirmatur à Canariensi. Si relatio non est essentialiter Deitas. Ergo non est essentia increata. Ergo non est ens, per se, & à se: Ergo est creatura.

Respondetur: Relationem esse formaliter Deum identitate formali; tamen deitas, & relatio virtualiter distinguuntur; vt licèt sint Deus, non tamen vnum in altero claudatur. Neque responso Vasquez, & Arriagæ probatur Relationem concipi abstractè, non vt Deum, aut creaturam.

Instant ex Concilio Rhem. Prædicatio abstracta essentiæ de relationibus est vera, non esset autem vera, nisi relatio clauderet in se essentiam.

Respondet Arriaga, è D.Bonau. *dist.34.q.2.in corpore*, particulam *est*, solùm identitatem significare apud Concilium.

Obiicies quartò. Omne inferius claudit in suo 162 conceptu superius; vt v.g. homo claudit animal: & animal claudit viuens, &c. sed Diuina essentia se habet ad relationes Diuinas, vt quid commune superiùs. Ergo includitur in conceptu earum. Videatur D. Bonau. *d.34.q.2.arg.6.& 7.*

RESPONDET Arriaga, cùm D.Bonau. *1.d.23.q.1. ad 2.* & *loc.cit.ad 6.& 7.* essentiam non se habere, vt superius; esset enim genus respectu relationum. Deinde respondet, esto esset genus; dico genus claudi in conceptu speciei, non tamen in conceptu differentiæ. Sic animal non est de conceptu rationalitatis, esto sit de conceptu hominis; sic nec essentia de conceptu paternitatis, quæ est velut differentia, esto sit de conceptu Patris.

Obiicies quintò, cùm Henrico. De ratione relationis est non solum esse *ad*, sed etiam esse *in*, in fundamento: sed fundamentum diuinæ relationis est essentia diuina: ergo.

Respondet Vasquez, eam rationem *in*, non esse aliquid absolutum, sed abstrahere, vel potiùs esse idem omninò cùm ratione *ad*, & ab ea solo nomine diuersam; quatenus à nobis concipitur inesse. Sed hoc ipso quòd intelligitur vt inhærens, est aliquid præter essentiam: nam ratio illa *in*, debet esse aliquid in essentia, non ipsa essentia.

Contrà. Si esset solo nomine distinctum, esse *ad*, 163 & esse *in* relationis; sequeretur, quòd tolleretur Trinitas, vt arguit S.Bonau. *loc.cit.ad vlt.* Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Relatio, vt est *ad*, & vt est *in*, solo nomine differunt, & vt sunt *in*, sunt idem cùm essentia: ergo & sunt idem inter se, vt sunt *ad*.

Respondetur, fundamentum, *in quo*, esse essentiam; sed relationem, quæ est *in*, esse virtute distinctam, vt dixi suprà, & consurgere *ad*. Porrò ita omnia solues. Persona includit essentiam; sed relatio eam non claudit.

metaphysicam; at hoc non sequitur in diuinis proprietatibus.

99 CONTRA: at ita (subsumo) se habent essentia, & proprietas, quia essentia se habet vt communis; relatio vt propria, quæ manat ab essentia, & ei aduenit in secundo signo pòst reali. Ergo secundum te, si habent formalitates distinctas, faciunt compositionem metaphysicam. Hoc vrgebo *in resp. ad primum.*

VRGEO. Istæ realitates entis, & substantiæ, sunt constitutiuæ essentiæ diuinæ. Ergo, cùm eodem fundamento distinctionis cum relationibus, & essentia nitantur; sicuti hæ, per vos, sunt plures formalitates: ita & essentia præcisa erit, è multis formalitatibus constituta, atque composita. Probatur consequentia ex doctrina Mastrij: quia se habent vt superius, & magis commune ad essentiam diuinam.

Addit, prædicata quidditatiua includi in conceptu deitatis; non sic attributalia. Vnde non est idem iudicium ferendum de vtrisque.

CONTRA. Si conceptus entis clauditur in conceptu Deitatis, & è contra; sequitur secundùm te, creaturam, & Deum conuenire in conceptu Deitatis, qui includitur in conceptu entis.

100 Hinc plurimi Scoristæ, videntes hæc, & illa pari passu in via Scoti procedere, admittunt inter vtraque distinctionem formalem.

Contrà. Nam compositionem metaphysicam inuehunt in essentiam, vt dixi.

Mastrius respondet, Deum eo esse ens, quo substantia, &c. negat verò sequi, Deum conuenire in esse diuino cum creatura; quia non conueniunt actualiter in ratione entis, sed tantùm virtualiter.

At cùm secundùm Scotistas conueniant vniuocè, debent actu conuenire; & conuenientia vniuoca generis secundùm Scotistas, est realis, non per solum intellectum: ex quo fit, vt verificentur de his contradictoria, Deum cum creatura conuenire in ratione entis, & deitatis; & ab eo differre sub eadem ratione deitatis.

101 ASSERO secundò, Relationes ab essentia differre plusquam ratione ratiocinante.

PROBATVR à D. Bonauent. authoritatibus, & rationibus, quas vsurpant Scotistæ ad vrgendam distinctionem formalem; quæ, vt infrà ostendam, hoc tantùm nostrum assertum probant. Vide alias authoritates, & rationes in Foresto *fol.* 107. & 108.

PROBARI potest etiam authoritatibus Patrum, quæ astruunt veras proprietates, quibus vna persona, à parte rei, diuerso modo se habet ad essentiam, & ad personas. Vide aliquas in D. Bonauent. *d.*26. *quæst.* 1. Sic D. Hieronymus *in expositione fidei ad Damasum*, ait: *Ita etiam impietatem Sabellij declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus.* Et infrà concludit: *Non nominà tantùm, sed etiam nominum proprietates, idest personas, vel vt Græci exprimunt, hypostases; idest substantias confitemur.* Vbi proprietates non accipit pro ipsis personis, vt putat Vasquez *disput.*158. *cap.*1. sed vt constitutrices Personarum, è quibus, & essentia infert, Personas distinctas constitui. Ita D. Bonauent. & hoc sensu etiam Sophronius in epistola recepta à sexta Synodo *act.*11. ait: *Hoc quidem propter naturam, & identitatem; illud verò propter alterificas horum trium proprietates, propterque dissimilitudinem proprietatum, quæ inconfusè vnamquamque fi-*

102 *gurant personam.* Profectò si sola intellectus fictione apponerentur distinctæ ab essentia proprietates, essent synonymæ cum essentia, nec esset ratio distinguendi Personas; sed oriretur Sabelliana Personarum euersio. Idem infertur ex D. Fulgentio *lib. de fide ad Petrum, cap.*1. *inter opera D. Augustini*, dicente: *Proprium est Patris, quod vnicum Filium genuit.* Ergo est aliquid ab essentia communi distinctum, plusquam intellectus fictione; alioqui etiam Filius gigneret, cui est communis essentia, quæ esset solà fictione intellectus distincta.

Idem infert Damascenus 1. *de fide*, *cap.*11. dicens: *Differentiam hypostaseon in tribus proprietatibus, paternali, filiali, & processibili, cognoscimus.* Si relationes sunt rationes distinguendi tres personas, quibus essentia est communis, profectò oportet, vt non solà intellectus fictione differant ab essentia.

PROBATVR tertiò à S. Bonauent. Sicut diuersi sunt modi quærendi de persona, & de essentia; ita diuersæ respondere debent entitates, alioqui tota Theologia battologiis, & synonymis scatebit. Sed verum est illud; nam de essentia quæritur *Quid?* de Persona *Quis?* Ergo verum etiam secundum. 103

PROBATVR quartò à D. Bonauent. Si proprietates non differrent aliquo fundamento reali, sequeretur, generationem, & spirationem actiuè in Patre confundi, & consequenter etiam generatio erit spiratio, & Filius esset Spiritus sanctus.

PROBATVR quintò. Spiratio est propriè Patris, & Filij; non autem conuenit Spiritui sancto. Si autem solà intellectus fictione differrent essentia, & spiratio actiua, conueniret etiam Spiritui sancto spirare.

PROBATVR sextò à S. Doct. In Patre est Paternitas, & Innascibilitas. Si autem omnia essent vnum, & solà fictione differrent ab essentia, & inter se, in eadem Persona, sicuti Paternitate respicit Filium, respiceret etiam Innascibilitate distinctè. 104

PROBATVR tandem à S. Doct. *in corpore.* In vna persona sunt proprietates, quarum vna non dicitur de altera. Videmus vnam Personam vno modo comparari ad vnam, vt Patrem ad Filium. Videmus etiam vnam Personam vno modo comparari ad plures, vt Spiritum sanctum ad Patrem, & Filium. Et iterum vnam Personam pluribus modis comparari ad plures, vt Filium ad Patrem, & Spiritum sanctum. Similiter plures personas vno modo comparari ad vnam, vt Patrem, & Filium ad Spiritum sanctum. Si autem relationes ab essentia solà ratione ratiocinante differrent, hæc omnia essent chimæræ; imò tota Trinitas esset chimæra.

ASSERO tertiò. Relatio in diuinis est veluti modus essentiæ, cum ea tamen formaliter identificatus. Ita D. Bonau. *dist.*25. *q.*2. & *dist.*26. *q.*1. & *dist.*33. *q.*2. & alibi. Alensis 1. *p. q.*44. *m.*2. *ad* 5. & *q.*49. *m.*2. Albert. 1. *p. q.*44. *m.*2. Richard. 1. *d.*2. *art.*2. *q.*3. Marsil. *q.*3. *art.*3. *ad* 8. Richard. de S. Vict. *lib.*4. *Trin. c.*19. & *c.*24. De hoc infrà *disp.*5. *q.*3. & 4. 105

PROBATVR etiam è sanctis Patribus. Iustinus in expositione fidei de Trinitate: *Ingenitum, Genitum, & Procedentem, nomina non ad essentiam attinere, sed ad modos subsistentiæ.* Basilius lib. 4. contra Eunom. *Ingenitum, & Innascibilem esse modum substantiæ.* Idem habet *lib.*5. Nazianzenus oratione 29. *Simul atque Pater ingenitè erat, Filius quoque genitè erat.* Quibus modis dicendi explicat modos existendi. Cyrillus *dialogis de Trinitate*, *lib.*1. in Patre, & Filio modum quendam, & differentiam deducit: & *lib.* 2. *col.* 4. & *lib.* 7. propè medium: *Proprietas* (ait) *non quæ diuinitatem indicat, sed quæ benè significat, quis modus existentiæ singulorum*

nominatorum

nominatorum à nobis intelligatur. Damascenus *lib.* 1. *de fide, cap.*9. *Spiritus sanctus à Patre procedit, non tamen per generationem, sed per processionem: alius autem hic subsistendi modus incomprehensibilis.* Et *cap.*11. *Existentiæ modum differentiam intelligimus.* Et *cap.* 13. de iisdem relationibus loquens, ait:
106 *Non substantiæ sunt indicia, sed habitudinis ad inuicem, & modi subsistendi.*

Contra nostram doctrinam plurima congerunt Scotistæ argumenta, quæ & D. Bonau. refert, ac soluit, pluris faciens Ecclesiæ authoritatem, ac sanctorum Patrum, in re grauissima, sententiam, quàm rationum subtilitates, quas difficile est sanè retundere, vt ait Valentia *loc. cit.* Attamen aureum sibi Hilarij effatum ob oculos constituant, apud Magistrum *d.*33. *cap.*5. Quærenti enim, quomodo possit idem esse absolutum, & relatiuum? respondet: *Immensum est, quod exigitur, & incomprehensibile; extra significantiam est sermonis, extra sensus intentionem; non enunciatur, non attingitur, non tenetur.* Hæc S. Hilarius. Infinitum enim ens à nobis comprehendi non potest: imò vix apprehendi. Ideo, lumine prævio fidei, cautè, ac humillimè incedendum. Vide fundamentum pro responsione ad argumenta *tract.* 1. *disput.*3. *quæst.*8.

107 Obiiciunt primò. D. August. 7. *de Trinit. cap.*1. ait: Non eo Verbum, quo sapientia. Et: Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est aliud, excepto relatiuo.

Faber *cap.* 3. *num.*31. clamat, D. Thomam 1. *p. quæst.*28. *art.*2. *ad* 1. *& secundum*, dare dexteram, & concedere formalem distinctionem. At hoc falsum est; vnde concludit Angelicus: *Non sequitur, quod in Deo, præter relationem, sit aliquid aliud secundum rem, sed considerata solùm nominum ratione.*

Ad primum igitur respondet D. Bonau. *d.*27. *p.*2. *dub.*1. & *quæst.* 1. Verbum non eo Verbum, quo sapientia; quia secundùm esse Verbi habet habitudinem ad Patrem, ex D. August.7. *de Trinit. cap.*2. & 3. quam non habet, vt sapientia essentialis, quæ tantùm ad se dicitur: non autem negat, eo esse Verbum, quo sapientia, vt *in*; secundùm quem sensum (ait *d.*26. *quæst.*1.) distinguuntur, non solo intellectu ratiocinante, sed posito fundamento. Ideò & ponuntur tres modi prædicandi. In *Quid*, cum quæritur de essentia. In *Quis*, cum de Persona. In *Quo*, cum de notione. Sed de hoc latiùs dicam *ad secundum.* Idem ait S. Thomas loco adducto à Fabro.

108 Ad secundum respondet S. Bonau. *dist.*26. *q.*3. *ad* 4. in creaturis sanè, de quibus S. August. affert exempla, aliud est essentia, aliud relatio; vt aliud est homo, aliud, quod ille homo sit Dominus: at, in diuinis infert, esse aliud, fundamento, & virtualiter distinctum. Absit, vt velit eodem modo distingui, ac in creaturis; alioqui differrent, sicut subiectum, & accidens. Sed è creaturis consurgens ad Deum, qui est simplicissimus, à quo non secundùm rem potest relatiuum abstrahi ab absoluto, sed sola mathematica abstractione; quia sicut Mathematicus sola consideratione abstrahit, & separat à materia ea, quæ in materia sunt; ita sola ratione mathematica distinguuntur, quæ in se sunt vnum, & intellectu solùm distincta concipiuntur. Addit, quod, si ab hypothesi Patris abstraheretur relatio, non maneret Persona Patris distincta: & hoc tenet etiam Scotus, qui hinc falsitatis argui-
109 tur, dum Seraphico adscripsit *distinct.*26. *quæst.vn.§. Tertia opinio*, quod asseruerit, personas constitui per absoluta. Hinc postea infert, quod abstracta proprietate relatiua, maneret de persona, non ratio distincta personæ, sed solùm intellectus huius nominis *res*, secundùm quod est generale vocabulum. Itaque etiam in sententia Scoti, qui ponit personas constitui, & distingui relationibus (si credimus Scotistis: de quo agam *disp.*12. *quæst.*1.) sequitur, abstractis relationibus, manere conceptum entis, atque adeò non eo esse personam, quo ens; sola facta per intellectum distinctione. Idemque dicere debemus de persona, & essentia, dum dicitur: *Non eo Verbum, quo sapientia. Non est eo Deus, quo Pater*: dum in simplicissimo vno vniuntur, quæ sunt sparsa in inferioribus, vt ait S. Dionysius. Habet sanè Persona diuina, præter absolutum esse, seu esse *in* relationis, aliud esse, quod non comparatur ad subiectum, sed ad obiectum; secundùm quod esse *ad*, dicitur habere aliud esse; at secundùm esse *in*, vult S. Augustinus omnia esse vnum, Patremque esse sapientem, atque sapientiam. Et subdit, loquens de Patre: *Quia vere ibi est summè simplex essentia; hoc ergo est illi esse, quod sapere.* Hinc explicitus manet alius locus D. Augustini 11. *de ciuitate, cap.*10. vbi ait: *Omne simplicissimum est omne id, quod habet, excepto relatiuo.* Quem refert S. Bonauent. *d.*33. *quæst.*1. Addo, solùm inferri, essentiam non includere in suo conceptu obiectiuo relationes, vt dicam *quæst. sequenti.*

.Obiicies secundò ex D. August.7. *de Trinit. c.*2. 110
Non eo Pater, quo Deus.

Respondet D. Bonauent. *distinctione* 5. *quæst.* 1. & *distinctione* 7. *quæst.*3. *ad* 1. & *distinctione* 19. *p.*1. *dub.*3. *lit.* & *p.*2. *quæst.* 1. *ad* 4. & *distinct.* 33. *dub.* 4. *litt.* & *quæst.* 2. *ad* 1. D. Augustinum intelligere, esse alio, & alio, ratione, & conceptu, non re. Est quidem verè in Patre essentia communicabilis; persona incommunicabilis: essentia, quæ non generat; & persona, quæ generat. Est ibi id, quod absolutum, & quod relatiuum; vnificata tamen in simplicissimo ente, retinentia verò suum esse actuale, virtuale, eminentissimum distinctum, quod exprimit D. Augustinus his terminis: *Non eo, quo*: ita verò, vt in abstracto sit formaliter verum: Pater est essentia. Essentia est paternitas, ob entis simplicitatem: quod non fit in creaturis, nisi quando prædicatione identica, idest de se dicitur, vt: Essentia est essentia: humanitas est humanitas. Differunt tamen conceptu obiectiuo, ex virtualitate vtriusque distincta, vt dicam *quæstione sequenti.*

Respondet ergo secundò S. Doct. *distinct.*33. *dub.*4. velle dicere D. Augustinum: *Non eo Patrem esse Patrem, quo est Deus.* Quia conceptus Dei præcisus dicit tantùm absolutum: at Pater dicit relatiuum, quod licèt formaliter vnificatum, ratione simplicitatis, in esse *in*; tamen retinet alium respectum ad Filium. Quod verò illud *eo*; & *quo*; non exprimant distinctionem formalem, probatur ad hominem, contra Scotum: nam S. Augustinus subdit: *Eo tamen magnus, quo sapiens.* Si ergo *eo*, & *quo*, significant rationem formalem: ergo sapientia, & immensitas in Deo sunt vnum formaliter. Significat ergo conceptum distinctum, vt dicam *quæst. sequenti.*

Frivola est autem responsio Fabri, D. Augustinum intelligere *eo*, & *quo*, in primo loco formaliter, in secundo realiter; ita, vt velit dicere: Non eo formaliter est Pater, quo Deus; nec eo Verbum, quo sapientia: eo tamen realiter magnus, quo sapiens. Contrà enim est, quia particulæ tamen, 111

men, indicat exclusiuam eiusdem rationis. Maiorem (fateor cum D. Bonauent. *distinctione* 19. *dub*.3. *litt.*) distinctionem ponit inter absoluta, & relatiua, quàm inter absoluta inuicem comparata, ob rationem suprà; attamen, vt sunt *in*, suam differentiam maiorem habent intra limites distinctionis virtualis eminentis, ob maius fundamentum; quia ens absolutum, & relatiuum naturâ suâ magis differunt inter nos, licèt in primo ente simplicissimo vnificentur formaliter. Hoc vult dicere S. Bonauent. *in hac quæst*. ablatiuum *eo*, dicere diuersitatem denominandi, quantùm ad modum: quia, scilicet ibi verè est relatio, quæ est verus modus in essentia; non tamen essentialiter differt, vt suprà dixit. Sed de hoc *quæst. sequenti*.

112 Eodem sensu D. Hilarius 12. *de Trinitate*, *cap*.50. ait: *Filium nasci in his nominibus æternarum proprietatum*; quia ibi verè sunt proprietates virtualiter eminenter distinctæ. Ideò ait Hilarius, *nominibus*; non rebus distinctis: quod si legisset Faber, non vrgeret hanc authoritatem in nos. Eodem verò libro ait quidem: *Aliud est res naturæ, aliud natura*, vt refert Magister *d*.34. & ibi S. Bonauent. Hoc autem intelligit realiter in creaturis; at in diuinis, solùm secundùm rationem significandi, cum fundamento. Ita etiam exponitur S. Augustinus 7. *de Trinitate*, *cap*.6. à D. Bonauent. *loc. cit*. Fundamentum autem est, quia ibi est verè ens absolutum, & ens relatiuum, in ente simpliciter vno infinito formaliter vnificatum; & hinc explicatus manet D. Augustin. *loc. cit.* dum ait: *Non eo Verbum, quo sapientia*: ibi enim contendit probare, Patrem esse sapientiam; at cùm Filius etiam sit sapientia, & Pater à Filio differat; quomodo, ait, Pater non erit Filius? Respondet ergo, *Verbum non eo Verbum, quo sapientia*; quia Verbum, præter id, quod habet in essentia omninò identificatum, habet etiam respectum ad obiectum, secundùm quem respectum comparatur solùm ad obiectum, non ad subiectum. Ideò reddit rationem, cur non sit *eo Verbum, quo sapientia*: non enim Verbum ad se est; etenim relatio habet esse ad aliud, ex Aristotele in prædicamentis, *cap. Ad aliquid*.

113 Idem habet S. Athanasius *dialogo primo de Trinitate*, dicens: *Verbum non differre à Patre, in Deum esse, sed in ad Patrem esse*. Vult igitur dicere S. Augustin. esse Verbi addere modum nouum ad essentiam in Filio, qui modus identificatur cum essentia; tamen, vt respicit obiectum, aliò tendere. Et hic modus vtcumque conceptibus distinguitur.

Eodem sensu loqui videtur D. Bonauent. *d*.24. *artic*.1. *quæst*.2. dicens: *Relationes non transeunt conceptu in essentiam*. Vellet dicere, non transire in essentiam, vt sunt *ad*; quia ad solum obiectum comparantur. Quæ expositio colligitur ex ipso Seraphico *hic in corpore*: sed hoc differendum *quæst*.5. & 6.

Obiiciunt tertiò. Ea, de quibus verificantur contradictoria, distinguuntur, à parte rei, ante omnem intellectus operationem: at de essentia, & proprietate relatiua verificantur contradictoria; nam de essentia verificatur, quod sit communicabilis; de relatione, quod incommunicabilis. Ergo. Minor est de fide. Maior probatur clarè ex Aristot. 4. *Metaph. text*.27. Impossibile est enim idem eidem inesse, & non inesse, vt dixerat *text*. 8. Neque inter contradictoria est aliquod medium, vt notat ibi Aristoteles *text*. 27. secundùm quod idem habeat esse communicabile; & alterum etiam extremum, esse incommunicabile.

Respondet D. Bonau. primò, *in hac quæst. ad vlt*. quod licèt essentia, & relatio sint idem formaliter; tamen, quia essentia est ens absolutum, non supponens relatiuum; & è contra relatio est ens relatiuum, non supponens in esse absoluto esse relatiui, dicit aliud virtuale; attamen vtrumque inuicem vnitur in constitutione entis infiniti, in quo omnes perfectiones entis simplicissimi vniuntur, retinentes tamen suas formales perfectiones, quæ sunt simpliciter simplices; ideò aliqua conueniunt essentiæ formaliter, vt essentia est virtualiter, actualiter, eminenter differens à relatiuis; in qua virtuali actualitate possunt habere fundamentum oppositæ enunciationes. Hoc responsum desumpsere Caietanus 1. *p. quæst*.39. *artic*.1. Molina *quæst*.28. *art*.2. *d*.1. Bannes ibidem, *dub*.3. *ad* 2. Suarez, & Valentia *locis adductis*, Canar. *d*.3. *ad hunc art. citatum D. Thomæ*, *p*.3. Addit S. Doctor *distinctione* 34. *quæst*.1. *corpore*, esse suprà vires humani intellectus, quomodo hæc simul stent. Sunt enim altissima; ideo authoritas Ecclesiæ rationi præferenda, vt ait Morand. *num*.562. 114

Vasquez *cap*.6. ait, argumentum non satis ita solui; quia non redditur ratio, ob quam illa virtualitas sit sufficiens ad verificanda contradictoria. Addit verò ipse, hanc distinctionem fieri in ordine ad nostros inadæquatos conceptus, qui imperfectè hæc diuina infinita concipiunt.

Contra omnes arguit Faber. Nullo cogitante intellectu, siue adæquatè, siue inadæquatè concipiente, essentia à parte rei communicatur; at relatio diuina non est communicabilis: at si hæc contradictio esset solùm ex nostro intellectu, iam diuinæ emanationes erunt chimæræ. 115

Respondetur ex D. Bonauent. non venire ex nudis conceptibus hanc distinctionem, sed ex entitate rerum, quæ ens infinitum constituunt, ac in eo sunt formaliter vnum, sed virtualiter eminenter distinctæ; ita vt ens illud infinitum habeat esse communicabile.

Contrà vrget Faber, quia actu formaliter essentia est communicabilis, relatio incommunicabilis: ergo debet dari distinctio realis formalis actu in ente illo communicabili, ab incommunicabili; alioqui vel vtrumque erit communicabile, vel vtrumque incommunicabile, si sunt vnum formaliter à parte rei.

Hæc obiicit aduersarius, quia non percipit, quæ sit hæc virtualis distinctio: ait enim, esse virtualitatem potentialem, quæ Deum componeret; esseque hanc virtualem eminentiam, miserrimum effugium, & asylum confractum.

Respondetur ergo, hanc eminentiam virtualem distinctionis esse; quia ens diuinum est pelagus infinitum, comprehendens, atque absorbens ens relatiuum, atque absolutum: habet etiam esse communicabile, & esse incommunicabile, exactissimâ ratione vnum, eminenter formaliter vnum, vt dicebant Areopagita, & D. Bonau. suprà allegati, & *tract*.1. *disp*.3. *quæst*.8.

Itaque non est fugientium asylum, sed Arx Theologica, quæ docet, infinitatem Dei comprehendere ea, quæ Aristotelicis conceptibus non possunt in creaturis adæquatè palpari, seu etiam inueniri. Per hæc patet ad tres primas instantias, & ad vltimam Fauentini.

Neque verò ista vnitas formalis relationis, & essentiæ aufert earum rationes formales proprias; retinent 116

retinent enim esse proprium; sed in ente simplicissimo vnificantur infinito. Quo fit, vt non confundantur esse absolutum, & relatiuum; communicabile, & incommunicabile. Per hoc patet quartæ instantiæ Fabri.

Itaqve cùm in essentia relationes, & emanationes actu,& virtute distinctæ sint,distinctæ etiam personæ valent emanare. Vnde male infert Faber, generationem fore spirationem: & sic patet ad quintam.

117 Instat adhuc. Vel illa ratio infinita eminens continet etiam perfectiones creaturarum,vel eas solas, quæ simpliciter perfectæ sunt, & nullam admittunt imperfectionem. Si primum: ergo æquè poterit Deus dici Homo, leo, petra; sicut dicitur Bonus, Sapiens, Pater, Filius: eodem enim modo vtraque perfectio continetur. Si secundum: ergo in Deo saltem duæ erunt formalitates; altera perfectionum simpliciter; altera perfectionum secundùm quid.

Respondetur, illam rationem infinitam continere perfectiones creaturarum, eminenter contentas in perfectionibus formalibus simpliciter simplicibus. Vnde negatur, eodem modo posse Deum dici leonem, &c. nam leo non habet rationem formalem sui in Deo, sicut eam habent Bonitas, Sapientia, & cæteræ perfectiones simpliciter simplices; quæ tamen vnificantur ob simplicitatem. In hoc verò decipitur Faber.

Instat octauò. Sequeretur, diuinas personas differre realiter, nec tamen formaliter; nam fierent vnum formaliter per illam eminentiam.

Respondetur negando sequelam; differunt enim formaliter, & realiter, vt *ad*, non vt *in*: de quo est quæstio.

118 Respondet secundò D. Bonau. ad principale argumentum, *dist.34.quæst.2. ad vlt.* negando, communicabile, & incommunicabile esse contradictoria, sed differre sicuti habere, & non habere proprietates; quia enim persona habet proprietatem relatiuam, ideò distinguitur, & est incommunicabilis: sed quia essentia caret illa proprietate, communis est, & communicabilis pluribus, ideò non distinguitur. Quod si aliqua apparet contradictio, ea est in intellectu. Vult dicere (vt reor) contradictionem vergere ad ens finitum, quod quia limitatum est, non continens totam latitudinem entis, ideò contradicit esse absolutum, & relatiuum; communicabile, & incommunicabile: quod contradicit in posse habere, & non habere. At ens diuinum, cùm simpliciter infinitum sit, continet omnia, absolutum, & relatiuum; atque adeò haber esse communicabile, & esse incommunicabile. Esse quidem communicabile, ratione entis absoluti, seu naturæ communis: esse verò incommunicabile, ratione proprietatum, & entis relatiui. Eadem responsio elicitur ex eodem S.Bonauent. *dist.5.quæst.1. ad primum.*

119 Respondet tertiò, ibi ens communicabile, & incommunicabile se habere, vt commune, & proprium, quæ inuicem non implicant; licet enim homo, seu natura humana, sit communicabilis; tamen Petrus formaliter est homo: quantò magis in diuinis se inuicem compatientur? Proprium ergo non distinguit à communi, sed ab alio proprio opposito. Idem habet S. Doct. *distinct.5. quæst.1. ad primum.*

Vasquez *cap.6.* refert, aliquos respondere, duo contradictoria non affirmari de eadem re, quia affirmans propositio est vera, scilicet res, quæ est essentia, communicatur; & negans est falsa, nempe res, quæ est essentia, non communicatur; quia negatio denotat, rem illam nullo modo communicari, neque vt essentia, neque vt relatio est, eò quòd negatio omnia negat. Hanc responsionem retuli, vt videatis, eam non esse Seraphici, qui propositionem assumit, vt obiicitur. Impossibile est, ea de 120 quibus verificantur contradictoria, esse idem realiter formaliter, & ex re ipsa. Solutionem sumit non è nuda propositione; quod idem videre est *d.19. p.2.q.2.ad 4.* vbi ait, quod alio etiam est communicabile, alio incommunicabile, vt ait D. August.*7.de Trin. cap.6.* sed non est alio secundùm rem, sed secundùm rationem: quia Deitate est Deus: Paternitate Pater; & paternitas non est aliud re ab essentia, quia paternitas est essentia; est tamen aliud ratione: & quia ablatiuus dicit rationem, ideò non eodem est Deus, quo Pater. Et si obiicias: Aut respondet illi rationi aliquid, aut nihil. Respondetur, quòd ratio illa, per comparationem ad essentiam, non est, nisi modus; sed comparando ad aliam personam, est res. Vide D. Bonau. Idem habet *dist.31.dub.1.*

Hanc verò distinctionem secundùm rationem, 121 cum fundamento in distinctione virtuali, esse sufficientem ad verificandum in eodem Deo simplicissimo & communicabile, & incommunicabile, explicat S. Doct. *dist.34.quæst.2. ad quintum*, vbi ait: *Quantulacumque distinctio rationis sufficit ad affirmationem, & negationem; & persona aliquo modo differt à natura.* Eandem responsionem sequuntur Bannez, Canar. Vasquez, & alij, quæ vera est, supposito fundamento distinctæ virtualiter, actu eminenti, perfectionis.

Ea verò, quæ cæteri Scotistæ opponunt circa 122 hoc argumentum, soluta vide *tract.1.d.3.q.8. ad 6.* Memento solùm aureum Seraphici effatum *dist 34. quæst. 1. in corpore*, hæc esse supra vires intellectus.

Obiiciunt quartò. Pater, vel intelligit essentiam, & suam paternitatem, vt obiecta distincta; vel vt vnum. Si primum, habeo intentum; quia cognitio illa est intuitiua rerum, sicuti sunt. Si secundum: ergo differunt solis nostris fictionibus, atque adeò à parte rei communicatâ essentiâ, communicatur & Paternitas.

Respondet D. Bonau. *dist.7. quæst.3.* verè à parte rei essentiam, & relationem esse idem; attamen diuersis virtualibus actualibus perfectionibus distingui, quibus & communicabile, & incommunicabile clauditur: & hoc modo videri à Patre. Eadem responsione vtitur Caietanus. Sunt autem istæ virtualitates, non potentiâ, vt fingit Faber; sed actualissimæ, distinctæ virtute, vt sunt *in*. At Faber ludit, transiens sæpe ad esse *ad*. Per hæc patet ad quartum Scoti, quod est repetitio secundi.

Obiicit quintò. Nihil eodem est idem formaliter cum alio, & distinctum realiter ab eo. Sed 123 relatio per vos est idem formaliter cum essentia, & totam Patris entitatem constituit, secundùm quam est idem cum Filio, & distinguitur ab eo realiter. Ergo essentia, & relatio non possunt esse idem formaliter.

Respondet S. Bonauent. eandem rem infinitam posse esse rationem vniendi, & distinguendi; quia in illa ratione infinita sunt virtualiter omnes rationes perfectæ: & ita in casu nostro 124 est. Nam essentia cum relatione virtualiter sunt plura; & ideò, secundùm essentiam, est vnum cum Filio, sed distinctum realiter secundùm supposi-

tum, quod è subiecto abstrahens respicit tantùm obiectum. Ita S. Doct. ad secundum, & Valentia ad tertium.

Obiicit sextò Faber ex Concilio Florentino, in litteris vnionis. Pater, generando Filium, communicat ei essentiam; non paternitatem: ergo essentia, quæ datur, differt saltem formaliter à paternitate, quæ non datur.

Respondetur, negando consequentiam. Sufficit enim distinctio virtualis, vt idem Concilium suprà allegatum clarè asserit.

125 Obiicit septimò ex Gregorio *d.8.q.1.art.1.* Quicquid naturâ suâ est vnum, non potest per intellectum fieri plura. Sed relationes, & essentia sunt vnum: ergo nequeunt multiplicari per intellectum; alioqui erunt nuda rationis entia.

Respondetur ad minorem, distingui virtualiter, & hoc sufficit ad fundandam distinctionem, quæ emergit, non ex proprietatibus, vt sunt *in*; sed vt sunt *ad*.

Vltimò arguo ego (ait Faber) authoritate omnium Sanctorum, Theologorum, & ex definitione fidei; ex quibus certum est, productionem Verbi non esse productionem Spiritus sancti, ante omnem intellectus operationem. Ita D.Augustinus 15. *de Trin.cap.*27.& *lib.*5. *cap.*9. & 14. D.Athanas. *in Symbolo.* Ideò in Scriptura nunquam Spiritus sanctus dicitur Filius. Porrò hæc veritas definita est in Concilio Toler. primo, confirmato à Leone I. & omnes Scholastici consentiunt. Hinc arguo: Ante omnem cogitationem nostram, generatio, à parte rei, non est spiratio; sed hæ sunt processiones distinctæ, nec inuehunt compositionem in Deum, nec tollunt simplicitatem. Ergo nec distinctio, à parte rei, attributorum, & relationum. Minor probatur; quia generatio, & spiratio est in Patre, & in eadem essentia.

Hoc argumentum est D.Bonau. *dist.*13.*q.*3.*in fundamentis.* Et *dist.*26.*q.*1. *fundamento* 5. & *dist.*33.*q.*3. *fundamento vltimo*; quod desumpsit Scotus 1. *dist.*2. *quæst.*7.

126 Respondet S. Doct. *in corpore*, & ad argumenta, hæc esse vnum essentia formaliter, & definitione, vt fatetur etiam Scotus *in Reportatis, dist.*35.*quæst.*1. *argumento* 4. habere tamen modos diuersos virtute, qui possunt esse fundamentum distinctæ emanationis actiuæ: nam à pluribus virtute, tametsi vnâ formâ, prodeunt plura; ita Sol eadem luce diuersa producit. Esto autem in creatis distinctio actuum distinctionem argueret potentiarum, tamen in Deo non sequitur, in quo omnia sunt vnum simplicissimum; sic eadem voluntate spirat Spiritum sanctum, & creaturas condit: vnde malè Faber ex illo primo infert secundum; nempe, debere distingui etiam in diuinis: nam est contra Damascenum *lib.*1. *de fide, cap.*11. vt notat D.Bonau. *dist.*26. *q.*1. *ad* 2. Vide hoc argumentum solutum ex D. Bonau. *quæst.*8.

127 Præterea respondet D. Bonau. *dist.* 13. *citata in corpore*, has emanationes non habere distinctionem à suis principiis, sed à seipsis, vt ait etiam Scotus *d.*13. *quæst. vnic.* Neque est facere Trinitatem imaginariam, si hæ emanationes suis virtualitatibus distinctæ asseruntur vnum formaliter simplicissimum, non compositum è multis essentiis, vt ipsi aduersarij nituntur. Sic respondet & Caietanus *lib. de ente, & essentia, ad vlt.* apud Fabrum *num.*51.

Obiicies cum Durando. Essentia diuina est in aliquo supposito formaliter, in quo non est quælibet relatio formaliter: est enim in Patre, in quo tamen non est filiatio; alioqui, sicut formaliter Pater est Deus, ita formaliter esset Filius. Ergo relatio ex natura rei differt ab essentia.

Respondetur negando consequentiam: non 128
enim ideò filiatio non est in Patre, quia differat, vel sit idem cum diuina essentia; sed quia opponitur relatiuè, & differt à paternitate. Licèt autem sit idem paternitas cum essentia; non est tamen idem adæquatè. Hoc argumentum est D.Bonau. locis adductis: seu dic non esse in Patre filiationem, vt formaliter est filiatio ad obiectum.

Tandem obiiciunt. Si relatio, & essentia sunt 129
idem realiter formaliter, sequitur, alteram de altera prædicari; & quod dicitur de vna, dici de altera: sed hoc est absonum: ergo. Probatur sequela, quia in hoc sanè stat vnitas formalis, vt fundare valeat prædicationem abstractam. Minor probatur, quia sequeretur, quod cuicumque inest essentia, inesset & quælibet relatio. Et sic, cùm Filio insit essentia, inesset & paternitas. Similiter, cùm Persona generet, generaret & essentia.

Respondet D.Bonau. *dist.*34. *quæst.*2. & ad argumenta, prædicari quidem per identitatem formalem, non tamen reduplicatiuè; quia in ente infinito relatio est id, quod est proprium; & essentia, quod est commune; & proprietas est modus essentiæ, dans intellectui rationem virtualem distinctam, ob quam intellectus vnum de hoc asserit, quod non de altero: nam Deus, vt persona, dicit aliquid virtute distinctum ab essentia: ob id intellectus habet fundamentum negandi aliquid de vno, quod de altero affirmat; quia præter id, in quo formaliter conueniunt, vt sunt *in*, persona egreditur ad obiectum. Ex quo diuinæ consurgunt prædicationes 130
diuersæ, quæ non sunt prædicationes singulares in ente diuino. Ideò ait D. Augustinus apud Seraphicum in corpore: *Deus veriùs est, quàm cogitetur; & veriùs cogitatur, quàm dicitur.* Et *lib.*5. *de Trin. cap.*6. ait: *Relationes non prædicari de Deo secundùm substantiam, neque secundùm accidens.* Et Boëtius ait: *Trinitas non prædicatur substantialiter de Deo.* Itaque sicut res diuinæ superexcellunt creatas; ita & earum prædicationes. De hoc quæstionibus sequentibus exactiùs. Interim monet Morand. *num.*562. hæc diuina ad fidei statuta astruenda.

Ex dictis soluta iacent, quæ obiicit Vtinensis noster *tract.*7.*q.*2. *art.*1. *sect.*3. Quoad loca verò D. Bonauenturæ discutientur *quæst. sequenti.*

QVÆSTIO V.

An Diuina Essentia in suo conceptu includat Relationes.

D.Bonau. d.34. q.2.
D.Thom. q.39. art.3.

QVÆSTIO est, an in conceptu obiectiuo essen- 131
tiæ includatur conceptus obiectiuus relationum.

Prima opinio est affirmatiua. Ita Henricus *quol.*5. *quæst.*6. Aureolus *dist.*1. *q.*1. *art.*2. & *dist.*33. *q.*1.*art.*1. & 3. Ita etiam Capreol. 1. *d.*2.*q.*3. Arimin. *d.*2.*quæst.vnic.art.*1. D.Thom.*q.*27.*art.*2.*ad* 3. Valentia *d.*2. *q.*13. *p.*1. *ad* 4. inclinat Amicus *d.*11. *sect.*5. Fuliensis *lib.*2. *c.*2. Granado apud Morandum, *loco citando.* Canar. *loco citando*, & aliqui alij Expositores

torēs D.Thom. *loc. cit.* recentiores, qui tamen non videntur consequenter locuti; dum enim inter essentiam, & relationes distinctionem statuunt virtualem, vel rationis ratiocinatæ, non bene asserunt, alteram in conceptu alterius claudi; quia apud eos distingui ratione ratiocinata, est vnum non claudi in conceptu obiectiuo alterius. Ideò eos meritò redarguit Mastrius *disp.2. q.2.n.45.* Pro hac sententia allegatur S. Bonauentura *dist.28. q.3.* vbi ad argumenta docet, proprietatem personalem dicere totum esse personæ; vnde refert Forestus *fol.116.* Ergo secundùm D. Bonauent. dicit etiam essentiam. At non est ad rem: esto enim personalis proprietas dicat omne esse personæ completum, & proprium; non tamen dicit vnum conceptum, cùm non includat virtualitatem essentiæ distinctam, in via S.Bonau.vt dixi quæstione superiori.

ALTERVM locum allegat Forestus è *dist.33.q.3. ad vltimum*, vbi ait: *Essentia prædicatur essentialiter de persona.* Et subdit: *Quo quid clarius?* Sed est extra chorum. Non enim est quæstio, an essentia sit de intrinseco personæ essentialiter; sed an relatio sit de conceptu essentiæ. Videatur Auersa *q.28.sect.6.* Mor.*n.560.* Alia loca D.Bonau. quæ videntur huic fauere sententiæ, infrà examinabo.

132 Secunda sententia est negatiua; nempe, diuinam essentiam non includere in suo conceptu obiectiuo relationes. Hanc consequenter non modò qui cum Scoto, & Durando ponunt distinctionem inter eas formalem; sed etiam qui asserunt solam virtualem, quos recensui quæstione superiori, tenentur sectari. Eam verò profitentur Alensis 1. *part. q.56.m.7. art.1. ad octauum*, & *q.68. m.5. art.5.* Richardus 1. *d.34. art.1. q.1. & 2.* Marsil. *q.37. art.3. concl.5.* Ægid. *d.34. art.2.* Argent. *d.33. quæst. vnic. art.3.* Allegatur etiam Cauariensis *ad quæst. 28. D. Thom.art.2.d.2.dub.vlt.* & *disp.3.p.2.* & *ad quæst.39. art.6.* Eam verò sustinent Suarez *lib.4.de Trin.cap.5. & 6.* Bellarm.*lib.2.de Christo,cap.9.* Antonius Ayossa *tract.de Sanctissima Trin.q.28.disp.7. art.2.* Vasquez *disp.121.* & hic adducunt D. Thomam *q.33. art.3. ad 1.* Idem sentiunt Torres *d.3. p.2.* Molina *ad q.39. art.1.disp.5.* Caspensis *disp.2.sect.3.* Tannerus *disp.4. p.3.dub.3.* Arriag. *disp.48.sect.3.* Auersa *q.28 sect.6.* Morandus *tract.6. q.9.* adducens, præter allegatos, Alarconium, Præpositum, & alios, qui magis ad suam sententiam consentaneè sunt locuti, cum Ferrariensi 2. *cont.Gent.cap.9.* & D.Thom.*q.33.art.3. ad primum*, præclarè asserentibus.

133 Quoad Seraphicum, præclarè stat pro hac sententia; nam *dist.5. q.1.* eam astruit, & probat, vt dicetur *in argumentis*: & *ad primum* soluit aduersariorum fundamentum, sumptum ex identitate formali relationis cum essentia: vnde inferunt mutuam inclusionem essentialem; quæ illatio necessaria non est, vt ex creaturis colligitur (ait Suarez.) Humanitas enim, vt sic, non distinguitur in re ab hac humanitate; nec species ab indiuiduo, putà Petro; & nihilominus differentia indiuidualis non est de essentia humanitatis, seu speciei. Quo exemplo vtuntur (ait) Patres, maximè Græci, ad hoc mysterium explicandum. Dicunt enim, illud non esse essentiale: comparant autem proprietates relatiuas differentiis indiuiduantibus. Sed hæc doctrina Suarezij non probatur.

134 Idem habet D. Bonau. *d.7. q.3.* confirmans id, quod dixerat *d.5.q.1.* Sic & *dist.26.q.1.* vbi ait, proprietates personales non transire in essentiam. Et *dist.33. q.2.* præcipuè *ad 5.* vbi ait: *Essentia non supponit proprietatem; nec proprietas essentiam.* Et argumento quarto, addita responsione, elicitur argumentum infrà citando loco referendum. Tandem valent loca relata *quæst. superiori, assert. vltima*, vbi D. Bonau. ponit relationem modum additum essentiæ. Idem docet *dist.34. quæst.2.* præcipuè *ad quintum*, vbi asserit, non esse eandem rationem de attributis, & essentia; ac de relationibus, & essentia: quia attributa comparantur ad essentiam, vt substantialis perfectio intensiua essentiæ: at relationes dicunt modos diuersos se habendi, esto in ea formaliter vnificatos, virtute tamen distinctos, vt aduertit etiam Suarez *lib.4. cap.6.* & *resp. ad 6.* supponens, relationem (vt dixit) concipi vt modum aduenientem essentiæ; non omninò esse formalem hanc propositionem: *Essentia est paternitas*; quòd hanc indicat sententiam, imò & probat, vt ostendit Vasquez *cap.2.* Plura è S. Bonau. referam in assertione probanda. Quare frustrà laborat Forestus in eximendo Seraphico ab aliqua implicantia, cùm vbique constanter hanc affectat sententiam. Eum sequuntur Baudunius *q.28. art.2. d.1.* Coriolanus *q.32. art.2.* sed personatus Scotista.

ASSERO: Essentia diuina non includit in suo conceptu obiectiuo relationes.

PROBATVR primò à D. Bonau. locis adductis *quæst. superiori*, ex D.August.*7.de Trin.cap.1.2.* 135 *& 4.* vbi ait, aliud esse in Patre esse Patrem, aliud esse Deum. Adde aliis locis, scilicet *5. de Trin. cap.8. & sequenti, lib.6. cap.6. & 7. lib.11. cap.10. lib.15. cap.5. & 6.* dicere D. Augustinum, in Deo non esse aliud esse, quàm sapientem esse, vel magnum esse; cùm tamen hæc sint ratione distincta. Itaque hæc est apud D. Augustinum inter hæc diuersitas, quòd attributa in essentiæ conceptu includuntur, non sic relationes in conceptu essentiæ. Idem sentit Boëtius *lib. de Trin.* vbi hanc D.Augustini propositionem habet.

PROBATVR secundò ex D. Bonau. *locis hîc allegatis*, præcipuè *dist.34.q.2.* vbi cum D. August. *5.de Trin.c.6. & seq.* docet, relationes non prædicari de Deo, secundùm substantiam, neque etiam secundùm accidens; sed vt ad aliquid. Sumit autem secundùm substantiam, ac secundùm essentiam, seu essentialiter, non prout opponitur accidentali; nam subdit, neque dici secundùm accidens. Idem ait Boëtius.

PROBATVR tertiò a D.Bonau. *locis adductis*, vbi 136 iuxta phrasim Conciliorum, & Patrum loquitur: quoties enim distinguunt in Deo communia à propriis, communia vocant essentialia; propria verò non ita, sed personalia: & eodem modo distinguunt absoluta à relatiuis. At verò, si relationes essent de conceptu deitatis, essent æquè essentialia, atque absoluta. His nititur Tannerus.

PROBATVR quartò à D.Bonau. præcipuè *dist.5. q.1.* Si relatio est de essentiali conceptu essentiæ, sequitur, quòd sicut essentia fuit Filio communicata à Patre, fuerit communicata etiam paternitas; & quod essentia ipsa generet, sicut generat paternitas. Sed hoc est falsum, vt definiunt Concilia Lateran. *cap. Firmiter*, & *cap. Damnamus*: & Florentinum, & alia, quæ definiunt, Patrem communicasse Filio totam essentiam, non verò paternitatem: ergo. Eodem argumento vtitur Suarez *n.4.* Vasquez *cap.4.* Tannerus *n. 7.* Baudunius, & alii.

PROBATVR etiam multis argumentis, è qui- 137 bus illud existimat Suarez *n.5.* euidens, ac necessarium, quod affertur à D. Bonau. *dist.19. p.2.q.1.ad 5.* Quicquid est de essentia Dei, est de essentia singularum personarum. Sed tres relationes non sunt de essentia

essentia singularum personarum : ergo nec sunt de essentia Dei. Consequentia legitima est in Camestres. Minor constat ; quia nulla persona est Trinitas. Maior patet ; quia singulæ personæ sunt verus Deus. Ergo quicquid essentialiter conuenit Deo, conuenit singulis personis. Hanc rationem habet S. Bonau. *locis allegatis*, præcipuè *dist*.34.*q*.2. quam adhibent & Vasquez, & alij, fuitque ratio Boëtij supra, ex qua colligit, nihil eorum, quæ ita dicuntur de personis, vt de omnibus dici non possint, dici substantialiter de Deo. Intelligit verò substantialiter, vt dixi suprà, essentialiter. Hac nituntur ex nostris Baudunius, & Caspensis.

138 Ita etiam respondent omnes Patres Arrianis, qui contrario argumento nitebantur probare, substantiam Patris esse diuersam à substantia Filij, quia Pater est ingenitus. Vnde argumentabantur. Vel ingenitum dicitur substantialiter de Patre ; vel non. Si non : ergo accidentaliter, quod dici non potest. Si verò dicitur substantialiter : ergo alia est substantia Patris ; alia substantia Filij. Patres autem sentientes, hanc vltimam illationem esse bonam, respondent negando, dici substantialiter : atque etiam negant, dici accidentaliter, sed relatiuè : ergo prædicata propria Personarum non sunt essentialia, vt rectè intulit D. Bonau. *supra*, & *dist*.5. *q*.1. & *dist*.34.*q*.2.

139 SECVNDA ratio validissima habetur in D. Bonau. *dist*.26.*quæst*.1.*in corpore*, ex Boëtio. Diuina essentia tota est vna, & adeò simplex, vt in ratione essentiæ nullam distinctionem admittat. Quod manifestè colligitur ex vnitate perfecta personarum in essentia ; idque supponunt omnia Concilia, vbicumque hanc vnitatem explicant. Relationes autem, seu proprietates intrinsecè postulant distinctionem : ergo impossibile est, vt relationes, quatenus diuinæ ipsæ Relationes sunt, constituant essentiam, quatenus essentia est. Ergo non sunt de essentia diuinitatis ; nam si de illius essent essentia, suo modo complerent illam in ratione essentiæ, seu talis

140 naturæ. Ad hanc rationem reducuntur aliæ, quæ afferri possunt, v.g. quod essentia tota est communis. Ergo tota est absoluta. Ergo non includit essentialiter relationes. Item, quod Pater communicat Filio per generationem totam substantiam, & essentiam suam, vt definiunt *in cap. Damnamus*; & non communicat paternitatem : ergo paternitas non intrat rationem essentiæ. Rursus è conuerso. Pater priùs origine, quam generet Filium, est completè essentialiter Deus. Ergo per generationem Filij non producitur aliquid, quod sit essentiale Deo ; producitur autem persona Filij, & nostro modo concipiendi comproducitur eius relatio: ergo illa non est essentialis Deo.

Arriaga retorquet hoc principale argumentum contra Suarez, & Ruitz, huius iactatos authores. Dicunt enim, quòd relatio includit essentiam. Sequitur ergo, quòd in relationibus, vt oppositis, sit identitas. Sic enim etiam infert identitatem essentiæ, & relationum, vt sunt oppositæ, contra authores primæ sententiæ : quia dicunt, essentiam includere relationes.

141 QVAMVIS autem hæc illatio nos non vrgeat, vt dicam quæstione sequenti, vbi negabo inclusionem essentiæ in relatione ; tamen dico, neque rectè coarguere illos Authores, vt colligo ex D. Bonau. *d*.33.*q*.1. *ad* 2. & *dist*.34.*q*.1. nam relatio includit essentiam, secundùm eos, vt in ea sunt omnes tres, secundùm merum respectum, quem habent ad subiectum, seu esse *in* : at si è contra essentia clauderet relationes, deberet eas absorbere, secundùm omnem, & totam rationem earum ; atque adeò vnire in vnum, etiam esse *ad*, secundùm quod non comparantur, nisi ad obiectum. Quare in eo casu sequeretur abolitio Trinitatis ; non autem in casu, quo essentiam claudat relatio : quia ita relatio includit essentiam, vt *in*, vt egrediatur ad obiectum.

Respondent alij, quòd licèt omnes relationes 142 sint de essentia deitatis, nihilominùs vnaquæque persona est Deus ; quia ad hoc sufficit, vt in se habeat illam naturam, quæ identificat sibi omnes has relationes. Et hac ratione Forestus ad concordiam reuocare conatur dissidentes sententias, vt essentia includat relationes formaliter : omnes quidem adæquatè ; singulas verò inadæquatè sibi respondentes : omnes verò, & singulas virtute distinctas.

VERVMTAMEN Suarez instat *n*.8. hanc responsionem vel confundere identitatem realem cum inclusione essentiali, aut manifestam inuoluere repugnantiam. Quia si relationes secundùm rationes proprias pertinent ad essentialem constitutionem deitatis, non potest intelligi diuinitas integra, & completa esse in aliquo, ita vt identificetur cum illo, nisi etiam relationes omnes eodem modo cum illo sint identificatæ. Quod patet in quocumque attributo diuino, v. g. omnipotentia ; nam, quia illud est de constitutione essentiali diuinitatis, fieri non potest, vt aliqua persona habeat diuinitatem sibi identificatam, quin eodem modo habeat omnipotentiam, alioqui non haberet totam essentiam diuinitatis. Ita euenit in relationibus ; si enim sint de conceptu essentiæ, profectò non erit Deus illa persona, quæ omnes relationes non habeat. Ita acutè Molina *q*.28. *art*.2. *d*.6.*ad* 2. Murand. *num*.52.

Quare sequeretur, relationes esse communes, vt 143 vrget Vasquez *num*.14. post D. Bonau. *d*.26.*q*.1. & *d*.34.*q*.2. hoc argumento. Deitas est relatio : Deitas est communis : ergo relatio est communis. Nec obstat, quod medium sit terminus communis : quia in vtraque propositione est vniuersaliter suo modo ; si enim de conceptu essentiæ est relatio, illa debet conuenire deitati in tota sua communitate : & ita forma syllogistica bona erit.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *d*.33. *q*.2.*in resolutione*, & *d*.34. *q*.2. *ad* 5. 6. & 7. argumento, quo 144 vtitur Vasquez *num*.15. Ens ad se, & ens ad aliud : ens communicabile, & ens incommunicabile nequeunt se inuicem in propriis conceptibus includere ; sunt enim entia contradictoria : at Deitas est ad se, & non ad aliud, ex D. August. 7. *de Trin*.*c*.2. Concilio Toletano 11. *in confessione fidei* : at relatio est ens ad aliud, vt omnes confitentur Catholici. Similiter essentia est communicabilis ; relatio incommunicabilis, vt habent Concilia Later. & Florent. *supra* : ergo essentia non claudit in suo conceptu relationes, nec è contra.

Quamvis autem vtamur argumentis, quibus abutitur Scotus ad distinctionem formalem inuehendam ; non tamen cogimur ad solam exclusionem conceptuum obiectiuorum, argumenta eiaculata contra distinctionem formalem delere, vt putat Mastrius *disp*.2.*q*.2.*n*.46 & ideò inutili labore insudat Auersa *q*.28. *sect*. . nam ad exclusionem conceptuum satis fit distinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ, vt sæpe refert S. Bonau. *locis allegatis*, & *quæstione præcedenti*, & agnouerunt Thomistæ amici, & cæteri nostræ sententiæ.

Quare

145 Quare frustrà Thomistæ aduersarij, præcipuè Nazar. *concl.7.* & 8. ex vnitate formali relationum cum essentia, inferunt alteram esse de conceptione alterius, vt acutè obseruat Molina.

Instat Nazarius. Deitatis vltima perfectio, quæ conuenit per se primò illi, est subsistere. Ergo subsistentia, & proprietas est de ratione eius intrinseca. Antec. est D.Thom. *q.28. art.3.* & probatur; alioqui essentia non esset per se perfectissima, sed egeret alio extra essentiam ad supremum sui complementum; sicut natura humana eget personalitate realiter distinctâ, vt sit actu subsistens, & absolutè perfecta. Est argumentum D. Bonauenturæ *dist.34. quæst.1.*

146 Verùm satis est ad intentum, si sint vnum formaliter, vt externis non perficiatur essentia. Et quidem Scotistæ insistunt, satis esse realem identitatem, quæ neque reperitur inter naturam humanam, & eius subsistentiam: nam hæc est separabilis ab illa, vt constat in humanitate Christi: conceptus autem diuersos obiectiuos in essentia præcisè, & relationibus asserit D.Thom. *de potentia q.8. art.2.* & *1.p.q.33. art.3. ad 1.* atque Caietanus *q.36. art.6.* Zumellus *d.3. q.4.* ac Nazar. *concl. vltima*, vbi asserit: Relationes diuinæ præcisè sumptæ non sunt de intrinseca ratione essentiæ ita etiam sumptæ.

VRGENT verò frequenter Scotistæ. Sumo conceptum essentiæ nudæ; vel est infinitæ simpliciter perfectionis essentia, vt sic; vel non. Si primum: ergo habet quidquid est perfectionis in ente; & ita personalitates additæ non addunt aliquam perfectionem. Si secundum: ergo essentia est formaliter imperfecta.

147 Respondetur ex dictis *quæst. præcedenti*, essentiam in suo conceptu non dicere, nisi perfectionem infinitam simpliciter deitatis; perfici autem subsistentiis. Ex quo non tamen sequitur, esse in se imperfectam, quia relationes ab essentia prodeunt, vt vnum formaliter simplicissimum cum ea. Scotistæ verò, qui distinctionem formalem admittunt inter essentiam, & perfectiones, quæcumque sint, coguntur succumbere, vt dixi *quæst. præcedenti*.

AFFERVNT aduersarij multos Patres, præcipuè Nazianzenum *orat.45.* vbi ait, *Diuinam essentiam ex tribus Personis esse constitutam*; & *orat.19.* vbi ait: *Vnum in tribus diuinitas est; & tria vnum. Ea, inquam, in quibus diuinitas est, vel vt magis propriè dicam, quæ diuinitas est.*

Cyrillum *dial. de Trin. lib.2.* vbi ait: *Diuinam, si quis agnominaret naturam, integram nobis, quasi vno significato, ostenderet Sanctissimam Trinitatem; quia vna deitate intelligitur.* Similia habet *lib.13. cap.1.* dicens: *Spiritus sanctus in ipso Deo essentialiter est, & inseparabiliter ex Deo prodit.* Hilarium lib.4. de Trin. *Pater, Filius, & Spiritus sanctus solis differunt nominibus* (profectò ab essentia; nam inter se realiter differunt.)

Damascenum primo de fide, cap.11. *In creaturis est differentia re, & conuenientia ratione: sed in diuinis è-contrario.*

148 Respondet Suarez *c.5. n.1.* cùm D.Bonau. *dist.26. q.1.* & *dist.34. q.2.* Patres solùm velle identitatem summam à parte rei, nempe formalem; tamen, quòd sint diuersi conceptus obiectiui ratione virtualitatis distinctæ, non negant.

Quoad D. Hilarium respondet, sensum esse, Patrem, Filium, Spiritumque sanctum differre solis conceptibus personalium nominum expressis, idest realiter personaliter, excludendo distinctionem in natura.

OBIICIVNT verò omnes ferè Authores primæ sententiæ. Ea, quæ prædicantur per se formaliter, sunt idem formaliter; & vnum est de conceptu alterius: at relatio prædicatur formaliter de essentia diuina; atque è contra, essentia de hypostasibus, vt ait Damascenus *lib.1. de fide, cap.4.* apud D. Bonau. *dist. 34. q.2. fundamento primo*: ergo. Hoc argumentum eruitur è D. Bonau. *d.7. q.3. fund.2.* Maior est certa; nam ab eo, quod est, vel non est, prædicatio est vera, vel falsa, ex Aristotele relato *quæst. superiori, ad 3.* Minor probatur à D. Bonau. *dist.34. quæst.2.* nam hæ: *Deitas est Pater, Deitas est Filius*, &c. veræ sunt. Et, *Deus est Pater*, est propositio per se. Tandem paternitas est de essentia Patris: ergo de essentia Dei, quia Pater non habet aliam essentiam, quàm Dei.

RESPONDET D.Bonau. *dist.5. q.1.* ad quam remittit; relationem prædicari de essentia per identitatem, non ex vi formalis prædicationis, quia Deitas non supponit pro persona; sed propter summam identitatem verificatur. Benè tamen hæc: *Deus est Pater*; est formalis, quia Deus potest supponere pro persona, quia significat deitatem, vt in habente. Itaque, quia Pater habet deitatem formaliter, ex vi enunciationis potest prædicari de Deo. Vnde nec dicitur: *Deitas est genitor.* Benè tamen: *Deus est genitor.* Propter summam verò identitatem vera est hæc: *Essentia est paternitas*; vt notat S. Doct. ad 2. *Essentia est Pater.* Hæc autem, vel similis prædicatio in creatis non est, quæ non sunt tantæ simplicitatis. Ideò vera est tantùm in prædicatione identica, cùm idem prædicatur de se, vt: *Humanitas est humanitas.* Sic Vasq. *q.39. art.6.* Alarc. *d.2. sect.11. c.2.* Morand. *n.559.* 149

Obiiciunt adhuc. Quæcumque duo sic se habent, quod quicquid est in vno, est alterum per essentiam, vnum nihil addit super alterum. Sed quicquid est in persona, est Deitas: ergo persona nil addit supra naturam; & consequenter est vnus conceptus obiectiuus. Est argumentum Bañes *q.28. art.2.* D. Bonau. *dist.34. q.1. fundamento 3.* 150

Respondetur ex D.Bonau. *dist.33. q.2.* ad quam remittit, proprietatem esse essentiam realiter formaliter; ita tamen, vt proprietas dicat etiam modum respiciendi obiectum; atque adeò possit fundare diuersos conceptus ab absolutis essentiæ. Idem docet S.Doct. *dist.34. q.2. fundamento vltimo.*

Obiiciunt vltimò. Prædicationes, in quibus essentia prædicatur de personis, non sunt per accidens, vt *Deitas est Pater*; nullum enim accidens est in Deo. Ergo prædicatum est de essentia subiecti. Tandem, quia paternitas est de essentia Patris: ergo est de essentia deitatis. Quia Pater non habet aliam essentiam, nisi deitatem: ergo hæc erit formalis: *Pater est Deitas*: *Trinitas est essentia vna*; cùm sit vnius essentiæ, vt ait D.Bonau. *d.34. dub.5.* 151

Respondet Suarez, & Arriaga ex D.Bonau. *d.5. q.1.* & aliis locis suprà, has propositiones non esse accidentales (absit;) neque tamen esse formales, sed identicas, ob summam identitatem formalem in esse *in*. Attamen quia alium modum virtute distinctum habet, quo respicit obiectum, & potest fundare alios conceptus formales distinctos; ideò, &c. Reliqua soluam quæstione sequenti. Ex his compositionem virtualem concedunt Præp. *q.4. art.3. d.4.* Alarc. *c.5.* Arriag. *subsect.4.* Morand. *q.9.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An Relationes è contra includant in suo conceptu Essentiam.

151 QVAMVIS asserentes in superiori quæstione, quod essentia includit in suo conceptu relationes, teneri videantur asserere etiam, quod relationes claudant essentiam; & negantes primum, negare etiam secundum, vt ait Forestus *fol.*120. tamen aliqui ex his, qui negant, quod essentia claudat relationes; asserunt hîc, quòd relationes in suo conceptu claudunt essentiam. Ita Suarez *lib.*4. *de Trin.cap.*7. Torres 1.*p.q.*28.*art.*2.*disp.*3.& D.Thom. *q.*33.*art.*3. *ad* 1. dum ait, communia esse de conceptu propriorum. Bellarm.*loc.cit.*

153 SECVNDA sententia est, negantium ex vtraque parte, essentiam includi in relationibus, aut relationes in essentia. Ita Vasquez *disp.*121. Arriaga *disp.*48.*sect.*3.*subsect.*2. Ruitz *disp.*18.Granado, & apud eos etiam alij. Sic & Caspens. & Baudun. ac Morand. *loc.cit.q.*5.

Nazarius *quæst.*28.*art.*2.*contron.*1. censet, relationes, & essentiam, secundùm se, prout sunt à parte rei, se mutuò includere, & ita videri à Deo, & Beatis; at verò sumptas, prout à nobis diuersis conceptibus apprehenduntur, præcisè, & seorsim, ait nec essentiam esse de conceptu relationis, nec relationem esse de conceptu essentiæ. Addit, multos falli, qui existimantes se loqui de diuina essentia, vt in se est, de ea differunt, vt diuersis nostris conceptibus dissecatur.

Itaque videtur solâ ratione ratiocinante eas distinguere, non virtualiter, cum Caietano; contra ea, quæ dixerat præcedentibus conclusionibus. Ad hanc videtur etiam pro superiori quæstione inclinare Tannerus *disp.*4.*q.*3.*dub.*3.

QVOAD D.Bonauenturam, allegatur à Foresto, & aliis pro sententia prima *d.*33. *q.*2. & *d.*34. *q.*1. maximè *fundamento* 3.sed ibi solùm asserit vnitatem formalem simplicissimam. Idem habet *ad primum, & secundum, ac sextum.* Allegatur etiam *d.*28. *q.*3. *ad argumenta*, vbi solùm vult, proprietatem personalem dicere totum distinctum personæ; sed hoc non est ad rem. Et *dist.*13.*q.*3. *ad vltimum*, vbi ait, non tantùm differre essentiam à persona, quantùm differt persona à persona; vnde prædicatur essentialiter de persona, nec facit numerum. Sed hæc non est quæstio nostra; sed, an essentia prædicetur de relationibus, seu proprietatibus præcisè; non de persona, vt aduertit Suarez.

Cùm negauit Seraphicus *quæst. præcedenti* allegatus, essentiam claudere in suo conceptu relationes, consequenter idem tenet vice versa, iuxta regulam Foresti. Id verò luculenter ostendam in argumentis, & responsis ad opposita.

154 ASSERO. Relationes diuinæ in suo conceptu non includunt essentiam.

PROBATVR primò à Vasquez, argumento eruto è D.Bonau. *d.*26. *q.*3. *ad* 4. nam essentia diuina non potest comparari cùm relationibus eo modo, quo ratio entis cum ratione particulari entium: nam ratio entis non est vna communis omnibus entibus particularibus; sic enim esset vniuersalis,& vniuoca; sed sola vox est communis, proximè significans decem rationes particulares prædicamentorum; substantiam quidem simpliciter, alias verò cum additamento; quia non sunt simpliciter entia, sed entis entia, vt docet Aristoteles 7. *Metaph.cap.*1. & *lib.*9.*cap.*1. & ita 4.*Metaph.cap.*2. docet, ens eodem modo dici de omnibus, sicut sanum de omnibus sanis: numerat autem inter sana medicinam, & vrinam; inter entia autem numerat etiam priuationem. Quis autem dicat, esse vnam rationem communem ad omnia sana, & ad ens, & priuationem? Quare ens substantia nihil magis expresse significat, quàm substantia: si verò ratio entis esset communis abstracta à multis, manerent sine dubio rationes particulares entium, in quibus ratio entis non includeretur, sicut manent in animalibus rationes particulares, abstracta ratione communi animalis. Quare, cùm nulla sit ratio communis entis, quæ non maneat in modis intrinsecis inferiorum; sequitur, nomina analoga non significare vnum conceptum communem, sed proximè ipsa analogata, vt optimè docet Caiet. 3.*tom. opusc. tract.*5. At essentia diuina non potest conferri cum relationibus, sicut ratio analogicè significata cum particularibus; quia verè est vna, tota in multis; non quidem communi ratione, & conceptu, sicut est animal, sed re ipsa: impossibile est autem concipere essentiam communem tribus, quin in singulis particularem rationem concipiamus, quæ in suo conceptu non includat essentiam: sicut non possumus rationem generis cogitare communem, quin etiam intelligamus rationes particulares specificas, quibus communis fit, in quarum conceptu non includatur, quales sunt differentiæ. Ergo essentia non se habet ad relationes, sicut ens ad entia particularia. Hæc Vasquez.

Ego igitur ad mentem D.Bonau. vrgeo argumentum, è regione Zumelli. Quod potest abstrahi à ratione deitatis, seu entis Dei, non est essentialiter diuina essentia: at relationes possunt præscindi à conceptu deitatis: ergo. Maior est Zumelli. Minor probatur, nam relatio dicit esse proprium; essentia dicit esse commune: at esse proprium potest & re ipsa abstrahi à communi realiter in creaturis: ergo in diuinis eodem modo. Quod sanè possibile est enti simplicissimo, in quo ens commune, & proprium sunt plura virtute, & potest fieri abstractio conceptuum obiectiuorum. 155

E contrà verò ens non potest habere conceptum præcisum à singularibus: nam sic, abstracto ente, nihil manet. Abstrahe à Petro esse ens, & nil manebit Petri; at abstractis relationibus à deitate, & persona, manet intellectus huius nominis *res*, secundùm quod est ens in persona, & esse absolutum diuinum.

PROBATVR secundò à Vasquez ratione D. Bonau.*dist.*34.*quæst.*1. *in corpore.* Id, quod concipitur cum fundamento aduenire alteri, non includit illud. Sed relatio cum fundamento in re concipitur aduenire essentiæ diuinæ: ergo. Maior est certa; quod enim aduenit, seu superuenit alteri, non indiuisè habet eam rem, cui superuenit. Minor probatur à D. Bonau. nam in creatis personalitas est vltima perfectio naturæ, ac separabilis. Etiam definitur à Boëtio: *Rationalis naturæ indiuidua substantia.* Ex quo patet, addere rationali naturæ: in diuinis verò plurificat personas, naturâ remanente vnicâ; quod non esset intelligibile, si non conciperetur cum fundamento alicuius virtutis additæ, distinctæ virtualiter. Deinde de nullo eodem, & secundùm idem omninò est affirmatio, & negatio, ex Aristot. 4. *Metaph. & primo Periherm.* sed de persona affirmatur, manere incommunicabilem oppositam alteri, 156 157

alteri, vt ab ea distinctam, communicatâ, & communi manente essentiâ: ergo debet dari aliquis conceptus fundatus distinctus personæ à natura. Idem argumentum habet S.Doct. *dist.33. q.2.in resolutione*.

158 Probatvr tertiò à Vasquez, ratione S.Bonau. *loc. cit. in corpore*, explicando quintum fundamentum. Relatio ita concipitur aduenire essentiæ, vt veluti vltima perfectio determinet eam: hoc autem concipitur cum fundamento, vt quod commune est, sit Patris, & ipse Pater, qui realiter distinguitur ab aliis habentibus illam; qui & determinantur ad esse tales, per rationem determinantem in se naturam communem. Iam verò id, quod determinatur, non continetur in conceptu determinantis; vt inductione constat in rebus creatis.

Respondet Suarez *cap.* 8. arguere tantùm distinctionem nostri conceptus.

Contrà. Quia si hic esset merus conceptus noster, non esset intelligibile plurificari personas, non plurificata essentia, vt arguit S.Doct. *d.34.q.1.in corpore*.

Probatvr quartò à Vasquez, ratione D. Bonau. *loc. cit.* & fundamentis. Si relatio formaliter includit essentiam, sequitur personam non constitui relatione, sed hoc est falsum: ergo.

159 Probatvr quintò à Tannero. Si relatio includit essentiam: ergo Verbum Diuinum terminat naturam humanam, non minùs per proprietatem, quàm per essentiam.

Probatvr hoc syllogismo. Verbum Diuinum terminat naturam humanam. Verbum formaliter est essentia: ergo essentia terminat. Hæc probatio est D.Bonau. *dist.5.q.1. ad argumenta*.

Obiicies primò ex D.Bonau. *d.33.q.1.& 2.& d.34. q.1.* Proprietates personales sunt Deus, vt definit Concil. Rhemense, quod esset falsum, si proprietates essentiam non clauderent.

Respondetvr, ibi solùm definiri, esse idem perfectissima identitate, à parte rei, propter quam illæ propositiones sunt veræ.

Obiicies secundò. Diuinitas est de essentia Patris. Ergo & de essentia paternitatis. Probatur consequentia; quia ita comparantur abstractum, & concretum in diuinis, vt nihil essentialiter includat vnum, quod non includat alterum præsertim quando est sermo de concreto immediato, & adæquato ipsi abstracto. Probatur: quia concretum in Deo nihil aliud est, quàm ipsa forma subsistens, propter summam Dei actualitatem, atque simplicitatem. Sic ergo in præsenti. Pater est ipsa paternitas: ergo paternitas subsistens includit quicquid includit Pater. Est autem subsistens ex propria ratione relatiua: ergo relatio illa in sua ratione claudit essentiam. Hæc Suarez, quibus contradicit dictis à se initio, non esse eandem quæstionem de concretis, & abstractis. Hanc tamen prædicationem esse essentialem mutuam, videtur asserere S.Bonau. *d.33. q.3. ad argumenta*.

160 Confirmatur, si Persona non includeret essentiam; sequeretur, eam habere esse non à se, sed per participationem, vt videtur asserere inferri D.Bonau. *d.34.q.1.fundamento 3.*

Respondet Arriaga cùm D. Bonau. *loc. cit.* & adducto à Foresto initio recitato, æquiuocè aduersarium arguere, sumendo paternitatem, vt dicit rationem Personæ, quæ claudit & essentiam, pro paternitate, vt dicit meram proprietatem paternitatis, quo sensu sumi debet hic. Hæc est enim verè paternitas formaliter. Vnde Concilia, & Patres aiunt, Patrem constitui essentia, & paternitate: quòd si paternitas diceret totum Patrem, non ritè diceretur Pater constitui etiam essentia. Secundò, si paternitas dicit totum Patris in abstracto. Ergo paternitas generat. Porrò mutuam prædicationem ex identitate summa admittit S. Doct. non aliter. Ex dictis etiam patet, Seraphicum loqui eo sensu dicto, nempè personam, non relationem meram, claudere essentiam, quod est diuersum, vt viderunt Doctores aliati, *n.131.*

Obiicies tertiò. Quælibet relatio diuina est Deus: 161 ergo essentialiter Deus: ergo includit in suo conceptu essentiali deitatem. Ant. patet, tum ex Concilio Rhem. Tum quia quicquid est in Deo, est ipse Deus essentialiter. Consequentia secunda probatur: nam impossibile est, aliquid esse essentialiter tale, nisi in suo conceptu essentiali includat tale prædicatum, seu formam, à qua illud desumitur. Confirmatur à Canariensi. Si relatio non est essentialiter Deitas. Ergo non est essentia increata. Ergo non est ens, per se, & à se: Ergo est creatura.

Respondetur: Relationem esse formaliter Deum identitate formali; tamen deitas, & relatio virtualiter distinguuntur; vt licet sint Deus, non tamen vnum in altero claudatur. Neque responsio Vasquez, & Arriagæ probatur Relationem concipi abstractè, non vt Deum, aut creaturam.

Instant ex Concilio Rhem. Prædicatio abstracta essentiæ de relationibus est vera, non esset autem vera, nisi relatio clauderet in se essentiam.

Respondet Arriaga, è D.Bonau. *dist.34.q.2.in corpore*, particulam *est*, solum identitatem significare apud Concilium.

Obiicies quartò. Omne inferius claudit in suo 162 conceptu superius; vt v.g. homo claudit animal: & animal claudit viuens, &c. sed Diuina essentia se habet ad relationes Diuinas, vt quid commune superiùs. Ergo includitur in conceptu earum. Videatur D. Bonau. *d.34.q.2.arg.6 & 7.*

Respondet Arriaga, cùm D.Bonau. *1.d.23.q.1. ad 2.& loc.cit.ad 6.& 7.* essentiam non se habere, vt superius; esset enim genus respectu relationum. Deinde respondet, esto esset genus; dico genus claudi in conceptu speciei, non tamen in conceptu differentiæ. Sic animal non est de conceptu rationalitatis, esto sit de conceptu hominis; sic nec essentia de conceptu paternitatis, quæ est velut differentia, esto sit de conceptu Patris.

Obiicies quintò, cùm Henrico. De ratione relationis est non solum esse *ad*, sed etiam esse *in*, in fundamento: sed fundamentum diuinæ relationis est essentia diuina: ergo.

Respondet Vasquez, eam rationem *in*, non esse aliquid absolutum, sed abstrahere, vel potiùs esse idem omninò cùm ratione *ad*, & ab ea solo nomine diuersam; quatenus à nobis concipitur inesse. Sed hoc ipso quòd intelligitur vt inhærens, est aliquid præter essentiam: nam ratio illa *in*, debet esse aliquid in essentia, non ipsa essentia.

Contrà. Si esset solo nomine distinctum, esse *ad*, 163 & esse *in* relationis; sequeretur, quòd tolleretur Trinitas, vt arguit S.Bonau. *loc.cit.ad vlt.* Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Relatio, vt est *ad*, & vt est *in*, solo nomine differunt, & vt sunt *in*, sunt idem cùm essentia: ergo & sunt idem inter se, vt sunt *ad*.

Respondetur, fundamentum, *in quo*, esse essentiam; sed relationem, quæ est *in*, esse virtute distinctam, vt dixi suprà, & consurgere *ad*. Porrò ita omnia solues. Persona includit essentiam; sed relatio eam non claudit.

QVÆSTIO VII.

An, & quomodo Relationes personales differant à suis Personis.

D. Bonau. d.33. q.2.
D.Thom.q.40. art.1.

QVÆSTIO est, an Relationes personales, quas proprietates vocant SS. Doctores, differant à Personis, v.g. Paternitas à Patre.

FVIT error Gilberti, relationes, vtporè affixas, distingui realiter à personis; vt refert Suarez *lib.5. cap.3.* post D.Bonauenturam hic.

SECVNDÒ Præpositus relatus à D.Bonau.dixit, proprietates quidem esse Personas; sed non in Personis: quia ponebat proprietates solùm, secundum modum loquendi, vt refert etiam D. Thomas hic, & Vasquez *disp.136.*

TERTIÒ Scotus, & Durandus, eo modo differre censent, quo essentia, & relationes.

QVARTÒ Canariensis *ad art.2. q.28. D. Thomæ disp.9. p.2. post tertiam conclusionem*, vult differre sola ratione ratiocinante.

164 QVINTA igitur sententia est SS.Doctorum, & omnium Thomistarum ad art. citatum, D.Thomæ atque Suarez *loc. cit.* Vasquez *d.121.cap.5.* relationes personales differre à Personis, ratione ratiocinata.

ASSERO primò; Relationes à Personis non differre actu, à parte rei. Ita Concilium Florent.*sess.19.* vbi definit. *Persona Patris non distinguitur à paternitate, aut à substantia, nisi ratione.*

PROBATVR primò à D.Bonau.hic. Omne simplicissimum est omne id, quod habet, excepto eo, ad quod relatiuè dicitur, ex D. August. 11. *de Ciuitate, cap.10.* at diuina Persona est simplicissima, aliter non esset Deus; & non dicitur relatiuè ad proprietatem: ergo.

165 SECVNDÒ. Omne perfectissimum est omne id, à quo perficitur, & denominatur; aliàs perficiens esset perfectius eo perfectissimo. Sed Persona diuina & perficitur, & denominatur à sua proprietate. Ergo est sua proprietas. Est ferè argumentum D. August. *6. de Trinit.c.6.* vbi ait, quòd Deus est maximus; ideò est sua magnitudo.

166 TERTIÒ. Omne simpliciter primum est, quicquid habet, excepto eo, quod est ex illo; nam, si habet aliquid, quod non sit ab ipso, vel non sit ipsum; illud erit æquè primum: ergo ipsum non erit simpliciter primum: sed Pater habet paternitatem, & paternitas non est ab ipso; & ipse est simpliciter primus: ergo Pater est paternitas.

167 PROBATVR quartò à D.Bonau. *in corpore, & ad tertium.* In persona non est, nisi relatio, quæ est proprietas, & essentia, ex Concilio Florent. *sess.19.* sed relatio, vt in essentia, transit in eam; nec habet aliam comparationem, quàm ad obiectum correlatiuum: ergo secundùm quod sunt in essentia, sunt vnum simpliciter, ne faciant compositionem: at secundùm quod est ad terminum, facit distinctionem. Sic arguit etiam Suarez *n.3.*

ASSERO secundò; relationem personalem à persona differre ratione ratiocinata.

168 PROBATVR à D. Bonau. *argumento primo.* Determinans, & determinatum reale differunt plusquam ratione ratiocinante; at diuina persona est verè determinata per proprietatem: ergo. In hoc decipitur Longus *q.40. art.1. lit. D.* deducens hinc distinctionem Scoticam.

PROBATVR secundò à S.Doct.*argum.2.* Vbi est abstractum, & concretum, & vbi est vnum, à parte rei, alteri contradictorium, quod de altero dici non potest, ibi est distinctio plusquam ratione ratiocinante. Sed sic se habet res in diuinis personis; nam ibi Pater, & paternitas reperiuntur; & aliquid dicitur de concreto, quod non dicitur de abstracto: nam dicitur, Pater generat; non autem paternitas generat: ergo. Hoc argumento vtitur Suarez *num.4.*

PROBATVR tertiò ex D.Bonau. Vbi est absolutum, & respectiuum; ibi sunt diuersa fundamenta rationis. Sed in Persona est substantia, & relatio: ergo. 169

Hæc argumenta S.Bonau. additis eius responsis, probant assertionem.

Suarez censet, eodem modo distingui deitatem à Deo, in quo præter naturam, admittit communem subsistentiam absolutam. Sed hoc refelletur à nobis *disp.6.q.5.*

QVÆSTIO VIII.

An Relatio spirationis actiua realiter differat à Paternitate, & Filiatione.

EXPLICITIS tribus relationibus constitutiuis Personarum, restat agendum de spiratione actiua communi Patri, & Filio.

SVPPONO autem, hanc relationem esse realem. 170
Quod probatur primò à D. Bonau. *in Breuiloquio, 1.p.c.3.& in 1.dist.13.q.1. in corpore*, & *dist.26. q.4. in corpore*, ratione, quam latè prosequitur D.Thom. *quæst.32. art.2. & 3.* & *q.28. art.4.* ex origine reali Spiritus sancti in eadem natura: quia inter principium, & id quod manat ab ipso, est relatio realis mutua, quando extrema in eodem ordine existunt, idest quando id, quod procedit, est eiusdem naturæ cum eo, à quo procedit. Sed Pater, & Filius sic comparantur ad Spiritum sanctum, qui ab eis realiter procedit in eadem natura: ergo referuntur ad ipsum respectu reali, qui respectus dicitur spiratio actiua. Minor est de fide. Maior verò è consensu Philosophorum, & inductione constat in omni reali productione, inter extrema eiusdem ordinis, extra Deum, & in productione altera diuina, quæ est Filij. Hac ratione vtitur Suarez *lib.5.c.4.*

Probatur secundò ex D. Bonau. *dist.26. quest.3.* 171
quia hæ relationes sunt formaliter origines actiuæ; sed orgines sunt reales: ergo, & relationes. Ita arguit & Suarez.

ADVERTE, aliquos Patres, loquentes de proprietatibus constitutiuis personarum, spirationem actiuam non numerare inter relationes; non quod arbitrentur, eam non esse realem: sed quia non est constitutiua personæ Patris, vel Filij.

Hinc leges alios non admittentes conuersionem 172
inter Patrem, & Spiritum sanctum; & inter Filium, & Spiritum sanctum: sed loquuntur de Patre præcisè, ratione paternitatis, qua respicit solum Filium: & de Filio, vt Filius est, quia sic solum Patrem respicit, ratione filiationis præcisè, abstracta fœcunditate spiratiua.

SVPPONO secundò, processionem passiuam distingui

stingui realiter à spiratione actiua, sunt enim relationes oppositæ, secundum realem originem, quæ est tota ratio distinctionis realis intra Deum existentis. Ita D.Bonau.*dist.*13.*citata*.

An verò relationes personales Patris, & Filij differant à propria spiratione actiua, & quomodo; nunc disputo.

Prima opinio est Durandi 1. *d.*13. *quæst.*2. ponentis distinctionem rei, & rei. Citatur etiam Bassolis *d.*13.*q.*1.

Secunda opinio est Scoti *quodl.*5. *quæst.*2. distingui formaliter, seu ex natura rei. Cum eo stant omnes discipuli, ac Gabriel 1.*d.*17.*q.*1.

Tertia sententia est, differre sola ratione ratiocinante. Ita Nominales plerique.

174 Quarta sententia est, differre ratione ratiocinata. Ita D.Thom.*q.*28.*art.*4.*&* *quæst.*32.*art.*2.*&* 3. & cum eo Caietanus, aliique interpretes. D. Bonau. 1.*dist.*13.*q.*3.& *dist.*26.*q.*1.& *dist.*33.*q.*3.Suarez *lib.*5. *de Trin.c.*5.Valentia *disp.*2.*q.*6.*p.*2.Vasquez *disp.*138. Arriaga *disp.*49. Caspensis *disp.*5. *sect.* 5. Amicus *disp.*19.*sect.*2. Tannerus *disp.*4.*q.*3.*dub.*2. Morandus *q.*10. adducens plurimos.

Assero primò, spirationem actiuam non differre realiter ab aliis relationibus Patris, vel Filij.

175 Probatvr primò à D. Bonau. *d.*33.*q.*3. *in corpore*. Paternitas, & spiratio actiua in Patre, vel differt, secundum respectum ad terminos, vel secundum quod simul sunt. Si secundum: ergo datur in Patre compositio plurium rerum, & ita quaternitas inuehitur, contra Concil.Later. *cap. Damnamus*: si verò distinguuntur istæ proprietates, vt referuntur ad terminos. Sic cùm sibi ipsis non opponantur, seu altera non sit terminus alterius; sed ambæ disparatim referantur, nequeunt sub hac ratione ad terminos comparari. Hac ratione vtuntur Suarez, Valentia, Vasquez, & alij, mutatis verbis.

Respondet Durandus *in cap. Damnamus*, reprobari solam quaternitatem relationum, & essentiæ; non autem quaternitatem relationum.

Contrà, quia ibi damnatur omnis realis quaternitas, simplicitati diuinæ perduellis; at quatuor relationes disparatæ in essentia facerent talem compositionem, vt bene arguit S.Bonau.

176 Probatvr secundò ex D.Bonau.*d.*11.*q.*1.Omnis distinctio realis in diuinis venit ex origine, & oppositione relatiua. Sed paternitas, & spiratio; similiter filiatio, & spiratio nullo modo ex origine opponuntur: ergo. Eodem argumento vtitur Valentia.

Probatvr tertiò à D.Bonau. *d.*13.*q.*3.*argum.*1. *ad opp. addita resp.* Pater generat, & spirat, referturque ad Filium, & Spiritum sanctum: ergo, vel quatenus vnus, vel quatenus plures. Si vt plures: ergo Pater est compositus, si vt vnus: ergo Pater, & Filius spirant, in quantum vnum, & non sunt duæ spirationes. Ergo etiam, quia Pater generat, & spirat in quantum vnus, non distinguitur spiratio actiua, & generatio.

177 Addit verò, Patrem generare, & spirare, vt vnum, alio, & alio modo se habendo, quod non repugnat vnitati personæ; ideò duplex est processio, idest Filij ex generatione, & Spiritus sancti ex spiratione; at verò vna est spiratio Patris, & Filij: ideò vna processio. His argumentis alij nituntur. Vide Caspensem.

Neqve te terreat D.Bonau. *d.*26.*q.*1.& *d.*33.*q.*1. vbi ait, has relationes esse realiter distinctas: nam eam vocat distinctionem realem, provt opponitur distinctioni, quam Præpositus asseruit solo modo loquendi, & cogitandi. Vult ergo differre ratione cum fundamento, ob varias habitudines ad terminos formaliter vnificatas, & virtute distinctas, vt patet legenti; alioqui (infert) Pater generando spiraret, & Filius esset Spiritus sanctus. Eodem sensu loquuntur alij, & benè, vt ostendunt Bañes, Nazarius ad hunc art D.Thom, Suarez, Vasquez, & alij.

Assero secundò, non differre formaliter, contra Scotum. 178

Probatvr eisdem auctoritatibus, & rationibus, quibus suprà ostendimus, solam distinctionem trium Personarum dari realem in diuinis. Est enim vulgatum illud Boëtij lib.de Trin. *Relationis oppositio sola multiplicat Trinitatem*, quod idem habet D.Anselm: *Omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*; quod latè probabo *disp.*10. *q.*4. ex argumento D. Bonau. quo fundamento ruunt etiam obiecta à Durando.

Obiicit primò Durandus. Ita comparatur paternitas ad spirationem, sicut filiatio ad processionem; ita enim comparatur spiratio ad processionem: sicut paternitas ad filiationem. Sed filiatio differt realiter à processione. Ergo.

Respondetur, negando maiorem; nam paternitas, 179 & spiratio vtraque se tenet ex parte principij: vnde non habent inter se habitudinem; neque aliunde repugnant: quia idem potest esse principium plurium: at filiatio, & processio ita se habent, vt vna ad principium; altera ad terminum productionis per voluntatem pertineat. Ideò habent inter se oppositionem.

Obiicit secundò. Non potest eadem relatio tendere ad duos terminos productos, multò minùs potest eadem relatio tendere ad duos terminos, alterum productum, alterum producentem. Sed Pater, & Fi- 180 lius ita referuntur ad plures terminos: ergo per plures relationes realiter distinctas; quæ sunt paternitas, & spiratio in vno; & filiatio, & spiratio in alio. Hoc elicitur è D.Bonau.*d.*26.*q.*1.*argum.*5.*&* *corpore*.

Respondet S.Bonau. *in corpore*, quatuor sanè relationes esse in diuinis, ratione terminorum; vnicam tamen rem simplicissimam distinctam virtute, complectentem multiplicatam relationem, non solo nostro discursu; nam & habitudo ad Filium, & ad Spiritum sanctum est à parte rei, seu realis; non tamen realiter distincta debet esse spiratio à paternitate, & filiatione. Ita respondent etiam Suarez, Vasq. & alij.

Dices: hæc relatio est ex origine; priùs autem origine est Spiritus sanctus à Patre, quàm à Filio.

Respondet D.Bonau.*d.*12.*q.*1. Spiritum sanctum 181 procedere à Patre, & Filio, vt mutuò amantibus se inuicem; & ideò origine esse ab vtroque simul, non enim Pater priùs spirat, quàm Filius. Communicatur quidem à Patre Filio, veluti radicaliter, quatenus datur ei virtus spirandi, quod non obstat, quin hæc relatio sit vna. Ita & Suarez *lib.*5.*c.*6.*n.*9.

Obiicit tertiò. Si paternitas, & spiratio sunt duæ relationes. Ergo sunt duæ res. Probatur sequela. Multiplicato inferiori, multiplicatur superius, sed relationes sunt quid inferius ad res, seu entia. Ergo, multiplicatis relationibus, ad numerum quaternarium, multiplicatæ sunt res.

Respondet D.Bonau. *d.*16.*q.*1. & *d.*33.*q.*3. pater- 182 nitatem, & spirationem esse duas relationes; quia enim relationes numerantur in ratione relatiua, in ordine ad terminos; ideò vbi plures termini, ibi plurimos intelligimus respectus, vel plures relationes; at verò si numerentur in ratione entium, siue rei etiam absolutæ, non sunt plures; sed vna entitas simplicissima. Ad id verò, quòd

quòd multiplicato inferiori, multiplicatur superius; respondetur, verum esse; cum multiplicatio fit circa idem; secùs autem, quando fit secundùm diuersa, quod in præsenti euenit; nam cùm paternitas, & spiratio (& idem dicendum de filiatione, & spiratione) dicuntur plures relationes, numerantur solùm ratione plurium terminorum: Cùm verò dicuntur plures res, numerantur in se intrinsecè, & hoc modo sunt identificatæ in ente simplicissimo, (etsi in inferioribus dispergantur;) attamen retinent suas virtualitates plurium relationum. Ita respondent etiam Suarez *lib.5. c.7.* Canar. *ad art.3.q.32.*D.Thom.3.*part. comment.* Vasquez *disp.*138. *cap.*2. qui addit, quòd quando dicimus quatuor relationes reales, non significamus, esse realiter distinctas; sed quamlibet esse ad realem terminum, & ideò esse relationes reales, etiamsi sola ratione distinctæ sint, quia habent terminum realem, licèt diuerso modo consideratum, non terminum distinctum realiter à termino alterius. Non igitur significamus realem distinctionem relationum; sed considerationem, quod rectè fieri potest, etiamsi ratione sola inter se distinguantur. Et ideò, non sequitur multiplicatis relationibus, multiplicari res. Vide Caspensem *disp.5. sect.5.*

183 Hoc tamen mihi non probatur; neque reddit rationem huius vnitatis, in quo reprehendit Canariensem; nam verè istæ quatuor relationes à Durando deducuntur distinctæ: quia terminos reales distinctos respiciunt; nam paternitas respicit Filium: & spiratio actiua Spiritum sanctum. Oportet ergo dicere, esse quatuor relationes, habentes terminos distinctos; tamen non sequitur, quòd sint plures res: quia pluralitas ista relationum absorbetur in diuina simplicitate, quæ plura, vt sunt *in* non admittit, ne compositio inducatur. Itaque sola illa seruatur in Deo distinctio, quæ est absque imperfectione, talis est relatiua; at absoluta in ente infinito, retinet quidem vtrasque suas perfectiones; sed tantùm virtute distinctas. Itavt multiplicato inferiori, idest relatione vt *ad*, non admittatur rerum multiplicatio vt *in*, tanquam superiorum. Addo etiam, non esse superiora, vel inferiora in diuinis, vnde falsum est etiam assumptum, vt applicatur. Ita colligitur etiam ex S. Bonau. *in corpore, & quinto fundamento loco citato.*

QVÆSTIO IX.

An Paternitas, & Spiratio inuicem prædicentur.

D.Bonau. dist.33.q.3.
D.Th. q.32.art.3.ad 3.

PRIMA opinio est Gregorij 1.*d.26.q.1.* Gabrielis *d.17.q.1.* vnicam esse relationem: ideò prædicatione identica prædicari.

SECVNDA opinio est Scoti *quodl.5. art.2.* non prædicari inuicem, quia ex natura rei differre asserit.

TERTIA sententia est, has relationes non prædicari inuicem, etiamsi virtualiter tantùm differant. Ita D.Bonau.*hic*, & D.Thom. Suarez *lib.5.cap.7.n.6.* Vasquez *disp.*138. *cap.*3. & communiter Theologi, apud Morandum *q.*10.

184 ASSERO cùm hac sententia.

PROBATVR à D.Bonau. primo. Quod prædicatur de altero non facit numerum cum illo; at paternitas, & spiratio sunt duæ notiones: ergo. Ita *fundamento secundo.*

PROBATVR secundò, *fundamento tertio.* Eo modo differt paternitas, & spiratio actiua, quo generatio, & spiratio: sed spiratio non est generatio, neque generare est spirare: ergo nec paternitas est spiratio. Minor probatur: nam si essent idem, sequeretur, Patrem generare Spiritum sanctum. Ita arguit etiam Suarez *n.*8.

PROBATVR tertiò à Seraphico *ad 3. & 4.* Relationes istæ debent accipi formaliter, vt sunt ad terminos. Sed termini sunt diuersi, nec vnus de alio prædicatur: ergo nec vna relatio prædicatur de alia, ne terminos ipsos confundamus: quia in conceptibus ipsarum relationum quodammodo hi includuntur; ac propterea in relationibus, quando inuicem prædicantur, debet seruari formalis sensus. Ita arguit, & Suarez *n.*9.

Obiicies: eodem modo, nempè ratione ratiocinata, differt paternitas, & spiratio in Patre, quo differunt attributa essentialia in essentia; at inter hæc est prædicatio in abstracto. Sapientia enim dicitur Deitas, Potentia, &c. vt habet D.August. 6. *de Trin.* Gregor. 18.*Moral. cap.*34.& Bernardus *lib.5. de consider.*

Respondet Scotus, non esse eandem rationem attributorum, & relationum, quia attributa habent infinitatem; ideóque eorum abstractione non tollitur identitas, quam habent in subiecto; at relationes non sunt infinitæ, & ideò licèt in concreto habeant identitatem in subiecto, tamen eam amittunt in abstractione. 185

Contrà, primò, quia & relationes sunt infinitæ, vt ostendam *quæst.*10.

Deinde quænam identitas in relationibus tollitur? si formalis. Contrà ex Scoto; nam & attributa in essentia differunt formaliter. Ergo est par ratio: si realis; ergo incidit in Porretani quaternitatem. Tertiò infinitas, ex Scoto, non variat naturam rerum.

Respondet S.Bonau.*in corpore, & ad tertium, & quartum*, diuersam esse rationem: quia prædicatio abstracta est ratione formæ, seu essentialis; ita vt vna forma sit alia. Talis reperitur inter attributa: sic dicitur; Iustitia est bonitas. Idem dicendum de essentia, & proprietate; at verò relationes, formaliter sumptæ, habent diuersos respectus: & quia, quando prædicatur proprietas de proprietate, indicatur conuenientia in ratione, & respectu: ideò non est simile. Ita etiam Suarez *n.*9. & ex parte Vasquez *n.*11.

Ex his habes, relationem spirationis actiuæ conuenire cum relationibus personalibus; quia est realis, & substantia, non accidens. Differre verò, quia illæ sunt propriæ: hæc autem est communis Patri, & Filio. Ratio est, quia cùm non habeat oppositionem, nisi processioni passiuæ spiratiuæ, ei soli repugnat, qui spiratur; & est communicabilis aliis duabus. 186

SECVNDÒ aliæ sunt subsistentes ex suis conceptibus; aliàs non constituerent personas: spiratio autem non constituit personam, sed aduenit constitutæ; ideò habet subsistentiam ex identitate cum aliis. Ita Suarez ex quo, is ait, euenire tertiam differentiam, vt cæteræ relationes non intelligantur, vt resultantes, sed primò conuenientes diuinæ naturæ, vel ex se absque productione, vt paternitas, vel per generationem, vt filiatio; at spiratio aduenit,

nit, quasi per consecutionem. Sed hoc, quoad paternitatem discutietur disp.8. quæst.1.

Qvarta consequens est, quia aliæ relationes non habent fundamentum, quo nitantur, quia per se subsistentes sunt; spiratio autem, quia personæ iam subsistenti aduenit, illam supponit, vt proximum fundamentum. Vide Suarez cap.8.

QVÆSTIO X.

An Relationes Diuinæ præcisè dicant perfectionem.

187 Postqvam egimus de quidditate relationum Diuinarum, agendum de qualitate, seu perfectione earum. Et quidem omnium calculis est asseueratum, relationes diuinas, vt sunt vnum cùm essentia, & vt includunt origines, esse perfectas: at controuersia est. An relationes præcisè, vt sunt *ad* dicant perfectionem.

Prima sententia est Scoti quodl.5.art.2. & in 1. dist.3.q.1.ad 4.& in 3.d.1. q.1.& 4. relationes originis, formaliter sumptas, nullam dicere perfectionem. Eum secuti sunt omnes eius discipuli. Bassolis 1.d.19.q.1.art.3.ad 4.Mairo d.20.q.1.in fine. & d.35. art.8.Smising.disp.3.de Deo Trino, q.1.a n.45. Brancasius tom.2.lib.2.disp.2.q.6. P. Macedo coll.7.diff.4. Vulpes tom.3.p.1.disp.18.art.9.Faber 1.disp.22.Rada contrõu.27.p.1. Ferchius tom.1.de Angelis q.8.Scherius de Deo Trino,& vno,d.4.sect.4.q.4. Sghemma de Deo vno,& trino, tit.10.q.6. & alij extra Scholam; sic Lusitanus hoc tract. Molina 1.p.q.42.art.6.disp.2. Becanus tract.2. cap.2. q.6. & Thomistarum duces, Capreol. 1. d.17.q.1. art.2. ad 3. contra primam conclusionem; Caietanus 1.p. q.28.art.2. Ferr. ct.2.contra Gent.c.9.Ripa ad q.28.art.2. vbi & Iauellus, Nazar. contron.2. Pesantius d.9. Cornejo, Salmaticenses,& alij Thomistæ. Fuit etiam Durandi 1. d.13.q.2. Richardi d.24.q.3.ad 1. Argent.1.d.4.q.1.art.1. & aliorum plurium.

Ab ea non longè abeunt Maior 1.d.33.ad 2.Torres 1.p.q.28.art.2.disp.3.p.2.in fine; nam isti dicunt, relationes dicere perfectionem, quia sunt essentia diuina (vt notat Suarez lib.3.de Trin.c.9.n.4.) aliter verò præcisas nec perfectionem dicere, nec imperfectionem. Ex his aliqui allegant D.Thomam. Aliqui labuntur dicentes, Relationem diuinam, secundùm esse *ad*, non esse realem. Sic Palud. 3. d.1.q.1. art.3.& 4. Capreolus 1.d.33.art.3. Plurimos allegat sequens Mastrius disp.7.q.1.

188 Secvnda sententia est, relationes diuinas formaliter dicere perfectionem. Ita D.Thom. 1.p.q.27. art.2. ad 3. vbi ait: In ipsa perfectione diuini esse continetur Verbum, quæ verba aurea acclamat Caietan.& q.28.art.2.ad 3. supponit, subsistentiam esse perfectionem: & q.28.art.3.in corpore, ait: Persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet, subsistens in natura rationali. Vnde, cùm omne illud, quod est perfectionis, sit Deo attribuendum, eo quòd eius essentia continet in se omnem perfectionem; conueniens est, vt hoc nomen *Persona*, de Deo dicatur. Et opusc.1. contra errores Græcorum, c.2.in fine. D.Basilij testimonium exponit de dignitate Patris, non naturali, sed personali. Sicut (ait) inter nos dicitur, quòd persona est hypostasis, proprietate distincta, ad dignitatem pertinente. Et eodem sensu intelligit D.Hilarium c.7.& q.29.art.3. definitionem personæ ordinariam amplectitur, scilicet, *esse hypostasim, ad dignitatem pertinentem, distincta proprietate.*

Neqve terreat id, quod ait q.28. art.2. ad 3. si in diuina perfectione nihil ampliùs contineretur, quàm quod significat nomen relatiuum; sequeretur, quòd eius esse, esset imperfectum. Ibi enim solùm vult, quod si in illo ente infinito non esset etiam absolutum, non esset omninò perfectum, quicquid dicat Caietanus. Nota verò, S.Thomam dicere, relationes non esse perfectiones, sed intelligit absolutas, vt notat Morandus n.772. Sic q.2. de Potentia, art.2. 189

Eandem sententiam amplexi sunt Alensis 1. p. q.69.m.2. dicens, quòd innascibilitas, secundùm positiuum, quod dicit & paternitas, est perfectio Dei. Albertus in summa, q.42. m.2. particula 1. ad secundum, & particula 2. ad finem. Henricus quodl.1. q.1. Gregor.in 1.d.10.q.1.art.1. & d.33. quæst.vnic. art.3. ad 6.Marsil. 1.d.23.art.3. corol.4. Bacconius 1. d.23. q.1.art.1. Ocham 1. d.19.ad dub.1. Rubion 1. d.33. q.1. Aureol.d.19.q. 2. & cæteri Nominales præsertim Gabr. 1. d.7. q.2. art.2. Clictou. in D. Damasc. lib.1.de fide,c.11. Herværus 1.d.2.q.4. art.1. Bañes ad art.2.q.28.Zumellus ibi, disp.5.Valentia d.2.q.1.p.2. ad 3. vbi oppositam sententiam intolerabilem proclamat. Idem docet in contron. de Trinit. lib.2. c.12. Suarez lib.3.de Trin.c.9. qui opinionem Scoti duram lamentatur. Didacus de Montoia de Trin.d.29.& 30. Itaque eam, vt communissimam, sequitur Arriaga disp.49.sect.2. Albertinus tom.2.fol.424.q.5.Vasquez disp.122. Fonseca 4.Metaph.c.1.q.7.sect.7. Zuniga de Trin.d.5.dub.12. Auersa 1.p. q.28.sect.9. Ruitz d.29. & 30. Arrubal d.105. Fasol. 1.p. q.28. art.2. dub.5. Lezana tract.5. disp.2.q.4. Fuliens. l.2. c.2. Amicus d.19.sect.8. & è Scotistis Poncius disp.9. q.6. Alarcon.tract.5.d.3.c.3.Tanner.disp.4.q.3.dub.4.Morand. q.11. Forestus fol.124. qui alios allegant. E nostris stat Caspensis disp.2. sect.4. Baudunius q.28. art.1. Forestus d.4.

Quoad Seraphicum, dubio procul est pro hac sententia: Sic allegatur. 190

Nonnulla loca refert Forestus, quæ parum vrgent. Primò refert S.Doctorem dist.6.q.1.vbi generationem ponendam in Deo asserit, præcisis omnibus imperfectionibus; quia dicit perfectionem. At hoc non cogit: nam & Scotistæ concedunt, originum fœcunditates dicere perfectionem, vt videbimus in responsis Scotistarum ad nostra argumenta.

Secundò refert S.Doctorem dist.10. vbi ait, ponendam spirationem, quia dicit perfectionem. At neque hic locus vrget Scotistas, vt dixi.

Tertiò refert dist.31.q.1. vbi S.Doctor ait: *Pater diligit Filium, & Filius Patrem distinctum.* Hæc locutio infrà examinabitur.

Quartò refert dist.23. q.1. vbi rationem personæ in diuinis ponendam asserit, quia dicit perfectionem. Sed neque hic locus cogit, vt videbimus in Scotistarum responsis.

Quintò affert dist.33.q.2.ad vltimum, vbi relationibus dicit conuenire hæc prædicata, Immensum, Infinitum. Sed neque hic locus euidenter astruit de relationibus, vt *ad*. 191

Sextò affert dist.26. q.4. vbi innascibilitatem in Patre dicere excellentiam asserit. Sed neque hic locus probat: quia non est relatio, sed notio mera.

Obiicit verò S.Doct.sibi dist.26.q.2.argumento vltimo. In summo ente non debet poni id, quod non sit

sit summa entitas; at relatio non est summa, sed minima entitas: ergo.

Respondet primò, minorem de relatione creata, quæ differt à substantia, veram esse.

Respondet secundò, ex eo, quòd relatio minimam habet entitatem *in*, non facit compositionem; cùm eius ratio sit *ad*, & ideò potest poni in ente simplicissimo, vt dixerat ad primum. Hoc verò magis stat pro nostra opinione solidanda.

192 PRÆCLARE verò hanc sententiam astruit *dist.* 33.*q.*1.*fundamento* 2. vbi dicit; personam perfici perfectissimè sua proprietate.

Et *dist.*34.*q.*1. quærens: an relationes addant suprà naturam, easque perfectissimas supponens, concludit; non addere aliquid re distinctum; sed tantùm ratione: ex quo etiam sequitur, quod si perfecta est essentia, perfectæ sunt & relationes, quod concedit. Faber tamen *ad* 6. S. Doctori suam sententiam adscribit, quod probat locis citandis. Sic & Mastrius tali Patrono gloriatur. Ferchius opponit *dist.*19. *q.*2. *ad vltimum*, vbi S. Doctor diffusionem essentiæ, ait, non consequi bonum, quia bonum; sed bonum in hypostasi, & ideò secundum hanc, non dici vnam Personam altera meliorem.

Respondetur, velle tantùm non diffundi bonitatem essentiæ, cum eadem communicetur, & personæ in ea sint.

ASSERO cùm hac sententia: Relationes diuinas, vt sunt *ad* esse perfectas.

193 PROBATVR primò à D. Bonau. *ad cap.*3. *Ioannis*, ad ea verba: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio suo*, quod secundum Chrysostomum *homil.*29. *in Ioan.* & Glossam Interl. & alios, intelligitur de infinita communicatione in generatione; atque per Spiritum intelligitur hypostasis Verbi; vnde sequitur. *Pater diligit Filium; & omnia dedit ei*: (vbi vide.) Ideò Pater diligit Filium, quatenus distinctum, & correlatiuum. Ergo, vt sic, Bonum, & perfectum. Bonitas enim entis est obiectum amoris. Subdit autem. Et omnia dedit ei, idest ad æqualitatem sibi genuit eum, communicans essentiam, & dans esse Verbi, etiam vt correlatiuum perfectissimum, propter quæ omnia data diligit eum, vt distinctum, & formaliter correlatiuum. Ita etiam testatur alibi (ait S. Doct.) clamans: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, idest: Hic mihi correlatiuus est dilectus, quia, vt talis, bonus, & perfectus: at non est distinctus, & correlatiuus, vt in essentia. Ergo etiam, vt est *ad*, est perfectus. Profectò hoc negari non potest à quovis Catholico, vt clamant Arriaga *loc. cit.* & Tannerus *num.*5. vbi hoc vrgent argumentum.

194 PER hæc ruit responsio Fabri *ad* 13. & aliorum Scotistarum, Filium esse amabilem, solùm ratione essentiæ, non relationis. Iam enim ostendi, esse amabilem vt Filium. Hoc idem obseruauit S. Doct. *ad cap.*5. *Ioan.* ad ea verba: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit; & maiora ei demonstrabit opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat. Sic & Filius. Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Certum est autem, loqui de Verbo, vt incarnato, seu hypostaticè vnito naturæ humanæ; atque adeò vt distincto realiter à se; atque correlatiuo, non ratione æqualitatis in absolutis, secundùm quæ si esset incarnatus, seu hypostaticè vnitus, iam esset vnitus & Pater. Ergo est diligibilis, vt distinctus correlatiuus. Ideò subdit: *Qui honorificat Filium, honorificat Patrem*; atque infert, Filium, qui apparebit ad iudicium, non apparente Patre, esse honorandum sicut Patrem: ergo vt Filius correlatiuus Patri, & Pater, vt correlatiuus Filio, realiter distincti sunt perfectissimi, cùm sint digni summo honore. Est enim honor exhibitio reuerentiæ alicui, ob aliquam eius magnam perfectionem, vt omnes confitentur cum Aristotele 8. *Ethic. cap.*8.

CONFIRMATVR secundò à Seraphico *ad* 11. *Ioan.* ad ea verba: *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam.* Mouet autem dubium S. Doct. Particula *ego* denotat personam, quæ fuit dilecta ab æterno, cur ergo ait: *Propterea diligit me, quia pono animam?* Quasi verò non ante dilectus. 195

Respondet, verè dilectum, quia Verbum est, atque catenus bonum: sed dilectum etiam, eo quòd passiones, & mortem sustinuit ad Patris beneplacitum.

CONFIRMATVR tertiò à S. Doct. *in* 3. *Lucæ*, ad ea verba: *Vox de cælo facta est. Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Vbi aduertit, particulam *Tu*, discernere Filium à Patre. Vnde, & subdit: *In te complacuit mihi.* Sic Pater in voce, Spiritus sanctus in Columba, & Filius in Iordane, vt sunt tres, hic discernuntur, atque vt correlatiui, iuxta id, 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Vide Seraphicum mira dicentem. 196

PROBATVR secundò à D. Bonau. *Opusculo de reductione artium ad Theologiam*, post medium, & *in compend. Theolog. veritatis, lib.*1. *cap.*6. ex illo *Hebr.*1. vbi Filius dicitur: *Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, & ob hæc: *Sedens ad dexteram Maiestatis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim* (ait) *aliquando dixit Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Igitur concludit, Filium, vt correlatiuum Patri, nedum vt figuram, & imaginem substantiæ Patris consubstantialem, esse dignum summo honore, atque adoratione. Hinc autem ad perfectionem Verbi argumentati sunt Patres (vt obseruat S. Doct.) præcipuè Dionys. *cap.*2. *de diuin. nominibus*, Basilius *homil.*28. *contra Sabellianos*, qui personas confundebant in vnam, vbi ait: *Filius ex Patre sempiternè profectò perfectus resplendens.* Theodoretus *in epitome diuinorum decretorum, lib.*2. *cap.*5. Alexander Alexandrinus *epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum.* Igitur Verbum, vt genitum, & distinctum à Patre est perfectissimum. Ideò ipsum vocat S. Dionys. loc. cit. *Fontalem radium, qui in se manifestat gloriam paternam*, vt obseruat S. Doctor. Et ideò è duplici capite ostendit Apostolus, Verbum Filium Dei adorari: *Qui cùm sit splendor gloriæ*, idest, vt genitus, splendor Lucis Paternæ, eique correlatiuus, & vt figura substantiæ, idest, & vt æqualis, ac consubstantialis in essentia. 197

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *dist.*17. *q.*4. *in corpore*, & *dist.*33. *q.*2. & confirmatur superius argumentum. Ea, quæ adoranda sunt adoratione Latriæ, sunt perfectissima. Sed proprietates relatiuæ, vt distinguunt personas, seu vt sunt *ad*, sunt adorandæ latria: ergo. Maior probatur ex Aristot. 4. *Ethic. c.*3. 5. 6. & 8. vt habet etiam D. Thomas 2. 2. *q.*103. *art.*1. & 2. & 3. *p q.*25. *art.*1. Minor probatur ex præfatione Missæ, in festo Sanctissimæ Trinitatis: *Vt in personis adoretur proprietas: & in essentia adoretur æqualitas.* Idem argumentum habet *dist.*27. 1. *p. q.*4. *in corpore*, cui Faber *disp.*23. *n.*4. nescit respondere. 198

Medula

Meldula *num.*43. ait; valdè ponderandum in Sacris authoritatibus, quæ sibi obiiciuntur; perfectiones in concreto personarum tantùm; non in abstractis proprietatibus asseri. Sed profectò hic abstractissimè acclamat Ecclesia; adorandas proprietates in personis, quæ formaliter correlatiuæ sunt.

199 Ex quo ruit etiam communis Scotistarum solutio, adorari eas, prout in essentia habent infinitatem. Contrà enim est, quia adoratur, non modo Trinitas; sed vt Trinitas,sicuti habetur in Symbolo Athanasij. *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate; & Trinitatem in vnitate veneremur*; & infrà. *Ita, vt per omnia, & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda sit*: Et Epiphanius testatur *in Ancorato pag.6. Honoratur Pater, secundùm quod Pater est. Honoratur Filius, prout Filius est. Honoratur Spiritus sanctus, prout Spiritus sanctus est.* & Damascenus *lib.*1. *de fide c.*11. *Tres sunt, qui adorantur. Vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus sanctus.* Et Sophronius Patriarcha Hierosol. in sua fidei professione, in epistola, quæ recipitur in sexta Synodo *act.* 11. aliquantò post principium professionis. *Sicut subsistentias tres exorare didicimus: ita & tres glorificare personas instruimur*; Verum etiam ampliùs Ecclesia addit, singulas relationes personales, quæ sunt proprietates, abstractas esse adorandas. *Vt in personis adoretur proprietas*, vt adnotauit Fasolus *num.*131. cùm D. Bonauentura locis adductis.

200 Respondet Mastrius è Meldula, cùm Scoto 3. *dist.9. quæst.vn.* §. *de tertio articulo*; in obiecto adorationis, distingui terminum adorationis à ratione adorandi. Et posse aliquid esse terminum adorationis; etiamsi adoretur ratione alterius. Et sic rem se habere nunc, nam adorantur quidem relationes; sed ratione diuinæ essentiæ. Hinc Damascenus *lib.*3. *de fide cap.*8. ait: *Christus Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & Spiritu sancto, vna adoratione*; significans, solam essentiam esse rationem adorandi. Idem habet *lib.*1. *cap.*9. vbi docet, Deo deberi vnam adorationem, propter vnam maiestatem. Et ideò, non esse adorandam vnam personam sine alia. Et ita respondet auctoritatibus Patrum, qui tantum intendebant, non esse excludendum Filium, vt volebat Arrius; neque Spiritum sanctum, vt latrabat etiam Macedonius; nec vnam tantùm personam, vt aiebat Sabellius; sed tres: nec tres personas, vt tres Deos.

201 His vltimis verbis exprimit, cur sancti Patres volebant, adorari tres personas vna adoratione; nempè, vt astruerent id, in quo Trinitas videbatur difficultatem afferre; nempè non pluralitatem Deorum? sed vnum Deum asseuerantes adorandum: & tres personas æquales esse Deum. At distinctè etiam præcisè proprietates abstractas adorandas clamat Ecclesia. Quamuis enim proprietates in personis adorandas, non extra, asserat; hoc non est, quia ipsæ per se non sint adorabiles; atque adeò non habeant rationem adorabilitatis; vt fingit Mastrius, cùm suo Scoto; hoc enim non subtile,sed crassius effatum est. Sed etenim asserit adorandas proprietates in personis; quia in eis sunt vna entitas simplicissima, non affixæ: attamen nominando eas adorabiles, vt proprietates sunt, præcipit vt eas adoremus, tanquam habentes in se perfectionem,quæ est ratio adorationis. Ideò enim Ecclesia per antithesim vnam adorationem essentiæ dat; & tres proprietatibus,quæ in personis singulis sunt, quibus adde spirationem actiuam, quæ in Patre simul, & Filio, iure, ac merito adoranda. Quod verò affert è Damasceno, nil obest: nam in priori loco solùm astruit, Christum æqualem Patri, & illum hominem Deum, contra Nestorium, & Arrium; & ideò illi adorationem Patri exhibitam deberi. In altero loco asserit, vnam esse essentiam trium personarum; neque aliquam ex istis esse creaturam; atque adeò excludendam. Planè asserit *lib.*1. *cap.*11. Patrem, & Filium distingui perfectionibus personalibus, vt obseruat Tanner. *num.*6. & Forest. *fol.*125. 202

Confirmatur: nam in Litaniis inuocantur seorsim singulæ personæ. *Pater de cœlis Deus. Fili Redemptor. Spiritus sancte Deus.* Deinde alia distincta veneratione inuocantur tres simul, vt vnus Deus. *Sancta Trinitas, vnus Deus.* Itaque inuocantur; primò,Pater solus: deinde Filius: tertiò, Spiritus sanctus. Esto dicantur singulæ Deus (quicquid dicat Mastrius *num.*49.) profectò, vna inuocata, non manent aliæ inuocatæ; alioqui singulæ frustra inuocarentur. Et sæpè euenit, vt seorsim hymni, & orationes dirigantur ad vnam personam, non inuocata altera, aut cogitata; vt fatetur Scotus 1.*d.*1. *quæst.*2. Sic dicitur. *Veni creator Spiritus.* Sic solus Filius inuocatur non rarò. *Christe Redemptor omnium, quem lucis antè originem, parem paternæ gloriæ, Pater supremus edidit.* 203

CONFIRMATVR argumento S. Bonau. *dist.*26. *citata quæst.* quia Relationes sunt rationes formales constitutiuæ diuinarum Personarum, vt ostendi *quæst.*1. Tunc sic. Constitutiuum entis perfectissimi est perfectissimum. Sed relatio diuina est constitutiua personæ diuinæ, quæ est ens perfectissimum, vt dicitur in Symbolo Athanasij: Ergo. Confirmatur: nam personalitatis creatæ dicunt perfectionem. Ergo multò magis diuinæ. Confirmatur. Ratio adhuc,subsistendi est ratio perfectissima essendi. At relationes sunt rationes subsistendi in diuinis personis:Ergo sunt perfectissimæ rationes essendi. Imò relationes Diuinæ sunt subsistentes. Vnde in sexta Synodo *art.*18. dicitur. *Vult.s propter naturam; Trinitas propter subsistentiarum perfectionem.* Hoc argumentum valdè vrget Caspensis *disput.*2. *sect.*4. Morand. *loc. cit.* 204

Respondet Mastrius, dignitatem suppositi attendi præcipuè ex natura, in qua subsistit: neque personalitas diuina ideo (ait) constituit personam infinitam, quia ipsa infinita sit; sed quia eam subsistere facit in natura infinita.

CONTRA arguo, cùm D. Bonau. *distinct.*26. *quæst.*3. *ad* 4. abstrahamus proprietatem à persona; sanè nihil proprium constitutiuum, distinctiuum singulare habebis: vnde tollitur penitùs distinctio personarum. Igitur proprietas constituit ea perfectione, quæ est in se, personam secundum entitatem, & differentiam, qua differt, & constituitur se ipsa, vt etiam Scotus fatetur. *Quid igitur facit subsistere proprietas in essentia infinita Personam?* Hæc non habet aliud præter essentiam, & proprietatem. Igitur proprietas facit subsistere personam in essentia. At esto, faciat subsistere personam [illegible] subsistentia infinita: Ergo confert virtutem infinitam subsistendi. 205

Non ad rem autem respondit Mastrius, sufficere ad hoc, quod sit negatiuè infinita, idest, vt non sit limitata; nam quid est, non esse finitam, & limitatam; quam esse illimitatam infinitam? Hinc ruit etiam alia eius responsio ad confirmationem; Rationem hypostaticam eatenus dici perfectissimam, non quia sit in se aliqua perfectio; nam de ratione

perfectionis est, vt sit communicabilis, cum omne bonum,& perfectum sit de se communicabile,quod directè repugnat rationi hypostaticæ. Et ideò, ait Doctor, eam non tam esse perfectionem, quàm determinationem suppositi ad receptam perfectionem.

206 CONTRA enim est; si proprietas, quæ est ratio hypostatica,ideò est perfectissima, quia determinat aliquid ad receptam perfectionem. Ergo habet aliquam in se virtualem perfectionem. Ergo intrinsecam. Deinde,quomodo proprietas hypostatica supponit perfectionem in persona,quæ ante proprietatem non est constituta, nec subsistit? Neque enim solùm dat personalitas esse incommunicabile,vt fingit Scotus *quodl.5.lit.V.* & Mastrius *n.51.*sed esse per se,vt constat ex sexta Synodo allata,& aliis testimoniis infrà; nisi velit personam ex absolutis constitutam,quod est erroneum, vt ostendam *disp.12.q.1.* Profectò hoc est esse perfectissimum, vt Scotus fatetur. Malè autem Mastrius colligit è sexta Synodo subsistentias diuinas non habere suas perfectiones; eò quòd ibi dicitur *subsistentiarum perfectio*; nam, licèt in essentia vnificentur; definiri tamen singulas perfectas suis perfectionibus iam infrà referam, cum aliis authoritatibus.

Effugit Meldula etiam negans, personalitatem creatam dicere perfectionem; sed hoc refellam *disput.5. quæst.3. & 4.*

207 PRO nunc arguo cùm Amico *sect. 8. n.203.* argumento D.Bonau. *in 3.d.3.q.1.* Verbum dicitur à Patribus supplere partes personalitatis creatæ in humanitate Christi, eam sustentando; & hoc præstat relatio, vt relatio est distincta à Patre, & Spiritu sancto; ne dicamus, has etiam personas incarnatas. Ergo vt relatio formaliter dicit perfectionem. Probatur consequentia, quia implicat sustentare naturam, & nullam in se dicere perfectionem. Profectò supplet perfectionem positiuam, quam daret personalitas creata, vt ostendam *loc. cit.* & arguit Caspensis *num.51.*

Respondet Mastrius,dato etiam, personalitatem esse aliquid positiuum; non sequi, filiationem diuinam supplere aliquam positiuam perfectionem in humanitate Christi; sed tantùm effectum illum positiuæ sustentationis, præscindendo ab omni perfectione, vel imperfectione.

208 Obsecro, quorsum das personalitati esse positiuum perfectum? Profectò ad suum actum formalem, qui est dare esse subsistens perfectissimum, ab omnibus acclamatum. Ergo oportet, vt sustentare,& dare esse subsistens sit aliqua perfectio: Confirmatur ex Ferchio citato. Nam ideò hypostasis Angeli potest sustentare naturam hominis, non è contra: quia est melior,stabiliorque. Et idem infert de Diuinis *loc.cit. n.9. & sequentibus.*

PROBATVR quartò à D.Bonau. 1. *p. Breuil. c.2. 3.& 4.* & *in 1. dist.2. quæst.2. & 4.* Id, quod spectat ad beatitudinem, & perfectionem Dei, est ens optimum perfectissimum; Trinitas, vt Trinitas, est huiusmodi; Ergo. Maior est certa. Minorem, ait S. Bonau. *q.2. citata in corpore*, nobis à fide traditam. Et *in Breuiloquio citato*, à tota Scriptura Sacra acclamari.

PRIMÒ igitur eam probat è Scripturis *cap.2. Breuil. cit.* & quidem ex primo ad Heb. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, sedet, &c. Portans omnia Verbo virtutis suæ. Per quem fecit, & sæcula.* Vbi Apostolus perfectiones Filij, vt opponitur Patri, describit in ordine etiam ad beatitudinem. Ad hoc conferunt loca suprà relata, quibus Pater dicitur in Filio delectari, cumque amare; & Patrem Filius. Quæ loca hic innuit S. Doct.

Quod etiam id fides doceat in PP. & Conciliis, vt ait S. Doct. ostendetur.

PRIMO quidem Concilium Nicænum, vt habetur *in lib.2.de actis eius, antè constitutionem Decretorum §. Sancta, & magna*; definit. *Verbum est persona perfecta ex perfecta; & Filius perfectus, sicut, & Pater.* Et longè inferiùs, §. *Non difficile*, dicit. *Vna est diuinitas sanctæ Trinitatis, quæ in tribus subsistentiis perfectis, & æqualibus consideratur.*

DEINDE primum Concilium Constantinopol. *epistola ad Damasum Papam*, ait: *Æqualem honorem, & dignitatem, & imperium coæternum in tribus perfectissimis subsistentiis; seu tribus perfectis personis.* 209

PRÆTEREA Sophronius, epistola,quæ habetur in sexta Synodo Generali, *act.11. Subsistentiis, & proprietatibus intellectualibus perfectis numerari Trinitatem, asserit.* Quod, si Concilia, & epistolæ conciliares propriè loquuntur, nostram sententiam definiunt.

Præterea Imperator Constantinus, in sexta Synodo, confitetur. *Trinitatem, propter subsistentiarum perfectionem.*

PORRO hanc sententiam videtur definire Concil. Later.sub Martino V. *Si quis non confitetur Patrem, Filium, Spiritum sanctum in tribus subsistentiis perfectis, consubstantialibus; anathema sit.*

VBI pondero, primò definiri perfectas, non solùm,quia consubstantiales sunt ratione deitatis; sed etiam vt sunt distinctæ tres subsistentiæ formaliter abstractæ. Pondero grauiter in hac, ceterisque auctoritatibus allatis, perfectionem adscribi subsistentiis abstractis; non personis tantùm concretis. 210

Ex quo ruit grauis Meldulæ ponderatio, qui dicit, Patres numerare Personas concretas, non subsistentias abstractas.

Pondero deinde, numerari perfectas, vt ostendant, non ratione vnius essentiæ eis conuenire perfectionem, vt fingunt Scotistæ. Non enim solent Patres id, quod in diuinis est vnum formaliter, numerare; vt notat Fasolus. Quare in Symbolo prohibetur non solùm dicere tres Deos, sed etiam tres æternos, immensos, increatos &c.

Respondet Meldula, solere Patres numerare id, quod in diuinis est vnum pluraliter:numerant enim tres personas diuinas. Sed hoc non est ad rem. Nam personæ non sunt vna, sed tres; at non dicuntur tres dij.

CONFIRMO supra dicta ex Patribus. 211

D. Iustinus *in expositione fidei de Trinitate*, ait. *Maluimus vnius deitatis, in tribus perfectis subsistentiis, notitiam exponere.*

D. Epiphanius *hæresi 69. Duo perfecta Pater, & Filius; cum tres sint perfectæ substantiæ, idest subsistentiæ; vna verò deitas Patris, &c.*

Suprà verò dixerat. *Tria perfecta vna Deitas.* Hinc eluitur fundamentum Vasquez, qui ait; inauditum esse apud Patres asserere plures perfectos in Trinitate, vel plura perfecta.

D. Cyrillus Alex. *lib.1. Thesauri cap. 6. Perfectus est, non solùm, quia Deus; sed etiam, quia Pater est.*

D. Damascenus *lib. de Decretis primæ Instit. c.1.* &, *epistola de Trisagio. Pater, Verbum, & Spiritus Patris sunt hypostases perfectæ.* Idem habet *lib.1. de fide.* Et *lib.1. cap.11.* omnem fugam Scotistis præcludit, dicens, *Patrem, & Filium distingui perfectionibus personalibus.*

D. Hieronymus *epistola 57. ad Damasum. Suffi-*

cint

ciat nobis dicere, vnam substantiam: tres personas subsistentes, perfectas, æquales.

212 Richardus de S. Vict. *lib. de Trinitate, c.* 19. *&* 20. relatus à D. Bonauent. *d.*2. *quæst.*4. ex amore gratuito Patris, & debito Spiritus sancti, è mixto amore Filij debito quidem Patri; sed gratuito in Spiritum sanctum, colligit Trinitatem: amor autem est boni tanquam obiecti; vt infert S. Doctor.

Sophronius *in sexta Synodo act.* 11. *Sicut tres subsistentias exorare didicimus; ita tres glorificare personas instruimur.* En colendas, ait, subsistentias, vt præcisas à personis, nedum ab essentia.

Confirmatur testimoniis aliis Patrum asserentium, non esse perfectum Deum absque proprietatibus relatiuis.

D. Nazianzenus, oratione 5. de Theol. *Perfecta deitas quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideretur? desideratur enim si sanctitate careas; hanc porrò quomodo habere queas, nisi Spiritum habeas?*

213 Athanasius *oratione* 2. circa medium. *Proles, si non æternaliter existat cum Patre, detrimentum affert plenitudini illius substantiæ.*

Sic etiam loquitur Hilarius *lib.*12. *de Trinitate* circa medium.

D. Epiphanius *hæresi* 69. colligit, Patrem nunquam fuisse sine Filio; quia sic acquisiuisset perfectionem; atque adeo non fuisset antea perfectus. Eodem argumento pugnat D. Ambrosius *lib.* 4. *de fide ad Gratianum cap.*4. D. Anselmus 1. *ad Corinth. cap.*1. in ea verba. *Christum Dei virtutem, Dei sapientiam.* D. Basilius *lib.*2. *&* 4. *cont. Eunom.* D. Hilar. *lib.*12. *de Trinitate.*

214 Respondet Mastrius, negando relationes dicere nouam perfectionem in diuinis; sed necessariam extensionem eiusdem perfectionis intensiuæ, vt docet Scotus 1. *d.*2. *quæst.*7. & D. Bonauent. *d.*2. *art.*1. *quæst.*2. & id tantùm velle dicere allegatos Patres.

Vrgere poterat, quia D. Athanasius *epistola ad Serapionem* ait: *Patrem perfectum non indigere Filio, ad sui perfectionem.* Idem videtur asserere D. Bonauent. *d.*2. *quæst.*2. *ad* 1. dicens, propter indigentiam non multiplicari personas.

Respondetur, sensum esse Athanasij, & D. Bonauent. Patrem non perfici in esse Patris à Filio quia satis est perfecta persona per essentiam, & paternitatem, non receptam aliunde, quam à propria fœcunditate. Indigeret autem, si extra reciperet. Hinc & beatus astruitur à se. Nam & Filio communicat beatitudinem; debet tamen poni Filius, vt in beatitudine communicans, ad hoc, vt Deus sit perfectus; nam, vbi est summa beatitudo, est summa bonitas, summa Charitas, summa iucundi-

215 tas. Si est ibi summa bonitas; ergo summa communicatio, producendo sibi æqualem, & dando esse suum: si summa charitas; ergo ad alterum. Si summa iucunditas; ergo societas in bono. Hinc colligit D. Bonauent. ad perfectionem Dei requiri filium; quia producere sibi æqualem infinitum, est maxima perfectio.

Igitvr ex vnanimi Patrum consensu relationes, non modò, vt includunt essentiam constat esse perfectas; sed etiam vt præcisas. Ideò male Vasquez negat, id ab vllo è Patribus assertum, vt notant Arriaga, & Tannerus. Itaque ruunt propugnacula Scotistarum.

216 Probatvr quintò à D. Bonau. *in Breuil.* 1. *p. cap.*4. Omne ens, quod dicitur de primo ente, infinitè perfecto, debet esse perfectissimum. Relationes, vt relationes, dicuntur de primo ente, &c. Ergo. Maior probatur, quia sicuti ens, & Bonum conuertuntur; ita quicquid formaliter est primum ens, debet esse maximè bonum. Ideò ex decem prædicamentis, sola substantia, & relatio propriè ponitur in primo ente Deo, vt docent Theologi, cùm D. August. eo quod reliqua includunt imperfectionem intrinsecam. At verò esse *ad*, est differentia entis realis perfecti intrinsecè, & potest carere imperfectione accidentis. Si igitur, quatenùs est differentia entis realis perfecti in prædicamento, dicit perfectionem; multò magis in Deo ab omni næuo segregatam, vt notant etiam Tannerus, Arriaga, Poncius, & alij. Est autem vnum è præcipuis fundamentis nostræ sententiæ Metaphysicis. Profectò 217
non potest dari aliquod ens reale, quod non habeat suam propriam perfectionem finitam, vel infinitam, in toto ordine entium. Nam bonum, quod est passio entis; vel est formaliter idem, quod est perfectum; vel in perfecto fundatur. Vnde Aristoteles 1. *Eth. cap.*6. ait: *Bonum est in substantia dici, & in quali, & in eo quod est ad aliquid, & in omnibus prædicamentis; nec in vno tantummodo dici.* Cum igitur relationes diuinæ sint entia realia, vt ostendi *quæst.*1. & concedit Scotus, cum asseclis. Ergo habent bonitatem, quæ est passio entis. Bonitas autem est ipsa perfectio essentialis rei, vt asserit Scotus *quodl.*6. *litt. M.* ex D. August. 6. *de Trinitate, cap.*8. Siue etiam dicas, cum D. Bonauent. 218
bonitatem in creaturis consistere, vt constent modo, seu debita commensura partium; vel eorum, quæ ad ipsius constitutionem faciunt; constent specie, seu debita speciositate, & pulchritudine; constent ordine, idest, serie eorum, quæ ad rei constitutionem veniunt, vt exponit Vasquez 1. *p. disp.*23. *cap.*5. ex D. August. adducto à D. Bonau. *in* 1. *d.*3. *p.*1. *dub.* 3. *& in* 2. *d.* 35. *art.* 2. *toto*, & *in* 1. *d.*38. *q.*2. *ad arg.* & *in* 4. *d.*4. *p.*2. *quæst.*1. Ex quo deducit, quod res sit imperfecta, & mala, si desit rei modus, species, vel ordo. Nam malitia est horum priuatio. Ex quo infert P. Galatius *lib.* 1. *Metaph. tractat.*5. *quæst.*1. Bonitatem in eo sitam, vt importet ordinem entitatis ad finem intrinsecum. Ideò res *Genes.* 1. acclamatæ sunt bonæ, & mundus valdè bonus, quia constabat modo, specie, & ordine, quæ sunt entis perfectiones. Cum igitur relationes nullo defectu scateant ad sui constitutionem, sunt bonæ, & perfectæ. At esto ponas bonitatem in appetibilitate; 219
certum est, eas esse bonas, cum sint obiectum diuinæ complacentiæ. Nam Pater complacet sibi in paternitate, & in Filio, vt suprà ostendi ex Scripturis. Similiter in Patre Filius, & Spiritus sanctus, prout distincti sunt, vt suprà ostendi. Ergo inuenit bonitatem, quæ amorem terminet. Ea autem non est bonitas essentiæ, quæ vna est. Ergo relationum. Si verò stet bonitas in conuenientia vnius, respectu alterius; adhuc relationes sunt bonæ, quia conueniunt diuinæ essentiæ, vt terminus eius communicabilitatis.

Multa infarciunt Scotistæ, vt hoc argumentum concutiant, sed frustrà.

Aliqvi respondent; omne ens reale esse bonum, vel ratione sui, vel per identitatem realem cum alio. Itaque bonitas conuenit relationibus 220
ratione essentiæ, cui identificantur. Hoc responsum amplectitur etiam Becanus *loc. cit.* Nazarius *ad argumenta*, cum Caietano, & aliis.

Hæc responsio non est ad rem. Nam argumentum probat relationes præcisas esse ens, & bonum. Confirmatur: quia præcisæ sunt intelligibiles. Secundò sunt ens: Ergo bonæ. Itaque Mastrius

ftius hoc responsum ineptum confitetur. Profecto si aliquod est tale ens bonum ratione alterius, non conuertitur cum bono, vt ait Morandus.

P. Macedo *sect.2.* fassus ingenue, relationes nulla à se praeditas perfectione, quia incommunicabiles, neque vllam ab essentia exsugere: ait; ideo non esse perfectione relationem dotatam, quia tota est ad aliud, ac proinde non consistens in se, quaerit mendica, & vaga terminum in alio. Id eruit è Scoto *quodl.5. §. Respondeo 1.*

Ad locum cit. à Mastrio *ex 1. Eth.c.6. Aristot.* ait 1. illum haberi *c.4.2.* sed extra chorum, quia Philosophus ibi non agit de bonitate, vt est passio entis in communi, & modo Logico, sed de reali physico in particulari agit enim improbans in Ideis Platonis abstractis vniuersalibus bonitatem reperiri; sed vult, bonitatem, esse in particulari substantia, qualitate, relatione, agebat enim de bono beatificante. Itaque claudit, Mastrium, & Vulpem incautè loqui.

Enim verò dicam, relationem à Metaphysica agnosci sub obiecto suo, quod est ens reale transcendens, & perfectione praeditum: at multò magis relationes diuinae (quae sunt substantiae non modò vt idem cum essentia, sed vt *ad*, constitutiuae, atque adeò distinctiuae Personarum Diuinarũ) sunt entia realia positiua, vt probo *d.5.q.4.* Quod si creatae perfectae; num deteriores diuinae? Bonas autem creatas astruit Aristoteles *in metaph.* & in fine *lib.12.* omnia entia bona ait; mox *lib.3.* latè probat, entia non esse Ideas, & ideò bonas negat. Id supponit eo loco 1. *Eth.* seu *Moralium Nicomachiorum cap.* Sane 6. & ait. *Praeterea cum bonum totidem modis dicatur, quot illud quod est, nam & in substantia dicitur, vt Deus, & mens, &c. & in iis, quae ad aliquid referuntur*, seu, *& in eo quod est ad aliquid.* Hic verò distinguit, ne in vna idea vniuersali tantum fateatur bonum. Esto; non agit modo Logico, sed metaphysico de bonitate, quae est cum ente conuersa. Vnde ait *vt Deus, & mens.* Esto de omni ente in particulari verum; at Relationes Diuinae sunt ens reale Metaphysicum, & particulare. Ergo bonae, & si agit de Bono ad beandum accommodo, vt ais, & enumerat relationes. Ergo ad beandum bonae, & Diuinae optimae sunt.

221 Secvnda responsio est plurimorum Scotistarum, dicentium, cum Licheto 1. *d.8. quaest.1.* Vallonio *tract. formalit. art.1.* Fabro hic, relationes esse quidem ens, non tamen bonum, & perfectum: quia bonitas non est passio entis in genere; sed entis *quanti*. Diuidunt enim prima diuisione ens, cum Scoto *quodl. cit.* in *Quantum*, & non *Quantum*. Deinde *Quantum* in *Finitum*, & *Infinitum*. Sicut enim diuisio entis in *Quantum*, & non *Quantum*, quantitate molis non est prima entis diuisio, sed entis quanti ex Aristotele 1. *Phys. t.15.* ita diuisio entis in *Finitum*, & *Infinitum* intensiue est diuisio entis secundum quantitatem virtutis; non molis. Itaque sicut non omne ens est quantum quantitate molis, sed aliud est quantum: aliud non quantum; ita non omne ens est quantum quantitate virtutis, & perfectionis; sed aliud est quantum; aliud non quantum. Relationes verò diuinae continentur sub diuisione entis non quanti. Quam diuisionem entis Aristoteli ignaro mysterij huius altissimi incognitam fuisse concludunt.

222 Haec noua Metaphysicalia ramenta coagmentata ad asylum extruendum facile euelluntur. Primò quidem inueniant hi acutiores apud sanctissimae Trinitatis tractatores hanc entis diuisionem: sane nullum inuenient, quem allegent: Ego autem inueniam in Patribus ad Diuina acceptam esse Aristotelis doctrinam, adhibitamque sine oppositione. Omnes PP. omnia Concilia dum agerent contra, Manicheos, & Priscillianistas latrantes dari entia non bona, Deumque non bonum: arguebant contra quia. Omne ens est bonum Ita D. August. multis libris *tom.6.* Leo *epist.93.* Concilium Later. sub Innoc. 3. c. *firmiter* Bracar. *p. cap.7. & 8.* De hoc late D. Thom. *3. contra G. à cap.7.* & Patres, atque Theologi in *Hexaemerone*; & scripturae Interpretes in *cap. 1. Genes.* Igitur Bonitas est passio vniuersalis entis, vt clamant Metaphysici quoque de suo obiecto, nempe vniuersalissimo ente pertractantes, & Aristoteli 4. *Metaph.* plaudunt aienti, & Bonitatem esse passionem entis realis transcendentis, non adhuc diuisi in *Creatum*, & *Increatum*. Itaque diuisio illa est ad incurabilium Xenodochium delineandum accommodata. Relationes enim diuinae sunt entia realia de fide vt Valentia monet, & ostendi *quaest.1.* nam per relationes, vt sunt *ad* personae diuinae realiter distinguuntur, vt arguebat S. Bonauent. *d.26. quaest.1.* Ergo sunt bonae formaliter. Dicere enim, ens diuidi primò in *Quantum*; & non *Quantum*, quantitate virtutis; & sub secundo membro esse relationes diuinas, est petere principium. Nam assignatur pro fundamento id, quod est in controuersia, scilicet diuidi in *Perfectum*; & non *perfectum*, vt notat Morandus. Neque ab hoc se eximunt, addendo pro ratione, idem membrum subire & alias hypostases, quae solam dicunt incommunicabilitatem, quae est mera negatio: nam & hoc est in eadem quaestione.

Contra secundò. Bonum nihil est aliud, quàm ens completum; & bonitas essentialis; & perfectio essentialis rei est entitas completa entis, vt dixit Scotus 4. *d.49. quaest. 2. ad primam quaest.* in fine *littera V.* Ergo omne ens reale est bonum, & perfectum. Sed relationes sunt entia realia, de fide, vt ostendi *quaest.1.* Ergo. Vrgeo *Quantum*, & non *Quantum*, sunt contradictoria. Quomodo ergo possunt esse entis differentiae? vt ait Morandus. 223

Fundamentum verò Scoti non est ad rem: nam ideo non omne ens est quantum quantitate molis, quia quantitas molis, apud omnes, restricta est ad vnum praedicamentum; at quantitas virtutis, seu bonitas est passio entis, conuertiturque cum ente transcendentali; & ideò debet conuenire omnibus entibus. Qua veritate conuictus Scotus *d.1. quaest.2. argumento primo principali*, & *in eius solutione*, concedit, relationes diuinas habere rationem boni conuertibilis cum ente, & concedit Faber *disput.22. num.28.* Vide etiam Mastrium *disp.7. Metaph. quaest.2. num.27.* refellentem hoc responsum.

Respondet Faber, quod bonitas, & perfectio entis, quae est passio eius distinguitur ab eo formaliter, & haec est idem cum perfectione ex Scoto 4. *dist.49. quaest.1 litt.V. ad 2. articuli 1.* Bonitas autem est duplex. Essentialis, & accidentalis; essentialis est complementum entitatis, quod conuenit ei in actu primo, quoad essentiam eius: bonitas accidentalis est, quae inest rei ex operatione, siue in actu secundo. Igitur bonitas, quae est passio entis, est bonitas, & perfectio primo modo, ex quo 224

sequi

sequi videtur, omne ens esse bonum perfectum, & consequenter *quantum*; tamen hoc non sequitur. Pro huius declaratione scias, ens posse duobus modis considerari, vno modo, quoad esse rem veram, & completam: alio modo, quoad formalitates, quæ in ipso sunt; & sic possumus diuidere ens in reale, & formale, quod est diminutum. Ens, primo modo, includit quantitatem perfectionis; non autem secundo: quia non est necesse, vt omnis formalitas habeat esse completum. Tales sunt modi rerum, & relationes diuinæ, vt sic enim sunt entia incompleta.

225 Hæc responsio omnibus Iobi plagis scatet. Primò, cum bonitas sit essentialis enti, vt concedit, cur neganda alicui enti reali?

Secvndo, bonitas, quæ conuertitur cùm ente, ei conuenit, antequam diuidatur in decem prædicamenta, eique est essentialis (vt concedit Faber.) In prædicamentis autem est relatio, & occupat prædicamentum formaliter, vt est ad aliud. Ecquis autem dabit bonitatem, & perfectionem relationi creatæ, & negabit diuinæ? Profectò bonitas transcendentalis huic negari non potest. Et de hac est nostra controuersia: nam argumenta Scoti, & assecIarum hanc contendunt à relationibus diuinis remouere, vt aduertit acutè Mastrius.

226 Tertio, modi Prædicamentales, vt *Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs*, habent bonitatem essentialem; at tu formalitates, & modos perfectione ferè expolias. Imò essentia Diuina formaliter distincta ab attributis imperfecta erit.

Respondet Faber, ea, quæ distinguuntur formaliter, non se habere eodem modo. Nam aliquæ sunt formæ: vnde quandoque sunt res, & entia completa; aliæ sunt realitates incompletæ, vt relationes diuinæ.

Papæ! relationes diuinas entibus creatis multis postponit; erunt igitur imperfectiores quàm Bos? Quod si aliqua prædita perfectione vt mussitas, sed incompletè: ergo habent bonitatem imperfectam.

227 Deinde arguo ad hominem. Quicquid conuenit alicui essentialiter, conuenit omni illi, quod sub illo est. Sed per te bonitas, & perfectio competit essentialiter enti reali: Ergo conuenit omni enti reali, sub transcendentali: Ergo & relationibus diuinis, & modis, &c.

Præterea. Quod conuenit essentialiter, conuenit omni subiecto, non autem alicui non conuenit; sicuti clamant Scotistæ, vt defendant Verbum non nasci actione immanenti, quæ, secundùm Aristotelem est sterilis (aiunt) essentialiter, è regione actus transeuntis. Tunc subsumo. Bonitas conuenit enti essentialiter per vos: Ergo omni enti reali.

Præterea, relationes Diuinæ non sunt modi nudi, aut formalitates; sed res: nam constituunt Personas diuinas realiter distinctas. Ergo sunt entia perfectissima. Vide, quæso, quàm absone dicas, relationes diuinas inter entia diminuta collocari. Vah! Formale constitutiuum Trinitatis sanctissimæ ens imminutum siccine facis?

228 Ex dictis ruit etiam alia responsio; Relationes esse bonas bonitate transcendentali, quæ conuertitur cum ente; non autem quantitatiua, secundum quam, res apta est esse mensura, vel mensurata in ordine ad aliud, quæ est perfectio solius entis *quanti*, quia relationes diuinæ sub ente *quanto*, clauduntur. Hæc est responsio Radæ, Smising. Sghemmæ, Brancasij, Scherij, & aliorum quamplurium Scotistarum. Eam verò friuolam dicit Mastrius, & refellit *disputat.7. Metaph.* & hic. Primò, quia argumentum ostendit, perfectionem, secundo modo sumptam, non distingui à perfectione, priori modo accepta; vel si distinguitur, ea non est passio entis; adhuc tamen est modus eius intrinsecus, vt docet Scotus *quodl.6. litt. M.* Cùm igitur bonitas, & perfectio fundetur in perfectione entis, sic sumpta. Ergo etiam perfectio, secundo modo accepta, est modus intrinsecus entis realis, vt sic. Et ita redit argumentum. Omne ens reale est bonum, & perfectum &c. Deinde, etiamsi duæ 229
illæ bonitates distinctæ essent; nos arguimus contra Scotum, relationes esse bonas bonitate transcendentali, ac entitatiua, quam si semel concesserint; dant dexteram, & manet illis de nomine nuda contentio, vt vidit Mastrius, & fatetur Smisingh. eam concedens; Et tamen Scotus eam negare contendit, vt patet ex eius argumentis; vna enim concessa, cogitur concedere & alteram; cùm sint vna perfectio; vel si distinguuntur, vt passio, & modus intrinsecus; sunt tamen necessariò connexæ, vt docet Scotus *loc. cit. §. contra ista*, & probat acutè Mastrius *disputat.5. Metaph. quæst.10. artic.1.*

Responsio vltima, quam Mastrius cæteris præferendam dicit *num.29.* est sumpta è Scoto, *quodl.5. in fine*, & *quodl.19. art.2.* quam amplectuntur Macedo, Faber, & Vulpes. Ens dupliciter sumi. Primò pro quidditate. Secundò pro ratione hypostatica. Quantitas virtutis competit soli enti, primo modo; & hoc, ait Aristoteles: conuerti cùm Bono, non autem rationi hypostaticæ quæ non dicit aliquid positiuum; sed tantùm duplicem negationem; atque adeò non dicit perfectionem: quia negatio non est perfectio. Addit Faber; tametsi personalitas diuina sit positiua; tamen per rationes proprias non dicit quid perfectum: nam relationes originis (ait Meldula) non includunt formaliter realitatem entis; nec sunt entia formaliter, & in recto, sed tantùm identicè, & in obliquo; atque adeò non sunt formaliter bonæ, atque perfectæ quidditatiuè, perfectione entitatiua. Itaque perfectiones, quas vrget argumentum, conueniunt relationibus, solùm ratione essentiæ, quâ cum identitificantur. Hæc solutio sumpta est ex Maironè, *1.d.33. art.8.* 230

Et verè est responsio Maironis. Contra eam 231
arguo primò. Quod per se constituit esse reale distinctum, & aliqua constituit realiter distincta à parte rei, est ens reale per se quidditatiuè. Personalitates, seu proprietates relatiuæ in diuinis, non vt identificatæ cum essentia; sed secundùm suum esse formale *ad*, constituunt Personas diuinas reales realiter distinctas: Ergo. Maior patet. Nemo enim dat esse formale formaliter, quod non habet. Minor est de fide, vt omnes concedunt. Consequentia est legitima; alioqui tollitur Trinitas.

Deinde cupio, enodent, quid per quidditatem intelligant. Si rem omnem, quæ habet esse 232
quidditatiuum; Ergo etiam personalitates sunt perfectæ; habent enim suas quidditates positiuas; si per quidditatem accipiant esse absolutum, prout distinguitur à relatiuo. Ergo neque relationes prædicamentales erunt bonæ.

Dicent, significare entitatem constitutiuam rei, quam non accipiunt personæ à proprietatibus diuinis, à quibus habent solam incommunicabilitatem.

Contra. Si personæ, vt distinctæ sunt à proprietatibus

prietatibus, non habent esse, sed solam negationem communicabilitatis, sequitur, habere esse distinctum ab absolutis, quod est erroneum, vt ostendam *disput.*13. *quæst.*1. Profectò Scotus in angustias conijcit sectatores.

233 Concedit verò Mastrius *num.*55. relationes creatas dicere perfectionem; non autem increatas: quia increatæ sunt vltimò constitutiuæ suppositi, dantes solam negationem communicabilitatis; at creatæ non sunt vltimò constitutiuæ suppositi; & ideò possunt sub ente *quanto*, contineri. Aliam etiam rationem addit quia penes relationes originis nulla attenditur æqualitas, vel inæqualitas inter diuinas personas, benè tamen in creatis; vbi Pater, quatenùs Pater, dicitur maior Filio. Quod valdè notandum dicit, ob sciolos nonnullos, grande piaculum putantes, asserere, quod relationes creatæ aliquam importent perfectionem; & nullam penitùs relationes diuinæ. Forestus se sciolum clamat ad hanc Scoti implicantiam. Ergone sciolos clamat Tannerum *num.*5. *Suarez cap.*9. *num.*15. & alios suprà allegatos Theologos, cùm sanctis Doctoribus?

Porrò diuinas relationes dare esse positiuum reale, probatur; nam constituunt, & positiuè di-
234 stinguunt personas diuinas, vt arguit S.Doct. *d.*16. *quæst.*1. Quòd verò æqualitas è proprietatibus sumatur, patet. Tum quia sumeretur æqualitas è sola essentia; at secundum idem non sumitur æqualitas, sed identitas. Tùm quia sunt tres subsistentiæ perfectæ distinctæ realiter, vt ostendi è Patribus, & Concilijs; at Scotistæ, repetendo principium, pugnant.

PROBATVR sextò. Id, quod est meliùs esse, quàm non esse, est perfectio simpliciter simplex, ex
235 Anselmo *in Monol. cap.*14. & *Prosol. cap.*3. Sed Patri, meliùs est esse Patrem, & Deo esse Trinitatem, quàm non esse, ita vt sine Trinitate non esset Deus, vt asserunt sancti Patres relati, & probat S. Bonauent. *d.*2. *q.*2. & 4. & ostendimus *disp.*2. *quæst.*2. Ergo.

Respondet Faber, meliùs esse Patri esse Patrem, & Deo esse Trinitatem, quàm non esse, quatenùs dicit communicationem, meliùs est enim essentiæ diuinæ esse communicabilem, quàm non esse; non est autem communicabilis per relationes, sed se ipsa; nec Pater per paternitatem, sed per essentiam; relationes verò se habent concomitanter quatenùs consurgunt.

236 CONTRA: nam sancti Patres allegati dicunt, quod, si Pater non haberet Filium, esset imperfectus. Similiter, si non esset Trinitas in Personis. Id autem, quod formaliter facit Trinitatem, est relatio, vt dicam *disput.*12. *quæst.*1. Nec tamen inferas, Patrem indigere Filio. Nam indiget is, qui à se non habet, & cogitur extra emendicare.

PORRO si admittas cùm Suarez, paternitatem non esse perfectionem simpliciter simplicem, eo quod sit opposita filiationi; atque adeò nequeat ei conuenire; vnde non sit melior cum illa, quàm sine illa; inferet Brancasius. Ergo, cùm hæc proprietas, neque sit [illegible]nitata, oportet Scoto dare manum, dicendo nec esse finitam, nec infinitam; neque enim datur medium, sed omnis perfectio, vel est simpliciter infinita, vel finita, vel abstrahit à perfectione, & imperfectione. Respondebit tamen Suarez, posse esse infinitam, sed non simpliciter simplicem. Sed hoc inf[illegible] dicetur.

237 Probatur septimò ad hominem. Quando potest inter aliqua ex aliquo induci maior perfectio, tunc illud profectò conuincitur perfectum; vt si ex rationalitate potest induci maior perfectio hominis, quam asini carentis ea, signum est, rationalitatem esse perfectionem. Sed ex diuinis proprietatibus personalibus potest induci maior perfectio, inter personas diuinas, ex Scoto *in* 1. *d.*28. *quæst.*3. & *quodl.*4. relato à Fabro *in* 1. *disp.*1. 23. *post numerum* 37. §. *Secundo principaliter arguit Scotus.* Ergo, &c.

Obijciunt primò Fauentinus, Mastrius, & alij, cum Scoto rationem ductam ex infinitate. Implicat esse plura infinita intensiuè realiter distincta; sed diuinæ relationes sunt plures realiter distinctæ. 238
Ergo implicat esse infinitas intensiuè. Minor est de fide. Probatur maior primò ex definitione infiniti. Infinitum intensiuè est illud, cui nihil deest entitatis; si autem sint plura infinita, realiter distincta, certum est, entitatem vnius non claudi in entitate alterius: Ergo non erunt infinita simpliciter. Probatur secundò maior. Plura bona excedunt vnum bonum, quando singula eorum non habent eandem bonitatem. Ergo nequeunt dari tria infinita bona, quia duo ex eis excederent tertium ex illis, & consequenter hoc tertium non esset infinitum, quia haberet alia maiora. Probatur tertiò maior. Infinitum terminat omne finitum sufficienter, quòad omnem dependentiam; sed impossibile est, plura simul realiter, & sufficienter terminare omnem dependentiam: quia circumscripto vno infinito, aliud sufficienter terminatur. Ergo impossibile est, plura esse infinita. Probatur quartò maior. Si darentur plura infinita, essent plura adæquata obiecta intellectus infiniti.

Hoc, & alia argumenta aduersa vrgent, vt extorqueant: an ponamus, relationes diuinas esse 239
plures perfectiones; an verò vnam ex omnibus, simpliciter infinitam. Et quidem Maior 1. *d.* 33. *ad* 2. Torres 1. *p. quæst.* 28. *art.*2. *d.*3. *p.*2. dicunt, esse vnam perfectionem omninò cum essentia: Vasquez dicit, esse plures perfectiones, integrantes Deum, ratione tantùm distinctas. Vide *cap.*6. Hos secutus est Forestus *folio* 130. Ideò respondent, relationes originis non esse plura infinita; sed vnum, continens absoluta, & relatiua, è quibus vnus Deus constituitur. Hanc responsionem confirmat Forestus ex Patribus. Sic D. August. *lib.*6. *de Trin. cap.*7. & *lib.*7. *cap.*9. & 10. & *lib.*8. *cap.*6. & *lib.*15. *cap.*3. & *lib.*3. *contra Maximinum c.*10. & *serm.*28. *de Temp.* & *epistola* 66. quæ loca recipiunt communiter Scholastici, *in* 1. *dist.* 19. cum Magistro; quibus locis asserit, tres personas simul sumptas non esse aliquid perfectiùs quam singulas; quia vna est omnium deitas.

ADDVCIT etiam D. Bonauenturam 2. *dist.* 38. 240
dub. 3. *litt. Confirmatur*; si extra vnam personam est perfectio alterius. Ergo illa non est simpliciter infinita; quia aliquid ei deest; nec simpliciter perfecta, ex definitione eius in Aristot. 5. *Metaph.c.*16. *textu* 21. Perfectum dicitur vno quidem modo, extra quod, non est vllam accipere particulam, & 3. *Phys. cap.*6. Id est perfectum, ac totum, cuius nihil prorsus abest.

Præterea id volunt Patres, indicantes, Diuinam 241
perfectionem ex relationibus integrari. Sic Athanas. *oratione* 2 *contra Arrianos. Veram vnitatem diuinitatis integram [illegible], & habet Filium; sed non integram, si [illegible] non habet Filium.* Et *oratione contra [illegible]egales S[illegible], V[illegible], & vnus, & [illegible]litas, non diuisa ex [illegible] ind[illegible] ad suam integritatem, vniuersa enim plenitudo, & integritas*

gritas deitatis est Pater. Vniuersa item deitatis plenitudo est Filius, quandoquidem amborum vna forma intelligitur; quæ integrè se in vtroque, & solidè exhibet.

D.Dionysius *cap.2.de Diuin.nominibus*, ait: *Tota perfecta, plenaque diuinitate, vbi intelligit tres personas, simul sumptas.*

242 VERVM Scholastici isti pedetentim in sententiam Scoti abeunt, qui concedit, relationes, vt in essentia, esse perfectas, vnamque infinitam constituere perfectionem. Neque Patres eis suffragantur, qui de sola æqualitate diuinarum personarum in essentia loquuntur, de hac enim erat contentio cum hæreticis. De cætero aliam comparationem relinquunt faciendam, quoad personalitates, vt ait D.Bonau.*d.19.q.2.* præcipuè *ad vltimum.*

PORRò S.Bonauent. *allegato loco*, non repugnat, sed solum vult; tres personas non esse tres bonitates essentiales; at non negat, esse tres res perfectissimas, vt patet.

243 OPORTET igitur, in nostra sententia, plures perfectiones reales concedere: nam & Patres, & Concilia suprà relata, id astruunt; neque aliquis Patrum in sensu Vasquesij locutus est, vt aduertit Suarez *n.7.* sed solam æqualitatem personarum in eadem deitate astruebant contra hæreticos, negantes Filium Patri consubstantialem.

Respondetur ergo cùm Suarez *cap.10.* Valentia *quæst.2.p.1.* Zumello *d.5.* Clictouæo *in Dam. lib.1. c.11.* ac D. Bonau. locis suprà adductis, personam habere vtique infinitatem ex vi relationis, non simpliciter in toto genere entis, sed in tali ratione, vel linea (ait Caspensis *n.56.*) paternitatis, &c. Ideò non sequitur, vnam vel rationem formaliter includere perfectionem alterius. Hoc videre est etiam in attributis, secundùm opinionem Scoti: etenim perfectio intellectus non includit perfectionem voluntatis; sed se inuicem formaliter excludunt. Sic respondet etiam Bachon. apud Lezanam *loc. cit.* & Caspensis; nec tamen ab hac sua illatione formidat.

244 HANC solutionem impugnat Faber à *n.11.* Primò, quia vana est (ait) illa distinctio recentiorum de infinitate in genere entis; & in tali determinato genere, non enim potest dari infinitum in genere: nam, quod est in genere, est finitum.

Prætereà. Si relationes semel infinitæ asserantur, debent esse simpliciter infinitæ; & non in genere, erunt enim infinitæ in ratione substantiæ; at substantia infinita est infinitum simpliciter, cum contineat omnem perfectionem. Prætereà Deus haberet plura infinita simpliciter; imò ex eis componeretur.

245 HÆC instantiarum colluuies ad ima defluet. Et primò quidem non est inanis distinctio infiniti in genere entis, & in tali genere in via Scoti; siquidem Scotus, & discipuli eius omnes ea vtuntur, ad discernendam infinitatem primariam diuinæ essentiæ, ab infinitate secundaria attributalium perfectionum. Ita Scotus *in 1.dist.8.q.4. lit.S*, & *d.13. quæst. vnic.lit.F*, & *4.d.13.q.1.art.1.& quodl.1.art.1.*& alibi frequenter. Et eadem vtuntur Vulpes *tom.1. 1.part. d.8. art.2.* Smisingh. *tom.1. tract.2. d.2.* Brancasius *tom.1. d.13. quæst.3.* Mastrius *tom.1. disp.2. num.53. & 87.* Quid plura? Ipse Faber *1.disp.20.cap.4. n.36.* Vnde concludit Mastrius *d.7.q.1. num.16.* omnes replicas contra allatum responsum esse friuolas, vtpotè nixas falsæ intelligentiæ illius distinctionis infinitatis simpliciter, & in tali genere. Addo,

eum non percipere hanc infinitatem in nostra sen- 246
tentia.

Respondetur ergo ad maiorem primi argumenti, quòd vera esset, si infinita illa essent omninò disiuncta; & instantiæ valerent, si essent infinita in genere prædicamentali, & tanquam partes componentes; at diuina infinitas non est talis. Sunt igitur diuinæ relationes infinitæ in ratione entis relatiui transcendentis; non partiales, non componentes; sed realiter perfectissimæ singulæ, secundum esse *ad*, identificatæ in essentia ad Deum perfectissimum, continentem totam rationem entis absoluti, & relatiui; atque adeò vnum ens simpliciter infinitum nusquam compositum; nam relationes, vt sunt *ad*, non componunt; quia compositio omnis est *ex his*; vel *in his*: vel *cum his*, neque componunt, vt sunt in essentia cum quâ sunt idem formaliter; & si relatio non componit, neque componet, etiamsi infinita sit, vt aduertit etiam Arriaga *disp.49.subsect.3.* iuxta regulam Scoti, allatam, *tract.1.d.3.n.76.*

Itaque non sunt plura infinita disiuncta; sed mirabiliter conuenientia terminatiuè ad vnum infinitum simpliciter in genere entis amplo constituendum, continens omne absolutum, & relatiuum perfectissimè: nam perfectio relationum debet deduci ad illud infinitum, in quo sunt 247
vnum adæquatum Deus Trinus, & vnus, vt aduertit Valentia. Igitur sunt plura infinita, non sciuncta; sed ad vnum adæquatum constituendum, scilicet Sanctissimam Trinitatem. Sicut autem essentia sua communicabilitate est radix multiplicandi has relatiuas perfectiones: ita eas absorbet, non ad essentiam constituendam; sed ad Sanctissimam Trinitatem constituendam vnum Deum adæquatè; & ideò Patres suprà adducti dicunt, quòd si non esset Trinitas, non esset Deus perfectus: ex altera verò parte alij dicunt, Patrem non indigere Filio; quia infinitas Filij est à Patre, nec Patri debetur, aut necessaria est. Hæc est infinitas substantialis simpliciter in tota latitudine, si adæquatè sumatur, vt proprietatibus distincta. Mirum autem est; Scotum, & asseclas adeò inuehi in plura infinita relatiua formaliter identificata in essentia; & inde compositionem augurari; cum ipsi plura absoluta formaliter distincta in diuinis apponant. Neque dicat Mastrius, disparem esse rationem, eo quòd ipsi ponunt eas formalitates realiter identificatas, nos verò realiter distinctas perfectiones infinitas, quæ non possunt esse, vt optimè vrget argumentum.

DICO enim, eos idem subire incommodum, & 248
maius. Quæro enim.

Vel Bonitas, apud vos, est infinita in genere Bonitatis; vel est infinita simpliciter. Si primum: ergo plures sunt quidditates infinitæ absolutæ, componentes vnum Deum infinitum simpliciter, quem constituunt, perficiendo essentiam, quæ non est formaliter Bona, Sapiens, Potens: Si secundum, contra. Infinitum simpliciter absorbet omnia entia, per vos. Ergo Bonitas absorbet in sua formalitate Sapientiam, Potentiam, Essentiam, &c. Neque verò nos ponimus tres relatiuas perfectiones, omninò re disiunctas; sed modo supradicto, adæquatè constituentes vnum ens, simpliciter infinitum in tota latitudine entis. Quare Mastrij instantiæ defluunt. Neque enim necesse est, identificari relatiua, vt relatiua, (vt optimè aduertit Lezana.)

sed sufficit, non esse omninò disiuncta; imò aliquo perfectissimo modo vniri, vt retenta ratione relatiuorum entium, quæ sunt perfectiones simpliciter simplices cum absolutis, vnum ens simpliciter infinitum, non compositum constituatur. Neque hoc est Philosophiam, & Theologiam peruertere, vt clamat Meldula, sed ordinatam, & sartamtectam seruare: nam, & Philosophia docet; relationes reales esse perfectiones, easque opponi; & Theologia docet entia omnia, secundum suas perfectiones seruandas in primo ente: & Metaphysica definit, vt axioma: *Ens, & bonum conuertuntur.*

249 INSTAT Meldula, cum Scoto. Si essent plures perfectiones infinitæ; sequeretur duas illarum excedere tertiam. Ergo tertia non est infinita.

RESPONDETVR ex doctrina Scoti, eo modo, quo sapientia, Potentia, & Bonitas, cum sint tres perfectiones formaliter distinctæ, non excedunt vnam Diuinæ essentiæ perfectionem; ita & nunc, etiamsi realiter distinctæ sint quia singulæ sunt infinitæ in propria ratione, v. g. Paternitas in ratione Paternitatis. Vnde filiatio non est intensio Paternitatis, sed extensio, vt agnouit ipse Mastrius *num.*44. adducens Scotum 1. *distinctione* 2. *quæst.*7. *M.M. ad* 3. *q.*4. & D.Bonauentura 1. *d.* 2.*quæst.*2.

Obiiciunt secundò. Omnis perfectio simpliciter est communicabilis. Omne infinitum intensiuè est perfectio simpliciter: ergo communicabilis. At nulla proprietas personalis est communicabilis: ergo nulla est infinita intensiuè. Maior patet ex D. Anselmo *cap.*15. *Monol.* Perfectio simpliciter est, quæ est melior ipsa, quam non ipsa, idest quæcunque alia incomponibilis, melior autem est communicabilitas, quam incommunicabilitas.

Respondetur primò ad infinitatem simpliciter

250 adæquatam, sumendam esse rationem sanctissimæ Trinitatis, in qua est id, quod communicabile, & quod incommunicabile vnificatum formaliter. Neque verò ad perfectionem simpliciter requiritur, vt sit omnibus communicabilis, sub omni ratione; sed sufficit, si sit communicabilis secundum aliquam rationem debitam: alioqui deberet diuina essentia esse communicabilis etiam creaturis. Et tamen esse incommunicabilem creaturis dicit perfectionem, & melior est illa, quam oppositum. Similiter, quia relatio, & personalitas est propria, debet esse incommunicabilis: vt, per se stans exerceat opera personæ. Itaque in ente infinito simpliciter clauditur communicabile, & incommunicabile. Negatur ergo, melius esse communicabile in quocunque subiecto, & obiecto, vt ostendi. Confirmatur: nam indiuidua natura Petri est melior quam natura communis, quæ est solum per intellectum; & tamen illa est incommunicabilis, hæc communicabilis.

251 INSTAT Faber. Ergo, per se relationes non sunt perfectiones simpliciter, sed communiori modo, quod est vilificare Deum.

AT vrgeo. Cur iste, relationes diuinas non veretur asserere nullius perfectionis; si Deo detrahitur imminuendo earum perfectiones?

Redibunt ad suam cantilenam, ac petitionem principij Faber *loco citato.* Scherius *disputatione* 4. *section.*4. cum quibusdam veteribus Scotistis, & Brancasio *numer.* 9. dicentes, relationes sub ente non quanto contineri. Profectò hic effugium assumitur, de quo est eadem difficultas, quia si est ens: ergo est bonum. Atque adeo non datur ens non quantum, non bonum. Sic suos Scoristas admonet Mastrius *disp.*7. *Metaph. quæst.*2. *num.*31. qui, vt circulum vitaret, excogitauit alia quoque entia, præter relationes diuinas, cadere sub ente non quanto; vt entis passiones; vltimas differentias, omnes denique rerum vltimas realitates, quæ *aliquitates* dicuntur: at idem ei argumentum fiet, scilicet, adhiberi ignotum, ad cognitum probandum, & id quod est in quæstione, ad definiendum. Nam quis dicet, bonitatem, quæ est passio entis, non dicere perfectionem; cum sit ipsa entis perfectio? Vrgeo. Quantitas virtualis conuenit entitati communicabili tantum, ex Scoto *quodl.*19. *art.* 2. & Mastrio *num.*19. Bonitas profectò est, quæ communicabilis primò est.

Respondetur secundò, personalitatem in persona meliorem esse, quam carentiam eius, atque communicabilitatem; & sic melior est in Patre Paternitas, quam non paternitas. Non dico, quam esse Filium. Nam Patrem esse, non est melius, quam esse Filium; & ita D. Anselmum intelligendum dico; satis verò est, eam esse idem formaliter cum ente communicabili. 252

Instabis si D. Anselmus vult, perfectionem simplicem eam esse, quæ est melior quam carentia eius simpliciter; sequitur, omnem perfectionem esse simpliciter simplicem, vt acutè obseruat Scotus.

Respondent aliqui, eam non sumi à mera negatione; sed à perfectione etiam incompossibili, considerata in non habente, vt talis est; & ita, licèt Patri non sit melius esse Patrem, quam Filium; tamen Patri, vt Pater est, hoc meliùs est. Meliùs respondetur à me 1. *tract. disput.*4. *à num.*3.

Obiiciunt tertiò. Omnis perfectio infinita simpliciter est idem cùm omni sibi componibili in eodem supposito, sed spiratio actiua, & generatio actiua non sunt idem in eodem supposito. Ergo vel non sunt perfectio; vel si sunt, componunt suppositum.

Clariùs sic formatur ratio. Si relationes diuinæ dicerent perfectionem; sequeretur esse compositas. Sed hoc est falsum: Ergo. Probatur sequela: quia in eadem persona essent duæ perfectiones realiter distinctæ; scilicet paternitas; & spiratio actiua. Ergo compositionem facerent, aut aggregationem.

HVIC rationi (ait Faber) nullus comparet ad respondendum. 253

Alio etiam modo formatur hæc ratio à Fabro. Omnis perfectio simpliciter est idem realiter in abstracto cum alia perfectione simpliciter: sed relationes originis sic se habent, quod vna non est alia in abstracto: ergo. Minor est euidens, quia hæc est falsa. *Spiratio actiua est generatio actiua.* Et ista. *Paternitas est Filiatio.* Maior probatur exemplo. Essentia diuina, & attributa, quæ sunt perfectiones simpliciter, sunt idem realiter, quia in abstracto prædicantur ad inuicem. Hæc enim est vera. *Essentia Dei est sapientia*: Probatur etiam ratione; quia perfectio simpliciter non est composita, nec componibilis, quia tunc sequeretur, aliquam ei deesse perfectionem & sic non esset perfectio simpliciter; nec infinita.

Responderat iam D. Bonauent. *d.*8. *p.*2. *quæst.*1. ad

ad 3. & 4. & d.13. quæst.3. in corpore, & ad 1. & d.26. quæst.1. ad arg. has relationes identificatas in essentia formaliter: distingui autem non in subiecto; sed in ordine ad obiectum, qua ratione non componunt, vt toties ostendi; Hæ autem perfectiones in essentia identificatæ, virtute distinctæ, non prædicantur in abstracto; quia, vt sic, important respectum, & in vna eademque persona sunt diuersi respectus, sine sui compositione, ob diuersas comparationes, & modos se habendi, qui non confunduntur; faciunt tamen ens simplicissimum perfectissimum, adæquatum, continens omnes istas perfectiones, in sua ratione infinitas, constituentes Deum in genere transcendenti entis, simpliciter infinitum. Vide hæc in D. Bonauent. locis citatis; & distinctione 33. quæst.2. & 3. & d.34. q.1. in corpore.

Obiiciunt quartò. Si relationes essent perfectæ, sequeretur aliquam perfectionem esse in Pa-
255 tre, quæ non est in filio, nempè Paternitatem. Et plus perfectionis esset in omnibus personis, quam in singulis, contra D. Augustinum 7. de Trinitate, cap.7. & 8. & 10. vbi ait. In summa Trinitate tantum est vna, quantum tres simul sunt; nec plus aliquid sunt duæ, quam vna.

Hoc argumento vtitur Vasquez, ad probandum, relationes dicere quidem perfectionem, sed
256 non esse plures perfectiones. Sic autem arguit. Paternitas non conuenit Filio; Paternitas est aliqua diuina perfectio: Ergo aliqua diuina perfectio non conuenit Filio. Hoc argumento, ait Vasquez eos torqueri qui concedunt relationes esse plures perfectiones, eosque in auia dispergi. At eodem argumento ipse pariter torquetur. Nam maior est de fide, minor est ipsius Vasquez. Consequentia est legitima, ex ipso Vasquez, vt aduertit Arriaga.

Vrgeo. Relatio Paternitatis, per te, vt distincta ab essentia, est perfectio. Sed, vt distincta ab essentia non est in Filio; Ergo aliqua perfectio non est in Filio. Vrgeo adhuc. Relationes, vt distinctæ ab essentia, sunt perfectiones; sed vt tales, idest, oppositæ, sunt tres. Ergo sunt tres perfectiones; non autem vna, contra Vasquez, qui timens lædere Patres dicendo esse tres perfectiones, lædit, dicendo relationes integrare Deum. Hinc sequitur Patrem non esse integrè Deum, quia non habet alias relationes, quibus integratur Deus.

257 Omitto ergo responsionem eorum, qui, tenentes vnicàm esse omnium relationum perfectionem, dicunt personas habere easdem proprietates in essentia; non enim soluitur argumentum, quod vrget de relationibus, vt sunt oppositæ. Nam, vt sic perfectæ à nobis asseruntur; nec respiciunt essentiam, sed correlatiuum, idest Personam infinitam, à qua habent infinitam terminationem; non tamen omnes totam rationem infiniti, vt patet in Patre. Omnes verò radicem infiniti habent, intus, non extra. Et ita ruit Vasquez, & ex parte Casp. num.64.

Respondetvr primò, cum D. Bonau. ad 16. Ioan. in ea verba. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt; è proprietatibus non sequi, Patrem habere perfectionem, quam non habeat Filius æquiualenter (relationes enim sunt) itavt, esse Patrem dicat fœcunditatem generatiuam, & proprietatem Patris generantis perfectissimam; Filius habeat filiationem, continentem correlatiuam perfectionem Filij, qui terminat Paternitatem, exhauriens potentiam generatiuam Patris. Similiter Pater, & Filius habent relationem spiratiuam, cum fœcunditate; & Spiritus habet virtutem terminandi, & exhauriendi illam fœcunditatem. Profectò & Scotistæ fateri coguntur, in Patre esse fœcunditatem perfectissimam generatiuam, quæ non est in Filio. Cum ergo hanc fœcunditatem asserant perfectionem infinitam, tenentur asserere, aliquam perfectionem in vna persona reperiri, quæ non sit in alia. Idem infertur de fœcunditate spiratiua, quæ est in Patre, & Filio; non autem in Spiritu sancto. Addo tamen cum Anersa, Morando, & Amico suprà, prudenter declarandum, quid significet vnam perfectionem, seu bonitatem esse in vna persona, quæ non sit in alia, nempe relatiuam, ne aliquando credatur de absolutis, quæ communes sunt.

Respondent hoc ferè modo Suarez, Lezana, 258
Arrubal, aliique DD. & aiunt, perfectionem, quæ est in vna persona, vt relata, esse eminenter in alia; non enim volunt, contineri perfectionem modo altiori, vt carpit Meldula. Neque volunt, hanc eminentiam esse solum ratione essentiæ, quæ continet eminenter, seu radicaliter omnes perfectiones relationum: sed contineri præcisè in correlatiua, quoad virtutis, & perfectionis intensionem: ita vt tam sit virtute intensa relatio Patris, quam Filij, ob rationem suprà allatam; quæ virtus inest ei, vt relatio est. Et hoc vult Suarez num.4. dicens, non esse vnam perfectionem relatiuam meliorem quam oppositam, propter quod negat, relationem esse perfectionem simpliciter simplicem, & num.9. ait. In illa beata Trinitate non esse beatiùs dare, quam accipere, cum D. Bonauent. d. 20. dub. 2. Idem significat Tannerus num.16. vbi respondet, negando perfectionem paternitatis non esse in Filio eminenter, seu æquiualenter; ita vt pro eodem sumat eminenter, seu æquiualenter, seu eadem intensione: sic accipit etiam Arriaga; tametsi hanc eminentiam, seu æquiualentiam referat ad essentiam, quæ communis est, in quo extra quæstionem saltat, quæ est de relationibus vt sunt ad, non, vt in essentia, an sint perfectæ; & ita relabitur in sententiam Vasquez, quem impugnat, vt vidit Mastrius num.5. sic errant, & Morandus, & Præpositus.

Hoc docuit cautè declinare D. Bonauentura 259
d.19. p.2. quæst.1. ad 3. asserens, essentiam esse in omnibus; & ex hoc capite tantùm esse in vna persona, quantum in alia; quia omnes easdem habent perfectiones essentiales; attamen habent alios, & alios modos, per relatiuas proprietates, quæ ita in singulis sunt æquè perfectissimæ, vt paternitas non sit in Filio, nec Filiatio in Patre. Ideò Concil. Florent. in litteris vnionis, definiuit. Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo dedit; præter esse Patrem, & hoc sæpè repetit S. Bonauent. Neque verò Concilium excipit solam denominationem Patris, vt putat Fasolus; sed paternitatem ipsam, vt declarat D. Cyrillus in Concil. Ephes. tom. 5. cap.1. anath.9. dicens. Præter solam Paternitatem, cùm Patre omnia communia habet. Et hoc obseruat S. Bonauent. ad 16. Ioan. in ea verba. Omnia, quæ habet Pater, mea sunt. Quod exponens & Dydimus lib.2. de Spiritu sancto, paternitatem excipit. Idem asserunt Damascen. lib.1. fidei cap.9. Nazianzenus oratione in sanctam Pentecosten, & Theologi.

Neque verò ex identitate Paternitatis cùm essentia; sequitur, illam esse in Filio, vt notat D.Thom. *quæst.42. art.4. ad 2. & quæst.2. de Potentia artic.5.* cum D. Bonauent. *d.19. p.1. quæst. vltim.* Neque tamen ex eo, quod Paternitas ita non sit in Filio, sequitur, Patrem non esse in Filio per circuminsessionem: neque ad talem inexistentiam sufficit, quod eadem numero natura sit in Filio, quæ in Patre; & quod illi naturæ realiter identificentur paternitas, & filiatio, vt dicebat Mastrius *num.7.* sed D. Bonauentura infrà explicabitur *disput.14. quæst.6.*

260 QVOD verò suprà dicebat aduersarius; futurum, vt perfectiores essent Filiatio, & Processio, quam sola Paternitas, contra D. Augustinum, & D. Bonauenturam *d.19. p.1. quæst. 2. fundamento 2.*

Respondetur, eos loqui de perfectionibus essentialibus; at emanationes,& relationes originis non sumuntur, secundùm rationem bonitatis essentialis; sed magis secundum rationem fœcunditatis personæ vel rationis terminatiuæ æquiualentis, qua exhaurit sui principij fœcunditatem accepta perfectione. Vnde non sequitur, quod si Spiritus sanctus non producat personam, propter hoc minùs habeat de bonitate, & essentialiter sit melior Pater, & hoc sensu loquitur D. August. & D. Bonauent. se explicat *resp. ad vltimum.*

Quoad notionalia verò, seu quoad relationes originis; omnes sunt infinitæ, vnde non exceduntur, vel excedunt; sed æquiualent, vt suprà dixi. Addunt, vnam Personam esse in alia formaliter per circuminsessionem. D. Bonauent. *distinct. 19. quæst.4.* Scotus *quæst.2.* Montoya *d.117. sect.4.* Caspens. *95.* & Vasquez *disputat.169. cap. 2.* & canit Ecclesia. *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater;* & ita soluunt argumentum aliqui.

Obiiciunt quintò ex Personarum æqualitate. Si relationes originis essent perfectæ; cum sint etiam realiter distinctæ, ac distinctas constituant personas, deberent Personæ secundum illas comparari in ratione perfecti; & ita esse æquales; vel inæquales: nam plures quantitates virtutis sunt hac ratione inter se comparabiles; at Personæ diuinæ per relationes originis non comparantur; vt æquales; vel inæquales. Ergo non sunt entia quanta, quantitate virtutis; & cum neque molis quantitatem habere queant; sequitur, eas sub ente non quanto contineri. Minor probatur ex Patribus, qui æqualitatem Diuinarum Personarum è sola essentia metiuntur. Ita D. Augustinus *lib. 3. contra Maximinum cap.10.* & *serm.38. de tempore* & *lib.6. de Trinitate, cap.8. & 10.* & *lib.8. cap. 1.* Anselm. *in Monol. cap.53.* Quod, si penes relationes originis compararentur Personæ, potiùs essent inæ-
261 quales, vt docet Richard. Victor. *lib.5. de Trinitate, cap.24.* Porrò è solis perfectionibus essentialibus æqualitatem diuinarum Personarum metiuntur Patres Concilij Tolet. vndecimi, dicentes. *Nec minoratur in singulis; nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet; cum vnaquaque persona Deus singulariter dicitur; nec amplius, cum totæ tres personæ vnus Deus enunciantur.* Idem docent D. Bonauent. *d. 19. & 20.* sæpè, vt dicetur *disputat.14.* D. Thom. *quæst.35. art. 2.* & *quæst.42. art.4. ad 2.* & cum Magistro *distinctione 19.* alij Scholastici.

HINC Mastrius canit triumphum; inferens, non esse sordidam fugam, aut petitionem principij, ponere relationes sub ente non quanto; sed doctrinam Patrum, & aduersantium etiam Theologorum.

Confirmatur. Relationes illæ non solùm sunt 262
plures, ac realiter distinctæ; sed etiam diuersæ, & quasi specie distinctæ. Ergo cum sint diuersæ perfectiones, facient diuersitatem, & inæqualitatem etiam intensiuam; nam Paternitas à filiatione plus differt, etiam intensiuè quam à Paternitate simili.

Hoc eodem argumento vtitur Vasquez, ad probandum, non posse esse plures perfectiones; at verò, cum ipse semel concesserit, relationes vt *ad* dicere perfectionem, tenetur plures concedere; sicuti, & ipsæ relationes sunt plures.

MORANDVS Præpositus *loc. cit.* Caspens. *n.86.* 263
Suarez *lib.3. cap.10.* respondent, relationes originis secundùm suas rationes; nec esse æquales, nec inæquales; sed diuersarum rationum; ea verò, quæ comparantur in ratione æqualis, vel inæqualis oportet vt habeant quantitatem eiusdem rationis; sic punctum non dicitur corpori inæquale. Quia verò hæ relationes conueniunt in communi ratione relationis, comparantur,& sunt æquales,quia ita perfectum terminum, & fundamentum habet vna, sicut alia.

Addit Amicus, aliqua diuersa posse esse æqualia in quantitate virtutis,quæ est perfectio,vt ait D.Bonauent. *d.19. p.1. quæst.2. in corpore* ex D. August. *6. de Trinit. cap. 8.* quia possunt habere totidem gradus perfectionis; & ideò æqualem intensionem. Neque verò necesse est,vt fingit Mastrius, ea, quæ diuersa sunt, esse inæqualia; quod acutè obseruat Arriaga, & Lezana. Quod si etiam id daremus in creatis, quæ sunt entia per participationem; non illico sequitur in Diuinis; vbi omnia sunt, ens per se infinitum, saltem in tali ratione, puta paternitatis, vel filiationis: at entia per participationem sunt sicut numeri, vt ait Philosophus, & sunt inæqualia penes maiorem, vel minorem participationem, & distantiam, aut vicinitatem ad ens per se, vt optimè obseruat Lezana, ex Suarez: quamuis 264
enim ens per se sit infinitum,infinitis gradibus perfectionis dotatum; & ideò nequeat adæquari; imò quodcunque perfectum ab eo distet adhuc infinitè; certum tamen est, ex parte accedentis magis præcedere id, quod pluribus gradibus abundat perfectionis. Sicuti, si duo corpora finita, alterum palmare; alterum centum palmorum applicarentur corpori immenso per penetrationem; licèt in se priùs intrinsecè, ex propria quantitate mensurata sese excederent, excederent tamen etiam comparatione ad regulam illam corporis infiniti, vel dic duas lineas inæquales applicitas lineæ infinitæ, se ex illa regula excessuras; quia non comparantur ad totam rationem infiniti; sed ad eos tantùm gradus, quos adæquant. Multa his opponit Mastrius, quæ tamen ex dictis, & ex nostræ sententiæ genuina intelligentia corruunt. Responsio elicitur ex D. Bonauentura *distinct. 20. quæst.1. & ad 16. Ioannis citatum.*

DISPVTA

DISPVTATIO IV.

De Notionibus Diuinis.

QVÆSTIO I.

De nomine Notionis.

D. Bonau. d.26. q.4.
D. Thom. q.32. art.2.

1 NOTIO est ratio obiectiua, seu obiectum aliquod, quo distinctim Personas Diuinas internoscimus; vt docent ambo sancti Doctores hic, & alij apud Vasquez, & Nazarium ad hunc articulum D. Thomæ, contra Ariminensem, qui notionem credit rationem formalem cognoscendi, quo sensu videtur locutus D. Augustinus 5. *de Trinitate*, *cap.6.* dum ait. *Alia notio est*, *qua intelligitur ingenitus*; *alia*, *qua intelligitur Genitor*, vt obseruant Nazarius *loc. cit.* Tannerus *disput.*4. *quæst.*3. *dub.*5. Caspensis *disputat.*5. *sect.*3. S. Dionys. *cap.*1. *de Diuin. nominibus*, Has vocat *Nominationes*: at D. Basilius *lib.*2. *contra Eunom. epistola* 43. *ad Nyss.* & *lib. vnico de Spiritu sancto*. D. Iustinus *in expositione fidei*. Epiphan. *hæresi* 73. Nyss. *lib. de differ. essentiæ*, & *persona*, eas appellant, *Notas*.

QVÆSTIO II.

An dentur Notiones abstractæ, aliqua ratione distinctæ à concretis.

D. Bonav. d.26. quæst.1. & d.33. quæst.1.
D. Thom. q.32. art.2.

2 OBSERVA, & prælibа ex D. Bonauent. *distinctione* 26. *quæst.*4. Notiones esse quinque, vt ostendam, *quæst.*3. Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & Processio. Primæ duæ sunt Patris. Altera, qua omnis emanatio passiua excluditur ab eo: altera, qua refertur ad Filium. Tertia, idest, Filiatio est Filij. Quarta est communis Patri, & Filio. Quinta est Spiritus sancti. Ex his aliquæ sunt proprietates personales constitutiuæ Personarum, & sunt Paternitas, Filiatio, & Processio passiua; aliæ sunt proprietates personæ, vt Innascibilitas.

Relationes sunt quatuor. Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Processio. Hæ omnes simul comparatæ se habent, sicut excedentes, & excessæ. Notio enim continet omnes relationes; & proprietates; & præterea aliam, quæ non est relatio,
3 nempe Innascibilitatem; & aliam, quæ non est proprietas, tametsi relatio sit, idest spirationem actiuam. Relatio verò comparata cum proprietate, se habet vt excedens, & excessum. Nam excedit proprietatem in spiratione actiua, quæ est relatio, non proprietas: exceditur verò, quia Innascibilitas est proprietas, non relatio. Cæterum tres relationes; Paternitas, Filiatio, & spiratio passiua, sunt etiam proprietates. Itidem, proprietates personales sunt etiam personarum; at vna est personarum, nempè spiratio actiua, quæ non est personalis, vt ait Vasquez *quæst.*32. *art.*2. & Tannerus *disput.*4. *quæst.*3. *d.*5. Nazarius *quæst.*32. *artic.*2. & alij. Quæstio igitur nostra, quæ de Notionibus hic proponitur, etiam de proprietatibus, & relationibus vrget. Nam omnes sunt notiones.

AVREOLVS apud Capreolum 1. *d.* 26. & Caietanum hic, docuit, in Deo quamlibet notionem, abstractè significatam, distingui ex natura rei à suo concreto; v. g. Paternitatem à Patre, &c. Ratio est, quia aliqua asseruntur de vno, quæ non de altero. At hæc opinio elisa iacet *disputat.* 3. *quæst.*4. cum opinione Scoti, quæ relationem ab essentia eadem distinctione diuidebat, vt aduertit Vasquez *disp.*136. *cap.*1.

Præpositus antiquus Scolasticus, vt referunt sancti Doctores hic, pro eodem, ait, vsurpari abstracta, & concreta in diuinis; & ita paternitatem esse idem omninò cum Patre: sicuti cum inter nos dicitur. Rogo benignitatem tuam, idest Rogo te benignum; alioqui, si Paternitas aliud significaret, quam Pater, diuina simplicitas periret. Idem videntur sentire Gregorius 1. *d.* 26. *q.*1. & 2. Gabriel *d.*18. *q.*1. *art.*3. *d.*1.

Omnes tamen Scholastici communiter notiones abstractas admittunt, easque virtualiter distinctas à concretis. Ita D. Bonauent. & D. Thom. hic, vbi omnes Thomistæ Vasquez *loc. cit.* Suarez *lib.*7. *cap.*1. Valent. *quæst.*6. *p.*2. Tanner. *d.*4. *quæst.*3. *dist.* 5. *n.*6. Capreol. *loc. cit.* Caspens. *d.*5. *sect.*3. Morand. *quæst.*18. 4

ASSERO cum hac sententia, admittendas notiones, seu notas personarum diuinarum, abstractis nominibus significatas. Patet ex dictis *disp.*3. *quæst.*1.

PROBATVR primò à D. Bonau. quia omnes Catholici id asserunt, & Patres, atque Theologi.

Sophronius in sua epistola *act.*11. *sextæ Synodi*, has proprietates, alteritates vocat, & alterificas proprietates, quæ inconfusè vnamquamque significant personam. Nycephorus etiam Episcopus, in Concilio Ephes. *tom.*5. *cap.*22. vocat proprietates distinctiuas personarum. Idem ferè habet Ioannes Theol. in Concilio Florent. D. Gregorius Nazianzenus *orat.* 19 *in sancta Lumina*, illas appellat filiationem, generationem, processionem, & ingenituram.

D. Basilius lib.2. contra Eunom. *Non enim demonstratiui proprietatum modi simplicitatis eius rationem lædent.* Et infrà. *Deitatem esse communem*: *Paternitatem autem*, & *filiationem esse proprietates.* 5

Hilarius *lib.*9. *de Trinitate*, expressè nominat natiuitatem & innascibilitatem D. Cyprianus *de operibus Card. cap. de natiu. Christi*, ait; Christum vocari magni consilij Angelum; quia generationis, & processionis intimas rationes reuelauit, subtiliter astruens personarum proprietates, & indissolubilem essentiæ vnitatem.

REFERT S. Bonauent. præcipuè Damascenum, qui multus est in hac re *lib.*1. *cap.*9. & 10. vbi Paternitatem Innascibilitatem nominat. Et *cap.* 1 ait. *Differentiam hypostaseon in tribus proprietatibus, paternali, filiali*, & *processibili, cognoscimus.* Ex hoc loco Damasceni eruit S. Bonau. argumentum primum, quo vtuntur Vasquez *num.*5. Suarez *num.*6. Caspens. *num.*54. Tanner. *numer.* 6. & alij, cum

D.Thomæ,& Thomistis. Quia non possemus importunitati hæreticorum sciscitantium, in quo Personæ differant, satisfacere. Si enim quærant Græci: Quo differat Filius à Spiritu sancto. Respondetur, *spiratione*, cui interrogationi nomine concreto spiratoris non satisfieret. Sic quærentibus; in quo Pater differt à Filio. Respondetur; *paternitate*; non enim Pater à Filio, secundum totum esse Patris, distinguitur.

VRGET S. Doct. secundò argumentum, quo vtuntur Tanner.*n.*27. Vasquez *n.*6. Suarez *n.*6. Morand.*loc.cit.* cum Alensi 1.*p.q.*68.*memb.*3. & D.Tho-
7 ma hic. Quando aliqua inter se conueniunt in aliquo; & in alio differunt; dantur rationes, seu formæ diuersæ, quibus, & res distinctas, & rationes distinctionis, atque vnitatis explicamus. Et, dum hæ distinctæ dantur, signum est à parte rei reperiri modo conuenienti, puta, simplicissimas, identificatas in ente simplicissimo. At in diuinis dantur hæc omnia. Ergo. Maior est euidens. Minor probatur: quia interrogantibus de Diuinissima Trinitate *Quid?* Respondetur *essentia diuina.* Sic Persona explicatur, vt *Quis?* Proprietas, notio, & relatio, vt *Quo*, quia significatur, vt ratio, qua aliquid est tale, & aduertit S. Bonauent. *in corpore*, incidi figuram dictionis è commixtione horum modorum; sicut in creaturis ex commutatione prædicamentorum in consequentiis inferendis.

8 Aduertit autem Suarez *num.*5. cum D.Bonauent. *ad* 3. conceptum diuinarum notionum in abstracto nil detrahere simplicitati diuinæ, quin potius; quia abstracta concipiuntur à nobis, vt simpliciora; videtur modus concipiendi magis Deo consentaneus; & ideò in scriptura est admodum vsitatus. Sic enim Christus dicitur *Veritas*, *sapientia*, *iustitia.* Vnde aduertit Bernardus *serm.* 80. *in Cant.* has voces esse aptissimas ad explicandam diuinam perfectionem. Et ideò in Concilio Rhem. non fuisse probatam explicationem Gilberti dicentis, Deum vocari sapientiam, idest sapientem. Neque verò concretum componimus; sed identitate formali solis virtualitatibus distinctum constituimus; & ratione subsistentiæ concretum, per diuersos respectus virtualiter multiplicatum in esse *in*, concipimus.

Cætera argumenta habes *disp.* 3.*q.*1.

9 Obiicies primò. Quomodo è diuersitate terminorum probat S. Bonauent. multas esse relationes Patris ad Filium, & Spiritum sanctum? nam Pater relatione eadem refertur ad duos filios; & Christus ad Patrem, & ad Mariam vnica relatione filiationis, vt docet D. Bonauent. & videbimus 3.*p. tractat.*1.*disputat.*30.*quæst.*3. Idem sentit D. Thomas.

RESPONDET D. Bonau. *d.*36.*q.*1. *in corpore*, & *in fundamentis*, Patrem referri ad Filium, & Spiritum sanctum, diuersis relationibus, non solùm modo dicendi, sed virtute distinctis, eo quod diuersa veluti specie est productio Filij à productione Spiritus sancti, qui sunt diuersæ personæ veluti specie, productæ altera per generationem, altera per spirationem amatoriam: at Christus est vnica persona, producta à Patre ab æterno, & à Beata Virgine in tempore: filiatio autem personam habet pro subiecto; ideò est vnica relatio ad Patrem, &
10 Matrem. Similiter filius inter nos respicit Patrem, & Matrem, vt causas partiales suæ generationis; alioqui esse deberent duo Filij, vt docent Caietanus *quæst.*32.*artic.*2. Syluester, Zumellus, Torres, Bañes *in discursu articuli* Fonsec. *lib.* 5. *Metaph. cap.*15. *quæst.*4. *sect.*3. Nazar. *ad art. citatum D. Thom. controu.*1. & alij Thomistæ communiter. Pater verò refertur eadem relatione ad duos filios; quia distinctio accidentium sumitur à subiecto; subiectum autem non est capax duorum accidentium realium, solo num. distinctorum, ex Aristotele 5.*Metaph. cap.*10. & D. Bonauent. 3.*d.*8.*art.*2. *quæst.*2. tametsi non repugnet duo accidentia intentionalia, vt duas species intentionales esse in eodem oculo. Itaque relatio Abrahæ ad Ismaelem extendebatur ad Isaacum; non autem noua eiusdem speciei addebatur. Sic etiam aduerte in creaturis relatis ad Deum, ad quem, non pluribus modis, sed vno modo referuntur, etiam si ipsæ innumerabiles sint; quia relatio habet esse *ad*, & creaturæ omnes vna ratione specifica referuntur ad Deum, non pluribus, vt vellet Præpositus, cuius argumentum hac doctrina eliditur. Soluitur etiam oppositio Caspensis *num.*57. attamen potest dici, D.Thom ponere hic, & ibi distinctionem rationis. Ita Caspensis.

Obiiciunt secundò Molina, & Torres. Non rectè è productionibus realibus inferri proprietates reales: nam Deus realiter produxit creaturas, & tamen ad eas non refertur realiter.

Respondet D. Bonauent. ad quintum, Deum esse Creatorem, secundum essentialia; essentia autem non refertur, nisi ad aliam essentiam productam, Deus autem non potest referri ad res, quæ sunt inferioris naturæ in infinitum; res verò ad ipsum ordinantur, vt habet Aristoteles 11. *Metaph. text.*52. Personæ autem diuinæ sunt eiusdem ordinis. Ideò possunt ex originibus referri ad inuicem. 11

Reliqua aduersarij argumenta soluta iacent *disput.*3. *quæst.*1.

QVÆSTIO III.

Quot sint Notiones Diuinæ.

D.Bonav.d.26.q.4.
& d.27.quæst.2.
& d.28.quæst.4.
D.Thom.q.32.art.3.

OMITTO dicentes, Notiones esse duodecim vel triginta duas apud Auersam *quæst.* 32. *sect.* 4.

PRIMA opinio est Scoti 1.*d.*28.*quæst.*1.*ad* 3. sex esse Diuinarum Personarum Notiones. Paternitatem. Filiationem. Spirationem actiuam. Processibilitatem. Innascibilitatem; & inspirabilitatem, quam addit filio. Hanc opinionem retractauit in Reportatis, vt dicam *quæst.*6. ad finem. Enim verò hunc numerum senarium tuentur Faber *d.*49. Rada *contr.*25.*art.*3. etsi Scotus mihi frigidius loquatur, vt vidit Caiet. cum Iauello. Vnde & Ioan. à S. Thom. Scotum scrupulosè asserere ait. Et Macedo *collat.* 8. *diff.* 3.*sect.*8. negat Scotum retractasse.

Vera tamen sententia est quinque tantùm esse Diuinarum Personarum Notiones. Ita SS. Doctores hic: vbi Thomistæ, Caietanus, Sylnester, Iauellus, Bañes, Zumellus, Nazarius, Pesantius, 12
Ripa, Molina, Valentia, Suarez *lib.*5.*cap.*9. & 10. Tanner.*d.*4.*q.*3.*d.*5.*n.*7. Vasquez *d.*137. Coriolanus *q.*32.*art.*4. Caspensis *d.*5.*sect.*4. Marcus à Baudunio *q.*32.*art.*2.*dub.*1. Morandus *q.*18.

ASSERO

Assero primò, paternitatem, filiationem, & processionem passiuam esse notiones.

Probatvr à Seraphico *dist.*20. *q.*4. *in corpore*, quia sunt maximè indiuiduantes Personas; per eas enim maximè Personas cognoscimus distinctas. His synonimæ sunt Genitor, Genitus, & spiratus. Ideò D.August. 5.*de Trinit.c.*6. ait, non esse aliam notionem Geniti, & Filij.

Assero secundò, spirationem actiuam esse notionem.

13 Probatvr à S.Bonau. *in corpore*, ratione philosophica, qua vtitur Suarez *lib.*5.*cap.*9.*num.*5. Notiones sunt rationes cognoscendi; relatiua verò sunt simul cognitione. Vnde, si vna relatio est in numero Notionum, erit & altera illi respondens; quia non possunt cognitione disiungi. Sed processio passiua est notio. Ergo & spiratio actiua, illi respondens correlatiua.

14 Observat autem S.Bonau. *loc.cit.* & *d.*27.*p.*1. *q.*1. & post eum Suarez *lib.*5.*cap.*9.*num.*5. Tannerus *num.*11. Marsil. 1.*d.*29.*art.*1.*not.*8. Canar.*q.*33.*art.*3. Vasquez *num.*3. inter notiones collocari relationes, non origines; quia origines sunt quasi viæ, at relationes explicant aliquid permanens, & in facto esse, licèt & ipsas origines asseramus notiones, provt sunt vnum cum relationibus: v.g. Generatio cùm paternitate.

15 Observant secundò prædicti Theologi, cùm D.Bonau. *d.*26.*q.*4. D.Thom. *ad vlt.* nomina, quæ significant processionem vniuersè, non significare distinctam notionem; etiamsi processiones sint notiones. Veluti si generare ponitur notio, non debet esse alia notio *producere*; quia producere, & generare differunt, vt prædicatum vniuersale, & particulare: vniuersale autem cùm particulari debet numerari, quia hoc includit illud.

16 Observant tertiò ex allegatis Doctoribus, cùm D.Bonau.*loc.cit.* & D.Thom.*ad* 4. notionem personæ debere concipi à nobis, per modum dignitatis, & perfectionis cuiusdam; nam vt aiunt SS. Doctores, cum persona præferat dignitatem aliquam; notio personæ eam debet aliquo modo denotare. His dictis.

Assero tertiò, Innascibilitatem esse notionem.

17 Probatvr à D.Bonau.*d.*26.*q.*4. *fundamento* 4. *addito in corpore*. Omnis proprietas est ratio distinctè cognoscendi personas. Innascibilitas est proprietas Patris solius, neque est aliqua è quatuor relationibus. Ergo est quinta notio.

Probatvr secundò in corpore. Eadem est ratio innotescendi, & distinguendi. Sed ratio distinguendi accipitur à parte originis, per quàm multiplicantur personæ, aut positiuè, aut priuatiuè. Si priuatiuè, aut priuat originem productione, seu dicit non producere; & hoc non dicit nobilitatem, & ideò non est notio: aut priuat originem per modum producti, seu dicit non esse ab alio. Et hoc dupliciter, vel specialiter, & hoc non dicit nobi-
18 litatem, v.g. inspirabilitas in filio non dicit nobilitatem; quia alio modo æquali est productus, idest per generationem, aut dicit non esse productum omninò, idest, à nullo habere originem, hoc sanè dicit nobilitatem, & notificat; sicut enim origines sunt rationes quatuor notionum, distinctionumque; ita debuit dari aliqua notio, ad cognoscendum primum fontem omnium originum, habentem fontalem plenitudinem, ac principium primum omnium emanationum, atque relationum, per quas Sanctissima Trinitas constituitur. Ergo necessaria fuit notio, qua primam personam in ratione primæ cognosceremus; quia sine hoc fundamento, nec Personarum multiplicatio, nec certus earum numerus cognosci posset. Illa verò Persona 19 per notionem paternitatis non satis explicatur: nam Patres inter nos non sunt personæ improductæ: ergo necesse fuit addere aliam notionem per quam cognosceretur prima improducta. Dum autem dicitur innascibilis, multò magis cognoscitur inspirabilis, quia spiratio sequitur generationem. Itaque idem est innascibilis, & improducibilis, vt notat D.Bonau.*d.*27.*p.*1.*q.*2.*ad argumenta*, & post eum Suarez *lib.*5.*c.*10.*n.*4. Caspensis *disp.*5. *n.*67. Scotus, & asseclæ dicunt, ad notionem sufficere negationem.

Contrà ait S.Bonau.*loc.cit.* & *d.*29.*q.*4.*in corpore*: 20 nam, vt est pura negatio producibilitatis, conuenit etiam essentiæ. Ergo non est notio Patris.

Respondet Suarez primò, essentiam, licèt improducibilis sit; esse tamen communicabilem, non sic paternitatem, & totum hoc, idest *produci*, & *communicari*, negatur per notionem innascibilitatis.

Respondet secundò, aliter esse ingenitum hunc Deum: aliter Patrem; nam innascibilitas est pura negatio, respectu Dei, vt sic: at respectu Patris, est veluti priuatio; quia supponit Patrem producibilem, saltem secundùm rationem personæ communem, atque hoc totum dicit notio *ingenitum*; scilicet personam improducibilem, & ita innascibilitas dicit negationem non in quocumque; sed in aliqua persona, sicut simitas dicit curuitatem in naso.

Hæc tamen solida non sunt: nam etiam in persona diuina, de qua loquimur, dicit producibilitatis negationem; quòd si rationem naturæ consideremus in inferioribus, etiam ipsa producibilis est; generatur enim totus Petrus.

Assero quartò, inspirabilitatem non esse notionem Filij.

Probatvr à Seraphico *d.*28.*q.*4. *in fundamentis*, primò ex communi consensu Doctorum, & 21 Patrum. Id vrgent etiam Tannerus *n.*7.& 8. Baudunius *q.*32.*art.*2.*d.*1. Morandus, Amicus, &c.

Respondet Scotus, hoc argumentum esse ab authoritate negatiua, quia Patres nusquam dixere; esse tantùm quinque; sed solùm enumerant quinque.

Ioannes Rada negat, Patrem aliquem numerasse quinque notiones.

Contra est, quia Patres agnoscunt, atque recensent solùm quinque notiones (esto non dicant; sunt quinque.) Sic D.August. 5. *de Trin.cap.*6. tres relationes personales recenset, & innascibilitatem. Similiter, & indicat, omnes relationes esse notiones, atque adeò etiam spirationem actiuam. Easdem recenset S.Basilius *epist.*43. vt describit Tanner. *num.*12. Vide alios Patres in Suarez *lib.*8. *cap.*2. & *lib.*9.*cap.*10. Vasquez *disp.*137. & 140. Cùm autem Patres has solas enumerent, signum est, nullam aliam in eorum doctrina addendam.

Probatvr secundò à D.Bonau. si improcessibilitas est notio; aut hoc est, quia negat esse ab 22 aliquo; aut quia negat tantùm spirari ab alio. Si primum, erit idem cùm innascibilitate, vt docet D.August.*lib.cit.* S.Iustinus Mart. *in expositione fidei*. Cyrillus Alex.*lib.*1.*Thesauri*,*cap.*2.& 3. Nazianzenus *oratione* 35. *num.*36. & Concil.Tolet Vndecimum; vt refert Suarez *lib.*8.*cap.*2. *num.*3. Ideò Nazianzenus, ait: *Genitum, & ingenitum non esse immediatè*

opposita; quia neutrum de Spiritu sancto dicitur, qui non est genitus; neque tamen est ingenitus, quia est à Patre, & Filio alio modo productus. Si verò per inspirabilitatem intelligas, non esse spiratum, & hanc ponis notionem Filij, profectò superfluè apponitur, & ridiculè; dùm enim Filius alia notione astruitur spirator; quis non videt, ei repugnare esse spiratum? non enim potest esse & spirator, & spiratus. Huic argumento non sunt ausi respondere Scotus, & asseclæ. Neque possent.

23 PROBATVR tertiò à D. Bonau. si non procedere, esset notio; eodem modo etiam non producere, esset notio; at hoc est falsum. Ergo.

Si dicas, non esse simile; quia non procedere dicit nobilitatem; at non producere nullam dicit excellentiam.

Contrà arguit S. Doct. quia, sicut nobilitatis est esse primum principium, & notionem constituit; ita etiam esse terminum, in quo est status, & vltra quem non potest procedi, eò quòd veluti exhaurit producendi venam.

Arguit etiam in corpore, quòd non producere personam non sit notio personæ: quia neque essentia producit. Ex quibus omnibus habes, contra Torrem, non posse vnquam notiones plures esse.

24 Ex dictis habetur ratio, cur innascibilitas sit notio; non autem inspirabilitas, quam asserit Vasq. *cap.5.* esse veram rationem, eductam è D. Bonau. *d.24.q.4.* clariùs *dist.28. quæst.vlt.in corpore.* Quia inspirabilitas est mera negatio processionis passiuæ per amorem; vnde non affert aliquam dignitatem, quam cum in ratione personæ agnoscamus, tenemur etiam in notione personæ concedere, vt ostendat personam. Quare miror, cos, qui concedunt, personam formaliter dicere dignitatem; admittere, posse dari notionem eiusdem, nullius dignitatis, & meram negationem. Ex his Suarez *lib.5. c.10. n.6.* cùm tamen *lib.1.c.1.* personam dicere substantiam, & dignitatem, asseruerit. E contrà verò innascibilitas, licèt formaliter dicat negationem, tamen fundamentaliter dicit positionem; vt docet D. Bonau. *dist.24.q.4.* & *d.28.q.1.2.* & 3. Pro quo scias ex

25 D. Bonau. *loc.cit.* negationem formæ oriri à peculiari aliqua ratione formali, oppositâ ei, cuius dicitur negatio: veluti incorruptibile in cœlo, quod negatio est corruptionis, oritur ex aliqua formali ratione, oppositâ corruptioni, nempè ex perpetuitate, vel alia simili, quæ nomine caret: Incorporeum similiter in Angelo est negatio corporis, quæ nascitur è ratione spirituali. Illam verò rationem, vnde negatio oritur, solemus nonnunquam negatione explicare, eò quòd contingit, eam esse notiorem nobis, quàm formam positiuam: est autem aliquando notior negatio, quia formalis ratio, qua priuat, notior est; vt corruptio, quàm perpetuitas: atque adeò perpetuitatem incorruptibilitatis nomine significamus. Sic multa de Deo cognoscimus, quia meliùs intelligimus, quid non est; quàm quid est, vt docet D. Dionysius. Ita disserit Caspens. *disp.5. sect.4.*

26 HINC colligere licet rationem, ob quam innascibilitas sit notio, etiamsi negatione significetur; quia nimirum, licèt formaliter, & expressè significet negationem, & id quod Pater non est; fundamentaliter tamen significat positiuam aliquam dignitatem personæ, modum scilicet aliquem subsistendi eius, in quo aliqua dignitas elucet, quæ per negationem à nobis agnoscitur; sicut incorporeum, & incorruptibile denotant attributa positiua, quæ sunt negationes corporis, & corruptionis, videlicet perfectionem perpetuitatis, & spiritus.

PORRÒ innascibilitatem significare modum aliquem positiuum personæ, asserunt aliqui Patres. Sic Basil. *lib.4. cont. Eunom. c.2.* Cyrillus *lib.1. Thes. cap.4.* Damasc. *lib.1. de fide, cap.9.* Nicetas *in orat.23. Nazianzeni.*

Respondet Nazarius *q.32. art.2. controu.2. ad arg.* 27
Primò, esse modum negatiuum substantiæ. Secundò, non esse aliquid positiuum formaliter, vel materialiter; sed connotare, seu indicare tantùm, vt fundamentum. Tertiò, illam indicare personam Patris, sub ratione primi principij; & de hoc loqui Sanctos Patres.

Contrà verò est, quia expressè dicunt, esse modum substantialem: nam D. Basilius negat esse nomen, sed modum substantiæ. Et D. Cyrillus, ait: Nomine ingeniti nos significare modum, quo Deus est. Ergo positiuum. Et Damascenus, ait: Filium habere omnia, quæ Pater habet, hoc vno excepto, quòd ingenitus non est; & hanc vocem significare modum existentiæ. Ergo quid positiuum, saltem materialiter: quod & fundamentaliter dicitur; non autem solùm connotatiuè. Et Nicetas, ait: Ingenitum esse characteristicam Patris proprietatem. Sed de hoc latè *disp.8.q.3.*

Obiicies primò, cùm Scoto tanta est dignitas 28
Filio non spirari, quanta Patri est non produci vllo modo. Ergo si innascibilitas est notio, erit etiam inspirabilitas.

Respondet D. Bonau. locis adductis, præsertim *dist.29. quæst.4. in corpore*, primò, negando antec. nam esse ingenitum dicit, nullo modo esse ab alio, & hoc est dignitatis; at inspirabilitas in filio negat solùm, esse productum per voluntatem; non tamen excludit, quin altero modo per intellectum sit productus. In Patre verò esse innascibilem, includit etiam esse inspirabilem; quia generatio supponitur spirationi. Et ideò, qui non est genituræ filialis capax, neque est spiratus.

Respondet secundò, *dist.28.* & *d.29.q.4.* Innasci- 29
bilitatem dicere aliquid positiuum, & nobile; nempe esse fontale principium Trinitatis, quod non dicit inspirabilitas, vt ostendam *disp.8. q.3.* Notio enim Personæ est dignitatis, vt notat Arriaga *disp.50.sect.5.* Moraudus *num.590.* cum D. Thom. *art.3. ad 4.*

Respondet tertiò, inspirabilitatem claudi in spiratione actiua Filij, vt dixi: quia eo ipso, quòd spirator est, & hanc notionem obtinet, certè agnoscitur non spirari; quare inspirabilitas clauditur in quarta notione. Hanc solutionem omittunt Scotistæ, quia validum in eos vrget argumentum.

P. MACEDO ad amouendam sextam notionem destruit & quintam, hoc argumento. Notio nititur relatione, quæ est ratio distinctiua; at spiratiuitas nititur non in relatione distinguente Patrem & Filium, sed in virtute spirandi, qua vterque non distinguitur, sed vnitur in vnum principium: ergo. Quia verò respondemus esse diuersas notiones respectu Spiritus sancti. Instat, hanc diuersitatem non esse immediatam, nec veram oppositionem relationum.

At dico esse veram oppositionem relatiuam per quam spirantes spirato relatiuè opponuntur, & ab eo differunt & aliter non differrent, vt ostendam *d.10. q.3.* Ita hæc notio est apta ad noscendos distinctos Patrem, & Filium, tam inter se, quàm à Spiritu sancto.

Ex dictis & dicendis *d. 9. sect.2.* habes falsum

n.590.

n.590. Morandum & Arriagam *d.50.sect.5.* dicendo non satis in ratione filij claudi esse ingeneratiuum. Sanè cum sit filius infinitus, exhaustam generatiua fœcunditate naturam accipit.

QVÆSTIO IV.

An Notiones inuicem prædicentur.

D.Bonau.dist.35. quæst.3.

ASSERO primò, notiones diuersarum personarum non posse inuicem prædicari.

30 PROBATVR à D. Bonau. Sicut se habet persona ad personam : ita notio ad notionem ; sed vna persona non prædicatur de alia : v.g. Pater non dicitur Filius : ergo.

ASSERO secundò. Notiones eiusdem Personæ non prædicari in abstracto, v.g. Paternitas non dicitur innascibilitas, aut spiratio.

31 PROBATVR à D. Bonau. quia, quæ prædicantur abstractè, sunt vnum formaliter, secundùm totum suum esse. Sed notiones eiusdem personæ non sunt idem, secundùm totum esse : ergo. Minor probatur : nam paternitas, & spiratio actiua, licèt, vt sunt in Patre, sint idem ; tamen, vt sunt *ad*, altera respicit Filium solum ; altera solum Spiritum sanctum. Quòd si inuicem prædicarentur ; sequeretur, paternitatem referri ad Spiritum sanctum, & spirationem actiuam ad Filium, aut ad Spiritum sanctum præcisè, vel ad Filium innascibilitatem.

ASSERO tertiò, eas prædicari inuicem in concreto, ratione eiusdem suppositi, *in quo.*

32 PROBATVR à D. Bonau. Si enim formæ accidentales ita in concreto prædicantur, inhærendo eidem supposito, vt album est dulce ; multò magis substantiales. Pater est spirator.

Ex his habes, notiones, vt sunt in eadem persona, differre virtualiter, vt dixi de relationibus *disp.3. quæst.8.* alioqui, si sola ratione ratiocinante, iam Pater paternitate spiraret, & spiratione gigneret.

Obiicies primò, ex primo Priorum, hoc est bonum argumentum. Omne A, est B : omne A, est C : ergo omne B, est C, & fundatur iste syllogismus eo axiomatè : *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se,* sic igitur arguo. Pater est paternitas. Pater est innascibilitas. Ergo paternitas est innascibilitas. Idem de spiratione.

33 RESPONDET S.Bonau.argumentum peccare secundùm accidens, quæ fallacia committitur, non modò quando in propositione est prædicatum accidentale, & eruitur consequentia, cùm prædicatione essentiali, vt si dicas. Petrus est albus, Petrus essentialiter est homo. Ergo homo est essentialiter albus. Sed etiam quando variatur prædicatum ; ita vt in vna acceptione sola conueniat, in alia sit extraneum. Vt si arguas. Petrus est indiuiduum. Petrus est homo. Ergo homo est indiuiduum. Iam verò ad rem nostram : dum in præmissis dicitur, Pater est paternitas. Pater est innascibilitas : sumuntur ambæ notiones, vt sunt in eodem supposito idem ; at verò, dum in consequentia mutuò prædicantur ; asserunt, secundum totum suum esse. Cùm autem paternitas sit ad Filium : spiratio ad Spiritum sanctum ; innascibilitas ad neutrum, non rectè in abstracto possunt inuicem prædicari : quia licet sint idem vt *in*, non tamen vt *ad*, atque adeò adæquatè non sunt idem. Quapropter axioma illud non est ad rem. Quia ea solùm, quæ adæquatè sunt eadem vni tertio, sunt eadem & inter se, vt ostendi *d.3. q.3.* Per hæc patet ad secundum.

Obiicies secundò. Maior est vnio notionum in vna persona incommunicabili, quàm proprietatum in vna natura communi ; sed proprietates in vna natura communi prædicantur abstractè, & dicitur, *Bonitas est sapientia :* ergo.

RESPONDET S. Doct. negando paritatem ; 34
nam proprietas, seu relatio non dicit solum id, quo est vnum in subiecto cùm altero ; sed dicit etiam respectus varios : & ita non possunt inuicem prædicari abstractè ; at proprietates naturæ solum habent id, quo vniuntur in supposita natura. Ideò cùm sit ens simplicissimum, cuius simplicitas mensuratur ab esse *in*, & *cum*, ideò inuicem prædicari valent, quia & inter se, & cum essentia, vnam simplicissimam naturam constituunt essentialiter, quæ in prædicatione demonstratur ; & idem est, cùm proprietas prædicatur de persona, in qua est ; at relatio, prædicata de relatione, denotat conuenientiam, non vt *in* ; sed rationis, & respectus, qui cum diuersi sint, non valent inuicem prædicari.

Per hæc ruit obiectio quarta. Maior est vnio proprietatum in sua persona, quàm proprietatis, & essentiæ in persona ; quia ibi vnio, quantum ad rem, est æqualis ; & quantum ad modum, magis conuenit proprietas cùm proprietate ; quàm proprietas cùm natura, siue essentia. Sed tanta est vnio essentiæ, & proprietatis in persona, vt vna de alia prædicetur, vt paternitas est Deitas : ergo.

Respondet enim S. Bonau. disparem esse ratio- 35
nem ; nam cum proprietas prædicatur de essentia, in persona notatur conuenientia in substantia, & essentia, & supposito : cum autem prædicatur de alia proprietate, notatur conuenientia in ratione, & respectu : & ideò est ibi fallacia accidentis. Conueniunt in substantia : ergo & in respectu.

Obiicies quintò. Maior est vnio proprietatis in vna persona, quàm duarum naturarum in eadem persona : sed propter conuenientiam naturarum in vna persona Christi, est communicatio idiomatum ; quia Deus est homo : & homo Deus : ergo.

Respondet S.Doct.non fieri in Christo prædicationem abstractam, sed concretam, non enim dicitur, Deitas est humanitas : simile & in proposito fit : *Pater est spirator.*

QVÆSTIO V.

An Notiones se ipsas denominare queant.

D.Bonau.dist.33.q.4.
D.Thom. q.32.art.2. ad 2.& art.3.ad 3.

QVÆRITVR hîc, an notiones se ipsas denominent agere, seu operari actus notionales : vt generatio, seu paternitas generat. Spiratio spirat ; ita vt verba actionem significantia prædicentur de notionibus.

ASSERO negatiuè. Ita D. Bonau. & Thom. *hîc*, quos sequuntur communiter alij apud Caietanum, & Torrem ibidem, & Vasquezium *disp.136. cap.3.* &

& *disp.*138.*c.*3. Tannerum *disp.*4.*q.*3.*dub.*5. *num.*18. & alios.

37 PROBATVR à S. Bonau. primò; quia notionis est distinguere: est enim ratio formalis distinctionis: at verò agere est personæ, quia actiones sunt suppositorum, nec de vllo abstracto prædicantur, nisi idipsum sit principium formale talis actionis; vt cum dicimus intellectus intelligit: voluntas vult, amat, &c. Cùm igitur notiones neque agant, neque sint ratio formalis actionis, quia nec sunt personæ, neque intellectus, aut voluntas; sequitur non posse eis adscribi generationem, aut spirationem; sed solum distinguere, vt per eas nobis innotescant personæ distinctæ. Itaque sicuti, qui diceret: *Persona distinguit*, erraret, quia persona non est ratio distinguens; imò est, quæ distinguitur: ita in proposito, notio non denominatur agere ob

38 rationes allatas. Eodem argumento vtuntur D. Th. *ad* 2. Vasq. *num.* 9. Tanner. *loc. cit.* Canar. *ad D. Thom.* Actio enim, si prædicaretur in abstracto de notionibus, prædicaretur formaliter: at ipsæ non sunt formæ agendi, sed notificandi. Eadem de causa negaui, *quæst. præcedenti*, relationem de relatione prædicari, quia fieret sensus formalis, vt benè aduertunt Caietanus *q.*32. *art.*3. Vasquez *disp.*138. *c.*3. Tanner. *num.*19. Non igitur possumus dicere, spiratio actiua est paternitas, vel filiatio.

39 PROBATVR secundò à D. Bonau. quoad notiones, quæ sunt relationes. Quia ex D. Augustino 7. *de Trin. c.*1. Is, qui refertur, est aliquid, præter relationem, qua refertur. Cùm ergo proprietas sit relatio. Ergo ipsa non refertur; at generans refertur. Ergo cùm relatio non referatur, neque potest dici generare.

PROBATVR tertiò. Proprietas importat originem, & relationem. Ergo si supra se reflectitur, & se denominat, tunc originis erit origo, & relationis relatio, quod est contra Aristotelem, & rationem.

40 PROBATVR quartò. Cùm dicitur: *Generatio generat*, aut id asseritur, ratione suppositi, aut ratione formæ, non formæ, quæ est relatio; quia relatio non agit: nec ratione suppositi; quia supposita notione, non illico supponitur persona. Aliquid enim conuenit personæ, quod non notioni, quia plures notiones sunt in eadem persona. Ergo locutio est falsa: è contra verò essentia supponit substantiam, quia est vna essentia, vna substantia. Ideò hæc est vera: *Deitas creat*, quia Deitas supponit Deum, hæc autem falsa: *Paternitas generat*, quia paternitas non supponit totum Patrem.

Obiicies primò. Adiectiua essentialia denominant abstracta, vt magnitudo est magna. Bonitas est bona. Ergo pariter, generatio generat: spiratio spirat.

41 Respondet S. Doct. diuersam esse rationem; nam bonitas est ratio formalis boni, non sic generatio est ratio formalis generandi; sed est ipse actus emanationis. Ratio verò est intellectus, à quo ipsa generatio est.

Respondet secundò. Disparem esse rationem; nam reflexio suprà se debet fieri super fundamento, quale potest struere absolutum ens; & ita respectus super absoluto fundatur, & habet basim; & ille dat fundamento complementum in ratione reflexionis. Itaque cùm dico: *Bonitas est bona*, reflexio boni super suam bonitatem habet sufficiens fundamentum, & ipsum bonum complet esse bonitatis in tali modo, & in tali ente; at cùm dico: *Generatio generat*, generatio, cùm sit relatio, non potest struere, ac supponere basim actioni, quia relatio non fundat actionem; non enim relationis, aut ad relationem est actio. Itaque cùm respectus reflectitur supra se, quia vterque respicit alterum, & ad eum tendit, non potest mutuò dare fundamentum, aut complementum.

Obiicies secundò. In primis terminis sistitur; ideò se ipsis denominantur, vnde vnitas se ipsa est vna: ergo & proprietates diuinarum personarum, cùm sint primæ, se ipsas denominant. 42

Respondet S. Doct. ex dictis, Vnitatem, & similia super se reflecti, quia absoluta sunt.

Obiicies tertiò. Indefinita affirmatiua æquipollet particulari. Ergo simpliciter conuertitur; sed hæc conceditur. Generans est paternitas, siue generatio. Ergo è conuerso generatio est generans.

Respondet S. Bonau. si fiat conuersio simpliciter, fore veram; ita vt vbique generans intelligatur persona; at si in conuersa sumatur, Generatio esse generans falsa est, quia mutatur terminus, & in sensu formali adscribitur generationi generare; cum in priori propositione conuertenda in sensu identico, seu per identitatem asseratur, ratione hypostasis.

Obiicies quartò. Si hæc non conceditur. Paternitas generat, aut euenit ob repugnantiam à parte rei, vel à parte modi. Non ex parte rei, quia est vna res. Neque ex modo, quia eadem ratio importatur: ergo. 43

Respondet ibi, repugnantiam esse ex parte modi intelligendi: nam notio non denominat, nisi suppositum; vnde talis modus non conuenit notioni. Vnde, sicut hæc est falsa: *Albedo est alba*, quia album dicit suppositum, constans è substantia, & albedine, non è nuda albedine, quæ non qualificat se, sed subiectum. Ita & hîc.

QVÆSTIO VI.

An liceat aliter de Notionibus Diuinis loqui.

D. Bonau. d. 27. q. 4.
D. Thom. q. 32. art. 4.

ANSAM hîc arripit S. Doct. cùm D. Thom. explicandi etiam vniuersaliter, quæ sint asserenda in rebus fidei. 44

ET quidem obseruat cùm D. Thoma, aliqua esse credenda, seu ad fidem pertinentia dupliciter. Primò, quædam sunt de necessitate fidei, & principaliter nobis traduntur, vt Deum esse trinum, & vnum. Filium Dei esse incarnatum, & similia. Et circa hæc simplex opinio est peccatum erroris, quia tenemur articulos fidei scire & credere, proptereà enim publicè, & solemniter ab Ecclesia proponuntur fidelibus, tanquam ad salutem necessaria. Quod si contrarium cum pertinacia astruatur, erit hæresis. Sunt alia, quæ indirectè ad fidem pertinent, vt sunt plurimæ Scripturarum historiæ; vt quòd Isaac habuit duos filios, Iacob, & Esaû. Quæ secundariò tantùm, & in ordine ad principalia credibilia, siue per accidens ad fidem pertinent: vnde neque omnes communiter ea scire tenentur, & explicitè credere; nisi fortè ad eorum notitiam peruenerint. Vt, si quis idiota credat, Iacobum fuisse patrem Isaac; & Samuelem parentem Elcanæ, profectò 45

fectò non peccat cùm ignoret scripturam, quam non tenentur omnes ad amussim scire; alioqui tenerentur omnes esse doctissimi, vt obseruat Nazarius *ad articulum*. At si nouerit scripturam, non potest sic opinari; imò peccat, si hæc opinetur; & si pertinax defendat, est hæreticus, faciens Scripturam esse falsam.

46 Sunt etiam alia, quæ sunt adnexa fidei, & scripturæ. Ex his autem aliqua sunt, quæ ex fide, vel scriptura consequuntur, vt Christum esse risibilem: &, antequàm percunctetur intellectus; an sequantur ex fide, vel Scriptura, licet opinari, sed postquàm vidimus consequi ex fide, puta, ex eo quòd Christus est homo; vnde sequitur, esse risibilem, profectò eadem firmitate credendum qua creditur etiam antecedens. Sic fuit casus in opinione Porretani, circa notiones relatiuas, putans, eas esse affixas essentiæ, ex quo sequebatur, non esse adorandas, quia non sunt Deus; & ideò malè ab Ecclesia adorari, dum in Præfatione Missæ Sanctissimæ Trinitatis canit: *Vt in personis adoretur proprietas*. Vnde post percunctationem, & erroris ostensionem, retractauit; alioqui fuisset hæreticus.

47 Sunt alia adnexa fidei, sed dubia sunt; neque enim sequuntur ex articulis, vel propositionibus fidei. Hæc licet aliter opinari. At circa Deum dubia asserere, asserit esse peccatum præsumptionis.

Ex his asserit S. Doct. primò, non esse illicitum aliter de diuinis notionibus loqui, quoad ea, quæ citra fidem Scholastici disputant.

Probatvr à S Doct. primò, quia è Scripturis ipsis probabiliter; sed incertè, alij Patres deduxerunt aliqua, quæ alij, ex eisdem, probabiliter negare poterant. Sicut euenit etiam nunc in multis quæstionibus Theologicis, vtrinque probabilibus, afferuntur hinc inde rationes è Scripturis, imò & Scripturæ. Videatur D. August. *lib.* 1. *Retract. c.* 9. & *lib.* 3. *de libero arbitr. c.* 18.

48 Probatvr secundò à S. Doct. quia ex D. Hieronymo ad 23. Matthæi: *Quod de scripturis veritatem non habet; eadem facilitate contemnitur, quâ probatur*. Obserua in originali non haberi: *Quod de scripturis, &c.* itavt sonet propositionem vniuersalem, sed habetur: *Hoc quia de scripturis*. Idest, illa historia, quæ ait, Zachariam, quem Iudæi occiderunt inter templum, & altare, fuisse Patrem Ioannis Baptistæ: ideò facilè contemnitur; quia solùm probatur ex libro apocrypho, non autem canonico. Itaque in scriptura includit etiam traditiones, & alias reuelationes ex Ecclesia, & infert; quæ ex his non habentur, sed solum ex authoritatibus, vel rationibus incertis petuntur, negari possunt faciliùs, vel difficiliùs, secundum quod, rationes, vel auctoritates sunt maioris, vel minoris ponderis. Hæc enim propositio vniuersalis sequitur, ex eo quòd D. Hieronym. id negandum ait, vel negari posse, quod de Zacharia dicebatur; quod non aduertit Bellarminus *lib.* 4. *de verbo Dei, cap.* 11. Tunc sic arguit S. Doct. è Traditione, aut Scripturâ, vel Ecclesiæ sanctione non habentur testimonia, quoad ea, quæ hinc inde disputant Scholastici probabiliter de notionibus: ergo.

49 Probatvr tertiò, quia notionum numerus, v.g. neque reuelatione aliqua habetur, neque est necessarius ad salutem, neque ad morum compositionem ducit. Idem de aliis, quæ Theologi probabiliter disputant.

Hinc deducit *ad tertium*, non esse temerarium, aut periculosum aliter de notionum numero dicere. Quare non malè ait Rada suprà, non esse temerariam, aut periculosam Scoti sententiam. Quidquid in contrarium clament Torres *quæst.* 32. *art.* 2. propè finem Bañes ibidem *dub.* 1. Zumel *d.* 1. Tannet. *disp.* 4 *dub.* 5. Morand *q.* 18. Nazar. *ad art.* 4. cæteris subscribens: Asserere enim ea, quæ non asseruntur in reuelationibus de Deo; sed neque negantur, non inurit notam; si probabiliter asseratur.

Addit S. Doct. *ad vltimum*, quòd opponebat ex D. Augustino, mentiri non solum eum, qui dicit falsum; sed etiam, qui dicit dubium, & ita omnes opinantes, dicere dubia; quia opinio est cùm formidine oppositi: & respondet S. Doct. concedendo, eum, qui de Deo asserit; quod nec fides dicit, neque ex fide sequitur, esse præsumptuosum; etiamsi verum diceret, & si dubitet corde, & ore affirmet, mendacem esse; si vtroque modo asserat, superbum esse. Iam verò numerus notionum non est de his, quæ sunt Dei substantialiter, sed solum in ordine ad nostram notitiam, quæ pluribus modis potest haberi, etiam per res non definitas. Itaque cùm 50 omnes in Filio inspirabilitatem concedamus, & esse notionem superfluam deprehendamus, non tamen manum manco euellimus, nec è semitrunco crure pedem auellimus; si eam notionem dicamus; aliquam tamen præsumptionem hinc conatur Torres imponere sententiæ Scoti, sed non approbo: nam Scotus modestè agit, proponendo. Imò in Reportatis, ait: *Inspirabilitas est in Patre, & Filio priusquam spirent; ideò non est notio*, quæ est nostra sententia, & satis deducta è Patribus, & rationibus; ideò probabiliter asseritur. Neque verò S. Doct. reprehendit opinari de rebus diuinis; sed asserere firmiter id, quod sola probabilitate pollet. Tunc 51 enim solum probabiliter asserendum: & eo pacto procedunt Scholastici, disputantes de multis, ad Deum spectantibus probabiliter. Qui tamen rem negaret, puta paternitatem, esset hæreticus, ex D. Th. *art.* 4. D. Bonau. *hic*, vt notat Morand *n.* 590.



DISPVTATIO V.

De Personis in Communi.

Qvoniam ex Emanationibus Relationes, & Personæ diuinæ consurgunt, vt dixi *d.* 2. *initio*, cùm D. Bonau. Ideò transactis disputationibus de Emanationibus, & Relationibus, iam de personis agam. Paululum verò, transuerso è Theologicis pede, nonnulla de Persona in communi Metaphysicè prælibare libet, vt diuinas Personas propiùs deinde perlustremus.

QVÆSTIO I.

Quid sit Persona.

D. Bonau. d. 23. q. 1. & d. 25. q. 2.
D. Th. q. 29. art. 1.

Antequam rei quidditatem perscrutemur, videndum quid nominis Personæ.

Persona è D. Bonau. *d.* 23. *q.* 1. dicitur, quasi per 1
se

se vna, quod autem est per se vnum, est ab aliis omnino distinctum, & indistinctum in se.

Rursùs dicitur Persona à personando, quia magnificum quiddam sonat, & videtur traductum è laruatis, qui in Bacchanalibus, è cauitate laruæ clamantes, personabant; ideò & personati dicti sunt, vt obseruant Tannetus *disput.4.quæst.1.dub.1. num.6.* Suarez *lib.1. cap.1.* & quia Prothei more in varias se effigies transmutant: ideò persona, apud antiquos, qualitatem signabat, vt refert Gellius Rhodiginus. Hinc illud Terentij effatum. *In vno homine multæ possunt esse personæ, mitis, iracundi, læti, mœsti, &c.* Ad quod alludens Seneca, apparentem mundi fœlicitatem personatam clamat. More enim histrionum in mundi scena plurimæ quotidie Metamorphoses spectantur. Et fortè ob hanc causam antiqui Orientales, more Latinorum, timebant tres in Deo ponere personas, ne viderentur cum Sabellio eas distinguere tantùm denominatione, aut qualitate, vt refert D. Nazianzenus *oratione 21. in Athanasium circa finem.*

2 Faciem etiam olim Persona signabat, vt supponunt PP. Concilij Nicæni *lib.2. §. Cùm sit copiosa,* dicentes. *Cum personam audimus, ne suspicemur, quod est diuinum humanam habere effigiem; nam, & cælum, & terram personam habere testantur, quemadmodum & ipse Dominus in Euangelio ad Scribas, & Pharisæos aiebat. Hypocritæ faciem, siue personam cæli diiudicare nostis.*

Confirmatur ex Euangelio. Nam quod Matth.12. dicitur. *Neque vides in faciem*; Matth.23. dicitur. *Non respicis personam.* Videtur tamen hic esse aliqua Synecdoche, vt pars pro tota accipiatur persona, eo quod obseruantia maximè in facie habeatur. Vnde & dicitur: *Non respicit in faciem alicuius.*

3 SVMPTVM est à Latinis Personæ nomen è Græco πρόσωπον Prosopon, quod significabat virum laruatum in spectaculis. Hinc habent Rhetores figuram Prosopopæiam qua inducunt inanimes, quasi personas ad eloquendum.

Ex Etymologia personæ, quæ est personandi; similiter ex eo, quod dicitur, quasi per se vna, deductum est nomen personæ, ad aliquos dignitate præclaros exprimendos, quorum virtus, & decor vndique personant; ita vt & iure Canonico Persona Prælatum sonet, vt habet Albericus de Rosciate Bergomas in suo Dictionario, littera P.& habetur extra *de regulis iuris cap. Debitum personæ lib.6.* vbi Ioannes Andreas, & alij. Vide D. Bonau. *3. dist.5. art.2. quæst.2. ad 1.*

Quoniam verò Personæ nomen à natalibus circumfertur, ideò ad exprimendam substantiam perfectissimam indiuiduam deductum est. Sic Marcus Tullius Romanæ eloquentiæ parens *lib. de Oratore. Hominum innumerabiles esse personas* ait. Idque sæpius alibi refricat, vt videre est in Nizolio, & Thesauro linguæ Latinæ. Iura etiam Ciuilia, in quibus Latina lingua in suo fonte seruatur purissima, hoc sensu, vtuntur hac voce, imò non in alia, vt videre licet *ff. de statu hominum l.1. & 2.* & *in tit. per quas personas, &c.* In scriptura quoque *Act.10.* Non est *acceptio personarum apud Deum,* dicitur, quod homines ipsos exprimit. Denique etiam Patres, infrà referendi, Latinæ linguæ peritissimi sic Personam accepere. Idem habetur *Rom.2. Ephes.6. Iudic.11.*

4 HIS basibus nisus Boëtius *lib. de duabus naturis,* definit Personam prout est substantia sic. *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.*

Hinc fœdo nimis dicterio Laurentius Valla *lib.6. Elegantiarum cap.34.* Barbarismi accusat Boetium, virum Latinæ linguæ eruditissimum, ac sapientissimum, dicens, Homini Romano ostendam, Romanè nescire loqui; putauit enim Grammatulus hic, personam non substantiam significare, sed qualitatem solum; quia vna, & eadem substantia plures dicitur gerere personas.

Discutientes igitur Boëtij definitionem, quam omnes Theologi amplectuntur (frustrà dissentiente Scoto 1. *d.23. q.1.*) Primò habemus, personam significare substantiam, quamuis enim etiam qualitatem, vt dixi, sonet aliquando in histrionibus; attamen reor, eos eatenus dici personas, quatenus personam veram substantialemque referunt, puta Ducis, Regis, Doctoris, &c. vt aduertit S. Bonau. in corpore & cum eo Suarez *loco citat. num.4.* Caspensis, *disp.3. sect.1.* Deinde habetur, personam significare substantiam perfectam completam: nomine enim substantiæ intelligit, quod alij subsistentiam; indiuiduam verò appellat, quam alij incommunicabilem vocant; atque adeò eo nomine intelligit indiuiduum completum, quod neque est pars, nec alteri, vt supposito, communicari potest. Id verò vna voce Ὑπόστασις Hypostasis Græci exprimunt. Sic etiam intellexit Otto Frisingensis Episcopus *lib.1. de gestis Federici cap.5.* dicens: *Neque enim indiuiduam substantiam dicere solemus eam rem singularem, quæ cum alia identidem re singulari ad aliquod totum constituendum conuenire valens, non est per se vna.* Ex quo id infert, cùm D. Bonau. *d.25. q.2. in corpore,* quem sequuntur Vasq. *ad art. D. Thom.* Suarez *num.5.* Tanner. *num.6.* & reliqui. 5

HINC soluunt instantiam Scoti, qua inferebat. 6 Si hæc est definitio personæ recta, sequitur animam rationalem separatam esse personam, quia est rationalis naturæ indiuidua substantia. Respondent enim, cùm D.Bonau. *loc.cit.* & *in 3.d.22. q.1.* negando sequelam, quia perfecta indiuiduatio dicit indiuisionem in se, & diuisionem à quocumque alio, & incompossibilitatem; vnde dicit incommunicabilitatem communionis, & vnionis; anima verò est ex intrinseco vnibilis. Idem habet D.Bonau. *in 3.d.5. art.2.q.2.ad 2.* & *q.3.* vt refert Forestus *fol.340. col.2.* & idem fatetur Faber, allegandus *disput.* hac *q.3. in primo argumento suo*, in instantia.

Additur, in definitione personæ *rationalis naturæ*, quia indiuidua substantia irrationalis dicitur solùm hypostasis, aut suppositum, non persona; persona enim significat egregiam hypostasim rationalis naturæ, atque adeò dicit dignitatem, vt inferunt, cùm S. Bonau. qui obseruat, rationale aliquando sumi pro facultate discernendi verum, & falsum: bonum, & malum; nonnunquam verò significare hanc virtutem coniunctam cùm inquisitione, & discursu, hoc secundo modo claudit imperfectionem, nec accipitur in hac definitione; sed priori modo, vt dicit vim intellectiuam. Hinc malè Scotus in hoc etiam Boëtium carpit.

Hanc definitionem carpit etiam Richardus de 7 Sancto Vict. *lib.4. de Trin. cap.18. & 21.* Quia etiam Deitas est substantia indiuidua, completa, intellectiua. Ideò ipse *cap.23.* alio modo definit personam: *Persona est rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia*, quam definitionem magis approbat Scotus ob rationem, etiam à Richardo allatam, contra definitionem Boëtij. Eam adhibuit etiam Ioannes Theologus Eccl. Latinæ in Concilio Florentino *sess.19.*

Atque

8 Atque D. Thom. *quæst.19. art.3. ad 4.* refert, quosdam dixisse definitionem Boëtij non competere diuinis Personis; & à Richardo fuisse correctam, quod etiam refert S. Bonau. *ad vlt.* Addit verò, ex proprio sensu, idem exprimi à Boëtio, vt diximus: tametsi verbis magis expressis à Richardo. Vnde excluditur essentia diuina, quæ est communicabilis; & retunditur Coriol. *quæst.29. art.1.* Vide etiam Morandum *quæst. 15.* subscribentem.

Tandem ex his habes, personam dicere dignitatem. Ideò Magistri plurimi eam definiunt. Persona est hypostasis distincta proprietate, ad nobilitatem pertinente. Ideò & Tullius de officiis, ait: *Nobis imposuit personam ipsa natura magna cum excellentia, & præstantia cæterorum animantium.* Et *lib. de natura Deorum*, ait: *In Deo, & homine personam considerari; dicit enim substantiam perfectam, rationalem.* Quibus verbis iterum retunditur Valla.

Obiicit sibi Vasquez, ex partes corporis, quæ sunt abscissæ à corpore, includuntur in definitione personæ, sunt enim rationalis naturæ indiuidua substantia; & quidem perfecta, & incommunicabilis.

9 Respondet, concedendo eas esse supposita; sed non personas: quia non sunt rationalis naturæ. Attamen neque esse perfectum suppositum, non enim sunt prima substantia; vt docet D.Thom. *ad 5.* sunt enim partes suaptè natura vnibiles suppositis; vt aduertit Nazar. *ad art.* cùm sint partes violenter abscissæ.

Meliùs respondet Canar. *ad art. D. Thom.* cum S.Bonau. *3.d.5.art.2.q.2.* & D.Th. partes abscissas neque esse supposita, ob allatam rationem. Neque verò D.Thom. loquitur de partibus coniunctis, vt putat Vasquez: nam eas comparat cum anima separata; neque de partibus essentialibus, sed de integralibus, puta manu, quam affert in exemplum.

10 Dices: adhuc persona, per te, est substantia. In diuinis sunt tres personæ: ergo tres substantiæ, contra definitionem Concil. Later. *c. Firmiter, & cap. Damnamus:* & Toletani *6. & 11. in confessione fidei.*

Respondet Suarez *lib.1. c.2.* ex D. Bonau. *d.23. art.2. q.2.* quòd si substantia intelligeretur incommunicabilis subsistentia, id liceret; quia verò pro natura communiter accipitur, non est dicendum, absque declaratione.

Easdem definitiones explicat S.Doct. etiam *lib.1. Compend.Theol.c.13.* vbi aliam definitionem Hugonis de S.Vict. apponit: *Persona est subsistens per se solum, iuxta quendam singularem modum.* Quæ definitio, vt notat S. Doct. magis sumitur ex etymologia personæ, vt sit per se vna.

11 Optima est ergo definitio Boëtij, quæ traditur per genus, quòd est substantia, prout communis est primæ, & secundæ. Deinde restringitur per differentiam, ad primam substantiam indiuidui, per se vnam incommunicabilem. Tandem additur *rationalis natura*, vt alia indiuidua subsistentia irrationalia excludantur, quæ dicuntur hypostases; hypostasi verò persona addit dignitatem rationalis naturæ. Sed de his mox agendum latiùs. Eam adhibent Zacharias Ep.Chrysopolit. *Præf.ad Euang.* Et Leontius *Act.1.*

QVÆSTIO II.

Vtrum Persona idem sit ac Hypostasis, Subsistentia, Essentia, Substantia.

D.Bonau. dist.23. q.2. & 3.
D.Th.q.29.art.2.

Observa primò ex D.Bonau. *d.23. q.3.* hæc nomina in Græco ita vocari. Natura, seu Essentia dicitur φύσις *Physis*, & οὐσία *Vsia*, vt testatur Damascenus *lib. primarum Instit. c.1.* Secundò, substantia dicitur οὐσίωσις *Vsiosis*; seu quod est vnum essentia. Tertia apud Græcos dicitur ὑπόστασις, idest, *Hypostasis*. Quarta πρόσωπον *Prosopon*, Persona. Idem apud alios Græci idiomatis peritos leges. 12

Tametsi apud Boëtium Vsia essentiam: Vsiosis subsistentiam; vel, vt ait Vasquez, existentiam, seu actum ipsius essentiæ: Hypostasis autem substantiam sonet. Vnde Personam definit Rationalis naturæ indiuiduam substantiam.

Eas autem sic accipit S. Doct. *suprà*, & *in Compend. Theol. veritatis, c.13. lib.1.* Quia enim Deus est vnus, & Trinus, oportet assignare, quod est vnum, & est substantia, seu Deus: & quo est vnum, & est essentia. Similiter quia Trinus in personis; oportet assignare, quo personæ distinguuntur: & sanè proprietatibus distinguuntur. Oportet etiam assignare illum, qui distinguitur; & hæ sunt personæ. Personas autem distinctas considerare possumus, vel vt subsistentes, vel vt taliter subsistentes subsistentia nobili naturæ intellectiuæ debita. Et primum quidem dicit hypostasin, seu subsistentiam; secundum verò addit nobilitatem, & dignitatem personæ.

Obserua secundò ex eodem D. Bonau. *loc. cit. in corpore, & dub.1. lit.* de nomine Hypostasis, olim in Ecclesia fuisse magnam controuersiam, cui primam occasionem dedit Episcopus Osius, mouens dubium; an idem significaret, ac Vsia. Fuit autem proposita hæc quæstio in Concilio Nicæno: sed Patres noluerunt eam, tanquam extra chorum definire expresè, vt refert Nicephorus *lib.10. hist. c.15.* Paulo verò post in Concilio Alexandrino fuit hæc quæstio disputata ab illis Patribus, è quibus aliqui sustinebant, idem esse Hypostasim, & substantiam; alij negabant, dicentes, substantiam esse naturam, subsistentiam verò esse personam, seu suppositum. 13

Porrò narrat Socrates *lib.3.c.7.* & Nicephorus *lib.10. hist. c.15.* in Concilio illo Alexandrino tandem concessum, vt grassante errore Sabellij, ea voce vti possent ob inopiam nominum, ad exprimendam Trinitatem personarum, ne solo nomine Trinitatem asserere viderentur.

Hinc Arriani ansam arripuere, tres substantias in Trinitate asserendi; atque adeò vocem *Homousion* sepeliendi, quæ consubstantialem eiusdem naturæ, & substantiæ cùm Patre filium definit.

Litem in Concilio Alexandrino excitatam sedauit Magnus Athanasius, qui, vt scribit Nicephorus *lib.10. cap.16.* huic interfuit Concilio. Id autem sic describit D. Gregorius Nazianz. *oratione de laudibus Athanasij. Nam cum essentia vna, & tres hypostases à nobis (idest Græcis) piè dicerentur, quod alterum diuinitatis naturam: alterum personarum* 13

trium proprietates declaret, ac simili quidem modo apud Romanos intelligeretur; cæterùm ob linguæ illius angustiam, verborumque inopiam, hypostasim ab essentia distinguere non possent, eamque ob causam in illum locum personarum induxissent nomen, ne tres substantias admittere viderentur, quid tandem contigit? Res profectò ridicula, vel potiùs miseranda. Diuersa fidei speciem præbuit leuis illa, circa vocis sonum, contentio. Hic deinde alij Sabellij errori adstipulari visi sunt: alij Arrij impietatem amplecti, quòd reiectis personis tres hypostases nominarent, &c.

15 *Eò tandem res adducta est, vt periculum esset, ne orbis terrarum fines, vna cùm syllabis à se inuicem distraherentur, & abrumperentur. Donec tandem Magnus Athanasius vtraque parte leniter, & humanè accersita, verborumque sententia diligenter, & accuratè perpensa, postea quam concordes reperit, nec quantùm ad doctrinam, quicquam inter se dissidentes; ita negotium transegit; vt nominum vsum ipsis concedens, rebus eos constringeret.* Hanc rem indicat etiam S. Bonauent. *dist.*23.*quæst.*1. *ad vlt.* vbi rationem reddit, cur nos personas nominemus, vtentes Græco vocabulo πρόσωπον, quo Græci non vtuntur; cùm tamen eisdem consonantibus nominibus teneamur diuina Mysteria proferre. Respondet igitur; hoc nobis è penuria nominum accidit; at ipsi, quia habebant proprium vocabulum *hypostasis*, quod nobis deseruire non videbatur; quia apud nos sonat substantiam, seu essentiam; quæ sunt synonyma; ideò nomen *prosopon* arripuimus, ad personarum Trinitatem asserendam.

16 Eandem litem sedauit Constantinopoli idem Nazianzenus, vt ipse testatur *in oratione ad centum quinquaginta Episcopos, quæ est oratio trigesima secunda*, vbi conclusit: *An fieri possit, vt quidam magis inter se concordent, atque idem dicant, quam cùm ita sentiunt, tametsi alioqui syllabis discrepent, &c.* Itaque nullam in re dissensionem fuisse inter eos Patres, definit; sed solum in nominibus, seu voeibus. Hinc concludit Vasquez *disp.*24. *cap.*1. ad hæc vsque tempora liberum fuisse, vti voce hypostasis in sensu Catholico, aut pro natura, & essentia, quæ dicitur *vsia*, aut pro persona, nec significationem huius nominis *hypostasis*, ad hæc vsque tempora fuisse satis manifestam.

17 Fvere aliqui, hanc vocem barbaram acclamantes, eo sensu, quo ea vtitur Ecclesia. Ita putauit Nicephorus *lib.*10. *hist. cap.* 15. Socrates *lib.*3. *cap.*7. Profectò enim in alio sensu à Doctoribus prophanis dicunt adhibitam; v. g. Sophocles in Phœnice, pro insidiis accipit. Mænander pro iuris conditamento: aliquando etiam capitur pro fœce in fundo dolij. Cæterùm hæc significabant, quatenus sub aliis posita sunt, qua ratione subsistere, vel sub alio existere dicuntur; hac eadem de causa dicitur substantia, quatenus accidentibus substat; & ideò Augustinus 7.*de Trin.cap.*4. ait, in Deo esse substantiam abusiuè, quia secundùm primariam significationem, significat substare accidentibus; at diuina substantia nullis accidentibus substat: sic ergo, cùm hypostasis si Latinè verbum pro verbo reddere velis idem sit, quòd subsistentia, vel (vt alij volunt) substantia, quasi sub alio existens; & Latini appellent substantiam naturam ipsam subsistentem, vt opponitur accidentibus, vel etiam indiuiduam substantiam, quam vocamus suppositum, vel personam; hinc effectum est, vt de nomine *hypostasis*, fuerit etiam controuersia, quid significet: Vtrum naturam ipsam, an personam, seu suppositum; vtrumque enim sub alio esse quodammodo dicitur. Ita aduertit Vasquez *cap.*2. post D. Bonau. *dist.*23. *q.*2. *in corpore.*

Quapropter multi è Patribus, hanc vocem timebant adhibere, ad tres personas diuinas exprimendas; existimabant enim, significare *Vsiam*, idest substantiam. Et ita, ponere in diuinis tres hypostases, esse tres substantias asserere; atque adeò diuinam essentiam diuidere. Sic Hieronymus, qui propterea oraculum Romanæ Sedis infallibile consuluit, vir eruditissimus, scribens ad Damasum *epist.*57. in qua ait: *Obtestor Beatitudinem tuam, per Crucifixum mundi Saluatorem, per Homousion Trinitatem, vt mihi epistolis tuis, siue dicendarum, siue tacendarum hypostaseon detur auctoritas.* Existimabat vir Sanctus nomen Græcum hypostasis idem significare, quòd apud Latinos substantia, vel essentia; ideò neque tres hypostases audebat admittere. Quare subdit: *Tota litterarum secularium schola nihil aliud hypostasim, nisi* Vsiam *nouit; & quis, oro, ore sacrilego tres substantias prædicabit?* Id obseruat Vasquez *c.*3.ex D.Bonau.*d.*23.*dub.*1.*litt.*& *dist.*26. *dub.*2. vbi ea etiam verba refert, quibus concludit Hieronym. *Taceantur tres hypostases, & vna teneatur; nomen hoc non bonæ suspicionis est.* In eadem opinione fuit D. August.*lib.*5.*de Trin.c.*8.& 9. & *lib.*7.*c.*4. 18

Ex Græcis idem sensere Paulinus Episcopus Thessalon. de quo Acacius Episcopus Beroënsis, epistola ad Cyrillum, quæ est quintadecima inter epistolas Cyrilli: *Detrectabat, tres dicere hypostases. Adhæsit autem Occidentalibus Deo dilectissimis Episcopis; propterea quòd angustior est Romana lingua, quàm, qua iuxta nostram, Græcorum phrasim, tres hypostases dicere queat.* In eadem suspicione fuit Athanasius, epistola ad Episcopos in Africa. Et quod maioris ponderis est; Concilium Sardicense, in quo fuere, cum Hosio Cordubensi, Episcopi Latini circiter 300. vt narrat Nicephorus *lib.*9. *c.*12. *in epistola ad Episcopos*, post medium illius; sic loquitur: *Quodque cohors studet hæreticorum, diuersas esse substantias, Patris, Filij, & Spiritus sancti pronunciat: & eas esse diuisas, nos autem hanc accepimus, & eruditi sumus; hanc habemus Catholicam, Apostolicamque traditionem, & fidem, atque confessionem; vnam esse substantiam, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vbi, quod Latinè est substantia, Græcè est Hypostasis, vt constat ex Theodoreto *lib.*2.*c.*8. referente hanc epistolam. 19

Verum enim verò ex fundamentis antiquitatis solidissimis iam decisa est lis: nam hypostasis nomen, significans indiuiduam naturam, vt subsistentem, inuenitur apud Aristotelem: *lib. de mundo ad Alexandrum*, vt notauit Budæus in Commentario linguæ Græcæ. Sic autem ait Aristoteles: *Eorum, quæ ex aëre nobis obuersantur, vt strictim hæc attingantur, alia apparent, alia substant*, vbi Græcum habet *secundum hypostasim.* Hoc autem exponit Vasquez, idest verè existunt; cum alia appareant, quæ verè non sunt. Sed alius videtur Aristotelis sensus. Alia apparere, & videri existentia in aëre, vt sunt colores Iridum, Halonum figuræ, exhalationum comatæ, dracones volantes, &c. sed non habere subsistentiam; alia verò per aërem, seu ex aëre nobis obuersantur, seu opponuntur, quæ omninò sunt subsistentiæ dotata perfectione. Itaque hypostasim opponit substantiis, non per se existentibus, sed in aliis subsistentibus, seu transeuntibus, ita vt hypostasis addat 20

addat suprà substantiam modum perfectum standi per se, non autem meram existentiam: nam quænam res, obsecro, videntur in aëre, & non habent suum esse?

21 SIMILITER S. Dionys. *cap. 1. de Diuinis nominibus*, Deum appellat *ὑπερθεα τρισυπόστατον benedia Trisypostaton.* Et *cap. 3. de Diuinis nominibus*, quod in Græco codice est *cap. 2.* ter vtitur eodem nomine hypostasis, & vbi Latinè habemus. Principalium personarum, & vnaquæque personarum, in Græco legitur: *Thearchycon hypostaseon.* Eodem nomine, in eadem significatione, vtitur Iustinus, in expositione veræ confessionis Trinitatis, aliquantulum à principio; & *in lib. quæstionum à gentibus, Christianorum Ecclesiæ oppositarum*, q. 17.

QVÆ cùm ita sint, iam tandem discrimen manifestum est inuentum, & constitutum, non solum apud Græcos Patres; sed etiam apud Latinos, quòd optimè explicarunt Basilius *epist. 43.* quæ est ad Gregorium Nyssenum; & idem Nyssenus *libello de differentia Vsia, & hypostasis.* Damascen. *lib. 1. de fide, cap. 3. 4. & 6.* & *in lib. primarum Instit. cap. 1.* Anastasius Patriarcha *in explicatione fidei*, quæ habetur *tom. 5. Bibliot. Sacræ*, & ipse Athanasius *in tract. de definitionibus*, quos è Latinis sequuntur Boëtius *lib. de duabus naturis*; videlicet, nomen *Vsia* Græcis id significare, quod Latinis *Natura*, & *Essentia*, nomen verò *hypostasis*, idem, quod suppositum, vel

22 persona. Quocircà vnam in Deo vsiam, idest essentiam; & tres hypostases, hoc est personas, debere concedi. Quin, & Paulinus ille, suprà allegatus in confessione fidei, quam refert Epiphanius *heresi 77.* tres hypostases confiteri necessarium astruit. Huius viri authoritatem allegatam fuisse à D. Hieronymo, vt tres hypostases confiteretur, colligitur ex eo, quòd Hieronymus in illa *epist. 57.* ait: *Ignoro Paulinum.*

23 IN hac significatione vsurpant hanc vocem hypostasis multa Concilia Græca Chalcedonense *act. 5.* Alexandrinum, Ephesinum *anathematismo 2. & 4.* qui habentur *in epist. Cyrilli decima.* Constantinopol. 5. *collat. 8. can. 5. & 8.* sexta Synodus generalis, *act. 4. in epist. Agathonis Papæ.* Et *act. 11. in epist. Sophronij.* Et *act. 18. in confess. fidei.* Constantinopolit. 1. *epist. ad Damasum.* Quocirca, vsu Ecclesiastico, ita vsurpatur in hac significatione vox hypostasis, vt nullus iam pro essentia ea vtatur. Quare Iustinianus Imperator Græcus in edicto fidei ad Ioannem Papam II. *col. 9.* (*& habetur tom. 2. Concil.*) ait: *Omnes Sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam, seu substantiam, & formam; & aliud subsistentiam, siue personam, idest, hoc specialius; illud generalius: Græcus autem, nomine subsistentiæ, vtitur hypostasi.*

24 Vsi sunt ea voce Patres allegati suprà, quibus adiunctus est ipse Hieronymus *in confess. fidei ad Damasum*, vbi ait: *Ita etiam impietatem Sabellij declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus.* Et paulò infrà: *Non enim nomina tantummodò, sed etiam nominum proprietates, idest personas, vel, vt Græci exprimunt, hypostases, idest substantias confitemur; explicata enim significatione, non latuit venenum, quod stabat sub intentione quorundam, & crepuit vlcus, & determinata significatione, non timetur venenum.* Quòd S. Hieronymus metuebat, vt notat D. Bonau. 1. *dist. 26. dub. 2. lit.* Et D. Damasc. *primo de fide, c. 11. Differentiam hypostaseon in tribus proprietatibus, idest, paternali, filiali, & processibili distinguimus.* Eos refert S. Bonau. *d. 26. q. 1.* & Vasq. *c. 4.*

Quare hoc tempore adeò res est indubitata, vt qui negaret in Deo tres subsistentias Latinè, aut Græcè hypostases, vel vnam tantùm confiteretur hypostasim, erroris redargueretur, vt aduertit Vasquez *num. 11.* Tanner. *disp. 4. q. 1. dub. 1. num. 10.* Nazarius, & alij Thomistæ *ad art. 2. q. 29. D. Thom.* cum D. Bonau. qui *dist. 23. dub. 1.* præclarè damnat erroris eum, qui tres hypostases negaret.

Subsistentia enim idem Latinè significat, ac hypostasis Græcè, vt notat D. Thom. *q. 29. art. 2. in corpore, & ad 2.* vbi omnes Thomistæ, & D. Bonau. *d. 23. q. 2. & 3. in corpore*, quos sequuntur cæteri, vt aduertit Tanner. *num. 11.* nisi quòd nunc apud Scholasticos subsistentia, abstractè potiùs pro ipsa suppositalitate, seu complemento vltimo substantiæ, quàm concretè pro supposito vsurpari soleat, vt benè notarunt Tannerus *loc. cit.* Suarez *lib. 3. c. 4. n. 1.* Vasquez *disp. 125.* Albertinus *tom. 2. de substantia, q. 1. dub. 1.* idque ex vsu etiam sextæ, & septimæ Synodi; & D. Bonau. locis adductis. 25

DICES, Boëtius *loc. cit.* assignat differentiam inter subsistere, & substare; illud enim subsistit, quod non indiget alio, ad hoc, quòd sit: substat verò, quod subiectum aliis, vt esse valeant, administrat. Videtur ergo, quòd subsistere sit idem, quòd essentia. Ex quo sequitur, non posse dici plures subsistentias.

Respondet S Bonau. *d. 25. dub. 1. litt.* quòd Boëtius accipit ibi nomen *subsistentia*, secundùm Marcum Tullium, prout accipit significationem, secundùm actum subsistendi, siue per se standi: & sic vnica est subsistentia. Sed nunc Doctores Scripturæ illâ accipiunt, prout magis importat respectum ad proprietatem, cui subest: & sic plurificatur. Ratio autem huius, est communis vsus. Quia accipiunt substantiam pro natura rei; ideò pro supposito magis voluerunt accipere subsistentiam. 26

QVOAD nomen *substantia*, Vasquez *disp. 124. n. 15.* refert, Ioannem Theologum Ecclesiæ Latinæ in Concilio Florent. *sess. 19.* dicere; dupliciter vsurpari substantiam, aliquando pro natura, & definitione rei: aliquando pro supposito, quod (ait Vasquez) non est iam in vsu, nisi cum significamus suppositum, addamus aliquid, scilicet indiuidua, vel incommunicabilis. 27

Verùm non erat, cur virum illum carperet; nam ibidem id aduertit Ioannes, adhibens definitionem personæ, latam è Richardo, vt cogitur fateri Vasquez *ad art. 1. q. 29. D. Thom.* & *disp. 126. c. 2. ad finem.*

Si primariam nominis substantiæ, & hypostasis impositionem perpendimus, sæpè pro eodem accepta sunt, vt constat ex Hilàrio *lib. de Synodis*, de Patribus Antiocheni Concilij, D. Thom. *hoc art. ad 2.* D. August. *7. de Trin. c. 6.* vbi docet, posse concedi in diuinis tres hypostases, sumptas pro tribus substantiis, vbi non sit scandali periculum. Et *lib. 4. c. 9.* & *lib. 6. c. 3. 4. & 5.* & *lib. 7. c. 4. 5. & 6.* affirmat, apud Græcos tres concedi in diuinis substantias. Idem sentit Anselm. *in Monol.* Ioannes I P. *lib. de duabus naturis*, & Boëtius *eodem lib.* D. Bonau. *d. 23. art. 2. q. 1.* quod probat ex Patribus allegatis. Verùm vsus iam obtinuit in Ecclesia, vt substantia pro essentia, vel pro Deo habente essentiam, accipiatur, vt dixi initio, cum D. Bonau. Ita in Concilio Tolet. 11. *in confess. fidei*, definitur, vnam tantùm in Deo esse substantiam; & D Bonau. *ad vlt.* allegat D. Hieronymum, in expositione fidei ad Damasum: *Quis vnquam, nisi ore sacrilego, tres substantias prædicauerit?* Hanc verò consuetudinem 28

in Ecclesia inualuisse, vt nomen substantia significet essentiam, testatur D. August. *5. de Trin. cap. 9.* & *lib. 6. cap. 4.* ideoque ait; non esse tres substantias in Deo concedendas, vt refert Vasquez *cap. 5.* cùm D. Bonauent. *in corpore, q. 5.* sed de hoc *disp. 7. quæst. 1.* Propriè enim significat quidditatem, & essentiam, apud Aristotelem *5. metaph. text. 1.* quo sensu definiens vniuoca, ait: Esse illa, quorum nomen commune est, & secundùm nomen, ratio eadem: essentia verò, quatenùs definitione exprimitur, dicitur: Quidditas. Propriissimè verò substantia significat primum Prædicamentum. Vide Vtinensem *tract. 3. q. 14. art. 1.* Antiqui sanè nomen essentiæ, vel substantiæ non adhibebant; sed loco eius nomen naturæ, vt habet D. Augustinus *7. de Trin. cap. 6.* & quidem essentia latissimè patet, significans entitatem, quam per definitionem explicitam vocabant quidditatem, etiam accidentibus conuenientem: vt habet D. Augustinus *7. de Trin. cap. 5.* & deducitur ab *est*. Ideò Boëtius *lib. de duabus naturis*, ait: *Deus Vsia est, & essentia*; quæ est rei quidditas, vt ait Auicenna, estque nomen absolutissimum, vt notat D. Bonau. *d. 23. q. 3. fundamento 3.* Substantia verò strictioris est significationis, quippe, solum primum significat prædicamentum, vt dixi.

31 Natvra verò strictioris adhuc significationis est, & expressionis arctioris: nam ad res solas corporeas, quas Physicas dicunt, contrahitur. Ideò definitur à Philosopho *2. Physic. cap. 1.* Principium motus, & quietis. Dicitur enim natura, idest, nata, vel etiam nascitura. Ideò Nazianzenus *oratione 45.* ait, essentiam rectius dici de Deo, quàm naturam, quia simplicissimus est Deus, & æternus. Natura enim tribuitur materiæ, & formæ, ex *2. Physic. text. 10.* præcipuè autem formæ, quæ dat distinctum esse; & hinc ad essentiam rei significandam assumptum est. Inualuit ergo, vt idem significent, vt habetur *in tract. de Definitionibus*, apud D. Athanas. *Natura, Essentia, Genus, & Forma vnum sunt.* Et Damascen. *de decretis prima Instit. cap. 1. & 6.* ait: *Essentia, Natura, Genus, Formaque, vt Sanctis Patribus placet, idem valet.* Et D. Augustinus *5. de Trinit. cap. 9.* & *lib. 6. cap. 4.* testatur, in Ecclesia idem esse essentiam, & substantiam. Ita & D. Bonau. *d. 23. art. 2. q. 2.*

Nunc autem in Ecclesia statutum cùm sit; substantiam significare essentiam, & distingui ab hypostasi, sequitur rectè, hanc plurificari in diuinis; substantiam verò non, vt dicitur in Concilio Toletano vndecimo, suprà adducto.

32 Et sanè vnam in Deo essentiam, & naturam reperiri; definitum est in multis Conciliis. Ita habetur è Sophronio *in sexta Synodo*, Act. 11. *Neque tres naturas in sancta Trinitate glorificamus, neque tres essentias.* Quinta Synodus decernit, vnam naturam in Deo. In sexta Synodo, *Act. 4.* Agatho Papa, cùm Concilio Romano, *epistola ad sextam Synodum.* Martinus Papa in Concil. Later. *cap. 1.* Item *cap. Firmiter.* Et *cap. Damnamus*, sub Innocentio III. Concil. Tolet. *6. & 11. in confess. fidei, statuunt, vnam in Deo naturam.* Et D. Athanas. *tract. de Definitionibus*, ait: *Si quis de diuinitate quærat, quot confitearis naturas; respondetur vnam, & tres hypostases.* Idem habent Basilius *epist. 43.* Nyssenus *lib. de Differentia vsia, & hypostasis.* Damascen. *lib. 1. de fide, c. 21.* & *lib. 3. c. 4.* Vide D. Bonau. *d. 23. art. 2. q. 1.*

33 Concludimus igitur, Hypostasim significare subsistentiam; atque adeò multiplicari in diuinis; ac proinde differre à substantia, essentia, & natura; quæ ideò non est multiplicanda, vt ostendam *disp. 7. q. 1.*

Probatvr à D. Bonau. *d. 23. art. 1. q. 2. & 3.* & *art. 2. q. 1. & 2.* ex vsu Ecclesiæ, & ex Patribus suprà allegatis, post decisionem litis.

Per supradicta S. Doctor *d. 23. art. 2. q. 1.* respondet ad authoritates in oppositum, quibus videtur Hypostasis idem dicere, ac substantia. Respondetur enim, substantiam dupliciter accipi. Primò, provt per se stans; & sic æquiualet *Vsiosi.* Secundò, provt substat proprietati incommunicabili, & ad eam dicit respectum; & hoc modo æquiualet hypostasi; & hæc est distinctio, qua vsus est posteà Ioannes Theologus in Concilio Florentino *sess. 19.* vt dixi.

Simili modo, & subsistentia sumitur aliquando, vt per se stans: aliquando, vt stans sub proprietate: Primò modo æquiualet Vsiosi, vt docet Boëtius *loco citato.* Secundò modo hypostasi, vt notat D. Bonauent. *loc. cit.* & Vasq. *cap. 5.* Primò modo, negant Hieronymus ad Damasum, & D. Augustinus *5. de Trin. cap. 9.* & *lib. 6. c. 4.* posse in Deo plurificari: Secundò verò sensu, Hilarius, Anselm. Boëtius, & alij suprà allati dicunt, tres in Deo subsistentias. Et hic mos est in Ecclesia obseruandus, vt dixi; vt tres subsistentias asseramus, quòd latè ostendam *disp. 6. q. 5.* 34

Ex dictis habes, cùm D. Bonauent. *in 3. d. 10. quæst. 3. in corpore*, quomodo comparentur inuicem indiuiduum, suppositum, & persona: nam indiuiduum, vt sic nudum, commune est accidenti, & substantiæ. Addit Vasquez *ad art. 1. q. 29.* hoc verum esse; nisi addatur incommunicabile, vt intellexit Boëtius, quia tunc significat personam præcisè, vel hypostasim, sed hoc est falsum; nam eo ipso, quòd specificatur indiuiduum substantiæ, supponitur incommunicabile, vt supposuisse Boëtium asserit Vasquez; alioqui non rectè saluaretur definitio personæ lata ab illo. 35

Suppositum verò latiùs patet, quàm persona; quia etiam irrationalia substantiæ suæ habent suppositum: Persona verò solis rationalibus conuenit.

Nota verò, quòd cùm indiuiduum apud nos significet naturam distinctam indiuidualiter, non benè transfertur ad Deum; sicuti neque transfertur species, aut genus, quæ dicunt compositionem metaphysicam.

Pro coronide apponam dubium, circa illa verba, Hebræos 1. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, vbi Græcè est, hypostasis eius; vtrum significet eo loco essentiam, an personam. D. Athanasius *epist. ad Episcopos Africæ.* Epiphan. *hæresi 69.* hypostasin pro essentia accipiunt. Ita videtur sentire Theodoret. ad eum locum; nec abest Chrysostomus. At Gregor. Nyssenus *libello de differentia vsia ab hypostasi*, intelligit personam. Idem sensit Theophylact. vt sensus sit, Filium esse imaginem personæ Patris. 36

Franciscus Dauid, nostri sæculi hæreticus contendit, ibi nomen *hypostasis* non significare personam: quia eodem nomine vsus est Paulus, *Heb. 3.* vbi fidem viuam appellat principium substantiæ; vbi est *hypostasis*, & Heb. 11. dicitur: *Fides sperandarum rerum substantia*, idest, subsistentia.

Respondetur, ibi ad *Hebr. 3. & 11.* fidem vocari subsistentiam, provt potest conuenire fidei; hîc autem dici hypostasim Patris, quæ est subsistentia intellectualis naturæ, atque adeò personam dicit; nam

nam cùm persona substet omnibus, rectè dicitur subsistentia, vt ait D. Bonau. *locis supra cit.* & cùm eo Vasquez *cap.4.* Itaque filius dicitur imago Patris, vt explicat S. Bonau. *opusc. Reductio artium ad Theologiam*, vbi indicat esse imaginem loquentis, qui est Pater. Sed de hoc *disp.9.sect.ult.*

37 Ex dictis habes suppositalitatem, & naturam differre in creaturis realiter, sic confitentur Theologi cum SS. Doctoribus passim, præcipuè *3.part. quæst.4.art.2.*& *in 3.d.1.* vbi Scotus. Constat ex Incarnationis mysterio, vbi Verbum assumpsit naturam humanam non suppositum.

Ex huius distinctionis ignorantia Eutyches errauit inferens in Christo vnam naturam, eò quòd sit vna persona. Errauit & Nestorius inferens in Christo duas personas, quia ibi duæ naturæ. Id aduertit P. Vigilius Episcopus Trident. *l.1.cont. Eutych.* & Damascen. *l.3.de fide, c.3.* cum Epiph. *in 6.Synodo, act.6.*

QVÆ cùm ita sint, malè nonnulli eam distinctionem realem auferunt, in quibus Dur. *1.d.44. q.1.num.55.* quem frustra excusat Vasq. *3.part.d.31.* Carpitur ob hoc etiam Vuaddingus *d.4. de Incarn. d.2.§.1.& 5.* à Poncio *metaph. d.2.num.84.* sed reor, lapsum esse typi.

Naturali quidem ratione non video probari. Sed fides sufficit.

QVÆSTIO III.

Vtrum Personalitas addat naturæ aliquid positiuum.

D.Bonau.dist.34. quæst.1.

38 OBSERVANDVM primò, naturam indiuiduam dicere solum hanc numero naturam, tota sua essentia, & quidditate præditam; quò fit, vt etiam accidentibus communis sit; nam & ea habent suam essentiam. In se autem sit indiuisa, & diuisa à qualibet alia natura: & hac ratione est incommunicabilis, quia in pluribus esse nequit; neque habet alia inferiora, quibus communicetur, & de quibus prædicetur prædicatione identica, atque hoc pacto, quodlibet singulare cuiusvis prædicamenti est incommunicabile, vt *quod*, & sic opponitur vniuersali, & sub eo, vt pars subiectiua collocatur, vt in *quod*, tandem natura vniuersalis terminatur. Qua de causa dicitur ab Aristot. *2. de anima, text.2.* hoc aliquid. Habet tamen, vt communicari possit subiecto, cui inhæreat, si est natura accidentalis; & supposito, si sit natura substantialis: & quidem suppositum, quod in natura rationali addit dignitatem personæ, est incommunicabile omninò, vt neque inhærere, neque inexistere possit alteri. Tripliciter autem suppositum est incommunicabile, vt docet D. Bonauent. *1.dist.25.quæst.2.ad 3.* & *in 3.d.5.art.2. quæst.2.* Hoc faciliùs ostendam, distinguendo esse communicabile. Primum est, communicabile vt *quod*, quatenùs potest transire in alterius identitatem, quidditatiuè idem constituendo. Hinc oritur secunda
39 communicatio per prædicationem: nam, quòd hoc modo communicatur, totam essentiam, vel partem illius, cui communicatur, exprimit, de illoque quidditatiuè in rectò, in primo modo dicendi, enunciatur. Totam quidem essentiam exprimit, si sit species specialissima: partem verò, si sit genus, vel differentia: & hoc pacto, vniuersale communicatur suis inferioribus. Tertia communicatio est per compositionem, vt *quo*, cùm id, cui hoc modo communicatur, non est ipsum; sed *quo* ipsum: & hoc tripliciter. Primò per identitatem, quando est id quo aliud, cui communicatur, est tale essentialiter; & hoc modo, natura suis suppositis, & vniuersale inferioribus communicatur. Itaque quod hoc modo communicatur vt *quo*, est etiam communicatum, vt *quod*. Secundò modo, est per informationem; sic forma communicatur materiæ, v.g. anima corpori, & accidens subiecto; quo fit, vt id, cui communicatur, non sit ipsum, sed ipso sit tale, v. g. corpus, viuens, &c. vnde non prædicatur quidditatiuè; neque enim dicitur corpus est anima. Tertio modo, per vnionem, 40
quatenùs aliquid alteri vnitur, vt ab illo sustentetur: sic natura humana communicatur Verbo, vt ab eo sustentetur; & quamvis à diuina persona non informetur, perficitur tamen.

E CONTRA verò suppositum, & persona sunt omnibus modis incommunicabilia entia, quia nulli, vel per identitatem, vel per compositionem, vel per prædicationem, &c. vniri possunt. Est igitur quæstio. An hæc incommunicabilitas sit præcisè id, quod præcisè addit suppositum, seu persona naturæ, an verò aliquid sit positiuum. Opiniones latè refert Gregor. de Valentia *tom.4.disp.1.quæst.4. puncto 2.*

Prima opinio est. Personam nihil positiuum 41
dicere, sed solam incommunicabilitatem, seu negationem communicationis, vt *quo*; & vt *quod*. Ita Scotus *in 1. d.23. & 25.* & *in 3. d.1.q.1.art.3.* & *in quodl.quæst.19. art.3.* Hanc autem incommunicabilitatem declarant alij per negationem actualis, & aptitudinalis dependentiæ ab alieno supposito. Eandem sententiam sequitur Bassolis *in 3. d.1.art.1.* & *in 1.d.23.quæst.vnic.art.1.* Ocham *quodl.4.quæst.11. art.1.* Gabriel *in 3.d.1.q.1.art.1.* Henricus *in summa, art.53. quæst.3.* & communiter Scotistæ *in 3. d.1.* vbi Mairo *quæst.11.* Faber *ibi disp.2.* & acerrimè P. Mastrius de Meldula *disp.11. met. quæst.3. & 4.* & *in 3. disp.1. quæst.3.* quibus locis cæteros refert Scotistas. Fatetur tamen, Scoto visam probabilem sententiam oppositam asserentem, dicere quid positiuum. Lichetus verò pressus difficultatibus confitetur, Scotum non omninò huic sententiæ adhæsisse, & facilè solui rationes Scoti ex Caietano; & oppositam sententiam esse probabiliorem. Rada verò *contru.22.* Scotum trahit ad D. Thomam, & D. Bonauent. Aretinus etiam *dist.1. quæst.1. art.11.* idem ferè astruit, cum Rada. Hanc tamen sententiam, nonnulli etiam Patres Iesuitæ amplexi sunt, & pro nostris eam tutantur, 42
quos validè reprehendit, & insectatur Arriaga *tom.6.disp.25.*

DISPLICET admodum Zamorrus Vtinensis noster, qui conciliatoris sustinens personam, personatus Scotista proceriores Theologos in sententiam Scoti trahit.

Et primò Alensem *3.part. quæst.6. memb.4. ad 1.* vbi ait: *Ad hoc, quòd sit persona, requiritur triplex determinatio, scilicet singularitatis, incommunicabilitatis, & dignitatis.* Sed vbinam dixit, esse meram incommunicabilitatem?

Trahit etiam D.Thomam *3.p. q.2. art.2. ad 3.* & *q.16.art.12.ad 2.* & *de potentia, q.9.art.1.* & *in 3.d.5. q.1.art.2.* & *in 1.d.25.q.1.art.1.ad 7.* & *in 3. d.5.q.2. art.1.ad 2.* At D.Thomas nusquam docuit, perso-

nam in sola negatione constitui, vt optimè obseruat Vasquez 1.*p.disp.*127.& 3.*p.disp.*31. Nazar. 1.*p.q.*29. *art.*4.*controu.vnic.* Caiet. 3.*p.q.*3. *art.*2. & alij fideles Thomistæ; tametsi exteri nonnulli expositores D. Thom. vt Molina 1.*p.q.*29. *art.*4. *d.*2. & Torres ad eundem articulum deficiant.

43 Quod me cruciat, trahit ad Scotum etiam D. Bonauenturam: ex quo multos, ad id probandum, textus recenset.

Primò refert 1.*d.*25. *art.*2. *q.*1. dicentem: *Persona dicit incommunicabile, secundum rationem, & hoc dicit priuationem communicabilitatis: persona vlterius, quia incommunicabilitatem habet ratione eius, quod subest proprietati distinguendi, dicit habitudinem ad proprietatem; sicut per nomen hypostasis. Rursùs ex his habetur, quòd persona ponit circa suppositum, de quo dicitur, intentionem subiiciendi, & non prædicandi.*

Ex hoc sanè loco, non solum incommunicabilitatem esse rationem personæ, colligo; sed & aliquid positiuum, quod negatiuo supponitur: hoc autem illis verbis asserit: *Persona dicit habitudinem ad proprietatem.* Id verò, in fine corporis, verbis asseuerauit Maiusculis dicens: *Reuera, priuatio illa in persona magis est positio, quàm priuatio.* Ideò inter opiniones de natura personæ accipit secundam, quæ eius rationem in proprietate collocat; quia & priuatio illa dicit positiuum, vt suprà.

Alium locum allegat ex 3.*d.*5.*art.*2.*q.*2. *ad* 1. vbi ait: *Indiuiduum triplicem importat distinctionem, videlicet, singularitatis, incommunicabilitatis, & supereminentis dignitatis; indiuiduum enim dicitur, quod est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio.*

44 *Distinctionem singularitatis voco, quòd aliquid non sit commune ad plura; sed dicatur de vno solo, propter quod Socrates dicitur indiuiduum, homo verò non dicitur indiuiduum. Distinctionem incommunicabilitatis dico, quando aliquid non est alicuius pars, siue veniens in compositionem tertij: vnde pes, vel manus hominis, propriè loquendo, non dicitur indiuiduum. Distinctionem supereminentis dignitatis intelligo illam, quæ accipitur à digniori proprietate. Hoc enim nomen* Persona, *sumptum est à dignioribus, vnde non reperitur, nisi in indiuiduo nobilissima creatura, vtpotè rationalis, & ratione sua nobilissima proprietatis.*

Enim verò Vtinensis affert textum mutilum: nam, vt respondeat S. Bonau. argumento, quod sic instabat. Boëtius *lib. de duabus naturis definiens personam,* dicit: *Est rationalis natura indiuidua substantia. Sed Christus assumpsit indiuiduam substantiam rationalis natura, ex Damasceno* lib. 3. de fide, cap. 11. *Ergo assumpsit personam.* Subdit ad præallegata verba: *Quoniam ergo natura humana, assumpta à Christo, ordinata est ad nobiliorem proprietatem eiusdem persone, secundùm alteram naturam; hinc est, quòd non tenet ibi proprietatem personalitatis; cadit enim ab vna proprietate, quæ est supereminentis dignitatis, à qua quidem non cadit persona Verbi, secundùm diuinam naturam: & sic patet, quòd definitio persona, & ratio illa non valet, quia notificatio persona rectè intellecta non conuenit humanitati assumpta.*

45 Hic S. Doctor adducit causam ob quam, humanitas non est persona; quia non habet supereminentem dignitatem, quæ ab incommunicabilitate distinguitur, vt ipse docet; neque intelligitur deesse illa dignitas, quam persona addit hypostasi, vt sit in natura rationali, vt patet: nam quoad hanc humanitas, cùm esset natura rationalis, fuisset persona. Vult ergo, deesse aliquid positiuum, quod sit supereminentis dignitatis additum naturæ rationali, negatio verò non facit supereminentem dignitatem, cùm non sit ens.

Tertium locum adducit 3.*d.*5. *q.*3. vbi ait: *Quòd quamuis in anima separata sit reperire singularitatem, & dignitatem; non est tamen reperire incommunicabilitatem, quia appetitum, & aptitudinem habet, vt vniatur corpori; & ideò necesse est, ipsam carere distinctione personalitatis.*

At verò detruncatum hunc quoque textum refert. Ait enim S. Bonau. *Quia ad rationem persona requiritur ratio singularitatis, incommunicabilitatis & supereminentis dignitatis,* vt dictum est suprà (idest, quæstione præcedenti,) & quidem supereminentem dignitatem ibi negauit animæ separatæ; vt vidimus in superiori argumento: hic verò concedit aliquam illi animæ dignitatem, sed eam negat supereminentem, qua nititur incommunicabilitas, quaque constituitur persona. Ideò subdit: *Quoniam si completior est anima, dum appetitus eius terminatur quem habet respectu corporis resumendi, sicut vult August.* 12. super Genes. ad litt. c. 35. *& tunc non habet in se intentionem persona; necessariò sequitur, quòd personalitate careat, cùm est separata à corpore; alioqui sequeretur, quòd vnio esset in anima præiudicium, & separatio in præmium, quorum quodlibet est falsum.* En S. Doctor ponit in anima coniuncta aliquid positiuum, resultans ad eminentem dignitatem; vt fiat persona ex composito, & hoc arguit *fundamento primo.* Ex ea verò perfectione positiua infert, personam non ordinari ad vlteriorem perfectionem, quia est quid completissimum in genere substantiæ, vt arguit *fundamento secundo.* Vult ergo dicere S. Doctor. Quamvis anima habeat in statu separationis aliquam dignitatem, non habet tamen eam supereminentem, requisitam ad esse personæ, de qua superiori quæstione: eò quòd ea perfectione vltima caret, qua reddatur deinde incommunicabilis. Et hic est sensus germanus obuius, & defluens è verbis Seraphici. 46

Quartum locum adducit ex 1.*dist.*25.*q.*2.*ad* 3. vbi ait: *Quòd indiuiduatio attenditur in persona, quantum ad triplicem incommunicabilitatem, scilicet per prædicationem, & hæc conuenit hypostasi: & per compositionem, quia non est alteri componibilis; & per vnionem, prout aliquid vnitur digniori.* Addit Vtinensis, idipsum confirmari à S. Bonau. 3. *dist.*5. *q.*2. *ad* 1. & 2.

At S. Doctor non ait, in illis incommunicabilitatibus consistere personam; sed ibi reperiri differentiam, quæ dicit illas duas incommunicabilitates. Ideò subdit: *Sed tamen illud, licet, rationabiliter sit dictum; adhuc restat quæstio de hypostasi, quia hypostasis est substantia indiuidua.* Vult dicere: Quomodo ergo, si vt respondebatur, sumitur in definitione personæ substantia pro hypostasi; quomodo inquam additur indiuidua? 47

Respondet ibi, in definitione personæ sumi substantiam, vt est communis primæ, & secundæ; at per particulam *indiuidua,* coarctari ad primam substantiam. Quis autem neget, primam substantiam dicere positionem? Id clarè ostendit *fundamento secundo,* vbi ait: *Ponendum suppositum incommunicabile; & hoc suppositum esse substantiam Diuinam.* Cùm autem de supposito diuino credat, esse quid positiuum, signum est, incommunicabilitatem assignari, prout venimus per eam in cognitionem perfectionis intrinsecæ ipsius personæ.

Confirma

48 Confirmatio verò, quam affert Vtinensis è tertio sententiarum, *distinct.5. quæst.2. ad primum, & secundum*, est validissimum argumentum contra Scotum: nam arguit contra, quod Verbum assumpserit personam, quia æquè, imò magis nobilem, quam in nobis naturam accepit. Ergo ea erat persona.

Respondet, quod natura humana, à Verbo assumpta, eo est nobilior, quam in nobis; quia à nobiliori persona sustentatur. Itaque supponit, personalitatem creatam dicere positiuam perfectionem, quam supplens persona Verbi, reddebat nobiliorem illam naturam assumptam, quam sit in nobis propria personalitate prædita. Si igitur persona diuina supplet in humanitate Christi perfectionem, quam è natiua personalitate haberet; & aliam maiorem substituit, nempè, diuinam, vt etiam Patres clamant infrà citandi; sequitur personalitatem dicere positiuam perfectionem.

49 Quod si D. Bonauent. *distinct.25. quæst.2. ad quartum*, ponit definitionem Richardi. *Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*; in particula illa *existentia* astruit positiuum. Ideò subdit aliam Richardi definitionem, lib.4. de Trinitate, cap.23. *Persona est existens, per se, iuxta singularem quendam rationalis existentiæ modum.* Et aliam refert ex Magistris. *Persona est hypostasis distincta proprietate, ad nobilitatem pertinente.* Et ait, *Magistrum, & Boetium definire Personam, secundùm quod, communiter dicitur de Deo, & creaturis: Sed Boetius magis considerat rationem rei: Magistri verò addunt rationem translationis; definitiones verò Richardi explicant personam, prout est in diuinis præcipuè; sed vna est propria assignatio; alia definitionis Boetij expositio, siue correctio. Posset tamen dici* (ait) *quod omnes idem dicunt, differunt tamen secundum modum dicendi, quia definitio Boetij videbatur improprietatem sonare; ideò posuit Richardus aliam, per propria verba; & sic vsque ad quartam.* Hæc S. Bonauentura.

50 Iam verò, cùm Richardus fuerit expositor Boetij, sequitur, per incommunicabilem existentiam aliquid positiuum asserere; sicuti etiam Boetius, dicens, *est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Quod si corrector fuit; hoc est, quia ponit *intellectualis naturæ*, quæ magis dicitur de Deo, quam rationale, quod commune est, vt dixit *ad secundum*, nuper citatæ quæstionis. Hinc fortiùs argumentum educo pro nobis. Nam si definitiones Richardi magis propriè diuinis personis conueniunt; & diuinæ personæ, de fide, positiuum dicunt, vt vbique docet S. Doctor, præcipuè 1. *distinct. 23. quæst.1. in corpore*, & *distinct.33. & 34.* passim; sequitur intentum.

Adde tandem, quod, si in modo dicendi solo differunt, idem est indiuidua substantia, ac positiua existentia, è cuius vltima perfectione oritur, vt sit incommunicabilis. Ideò Marcus à Baudunio S. Doctorem *dist.25. quæst.1.* pro hac stantem agnouit, *quæst.20. art.2.*

Plurima alia loca ex D. Bonauentura afferrem, pro opposita prima sententia, pro qua stantem S. Doctorem communiter agnoscunt.

Et quidem primo, *dist.25. quæst.2. articuli secundi, ad tertium*, soluit hoc argumentum. *Complementum rationis personæ consistit in incommunicabilitate: sed incommunicabilitas communis est personis diuinis & creaturis. Ergo persona dicitur vniuocè de creatis, & increatis.*

51 Respondet, quod *non est pura priuatio; imò importat distinctionem, & cum alia ratio distinguendi distans multum ab illa sit in Deo, & hoc non tantùm, secundùm rem; sed etiam secundùm rationem rectam, intellectus non attribuit Deo modum distinguendi, qui competit compositis. Ideo nec ratione vniuocum est, sed solùm analogum.*

Dist.23. *quæst.1. in corpore*, vbi quærit; an persona ad diuina transferri debuerit, ait. *Quia indiuiduum rationalis naturæ distinctum est ab aliis, & hoc proprietate dignitatis inter creaturas; hinc est, quod extensum est, ad significandum suppositum rationalis naturæ. Deinde, quia in Deo est reperire suppositum, distinctum proprietate nobilissima; Spiritu sancto dictante, translatum est ad diuina.* Ibi ex etymologia personæ prosequitur addere positiuum dignissimum.

Dist. 25. *quæst.1.* ait. *Persona dicitur rationalis naturæ suppositum, proprietate distinctum, secundùm omnes, qui intelligunt eius significationem specialem. In diuinis autem* (ait) *suppositum rationalis naturæ esse substantiam; proprietatem vero distinguentem esse relationem.*

Dist. 34. *quæst.1.* quærens. An personalitas addat naturæ, cuius est persona. Respondet. *In creatis addere, quasi formam ad materiam, cum additione reali necessaria*; & ait. Quod, *sicut non potest vnus esse albus, distinctus à nigro; nisi per absolutam qualitatem albedinis, distinctam à nigredine; ita in suppositis creatis vnum non differt ab alio, nisi per aliquod reale additum proprium.* Tandem concludit, personam esse modum substantialem. Denique *dist.25. art.2. quæst.1.* refert opinionem, quam tulit Scotus, & in fine respuit, vt agnouit Tanner. *disp.4. quæst.1. dub.5.* 52

In *tertio, dist.5. art.2. quæst.2.* cum sanctis Patribus disputat. an Verbum assumpserit personam; quod, si persona esset quid negatiuum; non esset assumptibilitati idoneum. Quare tantum valeret, Verbum non assumpsisse personam: quantùm non assumpsisse nihil; vt acutè obseruat P. Galatius *parte 1. Phil. lib.1. tract.6. quæst.10. num.8.*

In Compendio *Theol. lib. 1. cap. 13.* definiens Personam, eam ad dignitatem pertinere, ac perfectam asseuerat, & refert suprà relatas Personæ definitiones, è quibus illam asserit Magistralem. *Persona est distincta proprietate, ad dignitatem pertinente hypostasis.* Vbi non solam dignitatem ex rationali natura, sed ex ipsius personæ (vt hypostasis est) proprietate colligit. 53

Alia loca afferam cum argumentis Seraphici. Quare deeius sententia non est relictus dubitandi locus, vt edisserit etiam Forestus, in Seraphici scriptis decrepitus, quippè, quinquaginta sex annos eum publicè explicuit. Eum vide *fol. 147. & 157.* Idem sensit Magister Seraphici, Alexander 1.*p.q.56. memb.4. art.1.* vbi ait. *Persona est existentia incommunicabilis naturæ; vel existens per se solum, secundùm quendam modum existendi.*

Idem habet Richardus, Seraphici assecla *dist.34. art.1. quæst.2. in corpore*, vbi ait. *Persona, cum essentia, dicit proprietatem, vt subsistentem, scilicet sub ratione formali subsistendi.* 54

Est igitur secunda sententia, personam addere suprà naturam aliquid positiuum. Ita cum D. Bonauent. allegati; & D. Thom. 3.*p. quæst.2. artic.2. ad 3.* vbi ait. *Non quodlibet indiuiduum in genere substantiæ, etiam in rationali natura, habere rationem personæ; sed illud solùm, quod per se existit; non autem quod existit in alio perfectiori.* Ergo *in per se existendo* completè stat ratio personæ. Et *quæst.16. art.12. ad 2. eadem 3.p.* ait; *substantiam indiuiduam*

tur, vt aduertit S. Bonauent. *in corpore*, & *fundamento vltimo*; sed impeditur humana personalitas ne resultet, & loco eius apponitur personalitas Verbi ad supplendam eius perfectionem: vnde illa assumptio terminata est ad personam, quæ non potest consequenter esse negatio; quia nunquam actio positiua ad negationem, tanquam ad terminum tendit, vt docet Faber *Theor. 36. cap. 3.* Quod etiam affert de priuatione, non est vllatenus ad rem; nostra enim est mera negatio, quæ nullam dicit aptitudinem, vt notat Aretinus *ad primum Phys. c. 20. de mente Scoti & omnium Philosophorum.* Quod verò ait de corpore organico; affert vt certum id, de quo est controuersia, & petit principium; imò falsum adducit. Certum est enim produci nouum modum positiuum; & alium deperdi; nam forma organica habet rationem formæ, & adueniente anima habet rationem materiæ, vel subiecti. Deinde acquiritur noua forma, quæ est anima; at in casu nostro nil omninò est inuenire, quod sapiat positionem; sed negatio apponitur vna, alterius loco, quod est paradoxum, quia negatio non tollitur ni-
61 si per positionem. Quod si demum negationem communicationis in subiecto apto asseras Personam, quatenus ea res potentialiter est communicabilis, vt videtur velle Scotus; sequitur personam non ab intrinseco esse incommunicabilem, sed solùm ex hypothesi, si nimirum ponamus eam in sensu composito, actu non communicari; atque adeò frustra acceptat definitionem Personæ latam à Richardo. *Est incommunicabilis subsistentia*, quia in definitione ponitur id, quod non est intrinsecum, sed per accidens, vt obseruat Valentia. Quod si potentia ad communicabilitatem excluditur, vt patet, profectò non connotatur, sicuti in priuatione quadam intrinsecè; etiam si sit in potentia obedientiali; alioqui Asinus connotaret esse angelum, ad quod est in potentia obedientiali. Neque sumat totum pro sola personalitate. Nam Patres nolunt, Verbum suppleuisse sua personalitate perfectionem totius indiuidui; ita enim destruxisset naturam. Prætereà Faber cum Patribus ait, animam satiari à Verbo, quoad appetitum propriæ personalitatis; at appetitus non satiatur, nisi bono, & ente positiuo. Quæ enim pinguedo in negatione ad satiandum appetitum? Igitur impropriè locuti essent Patres, cum tenerentur loqui de personalitate nuda; non cum natura simul. Quod si negatio hæc est ens reale, erunt in quouis ente creato infinitæ entitates reales; quia Petrus non est communicabilis lapidi, bruto, & innumeris suppositis, ac naturis. Vltimò, quam perfectionem potest supplere Verbi personalitas, quæ non dicit aliquid perfectionis, vt asseris *disput. 22.* cum tuo D. Subtili?

62 Confirmatvr, & vrgetur ratio: nam asseritur aliquid Diuinum esse in Christo, quod aliàs futurum esset creatum, hoc sanè est personalitas; quia nil aliud creatum conueniens humanitati deest, nam alioqui perfectus est homo; vt dicitur in Symbolo Athanasij; at negatio illa Scotica non est *quid diuinum*; sed potiùs *non aliquid*. Præterea dicitur à Patribus natura humana maximopere exaltata hoc ipso, quod dependeat hypostaticè à Diuino Verbo quod si mera negatio est illa subsistentia extranea, iam humanitas inde non est exaltata; sed depressa; quoniam negatione externa impeditur, ne per se stet. Certum est igitur, esse positiuam, vt infert Valentia, cum D. Bonauent. 3. *distinct. 5. quæst. 2. ad 1. & in corpore*, & *ad 2.* Vrgeo, Verbum sua subsistentia sustentat naturam humanam. Ergo deest aliquid positiuum cum suppleatur à Verbo Persona reali positiua.

Pontius *d. 2. à num. 119.* respondet, Verbum 63 supplere humanam hypostasim, non quia in omnibus; non enim dat stare in se, sed quia dat negationem illam, qua valeat natura operari omnia decentia, qua negatione impeditur, ne propria resultet hypostasis. Ita Verbum non supplet nihil. Hinc aptè Concilia definiunt Verbum non assumpsisse personam, idest negationem vnionis secum; qua non assumpta, constat hominem assumptum, & aliter non constaret vnio hypostatica. Exaltari autem ad gratias patet.

Accidit incautis Labyrinthos intrantibus eosdem tramites recurrentibus ad idem caput viæ implicitis reuerti. Ita negatio quæ nihil est dat principium omnia agendi; est terminus operis grandis, impedit aliud nihil, & excludit; Persona Diuina sua infinita perfectione intrinsecè nihil exhibet, suppletque nihil. Concilia statuunt Verbum non vnitum negationi vnionis, qua posita aufertur vnio hypostatica, & hac negatione vnionis ablata, ponitur vnio. Saluat se Poncius dicens esse negationem hanc nullo cogitante intellectu. Equidem video in me plurimas entitatis negationes, sed non video omnia ferè mea operari positiua. Non miror Suarium, Hurtadum, Lugum, Auersam, & alios graues Doctores hæc puerorum crepundia proclamasse. Esto ad vnionem sequantur gratiæ, tamen SS. Patres in ipsa vnione aiunt exaltari.

Probatvr secundò assertio à Caietano 3. *p. quæst. 4. art. 2.* argumento ducto è D. Bonauu. 1. *d.* 64 *19. art. 1. quæst. 2. argumento* 4. Substantia alia est secunda, seu vniuersalis; alia prima & particularis. Ideò 5. *Metaph. cap. de substantia*, diuidit substantiam in essentiam, & Hypostasin, in communem; quod communicabile est, & in proprium, quod est incommunicabile, quæ sunt diuersa: sed communicabile est ratione eius, *quo est*; & incommunicabile, ratione eius; *quod est*. Ergo debet dari inter hæc differentia positiua, qualis necessaria est inter vniuersale, & particulare, quæ sunt positiua sic & Fonsec, & Vasq.

Confirmatvr à D. Bonauent. ex D. August. 7. *de Trinitate, cap. 6.* Ideò, quia in Diuinis datur communicabile, & incommunicabile debet dari alio, & alio modo positiuo reali. Hinc D. Augustinus ait: *Pater alio est Deus, alio est Pater.* Et debet respondere ei aliquid, quo est communicabile: & aliud ei, quo est incommunicabile; alioqui confundetur Trinitas, vt clamant Scotistæ adducti *d. 3. quæst. 4.*

Confirmatvr secundò in genere. Quandocunque aliqua diuersa de aliquo affirmantur, necesse est, ibi esse aliqua à parte rei respondentia; alioqui erit fictio; sed personæ, & naturæ, vt distinctis, attribuuntur diuersa prædicata positiua; nam persona quæritur per *Quis*: natura per *Quid*, vel hypostasis per *Quid*: natura per *Quo*; quæ positiua sunt. Ergo respondet his prædicatis aliquid positiuum. Hoc argumentum eruitur è D. Bonauent. 3. *d. 5. art. 2. quæst. 4.* maximè ad vltimum, & *in 1. d. 19. loc. cit.* & locis mox citandis; & *1. d. 33. q. 2.* & *d. 34. quæst. 1. & 2.*

Confirmatvr tertiò à D. Bonauent. *1. d. 25. art. 2. quæst. 1. corpore.* Sicut natura ideò, quia communis est, non habet, quo distinguat Petrum, & Paulum substantialiter: ita, quia hi duo differunt in ratione personæ, debent habere aliquid, per quod differant in ratione personæ, vt sint incommunicabiles;

municabiles. Ergo debent habere proprietates personales, quibus nitatur incommunicabilitas.

Confirmatur quartò à D. Bonau. 1. *d.26. quæst.*1. *corpore*. Quando aliqua differunt ab alio realiter, debet dari id & quod differt, & quo differt. Sed personæ per proprietates personales differunt: ergo datur, quod differt; & quo. Hæc verò positiua sunt omnium conceptu. Nam, cum dicimus: *Petrus*, *Paulus*, significantur duæ personæ vnicæ naturæ; sed distinctæ positiua differentia.

Respondet Fauentinus *cap.*5. apud Aristotelem: non distingui personam ab indiuiduo, & à natura singulari; & quia indiuiduum constituitur per proprietatem positiuam, ideò Aristoteles idem dicit de persona: at secundum fidem natura differt à persona. Vnde Verbum potuit assumere naturam, non assumpta persona.

Hinc respondet ad confirmationes, quod quia ea nomina exprimunt naturam indiuiduam; ideò positiuum sonant; quod si personalitatem meram exprimerent, negationem sonarent. Idem ait Poncius *num.*113.

65 Contra. Nam Aristoteles cap. de substantia, distinguit partes substantiæ, quas indiuiduas asserit. Et primas substantias non secundas, idest, communes à supposito toto, quod eas sustentat; tamen ait, solùm suppositum esse completo modo substantiam. Neque verò vnquam indiuiduum vocat hypostasim; vel suppositum; imò indiuidua ab hypostasibus distinguit *lib. de mundo ad Alexandrum*, vt dixi *quæst.*2.

Quod verò addebat parum ponderat: nam ostendi, personalitatem, vt opponitur naturæ, esse distinctam, & positiuam. Ideò abstracta debet habere aliquid positiuum, quo differat; hoc autem non potest esse negatio, sed positio; nam omne negatiuum nititur aliquo positiuo; vt Scotistæ fatentur passim sed incommunicabilitas personæ est per vos aliquid negatiuum: ergo.

Respondet Faber *ad* 9. & Pont. è Scoto 3. *d.*1. *quæst.*2. *art.*3. *ad* 4. negationem, quæ dicit repugnantiam, fundari in aliquo positiuo; vt in Diuinis personalitate incommunicabili: at in creaturis non dicit repugnantiam.

66 Contra primò, quia personæ creatæ repugnat communicatio actualis, & aptitudinalis, per vos, nil autem repugnat ex sola negatione, ex Scoto *in* 2. *dist.*3. *quæst.*2.

Probatur verò à D. Bonauent. *in tertio, loco citato*, quia, personam esse incommunicabilem dicit dignitatem ideò dicitur persona per se vna, quod probatur à D. Bonauent. à contrario. Sicut enim substantia partialis est communicabilis, quia est in potentia ad complementum; ita ideò persona est incommunicabilis quia vltimò completa, & terminata; atque ideò ad aliud non ordinata.

Hinc vrgeo. Incommunicabilitas est negatio relationis, ac proinde reducitur ad genus accidentis. Ergo non est formaliter persona, quæ est prima substantia. Antecedens probatur: nam dicit negationem dependentiæ ad alienum suppositum. Consequentia patet: est enim complementum substantiæ, vt arguit Gauatius.

Respondet Mastrius *disput.*11. *Metaph. quæst.*4. *num.*99 & hic *num.*103. personam esse substantiam, vt includit ipsam substantiam singularem; non vt est formaliter persona.

67 Contra: nam Mastrius probat, suppositum non superaddere naturæ singulari collectionem accidentium; quia suppositum dicit substantiam vltimatè completam in genere substantiæ. In tali igitur conceptu non clauditur negatio dependentiæ, quæ est accidens.

Deinde Scotus *quodl.*3. *R.* docet, vltimum, contrahens naturam ad incommunicabilitatem, in creaturis esse eiusdem generis cum natura contracta atque adeò est substantia. Illud tandem respondent Scotistæ, vt se expediant; Scotum censere etiam nostram sententiam probabilem, vt fatetur Meldula *num.*106. Vrgeo ex D. Bonauent. 1. *d.*23. *quæst.*1. *fundamento* 3. Nam persona dicit vltimum completiuum in genere intellectualis naturæ, quod est completissimum, & ideò non potest ei fieri additio, ac proinde nec potest communicari.

Probatur tertiò à D. Bonauent. *dist.*26. *q.*1. 68 *fundamento* 3. Vbi est alia, & alia vnitas, profectò est alia, & alia entitas positiua. Sed in suppositis creatis reperitur vnitas personalis alia, & alia, & distincta ab vnitate naturæ singularis: ergo. Maior est Aristotelis 4. *Metaph.* dicentis, ens, & vnum eandem dicere naturam; quod probat Scotus 2. *d.*3. *quæst.*6. *C.* Minor probatur in via Scoti. Si Petrus plures naturas singulares assumeret (vt fatetur Scotus possibile) tunc multiplicatis vnitatibus singularibus in Petro, ipse adhuc vnus remaneret vnitate personali. Probatur verò in fide. Nam humanitas Christi habet vnitatem propriam singularem; non tamen personalem; alioqui in Christo essent duæ personæ, vt arguit S. Bonauent. 3. *d.*6. *quæst.*1. Ergo hæc vnitas est ab illa separabilis: ergo distincta realiter.

Respondet Mastrius *num.*98. vnitatem, quia opponitur diuisioni, & multitudini, explicari per negationem diuisionis, & multitudinis ab Aristotele 10. *Met.*9. & *lib.*5. *t.*11. an verò dicat etiam positiuum, dat regulam è Scoto 2. *d.*3. *quæst.*2. & 1. *d.*28. *quæst.*2. *ad* 1. & 3. d. 1. *quæst.* 1. & *quodl.* 19. *art.*3. Illa negatio, quæ conuenit necessariò, & inseparabiliter subiecto, semper supponit in eo aliquam entitatem positiuam, per quam ei conuenit. Quare, cum negatio diuisionis necessario enti insit, debet fundari in aliqua entitate positiua, quæ est formalitas vnitatis: at cum negatio, quam importat personalis vnitas, contingenter conueniat naturæ creatæ, personalitate affectæ, & sit ab ea separabilis, non fundatur in aliqua entitate positiua (nisi tantum in persona Diuina, quæ est simpliciter incommunicabilis.

Contra verò est: quia in definitione personæ recepta à Scoto est, vt sit incommunicabilis, & hæc est ratio formalis personæ; vt fatentur Scotistæ. Faber loco citando Mastrius *num.* 8. & alij, essentia autem non potest auferri, manente re, quia implicat, rem manere absque sua essentia.

Neque satisfaciunt Scotistæ dicentes, omnem creaturam esse in potentia obedientiali ad omne, quod Deus voluerit facere ex ea, hoc enim falsum est, quoad ea, quæ implicant, vt lapis non est in potentia obedientiali, vt fiat Angelus, & maneat lapis; vel ad rem nostram clariùs, vt amittat essentiam lapidis, & adhuc sit lapis.

Probatur quartò; si incommunicabilitas est 70 ratio formalis personæ, sequitur, diuinas etiam personas esse negationes formaliter, hoc consequenter probat Scotus 1. *d.* 25. *quæst.*1. & hoc non problematicè; sed ex animo, vt fatetur Faber. Hinc sequitur deinde, personam dici vniuocè de creata, & increata; quia essentialis negatio non suscipit magis, & minus. Ita arguit S. Bonau. 1. *distinct.*

distinct.25. *art.2. quæst.2. argumento 3. addito responso.*

Respondet Faber, & Mastrius, non dici personam vniuocè de Deo, & creatura; quia de Deo dicitur incommunicabilitas simpliciter; est enim perfecta personalitas; at creata est in potentia obedientiali, vt communicetur; vnde non habet perfectam rationem personæ: vnde & diuinæ personæ sunt etiam positiuæ; non sic creatæ. Quare dicitur analogicè.

71 Contra primò: quia Scotus concedit, personam in multis dici vniuocè de creatis, & increatis, vt notat Aretinus *in summa morali, & speculatiua in 3. d. 1. quæst.1. art.12.* & asserit, personam constitui per modum subsistendi positiuum.

Deinde datur conceptus analogorum abstractus formalis. In casu igitur nostro, Conceptus personæ, vel est positiuus, vel negatiuus. Si positiuus, habeo intentum, si negatiuus: ergo & persona diuina est negatio contra Concilium Later. sub Martino primo: vbi habetur. *Si quis non confitetur Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in tribus subsistentiis perfectis, consubstantialibus; anathema sit.* negatio autem non dicit perfectionem; alioqui (ait Faber cum Scoto) cum humanitati Christi desit persona; deesset ei aliqua perfectio, si persona esset quid positiuum.

72 Præterea. Id, quod est formale, & quidditatiuum, debet conuenire primo analogato, habenti perfectam quidditatem. Sed negatio communicabilitatis est essentia personæ, per vos: Ergo maximè conuenit personæ diuinæ, quæ per vos est perfectissimè persona. Ergo est formaliter negatiua. Confirmatur. Id quod est vltima ratio, est formalitas; at vltima ratio personæ diuinæ est incommunicabilitas, cuius fundamentum supponi debet: ergo. Quare secum pugnant Scotistæ, ponentes Personas diuinas positiuas; & ex alia parte, conuenire eis perfectissimam negationem communicabilitatis essentialem, eo quod sint perfectæ personæ, vt concedit etiam Scotus apud allegatos, qui ideo creatam personam imperfectam, nec vniuocè esse personam aiunt, quia est communicabilis per Dei potentiam. Vide in quantis se accusant.

73 Hinc adhuc vrgeo. Si persona creata est communicabilis; est etiam assumptibilis per Dei potentiam; quod non negant Scotistæ. Hinc igitur infero; frustra Patres, & Concilia iniungere, Verbum impediuisse personalitatem creatam, vt naturam humanam assumeret. Vrgeo adhuc. Si Verbum assumeret personam creatam, iam homo ille adæquatè subsisteret in se propria personalitate; & adæquatè non subsisteret in se. Sed in Verbo, vt arguit S. Bonauent. *3. d. 5. art.2.q.2. ad 2.*

Vrgeo adhuc. Impossibile est, per Dei potentiam aliqua duo adæquatè, totaliterque terminare vnum, ex Scoto *3.d.1. q.2.* Licheto ibi, Fabro ibi *disp.5.* sed natura terminatur adæquatè propria persona creata. Ergo impossibile est, simul terminari increata.

Responderet Faber, argumentum supponere, personam creatam esse communicabilem positiuè; sed in sententia Scoti est communicabilis negatiuè, idest, potest auferri illa negatio dependentiæ.

Contra ex dictis: quia, cum hæc negatio sit definitio personæ; non potest tolli, quin tollatur essentia personæ, vt dixi.

74 Respondet Faber *num.27.* quod personalitas creata inest naturæ creatæ; si autem personæ creatæ inesset hæc incommunicabilitas personalis, inesset quoque naturæ; atque adeo non posset Deus separare personalitatem creatam à natura singulari creata; sicut non potest facere, vt angelus communicetur albedini. Ita separatur hæc incommunicabilitas in Incarnatione.

At hoc est extra chorum saltare; nam, cum diuersæ sint essentiæ personæ, & naturæ humanæ, vt fides docet in separatione. Et hinc quæramus essentiam personæ, & hanc dicant esse negationem, eamque adhuc amouibilem, sequitur de intrinseco personæ non esse, & ita, posse manere personam absque illa negatione. Dicere verò, quod deberet illa negatio esse etiam in natura, est petere principium; & confundere quidditatem essentiæ, & personæ. 75

Probatur quintò assertio à Suarez, ratione D. Bonauent. *3. d. 5. q. 2. in corpore,* & innuitur etiam argumento primo opposito, addito responso, præcluditque magis fugam Fauentini. Assumptio, & terminatio naturæ humanæ dicunt aliquid positiuum, ad dignitatem pertinens; at incommunicabilitas, cum sit negatio, non potest aliquam naturam substantialem terminare; ergo, cum & persona diuina sit talis secundum eos, non potuit terminare naturam humanam. Vrgeo: potest persona creata secundum Scotum assumere naturam creatam in vnionem hypostaticam. Tunc sic vel illa natura terminaretur ad quid positiuum; vel ad negatiuum. Non secundum, quia terminare dicit positionem; si primum: ergo persona est positiua, est enim terminus assumptionis, vt enim arguit S. Doct. *fundamento 2.* assumptio est ad aliquam vnionem; & dicit actionem positiuam, vt notauit S. Bonau. *eadem distinct. quæst.4.* & qui assumit, debet esse ens actu completum, vt ostendit *fundamento vltimo.* 76

Respondet Faber, negando personam Verbi, secundùm Scotum, constitui negatione. Deinde, quamuis persona diceret negationem; posse adhuc assumere naturam, quæ terminaretur ad naturam singularem personatam, ita vt materiale esset natura singularis: formale verò esset illa negatio dependentiæ, neque enim personalitas est terminus adæquatus illius dependentiæ; sed persona in concreto, quæ notat naturam singularem personatam; siue cum duplici negatione communicationis actuali, & aptitudinali; ablata verò illa duplici negatione, natura singularis non potest terminare, & assumere hypostaticè; quia illi deest ratio formalis personæ; sicuti materia sine priuatione non est subiectum formæ, seu non potest accipere formam, per priuationem verò fit subiectum aptum recipere formam. Sumitur hæc responsio è Scoto *art.3.*

Frivola tamen. Nam, vt arguit S. Bonauent. *3. d.4. q.3. fundamento 3.* Impossibile est intelligere, vt natura assumatur, nisi sit singularis, ex Damasceno *lib.3. cap.11.* quia natura, nisi sit singularis, est in nuda consideratione: assumptum autem præcedit assumptionem, vt ibi aduertit S. Doct. & *art.2. q.1. ad 2. & q.5. ad 1.* Ergo natura singularis non potest habere rationem termini. 77

Confirmatur, nam, vt ipse Faber respondet *ad primum ex Aristotele*: de fide indiuiduum distinguitur à persona, quod inde ostenditur, quod Verbum assumpsit naturam indiuiduam; non personam. Tunc sic: id, quod supponitur actioni, non est terminus actionis. Sed natura indiuidua per te supponitur assumptioni: ergo. Debet itaque dari alius terminus positiuus actioni reali positiuæ;

tu autem assignas solam negationem in indiuiduo.

78 Exemplum verò de materia non est ad rem. Nam vis argumenti vrget, quomodo possit esse negatio terminus actionis positiuæ; non autem quomodo natura indiuidua cum negatione possit esse subiectum. Itaque male postea respondet, terminum illius dependentiæ esse quid positiuum, simul adnexam habens negationem illam duplicis dependentiæ.

Vrgeo adhuc. Si materiale personæ ad quod sequitur formale est natura singularis. Tunc sic. Sed natura humana Christi est singularis: ergo persona, vt arguit Valentia, cum D. Bonav. 1.*d*.23.*q*.1. & *in* 3.*d*.5.*q*.2.*articulo* 2.

Probatvr sextò, & vrgetur præcedens argumentum à Suar. ex D. Bonav. *in* 1.*d*.25. *art*.2.*q*.1.*in corpore*. Persona etiam creata dicit entitatem completam, proprio modo operantem; non enim operatur natura, nisi in supposito. Ideò dicuntur Actio-

79 nes esse suppositorum, vel subsistentium. Ratio est; quia agere est entis in actu, vt arguit S. Bonav. 3.*d*.3.*q*.3. ex professo hinc ostendens, non posse naturam diuinam, abstracta personalitate, assumere naturam. Sed persona creata, secundum Scotum, potest assumere aliam naturam ad vnionem hypostaticam; ergo operando, seu dando naturæ, vt operetur. Hoc autem est positiuum: ergo.

Respondet Faber *ad* 4. quod tunc natura illa terminaretur materialiter ad naturam singularem personatam; formaliter verò ad negationem.

Verum non respondet ad rem. Nam oportet, vt ostendat, quomodo negatio dat operari. Deinde illa pars responsionis supra euulsa est ad primum.

80 Probatvr septimò à D. Bonauent. 1. *d*. 25. *art*.2. *q*.2.*ad* 3. Id, quod dat esse distinctum substantiæ positiuæ, est positiuum. Personalitas dat Petro, & Paulo esse distinctum substantiale positiuum: ergo.

Respondent Scotistæ, dari distinctionem negatiuam.

Contra, quia Petrus à Paulo, vt personæ sunt, distinguuntur substantialiter.

Probatur octauò à Suarez ratione D. Bonauent. omnibus ferè locis allatis supra. Si personalitas est negatio; sequitur humanitatem Christi esse ens actu completum. Tunc sic arguit S. Bonauent. Ens actu non est ordinabile ad vnum substantiale constituendum in Christo, quia ex duobus vltimo completis non potest fieri vnum per se: at ex Patribus, & Conciliis hæc vnio est substantialis; & Christus est vna persona per se: ergo.

81 Respondet Faber *num*.45. verè humanitati Christi nil deesse positiuum, vt sit perfectus homo; negat tamen, quod hæc vnio non sit substantialis; est enim facta in substantia prima, idest persona. Quamuis verò naturaliter ex duobus entibus completis nequeat fieri vnum per se, potest tamen per Dei potentiam.

Vel dicendum, non posse fieri vnum per se in natura; posse tamen fieri vnum hypostasi. Hæc responsio se destruit. Si enim facta est vnio in substantia prima, quæ est perfectissima, vt ait Aristoteles *cap. de substantia*; vbi ait, eam esse maximè substantiam; sequitur factam in aliquo positiuo. Quod verò è duobus entibus actu fiat vnum per se, falsum est. Nam vnum in compositione mensuratur à partibus, iuxta naturam earum: vnde, si Christus assumpsisset aceruum tritici miraculosè; adhuc esset vnum per accidens aggregatum.

Probatvr nonò à Gauatio, argumento D. Bonauent. 3.*d*.5.*art*.2.*q*.1. natura singularis prædicatur in primo modo dicendi per se de supposito, & persona, vt omnes concedunt; sed de negatione non prædicatur per se aliqua entitas ratione totius subiecti; quia totum non est per se vnum: Ergo 82
suppositum non constituitur in esse suppositi per negationem. Min. patet. Nam dicitur Petrus est homo. Et eodem fundamento dicitur Christus est homo, ob assumptam naturam, & vnitam hypostaticè. Et ita prædicatur de supposito formaliter reduplicatiuè, vt suppositum est; vt docet etiam Scotus *quodlibeto* 1.

Hinc ruit responsio Bassolis, Rubionis Meldulæ (imò & Licheti, qui eam rationem spernit) naturam prædicari formaliter de supposito, non quidem sub negatione accepto, sed sub ratione naturæ singularis, vt connotat illas negationes, quas dicit personalitas; contra enim est, quia natura prædicaretur de se; non de supposito.

Probatvr decimò à Gauatio, ratione D. Bonauent. 1.*d*.23.*q*.1. *argumento* 3. *cum responso*. Id, 83
quod vltimò denominat compositum creatum, est perfectus creationis terminus positiuus. Talis est persona præcisè: ergo. Maior est Scoti 3.*d*.11.*q*.1. §.*ad istam conclusionem*.

Respondet Mastrius *num*. 89. cum Tartareto, non multum fidendum illi rationi Scoti. At eam Scoti genuinam fatetur Lichetus.

Probatvr vndecimò à Gauatio, ratione D. Bonav. *q*. *c*. *in fundamentis*, & *corpore*. Suppositum est vltima perfectio, & actualitas, per quam redditur incommunicabile. Sed sola negatio non est talis: ergo. Maior est Scoti *quodl*.9.*A*. Hinc ruit Ma- 84
strij responsio, naturam completi personalitate per negationem communicabilitatis. Quæ enim actualitas negatio? Confirmatur à Gauatio ex D. Bonau. nam ideò non ordinatur ad aliud; quia est in se positiuè completum; sicuti è contrà, quia anima est in se completa, est communicabilis, vt pars; vt notat S. Doct. etiam *in* 3. *d*.5. *art*.2. *quæst*.2. *ad* 3. & *q*.3. *passim*. His ferè argumentis vtuntur Nazar. *q*.30.*art*.4.*controu*.*vnica* & alij ibi. Cum Fonseca.

Respondet Ponc. *num*.127. negationem imperfectionis, qualis hæc, perfici similiter quando dat operari.

Contra, nam communicatio est bonitatis. Et ideo diuina essentia est infinitæ perfectionis, non personæ apud Scotum.

Respondet 2. suppositum non esse perfectiùs natura completa, licet sit perfectius quam singularis incompleta.

Ludit hic comparans suppositum cum natura completa supposito, sine quo fatetur imperfectiorem.

Qvatvor rationes obiicit Scotus Prima. Si 85
suppositum dicit quid positiuum additum naturæ, sequitur esse in natura humana aliquam entitatem inassumptibilem à Verbo: consequens est falsum: ergo. Maior est euidens. Minor probatur primo, quia omnis creatura est in potentia obedientiali Dei. Secundò sequeretur, personas hominum non esse redemptas à Christo: quia, quod est inassumptibile, est incurabile, ex Damasceno *lib*.3.*cap*.25.

Respondet D. Bonau. 3. *d*.2. *art*.1. *q*.3. *ad* 1. & *art*.2. *q*.1. *fundamento* 2. & *d*. 5. *art*. 2. *q*. 2. & aliis locis, personam verè esse inassumptibilem; quia implicat, aliquid stare in se vltimò terminatiuè, & non stare in se; sed in alio. Vnde non est in potentia obedientiali, quoad hoc; quia implicat. Ad D. Damasce-

D. Damascenum respondet, eum loqui de natura; nempè eam, quæ inassumptibilis est, incurabilem esse. Nam relatiuum *Quod*, naturam significat; non personam, quæ exprimitur per *Qui*, vel *Quæ*, vt ait D.Bonauent. 1. *d.* 25 *q.* 1. *ad* 7. Hac responsione vtuntur Caietanus 3. *p. q.* 4. *art.* 2. Medina *in Commentario eiusdem articuli.* Suarez *in Metaph. disput.* 34 *sect.* 2. Gauatius *loc. cit.* & Scotistæ pro nobis adducti.

INSTAT Faber, cum Meldula. Non implicat contradictionem, personam sustentari in aliena persona; sicuti non implicat per Thomistas, eandem humanitatem assumi à tribus Personis Diuinis simul. Deinde sequitur, posse diuinam essentiam personari personalitate creata, quod est absonum.

Meldula gloriatur, se nolle rationes vrgere modo ordinario aliorum Scotistarum, & id solùm addit noui, quod, esto implicet naturaliter, personam communicari, posset aliquis dicere, non implicare Deo, nec posse à nobis intrinsecam afferri implicantiam.

87 RESPONDETVR, allatam esse à D. Bonau. *d.* 5. *art.* 2. *q.* 2. *in fundamentis* implicantiam. Nam cum personalitas non modò sit vltimum subsistentiæ; sed dicat esse in se, & per se vltimò, vt fatetur etiam Scotus *quodl.* 9. & incommunicabilis sit essentialiter, vt constat ex definitione personæ recepta à Scoto, *vt vidi q.* 1. implicat, eam esse in alio. Et si Scotistæ vrgent, non posse id esse, quia natura adæquatè non potest à pluribus compleri, idipsum vrgere deberent hic, vbi eadem natura, adæquatè completa sua personalitate, deberet adhuc adæquatè compleri à Diuina, & hoc, modo contradictorio, vt staret in se; & non staret in se; sed in alio. Addo, in via D. Bonau. 3. *d.* 2. *q.* 3. non posse tres personas diuinas sustentare eandem numero naturam, eo modo, quo nunc à Verbo sustentatur, vt ostendam, 3. *p. tract.* 1. *disput.* 1.

88 NEQVE sequitur, posse naturam diuinam personari personalitate creata quia, cùm sit finita, non potest terminare infinitum, vt notat D.Bonau. 4. *p. Breuil. c.* 3. & *in Compend. Theol. lib.* 4. *c.* 8.

Contra primum responsum instat Faber, & alij. De fide est, quod Verbum assumpsit omnem entitatem positiuam, quæ spectat ad naturam humanam formaliter. Tunc sic. Vel assumpsit solum id, quod essentiam spectat, & tunc non assumpsisset differentiam indiuidualem, quia non spectat ad naturam humanam formaliter; sed ad eam solum, vt est hæc. Vel assumpsit totum id, quod spectat ad integritatem indiuidui; & tunc assumpsisset personam.

Respondet D.Bonau. 3. *d.* 5. *art.* 2. *q.* 2. & *q.* 5. Verbum assumpsisse totum id, quod spectat ad integritatem naturæ humanæ singularis, idest hanc animã, & hoc corpus vnita, Vniuersale enim non est extra intellectum, vt notat S.Bonau. 3. *d.* 3. *q.* 4. *fundam.* 3. assumpsit etiam formam totius humanitatis, & proprietates consequentes, vt ait Damasc. 3. *de fide c.* 11. & cum eo D.Bonau. *d.* 5. *cit. fund.* 2. non assumpsit autem personam; quia ordinabatur humanitas ad redemptionem vnde debebat Redemptor esse Deus, non persona humana, vt notat D. Bonau. *d.* 5. *art.* 2. *q.* 2. *corp.* Ideo non erat assumenda persona creata; nec erat assumptibilis; vt dixi.

89 Quare Faber non vidit responsionem Seraphici; vel eam dissimulat dicens, responderi tantum assumpsisse solum positiuum, quod non implicat: vnde nos responsionis egenos confugere ad redarguendum sic. At personam assumi implicat: ergo. Respondet enim directè S. Doct. Verbum assumpsisse id, quod ad redimendum genus humanum in natura, idest deprauatum, conducebat & ad redimendas etiam personas, satis superque erat.

Ex his ruit noua Fabri instantia. Si non assumpsit personam. Ergo fuit incurabilis. Et ita in B. Virgine fuit aliquod, remanens maledictioni subiectum. Ridiculumque esse, ens aliquod positiuum esse non curatum, & profectò tale fuisse, si non assumptum, ex D.Damasceno *loco citato.*

90 IAM patet ex dictis, propositionem Damasceni non esse vniuersalem, sed de natura tantum, eam curabilem, quæ assumptibilis; hanc autem singularem assumpsit, ex D.Damasceno 3. *de fide cap.* 11. apud D. Bonau. 3. *d.* 5. *art.* 2. *q.* 2. assumpsit quoque ea omnia, quæ in natura nostra plantauit, ex eodem Damasceno 3. *de fide c.* 6. apud D.Bonau. *d.* 5. *art.* 2. *q.* 5. humanitas autem nihil est aliud, quam hominis natura, ex eodem Dam. *lib.* 3. *c.* 11. & proprietates resultantes naturæ, vt ait idem *c.* 7. apud D.Bonau. non tamen sequitur, assumpsisse personam.

SECVNDA ratio Scoti, quam Faber grauiter vrget, est. Si personalitas esset entitas positiua, & actus vltimus, & complementum naturæ, sequeretur humanitatem Christi esse imperfectam; quia caret vltima illa actualitate naturæ. Sed hoc est absonum. 91
Nam Patres, & Concilia præcipuè Nicænum primum, Ephesinum primum, Chalcedonense definiunt, Christum esse perfectum hominem; sicuti vnusquisque nostrum est, (demptoque peccato) omninò similem. Hoc esse præcipuum Scoti fundamentum, clamat Faber. Confirmatur; nam si ille homo, cui deesset accidens, puta risibilitas, esset imperfectus; multò magis is, cui deest substantia.

Respondet D.Bonauent. 3. *d.* 5. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. Christum esse perfectissimum hominem; quia habet totum id, quod natura singularis, cuiuscunque nostrum habet; & hoc volunt Patres, & Concilia. Quoad subsistentiam verò, ille nobis longè præcellit; quia subsistit in persona Verbi, quæ non modo supplet perfectionem naturalis personæ humanæ; sed infinitam addit præcellentiam. Persona verò nil confert naturæ, nisi quatenùs dat ei subsistere completè; hoc verò datur ei à perfectiori persona, vt Patres omnes, & Concilia declarant.

Instat Faber. Non per hoc fieri perfectum hominem; sicuti, si Boui detur rationalitas, non erit perfectior Bos.

Respondetur, similitudinem esse crassam; nam 92
rationalitas nil facit ad complendam naturam Bouis; sed apponit aliam naturam: at ista entitas non spectat ad naturam, sed ad subsistentiam, quæ potest suppleri à Verbo, faciendo vnum hypostasi; Quamuis autem personalitas sit substantialis, tamen nil ad intrinsecum naturæ addit; neque Patres, aut Concilia dixere, Christum, vt hominem; habere quicquid habet Petrus, Paulus, vt personæ; sed vt homines sunt. Adduco textus allegatos à Fabro. Concilium Chalcedonense *act.* 5. ait: Christum, secundum humanitatem, in humanitate per omnia similem nobis absque sorde peccati. Et hoc definit contra Eutychen, qui dicebat, in Christo; cum sit vna persona, consequenter etiam esse vnam naturam vt notat D. Bonauent. 3. *d.* 5. *art.* 2. *quæst.* 2. Similiter definit, non assumpsisse personam contra Nestorium, nè duæ personæ asserantur in Christo vt notat S. Doct. In sexta Synodo in Epistola Agathonis Papæ. Christum consubstantialem Pa- 93
tri, secundum diuinitatem; & consubstantialem nobis, secundùm humanitatem & per omnia nobis similem, absque peccato definitur.

suppositum, cùm neutrum sit perfectè per se. Hoc autem fit communicata inuicem perfectione substantiali, ex qua modus ille resultat; & fit vnum perfectum incommunicabile: hæc autem modalis perfectio virtute potest contineri in prima substantia indiuidua, quæ est res hac ratione nobilior hic. Aliqua mussitat Mastrius frustra.

102 Respondet Gauatius *c.5.* quod, sicuti personalitas, seu subsistentia in diuinis est in essentia, vt modus eius, vt docet D. Bonau. *1.d.33.q.2.* & Scotus *quodl.3.K.* & tamen reddit personam, vt *Quo*, incommunicabilem in vltima actualitate, vt docet D.Bonau.*d.26.q.1.* cur non potest eodem, vel simili modo subsistentia esse in natura, vt modus eius, eamque reddere per se stantem incommunicabilem? nam consimilis habitudo subsistentiæ est in creatis, & increatis personis; cum in vtrisque vltimo dicat perfectionem, ex qua essentialiter oritur incommunicabilitas, vt docet D. Bonau. *1.d.25.art.2.q.2. in corpore, & ad 3.* Neque verò subsistentia est modus affixus, vt somniat Meldula; sed est modus, qui propriè dicitur naturæ, quo ipsa stet per se, ex D.Bonau.*d.23.q.2.in corpore*; impropriè verò dicitur in natura sustentatus. Quare non sunt sibi inuicem causæ in eodem genere. Sed natura virtute productiua emittit, vel emanat eum modum, qui modus alia causalitate dat esse per se ipsi naturæ, à qua ipse non habet esse per se sed solum esse. Tandem, cum sit modus naturæ, infertur modificare naturam. Aliqua alia minutula addunt Meldula, & alij, quæ iam defluunt.

QVÆSTIO IV.

Quidnam sit illud positiuum, quod Personalitas addit naturæ.

103 PLVRIMÆ dantur hac de re opiniones apud Caietanum *3.p.q.4.art.2.* Valent. *tract.4.d.1.q.4.p.2.*

PRIMA opinio est, personalitatem addere naturæ denominationem solum, secundum nostrum modum intelligendi, ita vt à parte rei eadem res apprehensa, vt *quo*, seu in abstracto sit natura; apprehensa, vt *quod*, seu concretum huius naturæ, sit suppositum. Communiter à Modernis allegatur Durandus *1. d.34.q.1.* & à quibusdam Henricus *quodl.4. q.4.* attamen Durandus *d.30.q.2.art.2.* asserit, modum essendi in se, & modum essendi in alio, re ab illis in quibus fundatur, differre, & *in 3.d.1.q.1.art.2.* docet, quod singularitas propria est prior propria suppositatione.

104 SECVNDA sententia est, personalitatem esse rem distinctam omninò realiter ab essentia, & existentia naturæ substantialis, esseque terminum naturæ vltimum, nullamque facere cum ea compositionem, & esse in genere substantiæ reductiuè. Ita Caietanus *3.p.q.4. art.2.* Medina ibi Ferrar. *4. contra Gent. c.43.* nec longè abit Capreol. *3.d.5. q.3. art.3. ad 1.* contra secundam conclusionem, dum ait, personalitatem addere supra naturam indiuiduatam aliquid positiuum, quod sanè est actus naturæ extrinsecus, & appellatur esse naturæ. Idem habet Iauellus *7. Metaph.q.17.* Quo fit, vt persona sensu horum duorum sit natura singularis, etiam considerata in ordine ad existentiam propriam, qui ordo non sit de ratione naturæ singularis.

TERTIA opinio est Valentiæ *vbi supra*, personalitatem esse quidem complementum vltimum naturæ, ita tamen, vt existentia suppositi non sit entitas ab entitate naturæ singularis, & huius substantialis termini, ex quo existit persona, realiter distincta; sed ratione.

QVARTA opinio est Suarez *dispu.34. Metaph. sect.4.n.24.* Vasquez *3.p.d.31.c.6.* personalitatem esse modum additum existentiæ, quo natura per se vltimò completè stat. Idem ferè sentiunt Bañes *q.3. art.3. dub.1.& 2.* Zumellus *loc. cit.* D.Thom. & alij inter quos Eminet. de Lugo *de Incarn.d.12.sect.7.* 105

HÆC videtur sententia D.Thom.*quodl.2.q.2.art.4.* vbi naturam, & suppositum in creatis aliquo modo differre asserit dicens. Quædam attribuuntur supposito, & non naturæ, propterea suppositum in eis non est omninò idem cum natura. Idem habet *3.p. q.75.art.4.ad 2. & secundo contra Gentes, c.52.& 53.* Quod si *c.55. quarti contra G* & *1.p.q.3. art.3.* docet in spiritualibus non differre naturam à persona; sicut differt in homine, conciliatur à Petro Bergom. *in Tab. concordia 114.* Caietano *3.p.q.4.* Bañes *1.p. q.3. art.3.* Nazario *1.p.* & aliis illum velle dicere; non ita differre. 106

QVOAD D.Bonauenturam. Is in *1.d.34 q.1.* asserit, in creatis suppositum supra naturam addere aliquid reale absolutum distinctum, quo natura subsistit, hunc autem modum additum vocat qualitatem, quia ad modum qualitatis se habet, non perficiens intrintrinsecè essentialiter naturam. Quod si differentiæ prædicantur in quale quid; multò magis personalitas. Idem de angelo asserit *in 2.d.3.q.1.* vbi docet, eum componi ex natura, & persona; & hanc compositionem esse realem, patet ex his, quæ dicit *in 1.d.34.q.1.* Distinctio (ait) per qualitatem, (hoc est per rem absolutam,) non potest esse sine additione, quia hæc distinctio ortum habet ex additione materiæ ad formam. Id obseruauit Suarez in D.Bonau. Id autem, quod addit persona, est modus substantialis, vt patet ex locis adductis hic, *& quæst.præcedent.* & *in 3.d.2. q.2.* Dices *d.34.* ait, esse rem distinctam. Ergo est cum Caietano. Respondetur vocari rem, vt opponitur rationi.

ASSERO primò, personam naturæ non addere solum aliquid secundæ intentionis. 107

PROBATVR primò à D. Bonau. *1.d.23.q.1.* Id, quod translatum est ad verè significandum vnitatem diuinarum personarum, & distinctionem earum ab inuicem, est aliquid per se vnum reale, talis est personæ ratio: ergo. Maior est de fide: nam personæ diuinæ sunt reales; minor liquet ex Patribus, & Theol. omnibus.

Probatur secundò à D.Bonau.*d.25.q.1.art.1.ad opp. cum responso, & in corpore.* Si personalitas nil adderet reale, ridicula esset definitio personæ, qua dicitur: *Rationalis naturæ indiuidua substantia.* Similiter vanæ essent cæteræ definitiones, quibus dicitur, *substantia indiuidua, Existentia, hypostasis, Subsistentia, Vltimum complementum, Actualitas*, quæ enti rationis, aut negationi conuenire non possunt.

PROBATVR tertiò à D.Bonau. *d.26.q.1.arg.2.& corpore.* Id, quod est principium, seu ratio operandi, est quid reale. Personalitas est principium operandi realiter. Ergo non est mera negatio, vel ens rationis. 108

Probatur quartò à D.Bonau.ibi. Id, quod est ratio distinguendi realiter, est reale, talis est personalitas: ergo. His argumentis vsus est etiam Tannerus *d.4.q.1.dub.5.n.3.*

Confirmatur à Seraphico *d.34. q.1.in corpore.* Si personalitas adderet solum nostrum conceptum, intelligibile non esset plurificari personas realiter in diuinis, vna manente essentia, & multa affirmari de

de essentia, quæ verè de personis negantur, & è contra, vt *essentia non generat*: *persona generat*. *Persona est incommunicata*: *essentia communicata*, quæ non sunt entia rationis, sed fidei dogmata. Sicut enim Petrus albus (ait S. Doct.) differt à Paulo nigro, per aliquid, quod est realiter in Petro, & non in Paulo; ita vna persona differt realiter ab alia per aliquid reale. Confirmatur etiam ex dictis *quæst. præcedenti*. Certum est autem, rationem personæ propriè Deo conuenire; ergo habet, quicquid intrinsecum est personæ, vt arguit S. Doct. *d.23.q.1.& d.25.q.2.*

PROBATVR quintò à Valentia: quia sic posset dici humanitatis Christi esse persona, quia & ipsa apprehenditur, vt quod habet suum esse, non minus, quam quælibet alia humanitas.

Respondet Durandus, humanitatem Christi, cum sustentetur in alio, non posse considerari vt habentem; sed vt habitam.

Contra, quia potest considerari vt habens suum esse: ergo est persona sic verò confunderentur prædicata *Quis*, & *Quo*; vt notat D.Bonau. *1.d.26.q.1. in corpore*; sicque sequeretur, Verbum assumpsisse hominem concretum, completum, suppositatum, vt arguit S.Doct. *3.d.5. art.2. q.4. in corpore*. Probatur sequela: quia illa realitas naturæ est habens humanitatem à sua causa: & habet totum, quod ipsa est, non minus quam natura cæterorum indiuiduorum, & singulorum.

ASSERO secundò, id positiuum, quod addit persona naturæ, non est singularitas naturæ.

110 PROBATVR primò à D.Bonau. *3.d.10.q.3.* quia Verbum assumpsit naturam humanam in *atomo*, ex Damasceno *3. de fide cap.11.* non vniuersalem; sed singularem; quia vniuersale non est extra cogitationem, ex eodem Damasceno *loc. cit.* relato à D. Bonav. *3. d.3. q.4. fundam. 3.* & tamen non assumpsit personam: probatur assumptum ab eodem S.Doct. ibi; quia Christus, secundum quod homo, est substantia. Ergo vel prima, vel secunda; sic enim diuiditur sufficienter substantia ab Aristotele *c. de substantia*. Non secunda, cum non sit genus, vel species: ergo indiuidua, id est vna singularis; & tamen non assumpsit personam: ergo persona non facit naturam singularem. Vide D.Bonav. *in corpore q.cit.*

PROBATVR secundò à D. Bonav. *in 3.d.5. q.2. fundam.3.* & *in 1.p.d.25.art.2.q.2.ad 3.* & aliis locis adductis quæst. superiori. De ratione personæ est esse vltimum complementum, & incommunicabilem: at de ratione naturæ singularis est posse communicari, & assumi, ac compleri: ergo persona non constituit naturam singularem.

ASSERO tertiò. Id, quod addit naturæ ipsa persona, non est accidens.

PROBATVR primò à Seraphico, loco nuper indicato, ex definitione Personæ, qua dicitur indiuidua substantia.

PROBATVR secundò à Seraphico *3.d.6. q.3. in corpore* & *ad 6.* De fide, Verbum assumpsit naturam humanam, vt Filius Dei factus est homo substan-
111 tialiter, vt definit Alexander PP. *de hæreticis, c. Cum Christus*; suppleuit autem personalitatem creatam. Ergo personalitas non est accidens naturæ additum. Probatur consequentia à D.Bonav. *ad 6.* nam, cum facta sit vnio in hypostasi vt termino; si hypostasis est accidens; illa vnio erit accidentalis.

ASSERO quartò. Id, quod persona addit supra naturam, non est existentia.

Primò quidem contra asserentes personam esse naturam singularem, vt consideratur in ordine ad existentiam propriam, qui ordo non sit de ratione singularis naturæ, vt natura est: arguo: Quia humanitas Christi habet existentiam propriam, vt ostendam *3.p. tract.1. disp.19. q.2.* Quod si dicant deesse existentiam completam; oportet, assignent quid desit entitatis, vt notat Valentia. Nam, si exi- 112
stentia non est id, quod intrinsecè suppositum constituit; oportet aliud assignare intrinsecum compositi constitutiuum, quod non sit de ratione naturæ, imò per quod à natura distinguatur, alioqui hæc duo non distinguentur. Neque sufficit, dicas differre per ordinem ad existentiam connotatam ad modum, quo visus, & auditus differunt per obiecta, nã intelligibile non est, aliquid per extrinseca distingui, quin priùs supponatur per intrinseca distingui.

SI dicas, distingui, quia existentia est intrinseca supposito; non naturæ. Contra: nam actualis natura necessariò existit. Oportet autem aliud assignare additum naturæ actuali. Nam in Incarnatione humanitas Christi actu existit, nec tamen est persona.

Respondebit Capreol. eam carere propria personalitate, quia caret propria existentia.

Contra. Vel aliquid aliud deest illi humanitati, 113
quod si haberet, iam esset persona, vel nil aliud deest: si primum: ergo in illo consistit ratio intrinseca personæ. Si nihil aliud: ergo in existentia intrinsecè consistit ratio personæ.

PERSONAM porrò non dare ipsi naturæ existentiam, probatur à D.Bonav. *3.d.5. q.4.* Id, quod assumitur à persona, præcedit ipsam assumptionem. At humanitas fuit assumpta à Persona Verbi, nec habebat propriam personalitatem: ergo sine personalitate propria, vel aliena habuit existentiam. Intelligibile enim non est, aliquid assumi quod non est prius, saltem naturâ. Idem vrget S. Bonav. *ead. dist. q.1. arg.1.* addit responso, & *q.2. ad 3.* Existentia enim non potest separari, ab essentia actuali; alioqui idem esset actu, & non esset, at subsistentia, seu persona potest separari, vt patet in humanitate Christi. Ergo differunt: ergo persona non dat existentiam naturæ. Sic arguit etiam Valentia.

NEC oppositum docet D.Bonav. *2.d.7. p.2. art.2. q.1.* & *in 4.d.43.q.4. in corpore*, vbi asserit, existentiam esse nouum modum additum essentiæ. Nam ibi loquitur de essentia abstracta, quæ deducta ad esse, est eadem quidem, sed sub modo actualitatis; at argumentum vrget de essentia actuali, qualis fuit humanitatis Christi.

Neque pugnat S. Doct. *1. d.5.* dum ait, Angelos componi ex essentia, & esse; ibi enim similiter accipit essentiam abstractam ab existentia actuali; ibique solum vult, angelicam naturam non habere adeo intrinsecam existentiam, vt sit purus actus; sed mixtam habere potentiam ad non esse.

ASSERO quintò, personalitatem non addere naturæ rem realiter realiter distinctam, nullamque facientem compositionem.

Primò enim arduum est intelligere, *essentiam, existentiam, & subsistentiam*, esse tres res, & non componere, vt arguit S.Bonav. *1.d.34.q.1. in corpore*. Nec 115
soluit Caietanus dicens, subsistentiam non addi naturæ vt formam; sed vt terminum: Contra: si perficit. Ergo est illi vt actus ad potentiam. Ergo componunt. Illatio sæpius infertur à Caietano contra Scot. vt dixi *disp.3.q.4.* & *tr. de Deo vno disp.3.q.8.*

PROBATVR secundò à D.Bonav. *3.d.5. art.2.q.2.* 116
sequeretur, Verbum assumpsisse personam creatam. Probatur sequela. Vt assumeret naturam, debuit eam assumere existentẽ, sed non fuit prius existens, quam subsistens, per Caietanum. Ergo assumpsit subsistentiam;

tiam; atque adeò personam, vel eam consumpsit.

PROBATVR tertiò à Seraphico 3. *loc. cit. argumento 2. cum responso.* Si persona addita naturæ nullam dicit compositionem, multò minùs id faceret persona Diuina cum natura humana. Sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequela, quia, licèt extranea, vnitur tamen modo substantiali ad supplendam naturalem personalitatem. Minor probatur quia persona Christi est composita. Quod si omninò idem simplicissimum constitueret, esset vnum omnino. Ergo humana natura esset Verbum. Quæ enim sunt simpliciter vnum, prædicantur inuicem. Similiter sequeretur, personam creatam esse suam naturam; & sic prædicari in abstracto Petrus est sua humanitas, vt arguit S. Doct. *in responsione.*

117 PROBATVR quartò à D. Bonau. *in 3. d.6. q.2. ad 4.* Persona orta ex ente composito non facit simplex, sed tale, quale est suum principium; at natura creata oritur ex natura composita: ergo.

CENSET quidem S. Doct. *loc. cit.* personam Christi esse compositam compositione cum *his*; in supposito tamen creato rigorosam astruit compositionem, vt docet *ad quartum.* Ita verò aliquam compositionem etiam in persona Christi admittit, vt definit Synodus Constantinopolitana quinta *cap.4.* relata in margine à D. Bonauentura.

Neque ad separabilitatem exigitur, vt persona sit res distincta à natura; sed sufficit, si sit modus
118 realis naturæ, quo priuari valeat. Quod si personalitas esset res distincta, posset seorsim stare, quæ enim sunt res distinctæ, possunt seorsim iacere segregatæ. At personalitas non stat separata à natura, qua ratione D. Bonav. *3.d.5. art.2. q.2. fundamento vltimo, & in corpore* docet; si humana persona fuisset in humanitate Christi ante assumptionem; futurum, vt humana persona corrumperetur postea, ne in Christo essent duæ personæ. Idem ait: D. Thom. *3.p.q.4. art.1.*

ASSERO sextò. Id, quod persona addit naturæ, esse modum standi per se, seu subsistendi in creatis realiter modaliter distinctum à natura; at in diuinis sola ratione ratiocinata. Eam tenet probabilem
119 etiam Scotus apud Aretinum. Sequuntur è Thomistis Soto *quæst.3. vniuersalium* Bañes *1.p.q.3. art.3.* sic explicans D. Thom.

PROBATVR ex aliarum confutatione sententiarum. Nam si addit reale aliquid distinctum à natura, vt constat; quia Verbum assumpsit naturam; non personam humanam, neque est aliqua res realiter realiter distincta: alioqui potuisset seorsim iacere; sequitur ergo esse modum.

Personalitates quidem diuinas modos appellat S. Doct. *1. d.34. q. 1. in corpore*, idque probat ex Diuina simplicitate, quæ non permittit esse rem in re, id est in essentia; sed solum in ordine *ad*, quod non facit compositionem. Itaque personalitas, vt in essentia, potest esse tantum modus, & hic identificatus, vt dixi *d.3. q.4.* nam, si esset res in re, nequiret identificari. Hic porrò modus, respiciens obiectum correlatiuum est res relatiua non componens.

120 Idipsum confirmat *quæst.2.* ex Damasceno *1. de fide cap.15.* Idem sentit S. Doct. *d.33. q.2. in corpore.* Confirmatur ex eodem Damasceno *lib.1. cap.9. 11. & 13.* vbi diuinas relationes modos appellat. Idem agit D. Iustinus in expositione fidei *de Trin.* ferè initio, & *q.129. ad Ortodoxos.* Basil. *lib. 5. contra Eunom.* Nyssenus *lib. ad Ablab.* Nazianzenus *orat.29.* Cyrillus *Dial. de Trin. lib.2. & 7.* & *lib.11. Thes. cap. vn.* Theodoretus *in epit. diu. decret. lib.5. cap.3.*

QVOD verò etiam in creatis personalitas sit modus. Probatur à D. Bonav. *1.d.25.q.1. fund.1.* & *artic.2. quæst.2. ad vlt.* ex Richardo *3. de Trinitate, cap.23.* vbi ait. *Persona idem est, quod per se existens, iuxta quemdam singularis existentiæ modum naturæ rationalis.* Personalitas enim modificat existentiam, vt stet vltimò per se, cùm præcisè sumpta dicat solum esse extra rerum causas, quod potest esse in se, & in alio; sicuti inhærentia modificat accidens, vt sit in alio.

Obiicies primò, substantia ab Aristotele: diuiditur in materiam, formam, & compositum. Sed persona nullum horum est: ergo.

Respondetur, cum D. Bonav. locis allegatis, esse modum compositi, qui ad compositum reducitur. 121

Obiicies secundò. Si personalitas non est homo, sed terminus tantum naturæ humanæ; sequitur, Verbum non esse hominem. Nam supplet personalitatem, quæ ad hominem non facit.

Respondet Valentia ex D. Bonav. *3.d.2. art.2. q.3. ad tertium, & quartum*, negando sequelam. Nam ille est homo, qui habet naturam humanam. Verbum ergo terminans naturam humanam constituit totum vnum subsistens, qui est homo: non enim personalitas, sed constitutum ex ea, & ex natura debet esse homo: hoc enim est completum subsistens habens humanitatem. Eadem doctrina habetur à D. Bonav. *3.d.7. quæst.1. in corpore*, & aliis locis supra adductis etiam *quæst. præced.* vbi naturam suppositi explanat.

IN hac sententia nostra non erit arduum, difficultates de Incarnatione explanare, vt differit Suarez *disput.34. Metaph. sect.5. ad finem.*

Aliqua opponit Nazarius *1.p.q.50. art.2. controu.3.* Sed ex dictis liquida sunt.

Ex his liquet effectus formalis communicatus naturæ à subsistentia, quem adeò difficilem ingemuit Emin. Lugo *d.12. sect.2.* vt plurimos vel agitarit, vel in Syrtes coniecerit. Est autem reddere naturam per se vltimò stantem, atque adeo independentem (non quidem à subiecto, nam substantia sine subsistentia adhuc non est in subiecto, vt constat:) sed ab omni vlteriori. Nam subsistere est ita sistere, vt non progrediatur vlterius, sed in se terminetur, ex quo sequitur negatio communicationis, quæ propterea nequit esse ipsa personalitas, vt dixi *quæst.3.*

DISPVTATIO VI.

De Personis Diuinis.

QVÆSTIO I.

An nomen Personæ rectè in diuinis asseratur.

D. Bonau. dist.23. q.1.
D. Thom. q.29. art.3.

ASSERENDVM, nomen Personæ in Diuinis rectè astrui. 1

PROBATVR à D. Bonav. & D. Thoma, quia persona significat vltimum in genere naturæ intellectiuæ suppositum, scilicet completum, & distinctum proprietate: dicitur enim persona, quasi per se vna, idest indistincta in se perfectè, & ab aliis distincta. In Deo autem est reperire suppositum distinctum proprietate nobilissima: quippè in Deo est, quicquid est perfectionis. Ergo.

Probatvr secundò à D. Bonauent. quia, cum ratio personæ dicat perfectionem vltimam, proprietate distinctam nobili, quæ reperitur præclarè in diuinis, propterea sancta Mater Ecclesia statuit, nomen personarum in diuinis ad personas diuinas distinctas exprimendas. Sic in Symbolo Athanasij. *Alia est persona Patris; alia Filij, alia Spiritus sancti.* In Concilio Toletano 11. Lateranensi, sub Innocentio III. Et refertur cap. *firmiter.* Sic & sancti Patres nomine personæ vtuntur, ad sanctissimam Trinitatem exponendam; vel Græcè nomine hypostasis, subsistentiæ. Persona verò supra Hypostasim addit solum dignitatem, vt sit subsistentia in natura rationali, vt ait Vasquez, & alij *ad art. citatum* D. Thom. cum D. Bonav.

2 Nota, D. Thom. asserere, Personam esse quid perfectissimum in natura, non quod sola personalitas sit nobilior, quàm natura; sed quia dat vltimum complementum in genere subsistentiæ, quo perfectior est natura, quam sine illo. Et ideo S. Bonauent. magis propriè vocat personam, completissimum in natura, cui nequit fieri additio; cum autem non compleat naturam sub omni ratione; sed solum in subsistendo; non sequitur, esse perfectiorem natura. Deinde persona dicit concretum ex natura, & subsistentia ideò dicitur perfectissimum. Ita respondet S. Bonauent. & post eum Caietanus, & Vasquez *ad articulum D. Thomæ.*

3 Obiicit sibi Caietanus. Indiuidua materialia sunt imperfectiora, quam natura; nam sunt propter naturam, tanquam ob perfectissimum: Ergo non est perfectissimo modo natura quando est per se, & constituta in ratione personæ.

Respondetur ex D. Bonauent. *corpore, & d.25. art.2. quæst.2.* maximè *ad primum*: indiuiduum personale includere etiam naturam, esseque concretum ex ea, & subsistentia; ideò nobilius sola natura.

Obiicit secundò ex D. Augustino 7. *de Trinitate, cap.4. Dictum est. Tres personæ; non vt illud diceretur; sed ne taceretur.*

Respondet S. Doct. loqui de tempore illo, quo nomen personæ, secundum vsum, æquiualebat substantiæ. Et ideò dictum *non vt diceretur*, quod persona consueuerat significare, sed dictum, quasi translatum, *ne taceretur*; idest, ne confessio fidei videretur diminuta, non habens, quo Trinitatem exponeret.

Obiicit tertiò. Persona dicitur particulare compositum, quod in Deo non admittitur.

Respondet D. Bonauent. personam dicere intrinsecè complementum; per accidens autem, partem, & compositionem.

4 Obiicit quartò. In dogmatibus fidei debent Latini, & Græci consonare; at Græci non vtuntur vocabulo πρόσωπον Prosopon, quod nobis personam sonat: Græcis verò est in vsu ad personatos vultus exprimendos: ergo.

Respondet S. Bonauent. cum D. Thoma; licèt ex origine hoc significet persona; tamen, quia à personando sumitur, & constitutos in dignitate significat; ideò ad personas substantialiter, etiam præcellentes exprimendas assumitur. Addit S. Bonauent. id adhibuisse Latinos; quia inopes vocabulis; non sic Græci, vt dixi *quæst.1. & 2. disputationis quintæ*, habent enim hypostasis nomen, significans subsistentiam.

QVÆSTIO II.

An nomine substantiæ, & subsistentiæ vtendum ad Diuina significanda.

D.Bonau.d.23.q.2.
D.Th.q.29. art.2.

Asserendvm constat ex dictis *disputat.5. quæst.1. & 2.*

Probatvr à D. Bonauent. ex D. August. *lib.5. de Trinit. cap.5. & 6.* & Boëtio *lib.7. de Trinitate, cap.5.*

Probatvr tertiò à D. Bonauent. Ratio substantiæ est, quod sit, ens per se, ex Aristotele *in præd. cap. de substantia*; Deus est maximè ens per se. Ergo est maximè substantia; imò & subsistentia.

Probatvr quartò à Seraphico: Ratio substantiæ, &c. est, dici à se independenter, ex D. Augustino 7. *de Trinitate, cap.2.* Sed Deus est ens maximè independens: ergo substantia, & subsistentia. Ita etiam Alensis *q.57. memb.3.* 5

Notat verò S. Doct. multos Patres negare de Deo substantiam, vt scilicet accidentibus substat, atque componit. Sic D. Augustinus 7. *de Trinitate, cap.4.* & alij.

Ratio ex D. Bonauent. hic, *d.8. p.2. dub.5.* quia magnam inuoluit imperfectionem, vt docet etiam Boëtius *lib. de duabus naturis, & vna persona Christi.*

Hinc habes, quid innuant Damascenus 1. *de fide cap.8.* Ansel. *in Monol. cap.25. & 26.* Richard. de S. Vict. 2. *de Trinitate, cap.21.* & *lib.4. cap.20.* Magister 1. *d.8. cap. penult.* cum D. Bonav. & cæteris Theologis, dum aiunt; Deum non esse substantiam; sed supersubstantiam, quod effatum è D. Dionisio 4. *de Hierarch. cælesti* didicerunt. Indicat sanè, Deum non esse substantiam vt creatam; sed supereminentem.

QVÆSTIO III.

An Persona dicatur vniuocè de creatis & Diuinis.

D.Bonav. d.25.
art.2. quæst.2.

Svppono hic, rationem Vniuocorum, & Analogorum, quæ refricat S. Bonauent. *in corpore* & Forestus *fol.197.*

Adamus Tannerus *disput.4. q.1. dub.5. n.9.* cum asserat communem sententiam ferre, nomen, & rationem personæ non esse vniuocum ad personas creatas, & increatas, pro qua adducit Scotum 1. *d.26. quæst.1. § tertia opinio*, D. Thomam 1. *p. quæst.30. art.4.* Aureolum *d.25. q.1. art.2.* & *d.23. q.1. art.3.* addit; in contrarium niti Suarez *lib.1. cap.3. à num.8.* pro que sententia opposita allegare D. Thomam *q.29. art.4.* & *quæst.30. art.4.* Caietanum ibidem, & *q.27. art.4.* Alens. *1. p. q.56. memb.4.* D. Bonauenturam 1. *d.25. art.2. q.1.* & alios; sed D. Bonauent. ibi ea 6

quæstione

quæstione disputat solum de persona, prout dicitur tantum de diuinis, quod definiam *quæstione sequenti.* Ipse verò S.Doct. ibi dici tantùm de diuinis esse commune analogum. Quare falsò allegatur ab vtroque illa quæstione, sed in sequenti quid velit, ostendam.

Assero primò, Personam non dici de creatis, & increatis vniuocè.

7 Probatur primò à D. Bonauent. Vniuoca sunt, quorum commune nomen, & substantiæ ratio eadem. Sed ratio personæ non est eadem Deo, & creaturis: ergo. Minor probatur à D. Bonau. Ratio personæ est, vt sit intellectualis naturæ indiuidua subsistentia, seu perfecta substantia. Sed hæc non possunt æqualiter conuenire creaturis cum Deo: ergo. Minor adhuc probatur à Seraphico; alioqui Deus esset in genere substantiæ simul cum creaturis, quod est falsum, vt ostendi *tract.*1.*disp.*3.*q.*8. ergo.

Probatur secundò à D. Bonau. *argumento quarto, addita resolutione dubij in fine quæstionis*, quia persona dicit vltimum, quo indiuidua sunt primò distincta terminatiuè. Ergo non potest abstrahi conceptus communis vniuocus ab eis.

Dices, in Deo, & in creatura est persona. Contra, quia persona est distinctiua; imò sequitur illam claudi in conceptu Dei. Adde rationem personalem distinguendi diuinas Personas esse diuersissimam; nam persona creata constituit, & distinguit sub genere vniuersali in prædicamento composito, quæ omnia à Deo arcenda sunt. Idem ferè sentit Scotus, si Licheto credas *d.*3.*q.*1. & *d.*8.*q.*2. alleganti Scotum *d.*2.*q.*1. & 3. & *d.*8.*q.*2.

8 Assero secundò, dici analogicè. Patet ex dictis.

Probatur à D. Bonau. Quæ dicuntur non secundùm æqualitatem; sed secundum habitudinem imperfecti in genere ad perfectum extra genus, dicuntur analogicè. Talis est persona ad creatam, & increatam: ergo.

Dices: Ex dictis eadem est ratio vltima incommunicabilitatis vtriusque.

Respondet D.Bonau. incommunicabilitatem esse vltimum perficiens, vt est aliqua perfectio vltima, & quia infinitè perfectior est in Deo; ideò non vniuocè dicitur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum persona dicatur vniuocè de tribus Diuinis personis.

D.Bonau.d.25.q.1. & 2.
D.Th.q.30.art.4.

Scotus 1.*d.*23.*q.*1. §. *Item arguo*; sicut sentit, personam in negatione formaliter constitutam; ita probabilius tenet, non significare conceptum, seu rationem positiuam communem quidditatiuam, sed solum negatiuam quandam rationem. Ita allegatur à Suarez *lib.*1. *de Trin.c.*9. Vasquez *d.*130. & aliis; eiusdem sententiæ videtur Canar.*q.*29. *art.*3. *ad* 3. Hanc opinionem refert primo loco D. Bonauentura.

Secunda sententia est, quam refert D.Bonau. tertio loco, personam dicere rationem positiuam communem tribus personis, tamen illam non esse realem; sed rationis. Referri potest Durandus 1.*d.*23. *q.*1. & *d.*25. *q.*1. Tribuitur etiam Henrico *quodl.*5. *q.*6. sed est obscurus, dicit enim, personam significare intentionem, non tamen explicat: an primam, vel secundam, sic & de Durando potest dubitari, vt dixi *disp.*5. *q.*4. at Molina cum vtraque hac sententia nutat *q.*34. *art.*4.

Tertia sententia est, nomen personæ significare quidem rationem realem positiuam in singulis Personis diuinis existentem, non autem aliquam rationem communem tribus ipsis relatiuis personis etiam communitate rationis; sed immediatè significare tres personas secundùm vniuscuiusque incommunicabilem existentiam. Ita Vasquez *disp.*130. *c.*2. Tanner.*disp.*4.*quæst.*1. *dub.*5. qui ait, hanc opinionem esse probabiliorem, & communiorem apud Philosophos, qui docent, indiuiduum non prædicari vniuocè de pluribus; sed solum analogicè, quòd multò magis de indiuiduo vago dicendum est. Itaque hæc opinio vult, rationem personæ, respectu trium relatiuarum, non esse vniuocam; sed analogam similitudinis; vt, sicut se habet paternitas ad Patrem: consimili ratione filiatio ad Filium, ad modum, quo ars regendi est communis Nauclero ad regendam nauim; & Ludi Magistro ad regendos pueros; vt sicut se habet Naucleus ad regimen nauis: ita & Magister proportionaliter, & consimili ratione artis ad regendos discipulos. Hanc refert D.Bonau.secundo loco. 10
Est autem D. Bonauenturæ inter supra relatas gratior, atque adeò iure merito Forestus *fol.*183. testatur, esse antiquorum, & grauissimorum Theologorum: est enim D.Thom. *q.*30.*art.*4. dum communitatem hanc vocat; sicuti indiuidui vagi. Eandem docet Scotus *d* 26. *q.*1. §. *Tertia opinio*, Aureol. *in primo d.*25.*q.*1.*art.*2. & *d.*23.*q.*1.*art.*3. Quare non rectè Suarez *lib.*1. *cap.*3. allegat Seraphicum pro quarta sententia mox referenda, quæ asserit conceptum vniuocum personæ. Malè etiam allegat Scotum, & alios, vt aduertit Tannerus.

Perperam Vasquez quoque dicit, non posse pro hac sententia allegari Seraphicum, aut alios mox citandos, nec D. Thomam, aut Thomistas; quia illi (excepto Caietano, & Durando) solum docent, nomen *personæ* significare conceptum communem tribus personis, quod duobus modis ponitur; nam aliqui dicunt cum Caietano, nomen *personæ* significare aliquid positiuum reale commune secundum rationem tribus personis Trinitatis; quod quidem non solum sit superiùs tribus personis, vt significantur nomine personæ; sed etiam vt significantur nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti; atque adeò vtroque sensu vniuocè prædicetur. Ita 11
sentit Suarez *lib.*1.*cap.*3.*a num.*8.allegans D.Thom. *q.*29.*art.*4.& *q.*30.*art.*4. Caietan. ibi, & *q.*27.*art.*4. Alensem 1.*p.* *q.*56. *memb.*4. *art.*2. D.Bonau. 1.*d.*25. *art.*2.*q.*1. Capreolum *eadem dist.q.*1.*art.*1.Marsilium 1.*q.*28.*art.*2.*concl.*2. quibus adiungit se Nazar. *q.*30. *art.*4.*Controu.vnica*, dicens, eam esse omnium Thomistarum sententiam; nempè, diuinam Personam dici vniuocè de tribus personis, ac proinde non significare immediatè ipsas personas secundum proprias rationes earum; sed secundum cõmunem conceptum obiectiuum realem, & positiuum, quoad rem conceptam: rationis verò, quoad communitatem. Ait igitur Vasquez, quòd cùm hæc communitas altero etiam modo accipiatur à se explicito, nempe, dicere quid commune, vt persona, hoc nomine explicatur; non verò, vt dicit personas diuinas secundùm esse earum relatiuum Patris,

Filij, & Spiritus sancti (ait) non se explicasse. D.Bonauenturam, de qua communitate loquatur, quamque attribuat Personæ diuinæ, num secum hanc solam; an verò vtramque cum Thomistis aliisque suprà relatis. Verum apertè S. Doct. explicuit; se adscribere Personæ diuinæ, vt significat Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, solam communitatem analogam similitudinis; vt sicuti paternitas se habet ad subsistendum in Patre: simili modo filiatio in Filio: & processio in sancto Spiritu, & adducit exemplum de Nauclero & Magistro, qui modo consimili, non vniuocè se habent, vt dixi: idem declarat *d.29.q.2.*

12 NOTANDVM primò ex D.Bonau.*q.2.* communitatem realem in se habendo, esse fundamentum communitatis rationis. Communitas autem habitudinis potest esse per respectum ad res eiusdem generis. Et tunc est vniuocatio; vt Petrus est indiuiduum, & Paulus; & æqualiter conuenit eis ratio indiuidui. Potest etiam esse per comparationem ad res diuersorum generum, vt Petrus, & albedo Petri vniuntur in esse indiuiduum, non tamen vniuocè, cuius signum est, quòd prius conuenit ratio indiuidui Petro, quàm eius albedini. Hinc infert S.Doct. hoc nomen *Persona*, quia dicitur secundum comparationem rerum eiusdem naturæ; ideò quodammodo vniuocè dicitur. Similiter cum dicitur de personis creatis. Obserua, non dicere vniuocè conuenire, sed quodammodo vniuocè, idest secundum vnam rationem; quatenus persona in tribus personis ad naturam habet eandem rationem; at secundum modum personarum singularum, prout sunt relatiuæ Patris, Filij, & Spiritus sancti non se habent eodem modo; sed proportionali, & consimili: in nullo habentes commu-
13 nitatem quidditatiuè; qualem habent animalia ad animal, & substantia corporea, & incorporea ad genus substantiæ; nam animalia se habent eodem modo, vt vniuocantur sub genere animalis, tametsi ratione differentiarum sint varia. Similiter spiritus, & corpus; vt substantiæ præcisè sunt, eodem modo se habent ad genus substantiæ; tametsi, vt ebibunt differentias, proportione dissimili se habent: non sic paternitas, vt est personalitas relatiua talis, idest ad filium, & filiatio, vt est relatiua ad Patrem, quæ sunt differentiæ earum: non enim eodem modo se habent secundùm proprias earum rationes, sed proportionali; vt dixit S.Doct. *quæst. præcedenti.* Ideò non vniuocè; sed analogicè communicant. In quo deceptus est Suarez *num. 9.* inferens, quod si habitudinis proportio faceret analogiam, atque vniuocationem tolleret; sequeretur animalia non esse vniuoca ad genus animalis. Et corpus, & spiritum ad genus substantiæ; quia ad suum genus se habent proportionaliter.
14 Iam enim explicui in quo sit proportio destructiua vniuocationis; nempe, in differentiis corporei, incorporei, rationalis, irrationalis: ratione quarum non vniuocantur in animali, &c. sed ratione naturæ, substantiæ genericæ, vt animalis in quo habent æqualitatem; at Personæ diuinæ æquales sunt in ordine ad subsistendum in essentia eadem, ob quam sunt consubstantiales. Sunt etiam æquales in omnibus perfectionibus; at verò non sunt communes in modis se habendi; sed proportionales, quia sicut se habet Pater ad suam proprietatem: ita Filius ad suam: Spiritus sanctus ad suam, quæ proportio non postulat necessariò inæqualitatem inter plura significata nominis. Quare potest vnum nomen imponi (saltem in diuinis, in quibus non sunt regulæ creaturarum) ad significandam proportionem; atque adeò, licèt inter nos, vt plurimum, vox analoga imposita sit ad significandum prius vnum principale analogatum; tamen in diuinis non ita fit, in quo rursus impingit Suarez. Vnde neque est propria Aristotelica analogia.

VERVM, quia, vt dixi analogiam inter Petrum, 15
& albedinem eius ad esse commune indiuidui constituit S. Doct. etiam ex fundamento hoc, quod prius conuenit Petro, quàm eius albedini ratio indiuidui; & è contra, quia persona de diuinis dicitur æqualiter secundùm comparationem rerum eiusdem naturæ, colligit quodammodo vniuocationem. Ideò aduerte subtilitatem Seraphici, qui hanc conditionem agnoscit in persona, vt personæ nomine exprimitur, & in hoc vniuocè conuenire; at verò nomen personæ, vt sic non exprimit rationes relatiuas diuersas, & sola proportionalitate explicitas; vt dixit locis à nobis citatis *d.5. q.2.* vnde dixit, nomen personæ ex inopia vocabulorum assumptum ad exprimendas Personas diuinas; ideò, *quæst. præcedenti*, hac sub ratione considerans Personas diuinas dixit, analogicè se habere: vnde si aliquod nomen expressiuum harum personarum commune daretur, deberet analogiam exprimere; 16
non sanè inæqualitatis in perfectione, vel prioritatis in esse (hæc enim absunt à diuinis,) sed istius dissimilis habitudinis. Enim verò arduum est nomina à nobis adæquata inueniri, qui inopes inuenti sumus etiam ad communem rationem personarum in subsistendo nomen aptissimum inuenire. Itaque sicut Sanctissima Trinitas eleuatur super creatos conceptus, & regulas expressionum: ita etiam super nomina exprimentia.

NOTANDVM secundò cum Vasquez *cap.2.* Personalitatem abstractè dici de relationibus diuinis in abstracto, neque tamen benè inferunt aduersarij, esse essentialem; neque enim quævis forma, quæ abstractè prædicatur de aliquo subiecto est illi essentialis; sed aliquando est denominatiua. Sic enim etiam rationalitas dicitur differentia, & risibilitas proprietas, & tamen nec ratio differentiæ rationalitati, nec ratio proprietatis risibilitati est essentialis. Tunc igitur abstractum de abstracto, præsertim prædicatur denominatiuè, quando denotamus quasi actum, & officium illius. Igitur paternitas, vel filiatio in diuinis dicitur personalitas denominatiuè; quia personalitas significat rationem singularitatis, & indiuiduationis, qua vltimò natura diuina redditur incommunicabilis: ratio autem singularitatis est veluti passio ipsius relationis. 17

ASSERO primò, personam non dicere solùm aliquid merè negatiuum commune tribus personis contra Scotum, tametsi Faber neget, esse contra Scotum, vt vidimus *d.5. q.3.* sanè Scotus inclinat. 18

PROBATVR primò ex dictis loc. cit. præcipuè *argumento secundo.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. hîc, & locis adductis ibi, & *1.part.Breuil.cap.4.* Personæ diuinæ sunt res distinctæ positiuæ: ergo per proprietates positiuas. Antecedens est de fide. Consequens patet, quia tres negationes non sunt tres res. Hoc argumentum habes in D.Bonau.etiam *d.23.q.1.* & eo vtitur Suarez *n.3.*

PROBATVR tertiò à D.Bonau.*hic in corpore*, & 19
art.1.q.1.& d.26.q.2. & 3. Proprietates constituentes diuinas Personas sunt relationes; at relationes sunt quid positiuum: ergo præter negationes communes tribus personis, quas non negat S.Doctor, ponendæ

ponendæ sunt positiuæ proprietates. Ita arguit etiam Suarez *n.4.*

Assero secundò, personam non dicere solum secundam intentionem communem.

Probatvr à D Bonau. argumento validissimo expresso *d.5.q.4.* a nobis, & indicatur hic in fine corporis, & *fundamento* 1. quo vtitur Suarez *n.6. cum D. Thom.* Esse personam in particulari, & prout in vnaquaque persona reperitur, non est ens

20 rationis; sed verum, & reale. Sed nomen personæ, licèt non significet distinctè propriam, & particularem rationem vniuscuiusque personæ, quatenus talis est; significat nihilominus confusè modum illum existendi, quem in re ipsa habet vnaquæque persona: ergo non potest adæquatè, & primario significare ens rationis. Consequentia est euidens. Maior, & in fide, & in Metaphysica videtur certissima; nam esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non est aliquid rationis; sed rei, alioqui nullum est Trinitatis Mysterium. Item humana natura non fuit assumpta ad ens rationis; supposita etiam creata, prout in re sunt, per proprium modum realem, & in re ipsa absque negotiatione intellectus constituuntur. Minor propositio nota videtur, quia licèt intellectus noster confuso modo concipiat personam, quando hoc commune imponit; nihilominus non concipit aliquid à se fictum, sed id, quod in re est, nec per illam vocem significat, nisi modum existendi, quem persona habet in re, licèt non distinctè conceptum; sed confusè tantùm. Vnde non solum est verum, Patrem esse personam; sed esse personam realem, quæ omnia vera non essent, si persona esset ens rationis.

21 Deniqve relatio diuina, vt est communis tribus relationibus personalibus, non dicit de formali aliquod ens rationis; quia, licet communitas illa sit per rationem, tamen res concepta realis est. Ergo idem est de persona, quia personalitas diuina, & relatio diuina in re sunt omninò idem, & idem conceptus obiectiuus eis respondet, licèt sub diuerso modo concipiendi nostro.

Assero tertiò, nomen *Persona* significare conceptum communem huic, & illi personæ vt significantur eo nomine.

Pobatvr primò à D.Bonau. primò ex D.Aug. *7. de Trin. cap.4.* Dicuntur tres personæ, quia commune est eis id, quod est persona. Vide S.Doctorem *d.23.art.2.q.2.*

22 Probatvr secundò. Omne nomen, quod recipit super se nomen distributiuum est verè commune ad illa. Tale est hoc nomen *persona*: ergo. Maior patet; nam distributio in plura est eius, quod continet vt commune plura, vt si exercitus distribuatur in aciem anteriorem, & posteriorem. Minor probatur ex Symbolo Athanasij: *Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti*, & dicitur sunt tres personæ: ergo.

Probatvr tertiò à S. Doct. Id, quod dicitur de pluribus secundùm nomen, & secundum eandem rationem personæ, aliquo modo est illis pluribus commune. Persona dicitur de tribus diuinis secundum nomen, & secundum eandem rationem personæ, vt præcisè persona: nam omnes vocantur personæ, & eodem modo analogice communi subsistentes, terminatiuæ, incommunicabiles: ergo.

23 Probatvr quartò à D Bonau. Persona prædicatur de Patre dicitur enim Pater est persona, aut: ergo prædicatur vt intrinsecum, & substantiale, vel vt accidentale, non accidentale (absit:) ergo tanquam ens de ratione Patris, non autem adæquatè, alioqui sicut solus Pater est Pater; ita solus esset persona. Ergo latius patet persona, quàm Pater: vnde, & dicitur: *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt plures personæ.* Ergo est etiam de ratione Filij: ergo commune.

His argumentis vtitur Suarez ad probandam vniuocationem totalem nominis *persona* in tribus diuinis. Sed verè probant tantùm communitatem analogam, idest sub altero modo, vt dicitur persona subsistens; vltimum completiuum, incommunicabile, non autem secundum rationes singularissimas Personarum diuinarum, vt relatiuæ sunt vt aduertere libet ex S.Bonau. *in corpore.*

Assero quartò, personam non dici vniuocè de tribus diuinis secundum rationes vltimas. 24

Probatvr primò à Tannero, & aliis *argumento* 1. *D. Bonau. ad opp.* Vniuoca sunt quorum nomen commune est, & secundùm nomen ratio eadem, seu communis genere, vel specie, quæ sunt vniuersalia. Sed in diuinis non datur vniuersale: ergo. Maior est clara. Minor est D. August. *5. de Trin. c.6. & cap.8.* apud D.Bonau. *d.8.p.2.dub.4.* Rursusque probatur à D.Bonau. *loc. cit.* & D.Thom. *ad 3.* Vniuersale enim dicit esse commune pluribus differentibus natura. Hoc verò argumentum resoluitur à D.Bonau. vt dicam.

Respondet Suarez, illum conceptum esse communem ad modum transcendentis, non enim contrahitur persona ad indiuidua per differentias componentes. Ideò persona, nec verè numericè ad modum indiuiduorum numeratur in tribus. Hæc responsio est D.Bonau. *ad 1.* quæ eatenus ab eo affertur, vt excludat vniuocationem, quæ in natura vniuersali reperitur, non vt excludat communitatem proportionis. Similiter neque valet contra primum asserendum, vbi communitatem personæ in subsistendo admittit, non enim est commune genericum, sed transcendens. Quare non infertur compositio Metaphysica in Deo.

Probatvr secundò à Tannero ex Scoto ratione secunda D. Bonau. *ad oppositum.* Terminus vltimus debet esse omninò simplex, ita vt in duos conceptus resolui nequeat. Sed personalitates diuinæ sunt tres vltimi termini naturæ diuinæ incommunicabiles. Ergo non habent communem conceptum, qui possit abstrahi. Maior probatur, quia si terminus est vltimus. Ergo est vltimatè constituens. Ergo non potest ipse alio termino constitui; alioqui iam non erit vltimus: ergo non potest resolui in duos conceptus, alioqui vnus eorum esset terminabilis: alter verò esset termini constituentis. 25

Confirmatur à Molina, quia termini vltimi sunt primo diuersi: ergo in nullo conueniunt, vt possit ex eis abstrahi conceptus communis vniuocus.

Respondet Nazarius, personas conuenire in subsistentiis, & ab eis abstrahi.

Contra arguo ex D. Bonau. quia subsistentia, vt persona non est vltimum in personis diuinis; sed vltimum est talis ratio se habendi, quæ alia est in paternitate, alia diuersa in filiatione, & ita, licèt omnes subsistant, & sint subsistentiæ; tamen diuersa ratione, & sola proportione consimili, alioqui non different personæ relationibus, seu emanationibus relationis vltimò, vt enim subsistunt *in* conueniunt. 26

Argumentum igitur, quoad hoc, est validum; tametsi, prout impugnat omnem communitatem rationis, respuatur à D. Bonau. in responso; validè enim excludit solam communitatem vniuocam.

27 Ex his liquet, quo pondere premat responsio Suarez *num.15.* dicentis. Vltimum constituens in eo genere constitutionis, in quo est vltimum, non constitui, neque terminum vltimum in eo genere terminari; tamen posse in alio genere constitui, & terminari. Dat exemplum: albedo constituit album, tanquam propria, & vltima forma eius; & tamen constituitur in esse albedinis per proprias differentias constitutione contractiua genericæ rationis ad specificam. Ita & personalitas, licèt vltimò constituat personam tali genere constitutionis hypostaticæ; talis adhuc terminus potest determinari in alio genere, quod vocare possumus determinationem rationis inferioris ad superiorem.

Hæc sanè responsio elicitur è D.Bonau.*ad* 2.vbi ait, quòd persona, cùm sit vltimum incommunicabile, priuat communitatem secundum eam com-
28 munitatem qua priuat, sed persona priuat communitatem rei, non rationis, & secundum illam non est communis; sed secundum communitatem rationis. Probat autem aliquam communitatem in Personis diuinis, sed non vniuocam: idest diuersam relinquit in vltima ratione, quæ est subsistentia relatiua. Ex his habes, D.Bonau.amplexatum hanc sententiam, tanquam accedentem ad naturam rei propius (vt eius vtar verbis.) Quoad modum dicendi Scoti; ait personam includere quidem, & communitatem incommunicabilitatis; sed hanc magis dicere positionem, quàm negationem, modo dicto *d.5.q.3.* In hac igitur quæst. D.Bonau.non adeò enixè hanc sententiam sequitur, vt etiam reliquas omnes absolutè respuat; & ita relinquo etiam ego opinionem de vniuocatione, vt probabilem. Argumenta verò vtrinque satis elucidè patent.

Adverte S.Doctorem dixisse *ad primum.* Vniuersale dicere communitatem rei; sed non vult cum Scoto dari naturam communem formaliter à parte rei, ante omnem intellectus operationem; sed solum fundamentum. Quare in responsione *ad secundum,* vocat eam communitatem rationis.

QVÆSTIO V.

An in Diuinis sint tres subsistentiæ relatiuæ, & alia absoluta.

D.Bonau. d.23.art.2. q.2.& d.25.dub.1.lit.
D.Thom.q.18.art.2. & d.38.art4.

Svmo hic subsistentiam, non in concreto pro subsistente; nam hoc sensu certum est, essentiam, & tres personas subsistere, hoc enim de ratione diuinæ perfectionis est; sed loquimur de subsistentia abstractè, quæ est ratio formalis subsistendi.

29 Neque sumo subsistentiam pro existentia mera per se, non in alio, tanquam subiecto. Certum est enim substantiam diuinam hac ratione habere subsistentiam, quæ neque substantiis etiam imperfectis denegatur tam primis, quàm secundis, vt habetur in prædicamento substantiæ. Neque accipio subsistentiam prout dicit, non inexistere in alio, & non pendere in sua existentia ab alio, cui inexistat, & à quo sustentetur: quomodo non omnis substantia subsistit. Hoc enim modo natura diuina subsistit. Sed sumo subsistentiam, vt dicit sistentiam vltimam, sic enim in abstracto iam à Scholasticis accipitur, cùm antiquitus in Ecclesia apud Patres idem diceret subsistentia Latinis, quod Græcis hypostasis. Et ita post multas controuersias vtroque nomine signabatur persona, vt constat ex epistola Athanasij ad Episcopos Africanos, & Concil.Sardicensi, & obseruat Vasquez *disp.*124. Iam nunc vocula subsistentiæ pro termino vltimo, qui est substantiæ vltima ratio in se sistendi perfectè incommunicabiliter, sumitur. Hoc sensu quæritur; an dentur tres subsistentiæ relatiuæ, & quarta absoluta, cum alioqui tres tantùm hypostases, idest personæ, aut subsistentiæ personales admittantur, vt benè aduertunt Fonseca *lib.5. Metaph. cap.8.q.5. sect.5.* Vasquez *disp.125.* Tannerus *disp.4. quæst.1. dub.6.*

Exagitatur hæc quæstio diuersis locis. Et quidem à Thomistis *quæst.29.art.2.* vel *q.30. art.1.* vel *q.39.art.4.* aut *3.part.q.3.art.2.* sic, & à sententiariis, maximè Scotistis *in 1.d.7.* vel *d.26.* aut *in 3.d.1.* Ab aliis verò in Metaphysicis.

Prima sententia in Deo solam admittit absolutam subsistentiam; relationis verò esse personalitates, non subsistentias, seu esse tres modos incommunicabilitatis, vt Scotistæ loquuntur. Ita 30
Scotus *in 3.d.1.q.2. §. Ad quæstionem igitur,* & *in 1. d.4.q.2.* circa finem, vbi docet esse concretum deitatis vnum Deum subsistentem absolutè in tribus personis. Idem sentiunt aliqui discipuli Scoti. Idem habet Durandus 1. *d.26. q.1.num.6.* & *in 3. d.1.q.2.* Palud.*in 3.d.1.q.2.in fine*, Capreol. *q.1.art.3.ad arg.* Durandi *contra quartam conclusionem*, Ægid.1.*d.23. q.2.art.3.ad* 4. Argentinas *d.26.q.1.* Albertus 1.*part. tract.10.q.43.* Fauent.Bellarm. *tom.1. controu.2.lib.2. de Christo, cap.15.* post medium.

Secunda sententia est concedentium sanè tres 31
subsistentias relatiuas; sed addunt quartam communem essentialem. Ita Caietanus 1.*p. q.29.art.4.* & *q.39.art.4.* & *3.p. q.2.art.2.ad 3.* & *q.3.art.2.* & 3. Iauellus 1.*p.q.39.art.4.* & *supr.q.3.art.3.* Medina *3.p. q.3. art.2.* Bañez *q.29. art.2.* & *q.40. art.4.* Zumel. *q.29.art.2.disp.4.* & *q.30.disp.vnica,* & *quæst.39.art.4.* Molina *q.29. art.2. disp.3.* Suarez 3.*part. q.3. art.1. disp.11.* & *lib.3.de Trin.cap.4.* Ripa *q.39. art.4.* Bartholomæus Miranda *in summa Concil. aduot. ad 6. Synod.act.11.* Bartholomæus Medina *3.p. q.3. art.2.* Cabrera *3.part.q.3.art.3.disp.vnica*, Fonseca *loc. cit.* Ioannes Paulus Nazar.*q.39. art.4. controu.1.* & omnes ferè moderni Thomistæ, & Scotistæ præcipuè Fauentinus 1.*disp.27.cap.3.* Mastrius *3.d.1.q.9.* cæteros recensens. Ex his aliqui referunt pro se etiam auctores primæ sententiæ, & Richard. *3.d.1.q.2. art.1. ad 1. iuncta q.4.* Gabrielem *q.1. art.3. dub.4.* Almain.*q.1.art.3.dub.vlt.* Ocham *in 3.q.1.* Palud. *loc. cit.* & multa loca D.Thomæ allegant præsertim 1.*p. q.4. art.2.* & *q.13. art.11.* vbi cum Damasceno docet; hoc nomen, *Qui est*, totum quod in Deo est, in se comprehendere, veluti quoddam pela- 32
gus substantiæ infinitum. Constat autem, hoc significare substantiam in se perfectè subsistentem. Clarius id docet de potentia, *q.9.art.5.ad* 13. Idem videtur docere aliis locis, quos allegant Thomistæ adducti. Suarez 3.*part. disp.11.sect.2.* qui *sect.3.* ait, hanc esse communem ferè omnium Theologorum. Allegant etiam Scotum 3. *d.1. q.2. §. Ad quæst.* & *d.5. q.1.* & *in 1. d.7. quæst. vnic.* & *d.26. ad quartum tertiæ viæ.* At Scotus, & Durandus præcipuè negant subsistentias relatiuas: cæteri etiam allegati à nobis pro prima sententia profectò non sunt pro hac, sicuti patet; cæteri verò à Suarez additi non tribuunt

tribuunt Deo communem subsistentiam; sed existentiam substantialem, vt aduertunt Tanner. *n.*4. Vasq.*c.*2. Omitto Carthusian. 1.*dist.*26.*q.*7. qui non admodum absonum existimat absolutum suppositum, ac personam in Deo ponere; licèt tandem oppositum tenendum statuat.

33 Tertia sententia extrema est; solas tres subsistentias relatiuas admittens. Ita S Bonau. hic, & *in* 3.*d.*1.*art.*1.*q.*3. & *d.*5.*art.*1.*q.*4. & *in* 1.*d.*4.*q.*4. *argumento* 4. *ad oppositum*; quod concedit, & *d.*23. *art.*2.*q.*3.*ad* 2. & *q.*2.*argumento* 2. vbi asserit nomen *Deus*; significare in concreto solùm personas, vt notat Forestus *de modis dicendi*, *cap.*1. & hoc modo loquitur S. Bonau. *serm.*11. *Hexamer.* dum hoc nomen. *Qui est*; ait, esse concretum ex omnibus Dei perfectionibus, quod idem asserit aliis locis adductis *tract.*1.*disp.*1.*q.*1. & *d.*2.*q.*1. Vnde neque. D. Thom. illo primo loco rectè allegatur pro secunda sententia. Cùm D. Bonau. quem omnes ferè pro hac sententia allegant, consentit Alensis 3.*p.q.*1.*memb.*3. & *q.*7.*memb.*1.*art.*3. Richard.1.*d.*26. *art.*1.*q.*1. Marsil.*in* 3.*q.*2.*art.*3.*d.*2. Henricus *quodl.*5. *q.*8.*sub fine*, Genebr.*lib.*2.*de Trin.pag.*85. Syluest. *in* 1.*q.*39.*art.*4. Bartholomæus Spineus *in quodam opusc.* Valentia *ad art.*4.*q.*39. Suar. *q.*13.*p.*3. & *in controu.lib.*3.*de Trin.cap.*6. Vasquez *disp.*125.*c.*3.& *d.*156.& 3.*q.*3.*art.*1. Arriaga *disp.*51.*sect.*2. Didacus Ruitz *d.*34.*sect.*2. & 5. Forestus *fol.*180. Amicus *disp.*21. Fauet Molina 1.*p.q.*29.*art.*2.*disp.*3.*concl.*1. dum fatetur hanc opinionem esse ad phrasim Conciliorum, & Patrum; eamque probabiliorem tenet Tannerus *loc. cit.* Albertinus *tom.*2. *de subst. corol.*11.*d.*1. sed Alarconus *d.*4.*c.*4. Præposit. *q.*29. *art.*4.*d.*3. Morandus *tract.*6.*q.*15. Fulien. *lib.*2.*cap.*2. *resolutè.* Caspens.*d.*3.*sect.*4.& 5. Marcus à Baudonio *q.*29.*art.*1.*dub.*1. Coriolanus *q.*29.*art.*2. Lugo *de Incarnat.d.*12.*sect.*3.

Assero primò; Personis diuinis singulis conuenire proprias subsistentias.

34 Probatvr primò à Seraphico 1.*d.*23.*art.*2. *q.*1.& *d.*25.*dub.*1.*litt.* ratione ducta ex authoritatibus; qua nititur Vasquez, ex vsu loquendi Ecclesiæ, quo subsistentiam vsurpat, & hoc Spiritu sancto dictante factum esse aduertit S. Doct. *q. c. d* 25. *in cor.* nempè, cum decisa est lis vetusta circa vocem hypostasis, tempore D. Athanasij post Concilium Nicænum; nam *lib.*2. *ad medium*, §. *in libro Iob*, habetur: *Vna diuinitas sancta Trinitatis in tribus subsistentiis perfectis æqualibus consideratur.* Et §. *Cum sit copiosa ad finem*, dicitur: *Quidquid per se subsistit, quatenus per se subsistit propria naturæ personam habere dicitur.*

Pro subsistentiis verò Græcè *hypostasibus* habetur Concil. Constantinopolitanum primum, quod est Oecumenicum secundum in epistola ad Damasum: *In tribus perfectissimis subsistentiis, siue in tribus perfectis personis, vt neque Sabellij languor locum habeat confusione subsistentiarum, aut peremptione proprietatum.*

35 Concilium Chalcedonen. quod est quartum Generale *act.*16. ait: *Trium subsistentiarum Patres intulisse doctrinam, non extra sanctam Scripturam hanc inuentionem sibi fingentes.* Ad hoc Concilium alludit D.Bonau. *q.c.d.*25.*in fine corporis.*

Concilivm Nicænum secundum, quod est generale septimum, *act.*3. ait: *Deitatem vnam in tribus subsistentiis indiuisim discretam, & distinctim vnitam, non ex imperfectis tribus vnum existens; quemadmodum magnus ille Dionysius, inquit, secundum quidem singularitatem personarum tria adoranda.*

Idem definitur ab Agathone PP. in sexta Synodo, *act.*4. In Concil. Later. sub Martino I. *consult.*5. *can.*1. In quinta Synodo Generali, *can.*1. In Vormat. apud D. Gregorium *epist.*41.

Ad auram Conciliorum locuti sunt sancti Patres Athan.*serm.de Deipara*, & contra Arrianos *pag.*165. *& in quæstionibus*, *q.*7. Nazianzen. *orat.*25. Chrysost. *homil.*2.*in epist.ad Hebræos.* Damascenus *lib.*1.*de fide*, *c.*6. Cyrillus Alex. *dial.de Trin.lib.*2. Iustinus *in expositione fidei*, *& q.*17.*ad Orthodoxos.* 36

Similiter multi Patres non modò accipiunt subsistentiam pro persona, sed etiam asserunt idem esse personam cum subsistentia, & hypostasi. Ita Hilar.*in Breu. Liberati cap. vlt. additionum.* Cyrillus *lib. de fide ad Theodosium.* Damascenus *lib. de decr. cap.*1. Hilar.*lib.de Synod.* Athanas. *serm.de Deipara.* Idem colligitur ex Concilio Ephesino, vbi declaratur idem significare subsistentiam Verbi, & personam Verbi, Chalced. act 5. *Vtriusque naturæ proprietate seruata, & in vnam personam vnamque subsistentiam concurrente.* Et in Constantinopol. 2. *collat.*8. anathema dicitur Nestorio, quia conatur in Mysterio Christi introducere duas subsistentias, seu duas personas.

Ex his validum fit argumentum. Subsistentia ex C. C. & Patribus est idem cum hypostasi Græcè. Sed hypostases post decisam litem sunt tres distinctæ relatiuæ. Ergo tres subsistentiæ relatiuæ. Vrgeo. Nusquam apud Patres Græcos inuenies nomen *hypostasis*, nec apud Latinos nomen *subsistentia* post decisam litem accipi pro essentia, vel pro aliquo communi essentiali. Quapropter Iustinianus Imperator Latinè scribens ad Ioannem II. *in confess.* quæ habetur post Concil. Toletanum *col.*9. intelligens hunc communem sensum Patrum, scribit: *Quoniam non est idem natura, & subsistenti.; omnes enim sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam, siue substantiam, & formam; aliud subsistentiam, siue personam: & naturam quidem, vel substantiam, & formam hoc, quod est commune significare; subsistentiam autem, siue personam hoc, quod est speciale.* 37

Respondent aduersarij, Concilia, & Pontifices, Patresque vsurpasse subsistentiam concretè, vt dici solet pro supposito, seu persona; & ideò non licere secundum phrasim Conciliorum, & Patrum concedere in Deo subsistentiam absolutam; at verò Scholasticos, qui docent aliquam in Deo subsistentiam dari absolutam; vsurpare subsistentiam abstractè, non pro supposito concreto.

Contra tamen primò; quia, cùm vsus Ecclesiasticus iam obtinuerit, vt nomen subsistentia idem sit, quod hypostasis, vt significet suppositum, seu personam; licebit solum disputationis gratia Scholasticis vti nomine subsistentia abstractè ad significandam formam, & rationem, qua vltimò constituitur persona, seu suppositum; at verò ad significandam aliam rationem omninò diuersam, & contrariam supposito, qualem prædicti Theologi defendere moliuntur talem vocem vsurpare siue abstractè, siue concretè. Et ideò concedere id, quod Patres, & Concilia negarunt; nempè absolutam subsistentiam, qua obsecro ratione licebit? alioqui dicant, & Græci, esse vnam hypostasim absolutam: hoc autem quis concedet? alioqui poterit ponere, & quartam personam vt arguit Vasquez *num.*16. post D. Bonau. *suprà.* Quo refellitur Mastrius *num.* 306. concedens subsistentiam pro persona à Patribus accipi. Cur ergo das naturæ? 38

Caietanus

39 Caietanus tentat Scyllam vitare dicens, eam esse vocandam semipersonam: sed incidit in Charybdim, inuehens in Theologiam nouum nomen inducens in Deum imperfectionem. Sic & Scotistæ peregrino sensu eam sumentes pro eo, quod non est in alio distincto supposito, vel subiecto. Deinde, cum Patres, & Concilia è subsistentiis, idest personis distinguant Sanctissimam Trinitatem; atque adeò dicant, vnionem humanitatis Christi factam ad subsistentiam Verbi; non Patris, aut Spiritus sancti; cogimur etiam rationem ipsam distinctionis harum personarum in abstracto asserere esse ipsas subsistentias distinctas, & non tantùm adiectiuè, sed etiam substantiuè formaliter constitutiuas propriè, per quas ipsæ personæ distinguuntur non enim multiplicantur personæ, nisi per formas distinctas proprias, vt arguit S.Bonau. *locis citatis*. Et *d.25. q.1.fundamento 3. & in corpore, & q.3. in fund. & corp. & ad argumenta præcipuè ad quartum*, & accinit *d.28.q.2.ad* 2. & annuit Suarez *3.p.d.11.sect.4.§.Dico secundo*, & Vasq. *loc.cit.* alioqui licebit dicere, humanitatem vnitam hypostasi illi vnicæ essentiali, atque adeò incarnatas etiam alias personas.

40 Probatur secundò à D.Bonau.locis adductis; quia fides docet tres subsistentias diuinarum personarum abstractas personales. Ita Synodus sexta, *act.11. in epistola Sophronij*, qua dicitur: *Deitatem esse numerabilem personalibus subsistentiis*. Et in septima Synodo, *epistola Synodali*, aiunt: *Trinitatem esse diuisam numerabilibus subsistentiis, & personalibus alteritatibus*. Vbi Concilia loquuntur de subsistentiis abstractè, prout sunt formæ, per quas constituuntur, & distinguuntur personæ, vt docet D.Bonau.*d.26.q.1.*suppositis dictis,*dist.23.art.2.q.1.*

Eodem sensu formali multi Patres locuti sunt.

D.Nazianzenus *oratione 25.* appellat proprietates per se subsistentes.

D. Chrysostomus *homil.2.* ad Hebr. *Quemadmodum Pater in se ipso subsistit: ita & Filius.*

D.Damascenus *lib.1.de fide, c.6. Filius, qua subsistit secundum se ipsum discernitur ab eo, à quo subsistentiam habet.*

41 D.Cyrillus Alex. *dial.de Trin. lib.2.* repetit: *Tres subsistentias proprias.*

D.Iustinus *in expositione fidei de Sanctissima Trinitate*, ait, se maluisse vnius deitatis in tribus subsistentiis notitiam exponere. Et *q.17. ad Orthodoxos*: *Vnus est Deus vno indiuiduo substantiæ; sed tres personæ distinctione personarum.*

D. Athanasius *serm. de Deipara*: *Hypostasis sua interpretatione designat id, quod subsistit. Sed Deum vnũ Deum in tribus subsistentiis prædicantes, in quibus vna est substantia, vis, & efficacia.* Et contra Arrianos *pag.265.* ait: *Essentia non nisi in indiuiduis spectatur, hoc est in hypostasibus subsistit.* Ibi non solum asserit tres rationes subsistendi relatiuas, sed etiam excludit subsistentiam absolutam contra secundam opinionem.

42 Vasquez, qui, vt vidimus *disp.3.q.10.* vnicam in diuinis astruit perfectionem, & Patres nunquam accepisse hypostasim pro subsistentia in abstracto, nititur *num.16.* soluere præcipuè locum præclarum Sophronij allegatum, dicens, sumi subsistentiam concretè, & sensum non esse, tres subsistentias personales, idest personas personales, sed supposita personalia; nam persona addit hypostasi rationalis naturæ subiectum: nam si sumeretur abstractè, redderet esse personalitates personales. Idem respondet Meldulà *adducta q.10.d.3.*

Fallitur tamen vterque: nam Sophronius eruditissimus tractans de personis diuinis, frustra hypostasim personalem esse conaretur ostendere; neque sequitur id, quod infert Vasquez; sed solum, esse subsistentias personarum, quod non est futile, vt ipse mussitat.

Quod si in concreto accipit; sensus erit, esse tres personas personarum, quod est vanum. Idem sensus ineptus redderetur in Patribus allegatis distinguentibus Trinitatem, & tres personas subsistentiis, sensus enim esset. Tres personas distingui diuisione personarum.

Assero secundò; tametsi diuinæ essentiæ conueniat summum esse, vt dicitur *Exod.3.* tamen ei non conuenire propriam subsistentiam essentialem absolutam communem tribus. 43

Probatur à Seraphico locis adductis ex vsu Ecclesiæ, quæ subsistentiam solis personis adscribit, atque personam, & subsistentiam idem omninò astruit; imò essentiæ eam negat, quod idem asserit D.Thom. *q.29. art.2.* & *3.p.q.3.art.3.ad primum*, vt notauit Tanner.*num.8.* neque verò est aliquis inter Patres post litem compositam concedens in Deo absolutam aliquam hypostasim, vel subsistentiam; vt protestatur Iustinianus Imperator in edicto allegato supra ad Ioannem II. qui obiit anno 535.

Primò quidem D. Athanasius *dialogo de Trinitate contra Anomæos, pag.165.* ait: *Essentia non nisi in indiuiduis spectatur, hoc est in hypostasibus subsistit.*

Sophronius in sexta Synodo, *act.11. epistola professionis fidei*, recepta postea à Synodo, *act.13.* ait: *Neque secundum quod Trinitas vnus Deus agnoscitur, & subsistentia tres, & tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus dicitur contractus, vel compositus, vel confusus, & in vnam seipsum colligens subsistentiam, in vnamque coërcens non numerabilem personam. Sabellianorum ista est prauitas in vnam subsistentiam tres confundere subsistentias, & in vnam personam tres conspergens personas. Vtrumque est impium, tam singularitas circa subsistentiam, quàm ternalitas in naturis.* Et longè infrà: *Neque subsistentias confundentes, & in vnam eas subsistentiam deducentes.* 44

Hic locus primò quidem impugnat directè primam opinionem; mox ostendit, per subsistentias, personas, non naturam accipi.

D.Iustinus *q.17.ad Orthodoxos*, ait: *Vnus est Deus, vnum indiuiduum substantiæ; sed tres personæ diuisione consistentiarum.* En formaliter loquitur de rationibus consistendi personarum. Et *in expositione fidei de Trin.* ait: *Quatenus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnius deitatis dignoscendo subsistentias; quatenus autem Deus essentiam communem subsistentiarum intelligendo.* 45

D.Gregorius Nyssenus *oratione Catech.cap.1.* ait: *Dei Verbum eo quidem, quod per se consistit, distinctum est, & diuisum ab illo, ex quo habet quòd consistit, idest à Patre.* Vbi Verbo, non essentiæ consistentiam concedit.

D.Damascenus *epistola de Trisagio*, ait: *Trinitatem impossibile est dicere vnam hypostasim. non est autem communis ipsorum vna hypostasis, deitas autem communis est trium hypostasum, vna existens.* 46

Idem habent D. Cyrillus *lib.1. Thesauri de Trin. cap.9.* D.Ambros. *in Symbolo Apostolorum, c.2.* Theodoret. *in addit. ad Breuiarium Liberati fragm. penult.* D. Hilarius *lib. de Synodis post Can. 27.* Synodo Syrmiæ: *Si vnius substantiæ Pater, & Filius dicatur,*

vt

ut hic subsistens sub significatione, licèt duorum nominum, vnus, ac solus sit, confessum nomine Filium conscientia non tenemus, si vnam substantiam confitentes, ipsum sibi vnicum, & singularem, & Patrem esse dicimus, & Filium. Hic negat vnam subsistentiam trium personarum sub nomine substantiæ, & indicat periculum erroris Sabellij.

47 Respondet Suarez 3.*p.d.*11.*sect.*3. Faber 1. *d.*16. *cap.*2. *num.*22. & alij; Concilia & Patres negare essentiæ solam subsistentiam incommunicabilem, quæ est persona, non autem illam; qua dicitur per se subsistere, afferuntque multos Patres, qui videntur hanc astruere.

PRIMVS fit D. Hilarius 7.*de Trin. in calce*, vbi loquens de Patre, & Filio, ait: *Natura virtute vterque in se est, & neuter sine altero est.* Et infrà: *Non est corporalium naturarum ista conditio, vt insint sibi inuicem, & subsistentiæ natura perfectam habeant vnitatem.* Et infrà: *Inesse autem non aliud in alio, vt corpus in corpore; sed ita esse, ac subsistere, vt in subsistente insit, ita verò inesse, vt & ipsa subsistat.*

48 Respondetur, afferri textum mendosum, non enim ait, subsistentiæ naturæ; sed subsistentis naturæ. Sensus igitur est; alias naturas non habere multa supposita in quibus subsistant.

Secundus verò locus non dicit. Ita verò inesse, vt & ipsa natura subsistat; sed ita vt Deus subsistat: & sensus est: Ita in diuinis vnus subsistens est in alio subsistente, vt & ipse subsistat. Sed, age, dicat: Ipsa natura subsistat; nil contra nos, non enim negamus naturam subsistere; sed dicimus cum Damasceno *lib.*3.*de fide, cap.*3. essentiam diuinam subsistere quidem, in tribus tamen suppositis, quæ cùm sint idem formaliter cum essentia in nostra sententia, malè inferunt aduersarij, futurum, vt emendicaret aliunde subsistentiam. Quæ verba Hilarij soluunt etiam alias aduersantium oppositiones.

49 SECVNDO opponunt D. Hieronymum epist. 57. ad Damasum: *Vna est Dei, & sola natura; quæ verè est, id enim, quod subsistit non habet aliunde; sed suum est.* Et infrà: *Quia sola illa natura est perfecta, & in tribus personis deitas vna subsistit, quæ verè est.*

Eodem modò locutus S. Augustinus 7.*de Trinit. cap.*4. & 5. dicens: *Naturam diuinam ad se subsistere (idest absolutè) nam omnis substantia ad se ipsam subsistit: quantò magis Hoc est Deo esse, quod sapere.*

PROFECTÒ, si testimonium D. Augustini accipiatur primo occursu, vnica subsistentia absoluta sancietur cum prima opinione etiam contra secundam. Enim verò neutri fauet, nusquam enim S. Doct. vertit hypostasim subsistentiam; sed substantiam, ideóque, quando ait, Deum ad se existere, sumit existentiam substantialem, quæ non est in alio, vt subiecto; non subsistentiam, de qua est nostra quæstio. Deinde suspectum habuit nomen Græcum *hypostasis*, si Latinè verteretur more Græcorũ. Ipse enim nunquam vertit subsistentiam, sed substãntiam (sicut, & Hieronymus, & antiquiores Patres Latini) quæ respondet Græco *Vsia*, & quia tres substantias asserere dubitauit; ideò tres hypostases fateri non audet, ne cogatur dicere tres substantias. Tametsi *lib.*7. *de Trin.cap.*6. dicat, vbi scandalum non sit, posse concedi in Deo tres substantias, sicut Græci tres hypostases dixere. Cùm igitur Augustinus *cap. illo* 4. *septimi de Trinitate*, timeret tres hypostases, Latinè substantias concedere, iure optimo dixit, non ad aliud subsistere; sed ad se, sicut ad se substãtia est. Nos verò, qui vsu Ecclesiastico, vt ait D Bonau. nomine Latino subsistentiæ pro Græco *hypostasis* vtimur, & ita in Græco dicimus tres *hypostases* relatiuas, vt non audeamus absolutam aliquam hypostasim concedere, eodem modò nullam subsistentiam admittimus absolutam. Ita respondet D.Bonau. *in* 1.*d.*23. *dub.*1.*litt.*& *art.*2.*q.*1. & *d.*25.*q.*1. *ad* 1. *ad* 6. & *d.*26. *dub.*1. & post eum Vasquez, & alij nostræ sententiæ, præsertim Fuliensis.

EODEM modo respondet Seraphicus authoritati D. Hieronym. qui seueriùs hypostases reiiciebat; interpretabatur autem hypostasim, idest, substantiam, sicut ex D. Augustino, vt aduertit *d.*23.*dub.*1. S.Bonauent. Itáque non rectè aduersarij adducunt hos duos Patres, qui ante compositam litem locuti sunt; nunc enim non licet vnicam hypostasim, atque adeò nec subsistentiam asserere; vel si vnam cum illis subsistentiam admittant negentque relatiuas, dabunt manus authoribus primæ sententiæ. 50

AFFERVNT tertiò oraculum Agathonis Papæ, quo gloriatur Miranda, & canit triumphum. *In epistola decretali*, quæ habetur in sexta Synodo, act. 4. *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum non tres Deos, sed vnum Deum, non trium nominum subsistentiam; sed trium subsistentiarum siue personarum vnicam subsistentiam.*

Respondetur, textum afferri mendosum; nam legendum est *vnam substantiam*; vt legitur in emendatis; non *subsistentiam.* Sic habetur in editione Surij, quæ negari non potest, vt ingenuè fatentur, Molina, Suarez, & Nazarius. 51

AFFERVNT quartò S. Dionysium cap. 1. de diuin. nominibus, *Bonitatis subsistentiam ipso esse omnium subsistentium causam.* Et infrà: *Significat diuinam bonitatem, hoc ipso, quo est, subsistere: idemque omninò esse Deo esse, & subsistere.*

Respondetur, non habere bonitatis subsistentiam, hypostasim Græcè; sed essentiam Græcè *Vsiam*, & sic transfert Perionius. Miror autem, aduersarios adeò pugnare testimoniis Græcorum, qui non alio nomine, quam hypostasis explicant Latinum *subsistentia*, & *persona*, vt aduertit D. Bonauent.*d.*23.*q.*3.*in corpore*, vbi allegat Damascenum *primo de fide*, *cap.*10. nullus enim audet vnam hypostasim absolutam in diuinis ponere, vel personam. 52

ALLEGANT quintò D. Gregorium Nyssenum *in enar. vitæ Moysis*, *fol.*6. vbi ait: *Deum esse, verè est, & quod natura sua est.* Quod infra declarans ait: *Præter supremam essentiam, nihil verè subsistere, quia per se, & per naturam suam nihil aliud subsistit.* 53

Respondetur, eum velle diuinam naturam subsistere à se, idest, non ab alio; sicut creaturæ pendentes ab alio, vt à causa; ob id tamen non concedit communem subsistentiam; nam, vt supra dixi, natura diuina verè subsistit in personis, quæ sunt idem formaliter sibi: quo fit, vt dicatur à se subsistere, non ab aliquo extrinseco. Eodem modo explicantur alij Patres simili modo locuti.

Quòd verò Concilia, & Patres negent essentiæ diuinæ tantùm subsistentiam incommunicabilem; ostendo esse falsum ex D.Bonauent. locis adductis, *disp.*5. *quæst.*3. nam incommunicabilitas non est mera negatio; sed est aliquid positiuum ex proprio conceptu distinctum ab aliis, terminans naturam; & ita cum illa constituens personam, vt fatentur Suarez *sect.*4. *citata*, circa medium,

& Thomistæ allegati pro secunda sententia, vt vidimus *disput* 5. *quæst.* 3. Cùm igitur diuinæ essentiæ concedendum quicquid est perfectionis subsistentiæ, vrgeant aduersarij; oportet, vt ei concedant perfectionis complementum; ex quo incommunicabilitas consurgit, nisi velint imperfectam essentiæ aptare subsistentiam; & ita quatuor personas in diuinis admittent.

55 Vrgeo; nam Suarez concedit, diuinam essentiam in se esse incommunicabilem, vt aduertit Arriaga *num.* 3. quid ergo deest; vt sit persona? frustra verò inducit subsistentiam mediam, quam non potest explicare. Dicat mihi: quid est ista subsistentia media inter personam, & existentiam per se? Vide Arriagam *subsect.* 1. Faber verò iuxta sua principia ait, essentiam subsistentem esse, non tamen incommunicabilem, sed communicabilem; & ideò non esse personam, licèt sit rationalis naturæ indiuidua substantia; nam definitio hæc Boëtij est à Richardo correcta. Est igitur hoc indiuiduum *Deus*, commune tribus personis abstrahens à personis, & incommunicabilitate.

56 Contra primò, quia incommunicabilitas in diuinis oritur ex positiua perfectione, vt concedit Faber *in* 3. *disput.* 2. *num.* 46. ex Scoto *in* 3. *disp.* 1. *quæst.* 1. *art.* 3. Cùm igitur zelotes isti velint diuinam essentiam perfectissimè subsistentem; ne perfectionem aliquam dicatur emendicare, maximè à personis, quæ apud eos nullam habent perfectionem secundum suum esse formale proprietatis personalis; coguntur essentiæ dare eam etiam perfectionem è qua oritur incommunicabilitas.

Deinde Boëtij definitio est roborata *d.* 5. *q.* 1. Si ergo essentia est rationalis naturæ indiuidua perfectissimè substantia. Ergo est persona.

57 Prætereà. Sumo hoc indiuiduum *Deus*, commune tribus personis subsistens, vel est communicabile, vel non (hæc enim sunt contradictoria, atque ideo immediata) si incommunicabile: ergo non abstrahit à communicabili, vel incommunicabili; si verò incommunicabile: ergo est persona. Hæc ad hominem.

Præterea arguo cum D. Bonauent. *dist.* 25. *quæst.* 2. *ad* 3. si datur hoc indiuiduum subsistens commune tribus personis: ergo potest intelligere fœcundè: ergo generare antequam intelligatur Pater esse, nam essentialia secundum eos sunt priora notionalibus. Id verò est contra Concil. Later. *cap. Damnamus*.

Respondent, falsum esse deitatem vt sic, generare, quia, licèt includat subsistentiam, ea tamen communis est; ad generationem autem debemus ponere aliquid distinctiuum inter producens, & productum. Contra: ergo neque potest dici *Deus generat*, quia Deus, vt sic includit solum essentiam, & illam communem subsistentiam.

58 Contra secundò, quia repetit principium; nam, cùm ostenderim, Deum vt sic habere quicquid necessarium est ad operationem intellectiuam fœcundam, sequitur, posse generare alium à se: dicere verò requiri, vt sit alius à producente, est retrogredi ad campum quinque perticarum. Iam enim, si est aptus producere, producet distinctum.

Vrgeo adhuc, sequitur ergo ex concessis, posse ad extra producere creaturas, quia in his erit distinctio.

Respondet Faber in fine è Scoto 1. *d.* 4. *q.* 2. illud indiuiduum posse creare; non tamen ante productionem personarum, quia actiones extra conueniunt Deo solum in tertio instanti: productio verò personarum in secundo.

Contra, quia in illo indiuiduo est tota perfectio necessaria ad operandum; nam incommunicabilitas per Scotum, & Fabrum, quæ sola additur personæ, non est aliqua perfectio. Ergo nil confert ad operandum; nam perfecta operatio sequitur ad esse perfectum. Si igitur indiuiduum illud est perfectissimum subsistens, cur non potest operari? habet enim intellectum, voluntatem, potentiam, &c. Quo igitur fundamento expectanda est additio personarum, quæ nihil conferunt? sic arguit S. Bonauent. 3. *dist.* 5. *quæst.* 4. *in corpore*, *& argumentis*. Adde posse abstractis actionibus ad intra, & personalitatibus intelligi creantem, vt Scotus fatetur. Ergo sine illis potest Deus creare. 59

Præterea ad hominem vrgeo. Operatio per vos hic requirit suppositum, vt conditionem, *sine qua non*: sed indiuiduum illud abstractum à personis, quæ sunt supposita diuina potest creare, & alia opera facere per vos hic: ergo est suppositum, & cùm sit in natura rationali, erit persona; & cùm sit perfectissimum vltimo, nullam extra accipiens perfectionem: ergo est persona secundum totam suam rationem in vestra sententia. Et sic dantur quatuor personæ in diuinis, quod est hæreticum. 60

Confirmatur; nam Scotus apud Fabrum hîc, *num.* 18. vult, essentiam habere à se vltimum complementum, & actualitatem, ita vt ipsa nil recipiat à persona, quæ non est perfecta formaliter in se. Ergo non recipit à personis operari; nam operari spectat ad magnam perfectionem, vel exit ab ea.

Vrgeo adhuc cum D. Bonau. *in* 3. *d.* 5. *q.* 4. Actio est entis in actu; sed nihil est ens in actu, nisi in supposito, quod dicit vltimam actualitatem, vt ostendi *disp.* 5. *q.* 3. Ergo, quod non est suppositum, non potest operari. Sed indiuiduum illud non est suppositum: ergo. 61

Probatur tandem assertio à D. Bonau. 1. *d.* 25. *q.* 2. *ad* 3. clarius *in* 3. *d.* 5. *q.* 4. De ratione subsistentiæ est, vt ipsa sit terminus naturæ, vt natura est, & faciat eam esse completè, & vltimò per se, & consequenter non ordinetur vt terminetur ab alio; quia repugnat id, quod per se est, vt sic, si ex propria ratione tale sit per aliquid aliud accipere, vt per se sit; at natura diuina ordinatur, vt subsistat in tribus personis, seu subsistentiis per vos: ergo non perfectè subsistit per se. Quod si personæ adueniant naturæ subsistenti, iam ipsæ non erunt subsistentiæ; sed quasi affectiones rei subsistentis.

Respondent Suarez *sect.* 4. & alij, argumentum vrgere, si constitutio Personæ diuinæ, & terminatio naturæ per relationem esset eodem modo, quo in creaturis, in quo decipi nos aiunt, natura enim creata sua personalitate ita terminatur, vt intimè in ea non includatur; sed personalitas intelligatur veluti affixa naturæ: & ita ex vtraque resultare suppositum, vnde fit, vt talis natura ex vi propriæ existentiæ, quam habet, vt natura est, non habeat per se esse; sed vt coniuncta & terminata sua personalitate: at verò natura diuina ita terminatur sua personalitate, vt in ea intimè includatur, quantumvis præcisè, & abstractè ab ipsis personalitatibus consideretur; & ideò talis personalitas nõ debet intelligi, veluti affixa ipsi naturæ; sed quasi intimè habens esse per ipsam naturam. Ob id facilè intelligi 62

intelligi potest, etiamsi natura diuina ex vi sui esse absoluti in se, & per se sufficienter esse possit; nihilominus posse terminari tribus personalitatibus relatiuis. Quòd enim illa ex vi sua per se sit, præcisis illis relationibus è contrario signo colligi potest in natura creata, quia hæc præcisa personalitate potest assumi ab aliena persona: at verò natura diuina etiam præcisis relationibus non intelligitur capax vnionis ad suppositum alienum. Vnde etiam fit, eam naturam non communicari relationibus ob indigentiam, ad modum, quo natura creata communicatur supposito; sed illis communicatur ex infinitate sua, vt det illis esse. Vnde sequitur, vt essentia in illis terminari dicatur, non quia ab ipsis sustentetur; neque quia ab eis primò accipiat modum per se essendi; sed quia esse essentiæ ita includitur in singulis relationibus, vt constituat rem incommunicabilem, ac per se subsistentem.

64 Ad argumentum igitur respondet, distinguendo id quod assumitur, scilicet repugnare subsistentiæ terminari. Si enim intelligatur de termino, qui sit prima ratio per se essendi, vel qui se habeat per modum sustentantis naturam; sic concedo, hoc repugnare subsistentiæ; nego tamen de ratione personalitatis esse terminare hoc modo, quia est proprius naturæ creatæ: si autem sensus sit, repugnare etiam hoc modo subsistentiæ terminari, respondeo in rebus creatis ita esse, quia repugnat subsistentiam, vel naturam creatam intimè includi in rebus, vel suppositis distinctis, quod non repugnat subsistentiæ absolutæ, & increatæ. Quamvis autem subsistentia, sit ratio per se essendi ipsi naturæ, quam terminat, præsertim secundum rationem, quia non terminat illam imperfecto modo, & quasi affixa illi; sed intimè recipiendo esse ab illa; vnde hæc terminatio intelligenda est potius per modum cuiusdam modificationis, quam per modum sustentationis naturæ terminatæ, & propterea hic modus communicationis non est per modum vnionis ad aliud; nec per modum essendi in alio, qui repugnet modo essendi per se; sed per modum intimæ penetrationis cum summa entitate; ratione cuius, licèt subsistentia absoluta communicetur pluribus; non tamen est in alio, quia illa multa non sunt aliud ab ipsa.

65 Ad confirmationem respondet, eodem modo relationes addi naturæ subsistenti; & tamen addi, vt rationes subsistendi non ipsius naturæ primo per se, sed constituti.

His verborum anfractibus se magis implicat Suarez. Primò quidem nil omnino facit ad rem ea diuersitas, quam ipse pro basi solutionis ponit; nam siue suppositum sit intrinsecum, siue non, debet formaliter subsistere, & stare in se, & completè incommunicabiliter alieno supposito, dum adest ipsum, quod neque etiam est extraneum; sed emanat à natura ipsa. Quo fit, vt implicet esse per se completè; & esse in alio. Tantò igitur magis repugnabit Deo subsistenti subsistentia, quam acclamant perfectissimam, Deoque dignam, nouis subsistentiis terminari. Quod enim illæ personalitates sint subsistentiæ perfectæ est in confesso apud aduersarios Thomistas, & Suarez

66 §. *Dico secundo.* Quod verò ait, diuinam essentiam præcisam à personalitatibus non posse assumi ab alieno supposito, hoc non oritur ex implicantia substantiæ Dei, sed quia infinitâ cùm sit naturâ, non potest à supposito finito terminari adæquatè, vt notat D. Bonauent. *suprà.* Implicat autem personalitates diuinas esse rationes subsistendi essentiæ, vt docent Concilia, & Patres a lati à Suarez, & ei non dare subsistentiam, & esse per se. Neque verò curo, an sint in alio distincto; sed vrgeo implicantiam, quod natura prius sit subsistens perfectè, & rursus effundat frustra alias subsistendi rationes, quia sequitur iterum terminari, cùm esset iam antea perfectissimè terminata; repugnat enim vltimo termino habere alium terminum, quia iam non erit vltimus. An verò primo, an secundo fiat terminatio, nil ad rem. Quòd verò ait; repugnare hoc modo 67 soli creatæ subsistentiæ, quia non includitur in rebus, sicut includitur increata, quæ fluit ab essentia, & est idem simplicissimum cum ea; adhuc non est ad rem, non enim stat repugnantia in hoc; sed in eo, vt natura perfectè, & vltimò per se subsistens rursus non subsistat vltimò, sed alios modos adhuc (esto à se) frustra effundat subsistendi, qui modi secundum Scotistas formaliter differunt: atque omninò superflui sunt.

Quod verò concludit, eas esse rationes subsistendi, non ipsi naturæ, sed constituto, eum magis implicat. Cùm enim constitutum sit ipse Deus subsistens vltimò perfectissimè; magis ei repugnat addi nouas rationes subsistendi, quàm repugnet nudæ essentiæ.

Faber *num.* 22. ait, repugnare in eadem natura 68 plures subsistentias eiusdem rationis, non autem diuersarum rationum; sicuti non est inconueniens in eadem natura esse absolutum, & relatiuum. Sic igitur in diuinis est subsistentia absoluta, quæ terminat absolutè: personalis verò relatiuè incommunicabiliter, & hæ distinguuntur solum formaliter.

Enim verò mirum est, quot scateat infirmitatibus hæc responsio. Primò, quia ratio implicantiæ irruit; etiamsi sint diuersæ rationis, quia repugnat, idem esse vltimum, & non vltimum: subsistere in se, & in alio. Similitudo verò non est ad rem; nam absolutum, & relatiuum non dicunt implicantiam in eodem ente, si ens illud inadæquatè sit absolutum & inadæquatè relatiuum, & detur distinctio formalis, aut virtualis; at verò terminus vltimus debet esse simplicissimus (vt ait Scotus) & ita non potest esse duplex, aut iterum terminari, maximè si sit simpliciter vltimus ad quem consequatur incommunicabilitas simpliciter, qualis esse debet subsistentia diuinæ essentiæ simpliciter infinitè perfecta, cui addi non potest.

Ad authoritates è Patribus responsum est suprà.

Obiicit primò Durandus contra primum assertum. Si darentur tres subsistentiæ relatiuæ, essent 69 perfectiones simpliciter simplices. Et ideò daretur in vna persona perfectio aliqua, quæ non esset in alia. Et ita personæ diuinæ essent in perfectione inæquales.

Respondetur, argumentum latè solutum, *disp.* 3. *q.* 10.

Obiicies secundò. Relatio est ad aliud: subsistentia est ad se: ergo repugnat relationes subsistentes dari. Confirmatur; nam ideò D. August. 7. *de Trin. cap.* 4. videtur negare subsistentias relatiuas.

Respondet S. Bonau. 1. *d.* 25. *q.* 1. *corp.* & *ad arg.* relationes diuinas esse substantiales; & ideò habere

bere vt sint ad se, & ad aliud. Quod si relationi accidentali conceditur etiam inesse, cur negatur substantiali esse per se? Sed de hoc iterum *quæst.*7. redibit sermo.

Forestus *fol.*183. retorquet argumentum. Subsistentia est relatiua: ergo non potest ei competere esse absoluta.

70 AT bonus senex meus Magister non rectè retorquet, quia supponit dari subsistentiam relatiuam, quam ipsi negant; authores verò secundæ sententiæ dicunt dari geminas; alteram absolutam: tres verò relatiuas, vnde non implicat.

Obiicies tertiò cum prima, & secunda sententia. Ante conceptum personarum debemus intelligere Deum omnipotentem, sapientem, bonum: ergo subsistentem. Probatur antecedens, quia essentialia præcedunt personalibus. Confirmatur ex Concilio Rhemensi definiente non posse negari, diuinitatem esse Deum.

RESPONDET primò D. Bonauent. 3. *d.*5.*quæst.*4. & *in* 1.*d.*25. *quæst.*1. *ad vlt.* abstractis personalitatibus non intelligi Deum omnipotentem, Creatorem, &c. quia non est perfectè ens substantiale; nisi in supposito, nec in diuinis est suppositum præter tria personarum. Potest quidem intelligi, si concipiatur contra fidem Catholicam eo modo, quo Iudæi meditantur, & Philosophi aliqui antiqui credebant. Concilium verò Rhemense solum definit identitatem essentiæ cum personalitatibus contra Gilbertum.

71 RESPONDET secundò S. Doct. *loc. cit.* & *in* 1. *d.*4. *quæst. vlt.* hoc nomen *Deus* directè esse nomen naturæ, sicut hoc nomen *homo*; ita tamen, vt supponat personas, provt ad illas trahitur. Ideò vnam significat, si dicas: *Deus generat*, duas verò si dicas *Deus spirat*: cùm autem prædicatio sumenda sit ab eo, quod directè significatur, ideo hoc nomen *Deus* directè significat naturam. Scias tamen, nomen naturæ connotare quidem personam, non hanc vel illam; sed vniuersè, & sic dicimus Deum; significando eundem Deum, quem significabant Sancti ante reuelationem Sanctissimæ Trinitatis, quando non connotabatur aliqua persona particularis; sed in confuso, alioqui non significaremus eundem Deum, sed alium. Igitur connotabat tunc personam in confuso. Ita etiam Vasquez *cap.*6. hic, *&* *disp.*156.*cap.*2. & Tannerus *num.*13.

72 RESPONDET tertiò D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 27. *quæst.*2. *ad* 3. §. *Ad hoc autem*, primam personam per innascibilitatem, & fontalem plenitudinem satis constituere Deum in supposito; & ita Gentiles vnum Deum adorauerunt. Est autem idem Deus, siue vna persona supponatur, siue alia; quia Deus in recto dicit diuinam naturam, & in obliquo personam: vnitas autem vel multiplicatio sumitur penès rectum, idest, in nominatiuo, vt notat etiam Arriaga.

Respondet Forestus: quòd cum Deus subsistat in tribus, quibuscum est idem formaliter, idcò si concipiatur ante personas, vt Deus; concipitur inadæquatè, & non subsistens: Id habet S. Bonau. 3. *loco citato*.

73 AD id verò, quod dicitur, essentialia esse ante personalia; respondet D. Bonauent. *loc. cit.* Essentiam, & attributa sanè præintelligi, non tamen præintelligi (stando in fide) suppositum, atque adeò neque Creatorem, quia licèt creet Deus virtute communi essentiali, non notionali, quæ respicit actus ad intra; tamen, vt agat, debet esse ens actu in se; atque adeò suppositum: quo fit, vt actiones ad extra teneantur supponere actus ad intra, quibus diuinæ Personæ, quæ sunt supposita adæquantia naturam diuinam, constituuntur.

HINC habes, Scotum *in* 1.*d.*4.*quæst.*2. & Fabrum 1. *d.*26. *in fine*, seipsos implicare, dum concedunt aliquas operationes, vt creare, &c. in Deo, abstractis personis, & tamen volunt supponendas personas, eò quòd actiones ad extra sunt in tertio signo: at verò actiones ad intra in secundo signo; hæc enim ordinatio signorum absque fundamento est, & inuoluit implicantiam. Itaque afferre hæc signa Scotica ad argumentum supra vltimo factum, est gratis rationes confingere, & absque fundamento supponere fundamentum responsi; atque adeò petere principium. 74

Obiicies quartò cùm Suarez. Essentia Dei præcisa est infinitè perfecta: ergo subsistens. Probatur consequentia, quia subsistentia est perfectio simpliciter simplex.

Respondet D. Bonauent. 3. *loc. cit. dist.*5.*quæst.*4. quòd cùm personæ etiam sint perfectiones distinctæ, vt concedit Suarez relatus *disp.*3.*quæst.*10. non intelligitur diuina essentia omninò perfecta absque personis: ponere verò eas perfectiones secundum quid; reprehenditur ab Arriaga. Vide *loc. cit.* 75

Obiicies quintò cum Scoto. Quod habet esse ab alio, non dat ei subsistere in se; sed personæ habent esse ab essentia: ergo.

Respondetur primò, negando maiorem; vt patet etiam in subsistentia creata, quæ manat ab essentia; & tamen dat ei subsistere. 76

Respondetur secundò, negando etiam minorem; nam Pater non habet esse ab essentia, sed à se; Filius verò à Patre. Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Vnde essentia nec generat, nec spirat præcisè.

Præterea personæ sunt formaliter essentia; neque ideò, quia pullulent ab ea, sequitur, eam non à se; sed aliunde subsistere, vt benè quoad hoc dicebat Suarez.

QVÆSTIO VI.

Vtrum in Diuinis sint tres existentiæ relatiuæ cum alia absoluta.

E THEOLOGIS concedentibus tres subsistentias relatiuas Personis diuinis, multi negant eisdem peculiares existentias; sed vnam omninò essentiæ, & personis astruunt. Ita Vasquez *disp.*126. Caietanus 1.*part. quæst.*28. *art.*2. quem falsò Turrianus ad eundem articulum ait, retractasse sententiam 3.*part. quæst.*3. *art.*2. Idem sentiunt Nazarius *art. citato*, & *quæst.*39. *art.*4. Vtinensis *tract.*9. *quæst.*7. qui adducunt D. Thomam 1.*part. quæst.*29.*art.*2. & 3.*part. quæst.*17. *art.*2. *ad* 3. vbi ait; tres personas habere vnum esse. Et *de potentia*, *quæst.*2. *art.*6. & *q.*8. *art.*2. *ad* 11. & *q.*9. *art.* 5. *ad* 19. & *de veritate*, *q.*1. *art.*5. *ad* 18. Idem sentit Capreol. 3. *d.*1.*q.*1.*art.*3. *ad* 2. *contra secundam conclusionem.* Albertinus *tom.*2. *prædicamento Ad aliq. coroll. sen q.*9. Adducuntur pro hac sententia à Vasquez, Richard. de S. Vict. 4. *de Trin. c.*17. D. August. 7. *de Trin. c.*4. D. Hieron *epist.*57. sed malè, vt infrà.

SECVNDA sententia est, præter existentiam absolutam in diuinis, dari etiam relatiuas persona- 77

sum.

rum. Ita D.Bonauent. 1.*d*.23.*q*.2. vbi ait: *Proprietas non facit subsistere, seu substare, quasi sub alio stare, sed existere; quia ab alio esse.* Hinc Richardus Victorinus dixit, *quòd melius dicitur existentia, quam subsistentia.* Ex quo habes, Richardum Victorinum esse nobiscum. Ita exponitur S.Doct. ab Vtlnensi *loc. cit.* & Foresto *fol.*189. *col.*1. Idem asseruit Ioannes Theologus Latinorum in Concilio Florentino *sess.* 19. Richardus de Media Villa 3. *d.*1.*art.*1. *quæst.*2. *ad primum*, vbi, cùm dixisset, existere absolutè dictum, vnum esse in tribus personis, vti vnam essentiam, statim subdit: *Sed existere personam Patris, non est existere personam Filij, vel Spiritus sancti.* Quòd verò ait Vasquez, non dixisse Richardum, *existere persona Patris*; *sed personam Patris*, nil facit: nam eodem modo asserit nostram sententiam in modo infinito, & concretè, [i]di i[s]tas personas distinctè existere, & ita existere essentiam absolutam, esse diuersum ab *existere personas*; & *existere* Patris, non esse *existere* Filij. Itaque non modum; sed existentiam diuersificat. Hoc autem ita sensisse Richardum patet; nam quærit ibi: vtrum possit vna persona incarnari, sine alia. Arguit autem in oppositum: *Trium personarum est vnum existere, sicut vna est essentia: ergo sicut vna non potest existere sine alia:*
78 *ita neque incarnari sine alia. Respondet, quòd existere absolutè dictum, est vnum in tribus personis; sed existere personam Patris, non est existere personam Filij.* Vult ergo dicere, existere trium personarum esse triplex; & ideò posse vnam incarnari sine alia, alioqui non solueret argumentum. Eandem sententiam tenet Albertus 1. *part. quæst.* 44. Alensis 1.*part. quæst.*44. & 49. *memb.*2. Henricus *in summa, art.*53. *quæst.*17. Scotus 1. *d.*11. *quæst.*2. *ad primum*, vt explicat, & assentitur Fauentinus 1. *disput.* 26. *num.*7. & alij defendentes definitionem personæ latam à Richardo: *Est incommunicabilis existentia intellectualis naturæ.* Suarez 3. *p. disp.*11. *sect.* 2. & 1. *part. tract. de Trin. lib.*3. *cap.*1. & *lib.*5. *cap.*2. Zumel 1.*part. quæst.*28.*art.*2. Suar.*quæst.*4.*conclus.*1. Medina 3.*p. quæst.*17. *art.*2. *dub.* 3. *d.*25. *sect.*5. & alij Moderni Commentatores D. Thomæ, qui existentiam quidem absolutam vnam astruit, non negat tamen tres relatiuas, vt patet *quæst.*2. *de Potentia, art.*2. Idipsum censet Fonseca *lib.*5.*Metaph. cap.*3. Tanner. *disp.*4. *quæst.*3. *dub.*4. *num.*10. Meldula 3. *disp.*1. *num.*224. Caspensis *disput.* 3. *sect.*7. Marcus à Baudu. *quæst.*30. *art.*1. *d.vnic.* Coriolan. *q.*29.*art.*2. Morand.*q.*16.Amicus *d.*19.*sect.*7.Fuliensf. *lib.*2.*c.*3.

79 Assero primò, dari existentiam absolutam diuinæ essentiæ propriam.

Suarez *loc.cit.sect.*1. ait, hanc esse ita certam, vt absque temeritate negari non possit.

Probatur ab ipso *Exod.*3. qua authoritate vtitur D.Bonauent. 1. *dist.*2. *dub.*4. & *serm.de decem præceptis*, vbi ait, per hoc dedisse Deum Moysi lumen æterni sui esse. Et *Itinere* 5. *Æternitatis, dist.*4. vbi refert expositionem Vercellensis *prol. ad Cant.* vbi ait: *Populo Israelitico mandatur nomen intellectuale.* Qui est, *siue ens, quod est emanatio prima existentia à causa causalissima.* Et obseruat Verbum *est* significare existentiam immutabilem, semper præsentem in æternitate. Hoc idem aduerterat D. Augustinus *lib.*3. *contra Maximinum, cap.* 26. & *in opusculo ad hæc verba.* Et *lib.*1. *de moribus Manich. cap.* 1. Significat enim *est* idem, qui existit, seu existens, quod constat ex vi ipsius vocis: nam est absolutè dictum, seu secundum adiacens, (vt cum Logicis loquar.) Hinc S. Bonauent. suprà cùm sanctis Patribus aduertit, colligi differentiam inter existere Dei, & creaturarum; nam istæ neque de se, neque necessariò semper habent esse, sicut Deus. Vnde D. Augustinus sæpè colligit ex hoc nomine *ipsum esse*, Deo esse proprium; vnde *lib. de vera Religione, cap.*36. ait: *Falsitas est in illis rebus, quæ imitantur illud vnum, quo est vnum quicquid est, in quantum illud implere non possunt.* Et D. Hieronymus ad Marcellam: *Solus Deus verè est, cuius esse comparatum nostrum esse, non est.* Et D. Damascenus 1. *de fide, cap.*1. & 3. ait: *Quòd cognitio essendi Deum naturaliter est nobis impressa.* 80

Idem habet Hugo de S. Vict. *lib.* 1. *de Sacram. parte* 3. Hæc S. Bonauent. 1.*dist.*8. 1.*p. quæst.*1.& 2. & post eum Suarez *suprà*. Hoc sanè nomen, *Qui est*; esse nomen essentiæ notat idem S. Bonauent. 1.*dist.*2. *dub.*4. post D. Dionysium *cap.*2. *de diuin. nominibus*, vbi ait, illud *Ego sum, qui sum*, de tota deitate dictum; sicut illud *Tu autem idem ipse es.* Psal.101. Idipsum vide in aliis Patribus apud Lipomanum *in catena ad Exodum cap.*3. Hinc arguit S.Bonauent. *loc. cit.* & cum eo Suarez Deus habet absolutam essentiam æternam. Ergo existentiam propriam.

Secundò arguit S. Doct. 1. *d.*8. *loc. cit.* Essentia diuina est ens perfectissimum. Ergo actu existere est absoluta perfectio Dei. 81

Tertiò ex Hugone, & Damasceno, vbi suprà arguit S. Doctor *dist.* 8. *citata*, & post eum Suarez. Impossibile est, etiam per intellectum, præscindere essentiam Dei ab existentia actuali: ergo talis existentia est Deo essentialis. Ant. est principium per se notum apud Philosophos, & Theologos; quia hæc est prima differentia, quam apprehendimus inter essentiam Dei, & creaturæ; quòd hæc (quia non necessariò, seu essentialiter existit) potest intelligi, abstrahendo ab actuali existentia, per modum entis potentialis, seu in potentia obiectiua: Essentia verò Dei non potest hoc modo concipi; alioqui non est essentia Dei. Primò, quia non concipitur, vt purus actus: Secundò, quia quod concipitur, vt ens in potentia, concipitur vt recipiens esse ab alio, quod repugnat Deo. Hæc S. Bonauent. & Suarez post illum.

Assero secundò, etiam tres personas habere proprias existentias, *additas* relatiuas. 82

Probatur à D. Bonauent. ex Richardo de S. Vict. 4. *de Trin. cap.*16. vbi ponit existentiam absolutam communem tribus personis; *cap. verò* 17. ponit, existentiam incommunicabilem multiplicari in diuinis Personis, quod in sequentibus capitibus prosequitur. Et *cap.*23. definit personam, esse rationalis naturæ incommunicabilem existentiam.

Respondet Vasquez *cap.*2. Richardum asserere solum; tres personas non esse propriè subsistentes; idest, stantes sub alio, vt ait etiam D. Augustinus 7.*de Trin. cap.*4. vbi ob id docet, in Deo esse substantiam abusiuè; sed vult magis dici existentes, non autem dicit esse plures actu existentias, de quibus est nostra quæstio.

Contra ex D.Bonau. 1.*d.*26.*q.*1.*fundamento* 3. 83
si personæ, vt distinctæ sunt à distinctis proprietatibus sunt existentes, arguo sic. Vbi est distinctio in concreto, ibi debet esse ratio distinctionis. Sed in diuinis est distinctio personarum existentium per proprietates, prout distinguuntur à natura, & exi-

ſtentia communi: ergo ibi ſunt rationes diſtinctæ exiſtendi. Quòd autem ita ſit, probatur; quia definitio explicat rei quidditatem; at perſona definitur per exiſtentiam: ergo.

Reſpondet Vaſquez, per exiſtentiam intelligi ſubſtantiam.

84 Contra; quia ſenſus eſſet: eſt ſubſtantiæ ſubſtantia. Deinde, cum appoſuiſſet exiſtentiam abſolutam eſſentiæ; tradit etiam relatiuam incommunicabilem, dicens: *Sciendum eſt, exiſtentiam deſignare ſubſtantiam eſſe; ſed aliquando quod ſit ex communi, aliquando quod ſit ex incommunicabili*, vt aduertit Tannerus. Neque verò ſolum modum exiſtentiæ perſonis diuinis concedit, vt fingit Vaſquez; nam eas vocat exiſtentias relatiuas. Quod ſi ex eo colligit, quia mox vocat modum eſſendi, infero, quòd cùm idem dicat de exiſtentia abſoluta, dicens: *Vnitas eſt ſecundum modum eſſendi*, ſequitur, neque eſſentiam diuinam habere propriam exiſtentiam; ſed modum tantùm: Magna autem vis infertur: nam Richardus ait, cap. 17. *Si autem proprietatibus incommunicabilibus differunt perſonæ, vtique & incommunicabilibus differunt exiſtentiæ. Oportet autem, vt ſit incommunicabilis exiſtentia, cui eſt incommunicabilis differentia.* Vbi vult dicere: ſi perſonæ diſtinctæ ſunt iuxta proprietates incommunicabiles; ſequitur, habere etiam & incommunicabiles exiſtentias, quæ actualem entitatem perſonæ nunquam deſerunt: non vult dicere, exiſtentias differre proprietatibus, quæ ſunt relationes; ſed differre propriis differentiis exiſtentialibus. Quare perperam ſenſum torquet Vaſquez, inferens ex his verbis: *Quid clarius?* addere debuiſſet. Quid clarius contra me?

85 Probatvr ſecundò à D. Bonau. 1. *d.* 25. *dub.* 3. *litt.* argumento, quo vtuntur Suarez *ſect.* 2. Tanner. *num.* 12. Morandus *num.* 585. Faber *diſp.* 26. *num.* 2. quod Scoto adſcribit: Vnaquæque proprietas perſonalis habet ſuam actualem entitatem virtute diſtinctam ab eſſentia, & realiter ab oppoſita relatione. Ergo ſicuti tres relationes ſunt tres res, & tria entia actu; erunt tres exiſtentiæ actu. Nihil enim eſt aliud exiſtentia, quàm actualis entitas rei, eſſentiaque actualis ab exiſtentia non differt; alioqui poſſet eſſe eſſentia actu, quæ non eſſet, quod Metaphyſicæ repugnat.

Reſpondet Vaſquez *cap.* 3. ex D. Damaſceno 1. *de fide*, *cap.* 10. *& 11.* relationem diuinam eſſe merum modum exiſtentiæ deitatis: at modus exiſtentiæ non affert diſtinctam exiſtentiam. Ergo non multiplicantur exiſtentiæ in perſonis. Minor probatur exemplo creaturarum; nam accidenti habenti ſuam exiſtentiam non additur noua exiſtentia ex modo eſſendi in ſe, vel in alio; & idem eſt de humanitate, quatenùs per ſe exiſtit; nam ille modus per ſe non addit exiſtentiam, non enim exiſtentia vna eſt modus alterius exiſtentiæ; neque illi per ſe additur, ac proinde ſequitur etiam, quòd relatio diuina non addit exiſtentiam relatiuam diuinæ eſſentiæ, quæ ex ſe propriam, & perfectiſſimam exiſtentiam habet.

86 Contra: quia tametſi paternitas concipiatur, vt modus; tamen eſt entitas perfectiſſima, (nam propria ratio modi, vt ab entitate diſtinguitur, dicit imperfectionem:) & ſanè ſubſiſtentia perſonalis diuina poteſt terminare alienam naturam, quia non eſt merus modus; ſed vera res per ſe, vt aduertit Suarez *n.* 8. cum D. Bonau. 3. *d.* 5. *q.* 2.

At, eſto daremus, relationem diuinam eſſe modum; adhuc haberet exiſtentiam propriam ſibi accommodatam, quia modus eſt ens actu; atque adeò actualitas diſtincta, quæ poteſt produci diſtincta actione. Vide Suarez refellentem. Per hæc ruunt obiectiones Vaſquij.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *d.* 26. *q.* 1. *fundamento* 3. quo nititur Tannerus. Proprium eſt Patris, quod vnicum Filium genuit, ex Fulgentio *lib. de fide ad Petrum cap.* 1. inter opera D. Auguſtini *tom.* 3. ergo cum Pater producat per formam, paternitatis, provt virtualiter differt ab eſſentia, & generet Filium, non naturam, oportet vt & paternitas, & filiatio ſint exiſtentes propriis exiſtentiis. Quod enim producitur, accipit eſſe, & exiſtentiam, vt ait Morandus. 87

Vaſquez *num.* 14. reſpondet: Si hoc argumentum foret alicuius momenti; eodem modo probaret, in perſona procedente, nouam eſſentiam produci. Nam, ſi productio ad exiſtentiam terminatur, ad eſſentiam quoque aliquam productam terminari debet. Igitur, ſicut diuerſa eſt à creatis diuina productio, diuerſum habet terminum, nempe perſonam, cui communicatur eadem exiſtentia cum natura.

Hæc verò inania ſunt; nam, licèt communicetur eſſentia de nouo, tamen producitur noua perſonalitas, diuerſa relatione ſubſiſtens, id eſt, perfectè exiſtens. Ergo noua exiſtentia producitur; neque ſequitur, produci eſſentiam abſolutam, ex eo quòd producitur exiſtentia ſimul cum ſubſiſtentia relatiua, realiter diſtincta, vt arguit S. Doct. ſequentibus fundamentis. Confirmatur, ſi relationi creatæ conceditur diſtincta exiſtentia, quantò magis diuinæ perfectiſſimæ? 88

Obiicies primò ex dictis, *d.* 3. *q.* 5. relatio diuina eſt de intrinſeco conceptu diuinæ eſſentiæ: ergo & exiſtentia relationis eſt de intrinſeco conceptu exiſtentiæ abſolutæ.

Reſpondetur, neg. antec. Deinde dato, non conceſſo antecedenti, negatur conſequentia; nam cùm dicitur relatio diuina eſſe de intrinſeco conceptu eſſentiæ, loquimur de Deo adæquatè, de cuius ratione eſt eſſe Trinitatis; at hic dicuntur relationes præciſè inadæquatè habere propriam exiſtentiam. 89

Obiicies ſecundò ex D. Hieronymo epiſt. 57. *Quiſquis tria eſſe tres vſias dicit, tres naturas conatur aſſerere.* Et D. Auguſtinus 7. *de Trin. cap.* 4. ait: *Aliud eſt Deo eſſe, aliud Patrem eſſe, quod enim eſt, ad ſe dicitur, Pater autem ad Filium*; & addit, quòd ſicut non ſunt concedendæ tres eſſentiæ, ita nec tria *eſſe*.

Reſpondetur ex D. Bonau. *diſt.* 23. *dub.* 1. *litt.* & *art.* 2. *quæſt.* 1. Patres iſtos negare tres eſſentias: & ideò D. Hieronym. ait *loc. cit.* cum D. Auguſtino, neganda eſſe tria *eſſe*, & dicendum vnum *eſſe* in neutro, quia Trinitatem illud ſonat eſſentiarum, vt aduertit S. Doct. Ad argumenta quæſtionis nuper allatæ, vbi adduxerat teſtimonium D. Auguſtini. Vnde, cum eodem capite dixiſſet, Cur hæc tria non dicantur vna perſona; & loquatur de tribus perſonis, vocans in neutro *Tria*; oſtendit dari eſſe perſonarum relatiua; ſed tamen impropriè in neutro nominari, vt obſeruat S. Doct. *d.* 23. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 1. ſubſcribunt Medina, Suarez, Tanner. Amicus, Morandus *ſuprà*.

Obiicies tertiò. Damaſc. *lib.* 1 *de fide*, *c.* 11. vocat modum exiſtendi perſonarum in eſſentia.

Respondetvr primò, nil contra nos; licèt enim relatio vt in eſſentia ſit veluti modus exiſtens exiſtentiâ eſſentiæ; tamen vt in perſona eſt res, habens 90

bens existentiam relatiuam propriam. Sic etiam D. Thom. asserit, vnam existentiam personarum; at, sumptis relationibus formaliter, negat, existere existentia essentiæ sola *in 1. d. 33. quæst. 1. art. 1. ad 1.* Quatenùs (ait) *esse* significat quidditatem, quam explicat definitio; sic essentia, & relatio non vniuntur in *esse*.

Respondetur secundò, velle dicere, personalem perfectionem esse modum existendi personæ: persona enim tali modo existit per suam perfectionem, & ideo est modus additus existentiæ, non essentiali; sed relatiuæ.

Respondetur tertiò, quod, sicut relatio, & persona non existunt absolutè; sed relatiuè: ita potiùs existentia dicitur modus, dicens habitudinem, non quod non habeat suam existentiam; sed quia, sicut relatio est modus essentiæ; ita existentia quodammodo modificat existentiam essentiæ; in se tamen est existentia, sed relatiua triplex. Id colligit D.Bonau. *d. 26. quæst. vlt.* ex eodem Damasceno *lib. 1. cap. 9. 10. & 11.*

91 Respondetur quartò, ibi Damascenum comparare essentiam cum persona in particulari, & dicere, personam habere suam perfectionem secundum modum, seu secundum suam propriam rationem, puta, secundum modum personalitatis in Patre, qui est Paternitas. Et sic secundum modum singularum personarum: quia, licèt singulæ habeant existentiam distinctam; tamen habent quodammodo communem personalem; ita vt tres existentiæ sint personales, modificatæ tamen à propriis relationibus, puta, existentia personæ, vt in Patre per paternitatem, & sic de reliquis. Ita sentit D. Bonauent. *dist. 26. q. 2. fundamento 2.*

Obiicies quartò. Existentia est formaliter essentia, sed in diuinis est vna essentia. Ergo etiam existentia vna.

92 Respondetur, quod sicut duplex est essentia, absoluta substantiæ, & relatiua proprietatum: ita etiam est duplex existentia proportionata quidditatibus essentiæ, & personarum. Ita D.Bonau. *d. 23. art. 2. q. 2. ad argumenta.*

Hinc potius arguo cum D. Bonauent. *loc. cit.* & *d. 34. q. 1.* singulæ proprietates habent suas proprias entitates perfectissimas, suas operationes præcisas, quæ essentiæ præcisæ non conueniunt, vt *gignere, spirare*. Ergo habent eas actu distinctas ergo existentes distinctis existentiis; nam existentia nil est aliud, quam essentia, seu quidditas actu.

Obiic. quintò. Si darentur plures existentiæ, darentur etiam plures durationes, & æternitates: nam vnaquæque existentia durat.

93 Respondetur ex D. Bonauent. *d. 24. quæst. 2. ad 1.* quod Æternitas dicit durationem Dei essentialiter, eo quod dicit permanentiam distinctam à cæteris rebus. Et quia Deus, secundum omnia sua, est ens simplicissimum, non plura; ideò non plures Æternitates, sed vna, secundum quam, durat Deus, & quicquid in eo est; quia omnia sunt ipse Deus. Sic ergo, & relationes, licèt habeant distinctas inter se existentias, tamen vna est omnium duratio æterna; sicuti vna est æternitas simplicissima, quæ dicit vitam immutabilem perfectissimam, quæ in Deo vnica est, vt notat Motaudus.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Persona in Diuinis dicat substantiam vel relationem.

D.Bonau. dist. 25. quæst. 1.
D.Tho. q. 29. art. 4.

Hæc quæstio supponit; quid dicat persona in communi, quæ est veluti superior Personis Diuinis, & creatis. Ex definitione autem Boëtij allata *d. 5. q. 1.* habetur, personam dicere primariò substantiam, idest subsistentiam, Græcè hypostasim, & in obliquo, tanquam materiale, quod est veluti subiectum formalis quidditatis, dicere essentiam. Definitur enim. *Rationalis naturæ indiuidua substantia*; vbi *substantia indiuidua*, quæ est hypostasis, ponitur in recto casu; indicando, hoc esse formale definitionis: *at rationalem naturam*, ponit in obliquo. Persona ergo in communi dicit modum realem positiuum additum essentiæ, vt ostendi *disput. 5. quæst. 4.* 94

Verum enim verò Persona Diuina super personam addit, veluti differentiam relationis; cum enim Personæ multiplicentur per relationes; oportet, relationes in personis diuinis contineri. Sicuti igitur Persona creata per absolutam proprietatem constituitur; ita diuina per relatiuam; quia sola relatio multiplicat Trinitatem. 95

Potest vero relatio in diuinis dupliciter sumi. Primò, pro suo actu exercito ad terminum v.g. Paternitas, quatenus est ad filiationem. Secundò potest sumi sub ratione sua peculiari, quam inter cæteras relationes obtinet, vt subsistat.

Fvit opinio dicentium; Personam in singulari dici secundum substantiam: in plurali verò secundum relationem.

Secvnda opinio est; ante decisionem litis de hypostasi, significasse primò substantiam: post diremptam verò litem, vsu Ecclesiæ significare relationem. Has duas sententias refert S.Bonauentura *in corpore*. 96

Nonem hac de re sententias passim refert D.Thomas; in locis, vbi de hoc agit. *in 1. dist. 23. art. 3.* & *d. 26. art. 1. De potentia quæst. 9. art. 4.* & *3. p. q. 29. art. 4.* vt ad notarunt hic Torres, Zumel, & Nazar.

Omissa illa opinione Scoti, confutata *disput. 5. quæst. 3. & 4.* Personam dicere formaliter solam negationem communicabilitatis, quod sanè Scoto non rectè adscribi contendunt Rada *controu. 22.* Faber ibi citatus à nobis; aliam habet opinionem *1. distinct. 27. quæst. 1.* & *d. 25. q. 1.* Personam Diuinam non significare relationem, vel substantiam, sed aliquid commune vtrique. 97

Omissa etiam opinione Durandi, latius confutata *disput. 5. quæst. 4.* Personam dicere secundam intentionem.

Fvit sententia Caietani hic, nomen Personæ in diuinis significare directè, & formaliter relationem; materialiter verò & quasi consequenter, substantiam. Huius sententiæ asseritur esse D.Thomas *hic*, & mutasse sententiam oppositam, quam tenuit *quæst. 9. de potentia art. 4.* Ita eum exponunt eum Caietano, Bañes, Zumel, Molina, Valentia, & Ripa, tametsi Capreolus *1 d. 25. quæst. 1.* & Auctor Tabulæ aureæ *verbo persona, num. 21.* dicant, D. Thomam idem vtrobique docuisse, quos ad concordiam

diam redigere satagit Nazarius *quæst.29. art.4. Controuersia vnica.*

SECVNDA sententia est Alensis 1.*p. quæst.* 56. *memb.*2. Gabrielis 1. *d.*25. Capreoli *quæst.*1. *artic.*1. *concl.*2. Marsilij 1.*q.*26. *art.* 2. Canar. ad hunc articulum D.Thomæ; Caspensis *disp.*3. *sect.*2. Morandi *quæst.*13. nomen Personæ in diuinis directè significare substantiam; consequenter verò relationem. Adducitur à Vasquez *d.*127.& Longo *quæst.*29.*art* 6. etiam à D. Bonauentura hic; sed immeritò,vt infra apparebit, & admonet Forestus *fol.*195.

98 TERTIA sententia est, nomen Personæ in diuinis directè significare substantiam indiuiduam,idest hypostasim, seu subsistentiam; directè etiam significare relationem; sed materialiter, tanquam id, quod continetur vt subiectum, & materiale significati formalis; essentiam verò significari in obliquo, quippè quæ in obliquo ponitur, dum definitur. Ita Bañes *hoc articulo.* Valentia *d.*2.*quæst.*3.*p.*4. Vasquez *disput.*127. Suarez *lib.*7. *de Trinitate, c.vlt.* vbi ait; totam controuersiam æquiuocationibus illius termini *formaliter* reuolui. Si enim comparetur relatio ad naturam, seu essentiam Dei, certum est,Personam formaliter significare relationem,quia persona formaliter significat personalitatem. Sed personalitas in diuinis est relatio, quæ sola multiplicat Trinitatem: ergo significat relationem formaliter. Et hoc sensu forsan Caietanus, Molina, Bañes, Valentia, Zumellus, & Ripa intelligunt

99 D.Thomam. At verò, si ad diuersos conceptus ipsius relationis conferatur; scilicet proprium, vltimumque, qui meritò dicitur formalis; quia est de ratione relationis, vt relatio est: & confusum; ac generalem, qui è conuerso dici potest materialis, vt est hypostasis; sic constat, personam in diuinis non significare relationem formaliter; sed materialiter, quia tantum illam significat sub ratione formæ hypostaticæ talis naturæ; & ita intelligendi Capreolus, Iauellus, Syluester, Torres, & Author tabulæ.

HVNC autem esse D.Bonauenturæ sensum,ostendo. Primò enim in corpore supponit, Personam definiri rationalis naturæ indiuiduam substantiam, idest, suppositum proprietate distinctum. Addit verò, quod suppositum rationalis naturæ est substantia; proprietas autem distinguens est relatio; & quia principalius exprimitur; quoniam verò proprietas personalis in diuinis est relatio; ideò quantum est de vltimo nominis intellectu, quia dicit suppositum distinctum proprietate, quæ est

100 relatio,dicitur in Deo secundum relationem. Quam eandem doctrinam omnino hausit Suarez dicens, Personam diuinam, secundùm suum esse vltimum, dicere relationem; est enim ad aliud: at secundùm esse commune dicere subsistentiam, seu suppositum. Igitur S. Doct. comparat eo modo, quo & Suarez varios conceptus personæ ipsius inter se; non cum essentia; & vult è duobus, quæ sunt in personalitate, idest, *subsistere*, & *referri*, hoc secundum materialiter: illud primum formaliter significati, sumpta personalitate secundum esse vltimum. Hoc tandem luce clariùs in fine corporis docet. Nam obiicit sibi argumentum,quod postea Durandus accepit contra Scotum. Est autem hoc. Modi isti, nempè dici secundùm substantiam, & secundum relationem, diuidunt nomina diuina ex opposito: ergo non possunt inueniri in eodem: aut idem implicabit sibi ipsi oppositum, idest, esse ad se: & non esse ad se, sed ad aliud.

101 Respondet, è Richardo de S. Vict. esse secundùm substantiam dici dupliciter, aut secundum substantiam secundam, & sic dicitur homo secundum substantiam; aut secundùm primam substantiam; & tunc suppositum etiam significat. Primo modo dicere substantiam, est dicere *Quid*; secundo modo est dicere *Quis*. Dico ergo, quod nomen essentiæ, vel substantiæ dicitur secundum substantiam: quia indicat suppositum certum, & distinctum; natura autem communis non multiplicatur; nec refertur; & ideò quod dicit substantiam,secundum naturam communem, ita dicitur ad se, quod nullo modo potest dici, secundum relationem, & hoc quidem modo diuiditur ex opposito: suppositum autem, siue hypostasis; natum est plurificari, & ad aliud referri, & quod hoc pacto dicitur, secundùm substantiam, non implicat dici secundùm relationem. His patet malè à Vasquez allegari S. Doctorem: melius pro hac tertia agnoscitur à Baudunio *q.*29.*art.*2. Foresto *fol.*195.

Addam; mirum mihi esse id, quod Marginista Seraphici suspicatur; Scotum *in* 1. *d.* 26. *quæst. vn.* ex hac doctrina colligere, eique inurere, Personam constitui per absoluta in diuinis. Miror; nam S. Doct. ponit vltimum constitutiuum personæ diuinæ relationem; & solùm comparat esse substantiale suppositi, cum esse substantiali naturæ, infertque esse substantiale suppositi, esse relatiuum. Quid clarius? Itaque non video, quidnam Scoto valeat litem excitare sed de hoc *disp.*12.*q.*1. 102

ASSERO primò, Personam in diuinis dici secundam substantiam principaliter, modo explicito.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex D. August. 7. *de Trin. cap.*5. & 6. *Idem est Deo esse, & personam esse; & cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus, quam substantiam Patris.* Hac authoritate vtuntur Doctores nostræ sententiæ. 103

SECVNDO ex D. Anselmo in fine Monol. *Quot sunt Personæ: tot sunt substantiæ.*

TERTIO ex Hugone de S. Vict. lib.de Sacram. 1.p. libri tertij. *Vnum solum nomen est substantiale, quod de singulis dicitur singulariter; in summa tamen non dicitur singulariter, sed pluraliter pronunciatur.*

QVARTO ex Boëtio *lib. de duabus naturis*: vbi definitur; *Persona rationalis naturæ indiuidua substantia*; vbi subsistentia prædicatur in recto. Hac authoritate nituntur Suarez *num.*3. & Vasquez *c.*2. cum aliis.

QVINTO. Omne, quod dicitur à se, dicit substantiam in diuinis. Sed hoc nomen *Persona* est huiusmodi, ex D.August.7.*de Trin.c.*4. ergo.

PROBATVR sextò. Omne nomen, per quod respondetur interrogationi factæ per *Quid*? indicat substantiam. Sed Ecclesia Hæreticis interrogantibus. *Quid tres*? respondet, *Personæ*, ex D.August. 7. *de Trinitate, cap.*4. & Magistro hic: ergo. Quoniam verò hoc argumentum infert, etiam Personam dicere substantiam, idest naturam, quæ per interrogationem *Quid*? discutitur; aduertit S.Doct. *Quid* aliquando interrogare de supposito, vt si supposita cognitione naturæ, dicas. Albi currunt. Quid albi? Homines? Et hoc modo hæretici quæsierunt. *Quid tres?* Quia enim D. Ioannes, *epistola prima cap.*5. dixerat. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo*; quæsiere. *Quid tres*? quærentes suppositum; & sic responderur. *Tres Personæ.* Si dicas, debuisse quærere. *Qui tres?* non *Quid tres?* Respondet S. Doctor, id factum, quia de supposito incerto quærebant. 104

PROBATVR septimò à D. Bonauent. *argum.*8. addita responsione, quo vtitur Suarez in calce. 105

Cogitemus,

Cogitemus, in diuinis nullam esse relationem; & quod in vna sola hypostasi sit natura diuina. Et sic, Personam Diuinam; sicut intelligunt hi, qui vnam diuinam personam ponunt, vel intelligunt in confuso, adhuc est intelligere Personam formaliter. Ergo relatio solum materialiter personam significat.

Includit sanè relationem; quia proprietas in diuinis est formaliter relatio, ideò de speciali intellectu continet relationem. Vnde, sicut hæc persona in diuinis, quæ est Pater, non potest abstrahi à paternitate, quæ est relatio personalis (salua sua personalitate;) sic neque persona à relationis intellectu in speciali; & sic non dicetur secundum substantiam solum.

106 Assero secundò, *Personam* in diuinis dicere materialiter etiam relationem; formaliter verò vltimatè, vt diuina est modo supradicto, dicit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Probatvr à Seraphico primò ex Boëtio 1. *de Trinitate, in fine*, vbi ait: *si personæ diuisæ sunt, necesse est vocabulum, quod ex personis trahit originem, ad substantiam non pertinere.* Si autem vocabula, originem è personis trahentia, non dicunt substantiam, multò minùs nomen ipsum personæ, provt significat personas formaliter diuinas. Confirmatur à S. Doct. è Richardo 3. *de Trinit. cap.* 23. Persona est per se existens, iuxta modum singularem naturæ rationalis. Sed singularis modus vltimus existentiæ in diuinis est relatio: ergo.

107 Probatvr secundò à D. Bonauent. argumento, quod sumpsere Caietanus, & asseclæ. Omne nomen, quod in diuinis recipit multiplicationem, & distinctionem, pertinet ad relationem; quia, secundùm omnes, substantia in diuinis remanet indiuisa, & Boëtius dicit *in lib. de duabus naturis*, quod substantia continet vnitatem, & relatio multiplicat Trinitatem. Sed persona in diuinis multiplicationem affert, & distinctionem, quia persona est hypostasis, proprietate distincta: ergo.

108 Qvod verò vtrunque dicat, patet ex doctrina D. Bonauent. supra allata, & argumentis vtrinque. Quod verò materialiter, tanquam subiectum relatio dicatur, patet; nam id, quod incommunicabiliter subsistit, est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, qui relationem significant directè; sed alio modo, quam persona. Hoc enim nomen non exprimit personam, seu hypostasim, nomine relatiuo; sed suo conceptu subsistentiæ: siue hæc sit relatio, siue absolutum. Nam, si diuinæ personæ constituerentur proprietatibus absolutis; licèt non significarentur nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti, benè tamen nomine personæ, & hypostasis; & per hoc patet responsio ad argumentum Scoti, quo arguit: si relatio formaliter exprimitur in persona diuina; sicut Pater est alterius Pater; ita persona erit alterius persona, & ita persona Patris erit Filij, qua ratione D. Augustinus 7. *de Trinitate*, *cap.* 6. probat, personam non significare in Deo relationem (intellige formaliter) vt exponit D. Bonauent. *in corpore*, & dictum est assetto primo; & hoc vult dicere S. Thom. hic, Personam diuinam significare relationem, non vt relationem; sed vt subsistentem, quæ est doctrina D. Bonauenturæ *in corpore*, vt vidimus quia non significat relationem sub expresso conceptu relationis; sed subsistentiæ; ipsam verò relationem significat materialiter implicitè, quatenus persona diuina, quæ est subsistens, est relatiua. Est enim Pater, Filius, & Spiritus sanctus; quo fit, vt non sit alterius persona, sicuti inferebat Scotus. Ita Vasquez *cap.* 1. post D. Bonau. *ad primum.*

Assero tertiò, essentia minus principaliter exprimitur in persona. 109

Probatvr, quia in definitione personæ ponitur in obliquo, vt dixi. Ex his refutatæ iacent apud S. Bonauent. duæ primæ opiniones. Prior quidem, quæ dicebat, personam in numero singulari dicere substantiam; relationem in plurali. Profectò enim plurale non mutat significationem personæ, sed solum plurificat. Deinde in singulari dicitur. Alia est Persona Patris: alia Filij, quod si esset terminus substantialis, iam esset sensus; alia est substantia Patris; alia Filij.

Posterior verò, quæ dicebat, Personam, quæ ante definitionem, & litem decisam, significabat substantiam; nunc verò relationem dicere; refellitur: quia aliqui ex causa vtitur eo nomine, non ad libitum; tametsi de significatione hypostasis esset antea lis, de qua vide *disput.* 5. *quæst.* 2. Deinde secundùm Ecclesiæ decisionem loquuntur Doctores; & nobis loquendum, vt dixi *loco citato.* 110

Colligere etiam potes ex hac quæstione & *ex quæst.* 4. *disput.* 5. an persona in genere dicat absolutum, an relatiuum, an aliquid commune. Profectò non indicat absolutum, vt putauit Torres 1. *p. quæst.* 29. *art.* 4. quia sub persona communi comprehenduntur etiam Diuinæ Personæ, quæ absolutæ non sunt, vt arguit Suarez *num.* 5.

Suarezio non probatur sententia dicentium, personam sic dicere aliquid absolutum, vel relatiuum sub disiunctione; non aliquid commune analogum; sed vult, dicere aliquid commune, abstrahens à relatiuo, vel absoluto: sicuti conceptus entis ab vtroque abstrahit. 111

Mihi quidem certum est dicere aliquid analogum, vt dixi *q.* 3. *huius disputationis.* Et ideò erit quid commune analogicè; at non abstractum à singularibus, sicuti neque ens à singularibus, præciso conceptu, abstrahitur; vt constat ex Metaphysica. Nam & à Deo non potest abstrahi, in quo quicquid est, est ipse Deus; neque à singularibus creaturis, quia semper remanet in eis ratio entis; tametsi non entis singularitate donati, vt si abstrahas rationalitatem; manet aliud.



DISPVTATIO VII.

De numero Personarum Diuinarum.

IAm discussa Personarum quidditate, earum numerus indagandus, & quia numerus ex vnitatibus consurgit; primò videndum: an detur vnitas, & numerus in diuinis; seu quæ numerentur in diuinis: & quæ vnum sint. Præcipua sanè quæstio esset hic an tres sint Personæ diuinæ; sed hoc iam discussi *disp.* 1. & *disp.* 2. vbi sanctissimam Trinitatem ex emanationibus deduxi. Et *disp.* 3. vbi eandem è relationibus argumentatus sum. 1

Qvæstio

QVÆSTIO I.

An in diuinis sola Persona; non autem Essentia, numerentur & substantia.

D.Bonav. d.23. art.2. per tres quæstiones.
D.Thom.1.d.2.

2 HIc igitur à principio supponam potiùs, quam probem. Primò in diuinis esse plures personas. Est de fide; atque eas esse tres. Prima Ioan.5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, &c.* Vide disputationem primam. Estque definitum in Concilio Nicæno, & aliis sequentibus. Et habetur in Symbolis Apostolorum, Nicæno, Constantinopolitano, & Athanasij: etiam apud Dionysium *cap.1. de din. nominibus*, & *cap.3. de myst. Theol.* Martialem *ep.1. cap.*10. Iustinum M. *expositione fidei*, & apud summos Pontifices plurimos.

SERAPHICVS *dist.2.quæst.2.* quærit an cum Dei vnitate stet pluralitas diuinarum personarum; & asserit, probatque rationibus à nobis allatis *disp.1. quæst.1.*

3 Mox *quæst. sequenti* probat, non esse infinitas Personas Diuinas: quia infinitas discreta tollit distinctionem, & inducit confusionem: tollit ordinem, & inordinationem inducit: tollit connexionem; ea enim, quæ infinitè distant, non connectuntur: tollit communicabilitatem beatificam nobis, qui infinitas personas, quæ sunt obiectum necessarium beatitudinis, non possemus intueri, &c. De hoc satis egi *tract.1. disp.11. quæst.22.* & hîc *d.1.q.2.& seq.*

Si autem obiicias, omnia diuina debere esse infinita. Respondet S. Doct. debere esse infinita ea infinitate, quæ est simpliciter perfectio, Deum decens: & hæc est infinitas intensiua perfectionis: infinitas verò numerabilis affert secum imperfectiones, vt dixi.

SI dicas, virtutem infinitam Patris debere producere infinita vsquequaque etiam numero, quia potentiæ est multiplicare. Respondet S. Doct. infinitam virtutem producere ea sola infinita, quæ dicunt perfectionem simpliciter; neque omnem multiplicationem esse virtutis perfectissimæ signum.

In *quæst.* 4. ostendit, tres esse tantum Personas Diuinas; non plures, cum D.Thom. *quæst.30. art.2.*

4 Id verò probat rationibus à nobis allatis *disput.1. quæst.1.* & *disput.2. & 3.* præcipuè verò id probat ex emanationibus, quæ sunt duæ, iuxta operationes immanentes Intellectus, & Voluntatis: debet autem dari vna improducta. Ergo sunt tres. Hæc ratio adhibetur à D. Thom. & aliis. Porrò solis emanationibus multiplicari personas, ostendimus è diuina simplicitate; neque posse esse plusquam duas, iuxta numerum principiorum operandi immanenter, vt productus sit Deus; neque posse esse plus quam vnam personam improductam, ostensum est latè *locis citatis.*

Obiicit verò sibi, numerum repugnare diuinæ simplicitati, & facere partem, & partem.

5 Respondet D. Bonauent. numerum, qui est per additionem, componere; non eum, qui est per originem. Vult dicere, id, quod facit partem, & partem, esse numerum concretum, per additionem, quasi quantitatis continuæ, idest secundum additionem virtutis, & perfectionis; at secundùm pluralitatem originum in diuinis additur sola discretio numeri personarum relatarum, quæ faciunt quidem plures; sed in vna essentia vnam simplicissimam deitatem constituentes. Et hoc sensu arbitror planè intelligere etiam D. Thomam id, quod huic respondet argumento, dicens; in Deo esse numerum abstractum, qui non componit, cum à rebus abstrahat numeratis; non autem concretum in rebus numeratis, vt sunt duo homines, &c. etenim alioqui responsio hæc non est solida. Nam vbicunque numerus abstractus, & concretus est eiusdem rationis; & ita circa hanc responsionem insudant Suarez *lib.1. cap.10. num.8.* cum Gabriele 1. *d.24. quæst.1. art.3. dub.1.* Caietanus Vasquez, & alij *in Commentario.*

Circa verò substantiam, & essentiam diuinam, hæretici, qui negarunt diuinitatem Filij, & Spiritus sancti, diuersas constituêre essentias inter Personas Trinitatis. Eos verò latè explosi *disp.1.* Quo verò sensu antiquitùs multiplicarent substantiam dixi *disput.5. quæst.2.* sed iam loquimur post litem decisam, dum Hypostasis significat solùm subsistentiam.

ASSERO primò, substantiam in diuinis, provt dicit *Vsiosim*, non multiplicari. Vide *disp.5.q.2.*

PROBATVR à D. Bonau. *d.23. art.2. quæst.1.* ex 6
D. Augustino 7. *de Trinitate, cap.4.* vbi mouet quæstionem. *Si tres personas dicimus; quia eis commune id, quod persona est, alioqui non posset ita dici; quemadmodum non dicuntur tres Filij, quia non commune est eis id, quod est Filius. Cur non dicimus etiam tres Deos? Certè enim: quia Pater est persona, & Filius persona, & Spiritus sanctus persona, ideò tres personæ. Quia ergo Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus; cur non tres dij? aut quoniam propter ineffabilem coniunctionem hæc tria sunt simul vnus Deus; cur non etiam vna persona?* Respondet S.Doct. art.2. quæst.2. disparem esse locutionem. Nam, dum dicitur, *Pater est persona. Filius est persona*; adest explicatio; est alia, & alia; non sic de substantia, vt dicitur Deuter. 6.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. si essent 7
plures substantiæ, idest, *Vsioses* deberent esse diuersæ, & inæquales; cum enim substantia diuina debeat esse summum ens, consequenter debet esse vnum. Ergo si plures substantiæ numerantur, oportebit, alteram esse diuersam, & inferiorem. Hinc Arrius, vt assereret filium diuersæ substantiæ à Patre, blasphemauit inferiorem.

ASSERO secundò; neque essentiam in diuinis numerari. Ita D.Bonau. *q.2.* est de fide.

PROBATVR eodem ferè medio. Diuina essen- 8
tia debet esse ens absolutissimum, infinitum simpliciter. Ergo omnem rationem essendi complectitur, & consequenter non est multiplicabile. Probatur consequens, sumo id multiplicatum; sequitur, quod non habeat totam rationem entis; & quod in altero est desit alteri. Idem habet D. Thom. *q.11. articulo tertio:* Hæc latiùs prosecuti sumus *tract.1. disput.10. quæst.2.* cum D. Bonauent. *d.2. quæst.1.& d.8. p.2. art.1. & 2.* quem sequuntur omnes. Vide etiam Suarez *disput. 29. sect.1. & seq.* & *disput. 35. sect.6. Metaph.* vbi rationes adhibet S. Bonauenturæ. Habetur autem hoc definitum *Deuter. 4. & 6. Matth.12.* vbi vnus Deus asseritur; & consequenter vna Deitas; non plures. Itidem *1.Reg.2. Psal.17. & 85. Sap.12. & alibi.*

ASSERO tertiò, consequenter neque plurificari Deos. Ita D. Bonau. *q.3.* Est de fide ex *Deuter.6. & symbolis.*

Probatur

Probatur à D. Bonauent. quia Deus significat naturam diuinam; sed est vnica: ergo. Vide *Tractatum primum, disput. citata.*

Obiicit primò *distinct.* 2. *quæst.* 1. Gentes adorasse plures Deos.

9 Respondet primò, istos fuisse solos plebeios: nam sapientes vnum Deum coluerunt. Sic obseruant Iustinus *lib. de Monarchia*; & *in oratione Parænetica.* Lactantius *lib.* 1. *diuinarum instit. cap.* 5. Arnobius *lib.* 3. *contra Gentes.* Eusebius *lib.* 2. *de præpar. Euang. cap.* 9. Tertullianus *in Apologetico à c.* 9. D. August. *lib.* 4. *de ciuit.* qui testantur, eruditos in philosophia vnum Deum agnouisse, vt Socrates, Plato, Aristoteles Cicero, Pythagoras, Sophocles, Eurypides, Orphæus, & alij. Quod si in eorum scriptis plures Deos legeris; vnius Dei virtutes voluisse explicare, testatur D. August. *loc. cit.* Ideò vnum omnipotentem Iouem vocabant; cæteros verò ministros, vt latè prosequitur Paulus Serlogus *in Cantica, tom.* 1. & 2.

10 Respondet secundò S. Bonau. intellexisse illos diuinitatem pro dignitate. Forsan enim per Deum aliquid solum insigne credebant: sic idola colluerunt eorum hominum, quos in honore habebant: vt habet Eusebius *lib.* 8. *Præpar.* & *lib.* 3. *cap.* 3. Athan. *lib. contra Idola.* Lactan. *lib.* 1. *diuinarum Instit. cap.* 15. & *lib.* 2. *cap.* 2. Cyprianus *lib. de Idolorum vanitate*, circa initium D. August. *concione* 2. *in psal.* 113. ad ea verba. *Simulacra gentium.* Nicephor. *lib.* 11. *Hist. cap.* 25. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 15. Vide etiam Suarez 3. *p. tom.* 1. *disput.* 54. *sect.* 7. Sic Hebræi *Exodi* 32. adorarunt vitulum aureum; non quia in illo deitatem crederent; sed in prototypo Api Dei Ægypti; in quo decipitur Forestus *fol.* 211. alioqui non fuisset idololatria. Nec te moueat id, quod dixit Aaron, *solemnitas Domini est*, hoc enim dixit timore percussus; ne iniurias tumultuantium subiret, sicut subiit Hor lapidatus.

11 Obiicit secundò. Genes. 1. habetur. *In principio creauit Deus*, vbi Hebræus habet, בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים *Bereschit bara Elohim.* In principio creauit Dij.

Respondet Caietanus, nomen hoc carere singulari: at hoc falsum est: nam *Iob.* 12. dicitur. *Inuocabit Deum. Iob.* 36. *Pro Deo loquar.* Abacuc. 1. *fortitudo Dei*, & cap. 3. *Deus ab Austro veniet*; vbi *pro Deo* habetur *Eloha*; quod etiam aduertit S. Bonau. 1. *d.* 2. *dub.* 8. & *D. Hieron. ad Marcellam.* Non miror, Caietanum errare, nam Rabbino suo omnia credebat, quem Deus scit, quot ei fabellas implantarit, vt dicere mihi solebat P. Forestus Magister meus; at certè locis allegatis habetur singulare אלוה.

Dices, possemus & nos plures Deos asserere.

12 Respondet D. Bonauent. 1. *d.* 4. *quæst.* 3. *ad* 1. hoc ferre idioma Hebræum; non verò Latinum, maximè cum singulare verbum *Bara* vnitatem essentiæ asserat. Multi obseruant, etiam aliis in locis hanc pluralitatem haberi. Exodi 20. *Non habebis Deos alienos.* Hebræus habet. *Non erit tibi Dij.* Iosuë vltimo. *Non poteritis seruire Deo; Dominus enim sanctus est.* Vbi non habetur, *Dij sancti sunt*; vt quidam legunt, vt omninò mysterium Trinitatis euertant ex Hebraica phrasi; se habetur אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא *Dij sancti* IPSE. En singulare ipse, cum pluralitate componit personatum. Ideò statim subditur. אֵל DEVS. Miror, Forestum conatum euertere hoc Mysterium ex his verbis, cum Oleastro, Perrerio, & Vasquez, addere *fol.* 205. suam expositionem; quod sit merus Hebræorum idiotismus, vel mera phrasis idiomatis; esseque consonam Seraphico; cum is oppositum asserat, vt vidimus supra & *disp.* 1. *q.* 4.

QVÆSTIO II.

Vtrum vnitas, maximè in Diuinis dicat positionem.

D. Bonau. 1. d. 24. q. 1.
D. Th. q. 11. art. 1. & 2.
& q. 30. art. 3.

VT videamus, quomodo vnitas, & Numerus in diuinis sint; discutienda est hæc quæstio, sanè Metaphysica.

NOTA, quod vnitas alia est Transcendentalis: 13
alia prædicamentalis de genere quantitatis discretæ. Et quidem vnitas prædicamentalis ab omnibus Deo negatur; sicut ab eodem remouetur *Quantitas*: Quo etiam fit, vt Deus cum Creaturis non faciat numerum; alioquî esset pars: at verò vnitas transcendentalis, quæ est passio entis, conuenit Deo; qui de fide vnus est. Hæc enim vnitas conuenit Deo, vt ens est; Deus autem est maximè ens, ideò vnus: at vnitas prædicamentalis conuenit enti, vt *quanto terminato.* Et differt, vt accidens à suo subiecto realiter, & in solis (multi aiunt) materialibus corporeis reperitur; additque mensuram quantitati, quæ omninò nec vnitati transcendentali conueniunt, nec conuenire Deo possunt. Vnitas verò transcendentalis formaliter solum differt ab ente, vt ostendi *tract.* 1. *disp.* 3. *quæst.* 8. atque cum eo conuertitur in concreto, conuenitque enti, quantumuis immateriali, spiritualissimo, nec addit mensuram. Quo fit, vt Deo non repugnet.

PRIMA igitur sententia est; vnitatem dicere ne- 14
gationem diuisionis. Ita D. Thom. videtur 1. *p. locis adductis*; vbi discipuli Caietanus, Blasius, Nazarius, & alij omnes, excepto Bañes, qui oppositam asserit; & Zumello, qui eam putat probabiliorem. Idem sentit Capreolus 1. *d.* 24. *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 3. Duradus ibidem *quæst.* 1. *num.* 9. & *quæst.* 2. *à num.* 11. Gabr. *quæst.* 1. *art.* 3. *d.* 3. Gregorius *q.* 1. *art.* 1. initio & *concl.* 3. Henricus *quodl.* 1. *quæst.* 1. *litt. A.* Soncinas *quæst.* 20. & 21. *Metaph.* Suarez *disp.* 4. *Metaph. sect.* 1. & 2. Valentia *tom.* 1. *disput. quæst.* 11. *p.* 1. vbi ait, esse Philosophi sententiam 5. *Metaph. cap.* 6. vbi ait. Omnia, quæ diuisionem non habent, ea ratione dici vna quod idem repetit *lib.* 10. *cap.* 1. & 5. & ideo esse sententiam omnium Aristotelis interpretum 4. *Metaph. cap.* 2. & præter allegatos adducit Iandunum, & Ocham. Idem tenet Magister 1. *d.* 24. vt notat D. Bonauent. *in corpore*, quoad vnitatem in Deo, quicquid de creatis teneat.

SECVNDA sententia opposita est, vnitatem di- 15
cere in enti quid positiuum. Ita D. Bonau. 1. *d.* 24. *artic.* 1. & 2. *quæst.* 1. Alensis 1. *p. quæst.* 13. *memb.* 2. Scotus 4. *Metaph. quæst.* 4. & asseclæ, præcipuè Mastrius *disp.* 3. Auicenna 3. *Metaph. cap.* 3. Vasquez 1. *part. disputation.* 128. *cap.* 2. Forestus *folio* 259. P. Galitius *tractat.* 3. *quæstion.* 1. *libri* 1. *Metaph.* Baudunius *q.* 9. *art.* 2. Hæc fuit sententia D. Thom. 10. *Metaph. sect.* 4. vbi ait. Vnum, & multa opponi contrariè, non priuatiuè tantum. Quod idem asserit Aristoteles 10. *Metaph. cap.* 5. vt obseruat Vasquez *num.* 4. Longus *quæst.* 30. *art.* 3. Neque palinodiam cantauit S. Thom. in summa *quæst.* 30. *art.* 3.

art.3. *ad* 3. Ibi comparat vnitatem oppositam pluralitati, oppositioni nigredinis ad albedinem, & quæst.11. att.3. ad 2. ait. Vnum, quod cum ente conuertitur in Deo, non est aliqua priuatio, licèt à nobis per modum priuationis concipiatur, & apprehendatur, & sic non prohibet prædicari de Deo, quod sit vnus; non enim dicit imperfectionem priuationis. Hinc percipe S. Thomam, idem velle in corpore, dum vnitatem in indiuisione ponit, scilicet, quoad nostram cognitionem, & hoc idem ait S. Doct. *in corpore*, *& ad primum*, vt explicat Coriolanus *quæst*.30. *art*.3.

16 Assero primò, vnitatem, quæ cum ente conuertitur, esse quid positiuum.

Probatvr primò à D.Bonauent.*fundamento* 1. Ens, & vnum non sunt naturæ diuersæ, sed vna, & eadem, ex Aristotele 4.*Metaph.* & asserit, imò vrget Valentia. Sed ens est quid positiuum. Ergo & vnitas. Alio modo conficitur hoc idem argumentum cum D.Bonau.ad hominem contra D.Thomam (si tenuit) & asseclas, ipsumque Valentiam. Vnaquæque res eo est vna, quo est ens, ex ipsis aduersariis; at est ens per aliquid positiuum: ergo & vna. Confirmatur, & vrgetur à Seraphico. Ab eodem habet res esse, & esse indiuisum in se, & diuisum à quouis alio, ex ipsis aduersariis; at ens quidem habet esse per aliquid positiuum; ergo & esse vnum, quo positiuo nitatur negatio diuisionis.

Vim huius argumenti sensit D. Thom. locis adductis ideò fatetur, vnitatem non dicere simpliciter negationem; sed aliquid positiuum.

17 Secvndvm fundamentum D.Bonau.est. Quod sonat entis complementum, dicit positionem. Vnitas dicit entis complementum: ergo. Maior est euidens. Minor probatur è sanctis Patribus.

S.Clemens Alexand.lib.1.stromatum, stromate primo. *Quoniam verò, qui Deo adhæret, vnus spiritus efficitur cum illo; Mysticè apud nos dictum est illud Pythagoricum. Oportet, hominem fieri vnum.*

Origines *homil. in primum Regum* ad ea verba. *Fuit vir vnus*; latè id prosequitur; aitque. *Cum dicitur Deus tuus est vnus, perfectionem Dei ex vnitate colligit.* Et ideò Scotus 4. *Metaph: quæst*.2. *art*.1. vsus argumento D. Bonau. vrget. Vnitas in Deo dicit perfectionem: ergo positionem, priuatio enim non dicit perfectionem, nisi ratione alicuius positiui, cui adhæret. Cui argumento respondet D. Thom. ceditque, vt dixi.

D. Basilius *ep*.141. ait. *Vnitas autem simplicis, & incomprehensibilis essentiæ est significatiua.*

18 Sit D. Dionysij Epiphonema instar omnium. Is, cap.1.de diuinis nominibus. *In omnibus fermè sanctis Libris aduertimus, diuinitatem sanctè prædicari, vt singularem quidem, atque vnicam ob simplicitatem, atque vnitatem excellentis illius indiuidui, ex quo, veluti vnifica virtute, vnum euadimus, diuiduisque nostris alteritatibus, supra mundanum modum conglobatis, in diuinam Monadem, atque vnionem Deum imitantem colligimus.*

19 Tertivm fundamentum S. Bonau. est. Omne positiuum præcedit suum priuatiuum; sed vnitas est prior diuisione, & multitudine: ergo. Hæc est ratio à Scoto adducta 4.*Metaph. tract*.4. *& in* 2 *d*.3. *quæst*.2. Nulla priuatio mera est fundamentum priuationis in se; sed priuatio fundatur aliquo positiuo, quo caret, & quod connotat. Sed ens est vnum indiuisum, cui repugnat diuisio: ergo aliquo positiuo fundamento, quod supponitur in ente.

Respondent aliqui, vnitatem consistere in negatione multitudinis, non formaliter sumptæ; sed in fundamento, quod est hæc, vel illa entitas.

Contra. Nam sic vnitas priuaret hanc, vel illam entitatem, & ita vnitas, quæ est in Petro, & Paulo priuaret entitatem Petri, & Pauli, quæ est multitudo pro fundamento, vt arguit Vasquez. 20

D.Thomas *quæst*.11. *art*.2.*ad* 4. respondet, diuisionem esse priorem vnitate, non simpliciter; sed secundùm rationem nostræ apprehensionis apprehendimus enim simplicia per composita; vnde definimus punctum *cuius pars non est*, vel *principium lineæ*. Sed multitudo etiam secundùm rationem consequenter se habet ad vnum, quia diuisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc, quod vtriusque diuisorum attribuimus vnitatem; vnde vnum ponitur in definitione multitudinis, non autem multitudo in definitione vnius. Sed diuisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis. Ita, quòd primò cadit in intellectu ens. Secundò, quod hoc est; non est illud ens; & sic secundò apprehendimus diuisionem. Tertiò vnum. Quartò multitudinem.

Ex his habeo aliquid pro me; nempè, vnitatem à parte rei esse priorem diuisione & multitudine; & solo modo concipiendi esse posteriorem; quatenus vnitatem, quæ est prior, apprehendimus à posteriori ex diuisione destruente; sicuti simplicia, quæ sunt per se priora, quippè ex eis fit compositum, tamen per compositum à posteriori cognoscuntur. Hinc arguo cum D.Bonauent. Ratio quidditatis sumitur ab eo, quod est à parte rei; non à nostro modo nudo concipiendi, illàque est quidditas rei, atque entitas prior nostro conceptu, qui, vt verus sit, debet conformari rei. Si igitur vnitas à parte rei est prior. Ergo est quid positiuum. 21

Hinc arguit S. Doct. quarto fundamento, & quinto. Si vnitas diceret priuationem, vtrique multitudinis; iam ideò prior esset multitudo, quàm vnitas; quia habitus est prior priuatione. Consequens autem est absurdum, quia vnitas est principium multitudinis. Tunc sic: nulla priuatio constituit suum habitum, nec saluatur in illo, ex Aristotele 1. *Phys. tract*.42. & Auer. *in post prædicam*: sed vnum saluatur in multis, & illa constituit. Ergo non est priuatio. Minor est certissima; multitudo enim ex vnitatibus consurgit, & in vnitates resoluitur; quod est signum constitutionis. Hoc argumentum desumpsit Vasquez *cap*.2. *ad calcem.* 22

Respondet D.Thom. vnum non esse remotiuum multitudinis; sed diuisionis, quæ est prior, ratione nostra, quam multitudo, & vnum; multitudo autem non remouet vnitatem, sed diuisionem.

Contra primò, quia negatio multitudinis, & diuisionis idem sunt; vt dicam *quæst*.4. & notat D. Bonauent. fundamento citato, & cum eo Vasquez *num*.10. Nam, si vnitas consisteret in negatione diuisionis formaliter, non multitudinis; errasset Aristoteles 10. *Metaph. cap*.3. dicens, vnum, & multa opponi; sicut diuisum: & indiuisum; vbi opponit vnitatem multitudini; at vnum vni opponitur, vt docet Aristoteles: 1. *cæli* 11. & 10. *Metaph*.14. *&* 17. Auerroes 8. *Phys*. 62. cum D.Bonau. 2.*d*.35. *art*.2.*quæst*.1. Oportet igitur, vel etiam diuisum non opponi vnitati; vel esse idem cum multitudine. Profectò hoc secundum asserit Aristoteles eodem capite, definiens multitudinem his verbis. *Quod enim diuisum est, multitudo quædam dicitur.* Ergo idem formaliter est multitudo, & diuisio. Ita Vasquez *d*.129. *cap*.2. post D.Bonau. *hic*, quem lapsu calami allegat pro opinione D. Thom. quod vnitas dicat quid negatiuum; cum disputatione præcedenti, 23

rt, *num.* 3. prò sententia opposita iure, ac meritò illum allegauerit. Porrò vnum opponi multitudini, probatur à D. Bonauent. *argumento secundò, ex Auerroë tract. 3. Metaph.*

24 PROBATVR adhuc assertio à D. Bonauent. *ad primum*, ex Aristotele 10. *Metaph. cap.* 5. expressè, vbi fatetur quidem, vnum, & multa opponi priuatiuè; quatenus in omni contrarietate est etiam priuatio; nam albedo, quæ nigredini opponitur, est etiam priuatio nigredinis; tamen testatur, opponi contrariè. Sic enim habet Aristoteles cap. 5. *Opponuntur autem vnum, & multa multis modis: quorum vni vnum; & multitudo, vt indiuisibile, & diuisibile; quod enim aut diuisum, aut diuisibile est, multitudo quædam dicitur; quod verò indiuisibile, aut non diuisum, vnum. Cum autem oppositionis quatuor sint modi, quorum alius secundum priuationem dicatur; contraria erunt profectò; & neque vt contradictio, neque vt ea, quæ ad aliquid dicuntur.* Sic exponitur etiam à D. Thoma ibi. Neque satisfacit Nazarius *quæst.* 11. *art.* 1. *controu. vn.* dicens; Aristotelem, & D. Thom. non asserere veram contrarietatem; sed modum contrarietatis; quatenus vnum non dicit solam priuationem. Contra primò. Nam ibi Aristoteles dicit, quod cum multi sint modi oppositionis; idest multa genera, scilicet quatuor; & subdit. Contraria erunt profectò vnum, & multa. Vbi non modum imperfectum contrarietatis, sed genus ipsum contrarietatis, quæ sanè est vnus è quatuor modis, quibus aliqua opponuntur, assignat. Hinc frustra Vasquez 7. ait, non satis esse opponi duobus modis; cum pluribus opponi dicantur; duo enim sunt plura. Respondet verò Auerroës, ideo Aristotelem dixisse, opponi contrariè, quia ad hanc reducitur etiam priuatiua, qua propriè vnum & multa opponuntur.

25 CONTRA arguit Vasquez *n.* 5. nam Aristoteles asserit, esse contraria; & è quatuor generibus oppositionum hanc assignant vnitati, & multitudini. Quod verò vna ad alteram reducatur, parum referr ad hoc; non enim ob id eam oppositionem, quæ non debetur vnitati, assignaret.

D. Bonauentura conatur ad bonam frugem Auerrois sententiam reuocare. Considerat autem S. Doct. vnitatem posse sumi, primò in se. Secundò, quoad ordinem nostræ cognitionis; & hoc quidem secundo modo concedit, priùs cognosci multitudinem, atque à posteriori è multitudine intelligi vnitatem. In se autem sumpta vnitas, vide Trigosium, in ordine ad materiam considerata, se habet per modum priuationis: quia potentia materialis, in qua est vnum, se habet per modum priuationis; quia est vna, vnitate imperfecta in potentia, vt res completa per diuisionem partium materiæ, quæ partes sunt in potentia materiæ priuatæ. Et hoc modo velle Auerroëm, opponi priuatiuè. Si verò vnum sumatur in ordine ad formam, quæ dat esse distinctum, & limitatum; sic dicit positionem, & opponitur contrariè multitudini, secundùm quod multitudo formaliter accipitur. Addit S. Doct. vnitatem consideratam per respectum ad actum consequentem, qui est mensurare, quatenùs vnitas est mensura numerorum omnium, quippè eorum principium; sic (ait) dicit relationem non mutuam; sicut pater in

26 scientia, & scibili. Neque per hoc reclamat Aristoteli, qui dixit, non opponi vnitatem multitudini relatiuè; nam Aristot. considerat eam, quoad intrinsecum constitutiuum, non quoad consequens numerandi. Vel negat, referri mutuò, quia vnitas non refertur realiter ad multitudinem; sicuti è contra, multitudo ad vnitatem refertur, ad quam reducitur; sicuti & scibile refertur realiter ad scientiam; scientia verò, solùm ratione, refertur ad scibile; eadem habet S. Thom. *q.* 11. *art.* 2. Vbi Nazarius.

ASSERO secundò, vnitatem in diuinis dicere positionem.

PROBATVR primò à D. Bonau. *in corpore*, id, quod dicit infinitam perfectionem, est ens positiuum: sed vnitas in Deo ponit infinitam perfectionem, vt supra testantur Patres, quibus addo D. August. 1. super Genes. *cap.* 10. ergo. Profectò, cùm in creaturis dicat perfectionem, multò magis in Deo; vt infra. 27

PROBATVR secundò à D. Bonau. ibi. Id positiuum est, ad quod reliqua entia positiua reducuntur tanquam ad primum, & perfectissimum. Sed vnitas Dei est ad quam omnes vnitates creatæ, quæ ex dictis sunt positiuæ, reducuntur: ergo. Maior 28 probatur: nam omne ens per participationem reducitur ad ens, per se, & per essentiam. Minor probatur ex D. Bernardo lib. 5. de consideratione. *Inter omnia, quæ dicuntur vnum, arcem tenet vnitas Trinitatis*, & ex D. Dionysio, qui dicit, Deum esse plus quam vnum, & summè vnum *cap.* 2. *de diuin. nominibus.*

Respondet Nazarius, multa dici de Deo, quæ non dicunt perfectionem, vt relationes; nomina negatiua, & priuatiua.

CONTRA quia relationes dicunt perfectionem; 29 vt ostendi *disp.* 3. *quæst.* 10. Nomina verò priuatiua impropriè dicuntur de Deo; quia nil negatur in Deo, quod sit aptum natum esse in eo, seu quod illi debitum sit. Omnia enim sunt necessaria in summo actu. Nomina verò negatiua negant imperfectiones. Ideò perfectiones astruunt.

PROBATVR tertiò ex hac responsione à D. Bonauen. ad vltima argumenta. Quantò strictiùs negatur imperfectio de aliquo, tanto maiori perfectione fundatur: at de Deo omnis imperfectio diuisionis, siue actu, siue potentia: omnisque multitudo, siue per compositionem, siue per aggregationem, necessario simpliciter negatur per diuinam vnitatem. Ergo ea est maxima perfectio. 30

PROBATVR quartò à D. Bonau. *in corpore* argumento, quo vtuntur Zumellus, Vasquez, & alij. Vnitas numeralis quantitatis, ex D. Thoma, est positiua; quia est ipsa quantitas continua, vel esse quantitatis indiuisum. Sed vnitas transcendentalis vel est ipsa substantia, & entitas cuiusl bet rei; vel esse substantiæ, & entitatis. Ergo vnitas transcendentalis est formaliter positiua.

Respondet Nazarius cum aliis, causam propriam, ob quam vnitas numeralis est formaliter positiua, non esse, quia dicat quantitatem, vel esse quantitatis; sed quia addit alterum dictorum supra rem, quæ dicitur vna, tanquam rem, seu entitatem ab ea realiter distinctam; quod non contingit in vno transcendentali. Dicunt igitur, vnitatem numeri, qui est in prædicamento quantitatis, addere quantitatem corporis continuam; supra illam tamen nil positiuum addere; sed solam negationem diuisionis, & ita, quod ad hoc spectat, esse eandem rationem vtriusque vnitatis.

CONTRA arguit Vasquez, sequitur enim, numerum de prædicamento quantitatis non nisi priuationibus formaliter constare, quod est magnum inconueniens. Quod verò vnitas numeri, qui collocatur in prædicamento, sit in quantitate continua, parum refert; quantitas enim continua non est ratio formalis vnitatis; sed materiale subiectum; 31

alioqui vna species quantitatis, secundùm rationem formalem, scilicet secundùm continuitatem, componeret aliam; nempe numerum: vnitas verò consideratur à Mathematico abstracta à quauis materia, & quantitate corporis, vt obseruat S.Doct. d.24.a.t.2. q.1.fundam.4. Ergo quamuis vnitas negatione commodius à nobis explicetur; eius tamen formalis ratio est quid positiuum, quod explicari potest per principium multitudinis, vt docet D.Bonauentura *ad tertium*.

32 RESPONDET Nazarius, neg. sequelam. Nam vnum numerale dicit esse quantitatis, prout est indiuisum; neque sequi, quantitatem esse rationem formalem vnitatis; sed sequi, quantitatem continuam, vt indiuisam, esse rationem formalem vnitatis. Neque Mathematici est considerare quantitatem abstractam à quauis materia.

Contra, quia in prædicamento consideratur, & ponitur quantitas discreta, quæ vnitatibus componitur, & hæc est genus quantitatis realis, quod verò sit quælibet vnitas in quantitate continua, nil facit, vt quantitas discreta sit positiua species quantitatis, si ipsa solis negationibus constat. Hanc porrò Mathematicus, Arithmeticus considerat abstractam à continua, quia solam discretionem considerat realem quidem, vt à Geometra discriminetur in obiecto, vt elicitur è D.Bonau.*loc.cit.*

33 Obiicies primò. Aristot. 5. *Metaph.c.6.* ait. *Ea, quæ diuisionem non habent, ea ratione dici vna*, quod repetit *lib.*10 *c.*1. & 5. vbi etiam definit. *Vnum esse, quod non diuiditur.*

Respondet S.Doct. vnum non definiri, sed explicari per negationem, tanquam per notius; vt testatur Aristot.10.*Metaph.t.9.* vbi ait. *Dicitur autem ex contrario, & ostenditur, ipsum vnum ex diuisibili indiuisibile, propter magis sensibilem multitudinem esse, & diuisibile, quam indiuisibile. Quare prior ratione multitudo indiuisibili propter sensum.* Ob id, in textu prius obiecto, ea ratione (dici) non esse, quod non aduertit Valentia. Idem habet Auicennas 3.*Metaph. c.*3. Ratio porrò, quare diuisio notior sit, illa eadem est, quam assignat Aristot. 1. *Phys. t.* 3. quod confusa, & composita, quatenus cadunt sub sensum, prius sunt nobis nota, quam simplicia, quæ tamen notiora simpliciter, & secundùm naturam existimantur. Cum ergo diuisio compositionem è partium multitudine præferat, quæ magis est sensibus obnoxia; sequitur esse notiorem nobis; at verò,

34 quia vnum transcendens est primum simplex. Et prima non notificantur, nisi per posteriora; hinc est, vnum per priuationem multitudinis, seu diuisionis explicari. Et sic etiam priuatio ratione multitudinis innotescit. Vnitas verò in substantia, quantitate, & qualitate, quia habet aliquid prius, per quod possit intelligi, vt identitas, æqualitas, similitudo dicitur positiuè, & eorum opposita, priuationes. Ita D.Bonau. *in corpore, & ad primum.* Scio, priuationem ex se esse minoris entitatis, & consequenter cognoscibilitatis secundùm se; at nobis magis innotescit; non præcisè, vt est priuatio; sed vt est priuatio multitudinis notæ nobis; sicut Lactuca, vt ait Aristoteles supra.

Obiicies secundò. Quâcunque ratione positiuâ remotâ ab ente, etiam per intellectum, ens adhuc remanet vnum. Ergo nullo positiuo constituitur in ratione vnius, nihil autem superest aliud, quam negatio: ergo.

35 Respondet Vasquez, cogitari posse ens, quatenus dicitur esse absque ratione vnitatis: aliis verò nominibus non potest, quia talia nomina explicant ens, vel in singulari, vel in plurali; non autem, quià vnitas in negatione posita sit. Imò idem argumentum contra aduersarios fieri potest. Ens potest præcisa qualibet negatione, intelligi vt vnum, & singulare. Ergo vnitas in negatione non consistit. Ita Coriolanus.

Obiicies tertiò. Vnum contrariorum non est alterius principium, imò destruit; at per vos vnitas est principium multitudinis. Ergo non opponitur ei contrariè.

Respondet S.Thom.*art.*2. cum S.Bonau.neg.Maiorem; nam vnum contrarium potest esse primo generali principio veluti radix contrarij. Sic, v.g. quantitas palmaris potest esse principium oppositionis inæqualitatis in vno, quod sit palmare, & addat nouum palmum, quo fit, vt fiat inæquale palmari. Sic color albus est radix coloris nigri, dum lux terminari incipit. Ex quo per nouam additionem opacatur. Materialiter igitur vnum contrarium potest esse principium contrarietatis, sic prima vnitas, mox secunda vnitas, addita primæ, est principium multitudinis oppositæ ipsi vnitati. Quo sensu multitudo se ipsam producit, dum ternario additur quaternatius. Et ipsa vnitas est potentiâ omnis numerus, vt ait S.Doct.2.*d.*1.*art.*2.*q.*2.*ad* 4. Cæterùm formaliter sumpta vnitas dicit perfectionem, excludentem omnem diuisionem, & multitudinem, & non est illius principium. 36

Obiicies quartò. Vnum, quod dicitur positiuè, est principium numeri, & quantitatis; at Deus non est talis.

Respondet S. Doct. Deum non esse principium quantitatis, quia summa, infinitaque perfectione excludit omnem diuisibilitatem, ac multitudinem etiam in potentia.

Obiicies quintò. Si Deus est positiuè vnus. Ergo si addatur ei Lapis faciet duo, & si metallum erunt tria entia; & sic Deus erit pars multitudinis.

Respondet S. Bonau. vnum additum alteri eiusdem ordinis facere duo. At Deus nullo modo potest facere numerum cum creatura, quia est transcendens. Vnde impropria est enunciatio, *Deus, & Lapis sunt duo.* Vel hæc numeratio est solum per intellectum; quamuis autem & inter analogica fiat numerus, v.g. ex vrina sana, animali sano, & medicina sana fiat ternarius sanorum; tamen est impropriè dictum; cum non conueniant in ratione sani, quantò magis Deus, qui infinitè excedit creaturas est innumerabilis cum eis, & ab earum næuis remotus? 37

QVÆSTIO III.

An vnitas in Diuinis dicatur secundùm substantiam, vel secundum relationem.

D.Bonau.d.24. quæst.1.

SVPPONO, quid sit illud positiuum, quod dicit vnitas creata. Alensis docet, esse conformationem effectus ad primam causam in genere efficientis: nam conformationem ad primam causam in genere causæ exemplaris dicit, esse veritatem, quæ sunt duæ aliæ passiones entis. Hæc Alexander 1.*p. q.*13.*memb.*2. & cum eo D.Bonau. discipulus 1. *d.*3. *p.*1.*dub.*6.& *q.*2.*ad* 4.& plurimis aliis locis, vbi agit de Vestigio Dei in creaturis, quæ si legisset Vasquez, non diceret *disp.*118. *n.*3. D. Bonauent. non explicasse; 38

explicasse; quid sit illud positiuum, quod significat Vnitas.

39 Assero primò, in Diuinis ponendam vnitatem secundùm substantiam.

Probatvr à Seraphico, primò. Ens, & vnum conuertuntur, ex Aristotele 4. *met. text.* 3. & *lib.* 10. *text.* 8. & Boëtio *de Hebdom. seu de vnitate.* Sed ens dicitur in Deo secundùm substantiam; & in eo non est accidens: ergo & vnum.

Probatvr secundò. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus substantialiter: ergo.

Probatvr tertiò in corpore; quia essentia Diuina est indiuisa in se, & diuisa à quocunque alio: ergo est vna.

40 Assero secundò. Vnum dici in diuinis, etiam secundùm relationem.

Probatvr à seraphico nam in singulis personis est indiuisio in se, & distinctio à quouis alio sic dicitur, Pater est vna persona, &c.

Nota verò primò, vnitatem essentiæ, & personæ non differre à parte rei; sicuti enim se habet essentia ad personam; sic vnitas essentiæ ad vnitatem personæ. Sed essentia, & persona differunt sola ratione ratiocinata, vt ostendi, *disp.* 3. *q.* 4. Ergo.

41 Nota secundò, hoc nomen *vnum* in concreto dici in diuinis substantialiter, vel relatiuè, pro vt apponitur terminus debitus substantialis, vt Deus: aut relatiuus, vt personna.

Cvm autem genus neutrum importet naturam, ideò, cum dicitur *Vnum* significat vnitatem æssentiæ, quo pacto Christus ait: *Ego, & Pater vnum sumus*; non autem dixit, *Vnus*; quia significaret vnam personam. Itaque ad personam explicandam adhibetur in genere masculino.

Hinc colligit, posse obrepere fallaciam, dum, *vnus*, applicetur contra vsum ipsi naturæ; & in neutro Personæ.

QVÆSTIO IV.

An numerus in Diuinis dicat positionem.

D.Bonau. d. 24. num. 2. q. 1.
D.Th. q. 3. art. 2.

Nvmerorvm varietatem mirate in S.Bonau. *Itinerarij, cap.* 2. & *in* 1. *d.* 3. *art.* 3. Vide & Forestum, *fol.* 635. Albertus Magnus *in compend. sua Philosophia* tres numeros recenset. Primus est numeratus, & est res ipsa, quæ numero comprehen-
42 ditur. Sic 4. *Phis.* definitur. *Tempus est numerus motus secundum prius, & posterius.* Vbi numerus pro re numerata accipitur, & est transcendentalis, reperiturque in quolibet ente. Secundus est numerus numerans, qualis est Arithmeticus; estque prædicamentalis accidentalis. Addit alium tertium, numerantem discursu. Talis est anima, quæ ideò à Platone dicitur Numerus, se ipsum mouens. Itaque primi numeri essentia est entitas, & quidditas rerum, quas numerorum more differre, ait Aristoteles. Secundi verò est quantitas discreta de
43 prædicamento quantitatis. Ita etiam S.Bonau. *d.* 24. *art.* 1. *&* 2. *passim.* Quòd si diuersi sunt isti numeri; non mirum; si diuersis explicentur definitionibus: nam prædicamentalis à Boëtio sic definitur. *Est multitudo ex vnitatibus aggregata* & ab Aristotele: 10. *Metaph. Est multitudo mensurata per vnum.* Numerus autem entitatiuus definitur à Damasceno. *Est eorum, quæ definitione, idest, essentia differunt.*

Quæstio nostra est de numero transcendentali an sit quid positiuum in Diuinis.

Prima opinio est Magistri, 1. *dist.* 24. qui vult, numerum in Diuinis nil dicere præter negationem vnitatis; & ideò nomen multitudinis solùm metaphoricè conuenire.

Opposita sententia est communis Theologorum; Alensis 1. *p. quæst.* 45. *n.* 2. *&* 3. D.Bonau. *loc. cit.* Scoti *d.* 24. *q.* 1. *in fine*, Gregor. *q.* 2. *art.* 4. Gabr. *q.* 1. *art.* 1. & *art.* 3. *dub.* 2. Durandi *quæst.* 1. Capreoli *quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 2. *&* 3. Marsil. 1. *quæst.* 27. *artil.* 2. *& art.* 3. *ad* 2. *dub.* Tanneri *d.* 4. *quæst.* 1. *dub.* 3. Forest. *fol.* 637. Vasq. *disput.* 129. *c.* 2. Caiet. Canar. & aliorum cum D.Thom. hoc art. qui omnes contra magistrum conspirant; nomen numeri dicere in Deo non solam negationem vnitatis, & diuisionis; sed etiam positionem.

Enim verò D.Thom. videtur admodùm ad magistrum inclinare: sequuntur Capreolus, Caietanus, Canar. *loc. cit.* & Nalar. *quæst.* 30. *art.* 3. *controu. vnic.* qui dicunt, nomina numeralia in diuinis, præter vnitates, nil formaliter supra ipsas significare, sed solam negationem; non vt dixit Magister negationem vnitatis, sed diuisionis circa vnamquamque rem; quod de omnibus rebus spiritualibus docet S. Thom. nè multitudinem huiusmodi cogatur ponere in prædicamento quantitatis. Idem sentiunt communiter Thomistæ cæteri. Eum concordare nititur cum S.Bonau. Baudunius *q.* 30. *art.* 2. sed frustra. 44

Sententia verò B. Bonau. est, nomina numeralia in Diuinis dicere positionem. Eum sequuntur cæteri ferè omnes enumerati, Durandus, Marsilius, Tannerus, Vasquez supra, Coriolanus, *q.* 30. *art.* 3. Scotus, &c.

Assero cum hac sententia.

Probatvr ratione à D. Bonau. *in corpore*, qua vtuntur huius sententiæ asseclæ; Vasquez, Tannerus, & alij, tanquam validissimâ. Vnum, & multa, ex dictis *q.* 2. opponuntur, vt ait Aristoteles ibi adductus, & quidem contrariè: ergo vtrumque extremum est positiuum; quòd si multitudo nullam formam denotaret præcisè, non esset contrariè oppositum vnitatibus, quas includit. Si verò dicant opponi priuatiuè: Tunc sic; sequitur quòd vtrumque extremum sit priuatio, & ita sit priuatio priuationis. Probatur sequela à D.Bonau. nam, secundùm aduersarios, etiam vnitas est priuatio. Itaque si etiam multitudò est priuatio; erunt vicissim priuatio priuationis, quod est absonum. Nam priuatio est formæ carentia, *ex primo Phys.* 45

Respondet D. Thom. ad 3. vnitatem non opponi multitudini, sed diuisioni; & ita non sequi, multitudinem esse formam positiuam.

Contra: nam vt notauit S.Bonau. *dist.* 24. *quæst.* 1. & ostendi ex Aristotele *quæst.* 2. multitudo, & diuisio idem sunt; nam definit multitudinem 10. *Metaph. cap.* 3. *Quod enim diuisum est, multitudo quædam dicitur.* Si ergo vnitas est priuatio diuisionis; erit etiam multitudinis. 46

Respondet Nazarius; non esse absurdum, negationem respectu a'terius inducere modum quemdam habitus, & per eam negari; quod tamen gratis negat Vasquez.

At profectò non gratis; nam vbique Priuatio est carentia veræ formæ in subiecto apto; vt docet Aristoteles 1. *Physic. text.* 75. & omnes Philosophi, alioqui essent quinque genera oppositionum contra Arist. 10. *Metaph. cap.* 3. & omnes Philosophos.

Assero secundò, in Diuinis nomina numeralia dicere positionem.

47 Probatvr à Seraphico, ratione, qua vtuntur Scotus,& alij,præcipuè Thomistæ,vt vidit Vasq.c.1. Habetur autem ratio hic, & *art.1.q.1.* Id, quod est perfectissimum distinctiuum entitatis positiuæ, est positiuum. Trinitas est perfectissimum distinctiuum trium Personarum Diuinarum: ergo.

48 Probatvr secundò à D. Bonau. si dicerentur tres personæ solum, quia non sunt vna; non esset maior ratio cur non dicerentur quatuor, & in infinitum,quæ non erunt vna; & sic sanctissima Trinitas erit Chimæra; non determinata entitas realis, definita à Conciliis omnibus,asserta à Ioanne 1.c.5. *tres sunt &c.* In Symbolis, &c. Et ostendunt SS.Patres,præcipuè Basilius *lib.1.de Spiritu sancto cap.47.* Iustin.*cont.Tryphonem.* Cyrill.*lib.1.Thesauri.* Concil. Tolet.11.*in confess.fidei*, statuentes personas tres, vt nequeant esse plures,vel pauciores,quod D.August. latè ostendit *in libris de Trin.* & nos *disp.1.2.& 3.* probauimus validè.

Obiic.1. D.Hilarium 4.*de Trin.*& D.August.7.*de Trinit.cap.4.* qui videntur explicare Trinitatem per negationem.

49 Respondet S.Doct.*d.24.circa litteram,& art.1.q.1. in corpore,& art.2. q.1. in corpore*, hæc nomina sæpè afferri à Patribus, ad excludendam potius vnitatem Personæ Diuinæ,quam Sabellius inuehere satagebat; quam ad exponendam adæquatè Trinitatem. Deinde etiam sæpè iniungunt, excludendum numerum, nempè, intelligentes prædicamentalem,qui dicit aggregationem; & ad excludendam etiam alietatem essentiæ contra Arrium,Eunomium,& alia huiusce generis monstra. Nullus tamen Patrum excludit numerum, vt dicit distinctionem personarum, sed solum arcent compositionem, aggregationem,alietatemvè essentiæ. Sic in Concilio Toletano 11. *in confess.fidei* dicitur. *Nec recedit à numero, nec capitur numero.* In relatione enim personarum numerus cernitur: in vnitate autem essentiæ quid enumeratum sit,non comprehenditur. Et Bernard.*lib.5.de consid.* circa medium adducit illud Boëtij *de Trinitate. Hoc verò vnum, in quo nullus est numerus.* Subdit tamen

50 Bernard.*Trinitas est tamen Deus. Quid ergo destruimus, quod dictum est de vnitate, quia inducimus Trinitatem? non; sed statuimus vnitatem.* Et infra. *Quid sibi vult iste* (vt ita loquar) *absque numero numerus? Si vnum; vbi numerus? sed habeo, inquis, quid numerem: substantia vna est,personæ tres sunt.* Et hoc sensu intelligendus D.Ambros. *de fide c.2.* quem malè pro se allegat Magister. Ibi sanè solum negat, numerum prædicamentalem compositum,vt patet.

Obiic. secundò. Si hæc nomina supra vnitates significarent aliquam rationem multitudinis,sequeretur,omnem multitudinem,etiam rerum spiritualiũ esse in prædicamẽto quantitatis,quod est absurdum.

51 Respondetur,non esse absonum,in prædicamento poni numerum rerum spiritualium; nam, cum numerus rerum ponatur in prædicamento, vt discretus, & ordinatus; non video cur in hac discretione non ponantur res spirituales.

Nota verò,in diuinis esse numerum; atque adeò ordinem,non per solum intellectum; nam, citra intellectus operationem,Pater est principium aliarum personarum; & Filius principium Spiritus sancti, qui ordo est originis.

52 Addit Vasquez, hunc ordinem non esse numeri, quia hoc ordine ita posset incipi numerari à Spiritu sancto. Hoc tamen mihi non probatur; nam cum Pater sit prima persona,& origo aliarum; non video, qua ratione inciperes à Spiritu sancto, dum enim numerum ordinatè retexinus; incipimus ab ea vnitate,quæ est prima; deinde venitur ad secundam, & tertiam.

QVÆSTIO V.

An nomina numeralia in Diuinis dicantur substantiuè, an relatiuè.

D.Bonau. d.24.art.2.q.1.
D.Thom.quæst.13.art.2. & q.31. art.1.

Assero, hæc nomina dicere relationem; non substantiam.

Probatvr à D.Bonau. primò, quia vna est essentia; & tres personæ relatiuæ de fide.

Secvndo. Omne nomen substantiale prædicatur de qualibet persona; at nulla persona dicitur Trinitas.

Tertio, alioqui possemus dicere tres Deos, tres substantias.

Qvarto, *in corpore*: quia sola relatio distinguit, & multiplicat in diuinis, vt habet axioma Theologicum,deductum à D.Anselmo, D.August. Boëtio, Gregorio Nysseno, & aliis Patribus. Item è Conciliis Toletano, & Florentino, quod in hoc sensu libenter concedunt Scotistæ ipsi, qui alio sensu negant, quod solæ oppositæ relationes multiplicent. De quo erit *disp.10.q.3.* 53

Obiicit sibi. Quantitas in diuinis transit in substantiam ex Boëtio *de Trin.* & D.August.7. *de Trin. c.1.* sed numerus dicit quantitatem: ergo transit, vt dicat substantiam.

Respondet S. Doct. in diuinis dicere relationem, quæ non est accidens, sed substantia; non autem transit in substantiam, vt dicit essentiam; nisi quatenùs relationes sunt idem formaliter cum essentia. 54

Obiicit secundò. Nomina,*duo,tres*,dicuntur ad se, non ad aliud: ergo non sunt relatiua.

Respondet D.Bonau.negando Antec. quia tres in diuinis dicunt (*relationes*) quæ solæ multiplicantur.

Obiicit tertiò. Cum dicitur, Pater,Filius,& Spiritus sanctus sunt tres; aut dicitur notionaliter,aut dicitur essentialiter, non notionaliter, quia nulla est notio, quæ dicatur de tribus personis communiter: ergo dicitur essentialiter.

Respondet S.Doct. verè nullam notionem determinatam dici de tribus personis: sed commune ad notiones secundùm rationem dicitur de tribus, vt hoc nomen *relatus*, & hoc nomen *distinctus* & alia similia. 55

Obiicit quartò. Notiones in diuinis sunt quinque. Sed termini numerales important pluralitatem notionum. Igitur erit numerus quinarius in diuinis.

Respondet S. Doct. non numerari quinque sed solum tres,quia tres tantum sunt notiones personales constitutiuæ trium personarum in quibus aliæ duæ notiones clauduntur.

QVÆSTIO VI.

An nomina numeralia vnitatem importent.

D.Bonau. d.24.art.3. quæst.1.& 2.
D.Thom.q.31. art.1.

Præcipuum nomẽ est *Trinitas*,quo vtitur Ecclesia in precibus,& SS.Patres apud Bouerium *Exam.1. Art.8.* recensiti: Hoc nomen sanctum eradunt, conspurcantque Lutherus, & asseclæ ibi relati.

Assero

56 Assero Catholicum nomen *Trinitas*, quasi *Trium Vnitas*. Idcirco non dicitur Triplex, vel Trinarius Deus, tametsi eundem numerum signet Personarum. Hac profectò de causa quia non exprimunt etiam vnitatem essentiæ, sicuti nomen Trinitas, esto aggregationis vnitatem vel collectiuam indicent, vt docet Conc. Tolet. 11. *in confess. fidei*.

Obiicit primò D. Bonau. si nomen numerale importat aliquam vnitatem, id magis deberet esse in rebus creatis. Sed Trinitas in creatis non importat vnitatem: ergo. Maior probatur: nam è pluribus collectis resultat illa vnio numeraria. Minor probatur: nam numerus binarius, vel ternarius excludunt vnitatem.

Respondet S. Doct. hoc esse priuilegium Dei, vt sit Trinitas personarum in vna essentia.

Obiicit secundò. Nullum nomen significat opposita. Ergo non significat Trinitatem, & vnitatem.

57 Respondet S. Doct. verum esse antecedens, respectu eiusdem: at potest significare vnitatem formæ, seu naturæ, & pluralitatem personarum.

Obiicit tertiò. Si *Trinus* significat vnum, & trinum; cur Ecclesia canit. Trinus & vnus in hymnis, cum *Trinus* sufficiat?

Respondet, dici etiam vnum, vt explicetur elatè vnitas explicitè. Et tunc Trinus ad solam Trinitatem explicandam coarctatur; sicuti verbum, *cedo*, significat dare, & cedere locum; quod si additur *cedo locum*; coarctatur ad locum dandum. Porrò Trinitas vnitatem etiam testatur, vt notat S. Gaudentius *de promissione Paracleti*.

58 Occvrrit autem hic dubium; an verè negetur in Diuinis Deus triplex, & multiplex: sunt qui negent, hæc nomina posse de Deo enunciari. Ita D. August. *lib. 6. de Trinitate c. 6. 7. & 8. & lib. 15. c. 3.* Quamuis ratione effectuum posse enunciari doceat *epistola* 102. Refertur D. Ambrosius *lib. 1. de fide c. 2.* vbi ait. *Non est confusum, quod est vnum; neque multiplex, quod est indifferens.* Sed ibi planè loquitur de essentia Dei, sicut etiam Nazianzenus. *orat.* 41. vbi ait; *non esse in Deo multiplex numen, nec Deum esse multiplicem; sed simplicem.* Concilium quoque Toletanum 11. *in confess. fidei*, planè affirmat, Deum non esse triplicem; sed trinum.

Idem sentiunt D. Thom. hic *ad* 3. vbi Nazarius *controu. vnic.* & alij Thomistæ, Alensis *q. 66. memb. 1. art. 4.* D. Bonau. hic *in corpore* & *d. 19. p. 2. dub. 3.* quem exponit Forestus *fol. 640.*

Ratio D. August. est, quia si Deus diceretur triplex, aut multiplex, sequeretur maius quid omnes simul esse tres personas, quam vnam, quæ ratio est etiam D. Bonau. hic, & *art. 2. q. 2. eiusdem dist. 24.*

Vasquez hanc rationem impugnat *d. 131. c. 3.* quia idem absurdum sequitur, si dicatur Trinus; nam in ternario maius quid est, quam in vnitate solitaria.

Nazarius respondet, neg. antec. si sermo sit de ternario diuinarum personarum.

59 Hæc tamen responsio petit principium. Igitur S. Bonau. reddit rationem in corpore hic; quia nomen trinus significat Trinitatem secundùm origines in vna essentia vnificatam essentialiter, & secundùm omnes perfectiones. Ideo Filius, & Spiritus sanctus non reddunt inæqualitatem perfectionis; non enim multiplicatur Trinitas additione, vel aggregatione, vel collectione plurium, sed origine, qua vna perfectio Trinitatis exprimitur nomine *Trinus*; *Trinus* enim significat Trinitatem, & vnitatem diuinam simplicissimam; dicitur enim Trinitas trium vnitas.

Probatvr à D. Thoma, quia nomen triplex, & triplum significat proportionem inæqualitatis; est enim species quædam proportionis inæqualis; in Deo autem inæquale esse non potest; quæ est etiam ratio Boëtij, quam refert, & probat S. Bonauent. hic, vt aduertit Coriolanus *q. 31. art. 1.*

Contra arguit Vasquez: quia inæqualitas in Deo concedi debet, quis enim ignorat, plures esse tres personas; quam duas?

Sed contra hanc impugnationem replicat Nazarius; nomen triplicis non denotare solam inæqualitatem numeri; sed etiam perfectionis in personis numeratis. Ratio est D. Bonau. *fund. 3.* quia significat tres res, quarum vna addat rem alteri omnino distinctæ, & collectæ, non autem in vna essentia conuenientem. 60

Addit Vasq. suam rationem (vt ait) veram, quia nomen triplex, & multiplex facit alterum è duobus sensibus; aut, Deum pluribus constare, & ita esse compositum, aut multos esse Deos, quasi Deus multiplicetur. Hæc tamen est ratio germana D. Bonau. *fundamento* 3. & *corpore*.

Hanc rationem reducit Nazar. ad prællatas. Nam, sublata à diuinis personis æqualitate, remanent essentialiter distinctæ per differentias deitatis. 61

Propterea nomen *triplex*, excludit etiam Suarez *lib. 3. de Trin. cap. vlt.* & addit authoritatem Patrum, quia sonat, triplicem esse in ratione Deitatis quo sensu à Patribus dãnatur. Itaque ratio D. Bonau. quam sibi Vasq. adscribit, nititur SS. Patribus allatis.

Idem ob eandem rationem asserit Suarez de hac voce *Deus multiplex*. Ita etiam Vasq. Ripa, & alij. Et S. Doct. non solum hoc, sed etiã alia significantia pariter collectionẽ, & aggregationẽ excludit *in corpore*.

Nihilominus si *triplex*, vel *multiplex*, restringatur, addendo; *Persona*, *Emanatio*, *Notio*, aut *Relatio*, posset enunciari, vt docet Suar. *loc. cit.* Vasq. *n. 16.* Coriolanus *q. 31. art. 1.* Nazar. verò *concl. 3.* monet, non esse vtendum hoc nomine in propria significatione eius. Addit verò *in quarta conclusione*, posse impropriè dici de personis, & relationibus; sed tamen abstinendum. 62

Profectò D. Thom. *q. 10. de potentia art. 2.* duplicem nominat emanationem in Deo S. verò Bonau. *1. d. 2. q. 4. arg. 4. in resp.* admittit, dari duplicem modum producendi, & consequenter duplicem emanationem. Multiplex verò Dei sapientia, & bonitas in effectibus asseritur à D. Bonau. *d. 19. loc. cit.*

Qvoad ad nomen Ternarius, videtur omninò impropriùs, & barbarus; nisi addas, Ternarius numerus personarum; quaternarius relationum; quinarius notionum, & binarius emanationum.

Ex dictis apparet, quam vnitatem importet nomen *Trinitas*, nam, si sonet *Vnitas ter*, sonat personas, quæ sunt tres vnitates; plurificatam enim denotat vnitatem: si verò sonet *Trium vnitas*; sic denotat essentiam, seu vnitatem essentialem trium personarum Et hanc, (ait S. Bonau.) esse propriam etymologiam: Priorem verò non acceptat; quia, si Trinitas dicit, *Vnitas ter*; & *Trinus* sonabit *Vnus ter*; hoc autem non posset dici de Deo; tametsi dicatur *Trinus*; qui terminus non dicitur de persona; non enim conceditur, *Persona est Trina*; vel *Persona est Trinitas*. Igitur vnitatem essentiæ significat. Ita D. Bonau. *q. 2.* De quo agam *disp. 11. q. 1.* 63

Obiicies. Hæc nomina significant vnitatem, & pluralitatem; sed sola vnitas personæ est plurificabilis: ergo denotat vnitatem personarum.

Respondet S. Doct. quod Trinitas non dicit pluralitatem circa vnitatem in recto, sed solum in obliquo, quod sit trium, vel in tribus, & hoc est essentiæ. 64

Obiicies

65 Obiicies secundò. Vnitas essentiæ prædicatur de Patre, sed neque hoc nomen *Trinus*, neque hoc nomen *Trinitas* prædicatur de Patre. Ergo non dicit vnitatem essentiæ.

Respondeo, vnitatem essentiæ prædicari de Patre, quia formaliter est Deus: at Trinitas (quæ est trium vnitas,) dicit vnitatem essentiæ, quatenus in ea vniuntur tres Diuinæ Personæ, atque adeò non dicit solum Patrem, sed & alias duas Personas distinctas.

Obiicies tertiò. Vnitas essentiæ prædicatur de essentia. Sed nequaquam dicitur *essentia diuina est trina*. Igitur non dicit vnitatem essentialem.

Respondet S. Bonau. quod nomen *Trinus*, importat vnitatem in concreto. Et vt inexistentem pluribus. Et ideò de eo solo dicitur, quod importat vnitatem in concreto; vt hoc nomen *Deus*; quod quidem supponit personas. Et quia tale est nomen *Deus*, ideò conceditur, *Deus est trinus*; non *deitas est trina*; quia deitas non supponit personam. Similiter nec hoc nomen *Trinitas*. Canitur tamen, *te trina deitas*, addito statim *vnaque* in Hymno sanctissimi SS.

66 Ex his ferè licet colligere, quo sensu vti possimus nominibus adiectiuis, significantibus numerum, vt *alius*, & *aliud*. De quo S. Bonau. *d.* 21. *q.* 1. & *d.* 24. *dub. litt.*

Et quidem, quando adiunguntur, tanquam adiectiua aliis, manifestè apparet, quomodo adhibenda sint. Non potest enim dici, Pater esse alius Deus à Filio, sic enim significaretur distinctio in essentia. Ideò hunc modum dicendi improbat Sixtus Papa *ep.* 1. & sexta Synodus *act.* 11. *in epistola Sophrony*, sed debemus dicere, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse vnum Deum. An verò, cum adduntur nomina notionalia, debeat dici idem, vel alius Deus, vt Deus genuit alium Deum *disput.* 11. *q.* 4. dicam.

67 At verò, si nomina *alius*, & *aliud*, ponantur per se, quod S. Bonau. cum Logicis vocat categorematice, vt in hac propositione. *Pater est alius a Filio*, vel *aliud a Filio*, liquet ex doctrina Patrum, & Conciliorum, quomodo loquendum sit. Nam alius masculinè, distinctionem suppositorum: aliud verò distinctionem sonat naturarum. Ideò licet dicere, Pater est *alius* à Filio: non autem est *aliud*. Ideò in Trinitate concedunt *alium & alium*, non autem, *aliud*, & *aliud*. Concilium Ephes. *tom.* 2. *c.* 7. Toletanum 11. *in confess. fidei.* Later sub Innocentio III. *cap. Damnamus.* Fulgentius de fide ad Petrum *c.* 1. inter opera D. Aug Basilius *oratione contra dicentes*, nos adorare tres Deos, Aug. 11. *de ciuitate, c.* 10. Leo PP. *serm. de Pent.* Hilar. 7. *de Trin.* longè à medio. Anselmus *in Monol. c.* 40. & 42. Hinc Hilarius infert. *Pater, & Filius vnum sunt, non vnus*; & Bernardus *ep.* 190. asserit. *Totum, quod est Pater, esse Filium*, quia totum neutro genere refertur ad essentiam, vt etiam notat Damascenus 3. *de fide cap.* 7. & Nicætas *lib.* 3. *Thes. c.* 31. qui idem de nominibus *aliud*, & *alius*, vt supra docent.

68 E Scholasticis id ipsum tradiderunt, cum D. Bonau. D. Thom. *quæst.* 31. *art.* 2. Henricus 2. *p. summæ art.* 53. Alens. 1. *p. q.* 65 *memb.* 2. *art.* 1. & recentiores *ad art. cit. D. Thomæ*, inter quos Vasquez *d.* 131. Nazarius, Zumel. Bañes, & reliqui exteri. Molina, Suarez *lib.* 3. *cap.* 13.

Hvc etiam spectat, quod alij Patres, eodem nixi fundamento affirmant, in Christo non esse *alium*, & *alium*, sed *aliud*, & *aliud*, vt obseruat Vasq. *n.* 5. ex D. Bonau. *in* 3. *d.* 6. *q.* 1. vbi allegat D. August. *ep. ad felicianum cap.* 11. *in fine.* Hilar. *lib.* 9. *de Trinit.* Damasc. *lib.* 3. *de fide c.* 6. & 7. Idem sensere Concil. Constantinopol. quintum *coll.* 8. *can.* 3. & 6. Leo primus *ep.* 10. *c.* 4. quæ quidem tandem approbata est in Concilio Chalced. *act.* 2. allegante Theodoreto, ex sententia Cyrilli, & *ep.* 95. *c.* 1. Eadem Leonis verba scribit Agatho in sua epistola, quæ est in sexta Synodo *act.* 4. Similia habet eadem Synodus *act.* 17. *in confess. fidei.* Eutychianus Papa *ep.* 1. Nazianzenus *orat.* 51. Cyrilli *in Scholiis de Incarn. c.* 26. Fulgentius *lib. de Incarnatione, cap.* 11. & alij. De his egregiè Forestus *in fine tract. cap.* 10.

Et quidem de nomine *alius*, habetur Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, vt dixi *disp.* 1. *q.* 4. cum D. Bonau. qui id refricat *in* 1. *dist.* 24. *quæst.* 2.

Posse nos dicere in Trinitate alterum, & alterum, 69 asseuerant Hilar. 2. *de Trin.* Ioannes Maxentius *lib.* 2. *dial. c.* 20. Athanas. *de æterna substantia Filij* Fulgent. *lib.* 3. *ad Trasim. c.* 6. & *ad* 7. *obiect. Arrianorum*, & *serm. de duplici Christi natiu.* Bernard. *ep.* 190. masculinè tamen, vt signet Personas, non verò substantiuè. Vide Forestum.

Eodem modo vtendum pronomine *idem*, masculinè pro persona; neutraliter pro natura, vt notat Guitmundus Episcopus Auersanus *in confess. de Trin.* quæ est in quatto Tomo Bibliot. Sacræ. Iustinus *in confess. vera fidei Trin.*

Eodem modo ait D. Ambr. *lib.* 1. *de fide cap.* 2. dicitur. Filius est id, quod Pater est; non autem is qui, & Pater. Hæc omnia indicat S. Bonau. *loc. cit.* Neque dici potest, Pater est idem, qui filius. Dic vero, idem Deus cum Filio, vt docent Patres apud Forestum *loco citato.*

Remanent quædam alia verba, & nomina numerum includentia, quatenus diuersitatem, differentiam, vel discretionem astruunt.

Et quidem verbo differre, explicarunt aliqui Patres distinctionem personarum. Iustin. *loc. cit.* parum à principio Nazianzen. *orat.* 3. *de Theol.* quæ est *ordine* 35. parum ab initio. Damascenus *lib.* 1. *de fide cap.* 10. & 11. & *lib.* 3. *c.* 5. Euthymius *in* 16. Ioan.

Ex Latinis Richard. de S. Vict. *lib.* 4. *de Trin. c.* 20. 70 & *lib.* 5. *c.* 1. Magister *in* 1. *dist.* 24. Alensis 1. *p. q.* 44. D. Bonau. 1. *d.* 26. *q.* 1. *fund.* 1. allegans Damascenum, incidenter videtur non respuere, sicuti & *dist.* 24. exponens Magistrum, videtur, nomen differentiæ, seu verbum differendi, ad distinguendi, & discernendi verba reuocare. Vbi aduerte, S. Bonau. non ponere absolutè, personas differre; sed differre proprietatibus, quo posito, aufertur omnis suspicio, vt aduertit Nazar. & Vasq. & eodem modo locuti sunt Damasc. Richard. Euthym. Magist. & Alensis. Neque obstat D. Thom. *q.* 31. *art.* 2. vbi negat, posse dici, personas differentes, aut differre; intelligit enim, non habere differentiam secundùm naturam, & essentiam; vt aduertunt Vasq. & Nazar. *loc. cit.* Suar. *lib.* 3. *c.* 13.

Quoad nomen *diuersus*, aduertit S. Bonau. *d.* 24. 71 *dub. litt.* non esse admittendum, quia significat diuersitatem secundùm essentiam. Ita etiam S. Thom. *q.* 31. *art.* 2. vbi Canariensis Nazar. qui tamen tres dicunt, posse restringi, dicendo *diuersus personis*, attamen seueriùs Suarez, cum D. Bonau. damnat, quia Patres, qui difficultatem tangunt, eam vocem penitùs excludunt. Sic Fulgent. *lib.* 3. *ad Trasim. c.* 6. *Sempiternus, atque incommutabilis Pater alterum genuit, non diuersum.* Et Lactant. *lib.* 4. *diuin. Inst. c.* 29. *Cum dicimus Deum Patrem, & Deum Filium, non diuersum dicimus, neque vtrumque secernimus.* Clarius, Filium non esse diuersum à Patre, asserit S. Hilar. *lib.* 4. *d. Trin.* Quod si alicubi apud Patres id assertum videatur; vel erit cum additamento secundùm proprietatem, vel secundùm personam, vel in bonū sensum debet explicari.

Qvoad

72 Qvoad nomen *diuisionis*, D. Bonauentura penitùs excludit *loc.cit.* cum D.Thom. quia tollitur diuina simplicitas, quæ nullis constat partibus, secernendis per diuisionem. Quare æquo nimium laxè concedit Suarez, admitti posse latè pro discretione; vt rectè aduertit Nazar. neque enim illa vox *diuisio* eam admittit restrictionem; neque in antiquis Patribus, aut Scholasticis admissa reperitur. Quare concludit, cum D. Thom. diuisionis vocabulum eadem cautela vitandum, qua voces *separationis, disparitatis, alieni, & discrepantis*. Vide Forestum *fol.26.tract.vlt.*

73 Qvoad nomen *discretus*, admittitur à D. Bonau.*loc.cit.* eodem modo, quo distinctus. His sanè vocibus eodem sensu vtuntur Concil. Tolet. primum,& vndecimum. Et Later.sub Innocentio III. *cap.Damnamus*, & antiqua translatio Dionysij *c.2. de diuin.nominibus*.

74 Nazarius admonet, apud Latinos, idem esse *discernere*, atque *secernere*; atque adeò posse vtrumque pariter adhiberi, tametsi Lactantius supra id verbum *secernere* non admittat. Mihi tamen videtur magis significare separationem quandam verbum *secernere*, at separatio supponit diuisionem: diuisio multiplicitatem, multiplicitas diuersitatem: diuersitas autem ponit naturæ distinctionem, & propterea excluduntur à diuinis personis exprimendis, vt docet B.Bonau. *loc. cit.* è contra discretio supponit meram distinctionem, distinctio pluralitatem, pluralitas alietatem; quæ in diuinis personis admittuntur, alietas enim masculinè significat distinctas personas. Obseruat autem S. Doctor, diuerso modo hæc verba, ac nomina distinguere. Nam *alietas*, & *pluralitas* important distinctionem ex parte ipsius rei, *alietas* quidem in neutro genere substantiæ, *pluralitas* verò quantitatis; at *distinctio*, & *discretio* important distinctionem rei in ordine ad nostram cognitionem. Discretio enim dicitur in comparatione ad visum, quo discernimus; sed distinctio in ordine ad tactum, quo corpora distinguimus.

Alia autem quatuor differunt sic: *Diuersitas* attenditur, secundum substantiam absolutè, siue in genere masculino, siue neutro; *multiplicitas*, secundum veram quantitatem; *diuisio*, quoad positionem, siue ad discontinuationem; sed *separatio*, quantùm ad vbi; vel alio modo. *Diuersitas*, quantum ad principium intrinsecum; *multiplicitas*, quantùm ad numerum; *diuisio* ad terminum; *separatio*, verò attenditur, quantùm ad medium interiectum. Hæc S.Bonauentura.

75 Remanent aliæ voces, supponentes numerum, vt *Vnio*, *Continuatio*, significant enim collectionem plurium in vnum, participatione quadam.

Vasquez *num. 12.* pluribus pensatis concludit; commodiùs Latinè significari diuinam essentiam nomine *Vnitatis*, vel *Vnius*, quàm nominibus vnionis, & coniunctionis; tamen non audet hæc nomina damnare, quia à Patribus Græcis sæpè adhibita; sanè ad vnam essentiam diuinam astruendam.

Nazarius obseruat, Patres ipsos Concil. Alexandrini *epist.16.* apud Cyrillum dixisse: ***Imò & nomen ipsum coniunctionis vitamus, tanquam non existens idoneum, quod significet vnitatis arcanum.*** Profectò enim coniunctio non essentiæ vnitatem; sed plurium essentialiter distinctorum collectionem in vnum participatione quadam suæ vocis proprietate significat. Vnio verò propria vox est, ad exprimendam Incarnationem, in qua duæ naturæ vniuntur in vna persona. Quare non rectè assumitur ad vnitatem essentiæ diuinæ exponendam. Vnde & D. Thom. 3. *part.q.2.art.9.* eam comparat cum vnitate Sanctissimæ Trinitatis, tanquam rem diuersam. Hinc carpit Vasquium, quasi idem de vtrisque iudicium statuat.

Qvoad sententiam D. Bonauenturæ, inuenio 76
in 3.d.6. art.2. quæst.1. & 2. comparasse vnionem, quæ facta est ad vnitatem in persona Christi, cum vnitate Sanctissimæ Trinitatis, eam verò vocare vnionem: at essentiæ diuinæ vnitatem in summo eodem modo loquitur, quo & D.Thomas, negando in diuina essentia vnionem.

Patres autem Græci (vt reor) vsi sunt nomine *coniunctionis*, & *vnionis*; non ad substantiam præcisè exprimendam; sed ad multitudinem perfectionum in essentia significandam. Sic D. Dionysius *cap.2.de diuin.nominibus*. Ea, quæ sunt essentialia Deo, vocat coniuncta. Sic & Billius interpres Nazianzeni *in orat.23.* & Nicetas ad ea verba eiusdem orationis, *fol.115.* & Perionius Dionysij interpres *ad loc. cit.* & hoc videtur persensisse S.Bonau. 1.*d.45.art.2. quæst.1.* in Damasceno *lib.1.de fide, cap.4.* vbi essentiam vocat Dei naturam; attributa Dei vocat perfectiones, circa talem naturam circumstantes.

QVÆSTIO VII.

Quomodo aliqua nomina vnitatem sonantia excludant numerum.

D.Bonau.dist.21. per multas qq. D. Thom. q.31. art.3.& 4.

Svnt aliqua nomina, quæ dicuntur *exceptiua*, 77
quæ sunt explicanda, quomodo excludant numerum.

Quæritur primò, an exclusiua *solus* possit apponi termino essentiali in Diuinis, vt *solus Deus*.

Notandvm ex D.Thom.*art.1.*& ex D.Bonau; *q.1. & 2.* hanc vocem *solus* posse sumi dupliciter. Primò Cathegorematicè, vt significat absolutè; significat enim Cathegorema suppositum, habens alteram formam, siue illa forma sit de ratione suppositi distinctè, siue materialiter confusè, quo pacto, *solus* idem significat, quòd *solitarius*; idemque est dicere. Petrus solus contemplatur, ac dicere. Petrus solitarius, seu segregatus à consortio aliorum eiusdem speciei infimæ secum; esto namque Petrus sit inter bestias; imò inter Angelos, dicitur solitarius. Ita de Adamo dictum, *Genes. 2.* Secundò sumitur dictio *solus* Syncathegorematicè; vt denotat ordinem quendam prædicati ad subiectum, vt, si dicas: ***Solus Deus creat præcisiuè. Deus solus potest operari; Creatura sola non potest operari. Petrus solus leuat tantum pondus. Petrus solus non potest trahere nauim.*** Sensus enim est, Deus, præciso adiutorio creaturarum, potest operari: creatu- 78
ra sine adiutorio, & cooperatione Dei non potest operari. Petrus sine adiutorio alterius causæ leuat tantùm pondus, &c. Aliquando etiam sumitur, efficitque propositionem de excluso extremo. Eiusmodi autem extremum solet vt plurimum esse prædicatum; vt, cùm dicimus. Petrus scribit solùm, vel tantùm, idest, nihil aliud exercet. Ad huiusmodi propositiones reducuntur, quas vocant de exclusa copula, quales sunt hæ: *Præsens momen-*

rum temporis tantum est, idest, neque fuit, neque erit: *Antichristus tantum erit*, idest, neque est, neque fuit. Quo loco aduerte, exclusionem non semper esse vniuersorum, sed interdum operationis; vt, cum dico: *Tantùm scribit*, interdum substantialis naturæ; vt, cùm dico: *Christus non est tantùm homo*.

79 DENIQVE huiusmodi dictiones ita sumuntur, vt in propositione denotent, omne aliud in subiecto excludi à consortio, & participatione prædicati; at tunc efficiunt propositiones exclusiuas, vt dicunt: vt *Solus Socrates scribit. Solus homo est disciplina capax.* Eiusmodi verò propositiones, si affirmatiuæ sunt, exponuntur copulatiuè per duas alias, quarum prima est ipsa propositio exponenda, reiecta dictione exclusiua, atque hæc vocatur *praiacens*; *& prima exponens*. Secunda verò est propositio, constans eisdem terminis; sed à parte subiecti ponitur; *Nulla alia res* à tali, exprimendo eam, quæ ante erat subiectum; hæc verò appellatur *secunda exponens*, v. g. hæc: *Solus Petrus scribit*, exponitur sic: Petrus scribit, & nulla alia res, seu nullus à Petro, seu præter Petrum scribit.

80 EST tamen aduertendum, in eiusmodi propositionibus dictionem exclusiuam non excludere concomitantia subiectum; quorum concomitantium nomine intelliguntur, quæ in numero non ponuntur cum subiecto propositionis, qualia sunt omnes partes; omnia superiora, inferiora, & accidentia illius in concreto, & si quid aliud est simile; vt, quando dicimus: *Solus Socrates scribit*; licèt manus non sit Socrates, non sequitur. Ergo manus non scribit; quia est de concomitantibus. Quando etiam dicimus: *Solus Deus creat*, non sequitur: Ergo Pater, vel Filius non creat; quia sunt personæ de numero concomitantium naturam diuinam. Correlatiuum verò, quia ponitur in numero cum suo correlatiuo, non censetur de concomitantibus, vt in re proposita loquimur, esto non detur vnum sine alio. Quare rectè sequitur, *Solus Pater generat. Ergo Filius non generat*. Igitur, his notatis, definiemus, cum D. Bonau. *his qq.* D.Thom. *q.31.art.3.* vbi Molina, Nazarius, Valentia, Coriolanus, & alij, quibus accedunt sententiarij, *dist.21.* vbi latè etiam D.Thom. Scotus, Richard. Ægid. Durandus, Mayro, & alij, præcipuè Forestus *cap.12.*

81 ASSERO primò, dictio *solus*, sumpta cathegorematicè non potest apponi termino essentiali.

Probatur à D.Bonau. *q.2.* ratione, qua cæteri allegati vtuntur, quia hic terminus *solus* ex dictis significat in Deo solitudinem, quæ non est asserenda in diuinis, vt ait D. Hilarius *lib.4. de Trin.* est enim deitas in multis personis. Idem prohibent D.August. *q.112. noui, & veter. Testam.* & Concil. Tolet. 6. & TT. contra Montoyam. Habetur Ioannis 6. *Non sum solus. Qui misit me, non reliquit me solum.*

ASSERO secundò, vox *solus* sumpta, syncathegorematicè, vt efficiat propositionem exclusiuam, addi potest, vt patet, si dicas. Solus Deus est æternus. Solus Deus creare potest, nihil enim aliud, præter Deum, est æternum, aut creare valet, vt arguit S.Doctor, & alij post illum.

82 ASSERO tertiò. Dictio, *solus*, sumpta cathegorematicè, vt denotat similitudinem, non potest addi termino personali, vt *solus Pater est Deus*; quod idem est ac id, quod dicit S.Bonau. *q.1.*

PROBATVR à D.Bonau. *q.1. argumento* 3. addito responso, quia excludit consortium reliquarum personarum diuinarum à persona, cui apponitur *solus*.

ASSERO quartò, in illa propositione *solus Pater est Deus*; dictio *solus* sumpta exclusiuè potest efficere propositionem exclusiuam, ex parte subiecti tantùm, ita vt sit sensus. Is, cum quo nullus alius est Pater, idest, qui ita est Pater, vt nulla alia persona sit Pater, est Deus, quo pacto propositio est vera; sed inconsueta, eoque modo videtur eam exponere D.August. *6. de Trin. cap.9.* allato à Magistro *dist.21.* & D.Bonau. *q.2.*

ASSERO quintò. Dictio exclusiua, *solus*, sumpta masculinè in ea propositione est falsa; nam Filius est alius à Patre, & tamen Deus. Hic enim est verus, & germanus sensus propositionis.

ASSERO sextò. Dictio, *solus*, exclusiua substantiuè omnis alterius naturæ, vera est: quia nulla alia substantia extra diuinam est Deus. Et hoc sensu intelligitur illud Ioan.17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, solum verum Deum*, idest, qui ita es verus Deus, vt nullus alius diuersæ naturæ sit verus Deus; sed omnes conficti Dij. Ita exponit Basilius *lib.4. contra Eunom. ad finem*, & Cyrillus *lib.10. Thesauri, c.6.* 83

Probatur à D. Bonau. *q.1. ex primo Elenc. cap.4.* vbi ait: *Solus idem est, ac non cum alio vtique numero distincto.* Deinde ex communi modo dicendi, idem est. Petrus solus currit: ac nihil, præter Petrum currit. Vide Forestum *fol.35.*

QVÆRES, an hæc sit falsa. *Sola Sanctissima Trinitas est Deus.* Eam asserit Magister apud S.Bonau. *d.1.* & *dist.21.* Respondetur cum D.Bonau. quem sequitur Molina, eam esse verissimam, quia non excluduntur personæ; sed vt inclusæ in Sanctissima Trinitate intelliguntur. Vult enim dicere. Solæ tres personæ Diuinæ, in vna natura conuenientes, sunt Deus, excluduntur que reliquæ naturæ. Idem est dicere Trinitas tantùm est Deus, vt notat D. Bonau. *in corpore, q.2.*

Concludit S. Doctor, benè dixisse August. *lib.3. contra Maximinum, c.9. Trinitas est vnus solus verus Deus*; ita, quòd non plures; sumpto, *solus*, ex parte prædicati, contra hæreticos, qui dicebant, Trinitatem esse plures Deos, & importatur per istum terminum *solus* priuatio multitudinis, & magis propriè dicitur de Trinitate, quòd Trinitas sit vnus solus Deus, quàm de Patre, de quo nullus vnquam dixit, Patrem esse plures, sicut de Trinitate aliqui hæretici dixere, plures Deos. Igitur concedendum, ait, quòd; *solus*, potest addi ad prædicatum termini substantialis verè in diuinis; sed non propriè, nisi cum determinatione, & adiunctione termini partitiui, dicendo; Trinitas est vnus solus, verus Deus. 84

Hinc colligit S.Doctor, non posse *ly solus* in illa propositione sumi ex parte subiecti.

Ex his habes, quid de ea propositione: *Solus Deus est Pater*, dicendum. Si *solus* ex parte subiecti stet, admittitur à nonnullis. Dupliciter autem potest hoc esse; primò, solus Pater, non excludendo correlatiuum. Profectò non probatur S. Bonauenturæ; nam eo ipso videtur excludere correlatiuum. Quamvis enim Pater denotet Filium correlatiuum, tamen non potest denotare, modo Arriano, non Deum, quod vterque S.Doct. sensit: Alio etiam modo non ita displicet S.Bonauent. *Solus Pater est Deus*, idest, ille, qui solus inter diuinas personas est Pater, est Deus. Est tamen sensus raptus; & ideò S.Thomas ait, non esse vsque adeò proprium, & consuetum dicendi modum; nam in 85

in hac, & simili propositione, *solus*, in proprio sensu sumitur penès prædicatum, quod est Deus, à quo alias excludit personas, vt dixi in tertio Asserto.

86 At obiicies. Impropriè erunt eiusmodi propositiones, quæ in Scriptura, & Patribus inueniuntur. Ioan. 7. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum.* Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater,* quæ propositio æquipollet huic. Solus Pater nouit Filium. Matth. 24. *De die autem illa nemo scit, nisi solus Pater.* 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem*, quod de Patre præsertim interpretantur, Euaristus Papa *epist. 1. ad omnes Episcopos Africa.* Chrysostomus *homil. 18. in eam epistolam.* Ambrosius *lib. 5. de fide, cap. 3.* Athanas. *dialog. 1. & 3. contra Macedonium.* Et *dial. 1. de vnitate Dei.* 1. Timoth. 1. *Soli Deo honor*; quem intelligunt de Patre. Chrysostom. *homil. 4.* Ambr. *in eundem librum*, & Rom. 16. *Soli sapienti Deo per Iesum*; vbi constat loqui de Patre.

Regulam tradunt Chrysost. *homil. 5. de incomprehensibilitate Dei.* Cyrill. *lib. 4. Thesauri, cap. 4.* Ambros. *lib. 3. de fide ad Gratianum, cap. 2.* Hieron. *Matth. 24.* August. *lib. 3. cont. Maximin.* Leo *serm. 4. de Pentec.* Epiphan. *in Ancorato, & hæresi 69.* & Hilarius *toto lib. de Trinitate*, quam obseruat S. Bonau. ad illud Ioan. 17. vbi glossat eum D. August.

87 *tract. 105. Vt cognoscant te, & quem misisti solum verum Deum*, nempè, quia in omnibus, quæ attribuuntur vni personæ diuinæ ex communibus, seu essentialibus, semper includuntur aliæ personæ. In Patre enim, tanquam in fonte includitur Filius, & Spiritus sanctus. Ideò dicebat Christus Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Et Ioan. 18. *Qui misit me, mecum est.* Et Ioan. 16. *Non sum solus, quia Pater mecum est*; vt aduertit S. Doct. ad ea loca.

Igitur eo loco, & aliis similibus, vbi dicitur: *Solus Pater Deus*, excluduntur alij naturâ distincti, non personæ diuinæ; vt notat S. Bonau. *art. 2. q. 2. ad 2.* vbi argutè obseruat τὸ *solus*, non æquiualere in rigore τὸ *Nemo nisi*, &c. nam hæc denotant naturam.

88 Cætera verò loca intelliguntur à Patribus de omnibus personis; sed præcipuè de Patre, qui est duarum aliarum principium, vt aduertunt Cyrillus *lib. 4. Thesauri, cap. 2.* Ambros. 1. *Timoth. 1.* Hinc etiam Pater solet vocari absolutè Devs. *Ioan. 1. & 3. Galat. 4.* quasi antonomasticè Deus. Quod verò dicitur *Matth. 24.* Respondet S. Bonauentura *4. d. 48. q. 4. ad 1.* excludi hominum filios adoptiuos; non Verbum.

Addo aliam Seraphici subtilitatem. Fatetur quidem *art. 2. q. 2. ad 2. ly solus*, significare propriè personam. Ex quo videretur in illa Ioan. 17. *Te solum Deum, &c.* masculinè sumptum excludere alias personas; sed obseruat ad locum citatum Ioannis, sumi vt neutrum, vel vt aduerbium; vt solum Patrem, & Christum Filium, ac Spiritum sanctum in eis inclusum agnoscant esse Deum; loquebatur enim de conuertendis à cultu inanium Deorum. Idem sensus erit, si τὸ *solum* non referatur ad pronomen, *te*, sed coniungatur cum nomine, *Deus*, vt sit sensus. Vt cognoscant te, qui es verus Deus, solus, & tunc vox, *solus*, excludit à Deitate alios falsos Deos, vt obseruat Vasquez *disp. 132. c. 4.* cum D. Bonau. *in Comment.*

89 Aliam instituit quæstionem S. Doct. *art. 2.* An legitimus sit vsus dictionis, *solus*, additæ termino proprio relatiuo: sic *Solus Pater est Pater.*

Respondet affirmatiuè ex D. August. *7. de Trin. c. 9.* Secundò, quia in diuinis personis nulla alia est *Pater.* Hæc sunt facillima in D. Bonauentura; & Magistro *dist. 21.* vbi alij. Et Forestus *tract. de modis dicendi in hoc mysterio, cap. 12.*

Vnvm addam contra Didaeum de Montoya, qui censet, posse enunciari cathegóricam propositionem signantem, Deum solum esse; quod probat illo Deuteron. 32. *Videte, quod ego sim solus, &c.* Aduerto igitur, illum ibi se clarè excludere solum à diis falsis, vt constat ex textu; nam, cum antea irrisisset imbecillitatem Deorum: *Vbi sunt dij eorum?* &c. qui non poterant cultores suos liberare è malis, aut bonis cumulare, subdit: *Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius præter me.* Similia colliges ex aliis locis allatis à Didaco.

Respondetur ergo cum Foresto Magistro meo, illas propositiones non esse cathegorematicas, sed syncathegorematicas; nam cathegorematica propositio est, quæ ponit rem significatam circa aliquod subiectum, vt albus circa hominem, cum dicitur: *Homo est albus.* Dictio verò syncathegorematica dicitur, quæ dicit ordinem, & modum formæ ad suppositum, non significando ipsum suppositum, sicut hæc dictio: *Omnis, nullus*; & similiter hæc dictio, *solus*, quia excludit omne aliud suppositum à consortio prædicati; sicut, cum dicitur: *Solus Sortes scribit*, non datur intelligi, quod Sortes sit solitarius; sed quòd nullus sit ei consors in scribendo, quamvis cum eo plures existant. 90

Remanent aliæ dictiones, *Singularis, Indiuiduus, Vnicus*, de quibus Forestus *cap. 13.* Deum non esse dicendum singularem docuere Magister *dist. 21.* D. Thom. 1. *p. q. 31. art. 2.* ex D. Hilario *7. de Trin.* D. Bonau. *d. 24. dub. vnic. litt.* Albertus 1. *part. q. 40.* Alexander 1. *p. q. 60. memb. 1.* Reddunt rationem; quia *singularis* pluralitatem personarum excludere videtur, cum Sabellio. Addit S. Bonau. singulare excludere pluralitatem personarum, quia excludit communicabilitatem, ex D. Hilario *loc. cit. & lib. 8. & lib. 9.* ex D. Ambrosio *lib. 3. de fide, cap. 1. & 2.* ex D. August. *7. de Trinitate, cap. 4.* S. Leone *serm. 2. Pentecostes.* 91

Vervm *singularis* nomen Deo adhibuere SS. Dionys. *cap. 1. de diuinis nominib.* Athan. *dialog. 1. de Trin.* Basil. *lib. 3. contra Eunom.* Epiphan. *in Ancor.* Sophron. *sexta Synod. act. 11.* & *in epistola profess. fidei.*

Ideò obseruandum primò, ex D. Bonau. 1. *d. 4. quæst. vlt.* nomen, *Deus* significare discretè, & communiter, idest naturam diuinam, vt indiuiduam, & singularem, vt opponitur deitatum pluralitati; & communem, vt pluribus communicabilem. Itaque alia est singularitas exquisita, de qua *disp. 5. q. 1.* quæ est hypostasis incommunicabilis: alia est singularitas, quæ communitatem non excludit, talis est natura diuina pluribus communicata personis. 92

Observa secundò, Patres pro diuersis temporibus, & diuersis erroribus serpentibus, locutos ad disputandum. Sic aliquando circa nomen *hypostasis* obseruaui *disp. 5. q. 2.* & ideò cautè videndum, qui errores tunc impugnandi occurrerent. Iam verò serpente Sabelliana hæresi cauebant Sancti Patres à nominibus redolentibus aliquo modo exclusionem plurium personarum ab essentia: Propterea SS. Patres allegati nomina, *singularis, vnici*, vitarunt; cùm verò antea non vigeret ille error, & nunc postquam sepultus est Tartaro; licuit antiquissimis Patribus, & licet nunc Scholasticis, eis 93

vocibus

vocibus vti. Sic obseruarunt Bañez, Molina, Vasquez, Suarez, Ruiz, & alij apud Forestum citati
94 *cap.13*. Nec renuit D.Bonau.*d.4.quæst.vlt.in corpore*; altero verò loco renuit admittere in Deo vocem, *singularis*, in sensu exquisiti indiuidui, quod est persona singularis; quia natura est communicata pluribus personis. Cùm enim S.Doct.*q.citata*, admittat nomen *Indiuidui*, atque idem ferè ostendat vtroque nomine singularis, & indiuidui; concesso vno, concedi debet & alterum. Porrò nomen *Indiuidui* Deo concessit Concilium Nicænum *lib.1. §. Sancta, & Magna*, & §. *siquidem*; vbi asserit Trinitatem indiuiduam. Et Concil.Later. *cap.Firmiter*, dicens: *Hæc Sancta Trinitas secundùm communem essentiam, indiuidua*. Idem nomen concessere Alensis 1.*p.q.44. ad 3*. Durand.1.*d.9.q.1*. Imò arguo, D.Bonauenturam, concedendo nomen *Indiuidui*, magis concedere nomen *singularis*; nam in definitione personæ, indiuiduum est vltimum personæ, reddens illam incommunicabilem, iuxta sensum D.Bonau. vt vidi *d.5.q.1*. vbi definitur persona: *Rationalis naturæ indiuidua substantia*.

Remanet vocula, *idem*, ampliùs explicanda. Dico igitur, masculinè sumptam non esse admit-
95 tendam in diuinis personis. Itaque non est vnus, idemque Pater, & Filius: potest tamen admitti neutrè, vt indicat S.Doct. *dist.23. art.2.q.1*. & Forestus *cap.10*.quia significat, esse vnum, & idem in essentiâ. Ita etiam Athanasius *dialog.3.de Trinitate*. Ambros.*lib.1.de fide*, *cap.2*. Cyrillus *lib.1. in Ioannem*, *cap.2*. Quoniam verò vocula, *idem*, est æquiuoca, significans masculinum, & neutrum, debet apponi aliquid distinguens, vt *idem Deus*; vel, *idem Pater*.

Proponit author Commentarij *in lib. Boëtij de Trin.* apud Bedam *tom.8. col.11. & 13*. dubitationem. An prolata hac propositione. *Pater est Deus*, sit vera etiam hæc: *Idem Deus est Filius*. Respondetur cum Vasquez *num.3*. voculam, *idem*, significare hîc eundem Deum secundùm essentiam, seu idem in deitate; & ita verum dicit. Cauendum verò, ne sonet, *idem*, suppositum; vt si diceres: *Pater est Deus generans*; addita hæc vocula notionali prohibet, ne dicatur: *Idem Deus est Filius*. Author allegatus alio modo distinguit. Vide Vasquez.

QVÆSTIO VIII.

De quibusdam aliis nominibus pluraliter non dicendis.

DIsputatione *sexta*, *quæst. 2*. ostendi, plures hypostases dici in diuinis, easque probaui *q.5*. esse tres tantùm relatiuas, & *q.6*. addi plures etiam existentias.

96 Tres verò substantias, vt Græcè dicunt, *Vsioses*, negaui *hac disput. q.1*. sic declarant Concilia, Alexandrinum, cui D. Athanasius præfuit; Sardicense, qua parte approbatum, *epistola Synodali*. Toletanum sextum, *cap.1*. Toletan. vndecimum, *in confess*. In Synodo sexta, Agatho Pap. *epist. ad Constantinum*. Concilium Nicæn. *lib. 2. §. Sicut tu*. Innoc. III. in Concilio Later. *cap.Firmiter*, & *cap. Damnamus*, & omnes Theologi cum D. Bonau. *ibi allegato*. Ratio eius sufficit. Qui tres substantias vsioses concedit, astruit tres essentias. Hoc autem est ponere plures Deos, quod est hæreticum; vt ostendit S.Doct. *dist.23. quæst. vlt*. & ostensum est, *disp.10.quæst.2.tract.1*. Quare neque potest hîc modus dicendi vsurpari. Tres essentiæ diuinæ; vel tres Dij, vt ostendit S.Doct.*dist.4.q.3*.& probatur omnibus Scripturis, Conciliis, & Patribus, conclamantibus vnum Deum.

QVARE grauiter Forestus *opusc.de modis dicendi*, 97
cap.2.reprehendit Magistros politiorum litterarum, qui, vt Ciceronis phrases seruent, docent pueros eloqui. *Si diis placet*. Sic, *Dij me adiuuent*.

Remanent excutienda quædam alia. Et primò. An tres personæ tres entitates possint nominari. Negat S.Bonau.*d.25.art.2.q.2.ad 4*. nam entitas (ait) formam dicit, & naturam, & substantiuè sumitur: vnde vetitum est multiplicari in Deo. Idem sensere D.Thom.1.*d.22.q.vnic.art.2. ad 4*. Alens. 1.*p. q.49. memb.3. art.2*. Richard. *d.25. ad litteram Magistri*. Henricus *in summa*, *art.34. q.2. ad 6*. cum Magistro *d.25.§.sciendum*, & §.*hic sensus*; dum personas tres entes, non tria entia dici concedit; negant enim tria entia substantiuè, multò magis negassent tres entitates, quæ dicunt entia abstracta; admittunt tamen tria entia, idest tres adiectiuè entes, quæ significant tres habentes entitatem. Eis consentit S. Bonau. Reddit rationem D. Thom. nam ens ab esse dicitur; esse autem substantiuum vnum est, Ioan.10. *Vnum sumus*. Et 1. Ioan. 5. *Tres vnum sunt*.

Ex his habes, neque posse dici, tres personas 98
esse tria; nam in neutro significat esse substantiale absolutum. Ideò enim in Concil. Later. *cap. Damnamus*, reprobatur vox *aliud*; licèt *alius* inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum admittatur. Ita sentiunt D. Bonau. D.Thom. & alij apud Forestum *cap.3.dub.4*.

Quod si dicas, hoc modo locutum D. August. *sexto de Trin.cap.4*.

Respondet S. Bonau. *d.23. art.2. q.2. ad primum*, cum minùs propriè locutum, & minùs expressè, vt *tria* pro *tres* adhibuerit, vt notat etiam D.Thom. apud Carthus.1.*d.24.q.2*.

Quæres; an tres personæ, tres res dici queant. 99
Respondetur affirmatiuè, cum D. Bonau. *d.25. dub.3. littera*. Et *in 1.d.38. dub.3. litt*. Idem sentiunt D.Thom.1.*p.q.3.art.1.& 3*. & *q.39.art.3.ad 3*. & *in 1.d.29.q.vnic*.& *4.contra Gent.c.14.ad quintam obiect*. Alens.1.*p.q.49.memb.3*. Albert.1.*q.43.memb.3.art.2*. Richard.1.*dist.25.circa litt*. Magister *dist.25. §.sciendum*.

Probatur à S.Bonau.ex Patribus D.August. *lib.1. de doctrina Christ.cap.5*.Hilar.*lib.7.de Trin*.Theodoreto *fragmento penult. contra Sabellium*. Anselmo *de Incarnat.cap.1*.

Probatur secundò à D. Bonau. quia solùm asseruntur tres relationes, seu proprietates personales, quæ profectò non sunt nihil. Ergo res. Confirmatur; nam per has, personæ sunt distinctæ realiter. Probatur antecedens; nam res dicit omne id, quod est reale.

Quæres secundò; an propriè dicatur, *Deus, & Diuina essentia est Trinitas*, seu *tres Personæ*. 100

Respondetur affirmatiuè ex dictis *d.3.q.3*.contra Porretanum. Ita S.Bonau. *d.4.q.4*. D.Thomas *q.37. art.6*. Alens.*q.50.memb.3*.Scotus *d.4.q.2*. Richard. *in expositione litteræ*, *d.4*. & omnes discipuli D. Thom. Caietan.Torres,Vasquez,Molin.apud Forestum *c.10*.

Est propositio Concilij Nicæni *lib.2.§.Sancta,& Magna*; vbi per Osium loquitur, *Diuinitas non est vna; sed tres Personæ*. Et infrà: *Indiuisa Trinitas est Pater, Filius, & Spiritus sanctus*.

Idem

Idem asserunt SS. Patres Nazianzenus *in sancta Lumina*. Damascenus *lib.1.de fide,c.11*.& decernitur à Concil. Later. sub Innoc. III. *cap. Firmiter. Tres personæ vna essentia*. In epistola Sophronij *sint. Synd.act.11*. eandem propositionem in re astruunt Epiphanius *hæresi 69*. Cyrillus *lib.12.Thes.c.14*. Aug. *lib.5.de Trin.c.8*.& *lib.6.cap.7*.& *lib.8.cap.1*.& *lib.12. cap.24*.& alij.

101 Dices: si admittitur, essentia est Trinitas. Ergo potest dici & trina.

Respondet S.Doct. *d.24.art.3.q.2.in fine*, Richard. *q.1. & 2*. negando consequens; nam è substantiuis ad adiectiua mutatur sensus. Terminus *trinus*, cùm sit adiectiuus, cadens super substantiuum essentiæ, eam multiplicat: Terminus verò *Trinitas*; cum sit substantiuus, solùm copulatur, vt idem cum essentia. Ita sentiunt D.Thom. *q.7. art.5.ad 3*. & Scotus *1.dist.5.q.1*.

Ex his habes primò, nomina abstracta absolutam essentiam præ se ferentia non posse numero plurali de diuinis Personis enunciari: v.g. Diuinæ personæ sunt tres Sapientiæ, tres Bonitates. Est communis ex Magistro *d.22*.& D.Aug. *5.de Trinit. c.6. & 8*.& *lib.7.c.2*.

102 Habes secundò, nomina concreta substantiua non dici pluraliter de Diuinis personis, vt Tres personæ sunt tres Dij; tres Omnipotentes; tres Domini. Ita D. Bonau. *1.d.9.dub.2.litt.dist.22.dub.4. litt. dist.24. quæst.1. ad argumenta, & art.2. quæst.2*. Ita omnes Patres, & habetur in Symbolo Athanasij.

Quare lapsus est Marsilius *lib.1.q.5.art.2.ad 5*. & *lib.2. q.1. art.3. d.2*. cum aliis, dicens, nisi vetaret vsus Ecclesiæ, posse id asseri.

Hoc sanè temerè dicitur; nam expressè negantur ex rei natura, quia substantiua nomina per mo-

103 dum substantiæ significant: & substantia diuina, sicuti *à se est, & per se*, debet esse vna, vt arguunt S.Thom. S.Bonau.& alij, quorum rationem vellicat Scotus; sed optimè tuetur Caietanus.

Habes tertiò, nomina verbalia substantiua pluraliter non posse de diuinis Personis enunciari, v.g. tres Personæ sunt tres Creatores.

Ratio est, quia vna est virtus creatiua. Ideò vnus Creator astruitur. Ecclesiastici 1. *Vnus est Altissimus Creator, Omnipotens*. Idem habetur in Concil.Later. *cap.Firmiter. Vnum vniuersorum Principium Creator omnium*. Damasus Papa in Concil. Rom.tertio *in profess.fidei*, & Anathematismus aduersus Apollinatem, Arrium, Sabellium, &c. *Si quis non dixerit, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam esse diuinitatem, potestatem, maiestatem, gloriam, dominationem, vnum regnum, atque vnam voluntatem, ac veritatem; anathema sit*.

104 Possvnt tamen propositiones, è nominibus adiectiuis compositæ, licèt aliquid absolutè significantibus, plurium numero de personis diuinis prædicari. Sic Athanasius in Symbolo vocat *tres personas coæternas, & coæquales*. Innoc.III. *cap.Firmiter. Pater generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, & coæquales, coomnipotentes, & coæterni*. In Concilio Rom. 3. Damasus Papa: *Si quis tres personas non dixerit veras, coæquales, semper viuentes, omnia viuificantes, saluantes, anathema sit*.

105 Ratio D.Thom. *art.3*.& D.Bonau. *dist.9.dub.2*. quia tripliciter significant nomina, significantia in diuinis substantiam. Quædam enim significant substantiam, & per modum substantiæ; vt nomen substantiuum, v.g. *Deus*, & tale nullo modo pluraliter dicitur, siue sit substantiuum, siue substantiuatum: sic & hoc nomen *æternus*, vt dicitur in Symbolo. Non tres æterni; sed vnus æternus. Quædam significant substantiam per modum adiacentiæ; sicut nomina adiectiua adiectiuè retenta, & genere tali sunt verba, & participia, v.g. Pater, Filius, Spiritus sanctus amant, vel sunt amantes.

Alia sunt nomina, quæ important substantiam in adiacentia, connotando intra relationem mutuam; qualia sunt, *coæterni*; & talia duplici causa possunt dici pluraliter, tum ratione significationis, siue modi significandi, tum ratione connotationis: & sic patet, non inferri. Sunt tres personæ coæternæ: ergo tres æternæ. Et si dicas, numerum pluralem multiplicare formam. Respondet S.Doctor, falsum esse in adiectiuis. 106

Ex his duplex ratio est deducta. Prima, quia consignificant relationes: Secunda, quia cùm illa adiectiua significent ad modum inhærentis, multiplicantur ad multiplicationem suppositorum. Ita etiam S.Thom. *dist.9.q.1.art.2. ad 1*. Richard. *d.22. q.7*. apud Forestum *c.10.in fine*.

Qværitvr etiam; an possint dici. Tres personæ vnius Dei. 107

Negant Magister *d.34*. ibique D. Bonau. *dub.5*. Ægid.Durand. & alij: Ratio est, tum quia non est in vsu: tum quia non significant formam; sed veluti habere, seu possessionem, sicuti dicitur: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, quò tolleretur formaliter, Deum esse Diuinas personas. Confirmatur; nam ex D. Bonau. similes propositiones dicuntur ad conuertentiam, vt si dico, mulier egregiæ formæ, possum conuertere egregia forma mulieris; at non potest dici: *Deum trium personarum*. Ergo neque tres personæ Dei. Possent tamen dici, *Tres personalitates Dei*. Sic enim tres rationes subsistendi exprimo.

Qværes adhuc; an possint dici. Tres personæ vnius essentiæ.

Respondetur, verissimè dici. Ita D.Bonau. *d.34. dub.5*. D.Thom. *1.p.q.39.art.1*. Ægid.Durandus,&c. Probatur: exprimitur enim essentia, vt forma trium personarum; & tres personas esse vnum Deum. Hanc propositionem decernunt Concilia. Toletanum sextum *cap.1*. Bracar. *1. cap.1*. sexta Synodus Generalis *act. 4. in epist. Agathonis Papæ*. Tradit S.August. *7. de Trin. cap.vlt*. & *lib.3. contra Maximinum*. 108

Hæc tamen propositio integra est dicenda, non mutila, puta. Tres personæ essentiæ, vel personæ essentiæ. Sic non possunt habere malos sensus; secus si omittas particulam *vnius*, & apponas. *Tres personæ Deitatis*; nam hæc vna esse scitur.

Qværes; an possit dici. *Tres personæ de eadem essentia*. 109

Respondet S.Bonau. *d.25.dub.2.litt*. ex Magistro, non esse dicendam; nam significat, & sonat personas productas *de*, vel *ex* essentia, vt re distincta. Et ita idem esset, ac essentia generat, & spirat, quod vetitum est in Concil. Later. *cap. Damnamus*. Ita etiam D. Thom. *quæst.39. art.2. ad 5*. & cæteri Theologi. Quòd si alicubi audias, *essentiam de essentia*, apud Patres. Respondetur, ibi abstractum sumi pro concreto, & emphaticæ enunciationis vim habere, ad consubstantialitatem filij contestandam.

Ex his habes, posse dici. *Vna essentia trium Personarum*. Sic enim signatur forma, qua constituuntur personæ in esse Dei vnius. Ea vsus est Agatho Papa *loc.cit*.& communiter. 110

Sic

Sic etiam potest consequenter dici, Tres personæ vnius definitionis. Sensus enim est, Tres esse vnius essentiæ; atque adeò quidditatis.

Vltimo quæres. An dici possit. *Deus est Trinitas.* Respondetur affirmatiuè ex dictis *disp.3. quæst.3. contra Porretanum.* Habetur etiam in Concilio Toletano vndecimò. Et in epistola Sophronij, & D. August. sæpè *5. de Trinitate*, & vera est, de fide, vt aduertit Suarez *lib.4. de Trinitate, cap.6.* Et hoc verum est etiam reduplicatiuè. *Deus, in quantùm Deus, est Trinitas.*



DISPVTATIO VIII.

De Persona Patris Dei.

POstqvam de Personis Diuinis in communi, & de numero earum peregi; agendum est iam de singulis. Quoniam verò prima Persona est Pater; ideò de illa primò agendum: sed quia sub diuersis rationibus nomina sortitur diuersa; ideò de ea, per sectiones partita disputatione agam.

SECTIO PRIMA.

De prima Persona Diuina, vt principium dicitur.

D.Bonau.d.29.q.1.
D.Thom.q.33.art.1.

NOtandvm ex D. Bonau. ad *psal.* 109. & hic, nomen *Principij* esse relatiuum, significans ordinem vnius ad alterum; atque adeò, vbicumque est aliquis ordo, posse habere locum, vt docet D. August. *lib.5.de Trin. cap.3.* In diuinis autem habet locum dupliciter, iuxta duplicem ordinem.
1 Si enim consideretur ordo, quem tota Trinitas, vt Deus, habeat ad creaturas, quarum est causa; sic nomen *Principij* dicitur in diuinis essentialiter, & est commune omnibus personis. Notionaliter verò dicitur, secundùm relationem originis ad intra. Et sic quidem respectu Filij est proprium Patris, & respectu Spiritus sancti, est commune, vt patet. Nunc non ago de ratione Principij, vt est communis toti Trinitati; de hoc enim cum de creatione disseram, *tract.3.disp.1.* sed de ratione Principij notionali.

QVÆSTIO I.

An, & quomodo nomen Principij *dicatur de Patre, & Filio.*

SS. DD.
II. cc.

2 OMnivm Catholicorum calculis nomen *Principij* de Patre, & Filio asserendum. Definitum est in Concilio Lugdunensi, sub Gregorio X. Patrem, & Filium esse vnum Principium Spiritus sancti. Refertur *cap.1. de summa Trinitate, & fide Catholica in 6.* Idem dicitur in Concilio Florentino *sess.19. in litt. vnionis.* Docet D. August. *lib.5. de Trin. cap.13. & 16.* apud D. Bonau. *fundamento 1.* Quoad rem, definitum erat in Concilio Nicæno, *Ex Patre natum*, idest Filium. De Spiritu sancto autem definitur. *A Patre, filioque procedit*, quod ab Ecclesia additum Concilij Nicæni, & Constantinopolitani Symbolis.

Probatvr secundò à D. Bonau. Principium est, vnde aliquid procedit, ex Aristot. *5. Metaph. cap.1.* sed in Diuinis vna Persona manat ab alia, nempè Filius à Patre: & Spiritus sanctus ab vtroque: ergo. Hoc argumento vtuntur D. Thom. & cum eo moderni, præcipuè Vasq. *disp.139. cap.1.* Valentia *disp.1.q.7.p.1.* Forestus *q.6. d.3.* Caspensis *disp.1. sect.1.* Baudun. *q.33.art.1.* Long. *q.33.art.1.* Morand.*q.19.* 3

Probatvr tertiò à D. Bonau. *ad cap.1. Ioannis*, ex illis verbis: *In principio erat Verbum*, quod explicat S. August. *6. de Trin. cap.2.* In Patre: sic etiam intelligunt Cyrillus *lib.1. in Ioan.cap.1.* iuxta id Ioan.8. *Ego à Patre exiui.* Hoc sumpsere ex Origene *homil.2. in diuersos.* Chrysostomo *homil.2. in Ioan.* Glossa. Concilio Syrmiensi *cap.27.* D.Thom. *hic*, Valentia, Nazar. & aliis. Et alludit ad illud Ioan.14. *Ego in Patre.* Vide Forestum *fol.360.* latiùs explicantem.

Quærit autem Glossa, cur dicat: *In principio*, non autem: *In Patre erat Verbum.*

Respondet aptè, Patrem dici primum principium, quod dicit, non esse ab alio, & alterius à se emanationem; vt enim ait Tullius *lib.1.Tusculanarum qq. Principij nulla est origo; & omnia ab eo oriuntur.* Talis est Pater, qui à nullo est, & omnia ab eo. Ita etiam D.Bonau.hìc, & loco infra citando *q.5.* quem sequuntur communiter, vt ait Suarez *lib.8.c.1.* 4

Addit S. Doctor, exponi etiam sic: In principio omnium creaturarum, vel in principio temporum, vel in principio, idest, æternitate; quem sensum, vt planiorem, acceptat Vasquez *cap.2.* iuxta id, 1.Ioan.1. *Quod fuit ab initio.* Quam explicationem tradunt etiam D. August. *loc. cit.* & *lib.qq. ex vtroque testamento, cap.122.* Basilius ad hæc verba, Chrysost. *homil.2. in Ioan.* Ambros. *lib.1. de fide, cap.5.* Tertullianus contra Praxeam *cap.5. & 16.* Hinc infert Vasquez *d.139.* non satis ex hoc loco colligi, Patrem esse principium; sed non satis cautè, vt aduertit Nazarius *q.33.art.1.controu.vnic. cap.2.* nam possunt esse plures sensus literales, & ex iis argumenta certissima erui. Talis autem videtur hic locus. Profectò magnum redolet Mysterium dici Verbum *in Principio*, non *ex*, vel *de Principio*; quia emanatio Verbi est singularissima, & emanans non recedit à suo Principio; sed semper in eo manet ab æterno, vt notat D. Bonau. ibi ex Patribus, quos recenset Forestus.

Hoc idem probatur à Seraphico ad *psal.119.* ex allegatis verbis, quibus adnectit ea psalmi. *Tecum principium in die virtutis tuæ*, vbi eleganter S.Doct. exponens. Hic commendat (ait) Christum ab æqualitate, dicendo. *Tecum*, à deitate; dicendo *Principium*: à fortitudine dicens, *in die virtutis tuæ*; à perpetuitate dicens, *ante Luciferum genui te.* 5

Vasquez *cap.2.* conatur hunc locum eneruare; quia D. Basilius *homil.10. Hexaëmer.* & Euthymius ad eum locum, non principium legunt, idest Patrem

Patrem; sed regnum, & imperium; quam expositionem sequuntur Genebrardus, & Iansenius, vt Pater ad Filium resurgentem loquatur: *Tecum regnum, & potentatus cum splendoribus sanctitatum.*

6 Enim verò nimis violenter raptus est sensus; nam, vt aduertit S. Bonau. *ibi*, iam locutus fuerat satis de principatu, dicens: *Virgam virtutis tuæ emittet, &c. dominare, &c.* nunc verò reddit rationem, cur Dominus rerum omnium sit agnoscendus: *Tecum principium, &c.* eò quod æqualis Patri genitus ab æterno: *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum*, idest à diebus æternitatis, vt innuit S. Doct. hic, & declarat *ad primum Ioan.* ex Michæa. Si autem sensus esset: *Tecum imperium*, repeteret iam dicta; neque Mysterium illud æternæ generationis, quod omnes ferè Patres hic accini clamant, exponeretur: & textus ipse testatur: *Ex vtero ante Luciferum genui te.*

Prætereà; etiamsi principatus etiam Christi hic innueretur, adhuc sensus esset: *Depones inimicos tuos; quia tecum est potentatus principium Pater, à quo infinitam habes virtutem, & tecum operatur.*

7 Vrget Vasquez contra; nam & illud Genes. 1. *In principio*, explicatur à Tertulliano contra Hermogenem de principatu ex Græco ἀρχὴ, quod & initium, & principatum significat. In qua posteriori significatione vsurpant prædictum nomen *Xenophon lib. 1. de Imperio*, Aristot. 1. *Polit.* Plato *de Republica.* Et Hebræa vox נדיבים NEDIBIM, principatum significat. Prætereà vox, *Tecum*, est in Hebræo, *populus tuus*; hæc enim variatio ex variatione oritur punctorum. Dies autem virtutis significat diem resurrectionis, vel diem iudicij, vt exponit Theodoretus.

Mirum, Vasquez diuertere à vulgata editione ad peregrinas, cum de sanciendo agitur dogmate, cùm tamen vulgata sola sit efficax, præ aliis, vt declarat Sanctum Concilium Tridentinum.

8 Principii nomen adscriptum filio ostendit S. Bonau. *ad c. 8. Ioan.* illis verbis: *Ego principium, qui & loquor vobis*, affertque expositionem D. August. *tract. 38. in Ioan. 1.* Credite, me esse principium, qui & loquor vobis; iam enim dixerat: *Nisi in me credideritis, moriemini*; quoniam verò Iudæi interrogabant: *Tu quis es?* Quem te credere debemus? Respondet: *Principium* in accusatiuo; nam Græcus habet τὴν ἀρχὴν in casu accusandi; vt aduertit S. Bonau. Argolici idiomatis callens. Credite principium Spiritus sancti à principio Patre, vt explicat Glossa ad ea verba: *In principio erat Verbum.* Ita explicant etiam D. Ambrosius *lib. 3. de fide, cap. 8. lib. 1. Hexaëmer. lib. 2. & 4. lib. de Tobia, cap. 19.* & D. August. *lib. 10. de ciuitate, c. 24.* & *lib. 11. c. 32. lib. 5. de Trin. cap. 13. lib. 1. contra aduersarium legis, c. 3.* & *tract. 34. in Ioannem*, & D. Bernardus *lib. 5. de consider.* Beda, Rupertus, & alij communiter. Ex nostris latè Forestus *fol. 323.* Porrò nomen PRINCIPATVS inuenio Isa. 9. המשרה HAMISRAH.

9 Potest quidem ampliari expositio, & vt significat Verbum principium essentiale creaturarum, vt aduertit ibi, & *dist. 29. dub. 5 litt.* S. Doct. Sicuti, & id psal. 109. *Tecum principium.* Et Apoc. 1. *Ego sum α, & ω. Principium, & finis*, accipi debet, ita vt se Deum argumentetur. Deinde subdens: *Qui & loquor*, humanam naturam assumptam denotat.

Eum locum, *Ioan. 8.* explicat S. Doct. etiam *dist. 29. dub. 5 litt.* vbi adnotat, Christum se vocasse, non antonomasticè, seu simpliciter principium; quod Patri debetur; sed principium, *qui*, & loquitur, seu *qui*, quod loquitur, quo explicat suam etiam Incarnationem.

In responsione verò ad 4. hic adnotat circa locum Apoc. 1. *Ego sum α, & ω. Principium, & finis*, quòd ratio finis conuenit Deo, respectu creaturarum tantum, non respectu alicuius Personæ diuinæ, quia in fine dicit excessum bonitatis, seu maiorem bonitatem, quàm sit in eo, quod est ad finem; at Persona Diuina, quæcumque sit, non est inferioris bonitatis, quam sit alia. Quo fit, vt non possit ad aliam ordinari, vt ad finem; tamersi ordinari valeat, tanquam ad principium. Ex his infertur, locum illum, quo Deus asseritur *principium, & finis*, simul non posse dici de Deo notionaliter; sed solùm essentialiter in ordine ad creaturas, vt etiam expressit Vasquez *c. 2.* ad eas verò dici Deum principium, definitum est in Concilio Later. *cap. Firmiter*, & *cap. Damnamus.* 10

Assero primò, nomen *principij* iure, ac meritò dici de Patre notionaliter. 11

Probatur ex dictis *Psal. 109.* & habetur passim apud Concilia, & Patres. Sic in Concilio Lugdunensi dicitur: *Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti.* Huic autem Concilio præfuit S. Bonau. iussu Gregorij X. supponit verò Patrem principium Filij. Idem statuunt, quoad rem, Concilia Toler. vndecimum *in confess. fidei.* Florent. *sess. 14 in litt. vnionis*, & Vormaciense *in confess. fidei*, de modo verò dicendi eorum agam *q. 2.*

Sic loquitur D. August. 5. *de Trinit. cap. 16.* apud D. Bonau. *fundam. 1.*

Probatvr ratione vtriusque Sancti Doctoris. Principium est, à quo alia. Sed à Patre sunt Filius, & Spiritus sanctus: ergo est principium, vt supra dixi. Adde, ab eo esse etiam creaturas, quæ principali quodam nomine ab eo creatæ dicuntur. *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem, &c.* 12

Assero secundò, etiam Filium verè dici principium; sed ex principio. Patet ex dictis *Genes. 1. Ioan. 8.* & ex Concilio Lugdunensi. 13

Monet verò vterque Sanctus Doctor, non æquè congruè adhiberi nomen *principiati*; quia sonat quid imperfectionis, nimirum correlatiui huius inæqualitatem, quæ aliis etiam in nominibus inuenitur, vt infrà. Tamen in rigore solam dicit originem, vt notat S. Doct. *in corpore*; tametsi locutio non ità sit candida.

QVÆSTIO II.

An Pater rectè dicatur Principium Deitatis, & Trinitatis.

D. Bonau. d. 15. dub. 6. & d. 29. dub. 1. & d. 27. p. 1. q. 1.

D. Avgvstinvs 4. *de Trinit. c. 20.* & Chrysost. *orat. 9. in fine*, hac vtuntur propositione, vt refert S. Bonau. cum Magistro *hic.* Idem asserit S. Dionysius *cap. 3. de diuinis nominibus*, vbi ait: *Fons supersubstantialis Deitatis Pater.* Et Athanas. contra Gregales Sabellij. Imò Concilium Toler. vndecimum vocat *fontem, & originem totius Deitatis.* Idem habet Concil. Florent. *sess. 19. in lit. vnionis.* Et quod difficiliùs, Concilium Vormaciense in confess. fidei, *Patrem vocat principium totius Trinitatis.* 14

Profectò his non significant, Deitatem produci, quòd est damnatum in Concilio Later. *cap. Damnamus*; sed quia Pater est principium cuiusque

que personæ, cui Deitas communicatur, seu est principium communicandi omnibus modis Deitatem. Ita explicat Canariensis *ad hunc art. D.Thomæ*, cum Magistro *dist.*29. Itaque essentia non dicit ordinem ad primam personam, tanquam ad suum principium, vt aduertit Valentia *disp.*2. *q.*7. *puncto* 1. & alij Scholastici 1. *dist.*29. cum S.Doct.

15 Clarius D. Bonau. sic exponit; vt abstractum *Deitas* sumatur pro concreto, & sensus sit, Pater est principium omnium personarum, non quia sit principium etiam sui ipsius; sed per distributionem accommodam, velut cùm dicimus: Cœlum continet omnia, non quia continet etiam se; sed quia continet cætera omnia à se. Dicitur ergo Pater principium omnium personarum procedentium. Similiter dicitur Pater principium totius Trinitatis, non quia tota Trinitas à Patre procedat; sed quia in Trinitate, Pater est primum principium, quo Trinitas constituitur numero personarum, ex multiplici, fœcundaque productione, quo pacto dicitur etiam, vnitas esse principium numeri ternarij. Cum D.Bonau. sentit Vasquez *d.*39. *c.*3. Suarez *lib.*8. *de Trin.c.*3. Morand. *n.*591. Dicitur ergo principium intrinsecum, non extrinsecum, vt prima Persona. Vide Nazar. *q.*33. *art.*1. *controu.vnica.*

16 Obiicies. Hoc nomen *Principium Deitatis* non conuenit Patri, vt Pater; quia sic est solius Filij principium; neque vt est spirator; quia est fons solius Spiritus sancti, neque vt dicit aliquid commune, quia nil habet commune, nisi essentiam, & spirationem cum Filio: ratio verò principij non videtur communis vtrique productioni.

Respondetur, significare vel aliquid commune confusè, vt dicit principium vnum subiectiuè, licèt virtualiter distinctum, quod non dat notionis distinctæ nouam rationem; vel significat particularium duarum emanationum principium. Ita etiam Suarez *loc.cit.n.*6.

Addit S.Bonau.meliùs dici: *Deitatis principium*, quàm *diuinitatis*; nam diuinum dicitur etiam de creaturis.

Dices ex D. Hieronymo 3. *Ephes.* Pater dicitur origo sui.

Respondetur, sensum esse, Patrem à se, idest à nullo esse.

QVÆSTIO III.

An possit dici Pater initium, *vel* causa.

D.Bonau.d.29.q.1. in argument.
D.Th.q.33.art.4.

Observat S. Bonauent. ad 2. *Initium* posse sumi dupliciter. Primò pro principio dante esse. Secundò pro durationis principio; & hoc secundo sensu propriè significare; atque adeò non posset dici, *Pater initium Filij*, quia significaret, filium incepisse. Ideò Concilium Tolet. vndecimum *in confess. fidei* declarat, filium natum sine initio. Idem habet Concilium Vormat: *in sua confess.* Vide Suarez *lib.*8. *cap.*3. Tannerum *disp.* 4. *quæst.* 4. *n.*14.

17 Addit consequenter S. Bonauent. *dub.*6. cum Magistro, Filium non esse dicendum, habere principium; quia sonat habere principium, etiam durationis; tametsi, vt sonat principium originis, verè dicatur. Ita etiam Vasquez *disp.* 139. *cap.*1. *num.*3.

Quomodo verò dicatur Micheæ 5. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis*; vbi loquitur de æterna Messiæ generatione, sicut de temporali dixerat: *Ex te (idest, Bethlehem) egredietur, &c.* Et Prouerb.8. *Dominus possedit me initio viarum suarum.* Et Ecclesiastici 24. *Ab initio, & antè sæcula creata sum.*

Respondetur, significare antè omnia tempora, & entia in æternitate, vt notat Vasquez *n.*3. cum D.Bonau. allegato, *disp.*1. *q.*7. Tanner. *disp.*4. *q.*4. *dub.*1. *n.*10. Caspensi *disp.*6.

An verò Pater Deus possit dici *causa* aliarum personarum; exactiùs est discutiendum, quia difficiliùs. 18

Obiicit autem sibi S. Doct. Aristot. 5. *Metaph. cap.*1. vbi facit, idem esse *causam & principium.* Et 4. *Metaph. text.*3. vbi ait: *Sicut ens, & vnum conuertuntur; ita causa, & principium.* Ex quo sequitur, vt, si Pater dicitur *Principium*; possit dici, & *causa*. Et quidem magna est contentio. An, secundùm Aristotelem, & Græcos, principium sit idem conuertibiliter cum causa.

Prima opinio est, principium esse idem omninò cum causa, sumpto principio, vt refertur ad principiatum extrinsecum, quod semper est distinctum, secundùm substantiam, à suo principio; & habet rationem effectus: at verò si sumatur principium latissimè, non conuertitur cum causa, etiamsi latissimè sumpta; nam primogenitus dicitur principium aliorum filiorum; sed non causa. Ita Soncinas 5. *Metaph.quæst.*1. *ad vlt.* & ibi Iauellus, Suarez *disp.*12. *Metaph.* Vasquez *ad art.*1. *quæst.*33. *D.Thom.* Fonseca etiam 5. *Metaph.* Caspensis *disp.*6. *num.*12. Forestus *fol.*322. Longus *q.*33. *art.*1. 19

Plurimi è contra volunt, causam latissimè sumptam conuerti cum principio, latissimè accepto, secundùm mentem Aristotelis: & Græcorum. Ita Petrus Bergom. author aureæ tabulæ, *dub.*1055. Flandrensis 4. *Metaph. q.*3. *art.*1. & *in quinto, q.*1. *art.*1. Seraphinus, Porrecta, Zumellus, & alij Thomistæ ad eum artic. vbi Nazarius *controu. vnic.* Alexander *in textum* 34. *Metaph. Aristotelis*: & videtur D.Thom. *hic.*

Qvoad S.Bonau. 1. *dist.*5. *dub.*3. *litt.* dicit *causam* propriè non cadere in diuinis; admitti tamen rationem principij; quo fit, vt latiùs pateat principium, quàm causa propriè. Et hoc concedit etiam secunda sententia. 20

*Dist.*19. *p.*2. *q.*3. *ad* 2. ait, nullius causæ habitudinem admitti in Deo ad intra; sed solum ad extra, respectu creaturarum.

*Dist.*20. *quæst. vltim. ad argumenta*, ait: Omne, quod emanat in his inferioribus, est effectus: & quod producit, est causa. Et ideò dicitur causa, ad cuius esse sequitur aliud ex Aristot. 5. *Metaph.text.*2. in diuinis autem est emanatio, ad quam non consequitur essentiæ diuersitas. Et ideò in diuinis non admittitur ratio causæ, vel effectus, secundùm Latinos, sed nomen *principij*; quamvis Græci, extenso nomine, vtantur nomine *causa* pro nomine *principij*. Idem habet *dist.*29. *q.*1. *in resolutione*, & *dist.*33. *dub.*4.

Dist. autem 29. *quæst.*1. *ad* 3. dicit, in creaturis idem est principium, & causa: & hoc est, quia productum differt à producente. Et ideò potest dici effectus eius: & istud potest dici causa: & in idem concurrit intentio causæ, & principij. Et similiter nomen, sed non in diuinis; quia ibi potest producens

producens esse vnius substantiæ cum producto; & sic respondet Aristoteli *loco citato*.

21 Igitur loquitur Aristoteles de principio productiuo, quod in rebus creatis semper distinguitur secundùm essentiam, & habet rationem causæ respectu producti; Philosophum autem non cognouisse, ait, principium productiuum in diuinis. Itaque S. Doctor est cum priori sententia.

Sunt autem explicanda duo illa Aristotelis loca. Primum est 4. *Metaph. c.* 2. vbi ait: *Sicut vnum, & ens conuertitur: ita causa, & principium.* Profectò non ponit, adæquatè conuerti causam, & principium: nam *cap.* 1. ponit multa, quæ sunt principia, non causæ; vt terminus: vnde, qui incipit moueri, est principium motus. Similiter initium viæ est principium eius. Sic & punctum est initium, ac principium lineæ; non tamen hæc sunt causæ. Itaque principium ad plura extenditur, quàm causa. Omissa

22 expositione Vasquez; quòd Aristoteles non affert causam, & principium in exemplum mutuæ conuersionis entis cum vno; sed identitatis ex natura rei in ratione obiecti, vt propterea vna, eademque scientia de vtroque agat. Ego dicerem, quòd ibi intendit distinguere principium à causa, & affert in exemplum ex parte principij ens; & vnum ex parte causæ. Nam ens, præter passionem vnius, habet alias, (vt sit verum, bonum) formaliter distinctas, & aliquali similitudine prætendit ostendere id, quod proposuerat; principium se habere, vt commune latiùs patens; sicut exemplis supra allatis ostenderat.

Secundus locus, quem refert S. Doctor est, 5. *Metaph. c.* 1. vbi ait: *Toties autem causa quoque dicuntur*, (idest quoties principia) & assignat rationem: omnes namque causæ principia.

23 Respondet Vasquez, summopere sibi placere expositionem Alensis: ibi comparare cum causis, non omnia principia, sed ea, quæ non retulit, atque velle dicere; præter principia enumerata *cap.* 1. sunt alia, quæ referam adæquantia numerum causarum. Et obseruat è Græco; si verbum pro verbo transferas, haberi sic: *Toties, seu aquè porrò, atque causa dicitur*, (principium supple) non autem sic: Toties autem causæ dicuntur in plurali, quo significaret, tot modis dici causam: quot principium. Et hunc modum à Magistro suo ebibit Seraphicus linguæ Græcæ peritissimus.

Ex his habes, ineptam esse Thomistarum expositionem: *Toties causa dicuntur, quoties principia. Omnes enim causa principium*, sumpta causa latissimè, sic enim argueret Aristoteles: Omnes causæ sunt principia. Igitur tot modis dicuntur, quot principia: perinde enim esset, ac si quis diceret; tot esse homines, quot animalia; quia omnes homines sunt animalia.

24 Ad rem igitur nostram, Patres Græci nomine *causa*, in diuinis emanationibus vsi sunt, Basilius *lib.* 1. 3. & 4. *in Ennom.* Nyssenus opusc. *Quòd non sint tres Dij.* Nazianz. *orat.* 29. Damasc. *lib.* 1. *de fide, cap.* 8. & 11. & *alibi sæpè.* Theophylact. *in cap.* 11. 1. *ad Corinth.* & alij apud D. Thomam *opusc. contra Græcos*, imò ex Latinis, Hilarius 9. *de Trin.* vbi ait, Filium ex Patre causam sumere. Sed aduerto, Hilarium scripsisse libros de Trinitate in Phrygia, vt habetur in vita eius in Breuiario. Iam verò in Phrygia Græco idiomate vtebantur. Sic ergo se aptauit, sicut Ioannes Theologus Latinorum in Concilio Florentino *sess.* 23. & 24. vsus est nomine Latino

25 *causa*, quia cum Græcis loquebatur. Interpretes profectò Latini meliùs vertissent Sanctos Patres Græcos: vbicùmque ea vox *αἴτιον*, *Principium*, quàm *causam*; nam certè vox illa Græca in rigore non includit imperfectiones causæ, vt productiua sit entis naturâ diuersi, seu distincti, &c. quòd sit prior realiter, ac nobilior, quàm id, quod à se procedit; quæ nomine causæ includuntur, in quod transtulere nomen Græcum supra relatum ex inopia Latinæ linguæ; sicuti nomen hypostasis, vt dixi *disp.* 5. *q.* 2. Certè si Aristoteles diuinas Personas cognouisset, eis nomen Græcum relatum, quod nos semilingues traduximus *causam*, rectè adscriberet, vt notat Vasquez. Quam inopiam, & impropriam translationem agnouit Hilarius *lib.* 4. *de Trin.* vbi ideò negat, Patrem esse causam Filij.

Quocirca Bessarion *in oratione pro vnione*, quæ habetur *sess. vlt. Concilij Florentini*, cum sæpè vsus fuisset nomine causæ, *cap. vlt.* tandem se declarat, dicens: *Notandum primò, quòd Sancti Doctores Orientales, etiam in diuinis vtuntur nomine causa, & causati largo modo, non quidem, vt limitationem, & dependentiam importat; sed prout emanationem, & productionem à principio, eius quod est à principio, significat. Et ideo me etiam ad Græcos loquentem, his nominibus vsum fuisse.* Fatetur verò in eadem oratione, *cap.* 3. Cyrillum Alexandrinum *epistola ad Hermiam*, cum Occidentalibus (intelligit Latinos) non admittere in diuinis nomen *causa*, & *causati*: Ex quibus apparet, ipsos Græcos agnouisse imperfectam translationem nominis Græci in nomen Latinum *causa*, ad explicandum maximè hoc mysterium. Nomine tamen *effectus*, nec Græci vsi sunt, 27 quia dicit dependentiam à distincto naturâ, vt notat Tannerus *disp.* 4. *q.* 2. *dub.* 1. Nazar. *q.* 28. *art.* 1. Zumellus *d.* 1. Morand. *q.* 1.

Quapropter Latini nomine *causa*, in diuinis emanationibus vti recusant. Sic D. Bonau. locis adductis, & omnes alij Scholastici, *d.* 29. Albert. Magn. 1. *p. q.* 43. *memb.* 1. Alens. 1. *p. q.* 46. *memb.* 2. S. Thomas contra errores Græcorum *c.* 1. & 1. *p. q.* 33. Nazarius *controu. vnic. concl.* 3. Tannerus *d.* 4. *q.* 2. *dub.* 1. *n.* 15. qui *n.* 16. aduertit, non rectè Aureolo à multis adscribi; quòd dixerit, posse dici Patrem causam Filij. Molina *q.* 33. *art.* 6. *disp.* 3. vbi id probat, cum D. Bonau. & D. Thom. locis allegatis. Quia neque vna persona est causa alterius materialis, vel formalis, vt patet; neque finalis: alioqui esset perfectior ea, quæ ad finem; cùm finis sit nobilior his, quæ ad eum: neque in genere efficientis, quia tunc Filius esset effectus Patris: ac proinde factus, quod est hæreticum: nam in Symbolo Filium asserimus *Genitum*, *non factum*; & Athanasius in suo Symbolo; *Spiritum sanctum*, ait: *A Patre, & Filio, non factum, non creatum.*

Quòd si S. August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 16. ait, Deum 28 æternum esse causam æternæ sapientiæ. Et 7. *de Trinitate*, *cap.* 1. dixit: *Quod est Deo causa, vt sit, est etiam causa, vt sit causa*, vsurpauit, non pro causa reali, vel principio: sed pro ratione, vt aduertunt Suarez, Vasquez, & alij, qui aduertunt, eodem sensu locutum Hieronymum *in c.* 3. *ad Ephes.* dum ait; Deum esse causam suæ subsistentiæ.

Ideò & Eugenius IV. *in litteris vnionis*, protestatur, permisisse vti nomine *causa* in reuerentiam Sanctissimorum Patrum Græcorum, & illorum Latinorum, qui conformiter Græcis locuti sunt. Quapropter infert Forestus *de modis dicendi*, *c.* 14. non esse nota dignum Theologum, etiam his temporibus, vtentem nomine *causa*; sed solùm improprietatis argui. Hinc tamen non satis id deducit: nam in Concilio Florentino permissum est

est, vti eo nomine ad disputandum; donec, Bessarione declarante, conclusum est; impropriè locutos, nomine causæ vtentes, quasi in posterum non sit vtendum; quia inter Latinos degimus, apud quos nomen Græcum imminutè dicitur.

29 QVÆRES; an possit saltem Pater dici *author* Filij.

ASSERIT D. Hilarius 4. *de Trin.* nec renuit D. Thomas 1.*d.*29. Caiet. Canariensis, & alij *ad art.*4. *q.*33. Morandus *cap.*19. D.Bonau.*d.*27.*p.*1.*q.*2.*ad* 3. allegans D. Hilarium, & addit; authorem dicere authoritatem, quæ Patri conuenit soli. Quo sensu Phebadius *lib. contra Arrianos*, qui habetur *tom.*5. *Biblioth. Patrum*, appellat Patrem, authorem sine authore. Minùs verò rigorosè, *lib.*2. *de Trin.* idem Hilarius, sumens nomen auctoris, ait: *A Patre, & Filio authoribus confitendum Spiritum sanctum.* Cùm D.Bonau. incedit Vasquez *c.*6. *disp.* 139. licèt sine vlla exceptione, nomen auctoris etiam Filio concedat, respectu Spiritus sancti; cum tamen propriè subauctoritatem dicat, vt notat S. Bonau.

QVA ratione D.Bonau.*d.*29.*dub.*2. ostendit, Patrem esse principium sine principio; quia solus à nullo est, & appropriari illi nomen principij creaturarum; dum dicitur in Symbolo: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem, &c.* Filium verò esse principium ex principio: Spiritum verò sanctum nullo modo ad intra; sed solum respectu creaturarum. Vide S.Bonau.*dist.*20.*q.*2.

30 Porrò nomen *authoris* Patri concedit idem S. Doct.*dist.*9.*dub.*14. & D.Thom. *q.*33. *art.*1.*ad* 2. *& de Potentia,q.*10.*art.*1.*ad* 9.*&* 17. Dixicerunt ex Patribus, Nazianzeno *orat.*29. Athanasio *dialog.*1.*contra Macedonium*, & *dialog.*1. *de Trinitate cont. Anomaeum*, & *dial.*2. & ex Dionysio *de cælesti Hier. c.*1. vbi Deum *Lucis authorem* vocat, cùm antea Filium Lucem Patris dixerit, præcipuè verò è D.Hilar.qui frequenter hoc nomine vtitur, *lib.*4.6.7.*&* 9.*Trin.* vbi tamen addit; filium non habere in contumeliam, qui se authoris sui esse imaginem genuinâ natiuitate confirmat. Idem asserit, *lib.*10.11.*&* 12. & *lib.de Synodis ad can.*1.*&* 2. Orientalium.

Sic & Filius dicitur auctor Spiritus sancti ab Athanasio ad Serapionem, Hilario 2.*de Trin.* Admonet verò S.Augúst. *lib.*1. *contra Maximinum*, *c.*14. nomen *auctoris* non esse admittendum in Patre, si inde minor asseratur Filius, idem dixerat. Hilarius *suprà.*

QVÆSTIO IV.

An nomen Principij *dicatur vniuocè de Principio essentiali, & notionali; & similiter de notionali respectu personarum.*

D.Bonau.d.29.q.2.
D.Thom.d.29.q.1. art.1.

31 SCIENDVM primò ex D. Bonau. *dist.*29. *dub.*4. nomen *principij*, secundùm nostrum conceptum, priùs dici de essentia, quàm de personis; sicuti essentia intelligitur priùs personis; & essentialia sunt priora, secundùm conceptum, quam notionalia, vt in subiecto considerata: at verò, si considerentur in ordine ad terminum, sic principium dicitur priùs notionaliter, quàm essentialiter: priùs enim producuntur personæ intra, quàm extra creaturæ. Hæc autem prioritas est realis: nam est æterna, sicuti æterna est productio personarum. Idem docet D.Thomas 1.*dist.*29. & Albertus ibid.

SCIENDVM secundò, prioritatem necessariam ad vniuocationem non esse solius rationis; sed rei, vt docet Aristoteles in Antepraedic.

PRIMA opinio est, principium dici in diuinis vniuocè de principio notionali, respectu personarum; & de essentiali, respectu creaturarum. Ita Henricus Anglicus, quem refert Capreolus 1.*d.*29. *q.*1.*art.*2. *argumentis contra tertiam conclusionem.*

SECVNDA sententia est dici æquiuocè. Ita Gabriel *disp.*29. *q.*1. *art.*2. & videtur declinare ad eam Scotus 1.*d.*29.*q.*1. vt notat Marginista Seraphici, & Forestus ibidem.

TERTIA sententia est, nomen *principij* de essentiali, & notionali, in diuinis dici analogicè. Ita vterque S.Doct. *hîc.* Scotus *d.*29.*q.*1. Durand. *q.*1. Capreol.*q.*1.*art.*1. Marsil. 1.*q.*31.*art.*3.*dub.*4. Canar. *in art.*1.*q.*33. *D.Thom.* Vasquez *disp.*139.*c.*4. Tanner. *disp.*4.*q.*4.*dub.*1.*n.*4. Nazar. *ad art.*1.*q.*33.*controu.vnic. concl.*2. è nostris Caspensis *disp.*6. *sect.*1. Forestus *fol.*314. Longus *q.*33.*art.*2. Baudun.*q.*33.*art.*1.*in fine.* 32

ASSERO primò, nomen *Principij* de solis notionalibus dici, quasi vniuocè. Dixi *quasi*: quia non est ibi ratio generis, vel speciei: in quo decipitur Arriaga *disp.*46.*sect.*1. ponens vniuocationem in diuinis emanationibus, modo refutato. Id eo modo assero, quo asserui, personam dici de Personis diuinis *disp.*6. *q.*4. vide ibi; quia eadem est ratio. Itaque potest magis dici analogicè.

ASSERO secundò. Principium in diuinis non dicitur vniuocè de principio ad intra personarum, & de principio ad extra creaturarum.

Optimam rationem acclamat Vasq. eam, quæ est Scoti, & refertur ab Henrico Anglico supra, à Coriolano *q.*33.*art.*1. Relationi reali, & rationis nequit aliquis conceptus communis vniuocus assignari. De ratione autem principij essentialis est respectus rationis ad creaturas; de ratione verò principij notionalis est relatio realis: ergo. 33

HÆC tamen ratio è D. Bonau. sublata, in eo, in quo immutatur, redditur infirma: sic ergo S.Doct. arguit *in corpore, & fundamento vltimo.* Vbi est priùs, & posteriùs reale, ibi non potest esse vniuocatio; sed in diuinis principium notionale intrinsecè connotat intrinsecum æternum necessarium; at principium essentiale connotat temporale, liberum extrinsecum. Quò fit, vt ad primum sequatur respectus realis, ad secundum respectus rationis; at omnibus his non datur commune vniuocum. 34

HINC deficit ratio Scoti: quia non comparat principium essentiale cum notionali, in ratione principij, in actu primo, aut in actu secundo; sed secundum aliqua, quæ consequuntur: nam relatio rationis non ingreditur rationem principij, vel productionem, secundùm quam fit comparatio; sed resultat, non modo post rationem principij, in actu primo constituti; sed etiam post productionem, postquam creatura refertur ad Creatorem, ac perinde nos secundum rationem effingimus Deum referri ad creaturas. Debent autem comparari entia in suo esse intrinseco formali, generico, vel specifico; vt cognoscamus; an commune aliquid vniuocum habeant. Profectò relatio rationis non ingreditur rationem intrinsecam principij creaturarum: nam Deus esset principium actu secundo productiuum creaturarum, etiamsi non daretur intellectus concipiens illum rationis respectum ad creaturas. 35

MELIVS igitur S. Doct. comparat productionem cum productione, in qua interuenit, & principium,

pium, & actio, quæ est in fieri; & eodem modo arguit Richard. *d.29.art.1.q.2.* & Alensis 1. *p.q.70. memb.1.* Idem propè attigit Durandus; tametsi non omninò, quia recedit inferens, si ratio principij conueniret his, conueniret vniuocè etiam ratio potentiæ; sed ratio potentiæ non conuenit vniuocè potentiæ productiuæ ad intra personarum, & potentiæ ad extra productiuæ creaturarum: ergo.

Ratio ergo solida assertionis est, quam affert S. Bonau. *in fundamentis*, quia non est inuenire rationem communem perfectè.

37 Assero tertiò, principium dici analogicè de principio notionali, & essentiali, non æquiuocè.

Probatur à D. Bonau. *in corpore.* Æquiuocatio cadit in nomine, quando ad plura significanda institutum est, & determinatè singula exprimit, vt canis, qui immediatè significat canem cœlestem, terrestrem, & marinum. Analogia autem euenit, cum non immediatè significat aliquem; sed vnum commune similitudine, vel proportione. Tale est hoc nomen *principij*, quod non significat immediatè principium Filij per generationem, vel principium creaturæ per creationem; sed significat principium producendi cum proportione; primò de principio diuinarum emanationum ad intra, qui modus producendi est præstantior; quàm essentialis, cuius signum est, quòd sibi adæquatè assimilat principiatum, non sic essentiale respectu creaturæ, quæ in infinitum à Creatore distans producitur. Neque tamen volumus dicere, hæc principia in se inæqualia in perfectione, vt aduertit S. Bonau. sed solùm in effectu, seu connotato. Ita etiam D. Thom. *hic*, Marsilius, & Canariensis *suprà*, & Vasquez *c.5.*

38 Obiicit sibi D. Bonau. ex D. Basilio. *Filio Dei, & creaturis commune est accipere*: ergo commune est & dare. Ergo, & principium.

Respondet cum Alberto, Filium accipere, similiter, & creaturas accipere, sed acceptio est analogica: nam Filius accipit primò per se essentiam infinitam; at creatura aliquam finitam entis participationem.

Instat Anglus: nam effectus diuersus non tollit vnitatem causæ. Sic enim sol generat hominem, & leonem, ac plantas, & mineralia, & nomen causæ conuenit ei vniuocè cum homine, generante solum hominem.

Respondetur, etiam solem dici causam non vniuocam ratione connotatorum; quia, licèt non ponat æquiuocationem in causa; tamen in ordine ad connotata ponit diuersitatem causæ. Addo etiam solem esse causam æquiuocam, vt talis est, ampliorem vniuocâ.

39 Obiicit secundò. Principium essentiale, & notionale sic differt sicut essentia, & relatio; & sicut sapientia genita, & sapientia essentialis; at hæc sunt vnum vniuocè: ergo.

Respondet S. Doctor, negando paritatem: nam hæc solùm comparantur in se; at principium in ordine ad connotata, quæ non sunt omnia æqualia; sed aliqua extra finita, libera, temporalia. Itaque non aduenit analogia ex eo, quod habet principium diuersitatem in Deo: & per hoc patet aliud, quod obiici potest.

Obiicit vltimò. Vbi est analogia, ibi est priùs, & posteriùs, sed hoc non est in diuinis: ergo. Confirmatur, quia deberet esse diuersitas aliqua.

40 Respondet S. Doctor, cadere priùs, & posteriùs in effectibus, è quibus causa dignoscitur; similiter in Deo, licèt non sit diuersitas in re; est tamen in modo significandi: quia aliud est intelligere essentiam; aliud intelligere personam. Hæc tamen diuersitas non est æquiuoca; sed completè analoga ad effectus.

Obiicit etiam ad probandam æquiuocationem. Si aliquid in vna sui acceptione habet vnum oppositum, & in alia aliud, dicitur multipliciter, idest, æquiuocè. Sed principium notionale dicitur de increatis personis; at essentiale de creatis: ergo. Maior est regula Aristotelis 1. *Top.*

Respondet S. Doctor, veram esse regulam Aristotelis, quando nomina sunt opposita, nec vniuntur in aliquo, nec vniuocè, nec analogicè, quod sit illi termino oppositum. Sed primò, & per se opponuntur, non sic autem est in proposito; quia principium non dicitur primò ad Filium, vel ad creaturam; sed ad id, quod est productum, vel principiatum in genere, quod postea dicitur de Filio, & creatura; quamvis non vniuocè, sed analogicè. 41

SECTIO II.

De prima Persona Diuina vt ingenita, seu innascibili.

QVÆSTIO I.

An detur vna Persona Diuina, quæ non sit ab alia.

Necessariò dari vnam Personam Diuinam, quæ ab alio non sit, satis neruosè ostendi, *disp.1.q.2.* & *disp.2.q.1.arg.5.* & *q.2.assert.2.* quia alioqui posset abiri in infinitum. 42

Probatur etiam à Seraphico *serm.11. Hexaëmer.* quia summa perfectio principij est, vt sit vnum, à quo omnia, & in quo omnis virtus productiua sit.

Secundò, quia vbi est perfectus ordo, debet esse vnum primum, medium, & vltimum; at in diuinis est perfectus ordo: ergo. Minor probatur; nam ordo ad perfectionem attinet.

Hac ratione vtitur Suarez *lib.1. de Trin. c.4.n.17.* Confirmatur: nam inter duos primos æquales, quis ordo esse potest?

Tertiò. Sicut in causis ad extra debet deueniri ad vnum primum principium, non solùm ordine, sed etiam causalitate; ita in principio ad intra, ne abeatur in infinitum, & tollatur omnis influxus, qui per infinita principia nunquam ad immediatè producens deueniret, vt ostendi *tract.1. disp.1.q.5.* 43

Qvartò. Si essent duæ personæ primæ: ergo si haberent eandem naturam, haberent eandem potentiam, intellectum, voluntatem; & eodem signo à duabus procederet secunda Persona: nam eodem signo esset fœcunditas in vtraque, quod à simili constat in emanatione Spiritus sancti, qui ideò est à Patre, non solo; sed etiam à Filio, quia eo instanti, quo Pater spirat, inuenitur eadem fœcunditas voluntatis in Filio; & eadem de causa opera ad extra sunt indiuisa, & communia toti Trinitati; quia in eo signo, quo intelligitur omnipotentia causare ad extra, iam intelligitur existens in tribus personis communis, vt docet D. Bonau. *d.27.p.1.q.2. ad tertium.* Sic ergo, si essent duæ primæ personæ improductæ, omnis

productio intra esset indiuisa respectu illarum. Ergo non possent distingui per relationes disparatas, in ordine ad terminum productum. Hoc desumpsit Suarez ex D.Bonau. *loc.cit. Hexaëmer.* vbi infert, quòd in diuinis sequeretur inordinatio, tolleretur originum perfectio, & Trinitatis mysterium. Idem probat S.Doct. 1.*dist.*2.*q.*3.

45 QVINTÒ probatur à S. Doct. *loc.cit. Hexaëmer.* Simile se habet ad dissimile, sicut idem ad diuersa; sicut vnum ad multa, de necessitate tamen idem præcedit diuersa, & vnum multa, & æquale inæqualia. Ergo productio rei similis, æqualisque præcedit productionem rei dissimilis, & inæqualis. Sed creatura ab vno producitur, & est dissimilis, & inæqualis. Ergo præsupponitur ab vno primo productio similis in deitate, nam inæqualitates ex æqualitatibus oriuntur, secundùm Boëtium.

DICES: creaturæ sunt à tribus personis, quæ tamen sunt vnum principium; quia vna est potentia, quid ergo prohibet, quin personæ procedant à pluribus primis eadem virtute?

Respondet S.Doct. *ibi*, non posse id simile fieri supposito mysterio Trinitatis, alioqui certè tollitur Sanctissima Trinitas, si à duabus primis tertia oritur.

46 Prætereà illa debebit oriri ex natura, quia hæc est prima productio, & ita tertia à duabus orta, erit Verbum; & sic deficiet communicatio secundùm voluntatem, & per rationem dilectionis, quod necessarium tamen est: quia, vbi est summa beatitudo, ibi est summa amoris communicatio. Vrgeo; ineptum esse admittere fœcundum in Deo intellectum, & sterilem facere voluntatem. Vide Seraphicum diuiniùs eloquentem, cuius omitto cætera, vt oraculum consulas.

ALIA ratio affertur etiam à D. Hilario *lib. de Synodis*, vbi dicit: *Si quis innascibilem, & sine initio dicat Filium; quòd duo sint principia, & duo innascibilia, & duo innata dicit, duos faciens Deos, anathema sit.* Vbi infert, eum, qui duos asserit innascibiles, facere duos Deos. Ratio est, quia illæ personæ non differrent relatione, quia essent improductæ, & consequenter non referrentur adinuicem: ergo naturâ. Eadem est ratio SS. Athanasij, & Fulgentij; ideò non rectè à Scoto impugnatur contra D. Thomam, vt vidimus, *disp.*2. *q.*1. vbi etiam agnouimus, eandem esse rationem Seraphici.

QVÆSTIO II.

An esse Ingenitum, & Innascibilem sit proprium Patris.

D.Bonau.d.28.q.3.
D.Thom. q.33. art.4.

NOMEN ἀγέννητον Latinè significat *increatum*, & *ingenitum*. Ideò respuerunt Patres antiqui, maximè Græci, illud Patri concedere, quia illo abutebantur Arriani, vt filium è regione γεννητὸν creatum, & factum blasphemarent, sicque negarent eum ὁμοούσιον Homousion, hoc est eiusdem cum

47 Patre substantiæ. Sic reiecere D.Dionys. Alexandrinus *epistola ad Samosatenum*, apud Turrianum in Hipolotheca initiò, Athanas. *dialogo orthodoxi, & Anomei*, & *epistola de decretis Nicenæ Synodi*, & *oratione* 2. contra Arrianos. Hi tamen in sensu Catholico admitti posse, fatentur, eamque solùm eliminant ob hæreticorum abusum.

Alio etiam sensu adulterino adhibebant hæretici, maximè Eunomius, hanc vocem *Ingenitus*, vt Patrem sterilem assererent, vt refert D. Basilius *lib.*1.*cont. Eunom.* post medium Nazianz. *orat.*39. & Nicetas ibi ad ea verba. *Pater Pater est.*

ALIAM etiam rationem addebant Patres, cur hanc vocem non admitterent; quia, scilicet non inuenitur in Scriptura. Arbitror equidem, id eos 48
addidisse, eò quòd non haberent è Scriptura, vnde genuinum sensum, hæreticis abutentibus opponerent, non autem simpliciter, quia nomen *ingeniti* in Scripturis integer non habeatur. Huius rei hoc mihi indicium: nam iidem Patres vocem *Homousion* adhibent, cum fateantur ingenuè, in Scriptura haberi solùm, quoad sensum.

IAM verò Patres Latini, & Græci, excussa caligine Arrianica, vocem Græcam ἀγέννητος, & Latinam *ingenitus* absque periculo admittunt, ad exprimendum Patrem non productum generatione, quæ prima est, atque adeò, nec spiratione, quæ sequitur; quò fit, vt multò minùs possit extrinseca productione esse factus, quæ est post emanationes ad intra. Hanc vocant Patres characteristicam proprietatem Patris Dei, vt notat D. Bonau. *dist.*27. *dub.* 5. *littera*, atque Patris notionem appellant Scholastici, cum D.Bonau.*ibi*, & D.Thom.

Hanc vocem, ad denotandam proprietatem so- 49
lius Patris, in ea significatione admiserunt Patres Synodi Antiochenæ, *epistola ad Samosatenum*, apud Turrianum *loc.cit.* Basilius *lib.* 4. *contra Eunom. c.*2. Nazianz.*orat.*38.& Nicetas ibidem *loc.cit.* Athanas. *epistola de Synodis Arimini, & Seleucia*; & *orat.* 2. *contra Arrianos.* Iustinus *in expositione fidei.* Cyrill. *lib.*1.*Thes.* *c.*2. Damasc.*lib.*1.*de fide*, *c.*9.

Ex Latinis ea voce vtuntur Concil. Tolet. sextum, & vndecimum *in confess.fidei*, Damasus *in Symbolo ad Hieronymum*, Hilar. *lib.de Synod.* & *lib.*4. *de Trin.* & *lib.*9. vtitur nomine *Innascibilis*, quo frequentiùs Scholastici vtuntur, Augustinus etiam eadem voce ingeniti vtitur, *lib.*5.*de Trin, c.*6. & 7. & *lib.*15.*c.*26. & *lib.*83. *quæstionum, quæst.*2. & nulla iam est difficultas, vt ostendit erudite Macedo *collat.*8. *diff.*3.

Obseruat porrò Damascenus, vocem Græcam, cùm significat increatum, ita scribi ἀγένητος cum vnico ν; at cùm significat nullo modo procedentem, scribi duplicato ν. Patres hac de re allegat D.Bonau.*dist.*28.

PRO declaratione huius nominis *Ingenitus* ad- 50
uertit D.Bonau.*d.*28.*q.*1.*in corpore*, quòd ingenitum negat esse genitum. Tot autem modis dicitur ingenitum, quot modis dicitur genitum, eius oppositum: hæc est enim natura oppositorum, vt totidem modis dicantur. Ingenitum sanè est idem, ac non genitum ex D.August. 5.*de Trinit.c.*6.7.& 9.

PRIMÒ ergo genitum dicitur, quod est generatione propria productum. Secundò modo dicitur id, quod aliquo est productionis genere productum. Ita igitur & ingenitum significare potest primò id, quod præcisè per generationem non est productum. Secundò id, quod nullo modo est productum: & hoc modo est notio Patris significata nomine ingeniti, quòd ad vniuersalem negationem deducitur, & quidem meritò: nam, cùm inter nos productio naturalis vnius substantiæ ab alia fit solum per generationem, fit vt negata natiuitate, tollatur omnis processio naturalis; vnde fit, vt in diuinis, quibus damus vocabula ab humanis rebus sumpta,

sumpta, *ingenitum*, nostro modo transferatur ad negandam omnem processionem ab alio. Quò fit, vt Spiritus sanctus non dicatur propriè ingenitus in tota sua latitudine significationis, tametsi generatione non producatur: atque adeò non sumatur ingenitum præcisè, vt transfertur ex humanis; sed prout alteram productionem in diuinis excludit, eamque, quæ inter nos non habet exemplum, admittit, idest procedere substantiali emanatione per voluntatem.

51 POSSET verò aliquis dicere, neque essentiam esse genitam, vel alio modo productam, atque adeò posse dici ingenitam sensu vniuersali.

At essentia, licèt improducta, est tamen communicata à Patre Filio; & Spiritui sancto ab vtroque; at Pater neque est productus, neque communicatus. Et hoc est, quod ait S.Bonauent. *in corpore §.Tertio modo potest esse negatio*, vt aduertit Coriolanus *quæst.33. art.3.*

Ex quo habes, esse ingenitum in Patre dicere nobilitatem; quia dicit esse simpliciter primum à se; non sic in Spiritu sancto, qui, licet non producatur per generationem; producitur tamen alio modo. Non est tamen in Patre perfectio simpliciter simplex, quia non est melior; quam esse productum Filij, vel Spiritus sancti, easque passiuas processiones, quæ sunt infinitæ terminationes fœcunditatum; excludit. Deinde, quia excludit communicationem infinitæ bonitatis, quæ conuenit essentiæ, & est perfectio infinita, iuxta regulas latas *tract.1. disp.4. quæst.1.* Perfectio enim simpliciter simplex non excludit omnem aliam meliorem, siue æqualem.

52 FALLITVR verò Coriolanus *loc. cit.* dicens, ingenitum dicere priuationem entis; non perfecti, eo quod dicat negationem relationum passiuæ processionis, quas falsò dicit, non dicere perfectionem, vt ostendi *disp.3.quæst.10.*

Vt autem videas meliùs quo pacto ingenitum sit notio Patris; non essentiæ; tametsi, & illa nullo modo sit producibilis. Obserua ex D.Bonau. *in corpore*, aliquas esse negationes in genere: alias extra genus: alias partim in genere, partim extra. Negatio in genere negat aliquid determinatè alicui subiecto, vt, non esse simile determinat qualitatem: inæquale quantitatem; non idem substantiam. Et hæc conuenit cum priuatione, quæ itidem determinat sibi subiectum. Negatio extra genus est illa, quæ amplectitur vtrumque membrum; nam, quatenus est extra genus, sic priuat generaliter, & non ponit aliquid, vt non album, quod non est in genere coloris, vel qualitatis, quatenus vero est in genere, sic priuat albedinem; & ponit qualitatem contrariam, vt non album, quod caret albedine; sed tamen est nigrum.

53 IAM verò ingenitum, vt dicit negationem meram extra genus, conuenit etiam Deitati: at verò, vt dicit carentiam, connotantem subiectum particulare, & conuenit cum priuatione, sic est proprium patri; quia, licèt non dicat carentiam in subiecto, apto gigni, vt, *Pater est*, tamen connotat aptitudinem, vt est persona, quia personæ diuinæ potest conuenire gigni, quatenus persona diuina est; aliquando enim priuatio dicit carentiam in subiecto apto, non in indiuiduo; sed in specie, vel in genere; sic enim cæcitas in Talpa est carentia visus in subiecto apto, non vt tale animal est, idest, Talpa; sed vt animal. Ex quo fit, vt tales priuationes non sint carentiæ formæ, quæ deberet inesse, & dum abest, reddat subiectum monstrosum. Eodem modo, cum D. Bonau. respondet D.Thom. ad 2. & Commentatores. Suarez *lib. 8. cap.2. num.4.* Coriolanus *q.33. art.3.* differentia tamen adæquata ponetur *quæst. sequenti*.

ASSERO; ingenitum esse Patris notionem propriam.

PROBATVR primò ex D.Athanasio ad Serapionem, vbi ait. Spiritus sanctus non est ingenitus, quia principiatum esse habet; & ingenitum soli Deo Patri Ecclesia congregata apud Nicæam rectè, & fideliter attribuit; & de solo Patre hoc esse credendum, & prædicandum toti mundo sub anathemate mandauit. Ità docent etiam Concilia Tolet. sextum, & vndecimum, & Vormat. *in confess.fidei.* Damasus *in expositione fidei ad Hieronymum*, Hilar.4.*de Trinitate*, & 9. vbi vtitur nomine *Innascibilis*, August. *lib.5. de Trinit. cap.6. & 7.* & *lib.15. cap.6.* & *lib.83.qq. q.2.* Fulgen. *ad septimam obiect. Arrian.* vbi dicit; secundum fidem negari non posse. Idem habet Basil. *lib.1. & 2. in Eunom.* vbi etiam vtitur nomine *Innascibilis.* Cyrillus *in compendiaria fidei expositione tom.4. Biblioth.* Anastasius Synaïta *lib.1. de rectis fidei dogmatibus.* Nazianzenus *orat.23.* vbi ingenitum vocat proprietatem Patris characteristicam; vt supra dixi, cum D.Bonau. Damascenus *lib.1. cap.8.* 54

Est autem proprium, non modo illo, quo solam negat generationem: quia sic neque Spiritus sanctus est genitus; vt habetur in Symbolo Athanasij. Et ita vocem illam vsurpauit aliquando Epiphanius, vt notauit Ioannes Theologus in Concilio Florentino *sess. 18.* circa principium. Quo etiam modo videtur loqui Nazianzenus *orat. 35. num.36.* sic etiam August. *Ingenitum* aliquando dicit, non Filium *5. de Trinitate, cap. 6.* Idem ex Hieronymo notauit Magister *d.13.* & ibi D.Bonau. ac D.Thom. *1.p. quæst.33. art.3. ad 2.* Est igitur proprium Patri, vt dicit id, quod nullo modo productum. Et ita declaratur in allegato Concilio Toler. vndecimo, & notauit Iustinus M. *in expositione fidei*, Cyrillus Alexand. *lib.1. Thes. cap.2. & 3.* & ideò dixit Nazianzenus supra, Genitum, & ingenitum non esse immediatè opposita, quia neutrum de Spiritu sancto dicitur. 55

Probatur ratione à SS. DD. quia *Ingenitum*, dicit Principium sine Principio; sed hoc non conuenit filio, vel Spiritui sancto, qui sanè producuntur; neque essentiæ; quia essentia, vt in Filio, est à Patre: & vt in Spiritu sancto, est à Patre, & Filio: ergo. Aliam rationem addit S. Doct. *ad 2.* cur non dicatur ingenitum de essentia, tametsi nullo modò producta; quia in essentia dicit solam negationem: at *Ingenitum*, dicit esse fontale principium aliarum personarum, & omnium productionum, quod soli Patri conuenit. 56

ASSERO secundò consequenter, non dicere solam substantiam diuinam, quæ est communis Filio; & Spiritui sancto, sed aliquid Personæ Patris, quem solum ingenitum alia etiam via concludit S. Bonau. *in corpore.* Nam Filius est genitus: Spiritus sanctus est origine posterior ipsa generatione; ideò non generatur, quia exhausta est iam in filio generatio: essentia verò accipitur per generationem; at hæc omnia à Patre excludunrur. Verum de hoc ponitur decisio adæquata *quæst. sequenti.*

QVÆSTIO III.

An innascibilitas in Patre dicat quid positiuum.

{ D. Bonau. d.17. quæst.2. & d.18.q.1. & 2. D.Thom.quæst.33. art.4.

FVIT opinio quorundam, vt refert S.Bonauent. *d.*18.*q.*1. qui dicebant; Ingenitum, siue innascibilem significare positiuam quandam rationem relationis oppositæ relationi genitoris; sicut inæquale denotat relationem oppositam æquali, eam impugnat S. Doctor.

57 Secunda opinio censet; innascibilitatem dicere solam negationem. Eam refert S.Bonau. & impugnat. Eam verò amplectitur D.Thom.*quæst.*33.*art.*4. *ad* 1. & Thomistæ aliqui ibi, Torres, Zumellus, Molina, Nazarius, Tannerus *disp.*4. *quæst.*4. *dub.*1. *num.*10. Scotus 1. *d.* 28. *quæst.*2. *art.*1. ibique discipuli, Macedo *coll.* 8. *diff.* 2. alios referens, Faber *d.*49. Valent. *q.*7.*p.*1.

TERTIA opinio est, *Ingenitum*, pro formali dicere negationem; materialiter verò seu fundamentaliter, aliquid positiuum. Hanc enixè passim tuetur S.Bonau. locis adductis.

ET quidem, quoad priorem partem, quod formaliter dicat negationem, conueniunt cum Seraphico; D.Thom. 1. *d.* 28. *quæst.*1. *art.*1. *ad* 1.& *loc. cit.* Capreolus *ea dist. quæst.*1. *art.*1. *concl.*1. Caietanus, & Canar. *quæst.*32.*art.*3.& in hunc articulum.

58 Hi omnes (excepto Caietano) dicunt, *Ingenitum*, dicere non puram negationem; sed priuationem quodammodo absque imperfectione, modo dicto *quæst. præcedenti*. Eandem partem sustinent Scotistæ omnes, & Thomistæ apud Radam *controu.* 25. eamque tuetur S. Doct. vocans eam priuationem *d.*28. *quæst.*1.

QVÆSTIONE verò secunda dicit, importare priuationem, quantùm ad principalem intellectum, & idem repetit *quæst.*3. vtrobique in resolutionis prospectu. Itaque *Ingenitum*, asserit, de formali dicere negationem; fundamentaliter verò aliquid positiuum, vt obseruat Suarez *lib.* 8. *de Trinitate*, *cap.*2.*num.*6. Vnde infert, immeritò allegari in contrarium à nonnullis, inter quos sunt Nazarius, Faber, Tannerus.

59 QVOAD alteram verò partem, quod *Innascibilitas* dicat pro materiali, seu fundamentali positionem, est firma D. Bonau. vbique sententia, quem sequuntur Durandus *d.*28.*quæst.*1. Vasquez *disp.*140. *cap.*3. Rada *loc. cit.* vbi videtur innuere, esse sententiam communem Scotistarum, & Thomistarum. Idem sentiunt multi Theologi, Seraphico Doctori coætanei, & antiquiores, ab ipso indicati. Alensis 1.*p. quæst.* 69. *memb.*2. *art.*2. Richard. 1.*d.*28. *art.*2. *quæst.*2. Suarez *loco adducto*. Idem sentit D.Thom. *ad* 2. & hoc pacto à contradictione liberatur apparente; dum in *resp. ad primum*, docet, esse quid negatiuum, & ad *secundum*, aliquid concedit positiuum materiale, vt adnotauit Zumellus. Sic & Baudunius *quæst.*33. *in calce*. Longus *quæst.*32.*art.*4. Fuliensis *l.*2. *cap.*4. Ne miretur Macedo.

60 DIFFERVNT tamen, in assignando illo positiuo fundamento negationis; nam aliqui assignant rationem Principij, vt D. Thom. & prisci discipuli, & Caiet. etsi Ioan. à S. Thom.*d.*15.*art.*1. velit esse Paternitatem, sed contra alios Thomistas, vt monet Alarcon. *d.*7. *cap.*3. Suar. *l.* 8. *cap.* 7. eos recitans maximè *d.*28. *q.*1. *art.*2. sic & Fuliensis.

Scotus verò *in report.* 1. *d.* 28. *quæst.*2. §. *Respondeo*, *num.*13. vult esse Paternitatem vt vidit Macedo *collat.*8. *diff.* 2. *sect.*1. Lichet. *ad quodl.* 4. Pontius *suppl. com. in d.*28. *quæst.*4. aduocans omnes Scotistas. Tametsi Rada *contr.* 21. *art.*2. *concl.*5. diuertat dicens fundamentum asseri à Scoto esse Paternitatem, vt hypostasis est, & videtur id velle 1. *d.* 28. *quæst.* 2. §. *in proposito*, *num.* 5. & si reportatis post editis standum cum Rada est Caspens. *d.*6. *sect.*2. *num.*22. cum Licheto, Suarez *cap.* 2. adducens D. Thomam.

SENTENTIA verò D. Bonau. est alia ab omnibus allegatis; asserit enim, esse positiuam rationem, seu formalitatem in Patre, distinctam ratione ab essentia, & Paternitate; hæc enim vox significat specialem dignitatem personæ primæ, ratione distinctam à dignitate Patris, illa autem dignitas non potest consistere in sola negatione: quia negatio, vt sic, nullam ponit dignitatem, & si illa dignitas esset Paternitas; iam innascibilitas non esset notio distincta à Paternitate. Quod si inquiratur, quid sit illud positiuum; respondet, esse 61 rationem Principij primi, seu fontalis plenitudinis, innascibilitas enim dicit in Patre negationem originis ab alio; quia enim origo per generationem, & natiuitatem prima est, ad quam sequitur emanatio per voluntatem; rectè negata prima; negatur & secunda. Dicit igitur, quod in Patre non esse ab alio fundatur in primitate Primæ Personæ, quia enim est prima Persona fons, & origo aliarum Diuinarum Personarum, à nulla esse debet; esse autem primam personam, & fontem totius Deitatis, vt clamant sancti Patres, & vidimus sectione præcedenti, *q.* 2. dignitatem profectò importat, hinc enim habet fœcunditatem ad generationem, & spirationem etiam, saltem remotè, vt dicam ad argumenta; eam verò neque à sola fœcunditate generatiua, seu à Paternitate, neque à sola fœcunditate spiratiua obtinet: nam qui Patrem apprehendit, vt 62 Patrem præcisè, non adhuc concipit primum principium Trinitatis sanctissimæ; sed solùm esse peculiare principium filij, vt notant etiam Vasquez *disput.*137. *cap.*5. *num.*17. Caspens. *d.*5. *n.*67. Forestus *folio* 300.

ASSERENDVM primò, innascibilitatem non dicere relationem oppositam relationi Genitoris.

PROBATVR à D. Bonau. 1. quia sequerentur in diuinis quinque relationes reales, contra torrentem Patrum, & Theologorum. De quo satis actum *disput.*3. *quæst.*3. Probatur sequela; quia, vt Theologi asserunt, solæ relationes originis in diuinis admittuntur. Origines autem duæ tantùm: ergo 63 relationes tantùm quatuor, quia ex vnaquaque processione non consurgunt, nisi duæ relationes: altera ex parte producentis: altera ex parte producti, vt arguit etiam D. Thom. *quæst.* 28. *art.* 4. & ibi Thomistæ, atque Vasquez. Suarez *lib.*5. *cap.*2. & cæteri, cum D. Bonau.*dist.*26.*quæst.vltima*.

PROBATVR secundò à D.Bonau. quia non apparet, ad quid respiciat hæc relatio realis: nam vel est ad non Genitorem, vt sic, & ita non habet terminum realem; nec est habitudo; sed potius carentia habitudinis; vel intelligitur esse ad aliquam personam, puta Filij, vel Spiritus sancti; quatenùs ab illis Pater non generatur. Et hoc etiam est friuolum, tum quia, vt rectè ait D. Au- 64 gustinus *lib.*5. *de Trinitate*, *cap.* 6. esse ingenitum est

est prius, & in suo conceptu omninò independens ab hoc, quod aliquid procedat ab ingenito: tum etiam, quia inter nos, vnum non esse genitum ab alio, non dicit respectum realem. Vide D. Bonauent. etiam *dist.* 28. *dub.* 3.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. quia talis relatio opposita constitueret aliam personam. Nam personæ in diuinis relatiua oppositione distinguuntur. Ita arguunt etiam Vasq. *cap.* 3. Suarez *loc. cit.*

ASSERO secundò, *Ingenitum*, quoad formale, dicere negationem.

PROBATVR primò in Concilio Tolet. vndecimo, quod ait. *Si modum, quo Pater consistit, quæras; cum eum à nullo alio ortum videas, Ingenitum appellabis.*

65 PROBATVR secundò è D. Basilio *lib.* 5. *in Eunom.* vbi ait. *Ingenitum, quod natum non sit, demonstrat.* Idem habent D. August. 5. *de Trinitate, cap.* 6. Epiphanius *hæresi* 73. & alij Patres adducti quæstione præcedenti. Hoc idem Scoti argumenta ostendunt; & D. Thomæ, quæ referam infra.

66 ASSERO tertiò, *Innascibilem*, seu *Ingenitum*, dicere Fundamentale positiuum, quod est esse fontale principium, modo supra explicito.

PROBATVR primò à D. Bonau. *d.* 27. *cit. ad* 3. authoritate Patrum, & Doctorum antiquiorum.

PRIMO enim Concilia, & Patres relati *sect. præcedenti quæst.* 2. conclamant, Patrem esse fontale principium totius Deitatis, idest omnium modorum, quibus Deitas est communicabilis; hoc autem est fundamentum substratum innascibilitati, quæ nec sola paternitate, nec sola spiratione actiua satis exprimitur, cum tamen sit notio Patris. Confirmatur à Seraphico: nam ex Conciliis, & Patribus est notio distincta à Paternitate, & spiratione actiua: notio autem dicit dignitatem, & consequenter ens positiuum, vt ostendi *disp.* 4. *quæst.* 3. & fatentur, quoad dicere dignitatem, Scotus *loc. cit.* D. Thom. apud Suarez *num.* 12.

Deinde multi Patres dicunt, *Innascibilitatem*, esse modum essendi Patris, & quidem positiuum.

D. Basilius *lib.* 4. *in Eunom. cap.* 2. ait: *Quare innascibilitas substantiæ modus, non substantia, idest essentiæ nomen est.*

67 D. Cyrillus *lib.* 1. Thesaur. *cap.* 4. *circa finem*, ait: *Et nomine ingeniti, non substantiam, idest essentiam; sed modum, quo Deus est, significare volumus.*

D. Damascenus lib. 1. de fide cap. 9. *Quo fit, vt omnia, quæ Pater habet, Filij sint; hoc vno excepto, quod ingenitus non est, quæ quidem vox, nec naturæ discrimen, nec dignitatem, atque authoritatem; sed existentiæ modum indicat.* Nota verò, quod per dignitatem, maioritatem solam excludit, vt patet; nam, cum dicat modum existentiæ; profectò dicit aliquid positiuum. Ideò Chlictouæus *in cap.* 11. *lib.* 1.

68 *de fide Damasceni*, ait: *Ob differentes huiusmodi proprietates personales in diuinis inuenitur perfectio; non quidem secundum naturam; sed secundum rationem originis: nam principalior est existendi modus Patris, qui à nullo est, quàm cæterorum duorum, qui ab eo sumunt originem.*

NICETAS *in oration.* 23. *Nazianzeni* vocat *Ingenitum*, Characteristicam Patris proprietatem; vbi etiam ipse Nazianzenus vocat *Ingenitum*, modum existendi Primæ Personæ.

Idem habet D. Cyrillus *loc. cit.* ex quo habes, quid velit *cap.* 3. dum ait: *Non est igitur ingenitum substantia, sed substantiam, de qua dicitur tali modo non esse, significat.* Loquitur enim de formali significato, quod negationem sanè dicit. Eodem modo loquitur D. August. *lib.* 5. *de Trinitate*, *cap.* 6. & 7. nec mirum; aliqua enim attributa, etiam perfectissima per negationem solam enunciantur; vt *Incorruptibile*.

PROBATVR secundò à D. Bonau: *loc. cit. ad* 3. 69
Omne negatiuum fundatur in aliquo positiuo, si illud negatiuum repugnet illi subiecto conuenire, ex Scoto 3. *d.* 1. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 4. vt exponunt Faber *disp.* 2. *num.* 46. & alij Scotistæ relati *disput.* 5. *quæst.* 3. & Suarez *loc. cit. num.* 7. at *Innascibilitas*, per vos, dicit negationem, cum repugnantia ad nasci, vel aliquo modo produci. Ergo supponit aliquid positiuum. Sed hoc non est esse Patrem, quia, etiamsi Pater non esset; adhuc esset innascibilis, ex D. Augustino 5. *de Trinitate, cap.* 6. Neque dicit spirationem actiuam; quia hæc posterior est ipsa generatione, quam necessario non supponit *Ingenitus*; vt dixi. Ergo illud positiuum est esse fontale omnium principium. Vide S. Doctorem etiam *dist.* 28. *dub.* 1.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Id, quod 70
dicit dignitatem, est positiuum: esse ingenitum in Patre dicit dignitatem: ergo. Maior probatur; dignitas enim in aliquo ente perfecto fundatur; at negatio non est ens. Minor probatur è Scoto 1. *d.* 28. *quæst.* 2. *art.* 1. in secunda responsione. Quare frustra Fauentinus in fine *cap.* 1. conatur, Scotum ab hac responsione auellere, quam astruit pressius veritate authoritatum, & rationum; sanè verò ens negatiuum merum non est aliqua perfectio, vt aduertit etiam D. Bonau. & cum eo Vasquez *n.* 10. Idem concedit D. Thom. 1. *p. quæst.* 29. *art.* 3. & *quæst.* 32. *art.* 3. *ad* 4.

VT verò minorem illam solidatam à S. Doct. sciatis, non autem inanem, à nemine probatam, vt clamat Faber *num.* 10. Probatur à Seraphico primò. Id, quod dicit primitatem in aliquo ordine, dicit dignitatem. Sed innascibilitas in Patre dicit primitatem: ergo. Maior probatur in creaturis. Sic enim prima vnitas in numero dicit dignitatem. Similiter in aliis generibus principiorum, vt constat ex Aristot. 4. & 5. *Metaph.* initio. Ergo multò magis in principiis illis, quæ influunt in alia; ergo maximè in diuinis esse primum fontem diuinarum emanationum, quæ sunt infinitæ perfectionis.

CONFIRMATVR secundò ex Patribus adductis 71
sect. præcedenti quæst. 2. præcipuè ex D. August. ideò Pater acclamatur fons totius Deitatis; quia à nullo est, idest, quia est ingenitus. Hoc verò, quis neget, dicere perfectionem?

CONFIRMATVR tertiò, quia Pater, quà ingenitus à nullo procedens, est primum principium omnium productionum hoc verò non est, quod sit fons omnium productionum ad extra; hoc enim toti commune est Trinitati indiuisum; neque ideò; quia producat Spiritum sanctum, quia hoc commune est etiam Filio; seu conuenit etiam Filio (deest textui *coniunctiua* ex iniuria librariorum); neque quia præcisè Pater, qui, vt generet, præintelligi debet esse Persona. Nam suppositorum est generare, vt arguit S. Doct. & agnouit Scotus cum asseclis. Ergo præintelligitur perfectio personæ primæ ipsi generationi per quam constituitur Pater; quia non constituitur Pater, nisi per generationem: alioqui esset Pater, etiam ante quàm haberet Filium. Igitur iam est persona innascibilis perfecta priùs per fontalem plenitudinem omnium productionum; non autem per esse Patrem, vt volunt Thomistæ; neque vt est Pater hypostaticè, vt fugiens

fugiens ait Scotus, apud Radam. Nam adhuc non
72 est Pater. Omittant ergo Scotistæ, fundamentum negationis esse paternitatem, vt hypostaticè; quia hypostasis non adhuc generat. Dicant ergo, esse primam personam, vt fontem totius Deitatis, seu omnium communicationum.

CONFIRMATVR quartò. Si *Innascibilitas* esset mera negatio, non esset notio propria Patris; sed hoc dicere est contra fidem, vt ostendi *quæst.2.* ergo. Probatur sequela à Seraphico; quia vel ingenitum dicit solam negationem talis emanationis per generationem, & hoc pacto etiam Spiritus sanctus est ingenitus: vel dicit negationem simpliciter quocunque modo; & hæc negatio etiam essentiæ conuenit, quæ nullo modo producitur, vt definit Concil. Later. cap. *Damnamus*, sub Innocentio III. Quod vero communicetur, non satis est, vt sit genita; vt definit concilium. Recordor, me quæstione præcedenti, etiam in negatione inuenisse differentiam inter essentiam, & Patrem; at oportet radicem scrutari, & in positiuo, quod est fundamentum negationis, illam inuenire; negationū enim diuersarum implicantium sunt diuersa fundamenta.

73 CONFIRMATVR quintò. Esse authorem primum, & principium, est magna dignitas; at Pater est primus author, & primum principium: ergo. Maior probatur primò *ex lib. de causis.* Principia quantò sunt prima, tanto potentiora; & ideo causa prima plus influit, & summè influit omni modo, & hoc est perfectionis, & nobilitatis. Ergo & in prima persona ex eo, quod est primum principium præintellectum ante omnem emanationem, perfectissimè fœcundum. Si enim principiis creatis conceditur ob finitam influentiam; multo magis Primæ Personæ ob infinitam. Profectò, quæ sunt prima in vnoquoque genere, ideo sunt mensura cæterorum, quia perfectissima; vt arguit S. Doct. cum Aristot. 10. *Metaph.2.* & ideo causa prima dicitur superior esse omni narratione, vt dicitur lib. de causis, *propositione sexta*, & obseruat S. Doct. *distinct.22. quæst.1.* & in his etiam, quæ sunt principia; nec tamen influunt, est quædam infinitas, vt in puncto, ad terminandas infinitas lineas, & in vnitate ad numerum in infinitum. Igitur & in primâ Personâ Diuinâ, vt simpliciter primâ, quod sanè priùs est, quam generare, vel spirare, atque adeo, quam esse Patrem, &c. etiam vt paternitas dicit rationem hypostaticam, quia hypostasis ambas sic æquè respicit productiones, & adhuc non intelligitur generare, atque adeo, neque vt hypostasis, supponitur nobilitas primitatis fontalis fundans negationem clausam in esse ingeniti; hoc est esse fontem totius Deitatis; quod S. Dionysius *cap.3. de diu. nominibus* definit, *Principium sine Principio*, quod egregiè exprimit S. Doct. per fontalem plenitudinem, quæ nec paternitatem determinatè nominat, nec spirationem, sed quid commune: vnde veluti flumina, illæ fœcunditates deriuantur. Et hoc modo dicendi Patrem fontem, & principium hoc ipso sensu eloquuntur alij Patres, atque Concilia, vt dixi *sect.1. quæst.2.* Hæc sanè non satis explicantur per singulares fœcunditates, quæ non repræsentant expressè, esse primum fontem: vt obseruat acutè Vasq. *disp.137. num.17.* vt ostendi *disp.4. quæst.3.*

74 PROBATVR quartò à D. Bonau. ibi. Sicut potest hypostasis Patris, & Filij intelligi, non intellecta hypostasi Spiritus sancti, sic etiam potest intelligi hypostasis Patris, nulla alia intellecta, & tunc quidem intelligeretur, non intellecta paternitate, sicuti intelligere potuerunt, qui vnam subsistentiam in Deo credebant, & ita non percipiam Paternitatem, vt habet rationem hypostasis; sed hypostasim, vt in genere, primum omnium emanationum principium.

PROBATVR quintò à D. Bonau. id, ad quod perfectissima positiua reducuntur est positiuum: sed ad innascibilitatem reducitur Paternitas, & spiratio actiua in Patre, quæ sunt perfectissimæ positiuæ: ergo. Maior patet. Minor probatur. Sicut videmus plures Personas ordinatas in natura diuina; ita plures proprietates in vna persona debemus fateri ordinatas. Ergo sicut inter Personas, vt sit ordo, necesse est, omnes reduci ad vnam, quæ sit principium aliarum; ita etiam in proprietatibus eiusdem personæ necesse est reduci ad primam. Sed in Patre est innascibilitas, Paternitas, & spiratio; at innascibilitas non est reducibilis in alias; quia est ante eas, & earum fundamentum: ergo aliæ ad eam reducuntur: ergo ipsa est positiua perfectissima fontalis plenitudo. 76

PROBATVR sextò à D. Bonau. id, quod est ratio generationis diuinæ, est positiuum, præcedens esse Patris. Sed innascibilitas est talis: ergo. Maior est euidens. Nam esse Patris habetur per generationem perfectam, per quam producitur Filius, & resultare videtur relatio mutua disquiparantiæ. Ergo id, quod est ratio generationis, est quid positiuum, præcedens esse Patris, seu Paternitatem. Minor probatur à Seraphico, primò. Paternitatis, & generationis proprietas, quantum est de generali earum significatione, est communicabilis, vt patet inter nos, quia genitus generat, & filius vnius fit pater alterius; in diuinis autem Paternitas est incommunicabilis. Ergo cum hoc non sit de ratione Paternitatis, in quantum Paternitas, erit de ratione alicuius, quod est incommunicabile: hoc autem erit innascibilitas, siue primitas; quia primus non potest dare alij primitatem; & innascibilis nequit generare innascibilem. Ergo in diuinis hypostasis Patris ideo generat, quia innascibilis; atque adeo innascibilitas est ratio generationis prior paternitate. Probatur secundò minor à S. Bonauent. Idem est primum, & principium, ex Aristot. 1. *post. t.13.* Aut ergo ideo est primum, quia principium: aut è conuerso. Constat, quod ei conuenit ratio principij, quia est primum; ideo per se hoc habet; & constat, quod status est in primo principio, non quia principium, sed quia primum; & patet, quod illa est conditio nobilitatis. Ergo, cum Pater sit totius Deitatis principium, modo dicto à Patribus allegatis *sect.1. quæst.2.* hoc est, quia primus, & innascibilis. 77 78

TANDEM probatur à Seraphico. Paternitas est relatio, simul cum filiatione, nec potest abstrahi à natura relationis: ergo debet assignari aliquid, secundùm quod, persona prima supponatur ordine prima, antequam intelligatur secunda. Nil autem inuenitur, præter innascibilitatem: ergo per innascibilitatem constituitur prima hypostasis diuina; illud autem esse positiuum, est certum, vt ostendi *disp.5. quæst.3.*

Has rationes ex parte refricat etiam *dist.28. q.1. in corpore*; in fundamentis vero alias etiam habet rationes, omnesque numerabo. 79

PRIMA ratio est. Id, quod in diuinis dicitur secundum relationem, est positiuum. Sed ingenitus dicitur secundum relationem: ergo. Maior est clara ex dictis *hîc & disput. 5. quæst.3.* Minor probatur ex D. Augustino 10. *de Trinitate*, *cap. 7.*

Non

Non receditur à relatiuo prædicamento, cum ingenitus dicitur. Et quidem eo nomine non significari substantiam diuinam; probatur ex Patribus relatis *disput*.4. præcipuè *quæst*.3. hi sunt Basilius *lib.4.contra Eunom.cap*.2. parum à principio. Cyrillus *lib.3. Thes. cap*.4. Damascenus *lib.1. de fide cap.9.* Nicetas *in orat*.23. *Nazianzeni* apud Vasquez *disputat*, 137. *cap*.5. Patres autem solum contendunt contra Arrium, & Eunomium, eo nomine non significari substantiam, hoc est, essentiam Dei; inde enim Arriani inferebant, Patrem, & Filium esse diuersæ substantiæ, & naturæ, quia Pater dicebatur ingenitus, & Filius genitus: & quidem, si ingenitum significaret id, quod infectum, & increatum est; nomen ingenitum essentiam significaret. Ita Nazianzenus *orat*.35. *à num*.36. Nicetas *loc. cit.* supra. Idem docent Dionysius Alex. Ignatius, Athanas. Basil. Cyrillus Damascenus, & Ambrosius allegati *quæst*.2. nec aliud prætendunt contra Arrianos, quam, defendere filium Dei Homousion Patri, idest, eiusdem cum eo substantiæ. Vtrum autem absolutum aliquid; vel relatiuum significet; non disputant.

80 Rationem assignant Nazianzenus, Cyrillus, & Nicetas, qua ostendatur innascibilitas non significare essentiam Dei, quia scilicet, est nomen negatiuum, indicans potius, quid non sit Deus; quam quid sit: quam rationem refricat S. Bonau. *d*. 28. *quæst*.1.Hanc tamen rationem spernit Vasquez *n*.16. quia etiam essentiam, & attributa solemus nominibus negatiuis exprimere, vt *Infiniti*, *Immensi*: At diuersa est ratio, vt docet D. Bonauent. *dist*.28. *quæstionibus omnibus adductis*; quia *Ingenitum* principaliter dicit priuationem; non sic ratio *Infiniti, Immensi, &c.*

Ratio verò secunda, ob quam ingenitus non dicat essentiam; quia si Pater est ingenitus, & dicit negationem productionis essentiæ; Verbum, dum dicitur genitum, dicetur ex opposito factum, secundum essentiam, atque adeò creatura, vt notat Vasquez cum D. Bonau. *dist*.28.*quæst*.1.

81 Qvoniam verò in diuinis sunt tantùm absoluta, & relatiua; sequitur, quod, si ingenitum non dicit absoluta, idest, essentiam, dicat relationem. Hanc autem non significat positiuè formaliter quia nec refertur ad genitum; neque ad se ingenitum, vt arguit S. Doct. *dist*.28. *dub*.3. & *quæst*.1. sed significat negationem relationis; negatio autem reducitur ad suum oppositum positiuum. Neque tamen solam negationem præcisam relationis dicit; sed positiuam, veluti in habitu ad Filium, & Spiritum sanctum, ad quos se habet per innascibilitatem, vt fontale principium; vt docet Vasquez *num*.18. post D. Bonau. *dist*.28. *quæst*.1. *ad vltimum*, & *quæst*.2. *ad* 1. sed de hoc *quæst.sequenti*. Quomodo autem intelligatur Persona Patris constituta, antequam generet per relatiuum: discutietur *disp*.12. *quæst*.1.

82 Secvnda ratio D. Bonauent. quod dicit negatiuum in summa repugnantia nititur aliquo positiuo. Ingenitum dicit negatiuum in summa repugnantia, negat enim esse genitum, vt filium, eumque excludit priuando relationem,vt ait D.August. 5. *de Trinitate*, *cap*.7. & excludit Spiritum sanctum productum, & essentiam communicatam, dicitque se omnino improducibilem, incommunicabilem, etiam in illo priori, quo comparatur ad essentiam communicabilem:ad alias personas producibiles,vt explicat S. Doct. *in corpore*. Ergo supponitur aliquid positiuum, præcedens has omnes rationes. Aduertit tamen S. Doct. hanc prioritatem non naturâ realem, sed solum secundum originis rationem, quam nos nostro conceptu concipimus tanquam realem prioritate naturæ, vt dicetur *disputat*. 14. *quæst*.1.

Tertia ratio. Id, in quo differt Persona diuina ab alia, est positiuum; saltem in fundamento. Sed per esse ingenitum Pater differt à Filio, & Spiritu sancto, differentia statuta ex parte Patris,antequam generet,vel spiret, prioritate rationis: ergo. Minor est D.August. supra. 83

Qvarta ratio. Nulla negatio priuat modum significandi. Sed genitus dicitur secundùm relationem fundatam in positiuo. Ergo ingenitus significat in eodem ordine carentiam relationis, sed fundatam in aliquo positiuo, hoc autem, cum sit primum, & independens, supponitur genito: ergo & generationi, & Patri.

Qvinta ratio habetur responsione ad primum. Omnis negatio, quæ dicit subiecti consistentiam in se, est positiuo nixa fundamento anteriori omni, quod procedit ab illo; nam vnumquodque agit, in quantum est ens actu perfectum in se. Sed ingenitum dicit consistentiam Patris in se. Ergo dicit fundamentum positiuum, præcedens omnem communicationem, & productionem; atque adeò Paternitatem, ac generationem. 84

Sexta ratio ad secundum, quia non esset notio propria Patris; si esset mera negatio; & si fundaretur in Paternitate, non esset notio distincta à Paternitate.

Septima ratio habetur *quæst*.2.*fundamento primo*, *ex* D.August. 5. *de Trinitate*, *cap*.6. Aliud est Patrem esse dicere; aliud ingenitum. Ergo aliud est fundamentum Paternitatis; aliud innascibilitatis; non sanè secundum essentiam. Ergo secundum esse relatiuum sed non potest esse, secundum relatiuum singularem; alioqui confunderentur. Ergo ingenitum dicitur,secundùm relationem positiuam; solum in communi, veluti in habitu. 85

Octava ratio: possibile est intelligi, aliquem esse ingenitum, & non esse Patrem, vt in Adam; & è conuerso, vt in Abel. Ergo sunt diuersæ rationes ingeniti, & Patris, & vna non est fundamentum alterius. Alias rationes etiam afferam *quæst*.5.

Obiicies primò cum Scoto, quid est illud positiuum, quod dicit innascibilitas?

Respondet S. Doct. esse fontalem originem totius communicationis ad intra. 86

Contra arguit. In Patre non est alia fontalis plenitudo, quàm ad generandum, & spirandum. Hæc autem nihil aliud est, quam duplex relatio in Patre; idest, Paternitas, & spiratio actiua: quod si ingenitum esset relatio distincta, iam in Patre essent tres relationes, & cum alia etiam sit in Filio ad Patrem, præter communem hanc & eam quam habet cum Patre communem ad Spiritum sanctum: alia etiam reperiatur in Spiritu sancto ad Patrem; & Filium, iam sex erunt relationes contra torrentem Theologorum.

Respondet D. Bonau. *loc. cit. ad* 3. quod illa relatio est ratio primi principij, quæ communis est generationi, & spirationi, estque prius ratione, quam generatio præcisè, aut spiratio completè; neque est noua relatio distincta, & in actu exercito; sed est relatio in habitu, & in actu primo, & initiatiuè, ac radicaliter, à qua sunt binæ relationes in actu exercito. Non est igitur noua relatio; sed initium aliarum.

Instat

87 Instat Fauentinus. Vel istud principium est quid absolutum; & sic non est proprium Patri; vel relatiuum, & sic erunt in Patre tres relationes positiuæ. Ita etiam Suarez, & Macedo.

Respondet S.Bonau. esse quid relatiuum habitu, atque inchoationem duarum relationum generationis,& spirationis: dicit enim fontale principium ambarum.

Obiicies secundò cum Scoto, & asseclis ex D. August. 5. *de Trinitate*, *cap.* 6. etiam si Pater non genuisset Filium, nihil prohiberet, dici ingenitum. Ergo ingenitum non dicit fœcunditatem generatiuam; & multò minùs spiratiuam; atque adeò nec fontale principium ambarum.

88 Respondetur ex D.Bonau. æquiuocasse Scotum; ideò negatur consequentia; nam, licèt non connotet primam fœcunditatem singulariter completam, idest, Paternitatem, connotat tamen fœcunditatem in actu primo communem,quæ non dicit exercitium, atque adeò; etiam si Pater non intelligatur actu generans; intelligitur tamen actu primo fœcundus. Aduertit verò S. Doct. *dist.* 28. *dub.* 1. non dixisse S. Augustinum, quod si Pater non generaret, adhuc haberet esse ingenitus; sed posse intelligi ingenitum, quia posset percipi fœcunditas in actu primo, quæ tamen cum sit naturalis; debet necessario in actum secundum prodire. Itaque concludit, fore illam abstractionem per intellectum, adde, non adæquatè percipientem. Nam si plena sit intellectio; ingenitus ponit positiuam fontalem plenitudinem emanationum, & sic includit, in confuso saltem, etiam Paternitatem: sed de hoc iterum *q.*5.

89 Obiicies tertiò. Si ingenitum esset quid perfectum positiuum, daretur vna perfectio in Patre, quæ non in Filio. Addo, neque aliam æqualem, huic correspondentem inueniri in Filio.

Respondetur, patere ex dictis *disp.*3.*quæst.*10.

Obiicies quartò, cum Suarez, Paternitas ex se habet, vt sit ante omnem originem; quia constituit principium primæ originis; ante istam autem non potest esse origo: ergo Paternitas constituit in primo esse fontali.

Respondetur, negando antec. nam generatio præcedit Paternitatem; ideò enim est Pater; quia generat; non è contra; & ante generationem intelligitur fœcunditas, veluti in genere communis vtrique singulari in actu primo.

90 Obiicies quintò. Hoc positiuum non potest esse, nisi ratio principij; sed illud non explicatur nomine ingeniti. Nam ex D. August. etiamsi prima persona non esset genitrix, posset esse ingenita.

Respondetur, patere ex dictis ad secundum Scoti, & infra *q.*5. clariùs.

Obiicies sextò è D. Augustino 5. *de Trinitate, cap.*6. Cum Pater ingenitus dicitur, non quid sit, sed quid non sit, ostenditur.

91 Respondetur,ingenitum dicere negationem formaliter, connotare tamen positiuum. Neque hoc negat S. August. imò illud supponit; dum ait, quod, etiamsi non generaret, diceretur ingenitus. Ergo adhuc per ingenitum esset persona (esto non in toto complemento adæquato.)

Obiicies septimò cum D. Thom. *art.*4. *ad* 1. sequeretur, innascibilitatem non esse notionem distinctam à Paternitate, & spiratione actiua. Nam vniuersalis ratio principij non constituit diuersam proprietatem à tali principio.

92 Respondet Vasquez, hanc rationem parum vrgere S. Bonauenturam; nam concedit, ingenitum significare formaliter negationem; positiuum verò materialiter. Hoc autem positiuum asserit, esse fundamentum plenitudinis fontalis; atque vniuersalis principij; non quidem, vt rationem communem prædicationis, ad modum generis, aut speciei (sic enim non esset diuersa ratio à paternitate, & spiratione) sed esse rationem primi principij, quod neque Paternitate, neque spiratione exprimitur, & significat cæterarum personarum principium: fons enim est vniuersale principium cuiusque riuuli ab eo fluentis.

Vrget Nazarius; hoc modo sumptum fontale principium includere duplicem emanationem generationis, & spirationis. Et sic magis vrget ratio D.Thomæ (ait) probantis,innascibilitatem sic non fore distinctam à generatione, & spiratione; sed esse eandem omnino realiter, & formaliter.

Respondetur tamen, significare vtramque in confuso, & in actu primo, quod ratione differt à singulis. 93

INSTAT Nazarius, cætera nomina priuationum solam significant priuationem; subiectum autem extrinsecè connotant, vt patet de cæcitate. Igitur etiam ingenitum nihil directè significat, nisi negationem; alioqui nomen ingeniti non significaret vnum, & sic nihil significaret: nam vnum, & ens conuertuntur.

Respondetur, diuersam esse rationem priuationum, & ingeniti. Nam priuationes dicunt carentiam formæ in subiecto apto, quod ea carens redditur imperfectum, & monstrosum. Ideò subiectum connotat in obliquo; atque adeò perfectum extrinsecè, quod deficit: at ingenitum dicit negationem non perfectionis,sed emanationis, atque adeò directè debet dicere perfectionem primitatis principij à nullo principio. Dicit verò vnum fundamento nixum, sicuti etiam infinitum, immensum, &c. 94

COLLIGE ex dictis, ingenitum dicere perfectionem; cum enim dicat ens positiuum, dicit consequenter, & bonum, quod cum ente conuertitur; & si non esset ens perfectum, esset imperfectum. Similiter sequitur, esse ens infinitum; alioqui erit finitum. 95

Respondet Faber, ens primò diuidi *in quantum*, & non *quantum*; mox quantum diuidi in *finitum*, & *infinitum*.

Contra: nam sequitur, ens diuidi multiplici diuisione, antequam diuidatur in decem prædicamenta; quod est contra Aristot. alia vide *disp.*5. *q.*3. & *disp.*3.*q.*10.

QVÆSTIO IV.

An Ingenitum dicat Relationem.

D.Bonau.d.28. quæst.1.

EX dictis *quæst. præcedenti* ferè constat solutio; eam tamen appono, vt reliqua afferam.

ASSERO primò, ingenitum non ad substantiam, idest, essentiam; sed ad relationem pertinere. Prior pars probata est *quæst.præcedenti*, ex Patribus. Similiter & altera *hic* discutietur.

PROBATVR ergo, spectare ad relationem. Primò ex D. August. 10. *de Trinitate*, *cap.* 7. *Non recedit à prædicamento relatiuo, cum ingenitus dicitur.* 96

Deinde

Deinde ex eodem libro. *Sicut dicitur genitus ad genitorem; ita ingenitus ad non genitorem.* Quod autem dicitur ad aliud, dicitur relatiue.

PROBATVR tertiò à S.Doct. ea, quibus personæ differunt, ad relationem spectant. Sed innascibilitate differt Pater à Filio: ergo. Maior est certa ex Thologorum axiomate. Minor verò probatur, quia est notio propria Patris, vt ostendi *disp.4.q.3.* & hic *q.2.* Aduerte tamen cum D.Bonau. *q. 3.* & Richardo *quæst.2. distinct.28.* & Foresto *fol. 303.* Patrem non differre à Filio innascibilitate, quasi proprietate constituente, & distinguente actu. Nil enim dicit, quo completè, & præcise referatur ad Filium; sed dicit negationem relationis, & fœcunditatem plenifontem ad modum actus primi, seu aptitudinis: vnde, sicut per hanc non distinguitur realiter à Spiritu sancto; sed per spirationem præcisam; ita neque à Filio per eandem distinguitur; sed per paternitatem. Igitur initiatiuè tantùm per eam differt. Ex quo sensu habemus, quo pacto ad relationem spectet ingenitus, vt dixi *quæst.3.*

97 ASSERO secundò. *innascibilitas*, sumpta pro formali negatiuo, dicit negationem relationis, & ita ait S.Thom. *quæst. 34. art.4. ad 2.* & *1. distinct. 28. quæst.1.* reduci ad relationem ad modum aliarum negationum, quæ ad sua positiua reducuntur, vt non homo ad substantiam.

PROBATVR. Vbi nullus est terminus, ibi nulla relatio, vt arguit S.Doct. *d.28. dubio 3.* & *in corpore quæst.1.* vbi sic arguit. Vel dicit relationem ad principiatum, & hoc non; quia potius nomen ingeniti nominat principium, à quo non sit; etsi refertur ad principium; at Pater non habet principium, qu o esse queat.

ASSERO tertiò. Innascibilitas pro positiuo dicit initiatiuè relationem.

PROBATVR à D. Bonau. *dist. 27. quæst. 2. ad 1.* & *hic*, quia dicit esse fontale principium personarum, veluti confuse in actu primo, vt dixi *quæst.3.*

98 Ex quo fit, vt non sit constitutiua personæ in esse completo, vt ostendit S.Doct. *dist.28. quæst.3.* & nos ostendemus *sect.3. quæst.1.*

Obiicies. Negationes opposito modo se habent cum affirmationibus. Sed genitus de paucioribus dicitur, quam relatus; & generatio, quam relatio. Ergo ingenitus oppositus de pluribus dicitur, quam non relatus. Sed non relatus non dicitur, secundùm relationem. Ergo neque ingenitus, qui latiùs patet, quàm non relatus; sub genere clauditur relationis.

99 Respondet S.Doct. aliquas esse negationes in genere, vt non album, quod negat albedinem, sed ponit nigredinem; atque adeo genus coloris, & qualitatis non negant; sed solam speciem albedinis: aliæ sunt negationes extra genus, vt non album dicitur, quod non solùm negatur esse color albedinis, sed negatur esse color in genere, & qualitas, & accidens, atque substantia: aliæ sunt mediæ. Iam verò ad maiorem respondet, negationes in genere non se habere opposito modo cum affirmatione. Vnde, si album latiùs non patet, quam color; imò dicitur de paucioribus: etiam non album minùs latè patebit, quam non color, quia non album dicetur solum de his, quæ non sunt de specie albedinis; at non color dicetur etiam de his, quæ non sunt de speciebus aliorum colorum. Sic igitur, tametsi genitum in genere minus latè pateat, quam relatum; non ob id ingenitum egredietur extra latitudinem non relati: quia licèt ingenitus extra genus dicat, quod non solum non generatur, sed dicit meram priuationem, atque etiam essentiæ conuenit, adeoque latissimè patens; tamen ingenitum in genere negat esse quidem generatione productum, tamen dicit ordinem ad principium, & claudit relationem substratam per aliquam productionem, & sic conuenit Spiritui sancto; nec extra esse relatum egreditur. Similiter mediæ negationes, quæ sunt partim in genere, partim extra genus: quæ quidem extra genus proximum egrediuntur, non tamen extra omne genus; vt si dicas non album, quod est extra speciem albedinis, & genus coloris; sit tamen sub genere accidentis, & qualitatis, puta calor. Et hoc pacto dicitur ingenitum de Patre quia negat generationem, & productionem omnem, & dicit negationem relationis ad principium; non tamen omnem negationem generis relationis; nam claudit primitatem, & fœcunditatem fontalem initiatiuè relatiuam ad Filium, & Spiritum sanctum, & ideò negatur, egredi extra genus relationis omnino: falsum est enim contrario modo se habere cum relato, & genito: vnde negata maiore, in his, quæ non sunt omninò extra genus; negatur & consequentia. Hic est sensus corporis, & quæstionis subobscuræ.

Obiicies secundò. Si ingenitus dicit relationem; 100 aut respicit principium, aut principiatum. Si principium, ergo Pater eo dicitur ingenitus, quia habet principium, quod est hæreticum, & alienum à sensu ingeniti, negantis principium. Si ad relationem spectat ratione principiati. Contra, nam ingenitus non dicit aliquod principiatum, sed negationem principij.

Respondet S Bonau. dici relatiuè, ratione principij negatiuè, & ideo ad relationem oppositam reduci, secundùm esse suum formale; at ratione substrati, dicitur in ordine ad principiatum, dicit enim fœcunditatem fontalem omnium aliarum personarum in actu primo, & quasi inchoatiuè. Alia duo soluerat prius argumenta S. Doctor, sed clarè ex dictis soluta iacent.

QVÆSTIO V.

An innascibilitas dicat relationem Paternitatis.

D.Bonau.d.28.q.2.
D.Thom. q.34.art.4.

EX dictis *quæst.3.* & *4.* iam ferè liquet, quid dicendum; pono tamen cum S. Doctore quæstionem.

ASSERO, innascibilitatem non esse relationem Paternitatis.

PROBATVR à D.Bonauent. primò ex D.Augustino 5. de Trin. c.6. *Aliud est Patrem dicere; aliud ingenitum.*

PROBATVR secundò à S. Doct. ex eodem 101 D. Augustino *citato capite*, & *si Pater Filium non genuisset, nihil prohiberet, eum dicere ingenitum.* Idem habet S. Doctor ea *distinct. dub. 1.* & explicui *quæst.3.* Propter hoc Rada *contr.7.* Scoto valè dixit.

Respondet Scotus *in report. d.28. num.16.* hoc dicere referendo ex hæreticis, & hoc acutissimè notatum à solo Scoto ait Macedo. Addit Scotus secundo eam propositionem accipi formaliter; *non*

eò Pater quò ingenitus. Id autem additur à Scoto, quia adhuc eam D. Aug. repetit ex se, vt notat Macedo, qui tertiò dicit D. Augustinum fauere Scoto, in sola negatione ponendo ingenitum & reducendo ad relationem paternitatis *c.7.*

At subtilior S. Bonau. explicito eo dicto *in dub. litt.* aduertit *q.2.* concedi à D. August. aliud esse Patrem aliud ingenitum eodem *c. 6.* Nouit D. Bonau. & refert è *l.10.cap.7. de Trin. Ingenitus cum dicitur, non receditur à relatiuo prædicamento,* obseruat S. Bonau. D. Augustinum egisse contra Arianos, qui arguebant: ingenitus, & genitus sunt distinctæ realiter substantiæ. Pater est ingenitus: Filius genitus: ergo non sunt eiusdem substantiæ. Respondet. D. Aug. ingenitum dicere formaliter Patrem à nullo esse productum, sed non id solum; nam neque essentia est producta; dicit ergo relatiuum primi fontis, vnde aliæ personæ: cum improductus sit generatione, quæ est vnde prouenit spiratio; at non dicit reduci ad paternitatem, sed ad relatiuum Principij, cum imo concedat distingui à paternitate, vt ait Scotus in secundo responso, & concedat hæreticis illud dictum, quod prius quàm, & citra quod sit Pater & etiam si non esset, præcisione intelligeretur ingenitus: in quo sic non fauet Scoto. Vrgeo Macedum: dicis D. Augustinum asserere contra omnes ponentes fundamentum ingeniti positiuum, quia in sola negatione collocat, & reducit ad paternitatem, at dico paternitas à vobis sic conceditur positiua, nisi velis negatiuum ad negatiuum reducere, quod nec intenditis nec fieri conceditur. Ita & alia vestra opinio eluditur ponens in negatiuo personalitatem, & non magis D. Augustinus vobis fauet, qui in secundo responso distinguitis formaliter ingenitum à paternitate, quàm cæteris ponentibus pro positiuo esse principium, fontem emanationis vtriusque: hoc enim illi non distinguunt formaliter ab ingenito. Denique premo, quia ex D. August. prior est innascibilitas, quæ independens est à paternitate, quod nemo negabit.

101 Probatur tertiò, relationes diuersificantur penes terminos, sunt enim ad alterum, vt terminum: at ingenitum terminat in personam generantem, negando ei esse ab alio: paternitas terminat positiuè ad genitum: ergo. Sic & Richard.

102 Probatur quartò, plus differt generatio, & ingeneratio, quam generatio, & spiratio; nam hæ sunt disparatæ tantùm; at priores sunt oppositæ. Sed generatio non est spiratio. Ergo multò minùs ingenitum, & paternitas, quæ est generatio.

Probatur quintò in corpore: innascibilitas formaliter dicit negationem; at paternitas dicit formaliter positionem generationis. Quoad materiale, innascibilitas dicit fontalem fœcunditatē, veluti actu primo inchoatiuè vniuersalem ad omnes emanationes: paternitas verò formaliter solum respicit filiū.

103 Adverte autem, has relationes non differre plusquam virtute, ex dictis *disp.3.q.8.* Ita S. Doct. *dist.28. dub.1 litt.* vbi etiam asserit, vnam sine altera intelligi posse ab intellectu, semiplenè resoluente; quod idem asserit Alensis apud Forestum *fol.291.* at si plenè consideretur paternitas, includitur in primitate fontali, tanquam in suo principio.

Obiicies primò. Omnis relatio in diuinis est personæ ad personam. Igitur si ingenitus dicit relationem; aut ad Filium, aut ad Spiritum sanctum, aut ad vtrumque. Non ad vtrumque, quia Pater non comparatur ad vtrumque vnica relatione, sed duabus, idest paternitate, & spiratione actiua; non ad personam Spiritus sancti, vt constat. Ergo ad Filium; sed relatio ad Filium est paternitas. Ergo innascibilitas pro positiuo dicit solam paternitatem. Hoc est argumentum, quod aduersarij ferè omnes desumpsere, *quæst.3.* ad probandum, innascibilitatem nil peculiare dicere pro positiuo, sed solam paternitatem.

Respondet S. Doct. Ingenitum, quoad formale, non dicere relationem: quoad materiale verò, dicere respectum ad vtramque personam producendam, ad quas habet fontalem plenitudinem, vt dixi *quæst.3.* Quamvis autem in actu secundo diuersi sint respectus ad singulas personas, prout diuersis modis producendas; tamen inchoatiuè, & quasi in habitu vtramque respicit, vt fons riuos.

Obiicies secundò. Relationes in diuinis non accidunt; sed sunt constitutiuæ personarum. Sed Pater paternitate constituitur. Ergo innascibilitas dicit solam paternitatem; nisi dicas, eam accidere.

Respondet S. Bonau. non omnem relationem esse 104
constitutiuam personarum, vt constat de spiratione actiua, quæ neque Patrem constituit, neque Filium, & dicitur relatio personarum, non personalis; solæ autem relationes personales constituunt perfectè, & sunt *Paternitas, Filiatio, & Processio.* Potest tamen innascibilitas dici inchoatio personalis, vt dixi, non enim est relatio personæ iam constitutæ, superueniens, ad modum, quo spiratio actiua accidit spirantibus.

Obiicies tertiò. Sicut se habet nascibilitas ad Filium: ita innascibilitas in Patre; at nascibilitas est eadem relatio Filij: ergo. 105

Respondet S. Bonau. negando maiorem, non enim eodem genere opponuntur, quia paternitas, & filiatio opponuntur relatiuè: at nascibilitas, & innascibilitas contradictoriè, vel contrariè.

Obiicies quartò. Idem est primum, & principium; ex Aristot. *primo post text.13.* sed innascibilis dicit rationem primi: Pater dicit rationem principij. Ergo idem dicunt: ergo non sunt duæ relationes.

Respondet S. Doctor, quòd primum sumitur dupliciter; primò, vt negationem dicit prioris, & sic primum, & principium idem sunt re, non ratione. Alio modo tamen dicitur primum respectu secundi; & sic primum, & principium idem sunt re, & ratione; & sic non significatur primum per hoc nomen *innascibilis*; importat enim primitatem per negationem prioris, vt patet ex ipsa nominis impositione.

SECTIO III.

De prima Persona Diuina, vt Pater est.

QVÆSTIO I.

Vtrum per paternitatem constituatur prima Persona Diuina.

D. Bonau. d.28. q.3.
D. Th. q.33. art.4.

Potest dubitari, an innascibilitas prius constituat Patrem; at S. Doct. ex dictis id negat, quia formaliter est quid negatiuum, ex dictis, *sect.2. quæst.3.* atque secundum materiale substratum positiuum, est sola quædam fontalis scaturigo ad ambas personas. Et ideo inchoatiuè tantùm constitutiua personæ relatiuæ ad singulas per origines, & hoc probant argumenta ad oppositum, additis responsis.

Assero

106 Assero primò, innascibilitate constitui Patrem in esse personæ primæ inchoatiuè.

Probatvr à D.Bonau. primò, argumento citato. Omne operans supponitur operi, nec habet esse ex eo, quod dat alteri esse; nam vnumquodque agit, in quantum est ens actu, & actus sunt suppositorum: at Pater generat Filium: ergo supponitur, esse persona actu ante generationem, qua constituitur in esse Patris. Sed nil aliud præintelligitur, quam innascibilitas. Ergo per eam aliquo modo est iam constituta persona. Quod vero non constituat completè, probatur: alioqui Paternitas adueniens accideret, sed non accidit, nam distinguit à Filio, ergo eam personam perfectè constituit, vt ostendetur asserto secundo, & aduertit S.Doct. *in responso*.

107 Probatvr secundò, argumento secundo. Non intellecta proprietate personali constitutiua, impossibile est intelligere personam constitutam; at, non intellecta paternitate, potest intelligi persona prima, fontali fœcunditate constituta ad omnes emanationes in actu primo inchoatiuè: ergo. Hinc infert S. Doctor in responso, primam hanc personam sic non differre realiter à singulis personis completè.

108 Probatvr tertiò, Proprietas personalis dicit totum esse personæ; at paternitas non nominat personam Patris, secundum totam rationem fœcunditatis adæquatam, sed hoc competit innascibilitati: ergo. Non tamen dicit omnem habitudinem, distinguentem à singulis completè, licèt dicat personam perfectam, vt aduertit S.Doct. *in responso*:

Probatvr quartò ex Damasceno 1. *de fide, cap.* 9. In diuinis omnia sunt vnum, præter ingenerationem, generationem, & processionem, idest, præter generationem, & suum correlatiuum, esse geniti, vel Filij, præter spirationem actiuam, & processionem correlatiuam, quæ constituit Spiritum sanctum, & præter ingenerationem, quæ est constitutiua primæ personæ, quoad esse hypostaticum necessarium ad operationem, vt aduertit etiam Vasquez *disp.* 159. *c.* 5.

Assero secundò, proprietatem constitutiuam Patris in esse completo secundum habitudinem esse paternitatem. Hæc assertio erit latiùs probanda, *disp.* 12. *q.* 1.

Probatvr à D. Bonau. primò hac ratione, quam desumpsit Scotus *quæst.* 2. Suarez *lib.* 7. *c.* 4. *n.* 4. Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 3. *dub.* 1. *num.* 13. Valentia *q.* 14. *p.* 2. Molina *q.* 40. *art.* 2. Albertinus *tom.* 2. *Prædicam. Ad aliquid coroll. seu q.* 10. *d.* 2. & Scotistæ ferè omnes, qui eam Scoto adscribunt, eaque reagitanda est *disp.* 10. *q.* 3. Eodem aliquid constituitur in esse, quo distinguitur ab omni, talem entitatem non habente. Sed Pater distinguitur paternitate: ergo constituitur. Maior probatur à multis. Quod constituit, dat esse ens, & vnum, atque adeò indiuisum in se, & distinctum à quovis alio, ex Arist. 4. *Metaph.* Sed argumentum meum vrget, & infert è distinctiuo constitutiuum, non è contra.

109 (margin number beside "da est disp.10.q.3.")

Respondent aliqui, maiorem veram de constitutiuo reali; at proprietates, sola ratione nostra esse constitutiuas personarum. Ita Vasquez *disp.* 143. *n.* 36. cum Gregorio *disp.* 26. & 27.

At certè personas realiter constitui proprietatibus, ostendi *disp.* 4. *q.* 2 & iterum ostendam *disp.* 12. *q.* 1. Sic enim habetur *sess.* 19. *Concil. Florent.* vbi Ioannes Theologus, ait: *Dicitur Persona diuina constare essentia, & proprietate.* Et idem significat Sophron. *epistola sua in sexta Synodo, act.* 11. dicens: *Personas figurari suis proprietatibus.* Neque verò ad ipsam realem constitutionem necessaria est actualis distinctio inter constituens, & constitutum; sed sufficit, vt ibi sit aliquid commune; & aliquid proprium correspondens, virtualiter distinctum; hoc enim sufficit etiam ad multa alia, quæ in creaturis realem exigunt distinctionem, v.g. vt Pater communicet Filio naturam, non paternitatem. Fateor cum Suarez *num.* 9. & D. Bonauent. *dist.* 26. *q.* 1. illam constitutionem, quoad modum, quo à nobis concipitur, esse rationis; res verò ita se habet, vt personæ realiter suis proprietatibus constituantur. Quicquid dicat Gregor. *d.* 26.

Respondent alij, maiorem esse veram de constitutiuis absolutis, non de relatiuis: quia relatio, cùm totum suum esse ad aliud habeat, non potest distinguere, nisi à suo correlatiuo. Ita Caietan. *q.* 36. *art.* 2. Ferrar. 4. *contra Gentes*, *c.* 24. Bañez *dub.* 3. *ad primum*, *eadem quæst. D.Thom.* 36. *art.* 2. Torres *p.* 2. *Comment. ad* 3. sed non soluunt, quia argumentum vrget à distinctiuo ad constitutiuum. 110

Responsionem etiam refellunt Suarez *loc. cit.* Rada *controu.* 15. *art.* 2. *not.* 2. Meldula *d.* 7. *q.* 4. *n.* 234. & apud eum Fasolus, & alij: quia relatio etiam talis est in se, atque adeò à quovis disparato distinguitur. Sic paternitas Abrahæ, non solùm distinguitur à filiatione Isaac; sed etiam ab elementis, & corporibus mixtis, ab Angelis, & ab accidentibus aliis: esto relatiuè soli correlatiuo opponatur.

Adde opponi, seu distingui oppositè relatiuè à termino, vt absoluto, secundum Suarez *num.* 9. Itaque Pater sua paternitate diuina differt à Filio correlatiuo, à Spiritu sancto autem non vt correlatiuo; sed vt termino formali, ad quem Spiritus sanctus refertur; procedit enim à Patre, & Filio immediatè, vt constitutis paternitate, & filiatione. Ergo ex illius oppositionis vi habent sufficientem rationem distinctionis, itavt, licèt per impossibile intelligeremus, in Filio non resultare relationem realem spirationis actiuæ ad Spiritum sanctum; sed esse inter illos relationem non mutuam, tamen esset inter eos realis distinctio ex vi suarum proprietatum: quatenus filiatio est, quasi ratio terminandi habitudinem processionis ad Filium. Vnde in Concil. Tolet. vndecimo dicitur: *Sicut Filius dicitur ad Patrem, ita Spiritus sanctus dicitur referri ad Patrem, & Filium.* 111

Qvapropter, etiamsi concedat gratis, relationem, vt sic, distinguere realiter solum à suo opposito, intelligi debet, non de solo opposito, vt correlatiuo; sed etiam de opposito, vt termino.

Enim verò, cùm emanatio Spiritus sancti adueniat Patri, iam paternitate constituto, non videtur rectè desumi constitutio, & distinctio Patris à Spiritu sancto, ex eo, quòd postea Spiritus sanctus sit terminus formalis; sed potiùs differt, vt res producta. Et quia in diuinis omnis distinctio est per relationes oppositas, non satis videtur explicita distinctio Patris à Spiritu sancto in esse termini posteri, præcisa relatione. Dicerem potiùs, paternitatem constitutiuam Patris includere fœcunditatem etiam spiratiuam; sicut etiam filiatio eandem includit, & per hanc in signo constitutionis Patris, illicò excludi Spiritum sanctum; vt referendum, tanquam terminum ad suum principium, & ita etiam filium filiatione tali constitui, quæ includit etiam fœcunditatē spiratiuam, qua illicò Spiritū sanctum pati de causa excludat; tametsi spiratio personæ constitutæ adueniat. De hoc autem puncto agēdum exactiùs *disp.* 10. *q.* 3. Nunc moneo argui diuersè.

112 PROBATVR secundò à D. Bonau. Illa est proprietas personalis, per quam persona propriissimè nominatur, & exprimitur. Sed prima persona propriissimè exprimitur per Paternitatem: ergo. Minor probatur è scripturis non paucis. Sic enim Christus semper eum vocauit in Euangeliis. Sic iussit,dari baptismum. *In nomine Patris, &c.* Quare hæc est forma necessaria, vt prima Persona hoc nomine enuncietur, vt docent Theologi, cum D. Bonau.4.*dist*.3. passim & 1. *dist*.27. *q*.1. *ad primum*. Ideò,& *prima Ioan*.5. dicitur. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo; Pater, &c.* Idem edocent SS. Patres Hilarius 12. *de Trin.* Fulgentius *de fide ad Petrum cap*.2. Damascenus *lib*.3.*de fide,cap*.5. August. *de Trin. cap*.6. apud Forestum *fol*.309.

113 PROBATVR tertiò à D.Bonau. Sicut se habet filiatio ad Filium: sic Paternitas ad Patrem: sed filiatio est relatio personalis filij: ergo & Paternitas Patris.

PROBATVR quartò à S. Bonau. Illa est proprietas personæ, quæ dicitur per modum positionis, & propriæ habitudinis: sed inter omnes habitudines,quæ dicuntur de Patre, talis est Paternitas: ergo. Minor probatur; ob id enim Apostolus primam personam adoraturus,Patrem vocat. Ephes.3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi.*

QVOMODO autem proprietates relatiuæ personales constituant, & distinguant personas, ostendam *disput*.12. *q*.1. Interim cum Foresto dico, per generationem inchoatiuè, per relationem verò Paternitatis completiuè constitui personam Patris. Sic D. Bonau. *dist*.26. *q*.3. Richard. *art*.3. *q*.2. Scotus ibidem, & *dist*.28. *q*.3. ac D.Thom. *de potentia q*.8. *art*.3. apud Forestum *fol*.310. Ratio est D. Bonau. quia, demptis originibus, & relationibus, omnia sunt communia.

114 At, quia videtur difficile,personam primam constitui in esse personali, dum Filio dat esse. Et sic dando esse, recipere; oportet adnotare cum D. Bonau. *dist*.28. *quæst*.3. *argumento* 1.*ad opp.cum resp.* vbi hæc difficultas soluitur; esse personale, non esse absolutum; sed relatiuum, quod per generationem inchoatiuè recipit non efficienter esse, sed respectiuum, distinctum ex oppositione filij geniti, ex natura relationis,quæ ex producto termino euadit; sed radix,& vis huius distinctionis, quasi supponitur ex actu generationis nihil enim se ipsum potest producere. Difficultas sanè esset de acquisitione esse realis absoluti; non autem de relatiuo, quod non fit, sed potius quasi resultat.

Ex quo fit, vt ideò sit Pater, quia generat; non autem ideò generet, quia iam Pater. Ex eo igitur, quod Pater generat, est Pater origine prior; tamen quia relatiuum non potest esse sine suo termino. Ideò filius genitus relatiuè illico refertur ad Patrem, & in relatione sunt simul. Veluti, si Socrates esset filius Platonis; esset quidem relatione simul, sed origine posterior. Sic & causa est prior causato,& principium principiato; & tamen relatione simul,vt docet Auicenna 7. *Metaph. cap*.2. quia non resultat nisi posito effectu.

115 IGITVR Pater supponitur hypostaticè generationi: nam actiones sunt suppositorum, maximè in diuinis, vbi essentia non generat, vt obseruat Tanner. *disput*. 4. *q*.3. *dub*.6. *n*. 15. supponitur verò non vt Pater; sed vt innascibilis, contra Tannerum allegatum *sect*.2. *q*.3. Est verò Pater, quia genuit; hoc enim in omni generatione euenit, vt docet Arist.5. *Metaph.text*.20. & auctor *sex Principiorum*, vt omnis Pater ideò sit Pater,quia genuit Filium.

Obiicies primò: In illo priori signo, quo nondum est generatio,& supponitur persona, seu suppositum, cui conueniat operari, non potest concipi prima persona, vt distincta ab aliis personis, quia non est relatiua.

Respondetur; esse distinctam in actu primo per innascibilitatem, prout dicit fontale principium, & ita relatiuè in actu primo.

Obiicies secundò. Paternitas, qua Pater constituitur in esse Patris, est relatio formaliter; at nec includit simul correlatiuum; atque adeò non erit Pater origine prior Filio. 116

Respondetur, relationem constitutiuam Patris dicere generationem, vt viam, & relatiuum (resultans veluti) producto termino; atque adeo,quamuis vt relatio sit simul; tamen, vt origo ad terminum, est prior.

QVÆSTIO II.

An ideò Prima Persona sit Pater, quia generat.

D.Bonau.d.27.q.2.
D.Thom.q.40.art.4.

EX dictis superiori quæstione iam solutio enitet. sed quæstionem propono cum D.Bonauentura, vt reliqua examinem.

Primò aliqui apud Scotum *distinct*. 28. *quæst*.3. ita discurrunt. Deus essentialiter subsistens priùs, ratione, quam prima persona producat, sese determinat ad esse primæ personæ, sese illi communicando; neque Patribus, & Conciliis conclamantibus, improductionem primæ personæ, aduersari; quia non damnant communicationem huiusmodi essentiæ ad primum suppositum, secum realiter vnum; sed negant, Patrem à distincta produci persona.

Hic modus valdè à modo dicendi Patrum, & Conciliorum aberrat, & redarguitur grauiter à Theologis, præcipuè Zumello *q*.33. *art*.4. Suarez *lib*.8.*c*.1. Foresto *folio* 306.

SECVNDA opinio est, hanc primam proprietatem immediatè consequi ex diuina natura, hoc solo, quod talis natura substantialis est; neque aliam rationem quærendam, quia est prima, & in ea est status. Ex fœcunditate verò diuinæ naturæ non potuit prima eius personalitas esse absoluta, debuit ergo esse relatiua, & consequenter accommodata communicationi talis naturæ per intellectum, & voluntatem. Quia igitur natura illa essentialiter intellectualis est; ideò prima eius communicatio intellectualis etiam est. Et ideo prima personalitas talis est; qualis esse debet ad communicationem per intellectum. Ita Suarez *lib*.8. *cap*. 1. 117

SENTENTIA D. Bonauenturæ *distinct*. 26. *quæst*.3. & *hic* est, fundamentum, & radicem Paternitatis esse generationem; generationis vero innascibilitatem. Idem habet, problematicè tamen, Richardus. Itaque est verum, primam Personam esse Patrem, quia generat. Quoniam vero Suarez ait, nullo alio fundamento niti D. Bonauenturam, quam exemplo creaturarum, inter quas ideo aliquis est Pater; quia filium genuit, eamque rationem non esse solidam; videamus, quibus argumentis à S. Bonau. confirmetur. 117

PROBATVR ergo primò à S.Bonau.ex Magistro *dist.* 119

*dist.*27. vbi ait; Patrem semper esse Patrem, quia semper genuit Filium, & refert D.Hilar. *de Trinit. lib.*12. id asserentem, & Fulgentium de fide ad Petrum *cap.*1. inter opera D. August. tom.3. *Aliud est genuisse, quam natum esse; aliudque est procedere, quam genuisse, & natum esse. Vnde manifestum est, quod alius est Pater: alius est Filius: alius Spiritus sanctus & est proprium solius Patris, non quia non est natus ipse; sed quia vnum Filium genuerit: propriumque solius Filij; non quia ipse non genuit; sed quia de Patre natus ipse est. Proprium verò Spiritus sancti est; non quia nec natus est ipse, nec genuit; sed quia solus de Patre, filioque procedit.*

120 Hinc eruitur validissimum argumentum à D. Bonau. Idem est principium constitutiuum quod est distinctiuum, vt contendit etiam Suarez *quæst. præcedenti*, allegatus. Sed principium distinctiuum Patris à Filio est generatio; vt deducit D. Fulgentius. Ergo & constitutiuum ipsius Patris.

Confirmatur à Tannero *disp.*4.*q.*3. *dub.*6. *n.*19. è D.Bonau. *in corpore*. Filius habet esse per generationem. Igitur generatiò, tanquam principium, est prior ratione, quam Filius. Relatiua autem sunt simul natura, tempore, & cognitione. Ergo generatio est ratio dicendi Paternitatem in Deo Patre; sicut enim se habet generatio passiua ad filiationem; ita actiua ad Paternitatem. Confirmatur, quia generatio dicit emanationem, siue originem; paternitas dicit habitudinem. Constat autem, quod origo est ratio habitudinis; non è contra. Ergo generatio est ratio Paternitatis.

121 Probatur secundò à D.Bonau. *fundamento* 2. Id, quod est prius, est ratio posterioris. Sed in diuinis prior est generatio, quam Paternitas. Ergo est ratio Paternitas. Minor probatur: nam prius est generari; quam esse, & prius est esse; quam referri. Igitur prius est generari, quam esse Filium. Igitur pari ratione prius est generare, quam esse Patrem, secundùm ordinem intelligendi. Confirmatur minor ex Concilio Tolet. vndecimo, vbi habetur. *Quod Pater est; non ad se, sed ad filium dicitur.* Ergo eatenus est pater, quatenus est ad Filium: est autem ad filium per generationem. Hoc confirmatur ex D.August.5.*de Trin.c.*5. vbi ait: *Quod, si Pater ad se diceretur, iam diceretur secundum substantiam*, idest essentiam, vt supra explicuit.

Probatur tertiò fundamento 3. Hypostasis Patris est Pater. Ergo aut, quia Deus; aut quia Deus generans. Tandem confirmatur ad tertium à D. Bonau. qui ibi fontalem primitatem tuetur, vt vidimus *sect.*2. *quæst.*3.

122 Responsiones Suarez elidam *disput.*12. *q.*1. cum responsionibus D.Thom. quæ concindunt.

Interim respondet Suarez, cum D.Thom. quod origo est ante relationem; non tamen sequitur, relationem non posse esse formam constitutricem talis personæ; quia, sicut illa origo est prior tali relatione; ita etiam est prior, quam ipsa persona. Vnde retorquet argumentum: forma constituens non est prior persona constituta; persona, enim nil est aliud quam ipsa forma subsistens, & origo passiua est prior, quam persona procedens: ergo non constituit illam.

Hæc tamen friuola sunt: nam constitutio personæ est realis, vt fatetur Suarez *lib.*7. *cap.*3. atque eam constare, ait, ex essentia, & proprietate at quis ignorat, constitutiuum prius esse constituto?

Obiicit primò Suarez: si Paternitas conueniret Patri, ratione alicuius attributa notionalis, iam non esset prima proprietas notionalis.

Respondet S.Bonau. *ad* 5. non esse primam proprietatem; sed eam esse innascibilitatem, ratione etiam positiui, vt dictum est *sect.*2. *quæst.*3.

Vrget Suarez: interrogo Bonauenturam. Vnde conuenit Patri generare? hoc sanè non conuenit ratione essentiæ, quæ non generat: ergo debet supponi terminata aliqua proprietate, quod non potest concedere, nec concedit; vel eius assertum ruit. 123

Respondetur, quod si legisset Seraphicum, vidisset hoc argumentum in eo, quod est tertium ordine fundamentum, & resolui difficultatem *in corpore*; & *ad* 3. iuxta amplè iam condicta, atque probata; ibique assignare proprietatem, quæ est prior Paternitate; nempe innascibilitatem, quæ dicit fontalem fœcunditatem, quæ est origo generationis; sicut generatio Paternitatis; & latè hoc probat, vt vidimus *sect.*2. *q.*3.

Obiicit secundò; sequeretur, Paternitatem produci.

Respondetur, negando sequelam, potius enim dicitur, resultare quodammodo relationem ex hypostasi.

Dices. Si resultat relatio: ergo proprietas ipsa Patris constitutiua, & distinctiua resultat.

Respondetur, Personam constitui per habitudinem ad Filium ex origine, quo fit, vt per generationem ad productionem filij, referatur Pater ad Filium, non quod producatur persona, quæ ex generatione incipit relationem, sed quia habet vltimum esse per natiuitatem relatiui, quod non dat vllum esse Patri; sed solum præstat, vt sibi correspondeat per correlationem ex innascibilitate veluti manantem. 124

Obiicies tertiò. Id, quod constituit, & distinguit personam, debet esse fixum; at generatio est veluti fluens: ergo.

Respondet D.Bonau. primò, veram esse maiorem de vltimo constituente; non de initiatiuo.

Respondet secundò, personas procedere, sed fixè in æternitate, semperque procedere, & esse.

Ex his colligo primò, falsam primam sententiam, quia PP. & Concilia primam personam simpliciter improducibilem decernunt.

Colligo secundò argumentum contra Scotum, qui *disp.*7. *q.*1. arguit cont. D.Bonau. ad probandum, relationem non esse potentiam generandi, quod vrget etiam Faber *disp.*35. *cap.*2. quia sequeretur, eandem relationem esse productiuam sui ipsius; probat sequelam, quia in Patre ad Filium est vnica relatio, idest, generatio actiua, quæ diuersis appellatur nominibus, dicitur enim generatio, & paternitas: ergo, si illa est potentia productiua; erit productiua sui ipsius, quia potentia productiua est productiua generationis in Patre: at generatio est relatio ipsa, quæ per te est potentia productiua: ergo illa est principium productiuum sui. 125

Tunc sic ad hominem. Si paternitas est ratio producendi in Patre; & non è contra, generatio est ratio paternitatis, sequitur, quod sit productiua sui ipsius. Probatur sequela argumento Scoti. Neque dicas, paternitatem esse rationem generationis, non vt ipsa paternitas refertur, sed vt est forma hypostatica: nam est vna realiter personalitas secundùm Scotum, & vt præcise hypostasis verè non est specificatè Paternitas, quæ tota est relatiua ad solum filium. Vnde non verè dicitur paternitas est ratio generandi, seu ideò generat, quia Pater.

DISPVTATIO IX.

De Persona Filij Dei.

1 IAM de secunda Persona Augustissimæ Trinitatis ago, quæ est Verbum, Filius, atque imago adæquata consubstantialis Patri, quibus alio, & alio modo, non penitus Synonymo exprimitur secunda persona diuina, vt docet D. Bonau. *dist.* 18. *quæst.* 5. *ad argumenta dist.* 27. *parte* 2. *dub.* 2. *litt.* & *quæst.* 3. *in resol.* & post eum alij, è quibus Suarez *lib.* 9. *initio.* Nam Filius significat similitudinem naturalem. Verbum significat conceptum mentalem, spiritualemque similitudinem: Imago verò dicit illam conformem ex vi suæ originis suo Principio. Ideò de his singulis intersectâ disputatione agam.

A Verbi autem attributo exordiar cum Ioanne, vt Filius iste spiritualis dignoscatur. Vt verò ad Verbum Diuinum tramitem aperiam, nonnulla de Verbo mentis in genere prælibo.

SECTIO PRIMA.

De Verbo mentis in genere.

QVÆSTIO I.

De nomine Verbi, déque conuenientia, & disparantia Verbi creati, & Increati.

D.Bonau. dist. 27. p. 2. q. 4.
D.Thom. q. 34. art. 1.

VERBVM (si Grammaticè loquar) significat partem orationis significatiuam actionum, & passionum, secundùm differentias temporum. Dicitur autem Verbum, quasi *Verum*, eo quod admoneatur proferens, siue asserendo, siue negando, verum enunciare. Philosophicè autem, & Theologicè significat, Primò sermonem mente conceptum.
2 Secundò expressionem vocalem conceptus interni. Tertiò rem, etiam intus conceptam expressam autem foris. Ita nono Exodi. *Cras faciet Dominus verbum istud*, nempe, rem hanc: & primo Reg. 3. *Ecce ego facio verbum*, idest rem, Lucæ 2. *Videamus hoc verbum, quod factum est.* Hæc autem significatio est metonymia effectuum. Quartò significat etiam verbum imaginationis apud D. Thomam. Arbitror autem, esse idem Verbum mentis, quatenus cogitatio cum imaginatione coniunctum in nobis habet obiectum. Vnde dicitur intelligens necessario speculari phantasmata.

3 D. BONAVENTVRA *dist.* 27. 1. *p. quæst.* 1. 2. & *in corpore*, duo sola verba exprimit, idest, internum mentis, & externum oris: *at quæst.* 4. *in corpore* addit etiam tertium medium, sicque tria verba edisserit. Primò enim cogitat intellectus aliquid, quid sit. Secundò, quomodo debeat cogitatum pronunciare. Tertiò vox pronunciat. Hoc verbum medium putant aliqui, apud Vasquez in commentario, esse verbum imaginationis assignatum à D.Thom. non quod debeat dici verbum iam expressum; sed quatenus intellectus simul cum imaginatione meditatur, an illud enunciet.

Inter hæc verba, licèt notissimum sit externum; tamen verbum mentis propriissimè verbum est, vt docet D.Thom. hic, & D.Bonau. loco mox adducto, ex D.Aug. 15. *de Trin. cap.* 11. quam sententiam omnes Scholastici amplectuntur *d.* 27. vt notat Vasq.

Quò fit, vt hi, qui verbum mentis improprium mussitant, viam hæreticis pandant ad veritatem Verbi æterni denegandam, vt aduertit Canat. *ad art.* 1. *q.* 27. *D. Thom.* Hanc autem veritatem egregiè explicat S.Doct. *d.* 27. *q.* 4. *in resolut.* ex imagine Trinitatis, quæ est in nobis, quæ quidem nec in verbo imaginationis, neque in externè prolato, sed in mentali propriè elucescit; hoc enim est verbum, quod non est Græcum, vel Latinum, vel alicuius idiomatis, & spiritualitatem Verbi æterni ideò imitatur, vt docet D.August. 15. *de Trinitate, cap.* 10. 4

OCTO similitudines, inter nostrum verbum mentale, & Verbum Diuinum, assignat S. Bonau. cum D. August. passim. PRIMA est. Sicut nos intelligendo parimus Verbum; ita Pater se comprehendens parit Verbum. Ita S.Bonau. *hic in corpore.* 5

SECVNDA. Sicut Verbum nostrum est immateriale; ita productione spirituali gignitur infinitè spiritualius Verbum æternum, produciturque ab omni concretione segregatum putissimus spiritus. Ita D.Bonau. hìc, & *ad cap.* 1. *Ioan.* ex D.Chrysostomo ad ea verba. *In principio erat Verbum.*

TERTIA. Nostrum verbum absque locali motu prodit in lucem, non discedens à mente, adeò vt D.Fulgentius *lib.* 3. *ad Monim.* dicat. *Mens cogitando verbum intra se generat*; multo minus Verbum Diuinum à mente Patris recedit. Vnde Ioan. cap. 1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* Vel, secundùm aliam versionem, in corde Patris. Ita D. Bonau. ad ea verba Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, vbi refert ad id Damascenum *lib.* 1. *de fide, cap.* 18. & D.Augustin. *tract.* 1. *in Ioannem*, & *lib.* 15. *de Trin. cap.* 11.

Quarta, Verbum, quod nos concipimus, est rei conceptæ perfecta imago; sic infinitè perfectior imago Patris est Verbum; ita D.Bonau. *loc. cit.* adducens D. August. 7. *de Trinitate, cap.* 3. 6

QVINTA. Sicut à verbo nostro initium sumit opus externum, vt nunquam sine interiori præcedente verbo quidquam efficiamus; similiter nobiliori modo Verbum est, quo Pater omnia facit, vt dicitur Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Secundùm autem expositionem D.August. alio modo punctatur. *Quod factum est, in ipso vita erat*, idest, omnia erant viuentia in Verbo. Ita D.Bonau. *hic*, & ad ea verba Ioannis cum D. Augustino.

SEXTA. Sicut nos iungimus verbum mentis voci, illudque reddimus sensibile: ita tamen, vt à mente non recedat, aut in vocem transeat: sic & Verbum Patris carnem sumens factum est manifestum hominibus, neque tamen à Patre ob id recessit, neque in carnem mutatum est; sed distinctæ mansere duæ naturæ, ex Symbolo Athanasij. *Non conuersione diuinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum.* Ita S. Bonau. hìc *in corpore*, & ad ea Ioannis verba. *Verbum caro factum est.*

SEPTIMA.

7 SEPTIMA. Sicuti opus nostrum artefactum è Verbo ideatur, tametsi non sit necesse ad Verbum opus consequi; eadem altiori ratione opus externum è Verbo creatum, ideatumque non addit aliquid Verbo Dei, aut necessariò consecutum est, potuit enim Deus mundum non condere. Ita D. Bonau. ad id Ioan.1. *Quod factum est, in ipso vita erat*, vbi affert D. Anselmum *in Monol. c.38*. Idemque docet *in corpore hic*.

OCTAVA. Sicuti verbum nostrum naturaliter prodit, pendens ab intellectione, vt sit vera imago intellectionis, & obiecti, ac duret, quamdiu intellectio durat; sic Verbum diuinum naturaliter oritur per intellectionem, vt Imago, & Filius per naturam, & durat, durante intellectione Patris: id autem semper absque fluxu manet in æternitate; vnde ait Psal.2. *Ego hodie genui te. Genui* (ait) ad perfectam generationem testandam. *Hodie*, ad æternitatem perpetuò præsentem attestandam. Ita D.Bonau.hìc, *in corpore*: & *ad* 1.*Ioan*.

Ex his habes, Forestum *fol.*344. falsò dixisse, D.Bonauenturam non attulisse has octo similitudines, inter Verbum nostrum, & diuinum; sed aliquas tantùm. Nunc pariter ostendam differentias, & antitheses inter hæc Verba, quas Forestus *fol.*345. videtur in Seraphico ignorare, tametsi in eius scriptis quinquaginta, & sex annos volutatus sit.

8 PRIMA igitur diuersitas, quia verbum nostrum in tempore est, ideò incipit: Diuinum verò coæternum Genitori. Ita D.Bonau.ad ea verba Ioan.1. *In principio erat Verbum*.

SECVNDA differentia. Verbum nostrum differt natura, & virtute à producente; sicut accidens à subiecto: at Verbum Dei est eiusdem substantiæ, ac virtutis cum Patre. Ita D. Bonau. *ad cap.*1. *Ioannis*.

TERTIA differentia. Verbum creatum effluit; at diuinum manet semper. Ita D.Bonau.*loc.cit*.

QVARTA differentia. Verbum nostrum, quia finitum, multiplicatur; at Verbum Dei est vnicum, quia infinitum. Ideò *Psal.*61. dicitur: *Semel locutus est Deus*. Ita exponitur à D. August.ibi, & D.Bonau. ibidem *in commentario*, & *ad cap.*1. *Ioan.* ad ea verba: *In principio erat Verbum*, vbi affert etiam id Iob 33. *Semel loquitur Deus*, cum expositione D.Gregorij 23. *Moral. cap.*11. vbi ait: *Loqui Dei est Verbum genuisse. Semel loqui est Verbum aliud, præter Vnigenitum, non habere*, suprà autem multitudinem verborum nostrorum, ex intellectus nostri tenuitate multiplicatorum recensuit. Has differentias recenset Athanas. *serm.*3. *in Arrianos*.

9 CONCLVDIT verò S.Doct. nomen Verbi, segregatis imperfectionibus, translatum ad Deum, non vt metaphoricum; sed in propria significatione, vt ait Glossa. Sic ex Verbo nostro manuducimur, ad diuinum cognoscendum, vt ait D. August. *lib.*15. *de Trin.cap.*11. vbi etiam addit S.Doct. dici translatè, si comparetur ad verbum nostrum vocale, non autem ad mentale. Vide D. Bonau. qui ad ea verba etiam Psal.118. *Bonitatem fecisti cum seruo tuo, secundum verbum tuum*, comparat Verbum Dei cum verbo nostro vocali. Primò, quia, sicut nostrum est vox viua significans, ita Verbum diuinum. Secundò, sicut verbum nostrum est in proferente: ita Verbum Dei in Patre. Tertiò, sicut verbum nostrum nobiscum facit vnum, tametsi imperfectè per accidens; ita Verbum Dei facit vnum per naturam, sed substantialiter cum Patre. Vide S.Doct. Hæ similitudines eruuntur è Sanctis Ignatio *ad Magnes.* Epiphanio *heresi* 73. Basilio *ad initium Ioan.* Nazianzeno *orat.*4.*de Theol.*

ASSERENDVM, rectè nomen Verbi translatum ad Filium Dei significandum.

PROBATVR à D. Bonau. *hic* primò. Id quod 10
maximè significat emanationem Verbi diuini, secundùm eius propriam rationem, transfertur rectè ad illud significandum: at nomen Verbi est huiusmodi: ergo. Minor probatur; nam verbum mentis est naturalis partus eius, nascens ex vi sui ortus, vt imago spiritualis obiecti cogniti, & intellectus cognoscentis; hæc autem est ratio propriissima Verbi mentis ex intellectu simplicissimo Patris, eius imaginis adæquatæ; vt docent SS. Patres allegandi *sect.*3. præcipuè D. August. passim *in libris de Trinitate præsertim, lib.*15. *c.*10. *&* 11. Anselmus *in monol. cap.* 8. Damascenus 1. *de fide, cap. penult.* Confirmatur ex allatis parallelis vtriusque Verbi, refricatis à D. Bonau. *in fundamentis*; vbi etiam ponit similitudines Verbi Dei, cum Verbo nostro ore prolato, quod est expressiuum, & manifestatiuum voluntatis, conceptusque interni; sicut conceptus internus est manifestatiuus, sine expressiuus obiecti, & mentis. Ita Filius Dei dicitur Verbum, quia Interpres voluntatis Dei, vt ait Epiphanius *loc.cit.* & D.August. *lib.de fide, & symbolo, c.*3. Vnde D. Ignatius suprà, ait: *Deus manifestauit seipsum per Christum, quod est Verbum ipsius.* Et D. Nazianzen. *Verbum dicitur Filius, quia ita se habet ad Patrem; sicut sermo ad mentem, non modò propter generationem, passionis omnis expertem, verùm propter coniunctam cum Patre vim ennunciatiuam:*
& ideò Paulus Heb.1. *Nouissimè diebus istis locutus* 11
est nobis in filio scilicet, per Verbum. Et D. Basilius in principio Euangelij Ioannis: *Quæ enim secundùm cor nouimus, hæc verbo proferimus: æquè, & multò magis procul dubio, quod procedit ex mente diuina, ostendit, quomodo imago sui genitoris est.*

Addit verò S.Basil. *lib.*2. *contra Eunom.* non esse omnimodam similitudinem. Idem habet S.August. *serm.*19.*de tempore*, qua obseruatione D. Bonau. argumentis contendentibus, non posse nomen Verbi ad diuina transferri, illicò respondet; ea enim probant tantùm, verbum nostrum maximè externum in multis à Verbo Dei differre; atque adeò transferendum, seclusis imperfectionibus, iuxta supradictas similitudines.

QVÆSTIO II.

Quid sit Verbum, & quomodo in nobis producatur.

D. Bonau. d.27. 1.p. q.4.
D.Th.q.34.art.1.

PRIMA opinio est Ægidij *quodl.*3.*q.*12.13.*&* 14. verbum nostri intellectus esse speciem intelligibilem, præcedentem actum intelligendi, & productam à specie intelligibili, quæ est in memoria: Sequitur Suessan.*lib.*5.*de intellect.c.*9.

SECVNDA sententia est, verbum mentis esse obiectum cognitum. Ita Aureolus apud Capreolum *dist.*27.*q.*2. licèt alij affirment, obiectum, secundum esse, quod habet à parte rei, esse verbum.

TERTIA opinio est, verbum esse ipsam actualem intellectionem. Ita Scotus 1.*dist.*27. *q.*1. quem sequuntur Scotistæ commentatores ibi; cæteri verò

O 4 omnes

omnes passim. Rada *controu.*7. Fauent. *disp.*21. Vtinensis *tract.*10. *quæst.*2. *art.*1. *sect.*3. Macedo *collat.*5. Mastrius *disp.*6. *de anima*, *q.*3. *art.*2. Suarez *lib.*1. *de Trin.c.*6.*n.*7. & *lib.*3. *de anima*, *c.*5. & aliis locis referendis *tract.de anima*, *disp.*9. *sect.*4. *q.*4. Caspensis *disp.*1.*num.*33. Ruuius *lib.*3. *de anima*, *tract. de actu intellectus possibilis*, *quæst.*3. & 4. Vasquez 1.*p. tract.*2. *disp.*141. *num.*26. & *d.*112. *num.*13. & *tom.*1. *disp.*38. *c.*2. Onuph. *tract.*2. *d.*1. Arriaga *disp.*6. Vulpes *t.*1. *p.*1. *disp.*20. *art.*6. Her.1.*d.*10. *q.*1. Lusit. *p.*2. *l.*4. *de Beat.q.*2. *art.*4. Ribas 1.*p.t.*3. *d.*3. *c.*2. *n.*31.

12 QVARTA sententia est, Verbum esse speciem expressam productam per actum intellectionis. Ita D.Thom. 1.*p. q.*27. *art.*1. & *q.*34. *art.*1. *ad* 2. quem sequuntur Thomistæ. Vide his locis Caietanum, Bañem, Molinam, Nazarium *controu.*1. Capreol. 1.*d.*27.*q.*2.*concl.*5. Ioan.de S.Thoma *q.*21.*art.*1. Hæc est aperta sententia D. Bonau. 1.*d.*27.*p.*1.*q.*2.3.& 4. vt obseruat Forestus *disp.*5. *de Verbo*, *c.*2. *fol.*353. *coll.*3. *de anima*, *c.*8.*q.*3. Morisan. *disp.*3.*q.*6. Gonzal. *disp.*25. Montesin. *p.*2.*d.*3. *q.*5. Fonseca 5. *Metaph. c.*15.*q.*10. Gabriel à S.Vincentio, & alij.

ASSERO primò. Verbum non est aliud, quàm species expressa producta, per actum intellectionis *dicendo*. Suppono autem ex dictis *disp.*2.*q.*4. dictionem esse intellectionem. Suppono etiam, dari verbum mentis.

PROBATVR primò à D.Bonau. ad ea verba: *In principio erat Verbum*, vbi quærit, cur potiùs non dixerit, *erat Filius*. Respondet cum D.Chrysostomo *homil.*1 *in Ioannem*, sic locutum, vt ostenderet, Filium Dei genitum impassibiliter, idest, sicut conceptus mentis gignitur, vt aduertit S. Doct. qui idem probat ex D.August.*tract.*1. *in Ioan.*& *tract.*37. vbi ait: *Apud hominem est verbum aliud, quàm sonus.* Idem mox probabo: Quoad primam partem.

13 PROBATVR ergo assertio à D. Bonau. ibi ex D.August. 15. de Trin. c.9. *Formata quippè cogitatio de re, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus, quod nec Græcum est, nec Latinum, nec alterius linguæ.* Et cap.15. *Cùm verbum nostrum nostra cognitione dicatur.* Et paulò post: *Verbum nostrum verum intimum, nisi nostra cognitione non dicitur.*

PROBATVR secundò à D.Bonau. *in* 1.*d.*27.*p.*2. *q.*1.& 3. *in corpore*, ex D.Anselmo *in Monol.c.*31. vbi ait: *Dum cogito notum hominem absentem, format acies cogitationis in se talem imaginem eius, qualem illum per visum oculorum in memoriam contraxi, quæ imago in cognitione verbum est eiusdem hominis, quem cogitando dico.* Alias etiam authoritates ibi habes. Quare falsò ait Ribas *loc. cit.* Anselmum apertissimè pro sua opinione eniti, dum addit *cogitando* nasci imaginem in cogitatione, imò hanc esse imaginem sui; lato modo vix dicitur imago ad se referri: sensum verò proprium ait: Verbum esse imaginem expressam *dicentis*, & *cognitionis*.

14 PROBATVR tertiò à D. Bonau. *loc. cit.* ratione, qua nituntur Caietanus, Nazar. & alij. Non potest homo ad extra loqui, quin dicat verbum: ergo neque mens hominis ad se potest loqui sine verbo. Antecedens patet. Consequens probatur: nam loqui, est dicere, & explicare, quod intelligit.

QVOD verò Verbum producatur per actum intellectionis, probatur primò à D. Bonau. locis adductis D. Augustini, vbi asserit, verbum produci cogitatione, quæ sanè est intellectio, vt dicam *tract.de anima, loco citato.*

Respondet Vasquez *disp.*112. S.Augustinum vocare verbum scientiam ipsam certam de re, dictionem autem Verbi apud D.Augustinum esse cogitationem præcedentem; nam ibidem S. August. ait: *Cùm dubitamus, nondum est verbum de re, de qua dubitamus.*

At S. Augustinus solùm ait, non nasci Verbum solùm è scientia, quia multa etiam dicimus, quæ nescimus, nec dubitantes ea dicimus; sed vera esse arbitrantes. Cùm autem dubitamus, nondum esse verbum de re, de qua dubitamus; sed de ipsa dubitatione verbum esse, hoc verò non esse simile Verbo æterno. Vide, quæ dixi *disp.*2. *q.*4. §.*similiter est.*

PROBATVR secundò ex D. Anselmo *in Monol. c.*31. *supra citato.*

PROBATVR tertiò ex D. Fulgentio *lib.*3. *ad Monimum*, *c.*7. vbi habet: *Sed sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente Verbum, sicut in corde consilium; cùm enim mens apud se verbum habet, vtique cogitando habet; quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare.* Vbi non de scientia in actu primo vult nasci verbum; sed de cogitatione in actu secundo cogitando. Similiter censet & D.Aug. in quo decipitur Vasquez. 15

PROBATVR quartò rationibus supra allatis, & *disp.*2.*q.*4. Confirmatur. Omnis potentia vitalis est productiua termini: ergo.

Obiicies primò cum Rada. Species expressa, seu Verbum est eiusdem speciei cum impressa: ergo non possunt esse simul in eodem subiecto. Probatur consequentia: quia duo accidentia eiusdem speciei nequeunt esse in eodem subiecto. 16

Respondetur, duo accidentia diminuta posse esse in eodem subiecto, vt duo lumina sunt in eadem parte aëris; nam mutuò se intendunt, & manent in sua entitate; producunt enim singula suas vmbras, vt sæpiùs obseruaui noctu in duabus candelis positis super altare ad Missam, quæ in calice vmbras hinc inde reddunt, illuminato medio ab vtraque, cuius signum est, quòd vmbræ sunt tenuiores, quàm si vnum adesset lumen. Vide S. Bonau. *in* 2.*d.*3.*p.*2. *art.*2.*q.*1. *in corpore.* Addam, esse distinctas specie: prior enim exprimit obiectum; at Verbum, etiam intellectionem. 17

Obiicies secundò. Superfluit illa species expressa: ergo non est ponenda. Antecedens probatur. Talis species non repræsentat perfectiùs obiectum, quàm illa, quæ est in memoria: ergo superfluit. Probatur antecedens, quia ex D.August.15. de Trin.c.13. *Nihil plus est in prole, idest, intelligentia, quàm in parente*, idest, memoria fœcunda; esset autem plus, si illa species, quæ est in intelligentia perfectiùs repræsentaret obiectū, quàm illa, quæ est in memoria.

Resp. falsum vtrumque antecedens. Neque D. Augustinus obsistit. Sanè cùm censeat intelligentiā Patris gigni Verbum è memoriā, non sequitur in mea sententia plus esse in prole vtramque exprimente, quàm in parente cuius sunt. Neque superfluit Verbum exprimens ea, quæ sunt in scientia Patris, non ex necessitate; sed ex infinita fœcunditate, è regione verbi nostri, natum. Necessitas autem Verbi nostri est, quia de ratione intellectionis est, vt res intellecta sit intra ipsum intellectum, quasi in actu secundo. Sed hoc esse nequit, nisi per intellectionem producatur verbum, per quod res ipsa quasi in actu secundo sit in intellectu: ergo. Ita arguit Nazarius, vbi cum Caietano arguit, ad hoc non sufficere speciem impressam, quæ inseruit solùm, vt principium actus intelligendi, non vt terminus; atque adeò exigitur verbum. Ideò Aristoteles 2. *de anima*, *text.*59. in hoc discriminat intellectum à sensibus, quòd sensus 18

non

non habent obiectum intra; at intellectus habet obiectum intra. Certum est autem, etiam sensus habere intra speciem ab obiecto impressam. Igitur intellectus habet obiectum intùs per speciem expressam; alioqui differentia illa Aristotelica esset inanis.

19 Dices primò. Intelligens experitur, se non intelligere imaginem obiecti, sed obiectum ipsum: ergo non eò ponendum est verbum, vt obiectiuè sit terminus intellectionis: nam cognosceretur.

Respondetur, probabile esse, Verbum esse imaginem obiecti, ad quam si non attendit intelligens; nil mirum, quia tendit in obiectum ex natura suæ intellectionis. Hinc Mastrius ruit.

Dices secundò. Sequeretur, nos intelligere obiectum in alio; sicuti cum Petrus videtur in speculo.

Respondetur, negando sequelam, neque exemplum est aptum: nam id dicitur videri in alio, quod videtur per speciem continentis primò visi: sic videtur primò speculum; hoc autem modo verbum non dicitur primò visum.

Dices tertiò. Sensus externus ob præsentiam obiecti non format sibi verbum: ergo neque intellectus, dum cogitat obiectum sibi præsens.

20 Respondetur, negando paritatem, quia intellectus noster nullam habet hic cognitionem, merè intuitiuam perfectam; & ideò eget abstrahere speciem, & formare sibi verbum, non sic sensus externi; sensus verò interni non dicunt, quamvis D. Thomas, vt dixi, videatur admittere verbum imaginationis, quod tamen est verbum cogitationis, quo cogitat; quomodo hoc, vel illud pronunciet, vt dixi *q.1.* Imaginario verò, tametsi idolum quoddam sibi efformet, non est tamen verbum; quia solius naturæ rationalis est loqui; at de Psittaeo, & Pica, aliisve brutis dicitur impropriè, vt aduertit Nazarius *concl.5.* & *in resol.* & tale idolum simile quodammodo esse verbo intellectus asserit D. Th. *quodl.5.art.8. ad 2.*

Dices quartò. Verbum est priùs intellectione: ergo non producitur per eam. Antecedens probatur: nam intellectus intelligit res in verbo: ergo supponit verbum, vt in eo intelligat.

21 Respondet Nazarius, intellectionem non esse perfectam, & formatam, nisi per verbum. Itaque priùs est Verbum in genere causæ formalis; intellectio verò, vt est actio intellectus tendens ad terminum, est prior verbo ordine naturæ; sicut motus est prior termino. Elicitur hæc responsio ex D. Aug. 15. *de Trin.c.16.*

Dices quintò. Si verbum in nobis producitur, vt sit loco obiecti informantis; sequitur, Angelum, dum cognoscit seipsum, non formare verbum.

Respondetur cum D. Bonau. vt dictum est *tr.1. disp.11. q.4.* Angelos intelligendo se formare ver-
22 bum. Idem sentiunt Syluester *in conflato.* Ferrar. *primo contra Gent.cap.53.* Torres *ad q.27.art.1.disp.1. d.3.* Bañez ibi *d.2.* Molina *disp.8.memb.3.* Suarez *lib.2. de attribut.neg.c.11.* Zumellus hic *d.3.* & est sententia D.Thom.*4.contra Gentes, c.11. de verit.q.4.art.2. de potentia,q.9.art.5.* & *1.p.q.27.art.1.* cuius loca refert Nazar. *q.27. art.1.controu.2.* vbi id probabilius censet.

Probatur à Nazario ratione D. Bonauent. allata, *d.11.q.4.tract.1.* & est ratio etiam D.Thomæ *loc. cit. contra gent.* quia nulla creatura est suum intelligere; itaque intelligere eius non est substantia, sed accidens eius; & ideò similiter verbum est accidens: intelligere autem passiuè est esse intentionale per verbum.

QVÆSTIO III.

Quomodo Verbum distinguatur ab intellectione sua productrice.

Scotus ad sua fundamenta docet, intellectionem esse ipsum verbum, *in 1. dist.2. quæst.7.* & *dist.27. q.1.* & *in quod. q.1.* cum sequuntur Rada, Faber, & alij adducti *disp.2.q.4.*

Secunda sententia est Capreoli *disp.27.q.1.* Ferrar. *1.contra gentes,c.53.* D.Thom.*q.4.de veritate,art.2.* & *q.27.art.1.* vbi Caietanus, Bañez, Zumellus, Ripa, Nazarius *controu.4.* & alij Thomistæ volunt, verbum distingui realiter ab intellectione, veluti terminum à motu.

Tertia sententia est, verbum esse quidem di- 23
stinctum formaliter ab intellectione, sicut calor à calefactione. Ita Sotus *in 4.d.49.q.2. art.3.* Victoria ab omnibus relatus, Molina *disp.8.memb.2.* Vasquez *q.34.c.4.* Suarez *lib.1.de Trin.c.6.* & *lib.9.c.2.* & *lib.3. de anima, cap.5.* quam probabilem existimat Torres *disp.4.* & Bañez *dub.3.* ac ipse D.Bonau.*4.d.48.art.2. q.2.* si credas Foresto *fol.355.col.2.* ibi tamen S.Doct. solùm dicit, motum habere, quale est centrum respectu lapidis, & extra quod est quies in centro; at quis non videt, lapidem à centro differre realiter? Igitur S. Bonau. *1. dist.27.* & alibi est cum secunda sententia.

Assero; Verbum realiter differre ab intellectione.

Probatur primò. Eo modo differt verbum ab 24
intellectione, quo terminus à motu. Sed hic differt realiter, ex D. Bonau. *2.d.1.p.1.q.vlt.* & *in 1. dist.9. q.vlt.* Probatur verò; quia si motus esset idem realiter cum termino, calefactio esset calor. Consequens est contra Aristot.11.*Metaph. summa 4.c.3.* & *lib.5. c.20.* Confirmatur: nam motu cessante manet calefactum. Hoc latiùs ostendam *tr.5.d.10.q.3.*

Vrgeo ampliùs, nam Verbum est non modò terminus intellectionis, sed & illius est obiectum. Quis autem neget distingui ab eo, cuius est obiectum?

Respondet Forestus obiectum materiale, seu rem distingui à potentia; at formale, quo materiale apprehenditur, se tenens ex parte intellectus, esse ipsam cognitionem, eamque vt perfectam differre quidem ab intellectu in actu primo, non in actu secundo.

At nouum est confundere obiectum cum potentia, & illud potentiæ dare ad obiectum cognoscendum. Datur sanè obiectum formale, sed est ratio, aut species se tenens ex opposito potentiæ.

Probatur secundò. Si verbũ, & actus intelligẽdi est eadem res: ergo per quam actionem producitur Verbum producitur & actus intelligendi: ergo illamet actio & est dicere, quia est producere Verbum: & est intelligere, quatenùs actionem requirit, quia est productio actus intelligendi: ergo non sunt ibi duæ actiones, idest intelligere, & dicere, nec realiter, nec formaliter, seu ex natura rei distinctæ, quod est contra ipsum Scotum, vt aduertit Suarez *lib.1. de Trin.c.6.n.6.* Prima sequela probatur, quia vnius rei, vna est productio. Aliæ duæ sequelæ patent. Reliqua ad hanc materiam spectantia dicta sunt *disp.2. q.4.* cætera verò *tract. de anima, loco supra citato,* & *sect. etiam precedent.* enodabuntur.

Sectio

latrantis, generationem distinguere in diuinis, secundùm essentiam.

ASSERO primò, Filium à Patre differre per generationem realiter.

32 PROBATVR primò à S. Bonau. Nulla res seipsam gignit, vt docet D.August. *lib.1.de Trin.c.1.* & ex omnibus philosophis, præcipuè Aristot. *2.de anima, text.48.* Adde Anselmum *in Monol. c.41.* & *lib. de processione Spiritus sancti.* Esset enim idem, actu, & potentia.

SECVNDÒ. Vbi est emanatio, ibi multiplicatio, atque adeò distinctio.

TERTIÒ. Vbi est relatio, ibi distinctio: nil enim refertur ad seipsum, sed per generationem est relatio inter Patrem, & Filium: ergo.

QVARTÒ. Et confirmatur supra allatum argumentum. Maior diuersitas sustinetur à supposito: & in supposito composito multiplici, quàm in substantia simplici, & vniformi; sed relatiua opposita non stant simul in eodem indiuiduo creato, vbi, qui est Pater, non potest esse Filius suus. Ergo multò minùs in diuinis.

33 ASSERO secundò, generationem inducere distinctionem personæ, non naturæ.

PROBATVR à D. Bonau. primò, *in corpore.* Generatio est productio conuenientis in natura; at natura diuina, cùm simplicissima sit, non est multiplicabilis in indiuidua: ergo est communicatio eiusdem numero naturæ: ergo erit generatio personæ tantum distinctæ, cùm sit substantialis productio. Confirmatur; cùm generatio non terminet ad productionem naturæ, vt ostendi; si non terminat ad personam, oportet, vt tendat, ac terminet ad productionem meræ proprietatis. Hæc igitur vel est absoluta; & hoc non, quia erit natura; vel est relatiua, sed neque hoc, quia, sicuti ad meram relationem non est actio in creatis, ita neque in diuinis: vnde filiatio non generatur, nisi in alio: ergo necesse est, vt sit distinctio in supposito. Confirmatur secundò à S. Doct. Ratione relationis est distinctio, quia nil ad se refertur, nec ordinatur: Ratione verò talis relationis est distinctio personalis, quia generare, & generari, cùm dicant relationem per modum actionis, & passionis, dicunt eam in supposito, & respectu suppositi; & ideò, quia relatio inter extrema dicit distinctionem, patet, quòd est ibi distinctio suppositorum.

34 Quòd verò ex pluralitate naturarum sequatur compositio, probatur à D. Bonauent. *ad vltimum,* quia, sicuti cum natura assumitur hypostaticè, non destruit simplicitatem personæ, eò quòd assumptio posterior est ipsa persona; ita, si sint plures naturæ, præcedentes personam, resultabit persona composita e causa composita: erit autem prior, & præcedet, si natura illi sit intrinseca.

Obiicies primò. Pater communicat Filio, quæcumque habet, vt dicitur Ioan.16. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt.* Ergo dedit etiam personam, sicut dedit essentiam, atque adeò, neque persona distinguitur.

35 Respondet acutè S.Bonau. dedisse omnia, præter esse generantis, vt definit etiam Concilium Florentinum *in literis vnionis,* & ipsa ratio communicandi dat intelligere distinctionem, quia nullus communicat sibi; sed alij, & ideò id, in quo distinguitur, non communicat.

Obiicies secundò. Pater communicat Filio suam essentiam, propter summam suam simplicitatem; sed æquè simplex est persona. Ergo hanc etiam communicat.

Respondet S. Bonau. quòd simplicitas essentiæ est, quòd sit in pluribus; sed simplicitas suppositi est, quòd non sit in pluribus. Nam suppositum, siue indiuiduum, quantùm est de se, dicitur esse, quod est in vno solo.

Obiicies tertiò. Quando aliquid est vnum formaliter, totum communicatur; sed essentia, & persona, seu relatio est idem formaliter, per vos *disp.3. q.3.* ergo, si Pater communicat Filio essentiam, communicat, & paternitatem.

Respondet S.Bonau. essentiam, & personam esse 36
idem formaliter; sed non ad idem: nam essentia non est ad aliud, ideò non generat: at persona, quia præter esse *in*, quo cum essentia conuenit; habet esse *ad*; ideò & generat, & refertur.

Obiicies quartò. Sicut punctus habet diuersas 37
relationes ad multas lineas, neque tamen illæ relationes distinguunt illum, ob eius simplicitatem. Ergo neque filiatio, & paternitas distinguunt. Si dicas, non omnes relationes distinguere; sed solùm mutuas, vt *principium*, & *principiatum*. Contra Pater, & Filius se habent, vt intelligens, & intellectum, vt ait Anselmus *in Monol.cap.60.* at potest idemmet esse intelligens, & intellectum, vt, cùm intelligit se: ergo.

Respondet S.Doct. ad distinctionem requiri mutuam oppositionem relatiuam, qualis non est inter intelligens, & intellectum, longè enim diuersa est relatio, quæ ex productione oritur; nam idem non potest producere semetipsum ad esse; tametsi possit intelligere seipsum, quia intellectio dicit solam cognitionem obiecti.

Obiicies quintò. Maior est repugnantia in con- 38
trariis, quàm in relatiuis. Sed duo contraria non repugnant in eadem persona: v.g. Petro, qui potest esse albus, & postmodum niger: ergo.

Respondet S. Doctor, maiorem esse oppositionem inter contraria, tantummodò respectu eiusdem subiecti eodem tempore, in quo nequeunt esse simul in gradu saltem summo; tametsi in eadem natura simul sint Pater, & Filius.

QVÆSTIO III.

An generatio Verbi sit æterna.

D.Bonau.d.9.q.3.
D.Th.q.41.art.2.

NON modò Arrius, sed Acacius, Macedonius, Ætius, Eunomius, & alij hæretici antiqui generationem Filij Dei æternam negarunt. Eos imitati sunt Lutherus, & asseclæ, quos latè recenset Vasquez *disp. 109.* & ego recensui *disp. 1. quæst.7.*

ASSERO, Generationem Filij Dei esse æternam.

PROBATVR à D. Bonau. primò, *fundamento* 39
primo, & corpore, quo vtuntur, non modò D.Thomas *hî.*, & asseclæ, sed etiam Basilius *lib.2.contra Eunom.* & Athanas. *oratione 2. contra Arrianos*, vt aduertit Valentia *disp.2. q.16. puncto 3.* Quòd productum non coëxistat producenti, euenire solet, vel quia producens producit liberè, quando vult; vel quia, etsi sit agens naturale, non tamen habet suam perfectionem statim, ac est; sed postea illam acquirit, & tunc demum agit; vt viuentia, quæ debent priùs adolescere, vel quia producit actione successiua

successiua, ex quo prouenit, vt productum sit posteriùs duratione; at verò, si sit agens naturale, & simpliciter actu, secundum suam virtutem, producit citissimè, statim ac est. Sed sic se habet Pater producens naturaliter, habetque ab æterno potentiam perfectissimam ad producendum, ac non indiget successione. Igitur nil obstat, quominùs generatio sit æterna.

40 PROBATVR secundò à D. Bonau. In generatione perfectissima producitur genitum æquale generanti, ex Aristot. 12. *Metaph. text.* 18. at generatio Verbi est perfectissima: ergo.

PROBATVR tertiò à S.Doct. eò Verbum mentis gignitur, quò intelligens intelligit; at Deus Pater est ab æterno intelligens, fœcundusque, nec datur instans, in quo non fuerit talis; alioqui transiisset de potentia ad actum: ergo Hoc (ait S.Doct.) est, quod dixit. Ioan. 1. *In principio erat Verbum.*

41 PROBATVR quartò. Id, quod incipit esse, secundum substantiam, mutatum est de non esse ad esse. Omne, quod incipit generari, incipit esse. Ideò omne quod incipit generari est mutatum, secundum substantiam. Sed generatio est de substantia generantis: ergo, vbi incipit esse generatio, substantia generantis mutatur; at substantia Dei Patris est immutabilis: ergo generatio in diuinis non incipit.

Ex quibus ruit validius Arrianorum argumentum. Quod est principium alterius, est priùs producto, secundùm durationem; nam producit illud de non esse ad esse, & quod ita exit, non fuit semper. Confirmabatur ab illis. Vel Pater genuit Filium existentem, vel non existentem. Primum videtur implicare, si secundum: ergo non semper extitit, atque adeò non est æternus. Confirmatur; sicut se habet corruptio ad non esse, ex parte finis: sic generatio ex parte principij; sed omne, quod corrumpitur, desinit esse: ergo omne, quod generatur, incipit esse, & tale non est æternum.

42 Respondeo cum D. Basilio *l.* 2. *cont. Eun.* cum D. Bonauentura, & Valentia, sic: Arguit Arrius pingui Minerua, quasi de generatione facta in tempore. Iam Pater genuit Filium in æternitate absque mutatione, ideo semper extitit; & insulsè quæritur, an prius existeret: vel non extiterit. Igitur semper extitit per generationem.

Obiicies secundò. Quicquid producit Diuina essentia, est ea posteriùs duratione: ergo pariter quicquid producit diuina Persona.

43 Respondet S.Doctor, disparem esse rationem; nam essentia producens aliam essentiam, cùm non possit ex se producere, quia est immutabilis, nec ex alia, quia similiter esset quærendum, vnde producit illam aliam; necesse est, vt producat ex nihilo, & omne tale habet esse, post non esse; & ita initium. Persona verò non producit personam de nihilo, sed de se; & ideò non facit de non ente ens; & ideò nullum ponit initium talis productio.

Obiicies tertiò. In Deo idem est suum esse, & sua duratio; at Filius habet principium essendi: ergo habet principium durationis.

44 Respondet S.Doctor, Filium habere principium originis: vnde ab alio habet esse, & durationem; non autem habet principium, vt dicit initium, quod solùm aufert rationem æterni.

Obiicies quartò. Pater caret initio, & principio, & communicat se Filio: ergo sicuti communicat non habere principium; communicat etiam non habere initium, vel si hoc non communicat, neque illud.

Respondet S.Doctor, Patrem non communicare personam: hoc enim implicat, & debet manere distinctus à producto suo Filio; atque adeò non communicat esse improductum, seu non habere principium: implicat enim, esse Filium productum, & esse improductum; at verò, cùm Pater producat Filium consubstantialem vnius essentiæ, dat ei esse coæternum, quod essentiæ est intrinsecum.

OMITTO *hic* paradoxa Caluini dicentis, genitum ab æterno; sed habere à se essentiam vt refert Bouer. *Exam.* 1. *Ath.* 9. Sanè cùm vbique acclametur Filius Patris; ab eo habet esse, vt ipse arguit *Ioan.* 5.6.7. & à c. 14. Ideò Concil. Nic. *Deum de Deo,* acclamat. Quod verò Caluin. opponit *l.* 1. *Inst. c.* 13. §. 23. cum dici IEHOVAH, *Deum à se*, nil obest; cùm hoc nomen dicat Deum, primum rerum Principium, vt dixi *tract.* 1. *d.* 10.

QVÆSTIO IV.

An secunda Persona sit propriissimè Verbum.

D.Bonau. ad c. 1. Ioan.
D.Th. q. 34. art. 1

ERRORES circa Personam Verbi olim erumpentes recensui, *disp.* 1. *q.* 8.

ASSERO primò, secundam personam Sanctissimæ Trinitatis rectè dici Verbum Dei, siue Patris. Ita S.Bonau. *dist.* 9. & 27. Est certa, & communis omnium Doctorum contra Alogianos veteres, qui reiicientes Verbum in diuinis, respuerunt etiam Euangelium Ioannis, & Apocalypsim, teste Epiphanio *hæresi* 51. & Augustino *hæresi* 30. & est apud orthodoxos extra controuersiam. Ideò Ioannes super omnia eleuatus intonat: *In principio erat Verbum*, &c. vt egregiè edisserit S. Bonau. *in Commentario cum omnibus Patribus.*

Ratio D. Bonau. *locis adductis in assert.* est quia procedit per intellectionem, vt ostendi *disput.* 2. *quæst.* 3. & 4.

ASSERO secundò, Filium propriissimè dici Verbum. Ita S.Bonau. *locis adductis*, & alibi S.Thom. *loc. cit.* & cæteri Scholastici cum D.Thoma ibi, vel *dist.* 27. contra Origenem *in cap.* 1. *Ioan.* & contra Durandum *dist.* 17. *q.* 3. vbi asserit, Verbum in diuinis propriè dici essentialiter; Filio autem impropriè attribui, eò quòd formaliter per intellectum non procedat. Eius sententia meritò temeritatis notâ ab omnibus obsignatur. 46

Ratio est; quia Verbum, vti omnes Philosophi, & Theologi astruunt, dicitur *conceptus mentis*, intellectione, aut intelligendo expressus.

DEINDE probatur à D. Bonau. *ad cap.* 1. *Ioan.* nam Euangelista volens describere personam incarnatam, distinctam à reliquis, eamque ab æterno genitam; Verbum appellat, intonans: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, &c. quæ verba egregiè explicat S. Bonauent. *in Commentario*, & nos percurremus. Ioannes (ait S. Bonau.) inter cæteros eleuatior Euangelistas, quantùm super quadrupedia tollitur Aquila, imò seipsum excedens Aquila desuper ipsorum quatuor ad Christi diuinitatem prædicandam, è cœlo est diuinitus elapsus. Quidam etiam Platonicus hoc Euangelium aureis litteris conscribendum clamabat, vt refert D.August. 10. *de ciuitate Dei, c.* 29. & *lib.* 7. *confess. c.* 9. ad hanc firmissimam Petram eliduntur 47

elidantur omnia monstra hæresum, vt notat Glossa. D.Chrysost.*homil.3.in Ioan.*& alij.

48 *In principio* (ait) *erat Verbum*, idest, in Patre suo principio, exponunt Clemens Alexandr. *oratione hortatoria ad gentes*, Origenes *tract.1.in Ioannem*, Cyrillus *lib.1. in Ioan. c.1.* Nyssenus *oratione ad simplicium.* August. 6. *de Trin.cap.2.* Alij exponunt *In principio*, idest, æternitate omnium rerum principio. Ita Gregorius Nyssenus *oratione 2. de Filio*, Ambrosius *lib. de Incarnationis Sacramento, cap. 3.* Basilius ad hunc locum. Chrysostomus *homil.2. in Ioan.* & alij. Planior sensus, neque illegitimus est, vt obseruant Vasquez *disput.139.cap.2.* Potestus *fol.361.* *In principio*, de quo Genes.1. *In principio creauit Deus, &c.* iam erat Verbum, quam expositionem sequitur D. August. 6. *de Trin.cap.2.* & *lib. quæstionum vtriusque testamenti, cap.122.* Basilius,*loc.cit.*Chrysostomus,*homil.2.in Ioan.*Ambros. *lib.1. de fide, cap.5.* Tertullianus contra Praxeam, *cap.5.& 16.* quam expositionem, cum aliis accipit S.Doctor: ex quo sequitur, non rectè Vasquez acceptata hac expositione, velle aliam infirmare, qua *principium* dicitur Pater, vt aduertit Nazarius *q.33. art.1.controu.vnica.*

49 Facile est autem præpositionem *in*, hoc secundo sensu reddere, siue intelligas. In principio creaturarum, siue; in principio temporum, siue etiam in principio viarum Domini, idest, in æternitate. At verò si expositio prima accipiatur. In principio, idest, in Patre, quæritur; quare potius non dicitur *de*, vel *ex* Patre erat Verbum? quod profectò è Patre, & *de* Patre principio natum habemus; atque Græcanicâ phrasi (vt ait Damascenus *lib.1. de fide, cap.9.*) dicitur Filius, vt à causa. Igitur debuit apponere præpositionem causalem. Respondet S. Doctor è Chrysostomo *homil.3.in Ioan.* particulam *in* significare æternam Verbi in Patre existentiam; sicuti dicitur Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*: & quia Filius oritur, tanquam Verbum manens in suo principio, actu immanenti, generante, ideò dicitur *in*: at propositiones *de, ex*, exprimunt emanationem effectus extra causam, sed Pater non est causa Filij propriè dicta. Inest autem Verbum in suo principio miris modis, mirabili emanationis modo consentaneis, vt dicam *disp.14.q.7.*

50 Qværes autem; cur *Pater* non dicatur; sed *Principium*? Respondet S. Doctor ex D. Chrysostomo *homil.1. in Ioan.* propriissimè Patrem dici principium, quod significat à nullo esse, & omnia ab ipso, vt docet Tullius *lib.1.Tusc.qq.* Ita autem se habet Pater.

Qværit præterea: cur dicatur *erat*, videtur enim debuisse dicere *est*; nam, vt ait Boëtius de consol. lib.5. prosa 6. *Æternitas est tota simul, &c.* Item postea loquens de se Christus, *cap.8.* ait: *Antequam Abraham fieret ego sum*: & Exodi 3. *Ego sum qui sum. Qui est misit me ad vos.* Respondet cum Chrysostomo *homil.2. in Ioan.* Verbum in præterito *erat* significare æternam antecessionem, ita vt quocumque alio posito verum sit, quod Verbum iam ante erat permanens immutabiliter, & includit esse præsens, quod postea testatur. Igitur significat, quod erat semper coæternum suo principio, veluti splendor esset coæternus soli æternè splendenti; vel igni flammanti, vt ait Damascenus *primo de fide, cap.11.* & August. *tract.20. in Ioan.* exempla tamen in hoc dissimilia sunt, quod Filius est consubstantialis Patri Luci, non accidens splendor.

51 Qvæstio autem cietur à S.Doctore præcipuè: cur dicatur *Verbum* potiùs, quàm *Filius*.

Respondet cum D. Chrysostomo, *homil.1.* quadrupliciter. Primò, quia describitur Filius, vt destinatus Magister mundi, & eloquens manifestator Patris. Ideò dicitur Verbum; nam Verbum exprimit, & manifestat suum obiectum, atque principium spirituale. Secundò, quia Deus Filius inexplicabilis est in se; & ideò explicandus potiùs per effectus docendi, & per actus. Tertiò, vt exprimeret generationem Verbi non fuisse ad modum corporearum; sed abstractissimam, purissimam, spiritualissimam. Quartò, vt ostenderet, eum egredi, seu emanare à *dicente*, & tamen manere in eo; sicuti Verbum nostrum manet in intellectu, à quo procedit. Filius autem gignitur à Patre intellectione; sicuti à nobis verbum mentis, & ideò dicitur propriè verbum, vt dixi *sect.1. quæst.2.* & *disp.2. quæst.4.* segregatis tamen imperfectionibus nostri Verbi, vt aduertit S. Bonau. & nos obseruauimus *sect.1. quæst.1.* iuxta doctrinam D.Augustini *tract.1.& 37.in Ioan.* & *lib.7.de Trinitate, cap.3.* & *lib.15. cap.11.* Damasceni *lib.1. de fide, cap.18.* vbi quadruplex Verbum assignat. Primum est, Filius Dei genitus è Patris intellectione. Secundum, intellectûs naturalis motus, per quem intelligit, & cogitat, veluti lux eius, & splendor. Tertium, quod intus enunciatur. Quartum, quod ore profertur, & dicitur Angelus, seu nuncius, & interpres intelligentiæ.

Profectò non fuit verbum ore prolatum Filius Dei, vt latrarunt hæretici nonnulli, contra quos anathema dicit Hilarius,*lib.de Synodis*; neque illud, quod ad nos loquitur Deus, vel ad Angelos in mente, sed quod ad intra loquitur Pater ab æterno; hoc autem è Græco λόγος *Sermonem*; alij etiam rationem verterunt, inter quos Nazianzenus *oratione 4. de Theologia.* Basilius *in hæc verba Ioan.* quia (aiunt) sicuti ex animo nostro absque vlla corruptione procedit ratio; ita altiùs ineffabiliter Filius è Patre æterno vlla absque alteratione gignitur. Aliam reddit rationem S. Augustinus *lib.83. qq. quæst.63.* Ratio enim licèt intima sit menti, originem tamen, aut processionem, aut emanationem, quam verè indicat Verbum, non dicit: Itaque vult, quod sicuti intima est ratio menti; ita Patri Filius intimus. Alij etiam Verbum definitionem Patris dixere, quod, quasi definitio; naturam Patris exprimat. Vnde Hebr.1. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura*, idest, Forma substantiæ eius: sic eum locum Nazianzenus, & Euthymius exponunt. 52

Qvoniam verò potuit aliquis dubitare, vbinam esset hoc Verbum. Ideò subdit: *Verbum erat apud Deum.* Miris modis hoc exponitur. Dicitur ergo *Verbum erat apud Deum*, idest, *Patrem*, vt exponunt Sancti Patres Chrysostomus *homil.2.* Basil. in hæc verba, Hilar. 2. *de Trin.* Athanas. *oratione, Quod Deus de Deo sit Verbum.* Beda, Theophylact. & Euthym. Quod si curiosè quæras, cur non dixit; *Verbum erat apud Patrem*? dico, quia non adhuc nominauerat Verbum esse Filium. Dicitur ergo esse apud Patrem, seu in Patre, vt interpretantur Sancti; Irenæus, *lib. 3. cap.8.* Athanasius, *loc.cit.* Augustinus, 6. *de Trin. cap.2.* Fulgentius, *lib.3. ad Monim.* Alij volunt, ea propositione exprimi personalem distinctionem Verbi à Patre, in quo secundum naturam est. Ita Chrysostomus, Cyrillus, Theophylact. ibi Hilar. *lib. 2. de Trin.* addit, dici esse apud 53

ne exterum existimares. Ita etiam Epiphanius *hæresi* 63. Basilius *loc.cit.* Tertullian. contra Praxeam. Nyssen. *homil.de fide*.

D. Bonauentura, & mox Caietanus obseruant vocem Græcam πρὸς, ita posse verti *ad*, sicuti vertitur *apud*, miratur tamen immeritò vir doctus, aliquos hinc relationem Filij ad Patrem argumentari.

54 At S.Doctor *in commentario* accipit omnes allatas expositiones, & quòd sit apud Patrem persona distincta; & quòd *apud*, idest, in eo sit vnitate essentiæ, & ad Patrem relatiuè, & quòd in Patre est auctoritas: Non tamen dici *ad*, ne motus aliquis inducatur; sed potius *apud*; quia significat statum, & quietem Verbi in suo principio.

Rursus verò Euangelista iniungit: *Et Deus erat Verbum*, idest, Verbum erat Deus, vt aduertunt Chrysostomus *homil.* 3. Basilius in hæc verba, Hilarius 7. *de Trin.* ac Seraphicus *in Commentario*, vt redarguat præuisos contra Filij deitatem errores, præsertim Porphyrij, qui deitatem Filij minorem Patris deitate dixit, quem redarguit S. Doctor cum D. Augustino 10. *de ciuitate*, *cap.*29. Acutè autem S. Doctor aduertit in hac enunciatione, qua *Verbum* ponitur pro prædicato. *Deus erat Verbum*; vt ostendat, *Verbum* esse manifestans, & prædicans Patrem; vt dixit Ioan.17. *Nomen tuum manifestaui hominibus.* Et Matth. 11. *Neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.*

55 Pergit. *Hoc erat in principio apud Deum.* Hoc scilicet Verbum mox nominatum. Talis est enim vis pronominis huius; sicuti pronomen *ille*, remotum indicat. Repetit igitur vnâ sententiâ ea, quæ supra dixerat, vt aduertit D.Bonau.cum S.Basilio *loc. cit.* Ruperto, & D. Thoma, refricat autem, vt omnes hæreticis tergiuersationes detruncaret.

Deinde vt æqualitatem Verbi cum Patre in omnipotentia, in æternitate, &c. comprobaret, vt obseruat S. Bonauent. idemque Verbum interius Patris, ac Filium Dei contra Eunomium. Itaque esse vnum, idemque Verbum coæternum, &c. Ita D.Bonau. cum D. Thoma, Basilio, quos secuti Lyran. Carthusianúsque, & alij. Arriserat Ambros. *lib.*1. *de fide*, *cap.*5. dicens: *Quod erat in principio apud Patrem, sempiternæ diuinitatis cum Patre, & Filius inseparabilis vnitus edocetur.*

Observat adhuc S.Doctor, Ioannem rursum quarta iam vice iniungere, *erat Verbum*, vt esse Filij Dei infinitum æternum hæreticis negantibus, & nescientibus inuenire, vbi erat, clamorosa Echo prædicaret. *Erat. Erat. Erat. Erat.* sic conclamant Basilius *loc.cit. & lib.*2. *contra Eunom.* Ambros. *lib.*1. *de fide*, *cap.*5. Hilar. 2.*de Trin.* Beda *hic*, & alij.

56 Quæ cum ita sint hoc Euangelij initio Filij Dei Æternitas declaratur: *In principio erat Verbum.* Deinde personalis distinctio à Patre: *Verbum erat apud Deum.* Mox deitas, *& Deus erat Verbum.* Eius coëxistentia, coæqualitas æterna: *Hoc erat in principio apud Deum.* Similiter & omnipotentia, qua. *Omnia per ipsum facta sunt*, ex quo sequitur, Verbum non esse factum, cùm omnia facta sint per Verbum, vt infert argutè D.Augustinus contra Arrium. Vrget adhuc dicens: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est*, idest, ex his, quæ facta sunt, vt eorum hæresim eliderct, qui prauè arguebant: Si omnia per Verbum sunt facta. Ergo & Spiritus sanctus. Sic cautè aduertunt Irenæus *lib.* 3. *contra hæresim*, *cap.*11. Chrysost. *homil.*4. Hieron.*in Amos c.*6. Nazianz. *orat.*5 *de Theologia*, & passim omnes ferè Catholici scriptores, & ita Macedonij turpem illationem hinc eluunt, Ambros.*lib.de Spiritu sancto*, *c.*2.Nazianz.*orat.*2. Cyrillus *lib.*1.*in Ioan.* Chrysost. *homil.*4.

Graviter verò aduertit S.Bonau. propositionem *per* non significare Verbum fuisse instrumentum Patris, vt grunniebant Arriani,inde inferentes, esse inferius Patre. Sic obseruarant Cyrillus *lib.*1.*in Ioan.* Basilius *lib.de Spiritu sancto*, Chrysost.*homil.*4. Ambros. *lib.*4. *de fide*, *c.*4. Dicitur autem Pater per Filium, potiùs quàm Filius per Patrem creare omnia, vt obseruat S. Doct. hic in Commentario, & 2. *sent. dist.*13. quia Pater genuit Filium opificem non modo potentiâ; sed etiam arte exemplari, qua omnia fieri possent, & in ipso omnia vita essent, & ita propriè magis videtur conuenire producere per Filium; tametsi etiam per Spiritum sanctum omnia sint facta, quia filius appropriatè est sapientia, per quam Deus creat. Ita Ambros. *lib.*4. *de fide*, *cap.*6. August.1.*de Trin.c.*6. D.Bonau.*in Commentario.* 57

Cæterùm, dici etiam Patrem per Filium creare, quia non modo ipse creat; sed virtutem creandi communicauit etiam Filio,asserunt Athanas.*serm.*3. *contra Arrianos.* Basilius *lib. de Spiritu sancto*, *cap.*2. *& seqq.* Profectò, particula *per* attributa alicui, significare solet habitudinem causæ efficientis principalis, vt aduertit Suarez *lib.*2.*de Trin. cap.*4. *n.*13. cum D.Bonau. Sic 1.*Corinth.*1.*&* 9.dicitur: *Per voluntatem Dei res fieri.* Quod verò applicita Filio idem significet,probatur à D.Bonau.*in Commentario* cum D.Chrysostomo *homil.*4.*in Ioan.*vbi ait: *Si existimas aliquid minorationis*, *scilicet in Filio in his*, *per ipsum*, *&c. audi prophetam loquentem ad Filium* Psal.101. *Tu in principio terram fundasti*, *& opera manuum tuarum sunt cæli.* Et idem probat S. Doct. *ad cap.*5.*Ioan.* ex illis verbis: *Quæcumque Pater facit*, *hæc & Filius similiter facit*, vbi emphasim habet dictio *similiter*. D. Cyrillus id etiam colligit, *lib.*5. *Thesauri*, ex verbis Genes.1. *Faciamus hominem ad imaginem*, *& similitudinem nostram*, cum D. Bonau. *in* 2.*d.*16*dub.*1.*lit.&* 30. Cui consonat illud Prou.8. *Cum eo eram cuncta cōponens*,*&c.*vt obseruat Suarez suprà cum D. Bonau. 1. *d.*2. *dub.* 10. Hinc Verbum æternum de monstris hæreticis reuexit triumphum. De Ebione,& Cherinto Verbi æternitatem negantibus. De Arrio,& asseclis deitatem oppugnantibus. De Sabellio distinctionem Personarum conturbante. De Manichæo opera Dei adscribente diabolo, &c. Cum his merguntur cæteræ phalanges. 58

Probatur etiam ratione assertio, initio posita, Filium propriissimè dici Verbum. Id propriè est Verbum,quod est terminus per se primo productus per actum intelligendi, recipiens ex vi suæ productionis ipsummet intelligere personæ producentis, quo constituitur in ratione repræsentantis intellectualiter obiectum illius intellectionis. (Reliqua enim ad imperfectionem Verbi, prout reperitur in nobis, pertinent,) sed tale est verbum in diuinis. Ergo propriè est Verbum: sic arguit Suarez *lib.*9. *c.*2. *n.*15. ex D. Bonauent. *in* 1.*d.*9.*q.*1.*in corpore*, & *quæst.*3. *fundamento* 3. & *dist.*17. *p.*2. *q.*1. *in fundamento*, *& corpore*, & *quæst. vlt. in corpore.* 59

Quæstio

QVÆSTIO V.

An Verbum producatur necessario.

D.Bonau.d.6.q.1.
D.Th.q.41.art.1.

NECESSITATVM multa genera recenset S. Doctor. Prima prouenit è principio disconueniente, vel naturæ, & dicitur *violentia*; vel voluntati, & dicitur *coactio*. Secunda necessitas prouenit è principio deficiente, vel in his, in quibus res est apta compleri, & dicitur *indigentiæ*, qualis est cibi, de qua Ioan.1. cap.3. *Qui viderit fratrem necessitatem habere, &c.* vel est ineuitabilitatis, qualis est *mortis*; & in primis motibus, de quibus
60 Psal. 24. *De necessitatibus meis eripe me Domine*, hanc enim necessitatem incurrit ex carentia iustitiæ originalis. Tertium necessitatis genus prouenit è principio perfectè sufficienti, conuenienti, quæ pariter est duplex; alia *exigentiæ*, qualis est naturæ dispositæ, quæ exigit formam; alia est *complementi*, qualis est necessitas immutabilitatis, quæ non repugnat libertati; sed vertibilitati.

ASSERO, Verbum produci necessariò necessitate perfectionis.

61 PROBATVR primò à D. Bonauent. Productio naturæ est necessaria; & quo natura est fœcundior, eò magis erumpit ad productionem. Productio Filij est naturæ ex Concilio Toletano vndecimo. ex Athanasio *serm.4. contra Arrianos*. Cyrillo, *lib.1. thes. cap.8.* Ambros. *lib.4. de fide, cap.14.* & ex omnibus Conciliis contra Arrium, vt aduertit Suarez *lib.6. de Trin. cap.3.* Addo est productio naturæ fœcundissimæ super fœcunditatem omnium causarum etiam vniuersalium, vt solis. Ergo est necessaria, & actualissima super solem ad radium emittendum. Hoc argumentum desumpsit Scotus apud Forestum *fol.547.* & Suarez *loc.cit.* atque reliqui.

62 PROBATVR secundò à D.Bonau. Omne, quod emanat ab alio, vel necessariò emanat, vel contingenter. Verbum non emanat contingenter: ergo necessariò: est argumentum adhibitum à Concilio Toletano vndecimo *in conf.ss. fidei*, quod arguit Filium Dei, ex eo, quod natura prodiit, non adoptione, non contingenter; sed necessariò natum. Hinc Patres Græci Verbum vocant *autotheon*, vt notat Fuliens. *lib.2.c.1.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau. Deus Pater ab æterno habuit potentiam naturalem generandi: ergo ab æterno necessariò genuit. Probatur consequentia: nam in sempiternis idem est esse, & posse: sicuti igitur ab æterno necessariò potuit naturaliter generare: ergo actu necessariò genuit.

Obiicies primò ex D.August. *lib.ad Orosium, q.7.* & Concil. Tolet.11. in confess. fidei: *Pater nec voluntate, nec necessitate filium genuit.* Idem habet S.August. *lib.15. de Trinit. c.2.*

63 Respondet Suarez cum S. Bonauent. ibi solam excludi necessitatem coactionis: Vnde & D. Athanasius, *loc.cit.* Arriano arguenti: *Si Pater non genuit Filium voluntate: ergo nolens genuit.* Respondet: *A quonam necessitas Deo adscriberetur? id enim, quod oppositum est voluntati animaduerterunt; id autem, quod altius est non conspexerunt. Vt enim opponitur voluntati id, quod est præter animi sententiam, ita altius, priusque voluntate est id, quod est secundum naturam.*

Obiicies secundò è D. Hilario, lib.de Synodis: *Non naturali necessitate ductus Pater genuit Filium.*

Respondet Suarez ex D. Bonau. Hilarium excludere solam necessitatem coactionis: vnde ait, *non naturali necessitate, cùm nollet*: at asseruit necessitatem naturæ ex perfectione. 64

Obiicies tertiò. Agens ex necessitate subiacet suæ actioni: & hæc est imperfectio.

Respondet S.Doct. verum esse de necessitate coactionis; at non perfectionis. Sic enim Deus ex necessitate est beatus, immutabilis, &c. sic & necessariò fœcundus generat.

Obiicies quartò. Quod gratis datur, non datur necessitate; sed Pater amore gratuito dat esse Filio, & Spiritui sancto; ex Richardo 3. *de Trin. cap.19. & 20.* ergo.

Respondet S.Doctor, duo esse in amore gratuito: alterum, quod dat liberalitate mera nullo merito, nulloue debito exigente: alterum, quod dat nullo par rependente, & hoc secundo modo gratuita est datio Patris Filio; non primo modo, quia fœcunditas naturæ exigit, vt Pater generet Filium. 65

RESOLVIT autem acutissimè Scotus, vt ait Faber *disp. 19. n.26.* dubium; quæ sit necessitas inter emanationem diuinarum personarum, & emanationem creaturarum, etiam supposito philosophorum veterum errore; creaturas necessariò esse productas. Ait igitur, latam esse differentiam: nam creaturæ, esto essent in se necessariæ; tamen haberent esse ab alio, diuersum à producente, atque dependens ab eo; at Filius non modo habet necesse esse; sed etiam entitatem eandem cum Patre; atque adeo circumscriptâ omni aliâ naturâ realiter distinctâ non posset deficere; sicuti possent creaturæ non esse, circumscriptâ omni entitate ab eis distinctâ (esto ex suppositione non possent deficere.) Hæc doctrina sumpta est è D.Bonau. 1.*d.10 q.1.argum.1.* contra, addito responso. Et *d.9 q.1. in corpore*, & *in 2.d.2.p.1.q.3.*

Obiicit verò sibi Scotus *dist.1.q.6.* Nullum productum est ex se necessarium; sed quicquid existit in essentia diuina est per se necessarium: ergo nullum subsistens in essentia diuina est productum. Minor est euidens, quia quicquid est in Deo est ipse Deus. Maior probatur primò. Nihil simul necessarium est ex se, & est ab alio; productum autem est ab alio: ergo. Maior huius argumenti probatur. Quod est necessarium ex se, necesse est esse tale, circumscripto omni alio à se: at quod est ab alio, non est necesse, circumscripto omni alio à se: nam circumscripto illo alio, à quo producitur, ampliùs non erit. 66

PROBATVR secundò. Maior primi argumenti. Omne productum fuit possibile produci; at possibile non est necesse ex se.

PROBATVR tertiò. Vbi est productio, ibi est prius, & posterius; nam prius supponit producens. in quo signo non est adhuc productum: ergo transit de non esse ad esse. 67

PROBATVR quartò: nam essentia diuina habet id, quod est productum, idest, *Verbum*: ergo fit de non habente habens. Quintò, generatio est species mutationis ex *5.Phys.* ergo non ponenda in diuinis.

Respondet Scotus, negando maiorem: ad primam probationem respondet, aliquid posse vna ratione esse ab alio efficiente; & tamen alia ratione esse à se, idest formaliter. Tale est Verbum. Ad probationem respondet, veram esse maiorem, si intelliga

intelligatur circumscripto quocumque, distincto ab eo omninò realiter. In re nostra verò, licèt Pater distinguatur à Filio realiter personaliter; non distinguitur tamen per essentiam. Circumscribi autem Patrem est impossibile; quia vna est essentia. Hæc est doctrina S. Bonauenturæ mox allata.

68 Ad secundam probationem respondet, possibile esse Logicum; non Physicum. At S.Bonau. *d.9.q.1.* negat, esse possibilem, ita vt detur instans etiam naturæ, in quo non sit.

Ad tertiam respondet Scotus, præcisiuè quidem producentem esse priorem; non autem negatiuè. Sanè in via Scoti, qui ponit prioritatem Patris secundum instans naturæ; sequitur in primo instanti etiam negari posse esse Filium.

At D Bonau. *d.9.q.1.* dicit, veram esse maiorem in productionibus creatis.

69 Ad quartam respondet Scotus, essentiam non transire de non esse ad esse in habendo supposito, v. g. Filij. Profectò Scotus cogitur concedere *hic*, in primo instanti naturæ essentiam non habere suppositum filij, atque adeò mutari.

Respondet ergo S. Bonau. in diuinis omnia vno instanti naturæ existere, ideo non mutari.

Ad quintam respondet Scotus, duo dici in generatione, idest, productionem termini, & mutationem, & quidem primum esse in diuinis; non secundum. Hæc responsio elicitur è D. Bonau. *in corpore, loc. cit.* qui addit etiam rationem, cur mutationem non subeat; nempè quia est entis ab æterno actualissimi, simplicissimi. Ideò nequit transire de non esse ad esse, & componi è potentia, & actu.

Vltimò obiicit sibi Faber. In Deo non sunt aliæ species mutationis, vt alteratio, motus localis, quæ sunt perfectiores generatione, cuius signum est, quod entia multa perfectissima sunt capacia alterationis, & lationis; non generationis, vt cæli, & Angeli; quæ tamen sunt ingenerabilia.

70 Respondet ex D.Bonau. *d.9.q.1. in corpore, & ad 2.* generationem, quoad terminum esse aliis motibus perfectiorem, quia eius terminus est Forma substantialis præstantior accidentali, quæ est terminus aliorum; quoad subiectum verò, esse imperfectiorem generationem, quia eius subiectum est ens in potentia simpliciter: aliorum verò motuum subiectum est ens actu; sed hoc conuenit generationi, vt est mutatio, & entis imperfecti potentialis; & ideo in Deo, vtpotè actu perfectissimo non talis est næuus.

Addit S. Doctor, generationem creatam esse entis in potentia cum decisione partis substantiæ in perfectis viuentibus: at in diuinis tota natura à generante communicatur genito, quod nihil nouum acquirit, neque aliqua compositio interuenit, aut corruptio, quia genitus æque, ac generans est ens simplicissimum, actualissimum.

QVÆSTIO VI.

An Pater genuerit Filium voluntate.

D.Bonau.d.6.q.2.
D.Th. q.41.art.2.

Ex dictis constat, Filium Dei ortum esse per modum naturæ: & ideò non habere originem à voluntate; sed ab intellectu, tanquam à principio: neque tamen sequitur, ortum esse contra voluntatem, vt malè inferebant hæretici apud D. August. *15. de Trin. cap.20.* & *lib. contra serm. Arrianorum, cap.1.* si enim liceret sic arguere; Filius non oritur ex voluntate. Ergo contra voluntatem Dei, inuito Patre; liceret etiam argumentari. Vel Pater voluntate est Deus, vel non; si primum: ergo liberè; si secundum: ergo inuitus est Deus. Ideò miser, non beatus, vt notat D. Bonauent. *d.6. dub.3.* cum D. Augustino *loc. cit.* & Magistro *ea distinctione.* 71

Fallacia autem in argumento est, vt notat S. Doctor, quia inter producere aliquid voluntate, & inter nolle datur medium, idest, vt res illa non sit à voluntate, vt à principio; neque tamen contra voluntatem; sed sit ab alio principio disparato, puta naturæ: est igitur quæstio; an Pater, tametsi generet Filium intellectu, & per modum naturæ; tamen voluntate etiam id velit. Hoc autem potest tripliciter euenire. Primò, vt velit generationem antecedenter, eam desiderando. Secundò, concomitanter, scilicet complacendo. Tertiò, voluntate subsequente eâ habitâ delectando.

Prima opinio est Scoti *1. d. 6. quæstione vnica*, quem sequitur Faber *disput.34.* Rada *controu.12. art.4.* & alij Scotistæ, cui arridet tanquam probabili Caietanus *1. part. quæst.41. art.2.* & alij, Patrem antecedenter velle generationem voluntate essentiali, eo quòd essentialia notionalibus priora omninò sunt, & absoluta præeunt relatiuis. Quoniam verò etiam D. Bonauent. *d.7. q.3. D. Thom. quæst.33. art.3. ad primum*, Alens. *1. p. q.46. memb.7.* & alij, hanc habent propositionem. Essentialia in diuinis præcedere notionalibus, consequenter videntur concedere, volitionem essentialem Patris esse ante intellectionem fœcundam, qua gignitur Verbum: propterea quidam recens Scotista Sanctos Doctores in sententiam Scoti rapit, eamque palinodiâ decantatâ ambabus vlnis complexatos Capreolum, Gabrielem, Ferrarium, & Vasquez, quos infra ex opposito referam. Eam verò sequitur Iauellus, Ripa, & Ioannes Dominicus, apud Nazarium. 72

Secunda igitur sententia est, actum illum voluntatis, quo Pater vult generationem, nullo modo esse ante generationem. Ex his aliqui dicunt, esse posteriorem, vt Henricus *in summa, art.58. quæst.1.* Gotfred. *quodl.8. quæst.4.* Vasquez *disp.160.c.3.* 73

Alij dicunt, actum essentialem volitionis Dei Patris non subsequi; sed comitari generationem ipsam. Ita Gregorius Arim. *1. d.6. quæst.1. art.3.* Capreolus *eadem dis. quæst.1. art.1. conclus.6. & art.2. ad argumenta*, Ferrar. *4. cont. Gentes, cap.11.* Torres *in 3. part. commentarij*, Bañez *dub.1.* Zumellus *d.3.* Molina *d.2.* Suarez *lib.6. de Trin. cap.4.* Richard. *d.6. quæst.2.* Gabriel ibidem, *art.2.* D. Thom. *1. part. quæst.33. art.3. ad 1.* eam verò probabiliorem censet Nazarius *quæst.41. art.2. controu. prima*, tametsi sententiam Scoti probabilem putet, ne suum deserat Caietanum; Valentia verò *disput. 2. quæst. 15. p. 4.* problematicus est, & dicit, esse rem parui momenti: & addit discrimen inter Filij generationem, & processionem Spiritus sancti; nam Filij generatio voluntaria est concomitanter voluntate, non tantùm essentiali, sed etiam notionali, qua procedit Spiritus sanctus: Processio autem Spiritus sancti est

est voluntaria concomitanter sola voluntate essentiali.

Pro secunda sententia modo secundo, est etiam D. Bonau. *hic*, vt aduertit Forestus *fol. 551.* & constat legenti.

74 Ne autem propositio illa S. Bonau. *essentialia sunt ante notionalia*, sit alicui offendiculum. Sciendum; essentiam quidem, intellectum, voluntatem, aliaque attributa esse nostro modo concipiendi ante personas, & consequenter ante actus notionales; natura enim in subsistentia complete constituitur: & ita persona prima supponit naturam, quam modificat; multò magis actus notionales, qui sunt per intellectum, & voluntatem supponunt naturam intellectiuam, & volitiuam actu perfectam: vnumquodque enim agit in quantum est actu; multò magis personæ productæ per actus notionales supponunt essentiam, & absoluta. Verum enim verò quoad actus, oportet vt sint suppositorum, saltem eo sensu, vt non nuda essentia intelligat, velitque; sed vt personalitate aliqua sustentata: atque adeo persona sit intelligens, &c.

75 Et cùm non detur in diuinis subsistentia aliqua absoluta, vt ostendi *disp. 6. quæst. 5.* oportet, vt primò intelligens sit Pater, qui quidem supposita fœcunditate actualissima est primò intelligens notionaliter, atque primus actus, cùm sit naturalis, & ab intellectus, qui est prior voluntate, atque adeò volitione, est productiuus Verbi; quamvis enim perfectiones essentiales naturâ sint priores notionalibus; tamen actus sunt primò notionales, & ita etiam productiones ad intra sunt priores productionibus ad extra: vt omnes Theologi concedunt. Intellectio sanè notionalis est eadem formaliter cum essentiali, eatenus verò fœcunda, propriaque Patri, atque à communi distincta, quatenus in prima Persona non habuit suum partum. Voluntas verò potest comitari actum generationis, & subsequi declarando se; at non præcedere. Quare actum illum delectationis, & complacentiæ in Patre erga Filium consequenter dicerem esse initium amoris mutui, quo producitur à

76 Filio, redamante simul tertiâ Personâ diuina Spiritus sancti. Sicuti enim Pater origine est prior Filio: ita etiam intelligitur in amore mutuo fœcundo prior, tametsi non exeat Spiritus sanctus, donec intelligatur vterque, tanquam vnum principium mutuo amore producere Spiritum sanctum. At esto alio modo se habeat ille actus primus voluntatis, & non in ordine ad spirationem; tamen hoc concludo in reliquis non benè Scotistam illum, argutum alioqui, & mei Magistri P. Foresti amicum, ex ea propositione allegata arguere, S. Bonauenturam cum Scoto asserere, volitionem Patris erga generationem esse ipsa priorem generatione.

Assero primò, actum voluntatis Patris non concurrere, vt principium ad generandum Filium.

Probatur primò à D. Bonau. ex D. Hilario lib. de Synodis, cap. 20. *Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit; sed Filio natura dedit.*

Secundò ex D. August. 15. *de Trin. cap.* 20. vbi reprehendit Eunomium, qui posuit Filium Dei esse Filium voluntatis.

77 Tertiò. Filius Dei est genitus: & hoc est de fide ex omnibus Symbolis, & omnibus Patribus; at generatio est productio naturæ, quæ est prior volitione, & est opposita productioni voluntatis: vt omnes Theologi fatentur: ergo.

Assero secundò. Volitio essentialis Patris non præcedit, etiam materialiter actum generationis Filij.

Probatur à D. Bonau. fundamento quarto validissimo, quod assumpsit Concilium Toletanum secundum, vbi reddit rationem, quare Filius non producatur voluntate: quia voluntas sapientiam non præuenit. Et est ratio etiam D. Augustini 78
Dialogo 65. quæstionum ad Orosium, quæst. 7. cuius verba adducuntur à Concilio, quæ sunt *Filium esse sapientiam, atque adeo voluntatem in Deo non esse priorem generatione.* Fundamentum autem hoc nititur, quia voluntas non fertur, nisi in præcognitum: ergo actus diuini intellectus præcedunt actus diuinæ voluntatis, & præcognoscuntur ab illo, antequam voluntas eos velit, & diligat. Ergo actus diuinæ voluntatis non possunt istis actibus intellectus præire; atque adeo volitio essentialis generationis non præcedit ipsam generationem, quæ est per intellectum. His authoritatibus, & rationibus vtuntur Molina *cit.* Suarez *c. 4. n. 5. l. b. 6.*

Respondet Faber, illas authoritates solùm astruere, Filium non produci voluntate, tanquam principio, neque voluntate, idest contingenter; non tamen concludere Filium non produci volitione volente, & voluntate aduerbialiter sumpta, idest voluntariè.

Ad rationem respondet, non omnes actus diuini 79
intellectus præcedere omnem actũ voluntatis, sicuti etiam in nobis est vera de primo actu intellectus; non de aliis; qui possunt esse etiam à voluntate imperante. Igitur in Patre *intelligere* præcedit omnem actum voluntatis, non autem *dicere*.

Contra; nam ratio Concilij Toletani fundatur in ordine naturæ, secundum quem notitia necessario præcedit volitionem omnem. Idem asserit D. August. Nititur etiam ratione philosophica, quæ non solum influentiam voluntatis Patris ad generationem Filij negat; sed etiam ordinem prioritatis.

Ratio etiam est valida, ac commune Philosophorum axioma; quod scilicet actus, primus saltem, intelligendi est prior omni volitione, eò 80
quòd intellectus est natura; generatio etiam Filij est per naturam, & per primum actum intellectionis, alioqui Pater naturaliter fœcundus Verbo intelligeret, nec aliquid produceret; & ita natura actualissima non esset statim productiua, quod est falsum, vt arguebam cum D. Bonau. *q. 2.* Illum verò actum intellectionis esse *dicere*, ostendi *disp. 2. q. 4.* & *disp. 9. sect. 1. q. 2.*

Ex his ruit responsio etiam Nazarij dicentis, satis esse vt intellectione essentiali, & notitiâ præintelligat generationem.

Contra enim est. Primò, quia primus actus 81
intellectionis est Fœcundus, ex dictis. Deinde idem omninò est actus essentialis intellectionis, & notionalis in Patre, vt dixi. Tertiò, Pater non vult generationem volitione desiderij, quæ sonat imperfectionem, sed voluntate complacentiæ perfectissima, quæ est de bono existente iam possesso; sed hæc voluntas supponit cognitionem boni eiusdem iam existentis, & possessi. Quartò, illud velle non potest præconcipi in Deo vt sic, qui non subsistit, nisi subsistentiis relatiuis. Instantiæ Nazarij iacent Elisæ.

Probatur secundò à Vasquez: Si actus volitionis præcederet generationem, esset desiderium, 82

vt dixi: at generatio est semper actu. Hoc argumentum est S. Bonau. *in corpore*,

Respondet Faber *num.* 15. non esse eam volitionem rei futuræ; sed rei posterioris possibilis, possibilitate Logica.

Contra; nam si generatio est realiter posterior: ergo non est præsens; sed futura: ergo in eo signo Pater desiderat bonum, quo caret. Deinde: ergo in eo signo appetit bonum sibi adueniens è generatione, quod apud Fabrum, & condiscipulos est absonum, contra D. Augustinum; vt referam *q.* 10. & retuli *tract.* 1. *d.* 11. *q.* 21. & *hic num. seq.*

Assero tertiò, volitionem Patris comitari generationem.

83 Probatur primò à D. Bonau. *in corpore*; nam Matth. 3. 17. & Lucæ 9. & 2. Petri 1. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.*

Obiicies primò contra primam assertionem id Coloss. 1. *Transtulit in regnum Filij dilectionis suæ*, vbi dicitur genitus è dilectione.

Respondetur primò cum D. Bonau. *in prologo* 3. *sent.* & D. Anselmo *in Commentario adscripto D. Hieronymo*, & cum Concilio Sardicensi; Apostolum ibi loqui de Christo, vt caput Ecclesiæ, & Saluator per sanguinem; atque adeo, vt est homo, quo sensu acceptus, est Filius dilectionis essentialis.

84 Respondetur secundò cum eodem D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 5. *dub.* 8. *lit.* Apostolum loqui de Christo, vt Deus est: sic enim interpretantur Ambrosius, Theodoret. Theophylact. & alij; ibi enim clarè id testatur dicens: *Est imago Dei inuisibilis.* Hæc autem Filij Dei proprietas est. Deinde ait: *In ipso sunt condita vniuersa, &c.* Hoc est, quod ad eius diuinitatem contestandam ait Ioannes, cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Iam igitur dicitur Filius dilectionis phrasi Scripturæ, quæ sæpè, maximè in Hebræo idiomate, carente adiectiuis, adhibet substantiua; sic dicuntur viri diuitiarum, pro viri diuites; Filius perditionis, Filij sanguinum, pro sanguinolenti. Sic igitur dicitur Filius dilectionis, idest dilectissimus, vt vertunt duo Patres, nuper allegati, & versio Syriaca: est autem vox emphatica, vt ostendat, Filium à Patre dilectissimum. Igitur illud genitiuum non accipitur in ratione principij, sed ad asserendam vnitatem in substantia, vt dicatur charitas pro substantia, vt exponit etiam D. August. 15. *de Trin. cap.* 10. & cum eo Vasquez *ad art.* 1. *quæst.* 36. Itaque non sumitur ibi amor notionalis; alioqui esset Spiritus sanctus, vel Filius Spiritus sancti. Altera expositio est, vt dilectio sumatur appropriatè, vt idem sit Filius dilectionis, ac Filius Patris; nam sicut dilectionis, & charitatis est gratis dare, nil recipiendo: sic Pater ita dat (naturaliter tamen) Filio omnia, vt nihil ab eo recipiat.

85 Neque lædit expositionem hanc de Filio, vt Deus, eò quòd dicatur: *Primogenitus omnis creaturæ.* Respondetur enim, dici primogenitum, idest primò ab æterno genitum per naturam: vnde creaturæ adipiscuntur filiationem secundi ordinis per adoptionem. Melius tamen respondeo, ibi declarari totam dignitatem Christi; & ideò vocari primò imaginem inuisibilem, in quo omnia sunt condita, Filium dilectissimum antonomasticè vnigenitum: mox verò descendere Apostolum ad dignitatem Christi, vt homo declarandum; & ideo subdit: *Primogenitus creaturarum.* Sic enim aduertunt Patres, præcipuè Cyrillus Alex. *epistola ad Ioan. Antiochenum*, quæ habetur in Concilio Ephes. *tom.* 5. *c.* 9. Christum, vt Deum, vocari *Vnigenitum*; vt hominem verò, *Primogenitum.* Vtroque autem modo Apostolus declarat dignitatem Christi, qui est Deus, & homo. Vide etiam Suarez *lib.* 11. *de Trin. cap.* 5.

Obiicies cum Fauentino contra secundam assertionem. Supponit autem, dari in diuinis prius, & posterius reale. Tunc sic: Pater in se est perfectus, ita vt per generationem nil acquirat perfectionis: ergo & intellectus, & voluntas, & actus earum potentiarum sunt in Patre ante generationem. Sed hæc propositio conceditur, *Pater volens genuit Filium*: ergo volitio ista est ante generationem. Consequens probatur: si Pater non haberet Filium, non haberet illum actum volendi: ergo ei aduenit illa volitio ex generatione Filij, atque adeò inde proficit, vel dicendus prius habere illum actum. 86

Vrget secundò. Actus essentialis, licèt sit communis tribus personis, tamen primò intelligitur in Patre etiam secundum modum, quo Pater est; at verò Pater est prior Filio: ergo & actus volitionis eius.

Vrget tertiò. Omnes personæ volunt illam generationem eo modo, quo illis obiicitur; at Patri obiicitur, vt à se, atque adeò posterior: ergo eam vult antecedenter, sicuti Filio obiicitur, vt simul, & Spiritui sancto, vt est prior ipso. 87

Vrget quartò ex D. Hilario *lib. de Synodis* adducto à Magistro *dist.* 6. vbi ait: *Pater non naturali necessitate ductus; sed mox, vt voluit, genuit Filium.*

Vrget quintò ex Magistro exponente authoritates suprà allatas, quod nec voluntate, nec contra voluntatem genuit Filium; sed tamen volens, quia idem est Patri esse volitum, sicuti esse sapientem, & bonum. Sed est bonus antecedenter, & vt generans præcedit generationem: ergo, &c. Idem videtur inferri ex doctrina D. Bonau. *d.* 7. *dub.* 3.

Tandem. Si volitio Patris non præcedit generationem Filij: ergo naturaliter generat ad modum inanimis ignis, vel irrationalium.

Hæc rationum colluuies obuiam defluit.

Ad primam respondetur cum D. Bonau. *dist.* 7. *q.* 3. quòd voluntas essentialis, & notionalis est eadem formaliter; supponitur verò essentialis nostro conceptu ratiocinante: actus verò, cùm sint subsistentium, supponunt personam, quæ primò fœcundè intelligit, vt dixi in fundamento, atque aduertit S. Doctor *dist.* 27. *quæst.* 2. maximè *ad primum.* 88

Ad secundam respondetur cum S. Doct. *hic*, & *loc. cit. dist.* 7. *quæst.* 3. quod sicut generatio præintelligitur Filio; ita & complacentia, non tamen requiritur, vt hæc sit ante generationem.

Ad tertiam respondetur, generationem obiici, vt posteriorem Patre; non tamen post actum voluntatis; sed sufficit, vt obiiciatur præsens, & vt talis ametur.

Ad quartam respondet S. Doct. *dist.* 6. *q.* 1. *in corpore*, & *ad* 2. quod D. Hilarius solùm respondet hæretico, Verbum non emanasse à voluntate, vt principio; neque coactè contra voluntatem. Hæc enim sunt membra Dilemmatis: particula verò *vt voluit* significat, sicuti concomitanter voluit. 89

Ad id, quod refert è Magistro respondetur, omninò esse contra mentem eius. Negat enim vllo modo voluntatem præcessisse; sicut autem est sapiens, & bonus ante generationem; ita habet etiam voluntatem; non tamen volitionem.

Vltima

90 Vltima illatio est futilis; nam cùm intellectio præcedat naturaliter volitionem, & hæc in primo signo sit fœcunda, cum ex ea gignatur Filius; quis non videt, Filium, non more brutorum; sed ab intelligente Patre genitum?

Obiicies adhuc ex D. Augustino supra allegato. Tunc sic eo modo Verbum producitur in diuinis, ac in nobis: sed in nobis oritur ex amore præcedente: ergo. Maior probatur, quia anima nostra est imago Trinitatis, maximè in actibus fœcundis. Minor probatur ex D.Augustino 9. *de Trinit. cap.*7. & 10. vbi ait: *Verbum amore concipitur*, & *cap.*11. & 12. ait: *Notitia placita, dignéque amata, verbum est.* Ergo si non in ratione principij, saltem materialiter volitio præcedit conceptionem verbi.

91 Respondet D.Bonau. ad 4. dissimilem in nobis, & in diuinis esse modum producendi Verbum ex D.Augustino 15. *de Trinitate, cap.*13. nam in nobis concurrit quidem aliquando voluntas imperans actum intellectus, qui cùm vno verbo imperfecto non satis informetur, necessaria sunt alia verba ad alia obiecta exprimenda; at diuinus intellectus vno primo naturali actu simplicissimo priori naturâ, quàm volitio, producit Verbum infinitum; atque ideo non multiplicabile; neque imperabile est aliud Verbum à voluntate. Hoc responsum desumpsit Scotus *loc. cit.* & Faber *loc. cit. n.*13.

QVÆSTIO VII.

An Verbum in diuinis notionaliter tantùm dicatur.

D.Bonau.dist.27. p.2.q.1.
D.Thom. q.34. art.1.

Dvrandvs, 1.*d.*27. *quæst.*2. *art.*1. ait, Verbum dici in diuinis essentialiter tantùm; de secunda verò persona dici tantùm appropriatè. At Capreolus ibi, *quæst.*2. *art.*1. *concl.*4. Ferrar. 4. *contra gent. cap.*13. dicunt cum Syluestro ad hunc *art. D. Thom.* Porrecta ibidem Authore tabulæ aureæ *dub.*1160. & 1161. Verbum de mente D. Thomæ propriè acceptum, dici in diuinis tantùm personaliter; sed communiter sumptum, dici etiam essentialiter, quæ tamen acceptio propria est; non metaphorica, & hanc semper fuisse mentem D. Thomæ. Hanc sequitur Nazar. *hoc art. controu.*2. Valentia *q.*8. *p.*1. *disp.*2.

92 Vera tamen sententia ferè omnium Theologorum est, Verbum tantum personaliter dici. Ita D.Bonau. hìc, & D. Thom. vt aduertit Caietanus, & constat ex conclusione. Sequuntur Molina, Nazarius, Zumel. Ripa *ad hunc articulum.* Suarez *lib.*9. *cap.* 3. Vasquez *disput.*141. estque communis sententia Theologorum cum Magistro *distinct.*27. Scoto Gabriele, & aliis, quos refert, & sequitur Tannerus *disput.*4. *quæst.*4. *dub.*2. *num.*6. Caspens. *disput.*7. *num.*19. Marcus à Baudunio *quæst.*34. *art.*1. Morand. *quæst.*20. Amicus *d.*26. Auersa *quæst.*34. *sect.* 1.

Assero cum hac sententia, Verbum in diuinis ad intra dici solum notionaliter.

93 Probatvr primò à D. Bonau. *fundamento* 1. ex illo Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, vbi Ioannes intendit describere deitatem secundæ personæ diuinæ, eiusque incarnationem; si autem Verbum etiam essentialiter accipi posset, non satis distingueret personam incarnatam. Itaque Verbum in scriptura semper debet intelligi filius Dei; nec vllibi in sensu essentiali; vt notat Suarez *loc. cit.* & idem in Patribus, & Conciliis obseruat Tannerus *num.*7. Quod argumentum in re tam ardua est magni ponderis.

Probatvr secundò à D.Bonau. *fundamento* 2. & *corpore* ex D. Augustino 15. *de Trinit. cap.*11. *In Trinitate* (ait) *non dicitur Verbum, nisi filius; neque donum, nisi Spiritus sanctus.* Idem habet *lib.*5. *cap.*13. & *lib.*6. *cap.*2. & 3. & *lib. de cognitione vera vitæ, cap.* 14. His locis nostram assertionem præclarè astruit, vt obseruant Suarez, Vasquez, Tanner. Amicus, & Morandus.

Idem habet D.Anselmus *in monol. cap.*37. dicens. *Apertissimum est, quia nec ille, cuius est verbum potest esse Verbum suum; nec Verbum potest esse ille, cuius est Verbum*, vt arguit S. Bonauentura.

Probatvr tertiò à D.Bonau. Verbum est aliquid procedens per intellectum, adeòque denotat realem emanationem, quæ in diuinis locum non habet; nisi ratione Filij à Patre realiter procedentis. Maior è scriptura, Patribus, & Conciliis colligitur, & significatio Latina id exprimit: nam Verbum dicitur, quod per locutionem producitur. Hoc argumento vtuntur etiam D. Thom. Suarez, Vasquez, Tanner. & alij. Ex quo habes, Angelicum esse nobiscum, vt aduertit Caietanus. 94

Probatvr quartò à D. Bonau. esse imaginem adæquatam Patris est proprium Filij; at Verbum sic emanat: ergo. Maior est communis Theol. cum D.Bonau. *d.*31. *quæst.*1. & D.Thom. *quæst.*35. *art.*2. post SS. Patres, vt ostendam *sect.*3. *quæst.*2. Minor etiam patet eisdem authoritatibus. 95

Probatvr quintò à S. Doct. argumento D. Augustini locis adductis: id, quod realiter est ad alterum, est in Diuinis Persona; non essentia. Verbum est realiter ad alterum: ergo. Maior patet: nam sola relatio multiplicat Trinitatem. Minor est euidens.

Probatvr sextò in corpore, quia vna est in diuinis interna locutio; vnde ait Psal. 61. *semel locutus est Deus.* Ergo vnum Verbum. Locutio enim est relatiua, ac productiua. Et si plures essent locutiones, fœcundæ vtique essent; & daretur Verbum Verbi, quod sanctis Patribus, præcipuè Augustino inuisum, vt aduertit Tanner. *n.*8. 96

Hinc habes primò, Verbum non dicere proprietatem distinctam à filiatione; vnicam enim relationem habet ad Patrem, & hanc realem; tametsi Verbum dicat respectum rationis etiam ad res dictas. Itaque vna relatione reali respicit producentem; vt notat D. Augustinus 5. *de Trinitate, cap.*15.

Colliges secundò cum D. Bonau. *in corpore*, quod sicut Verbum dicitur tantùm notionaliter: ita & *dicere*, quod est Verbum producere. Sic D.August. 7. *de Trinit. cap.*2. & 3. Præterea ex D.August. 15. *de Trinit. cap.*15. *dicere*, est idem, quod loqui; loqui autem intra se est Verbum mente concipere. Mens autem concipit intelligendo; & intelligendo aliud, concipit aliquid simile alij; quia intellectio assimilatur intellecto; mens autem intelligendo se concipit aliquid simile sibi: & hoc est Verbum conceptum. Loqui autem ad alterum est conceptum mentis exprimere proferendo Verbum; & hoc modo etiam actio externa Dei dicitur locutio, vt cùm Genes. 1. *Dixit Deus: fiat Lux.* Quo sensu D.Anselmus in *Monol. cap.*23. ait: *Dicere, esse ipsam essentiam* 97 98

essentiam Dei. Ex quo habes, quando in scriptura fit mentio Verbi, quod ad Prophetas, vel ad alios Deus locutus est; non intelligi de interno aliquo Verbo diuinæ mentis; sed vel per metonymiam de re ipsa concepta; vel de exteriori aliqua locutione, quæ, esto propriè sit verbum, non tamen est aliquod Verbum internum in ipso Deo, de quo iam disputamus.

Obiicies primò. D. August. 9. *de Trinitate*, c.10. ait: *Verbum est cum amore notitia*, sed notitia est essentialis: ergo.

Respondet S.Doct. non quamlibet notitiam esse Verbum; sed notitiam genitam, quæ est solus Filius.

Obiicies secundo. Verbum est, quo res manifestatur, & exprimitur. Sed hoc est essentiale: ergo.

99 Respondet S. Doct. hanc non esse totam rationem Verbi, sed debet manifestare ex vi conceptionis, hoc autem soli filio competit. Esto & Spiritus sanctus manifestet, vt dicitur Ioan.16. *Ille me clarificabit*. Propterea vocatur, impropriè tamen, *Verbum* à S. Basilio *in psal.* 32. & *lib.* 4. *contra Eunomium*, vt adnotat Manuel Caleça *lib.* 3. *contra Græcos* initio, & Tanner. *d.*4.*quæst.*4. *dub.*2.*num.*7.

Obiicies tertiò. Verbum est respectu dicentis; at omnes personæ dicunt seipsas ex Anselmo *in Monol. cap.* 28. ergo.

Respondet S. Bonau. omnes personas dicere, metonymicè in ordine ad effectum temporalem imperando: at verò in ordine ad partum, solus Pater dicit.

100 Obiicies quartò. *Dicere*, est cogitando intueri, ex Anselmo in *Monol. cap.* 60. Imò Sap. 2. *Dixerunt intra se non rectè cogitantes*. Lucæ 5. *Ceperunt cogitare dicentes*. Matth. 9. *dixerunt intra se*. Et Christus ad eos. *Quid cogitatis mala?* Sed omnes personæ cogitantes intuentur: ergo: si dicas, quod *dicere*, essentialiter sumptum non habet correspondens Verbum. Contra, vt ait Anselmus in *Monol. c.*31. Pater se dicendo gignit Verbum. Sed omnis actus secundum quem persona reflectitur supra se est essentialis. Ergo & dictioni essentiali correspondet Verbum.

101 Respondet S. Doct. maiorem veram, vbi intuitus non est sine conceptu, vt in nobis, & in Patre; at in Filio; & Spiritu sancto non sic se habet; quamuis enim se intelligant, tamen non concipiunt prolem, quia non est in eis fœcunditas ad generandum. Si vis rationem scire; respondet S. August. 9.*de Trinit. cap.* 11. quia nos non intelligimus, nisi per intelligentiam, & illa prius est genita: in illa autem Trinitate beata aliter est, quam in imagine, quia quælibet persona intelligit. Et ideò non habet conceptum; quia non complectitur totam rationem dicendi, seu Verbi in Deo, sicut in nobis. Ad id de actu reflexo respondetur, quod siue dicatur apud se esse, siue exterius ad alterum; vtroque modo implicat apud se, actum absolutum, & respectiuum: *dicere*, enim apud se, est cogitando, siue in-

102 telligendo se, conceptum gignere. Et ratione primi, est reflexio; ratione secundi, est relatio: similiter *dicere exterius*, est se, vel conceptum declarando extra, aliquid formare; vnde *dicere*, vtroque modo reflectitur super *dicentem*, & *dictum*. Supra *dicentem*, ratione absoluti: supra *dictum*, ratione comparati. Sic patet responsio; quoniam *dicere*, non tantùm est absolutum: & ideò non est essentiale semper.

Obiicies quintò. Quod est medium inter Deum, & creaturas, non est notio, quoniam medium æqualiter distat ab extremis. Sed Verbum est medium, quoniam omnia per ipsum facta sunt: ergo.

Respondet S. Doct. esse medium nostro modo concipiendi; non autem medium operandi, quasi instrumentum, quia & Verbum principaliter omnia fecit.

QVÆSTIO VIII.

An Verbum generetur ex cognitione diuinæ essentiæ, & attributorum essentialium.

QVIA in his quæstionibus, ex quarum rerum cognitione oriatur Verbum. An ex cognitione solius essentiæ, & attributorum, quod in præsenti quæstione agitur? An etiam ex cognitione personarum, de quo erit quæstio sequens? Denique an etiam ex cognitione creaturarum possibilium, de quo agetur in subsequente? vel etiam futurarum, de quo erit *quæst.*11. fertur præcipua disceptatio esse cum Scoto, & asseclis; atque in hac quæstione præcipuè multi decepti sunt, putantes Scotum planè concedere, Verbum gigni è cognitione diuinæ essentiæ, oportet aduertere cum Mastrio *disputat.*7. *quæst.*2. *initio*, & Rada *controu.*11. Scotum negasse, Verbum produci de cognitione aliqua, etiam essentiæ: cum enim neget, Verbum procedere per cognitionem, siue tanquam per principium *quo*, siue tanquam per actionem productiuam; sed per memoriam fœcundam Patris, tanquam per principium *quo*, ad quam nullius rei actualis cognitio spectat, sed solum intellectus, & diuina essentia in ratione obiecti intelligibilis infiniti, & produci per actum dicendi, non autem intelligendi, tanquam per actionem productiuam. Hinc est, vt, si in hoc sensu agitetur quæstio, an Verbum generetur ex cognitione aliqua, essentiæ puta, aut aliarum rerum, tanquam de principio *quo*, vel tanquam per actionem productiuam, negatiuè illico absque vlla scrutatione à Scotistis respondendum sit, iuxta eorum dogmata. Hi igitur ea solum ratione quæstionem instituunt: an Verbum gignatur ex cognitione, idest, an præsupponatur ordine naturæ generationi Verbi cognitio essentiæ, personarum diuinarum, atque creaturarum. Quare non rectè à Caietano *hic*, & aliis, communiter, quos refert, ac imitatur Tannerus *disp.*4. *quæst.*4. *dub.*3. *num.*5. allegatur Scotus cum asserentibus, Verbum gigni ex cognitione essentiæ, non autem aliarum rerum: dum enim Scotus *in* 1. *d.*27. *quæst.*3. *& in* 2.*d.*1. *quæst.*1. *art.*2. *& quodl.*14. *&* 24. docet, Verbum non procedere ex cognitione personarum, vel creaturarum, sed solius essentiæ, in qua dubium est; an includat attributa? solum is vult, particulam *ex*, dicere præsuppositionem. In hoc sensu omnes Scotistæ cum suo Doctore asserunt, Verbum productum è cognitione diuinæ essentiæ. An verò etiam ex cognitione attributorum, asserit Meldula *num.*60. esse commune Scotistarum assertum. 103

COMMVNIS sententia apud cæteros infallibilis, Verbum procedere ex cognitione essentiæ, & attributorum. Authores referam quæstionibus sequentibus, qui sanè intelligunt procedere ex principio *quo*, seu ex actione, vt supra. 104

ASSERO cum hac sententia.

PROBATVR à D. Bonauent. *d.* 27. *p.* 2. *q.* 1. 2. &

& 3. *in corpore* ex D. Anselmo in *Monol. cap.* 31.

SECVNDO probatur à S.Doct.ibi. Verbum concipitur saltem ex cognitione earum rerum, quarum est imago; at Verbum est imago Patris secundum perfectiones Patris essentiales: ergo. Maior probatur D. Anselmo *loc. cit.* vbi ait: *Cùm cogito notum hominem absentem, format acies cognitionis in se talem imaginem eius, qualem per visum in memoriam attraxi, quæ imago in cognitione Verbum est eiusdem hominis, quem cogitando dico.* Minor probatur ex
105 D. Anselmo *loc. cit.* vbi ait: *Hoc itaque modo quis negat, summam sapientiam, cum se dicendo intelligit, gignere consubstantialem sibi similitudinem, idest, Verbum?* Confirmatur illa minor. Nam Verbum est imago Patris; non vt formaliter Pater est; sic enim habet diuersam personalitatem, nec fœcunditatem generatiuam; sed est imago, quatenus habet eandem deitatem. Ideo S. Dionys. *cap.* 2. *de diuinis nominibus* dicit. *Filius fontalis est radius in se manifestans gloriam suam, idest, Bonitatem, & summam Patris perfectionem,* vt notat D. Bonau. *lib.* 1. *compend. Theol. cap.*6. Confirmatur; quia cum Pater generat Filium intelligitur Deus perfectissimus, communicat autem Filio in generatione essentiam, & alias perfectiones. Eadem ratione vtitur Vasq. *disp.*143. *cap.*3. Minor vltima probatur, quia Filius de fide est consubstantialis Patri ex Symbolo, vt arguit S.Doct. *dist.*5. *quæst.*2.

Eadem minor probatur secundò à D.Bonau. *d.*4. *q.*1. Quia Filius quidquid habet, habet à Patre: sed habet deitatem: ergo.

106 PROBATVR tertiò assertio à D. Bonau. *dist.*27. *p.*2. *quæst.* 2. ratione D. Augustini 15. *de Trinitate, cap.*10. & 11. D. Anselmi *in Monol. cap.*31. Verbum concipitur ex cognitione illarum omnium rerum, quæ sunt obiectum intrinsecum cognitionis perfectissimæ, vnicæ, simplicissimæ, infinitæ: sed cognitio essentiæ Patris est primarium intrinsecum obiectum cognitionis comprehensiuæ,infinitæ,simplicissimæ: ergo. Maior probatur ab istis sanctis Patribus; alioqui si non conciperetur Verbum ex cognitione infinita, vel cognitio Dei esset finita; vel esset adaucta per nouos conceptus aliorum recentium Verborum, sicuti euenit nobis, qui ex imperfectione nostræ intellectionis primæ, noua verba concipimus. Minor probatur, nam essentia est primum obiectum diuini intellectus, & ipsa ex attributis etiam est infinitè perfecta. Hoc argumento vtitur etiam Suarez *lib.*9. *de Trinitate, cap.*4. Hoc neque Scotus negabit, cum attributa ad perfectionem essentiæ spectare fateatur, vt aduertit Vasq. *d.*142. *num.*4.

Fundamentum autem Scoti initio allatum, quo nisus diuersè loquitur, iam elisum est *disputat.*2. *quæst.* 4.

QVÆSTIO IX.

An Verbum producatur ex cognitione Diuinarum Personarum.

107 SCOTVS *in secundo, distinct.*1. *quæst.*1. *art.*2. & *quodl.*14. §. *hic intelligendum*, asserit modo, 8.q. declarato, Verbum gigni è cognitione obiecti primarij diuini intellectus; at *dist.* 27. *quæst.* 3. sentit, personas non pertinere ad obiectum primarium diuinæ visionis; ex quo infertur, Verbum in sententia Scoti non gigni ex cognitione personarum, quod sanè non benè aduertens Vasquez *disput.*142. *n.*3. ait, solas creaturas à Scoto in obiecto secundario poni. Igitur pro sententia negatiua adducitur, & explicatur Scotus à Fauent. 2. *disput.*2. Rada *controu.*11. Brancasio *tom.*2. *de Deo Trino, lib.*3. *disp.*2. *quæst.*7. Poncio *d.*10. *quæst.*2. & antiquioribus Scotistis, Bassolio, Tartareto, Vigerio, qui omnes eam sectantur. Eam verò esse Scoti sententiam colligo etiam ex 1. *d.*2. *quæst.*7. §. *obiicitur contra*. Vbi asserit, Verbum non procedere per actum scientiæ, & cognitionis, sed per actum dicendi, quem putat sequi ex actu intellectionis, & scientiæ, & esse illò posteriorem; vnde fit, vt antequam prima Persona dicat Verbum suum, nequeat Verbi sui habere scientiam,imò neque paternitatis; quia in illo priori rationis, antequam dicat Verbum, ipse nondum habet rationem Patris, cum nondum adsit filius. Quod si Filius non procedit è cognitione præsupposita paternitatis, & filiationis, multò minus oritur è cognitione Spiritûs sancti.

SECVNDA sententia est aliorum ex Caietano, Verbum oriri è cognitione sui ipsius, ac Spiritus sancti, abstractiua tamen; non intuitiua: eo quod non adhuc præsupponantur præsentes in actu generationis, cum Verbum per eam producatur, & Spiritus sanctus à Verbo, sequitur Auersa *quæst.*34. *sect.* 3.

TERTIA sententia est Vasquez *disput.*142. *c.*4. Verbum oriri è cognitione Patris, & Filij ipsius; non autem Spiritûs sancti. Sequitur Marc. Baudun. *quæst.*35. *art.*1.

QVARTA sententia est, Verbum oriri ex cognitione omnium diuinarum Personarum. Ita D. Bonau. *d.*27. *p.*2. *quæst.*1. adeo præclarè, vt otiosum sit eius verba recensere ad id probandum, vt aduertit Forestus *fol.* 371. vbi obseruat eisdem ferè cum D.Thoma verbis vsum.Id verò asserit S.Thom. *quæst.*34. *art.*3. *in corpore*, & clarius *art.*1. *ad* 3. Eos sequuntur communiter Caietanus ibi, Molina *disp. vn.* Ruitz, Bañes, Becanus, Granado, Zumel. *disp.* 1. Pesantius, & alij interpretes D. Thomæ, Ferrar.4. *contra Gent. cap.*13. Capreol. 1. *d.* 27. & alij Thomistæ communiter, quos adducit, & sequitur Nazar. *quæst.*34. *art.*3. *controu.* 1. Suarez *lib.* 9. *cap.* 4. Morandus, *quæst.*21. Valentia *disput.*2. *quæst.*8. *p.*2. Arriaga *disput.*51. *sect.* 4. Zuniga *disput.*9. qui dicit, esse communem Thomistarum, & Iesuitarum. Porrò inter antiquos Theologos eam sustinuere Alensis 1.*p. quæst.*62. *art.*4. Ægid. *d.*24. *quæst.*4. Gabriel *quæst.*3. Richard. *art.*2. *quæst.*3. 108

His omnibus addo modernos Scotistas Vulpem *disput.* 66. *de Trinit. art.*6. Herreram *in* 1. *disp.*15. *quæst.* 3. Scherium *disput.* 6. *quæst.* 11. Sghemmam *de Deo vno, & Trino tit.*16. *quæst.*6. & *tit.*18. *quæst. vlt.* Smisingh. *disput.*3. *de Deo vno, & trino quæst.*5. Mastrium *disput.*7. *de Trin. quæst.*2. *art.*1. qui allegant Scotum 1. *d.*6. *quæst. vn.* §. *De quarto dico*, & *d.*10. *quæst. vn. in fine*, quibus reclamant antiquiores Scotistæ, & cæteri allegati pro prima sententia. E nostris stant Longus *quæst.*34.*art.*4.Caspensis *d.*7. *sect.*3. Foreſt. *fol.*371. Tandem Amicus *disput.*26. *sect.*3. Tanner. *disp.*4.*q.*4. *dub.*3.

ASSERENDVM, verbum oriri ex cognitione diuinarum omnium personarum. 109

PROBATVR à Seraphico 1. *dist.*27. *p.*2. *quæst.*2. ex D. Augustino 15. *de Trin.cap.*13. & 14. vbi ait: *Verbum diuinum esse de omnibus, quæ sunt in scientia Dei; nam si aliquid minus esset in Verbo, quam in scientia; non esset Verbum adæquatum.*

Respondent Vasquez, & Faber, D.Augustinum loqui

loqui etiam de scientia visionis, & Verbum esse etiam de his; alioqui non esset Verbum adæquatum; at Verbum esse è scientia visionis genitum, neque aduersarij concedent.

Suarez negat, id sequi: nam creaturæ futuræ satis cognoscuntur, vt sunt in simplici intelligentia; idest possibiles.

110 Hæc tamen est fuga inutilis. Nam cognitio rerum, vt possibiles sunt, non exprimit eas determinatè futuras, talique tempore, loco, &c. producendas, quæ est distincta notitia.

Respondent alij huic oppositioni, D. Augustinum velle, Verbum esse de his omnibus, quæ sunt in scientia Patris pro eo signo, quo generat filium; at in eo signo creaturæ non sunt futuræ, quia futuritio est per decretum totius Trinitatis. Rursus cum Verbum sit necessarium simpliciter, vt sæpè repetit D. August. est ex his omnibus, quæ sunt in scientia Dei simpliciter necessaria; non ex suppositione; at creaturæ, vt futuræ, sicuti futuræ sunt contingenter ex libero decreto Dei; ita contingenter sunt in scientia Dei simpliciter; licèt ex decreto sequente determinatæ ad esse, consequenter nequeant ignorari. Neque vllam perfectionem in Deo adiungunt sua futuritione; sed solam propriam existentiam: at Verbum sicuti est ens perfectissimum; ita ex diuinis perfectionibus oritur. Sed de hoc *quæst. vndecima.*

FABER conatur secundò euertere locum illum D. Augustini dicens, particulam *de*, non significare originem; sed terminum scientiæ; sicuti dicitur, Theologicam scientiam esse de rebus scibilibus Theologicis, idest, versatur circa scibilia Theologica; ita ibidem significat, Verbum scire omnia, quæ scit Pater.

111 Veruntamen extortum est hoc commentum, & contra Scotum *in 1. d. 1. quæst. 1. art. 1.* qui sic exponit, Verbum esse, idest, gigni de omnibus his, quæ sunt in scientia Patris, idest, virtualiter; quia Verbum est de essentia, quæ est virtualiter omnia ista.

NON est tamen hæc vera expositio D. Augustini. Nam si Pater in primo signo habet conceptum obiectiuum virtualem, & postea formalem, cum ista signa apud Scotum sint realia; sequitur scientiàm Dei posteriorem proficere, augeri, atque adeo mutari.

112 PRÆTEREA probatur ex D. August. ibi asseri, Verbum oriri ex cognitione personarum, vt obiecto *ex quo.* Nam S. Augustinus (vt aduertit S. Bonau. *loc. cit.* ibi *cap.* 13. comparat Verbum nostrum cum Verbo Dei, & dicit. *Propter hoc, sicut nostra scientia illi scientia Dei; sic, & nostrum Verbum quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi Verbo Dei, quod natum est de Patris essentia, tale autem est, ac si dicerem de Patris scientia. Verbum ergo Dei Patris, & Filius per omnia Patri similis, & æqualis; proinde tanquam se ipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim integrè, perfectèque se ipsum dixisset, si aliquid minùs, vel amplius esset in eius Verbo, quàm in seipso.* Et concludit. *Falsum habere aliquid hoc Verbum nunquam potest, quia immutabiliter sic se habet, vt se habet, de quo est.* Et infert. *Nouit itaque omnia.* Supra autem dixerat, Deo per futuritionem rerum nihil scientiæ additum: dicens. *Non aliter ea sciuit creata, quàm creanda, non enim eius sapientia aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus, sicut oportebat, & quando oportebat ille mansit, vt erat.*

Ex hoc testimonio habes, cognitionem Dei esse vnico actu, neque aliquid addi; vnde Pater comprehendens seipsum, Verbum, & Spiritum sanctum, & res creabiles, & decreta, licèt non in eo signo rationis facta, potuit etiam è rebus, vt futuris, *Verbum* concipere; licèt autem obiectum esset contingens, tamen actus est necessarius, vnde non sequitur Verbum conceptum esse contingens. Deinde cum Verbum oriatur necessariò ex alia cognitione necessaria essentiæ, personarum, & creaturarum possibilium, quod est obiectum principale huius cognitionis, vt infra ostendam; iam adhuc manet necessarium.

PROBATVR secundò à S. Bonau. *d. 27. p. 2. q. 2. fundamento* 1. ex D. August. 11. *confess. cap.* 7. vbi ait: *Verbum sempiternè dicitur, & eo dicuntur omnia.* Idem habet 7. *de Trin. cap.* 3. apud D. Bonau. *eadem quæst.* 1. 113

PROBATVR tertiò à S. Bonau. *quæst. 2. supra citata* ex D. Anselmo *in Monol. cap.* 28. 31. & 44. vbi ait: *summus autem spiritus in Patre, se, & omnia vno aspectu, & eodem cognoscit.* 114

PROBATVR quartò à D. Bonau. *dist. eadem* 27. *quæst.* 2. ratione D. Augustini 15. *de Trinitate, c.* 13. relati à D. Bonau. *quæst.* 1. & D. Athanasij *lib. de decretis Synodi Nicænæ.* Si *Verbum* non oriretur ex cognitione personarum, non esset adæquatum Patri, & consequenter oporteret alia noua Verba nouis intellectionibus produci; sicut in nostra imperfecta cognitione solet euenire. Hoc autem est Deo indignum: ergo.

Respondent Scotistæ aduersi, præsertim Faber in calce disputationis, hoc non sequi, quia Filius non oritur ex intelligentia, sed ex memoria Patris.

Veruntamen hoc iam explosum est *disput.* 2. *q.* 4. & in hac *disput. sect.* 1. *quæst.* 2.

PROBATVR quintò ratione D. Bonau. *in corpore*, quæ est principale fundamentum, quo nituntur Caietanus, Suarez, Arriaga, Mastrius, & alij supra. Est autem principium communiter receptum in omni Schola tam Scotistarum, quàm Thomistarum. Cognitio ex qua Pater generat *Verbum* est perfectissima, & comprehensiua diuinæ essentiæ intuitiua, quam Seraphicus vocat summam in intelligendo vim omnia circumplectentem actu; alioqui esset cognitio imperfecta (præsupposita secundum Scotistas) & insuper secundum nos sequeretur, *Verbum* enasci imperfectum, vt optimè supra deducebat D. August. sed ad cognitionem comprehensiuam alicuius obiecti requiritur, vt attingantur omnia prædicata, omnesque perfectiones in eo formaliter contentæ. Ergo cum in diuina essentia contineantur origines, & personæ illis constitutæ; planè asseri nequit, *Verbum* procedere ex cognitione comprehensiua diuinæ essentiæ; nisi à Patre attingantur ea omnia, quæ sunt formaliter in ipsa. 115

Minor patet ex definitione cognitionis comprehensiuæ, quæ habetur etiam apud D. Bonau. 3 *dist.* 14. *quæst.* 2. Comprehensio est adæquatio cognitionis cognoscibilitati rei. Ad quem modum S. August. 12. *de ciuitate, cap.* 18. ait: *Quicquid scientia comprehenditur scientis cognitione finitur.* Idem indicat *lib.* 4. *de Genes. ad litt. cap.* 6. & *lib. Soliloq. cap.* 31. Epiphan. *hæresi* 70. Cyrillus Hierosol. *Catech.* 6. Gregorius *lib.* 12. *Moral. cap.* 7. vel 10. & *lib.* 18. *cap.* 27. vel 28. apud Tannerum *disput.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 4. *num.* 10. Definitionem porrò comprehensionis explicatè tradit S. August. *epistola* 112. *cap.* 9. dicens. *Aliud est videre; aliud est totum videndo comprehendere: quandoquidem id videtur, quod præsens vtcunque sentitur: totum autem comprehenditur videndo,* 116

videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat viden-
117 *tem, aut cuius fines circumspici possunt.* De quo satis *tract.1. disp.11. quæst.27.* Maior probatur, quia non comprehenditur Deus, nisi perfectissimè cognoscatur quantum cognoscibilis est; & è contra: & omnis alia inferior cognitio est imperfecta, Deo indigna.

Respondet Faber *num.* 29. Verbum non oriri è cognitione infinita extensiuè; alioqui oriretur etiam è cognitione rerum futurarum, vt futuræ sunt, quod est falsum etiam apud aduersarios. Oritur ergo è cognitione infinita intensiua obiecti primatij. Eodem modo iam responderant veteres Scotistæ.

118 Contra tamen arguit acutè Mastrius *disp.6. de anima, quæst.12. n.330.* & hic *num.65.* nam hæc distinctio funditùs euertit rationem comprehensionis, dum vnam facit intensiuam; alteram extensiuam, quia ad comprehensionem propriè sumptam vtrumque requiritur tam intensio, quàm extensio; quia comprehensio est cognitio amplissima vniuersalis, & adæquata rei, quoad omnia prædicata ad eam spectantia, & ita adæquatè extensiuè, & intensiuè, vt dixi *tract.1. disp.11. q.27.*

Deinde sequeretur, scientiam Patris in sequentibus instantibus secundum Scotum realibus augeri, & deduci de potentia ad actum; & ita in primo signo esset scientia imperfecta.

Vrgeo. Cùm Verbum sit adæquatum scientiæ Patris, vt ostendit D. August. *loc. cit.* & in sequentibus instantibus noua scientia addatur; sequitur vel perfici Verbum; vel alia verba produci ex illa cognitione, quæ adhuc est fœcunda, non exhausta, vt inferunt sancti Athanasius, & August. supra adducti, & cùm Pater sit Creator ante productionem Verbi, vt docet Scotus infra citandus; iam esset Creator ignorans; sed, vt ait D. Augustin. *lib.5. de Genes. ad litt. cap.13. Quis tantùm sit demens, vt dicat, non ea Deum fecisse, quæ nouerat?*

119 Respondet secundò, Verbum non produci è scientia Patris, sed ex memoria, & hanc ait esse communem solutionem Scotistarum; produci quidem per actum intellectus, qui tamen non est *intelligere*; sed *dicere*; nam intelligere formaliter est pati.

Enim verò, cum Pater dicat, exprimatque notitiam istam ex essentia secundum Scotum; reddere debet rationem; cur non etiam ex personis dicat, & ita effugium præcluditur. Deinde opinio illa, de emanatione è memoria, elisa est *d.2.q.4.*

Respondet tertiò Faber, non posse Verbum produci eo actu ex personis, & creaturis, quia personæ, & creaturæ pro illo instanti originis, & naturæ non sunt in memoria Patris actu; sed solùm virtualiter; quia virtute in essentia continentur, & proinde ex illis non potest exprimi Verbum; quia personæ non præsupponuntur; sed subsequuntur generationem, & sunt obiectum secundarium.

120 Contra primò; quia daretur instans naturæ, in quo Personæ non essent actu; sed potentia, & ita transirent de non esse ad esse.

Deinde, dato, quod sint in aliquo posteriori originis; cur non sunt cognitæ, cùm sint in essentia, quæ supponitur comprehensa?

Vnde arguo cum recentibus Scotistis, Vulpe, Sghemma, Mastrio, &c. cum Amico *disput.26. sect.3. num.88.* Lezana, & aliis cum D. Bonau. *loco citato.* Intellectus Paternus in illo primo signo perfectissimè comprehendit diuinam essentiam, & consequenter intelligit quidquid est ibi ex natura rei. Sed ibi ex natura rei est duplex fœcunditas, scilicet memoria (secundum Scotistas,) seu intellectus secundum nos, & voluntas cum essentia ex se communicabili. Ergo pariter debet videre personas, quibus est communicabilis, cum implicet videre communicabilitatem actu, non visis terminis. Neque valet responsio aduersantium Scotistarum, videri essentiam, vt communicabilem absolutè: non verò vt communicabilem hac duplici fœcunditate, nec pariter videri personas.

Contra. Videns comprehensiuè fœcunditatem debet videre modos, & terminos, alioqui imperfectè videbit, & confusè, quod Deum dedecet.

Mełdvla hoc vsus argumento subdit, posse in via Scoti euerti, dicendo, essentiam absolutè sumptam, vt dicit perfectionem intellectûs, & voluntatis, non intelligi necessariò, vt relatam ad personas producendas; atque adeò sine eis comprehendi: sicuti comprehenditur omnipotentia, vt est perfectio Dei absque eo, quod intelligantur creaturæ, quas respicit producibiles, quia omnipotentia est prior creaturis: essetque Deus omnipotens, etiamsi creaturæ non essent possibiles, quia omnipotentia dicit tantùm posse quicquid non implicat contradictionem, siue postea aliquid tale detur, siue non. 121

Omitto nunc, istam distinctionem apud nos esse inanem, vt ostendam *quæst. sequenti.* Dico etiam in via Scoti diuersam esse rationem. Nam essentia vt communicabilis sit adeò necesse est, sicuti necesse est, eam esse; atque adeò ad cognitionem comprehensiuam essentiæ necesse est contineri etiam in eâ personas; at creaturæ non sunt adeò necesse, vt docet Scotus, primo *dist.30. quæst. 1. §. ad secundam quæstionem*, vt vrget Meldula *num.83.* ac proinde non est adeò necesse, vt comprehendens omnipotentiam intelligat etiam creaturas. Quare non soluitur hoc argumentum pari fundamento in via Scoti. 122

Probatvr sextò assertio, ratione D. Bonau. *loc.cit.quæst.2. in corpore*, qua vtuntur Suarez, Valentia, & alij. Vnicus est actus simplicissimus, quo Pater cognoscit essentiam & personas; estque semper idem. Ergo vno, & eodem producit Verbum. Ergo etiam ex notitia personarum producit: Antec. patet ex diuina perfectione, & simplicitate. Consequens patet; quod enim simplicissimum est, indiuisibile est; alioqui sequeretur in diuina intellectione aliquis discursus, saltem virtualis. 123

Respondet Faber, esse vnum actum subiectiuè realiter; at verò esse plures formaliter, qui non admittunt illicò discursum; alioqui sequetur idem in via aduersariorum, qui ponunt, actum simplicis intelligentiæ, & visionis esse duos actus inter quos mediat actus voluntatis, quo decernitur creatura.

Secundò concedit, esse duos actus alterum essentialem, quo creaturas producit: alterum notionalem, quo Verbum producit, inter hos autem actus non datur discursus; sed ordo. 124

At sequitur profectò in actibus diuinis compositio ex pluribus formalitatibus, vt ostendi, *tract.1. d.3. quæst. 8.* & in hoc *tract. disp.3. quæst.3.* Id verò non sequitur è nostra sententia, quippè non multiplicamus actus formales, ordine naturæ priores, & posteriores aduenientes.

Probatur septimò. Pater cognoscit se comprehensiuè: ergo etiam suos correlatiuos, idest; Filium, & Spiritum sanctum. Probatur conseq. nam relatiua etiam cognitione sunt simul, ex Aristotele.

Respondet

Respondet Faber, cognosci virtute. Sed contra: nam relatiua formaliter simul sunt.

Respondet Vasq. cognosci quidem eodē actu; non tamen eo produci Verbum, sed se habere comitanter cognitionē correlatiuorum ad Verbi productionem.

Contra: actus, qui adeò est simplex, vt solum per intellectum imperfectum diuidi queat, non potest habere duas rationes diuisas formales, & secundùm vnam esse obiectum necessarium, secundùm alteram esse solùm concomitanter. Talis est actus Patris circa obiectum, ex quo Verbum producitur, ex Vasquez *disp.*120. ergo.

125 OBIICIES primò cum aduersariis omnibus. Si Pater gignit Verbum è cognitione comprehensiua Filij, & Spiritûs sancti, quæro an illa cognitio sit abstractiua; vel intuitiua? non abstractiua, quia esset imperfecta; neque intuitiua, quia hæc est de obiecto actu existente; at Filius nondum est, & multò minus Spiritus sanctus.

RESPONDENT multi Scotistæ cum suo Doctore, 1.*dist.*10.*q.vn.in calce*, eam esse notitiam intuitiuam; videntur enim relationes in essentia communicabili eminenter contentæ, & Filius continetur in Patre, in quo est etiam Spiritus sanctus. Hæc autem existentia in alio eminenter sufficit ad cognitionem intuitiuam ex Fabro, *n.*9. vt dicam *tract. de anima, disp.*9. *c.*4. *disput. sect.*4.*q.*1. Propterea Scot. 3.*d.*14.*q.*3. docet, creaturas futuras in diuina essentia videri à Deo perfectissima intuitione. Ita S.Bonau. *dist.*27.*p.*2.*q.*2.

126 Respondent alij meliùs cum D. Bonau. *d.*27. *p.*2. *q.*2.& 3.*in corpore*, Patrem intuitiuè cognoscere obiectum, ex cuius notitia producit Verbum, quod quidem suo actui habet præsens in omni instanti, etiam naturæ, tametsi posterior sit Patre secundùm originem; & ita est posterioritas originis, *à quo*; ex qua non rectè infertur posterioritas essendi, etiam vt *in quo*, ratione cuius non possit Pater præsenter Verbum intueri, vt in se existens: possunt enim plura instantia originis claudi in vno instanti naturæ; sicuti plura instantia naturæ in vno temporis, vt docet Scotus *quodl.*4. & *in* 2.*d.*1. *q.*1. *art.*2. Iam igitur Pater est quidem prior origine; attamen in eodem instanti naturæ est Filius præsens, tanquam correlatiuus; constituitur enim Pater per generationem Filij in suo esse perfecto personali, & ideò tota eius prioritas *à quo*, est mera originis; & nulla *in quo*, seu in aliquo instanti etiam naturæ priori; sed semper simul: & hæc simultas sufficit, vt Pater non cognoscat Filium, vt absentem; sed vt præsentem semper existentem. Neque enim datur in diuinis prioritas illa naturæ, de qua Aristot. 5. *Metaph.* dum ait: *Illa dici priora natura, quæcunque possunt esse sine aliis; non autem alia sine ipsis.* Hanc solutionem adhibuere Smisingh, Scherius, & Mastrius, & profectò est vera; nam, vt obseruat Meldula *n.*69. cum D.Bonau. *q.*2. & 3. *citata.* Cognitio Patris non est mutata de vno signo in aliud; sed semper eadem simplicissima perseuerat: ergo si semel cognoscit Pater Filium, & Spiritum sanctum intuitiuè; dicendum, semper eos sic cognouisse; alioqui facta esset mutatio in cognitione Patris, vel in obiecto, idest Filio quorum vtrumque absit. Quare ad formam argumenti, quando vrgent, præcipuè Rada, Verbum, & Spiritus sanctus non possunt præsupponi ante Verbi productionem. Igitur nec intuitiuè præintelligi, ita vt ea cognitio terminetur ad proprias eorum subsistentias. Respondet Mastrius, tametsi nequeant esse, antequam sint, quia esse eorum, est existentia ipsorum, tamen possunt cognosci, quia eorū cognitio non est in ipsis, sed in Patre, qui est in primo signo.

HAC tamen responsio æquiuocat: nam visio est obiecti præsentis; neque sufficit præsentia, seu existentia intelligentis; alioqui omnis intellectio esset intuitiua.

Respondetur ergo ex doctrina D. Bonau. negando vnquam dari instans, in quo sit Pater, & non sit Verbum, & ita in primo signo Pater non est solus; sed cum Filio, cuius generatione constituitur in esse completo; tametsi Filius, vt *ex*, origine sit posterior. Est autem semper ob oculos habendum id, quod docet S.Bonau. *loc. cit.* dissimilem esse ortum Verbi nostri, & Verbi Dei, in quo nulla est posterioritas, vt ostendam *disput.*14. *q.*5. Et per hoc ruit aliud principale argumentum aduersum; vt monet etiam Petr. à S. Ioseph. Fuliensis *l.*2. *cap.*5. 127

Obiicies secundò. Si verbum oritur ex sui cognitione. Ergo est principium sui ipsius. Consequentia patet, quia obiectum est principium cognitionis.

Respondetur, non esse implicans, vnam rem produci ex cognitione sui ipsius, & hoc sensu esse sui principium: nam & domus extra fit à domo intra, in idea artificis, vt docet Aristot. 7. *Metaph.* non tamen est causa physica producens se ipsam, & hoc solùm absonat rem gigni à se; non autem de sui cognitione. Neque propriè dicitur illa cognitio Patris principiata à Filio, quia Pater eam habet à se, vt aduertit Suar. *lib.*9. *cap.*5. tametsi Vasquezio concessesim, Spiritum sanctum & Filium esse obiectum motiuum hoc sensu, nec solum terminatiuum; atque ipse Scotus 1. *d.*6. *quæst.vn.* ait: Pater intelligit Verbum, antequam illud generet. Oritur autem ex cognitione etiam essentiæ; neque tamen ab ea genitum dici potest. Propriè tamen non est obiectū motiuum, quia obiectū motiuum est quādo cognoscens ab ipso obiecto secundum rem, vel rationem accipit cognitionem, vt aduertit Tannerus *n.*25. 128

Obiicies tertiò. Si Pater genuit Filium ex cognitione sui; sequitur, quod sit imago Patris, etiam quoad paternitatem; sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequela, quia Verbum est imago obiecti, sui Principij. Minor probatur, tum quia paternitas insurgit ex generatione, etiam in sententia D. Bonau. ergo, dum generat, non habet præsentem paternitatem. Tum quia non continet proprietates Patris.

Respondetur, rationem imaginis in filiis non esse, vt filius sit Pater; sed vt sit similis in natura. Sic autem maximè similis est Filius Patri, cui est consubstantialis; vt docet D.Bonau. *d.*31.*p.*2.*q.*1.2. & 3. Ad illud de generatione respondetur suprà cùm de præsentia Filij, & Spiritus sancti; eadem enim est ratio. 129

Obiicies quartò. Si Verbum procederet è cognitione Spiritus sancti, esset imago eius, & realiter referretur ad illum.

Respondetur, negando sequelam: nam relatio imaginis fundatur in origine generationis, vt *Quod.* Vnde, licèt essentia, intellectus, &c. *vt Quo*, sit principium filij; tamen non refertur ad essentiam, &c. neque est eius imago. Negari tamen nequit, quin repræsentet essentiam, personas, & creaturas, vt ait D. Augustin. *loc. cit.* est solutio D. Bonau. *dist.*31. *loc. cit.* quem imitatur Nazarius.

Obiicies quintò cum Scotistis, & Vasquez. Illud, quod est per se concurrit omni alio remoto: sed Verbum esset genitum, etiamsi Spiritus sanctus non spiraretur: ergo. Minor probatur, quia est post Verbum genitum spiratus.

Respondetur, datâ hypothesi impossibili, Verbum non fore perfectum, quia careret fœcunditate spiratiua, 130

ſpiratiua, quæ intrinſeca eſt Dei voluntati, non minùs, quam intellectiua. Vnde Spiritus ſanctus eſt de intrinſeco Verbi conceptu.

QVÆSTIO X.

An Verbum producatur ex cognitione creaturarum poßibilium.

D.Bonau. diſt. 27. p. 2. q. 1.
D.Thom. q. 34. art. 3.

HÆc quæſtio alio titulo ponitur à S.Bonau. à Valentia, & aliis. An Verbum dicat reſpectum ad creaturas.

131 APERTO Marte Scotus *in 1.d.2.q.7.* & *d.32.q.1.* & *in 2. d. 1. q. 1.* & *quodl.14.* pugnat aduerſus aſſerentes, Verbum oriri è cognitione creaturarum: cum ſequuntur omnes Scotiſtæ allegari *quaſt. præced.* & ex aliis Scholaſticis, Vaſq. *diſp.* 43. quem ideò Scotiſtæ ſubtiliſſimum omnium acclamant: Albertinus *tom. 2. prædic. ad aliquid coroll.* ſeu *quaſt. Theol.* 14. *d. 1.* Baudunius *q.34. art. 2.* Peſantius *ad art. citatum D. Thomæ* Coriolanus *q.34. art. 4.* conatur in hanc ſententiam trahere S. Bonau. quia non inuenit vbi aſſerat, Verbum oriri ex cognitione creaturarum: ſed tenebatur ipſe inuenire, vbi S. Doct. id neget cum Scoto, vt acutè aduertit Foreſtus *fol.* 371. è contra ego oſtendam verbis ab ipſo relatis, *Summus autem ſpiritus* (ait) *in Patre, ſe & omnia vno aſpectu, & eodem cognoſcit: & cum intelligit ſe, & alia, cognoſcit vt aliorum principium; & quia in ipſo vis conceptiua concipit ſimilitudinem omnia circumplectentem ſub intuitu vno, ſiue aſpectu: concipit, ſiue generat vnum Verbum, quod eſt ſimilitudo Patris imitatiua, & ſimilitudo rerum exemplatiua, & ſimilitudo operatiua, &c. Et ita Verbum diuinum dicit reſpectum ad Patrem dicentem. Dicit etiam reſpectum ad creaturas per modum exemplaritatis, &c.* Hæc clarè ſonant, Verbum concipi è cognitione creaturarum, quod argumentis probat infra referendis, & reſpondet ad oppoſita, maximè ad illam ſequelam; poſſe dici Verbum creaturarum.

132 SECVNDA igitur ſententia eſt D. Bonauent. *loc. cit.* D.Thom. hic, & *art. 1. ad 3.* & *quaſt. 37. art. 2. ad 3.* vbi eadem ferè cum D. Bonauent. verba habet, & ideò vterque communiter pro hac allegatur, vt mirum ſit, Capulium eruditum commentatorem D. Bonauenturæ, cum in opinionem Scoti traxiſſe. Hanc ſententiam ſuſtinent Alenſis *1. p. quaſt. 62. memb. 1. art. 4.* & *memb. 2.* Richard. *1. d. 27. art. 2. quaſt. 3.* Ægid. *art. vltimo, quaſt. 4.* Valentia *diſp. 2. q. 8. p. 1.* vbi hanc veriſſimam dicit. Zuniga *d. 9. dub. 7.* Ruitz *d. 63. ſect. 4.* Arriaga *d. 52. ſect. 4. ſubſec. 3.* ità primi quatuor, quinimò ex cognitione etiam creaturarum futurarum oriri Verbum aſſerunt. Cæterùm; è poſſibilium tantùm cognitione oriri Verbum aſſerunt Caietanus *quaſt. 34. artic. 3.* Molina *diſput. vn.* Bañes, Zumel, *ad art. citatum D. Thom.* vbi etiam Nazar. *controu. 1.* Capreol. *1. d. 27.* & alij Thomiſtæ communiter allegatis locis D. Thom. Ferrar. *4. cont. Gent. cap. 13.* Auerſa *ad q. 34. art. 3. ſect. 4.* Suarez *lib. 9. c. 7.* Fulienſ. *l. 2. c. 5.* Granad. *d. 7.* Amicus *d. 26. ſect. 5.* Faſolus *dub. 7. ſuper articulum tertium, quaſt. 34.* Salmaricenſes ibidem. Lezana *tract. 5. diſput. 9. quaſt. 4.* Foreſtus *loc. cit.* eſtque communiſſima ſententia. Allegatur à Maſtrio etiam Vaſquez *diſp ut. 163. cap. 3.* ſed non inueni, ibi eum palinodiam recantaſſe, cùm *diſput. 143.* ſteterit cum Scoto. Omitto dicentes, hanc cognitionem eſſe abſtractiuam; inter quos eſt Morandus *n. 605.* rationem ex alio loco falsò adducens.

ASSERO cum hac ſententia, Verbum oriri è cognitione creaturarum poſſibilium. 133

PROBATVR à D. Bonau. 1. *in corpore* ex D. Auguſt. *15. de Trin. c. 13. & 14.* vbi ait: *Verbum procedere ex ſcientia Patris, per quam cognoſcit omnia.* Idipſum aſſerit *lib. 15. confeſſ. c. 1.* & infert rationem; alioquin non futurum adæquatum Verbum, dicens: *Non enim ſeipſum Pater perfectè, integreque dixiſſet, ſi aliquid minùs, aut ampliùs eſſet in eius Verbo, quàm in ipſo.*

AFFERT in fundamentis id pſal. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt: ipſe dixit & facta ſunt*; dicere autem, eſt Verbum proferre, ad quod ſequitur facere creaturas. Quod verò hæc dictio *habeat æternam cum Verbi æterni generatione correlationem*, oſtendit S.Doct. è D.Auguſt. *11. confeſſ. c. 7. Verbo tibi coæterno dicis, quæcunque dicis; & fit quidquid dicis, et fiat.* Hoc teſtimonium, vt vrgens reperit in corpore.

Tertiò adducit D. Auguſtinum *lib. 83. qq. q. 63.* vbi exponens illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, ait: loquitur. *Quod Græcè λόγος dicitur, Latinè & rationem, & Verbum ſignificat. Sed hoc loco meliùs Verbum interpretamur, vt ſignificetur, non ſolum ad Patrem reſpectus, ſed ad illa etiam, quæ per Verbum facta ſunt operatiuâ potentiâ.* His teſtimoniis vrgentibus nituntur Valentia, Suarez, Nazarius, Tanner. Arriaga, & alij.

Reſpondet Scotus, & cum eo Faber, Meldula, & alij; Verbum gigni de his omnibus, (ſupple virtualiter,) quia de eſſentia, quæ eſt virtualiter omnia illa, & cum intellectu conſtituit memoriam fœcundam, ex qua Verbum producitur: & ratio eſt, quia D. Auguſt. vbique docet, Verbum diuinum gigni à memoria; non ab intelligentia, quæ quidem memoria apud D. Auguſtinum aliud non eſt, quam intellectus, vt eſt actus primus; quemadmodum intelligentia eſt intellectus, vt eſt actus ſecundus. Conſtituitur autem in actu primo per eſſentiam in ratione obiecti intelligibilis. 134

Omitto exploſam Scoti ſententiam *d. 2. q. 4.* contra explicationem arguo; ait enim S.Auguſt. *Nihil minus eſſe in Verbo Dei, quàm in ſcientia*, de qua aſſerit natum Verbum.

Neque dicant Scotiſtæ, natum de ſcientia habituali, ſeu de memoria fœcunda.

CONTRA, quia hoc debet intelligi & de ſcientia actuali, iuxta tamen modum, & ordinem, quo ad obiecta terminatur; vt fatetur Meldula *n. 117.* Quare cùm primo ſigno proceſſionis Verbi terminetur ad creaturas poſſibiles, quæ ſunt in omnipotentia Dei, priori ſanè, cum cæteris abſolutis, quam notionalia; ſequitur è conceſſis, Verbum in ſententia Scotiſtarum ſupponere creaturas poſſibiles, atque adeò exprimere Verbum è tota illa ſcientia actuali, quæ vna eſt cum habituali, ne velimus in Patre habitus componere: ſicut igitur Verbum in ſe habet actuales omnes perfectiones diuinas Patris; habet profectò, & ſcientiam actualem, ex qua genitus eſſe debet. Et, ſi Pater genuit Verbum dicendo perfectè ſe ipſum, & ipſe, ſecundùm Scotiſtas, ante generationem ſupponitur perfectiſſimus in actu; oportet vt de ſcientia actuali ſeipſum, ſuamque ſcientiam actualem rerum omnium in nullo auctam poſt generationem dixerit Verbum. Genuit enim ſe ipſum integrè, perfecteque dicendo, vt ait D. Auguſt. ſupra, & Verbum eſt de his omnibus, quæ ſunt in Patre. Qua ergo ratione Scotiſtæ negabunt, habuiſſe Patrem ſcientiam actualem comprehenſiuam ſui 135

ac proinde essentiæ, & omnipotentiæ, quæ ad creaturas possibiles terminatur? nisi velint, Patrem per generationem, vel post illam, euasisse perfectiorem, addita scientia actuali.

136 Respondet Vasquez, Verbum ex D. August. esse de creaturis, tanquam de obiecto, idest, ad creaturas explicandas terminari, non autem de his tanquam principio obiectiuo. Sic respondet etiam Fauentinus; sed quia S. August. sæpè adhibet particulam (*de*) vt denotet principium; ideo non laudat hanc solutionem; & merito reiicitur quia S. August. comparat ortum Verbi Dei, cum nostro, quod ex obiecto nascitur, vt principio, *quo*, sicuti docet S. Bonauentura *loco citato*.

Respondet secundò, Verbum habere à Patre scientiam creaturarum, & eatenus dici à S. August. esse *de*, &c. non quia ex earum cognitione ortum habuerit; sed particula (*de*) constanter à D. August. posita, responsum eluit.

Respondet tertiò, ibi loqui D. August. de creaturis, vt sunt eminenter in essentia diuina; ait enim: *Nouit omnia in seipso, tanquam se ipsum, & in Filio, tanquam Verbum suum.*

At verò quòd de creaturis formaliter loquatur, constat ex verbis eius: ait enim *Non aliter sciuit creata, quàm creanda.*

Præterea illatio S. August. esset nulla, ait enim. *Quod si minus esset in Verbo, quam in se, non se integrè dixisset.* Certum est enim in essentia esse, antequam Pater intelligatur dicere. Quod verò S. August. dicat. *Nouit omnia in se*, id tantùm contendit, non exire extra se, aut ab alio accipere notitiam; sed in sua potentia omnia nosse. Hinc reddit rationem. *Ideò Patri, sicut esse non est à Filio, ita nec*
137 *nosse. Proinde, tanquam seipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia*; è contra verò de Filio asserit, omnia nosse à Patre; sicuti ab eo est, & allegat id Ioan. 5. *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, quod infra etiam replicat, vt ostendat, se de creaturis loqui, vt factæ, vel factibiles à Patre, & à Filio, virtute recepta à Patre.

Probatur secundò à D. Bonau. *fundam.* 4. ex D. Anselmo *in Monologio à cap.* 28. *ad* 44. vbi ostendit, Deum vnico Verbo suo omnia dicere, & hoc esse perfectissimum respectu omnium creaturarum. Eo loco nituntur Suarez *n.* 6. Tannerus *n.* 17.

Respondet Vasquez, & alij, D. Anselmum loqui de creaturis, vt sunt in Deo eminenter, nam *c.* 34. & 41. ait: *Non esse Verbum creaturarum, quod non est earum similitudo.*

138 Contra: quia S. Anselmus explicat, se loqui de creaturis faciendis, & si non est Verbum creaturarum, nec imago earum; hoc est, quia non est genitum à creaturis, vt aduertit S. Bonau. *ad* 4. & D. Thom. *quæst.* 4. *de veritate, art.* 5. *ad* 2. Suarez *num.* 6. Tanner. *num.* 17.

Respondet Mastrius *n.* 83. & 117. D. Anselmum esse cum Scoto; nam *c.* 30. ait: *Verbum esset, etiamsi non essent creatura.* Ergo non sunt obiectum per se requisitum ad Verbum.

139 Verum S. Anselmus euidenter loquitur de existentia creaturarum, quæ cùm sit contingens, non est necessaria ad Verbum; ait enim. *Sine igitur ille cogitetur, nulla alia existente essentia; siue aliis existentibus; necesse est, Verbum illius coæternum illi esse cum ipso.* An verò ideò, & cognitio sit contingens, disputabo *quæst. seq.*

Probatur tertiò à D. Bonau. *in corpore.* Verbum Dei oritur è cognitione comprehensiua Deitatis: sed talis cognitio est etiam comprehensiua omnium creaturarum possibilium: ergo procedit ex earum cognitione. Maior probatur ex D. August. alioqui Verbum non esset adæquatum scientiæ Dei; ac proinde imperfectum, & multiplicanda essent Verba, nisi primum formaliter esset comprehensiuum. Minor probatur à S. Doct. non potest Pater se comprehendere, nisi comprehendat suam potentiam; atque adeò omnia producibilia, quæ sunt eius obiectum necessarium, sine quo ipsa ignoratur.

Primum responsum, quo nobis gloriantur os obstruere aduersarij; est, argumentum nimis probare; nempè Verbum oriri è cognitione creaturarum, etiam futurarum, quæ ad extensiuam comprehensionem spectat. Ideò extensiuam hanc comprehensionem non requiri, vt Verbum sit adæquatum scientiæ Patris dicentis; sed satis, si adæquet cognitionem Patris intensiuè, pro eo signo, quo generat: tunc autem non habet hanc cognitionem actu; sed postea in tertio instanti naturæ. 140

Profectò Chimæræ sunt: primò enim sequitur, scientiam Patris deduci è potentia reali ad actum per illa instantia naturæ, realiter successiua, quæ sufficiunt ad hoc; nam & multa creata hoc pacto componuntur ex actu, & potentia; etiamsi in primo instanti temporis, in quo sunt plura instantia naturæ: vt docet Scotus relatus *quæst.* 9. producant, vt corpus luminosum, quod statim emittet radium, ignis calorem, &c.

Sequitur secundò, Patrem generatione meliorari, atque cogi expectare generationem Verbi, vt cognoscat omni modo creaturas. Ergo non est primò perfectus; quod Scotistæ vrgent, tanquam grande piaculum, *in disp.* 2. *q.* 4. *de emanatione Verbi* allegati. 141

Sequitur tertiò, Verbum habere cognitionem creaturarum possibilium à se, non à Patre, qui eam in generatione non habuit, nemo autem dat quod non habet; aut sequitur, Verbum, seu Filium genitum esse ignorantem.

Sequitur quartò, Deum Patrem non esse omnipotentem, antequam generet, vel esse ignorantem; quia non cognoscit in se possibilia omnia creabilia à sua virtute, cuius sunt obiectum necessarium.

Respondet Vasq. *n.* 32. comprehendi omnipotentiam, etiam si non intelligantur creaturæ, quia est absoluta; tametsi, vt à nobis percipitur imperfectè; non concipiatur absque relatione ad eas: nil enim est in se potentia Dei, quàm Deum esse in se absolutè perfectum. Ita respondent etiam Scotici. 142

Hæc tamen incassum vrgent; nam, licèt omnipotentia Dei non referatur realiter ad creaturas; non ideò sequitur, posse intelligi sine illis, quæ sunt obiectum eius; atque ideò sunt realiter possibiles, quia à Deo fieri possunt, vt docet D. Anselm. *lib. de casu diaboli, cap.* 12. Sed quia sunt inferioris ordinis, ad eas non refertur: sic enim, tametsi voluntas deliberata creandi mundum non referatur realiter ad mundum, attamen non potest comprehendi absque eo, quod cognoscatur mundus: multò minùs omnipotentia, quæ magis necessariò respicit possibilia, vt fatentur omnes. Cognoscere verò omnipotentiam solùm in genere, vt respicit quidquid in se non implicat, vt sit; profectò imperfectum est; nisi cognoscatur quid sit illud, quod non implicat: alioqui enim non agnosceretur omnipotentia comprehensiuè; quia comprehensio includit cognitionem omnium, non modò, quæ intrinseca, sed etiam, quæ ab eis deriuari possunt, vt asserit, & probat Vasquez *disp.* 53. *cap.* 4.

Idem

143 Idem probo in sententia Scoti 3. *d.*14. *q.*1. vbi docet, tunc rem comprehendi, quando non solùm videtur quicquid in ea est; sed etiam omni modo, quo ex se postulat cognosci, vt cognitio sit adæquata obiecto cognito; atque adeò infinita, si obiectum sit infinitum, at si cognoscas omnipotentiam Dei solùm, vt dicit in genere posse quicquid non implicat, non est infinita; quia adhuc potest augeri: etsi cognoscas etiam ea omnia, quæ potest, non implicantia; alioqui sanè erit cognitio manca: multò magis si cognoscatur solùm, vt perfectio; sicuti volebat Vasquez, erit cognitio confusa: quia perfectio Dei, vt sic continet etiam alias Dei perfectiones, tanquam vnum simplicissimum, vt docet Vasq. *disp.*25. *cap.*1. Igitur cum omnipotentia sit obiectum primarium, neque possit comprehendi absque eo, quòd cognoscatur illius obiectum, quod sunt omnes creaturæ possibiles: sequitur, Verbum de eorum omnium cognitione nasci; neque satis est ad hoc negandum, eò quod non referatur realiter ad eas; hoc enim euenit, quia non pendet tanquam à constituente: quia tamen ex sua perfectione respicit eas necessariò, vt suæ virtuti ineuitabiliter subiectas; ideò nequit perfectio omnipotentiæ comprehendi, nisi videantur ea, ad quæ extenditur. Quod verò grande piaculum hinc nobis inferunt, sequi, vt Verbum è cognitione etiam futurorum producatur, facilè eluam *quæst. sequenti.*

144 Probatvr quartò argumento ad hominem, Verbum producitur ex cognitione omnium, quæ sunt in scientia Patris pro eo signo, quo generat, vt fatentur Faber, Meldula, & cæteri Scotistæ; at in eo signo Deus actu intelligit omnes creaturas: ergo. Minor probatur primò, quia, si per impossibile foret solus Pater; adhuc produceret creaturas, vt testatur Faber *in* 2. *dist.*1. *q.*1. *n.*14. cum Scoto *in* 2. *d.*1. *q.*1. at profectò supponitur, eas pro eo signo cognoscere, nisi produceret res more inanimatorum, quod tanquam absonum obiicit nobis Faber *q.* 6. *adducllus.* Probatur secundò Minor à Lezana, quia repræsentatio creaturarum est essentialis. Ergo est ante omnia notionalia. Ergo ante generationem Verbi. Probatur consequentia, quia creaturæ possibiles habent esse possibile, non à Verbo, sed ab omnipotentia Dei: Ergo non habent ab illo repræsentari.

145 Respondet Mastrius, ad solas probationes Lezanæ, essentialia ad intra præcedere notionalibus, non vt habent ordinem ad extra. Neque sequi, ex eo, quòd creaturæ non pendent per se à Verbo, earum cognitionem præcedere in Patris scientia.

At non soluit meum argumentum, ipsi enim arguunt cum Vasquez, Verbum non produci è cognitione Spiritûs sancti, quia natum esset, etiamsi non esset Spiritus sanctus, qui postea producitur. Igitur sequitur pariter, cognitionem actualem creaturarum, quam habet Pater, non pendere à Verbi generatione, quia etiam si Pater mansisset solus, adhuc habuisset potentiam producendi creaturas, & eas produxisset; ac proinde cognitionem earum perfectissimam habuisset actualem; ni produceret ignorans, quod à D. August. supra, & aliis agnoscitur absurdissimum. Igitur in illo signo priori generatione, Pater vidit creaturas.

146 Probatur quintò à Suarez *n.*19. *argumento* S. Bonau. *in corpore, & ad* 2. *præcipuè.* Verbum procedit ex omni eo, quod in omnipotentia, atque essentia est simpliciter necessarium æque, ac ipsa Deitas. Sed huiusmodi est possibilitas creaturarum: ergo. Minor probatur, quoad possibilitatem physicam. Quod adeò est necessarium, vt eo ablato non esset Deus; est æque cum eo necessarium; at, si Deus non posset creaturas omnes possibiles, quæ non implicant contradictionem; aut eas ignoraret, non esset Deus: ergo. Minor probatur, quia destructa vna perfectione entis simpliciter infinita, fuit ens simpliciter infinitum; at posse omnia, & scire omnia, est perfectio infinita. Ergo ablatis his perfectionibus Deus rueret.

Si dicas cum Scotistis, omnipotentiam dicere posse in omne id, quod non implicat contradictionem, atque adeò dicit non repugnantiam. Tunc sic. Per vos hæc potentia Logica est, quæ dicit non repugnantiam ad esse, quam sanè habent creaturæ independenter ab omni; sed tantum à se, ac proinde Deus secundùm Scotistas potest eas producere, quia ipsæ non habent repugnantiam ad esse: sed talis est etiam necessitas essendi Dei per independentiam. Ergo creaturæ sunt æqualis cum Deo necessitatis: non enim vna negatio contradictionis est maior aliâ.

Respondet Mastrius, quoad possibilitatem physicam non esse æqualis necessitatis; quia potentia Dei est ens absolutum independenter à creatura perfectissimum.

Contra, quia non ex dependentia Dei à creatura arguo; sed ex virtute, & perfectione, è quâ pendet creatura. Præscindamus enim, Deum non posse producere creaturas; profectò clamabunt, auferri illi potentiam, atque virtutem. Similiter, si ignoret eas, auferrur sapientia, quæ est magna perfectio: & ideò ipsi in tantum vrgent cum D. Augustino, Patrem non acquirere alicuius rei cognitionem è generatione Filij, quia supponitur perfectissimus ante generationem, & non fit sapiens sapientia genita. Igitur neque in relatione rationis Dei ad creaturas, aut in aliis, quæ confingunt Scotistæ ponimus hanc æqualem necessitatem, sed in allato obiecto. 147

Quoad alteram partem de possibilitate Logica, in qua Scotistæ constituunt primò creaturarum possibilitatem, laborant Scotistæ, præcipuè Smisingh. *tract.*2. *de Deo vno, disp.*4. *q.*4. qui *n.*99. hanc possibilitatem Logicam ait, nil positiuum importare ex parte creaturæ, sed meram non repugnantiam, atque adeo negationem. 148

Respondet ergo, creaturam secundùm hanc negationem implicantiæ pendere ab eo, seu à potentia Dei, tanquam termino, respectu non mutuo.

At contra, quia ipse Smisingh. *tract.* 3. *de Deo vno, d.*7. *quæst.*3. *num.* 45. & 46. concessit, talem negationem esse in creatura independentem, quæ est doctrina Scoti 1. *d.* 7. *quæst. vn. L.* & *distinctione* 36. *M*; vbi ait: Logicam possibilitatem posse consistere, licèt nulla potentia eam respiceret, & probatur à Mastrio *num.*125. quia dependens, & independens diuidunt Ens reale positiuum, at possibilitas Logica cùm dicat meram negationem, non importat aliquam realitatem positiuam: ergo nequit includere dependentiam à Dei potentia.

Respondet Mastrius *n.* 126. non repugnantiam Logicam importare possibilitatem quandam positiuam, conditionatam tali modo, quod si existeret talis connexio extremorum constitutiua rei, v. g. animalis cum rationali, nulla sequeretur implicantia, & hoc pacto hominem esse Logicè possibilem; hanc verò potentiam explicari quidem per negationem, attamen negatio non est, quia est obiectum diuinæ omnipotentiæ, quæ obiectum positiuum respicit, 149

respicit, quod etiam Vasq. *disp.*104. *c.*5. cum aliis modernis asserit; & licèt intrinsecè in genere causæ formalis ex se ipsis talem possibilitatem habeant; extrinsecè tamen, & principiatiuè illam agnoscunt à diuino intellectu, veluti in genere causæ efficientis, vt docet Scotus 1.*d.*36. & 43. & ita creaturam, antequam producatur in esse cognito à diuino intellectu, nullum esse possibile habere.

150 CONTRA primò, quia supra posuit hoc positiuum dependendentiæ creaturæ, vt est obiectum potentiæ, ex quo sequitur nostra assertio; non posse intelligi omnipotentiam absque creaturis, quæ sunt eius obiectum reale in esse possibili, ne dum physico; sed etiam Logico.

Deinde secum pugnans, hanc dependentiam refert ad scientiam Dei, quæ sanè non facit, vt res intrinsecè non repugnet, sed solùm intelligit eas sic esse. Certè Dei potentià nequit facere id, quod implicat intrinsecè; aut facere, vt non implicet: aut id, quod est abstrahens; fieri implicans, vel non implicans. Nam non implicantia; & implicantia oritur ex intrinseca connectibilitate, vel inconnectibilitate extremorum, puta animalis cum rationali, vt homo Logicè sit possibilis. Quod enim intellectus diuinus agnoscat illam non repugnantiam, nil addit efficienter, neque constituit in esse formali non repugnantiæ (quod Meldula confitetur) creaturam in esse intrinsecè formaliter ab ipsa, & sicut voluntas,

151 cùm decernit producere res, eas supponit non repugnantes: ita cùm eas intelligit non repugnantes, eas iam supponit tales in se per ordinem ad diuinam omnipotentiam; ex quo sequitur, eam dependentiam non à scientia, non à voluntate haberi; sed à se ipsis, vt alibi Scotus, & Scotistæ clamant, præcipuè Mastrius tota *disp.*4. *de voluntate Dei.* Ex quibus perperam hìc infert oppositum; arguens *n.*126. diuina voluntas producit res, vt sunt natura sua producibiles, cum his, vel illis prædicatis, quæ eis ex suis rationibus formalibus conueniunt, & simili modo intellectus Dei res producit ab æterno in esse cognito cum possibilitate, vel impossibilitate adnexa, vt petunt naturæ rerum: ergo falsum est, esse possibile creaturarum Logicum, quod solet dici *esse essentiæ*, non *existentiæ*; esse omninò independens à Deo: profectò ex antecedentibus sequitur consequentia opposita; vt suprà ostendi. Vel si dependentiam dicit ab omnipotentia, quod tamen negat Mastrius *disp.*4. iam sequitur, non posse comprehendi omnipotentiam, quin creaturæ capiantur, quæ sunt eius obiectum.

152 HINC etiam conuellitur alterum fundamentum Scoti deductum ex eo, quòd creaturæ sint obiectum secundarium diuini intellectus, atque adeò non intelligantur in primo signo, cùm intelligitur essentia Contra enim arguit S.Bonau. *in corpore*, & cum eo Suarez *n.*10. Non est assignabile aliquod instans naturæ, in quo illa cognitio terminetur priùs ad essentiam, & potentiam, quà ad creaturas possibiles. Ergo inane est fundamentum desumptum ex ordine obiecti primarij, vel secundarij. Probatur antecedens: quia, licèt essentia sit primarium obiectum, & ratio cognoscendi creaturas; tamen propter connexionem vnico simplici intuitu cognoscuntur essentia, & creatura in ipsa, est enim continentia essentialis necessaria, orta ex eminentiali continentia effectuum in diuina potentia, & intrinseca dependentia creaturarum possibilium essentiali à creatrice essentia. Et hic sanè modus est valde consentaneus diuinæ perfectioni, & simplicitati diuini intellectus, qui tantò simplicior, & perfectior est, quantò ex vi vnius formalissimi actus simul attingit causam, omnesque effectus ex ea possibiles: ergo nullum valet instans naturæ assignari, in quo actus diuini intellectus sit terminatus ad essentiam, & non ad res possibiles extra illam. Confirmatur à D. Bonau. ex Anselmo *in Monologio, c.*31. vbi ait: *Quoniam mens nostra, nec simul, nec vno, & eodem videt se, & alia; ideò alio verbo dicit se; & alio alia, imò aliis; tot enim sunt verba, quot res intellectæ. Summus autem Spiritus in Patre se, & omnia vno aspectu, & eodem cognoscit, & cum intelligit se, & alia cognoscit, vt aliorum principium.*

Ex his deducitur aliud argumentum, quo vtitur Suarez. Si Pater ante Verbi productionem non cognoscit creaturas. Ergo in Patre multiplicantur actus cognoscendi; imò & Verba, quia adhuc intellectus ad alia obiecta est fœcundus. 153

Respondet Mastrius *n.*129. totum hoc argumentum probare, Verbum produci è cognitione creaturarum futurarum. Sed hoc gratum mihi, pro *quæst. sequenti.*

Respondet autem directè, vno actu simplici Deum cognoscere se, & alia; ordinatè tamen quoad obiecta, è quibus primarium est prius intelligibile, quàm secundarium. Et hic ordo decet diuinam intellectionem, ne ponamus Deum omnia promiscuè capere, & inordinatè; neque sequitur multiplicari actus; sed vnus est attingens varia obiecta.

AT argumentum meum nititur profundiùs in ipsorum obiectorum conditione, vt ex eorum connexione simul percipiantur: causa enim, & effectus cum relatiua sint, sunt simul etiam cognitione, ibi enim in diuinis idem seruatur, vt essentia ipsa, vt est causa, sit ratio cognoscendi effectum, alioqui si prius natura realiter est cognita essentia, vt causa, & postea effectus; sequitur, Deum discurrere, vt constat è Scoto, qui docet ad discursum sufficere prioritatem naturæ, quando scilicet vnum, quod est ratio cognoscendi aliud, est priùs cognitum, quod in casu hoc admittit Meldula, qui proinde non bene se excusat dicens; non esse plures actus; si enim illud est primo cognitum prius naturâ, & postea aliud; quomodo non sunt duo actus? ergo discursus est ibi, saltem virtualis ad modum nostræ cognitionis, vt inferebat Suarez cum D. Bonauentura. 154

Respondet cum Scoto 1. *dist.* 39. *N.* esse vnum actum simplicem, sicuti si in oculo meo semper staret idem actus videndi, & mihi prius ostenderetur album, mox nigrum; videbo vtique prius vnum, quam alterum; prioritas tamen se tenet ex parte obiectorum. 155

Hoc exemplum supponit id, quod probandum erat; nempe, si ego video nunc solum album, non autem nigrum; postea nigrum, non autem album; posse esse eundem actum, quod implicat: nam ab obiectis, & successione habetur, distinctos esse actus; vnde discurritur de primò obiecto ad secundum.

Obiicies primò. Sicut Verbum oritur per intellectum ex cognitione creaturarum; ita Spiritus sanctus procedit ex earum amore. Sed amor earum est contingens: ergo & Spiritus sanctus.

Respondetur primò ex D.Bonau. ad argumenta, præcipuè secundum, & quartum, Verbum oriri è cognitione creaturarum possibilium, quæ, sicuti sunt obiectum necessarium omnipotentiæ; ita vt tales necessariò volitæ, & amatæ sunt à Deo, vt vidimus *tract.*1.*disp.*16.*q.*2. Respondebo secundò *quæst. seq.* 156

INSTAT Faber primò, Spiritum sanctum procedere ex amore libero.

Respondetur

Respondetur, eum amorem non esse contingentem; sed necessarium, vt ipse Scotus agnouit, vt ostendam *disp.*10.

Instat secundò. Deus non diligit Iudam Ergo non diligit omnia necessario.

Respondetur, diligere necessariò etiam Iudam, vt obiectum suæ omnipotentiæ.

157 Obiicies secundò. Si cognitio diuina non esset perfectissima, vt terminata ad solam essentiam, sed exigeret extendi ad creaturas; iam Deus non esset satis in se beatus; sed etiam in creaturis: at hoc est contra D. Augustinum *lib. 5. confess.* vbi ait: *Beatus est, qui te, & illa nouit; sed non propter illa beatior.*

Respondetur ex D. Bonauent. *d. 1. art. 3.* per duas quæstiones, beatitudinem haberi in Deo solo, & in eius perfectionibus; inter quas est omnipotentia, quæ habet pro obiecto creaturas. Itaque cognitio creaturarum spectat hoc pacto ad obiectum beatitudinis. Vnde non beatur in creaturis. Sed in sua virtute.

INSTAT Rada. Sequeretur, Deum pendere in esse cognito à creaturis.

Respondetur, pendere à cognitione sui, in cuius potentia sunt creaturæ.

Obiicies tertiò. Verbum ideò formatur, vt res in eo intelligantur, atque adeo cognitio prius terminatur ad Verbum, quàm ad res, quæ in Verbo cognoscuntur. Ergo non producitur Verbum è cognitione creaturarum.

158 Respondetur, Verbum Dei non gigni à Patre ex indigentia, vt sit sapiens sapientia genita; atque adeò non sequitur, eum intelligere priùs Verbum, & in Verbo, vt nos solemus, creaturas. Deinde istæ prioritates, & posterioritates non sunt à parte rei, esto sit ordo originis, vt *à quo*, inter Patrem, & Filium. Per hoc alia Radæ argumenta ruunt.

Obiicies quartò. Si verbum producitur è cognitione creaturarum, sequitur priùs esse creaturas in esse cognito, quàm Verbum in esse reali. Hoc autem est absurdum: ergo.

Respondetur, non esse absurdum, præintelligi notitiam comprehensiuam Patris ante ipsum Verbum, hæc tamen non est prioritas realis.

DICES. Verbum spectat ad obiectum primarium; creaturæ ad secundarium: ergo Verbum prius cognoscitur.

Respondetur, creaturas in esse possibili spectare ad omnipotentiam, quæ est obiectum primarium.

159 Obiicies quintò. Si Verbum procederet è cognitione creaturarum, esset Verbum earum.

Respondet D. Bonau. ad 4. Verbum esse Verbum dicentis, ad quem refertur; cum igitur relatio realis sit ad dicentem personam, ideò non dicitur Verbum creaturarum. Simili ratione Spiritus sanctus non dicitur amor creaturarum; tametsi ex earum amore producatur.

Si dicas, vocari Spiritum Eliæ *Luca* 1. & Spiritum sanctum Danielis *cap.* 12.

Respondet D. Bonau. vocari Spiritum sanctum alicuius ob aliquem singularem effectum, vel influxum in eos.

Obiicies sextò. Geniti ad id, ex quo generatur, est relatio realis, si sint distincta. Sed Verbum est genitum è creaturis distinctis ab eo: ergo realiter ad eas refertur.

Respondet D. Bonau. *ad* 4. quem alij sequuntur, maiorem veram esse de generante, *vt quod*; non de re cognita: iam verò solus Pater est principium *Quod* Verbi. Est igitur Verbum dicentis.

INSTAT Faber. efficiens, & effectus sunt distincta realiter, quia nil efficit seipsum; atque adeò realiter referuntur; at obiectum est realiter distinctum, est enim causa Verbi: ergo.

Respondetur, obiectum non semper distingui à Verbo producto. Verbum enim producitur etiam ex essentiæ cognitione, at essentia de fide est idem cum Verbo ex Concilio Rhem. obiectum igitur neque est principium Verbi, nisi in Patre considerante. 160

INSTAT Faber: Verbum non gignitur de essentia, sed de memoria fœcunda Patris, alioqui diceremus, essentiam esse materiam.

Respondetur primò, nos non dicere, Verbum gigni de creaturis cognitis, vt subiecto, & materia; sed de cognitione, & obiecto, quod materiam non redolet: sic etiam de cognitione essentiæ.

Respondetur secundò è D. Bonau. *hic*, creaturas, vt obiectum diuinæ omnipotentiæ realiter distingui à Verbo; neque tamen sequitur, Verbum referri ad eas realiter, quia sunt diuersi ordinis, relatio autem realis mutua est inter res eiusdem ordinis, vt ait, etiam D. Thom. *q.* 28. *art.* 1. Vnde fit etiam, vt licèt Deus sit causa realis earum, non tamen referatur ad eas realiter, quantumuis distinctas: vt omnes concedunt. Relatio verò *secundum dici* potest esse etiam Dei ad creaturas in habitu quidem ante productionem, actu verò in productione, vt docet Bonau. *hic*.

Obiicies septimò. Verbum non producitur ex intelligentia; sed ex memoria fœcunda: at creaturæ in memoria fœcunda non sunt actu cognitæ antecedenter ad ortum Verbi: ergo. 161

Respondetur primò, negando maiorem, vt dixi *disp.* 2. *q.* 4. & *in hac disp. sect.* 1. *q.* 2.

Respondetur secundò, creaturas relucere in omnipotentia diuina, antequam intelligatur à Patre, nam illa est essentialis ratio obiectiua potentiæ, quæ prior est actibus notionalibus.

INSTAT Faber, actus, quo intelliguntur creaturæ est essentialis ad extra. Ergo supponit productionem ad intra, maximè quia omnia per Verbum facta sunt, etiam secundùm esse intelligibile. 162

Miror, hæc premi à Scotistis, cùm asserant Patrem etiam ante generationem supponi Creatorem. Sic docet Scotus *in* 2. *d.* 1. *q.* 1. vbi Faber *disp.* 1. In hac autem disputatione negant, Verbum oriri è cognitione Spiritus sancti, quia Verbum esset, etiamsi non spiraretur postea Spiritus sanctus.

DIRECTE respondeo, actum, quo intelliguntur creaturæ possibiles, primò esse notionalem ad intra; quo Pater primò subsistens intelligit se comprehensiuè intellectione sanè fœcunda, cùm intellectus fœcundus sit, & obiectum diuinæ omnipotentiæ non minùs sit necessarium, quam quælibet alia Dei perfectio, quod scrupulosè negant Scotistæ. Quoad creaturas verò spectantes ad scientiam visionis, quas è nostra assertione inferunt cognoscendas à Deo ante Verbi generationem, & hoc esse absonum; tum quia est libera circa contingentia; tum quia decretum est à tota Trinitate, atque adeò non potest præsupponi ante Verbum. Dico primò, non sequi illationem: nam scientia de rebus possibilibus est simpliciter necessaria; sicut simpliciter necessariò creaturæ possibiles sunt obiectum omnipotentiæ deinde, esto debeat cognitio comprehensiua extendi ad res futuras, quid ni? sicuti Scotus, & Scotistæ plurimi relati *quæst. præced.* credunt, Verbum produci de cognitione etiam intuitiua Spiritûs sancti, qui tamen non producitur ante Verbum, sed post, ab ipso etiam Verbo; cur non id concedent etiam de visione creaturarum, quæ decernuntur ad esse à tota Trinitate? 163

164 Quòd verò emanatio Verbi sit necessaria, & futuritio creaturarum contingens; nil obest, quia actus ille est necessarius, supposita Dei voluntate, & est ipse Deus, & exprimitur in Verbo secundariò, cùm primariò procedat è simpliciter necessariis, vt dicam *quæst. sequenti.*

INSTAT Faber. Actus voluntatis decernentis creaturas ad esse, est à tota Trinitate: ergo & intellectio earum.

165 Respondetur, etiam intellectionem ordinatam ad productionem earum, & præscientiam, seu visionem, quæ sequitur decretum, esse totius Trinitatis; non verò omnem cognitionem earum; sed fœcunda comprehensiua est solius Patris.

VRGET Faber. Si cognitio simplex creaturarum non esset à tribus; sequeretur, Verbum, & Spiritum sanctum non producere creaturas in esse cognito, & sic inæquales essent Patri.

Respondetur, quod sicuti hæ personæ habent esse à Patre, ab eo habent etiam intelligere creaturas, & reliqua. Porrò illud esse cognitum productum insulsum est, vt dixi *tract.1. disp.13. de scientia Dei, quæst.5.* Imò hoc absurdum sequitur in opinione Scoti, qui *in 2. d.1. q.1.* interprete, & sectante Fabro *disp.2.* asserit. In primo signo Pater producit lapidem in esse cognito: In secundo Filius: In tertio Spiritus sanctus. Ergo iuxta illationem Fabri Personæ diuinæ sunt inæquales; nam in primo signo iam productus est lapis in esse cognito, & in secundo, Filius inuenit iam productum, & ita illa scientia non causaretur à Filio, vel Spiritu sancto: quod apud Fabrum est grande inconueniens, & ab eo assertum. Hæc sanè ossium congeries Scoticum Sceleton compingit, ad terrorem pueris incutiendum.

166 Obiicit rursus Faber è Scoto *q.1. art.2. conclus.1.* Notionale est immediatius essentiæ, quàm essentiale ad extra; at productio Verbi, & Spiritus sancti est notionalis; scientia verò simplicis intelligentiæ est essentialis ad extra. Ergo prius gignitur Verbum, & postea cognoscuntur creaturæ. Maior probatur, quia tale essentiale non conuenit essentiæ, nisi per operationem intellectus comparantis essentiam ad extra: notionale autem conuenit essentiæ ex natura rei absque comparatione intellectus ad extra. Minor patet, quoad priorem partem: quoad posteriorem verò probatur, quia scientia simplicis intelligentiæ includit relationem rationis ad creaturas. Hæc ratio (ait Faber) est euidentissima.

RESPONDETVR, facilè, cognitionem creaturarum possibilium esse ad intra, quia cognoscuntur, vt obiectum intrinsecum omnipotentiæ, quæ est Deo intrinseca; nam posse omnia, adeò est intrinsecum, sicuti omnis alia perfectio Dei. Sunt enim omnes Dei perfectiones idem Deus; atque adeò eodem modo necessariæ: relatio verò rationis nil obest, quia est post rerum possibilitatem; alioqui enim etiam Verbum refertur ratione ad creaturas: neque tamen eius necessitas viriatur. Itaque posse producere omnia est ante notionalia, cùm sit essentiale. Quoad scientiam autem visionis, esto sit post Verbum productum; tamen supposita perfectione omnimoda Patris in primo signo generationis, debet omnia in eo signo comprehendere, ne dicatur postea didicisse aliquid, quod Scotistæ inferunt, tanquam absonum. Profectò debet suam voluntatem comprehendere.

167 Obiicit adhuc Faber cum Scoto ex D. August. *5. de Trin. cap.14.* Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum principium creaturarum. Ergo sunt ante earum esse, atque cognitionem.

RESPONDETVR, res possibiles esse ab omnipotentia, antequam personæ intelligantur; at verò futuras esse quidem à personis, vt Deus; at non implicat, Patrem eas intelligere ante decretum in aliquo rationis signo posterius, dum cognitionem elicit comprehensiuam suæ voluntatis, atque adeò & omnium actuum.

Obiicit præterea Vasquez. Si creaturæ possibiles præcederent modo nostro intelligendi productionem Verbi, ideò esset, quia essentia diuina realem ordinem, & conuenientiam cum illis habet, estque perfectio eius repræsentare creaturas formaliter. Sed hæc nulla est in Deo perfectio, præter eam, quam in se habet Deus absolutè. Ergo repræsentatio illa creaturarum non potest ad productionem Verbi pertinere. Minor probatur, quia nulla est relatio Verbi ad creaturas. Ergo essentia diuina sine creaturis intelligitur infinita.

Respondetur, negando sequelam maioris, quoad priorem partem; non enim ideo Verbum è cognitione creaturarum conceptum asserimus, quia ad creaturas referatur; sed quia creaturarum cognitio pertinet ad perfectionem cognitionis paternæ, qua essentiam comprehendit; neque relatio vlla ad creaturas, Dei perfectio est, sed ipsa possibilitas creaturarum est perfectio diuinæ omnipotentiæ, estque prior omni relatione rationis, & sine vlla relatione à Deo cognoscitur; ipsæ tamen creaturæ possibiles, tanquam obiectum referuntur ad omnipotentiam. Vnde neque necesse est, Verbum ad eas realiter referri.

Obiicit adhuc Vasquez. Si creaturæ essent impossibiles; adhuc tamen Verbum gigneretur. Ergo non spectant intrinsecè ad esse Verbi.

Respondetur, negando antec. non enim esset 168
infinita essentia, atque potentia Patris, atque adeò Verbum productum non esset Deus.

Obiicies cum Pesantio. Productio Verbi est formaliter communicatio essentiæ. Sed essentia Dei non est communicatio creaturarum: ergo Verbum non procedit è cognitione earum.

Respondetur, negando minorem loquendo de essentia, vt includit etiam attributa; est enim potentia creandi, &c.

MASTRIVS omnium acerrimus clamat, argumenta Scoti insoluta adhuc triumphare; miratur verò aliquos Scotistas aliis infirmis rationibus firmissimam sententiam appendere, quas primo refert, & soluit. Mox verò Scoticas diffusè amplificat, omnium responsis suo iudicio prostratis. Hæc omnia videamus.

PRIMÒ quidem refert argumenta Brancasij *lib.3. disp.2. de Deo Trino, d.2. q.6. art.3.* qui voluit esse discipulus supra Magistrum, suasque rationes Scoticis præfert.

ARGVIT primò Brancasius. Cognitio desumit 169
naturam ex obiecto, à quo paritur; sed Verbum oritur è cognitione creaturarum: ergo induit rationem, & naturam creaturæ: & ita erit creatura. Maior est euidens ex *lib. de anima.* Ex cognoscente, & cognito paritur notitia, & notitiæ specificantur ex obiectis è quibus producuntur, è quibus desumunt etiam distinctionem inter ipsas, vt quia cognitio hæc est de pariete, ideò distinguatur ab ea, quæ est de Leone; ingreditur verò productionem Verbi cognitio parietis, Leonis, Apri, &c. Ergo Verbum erit de natura Leonis, Apri, &c. imò, & rerum immundarum; quod absurdissimum est

est in Verbo, quod est imago Patris, candor lucis æternæ, speculum sine macula. Viget: sequeretur, Verbum esse etiam de natura peccatoris, quia peccator, vt talis ingrederetur productionem Verbi. Et concludit. Ecce in quod barathrum ruunt aduersi.

170 Hvic ventroso argumento facilè respondet Mastrius; hæc omnia incommoda ab omnibus subeunda, qui concedunt res omnes possibiles saltem post Verbi emanationem à Deo cognitas. Igitur illa maior intelligitur de obiecto motiuo, non de terminatiuo; seu quando cognoscens accipit cognitionem à re cognita, & tunc neque adhuc induit rationem rei cognitæ realiter; sed intentionaliter tantùm. Eo sensu Aristot. 3. *de anima* docet, intelligentem lapidem fieri lapidem, non physicè, sed intentionaliter. Multò minùs sequitur, inducere moralitatem peccatoris. Quis enim intelligens peccatorem fit peccator? Quod si hæc ita sequerentur; iam Deus, qui peccatores intelligit, fieret peccator, quæ sunt insana. Verbum igitur exprimit similitudines omnium possibilium, eisque repræsentatiua assimilatione assimilatur, vt aduertit S. Bonauent. *d.* 27. *p.* 2. *q.* 1. *in corpore*, ex D. Anselmo *cap.* 31. *Monologij*, & *in quæstione sequenti*, *in corpore*, vbi ideò dicit, Verbum esse similitudinem Patris imitatiuam, & creaturarum exemplarem. Et sic explicat locum 3. *de anima*, *text.* 18. *in* 2. *d.* 7. *p.* 2. *quæst.* 3.

171 Argvit deinde Brancasius: Si Verbum produceretur è cognitione creaturarum, esset principiatum ex eis. Ergo non posset esse earum principium; cùm tamen dicat Ioannes: *Omnia per ipsum facta sunt.* Igitur Verbum esset opus creaturarum, vt inferebat etiam Rada, cui supra respondi; tametsi is minùs inferret, nempe, sequi, creaturas aliquo modo ad generationem Verbi concurrere.

Respondetur ex D. Bonauent. *in corpore*, & *ad quartum*, Verbum agnoscere solùm dicentem suum principium, quippe Pater in se, & à se habet illam cognitionem; tametsi etiam ad creaturas terminetur, neque tamen absonum est, creaturas tali pacto concurrere, eò quòd non ex indigentia Verbi, sed è cognitionis comprehensiuæ Patris perfectione fœcunda id debeatur, quæ omnia exprimere debet.

Sed adhuc hæc ratio, & præcedens facilius eluitur iuxta doctrinam recentiorum, qui libenter fatentur, non posse dici Verbum diuinum procedere è creaturis cognitis, tanquam ex per se obiecto; sed requisito concomitanter ad cognitionem Patris comprehensiuam, vt ait Suarez *n.* 10.

Argvit tertiò. Sequeretur, Verbum esse imaginem creaturarum: etenim oritur ex natura expressa creaturæ.

172 Respondetur è D. Bonau. *in corpore*, negando sequelam, quia ad esse imaginis requiritur emanatio, tanquam à dicente, & realiter generante; vt dicam *sect.* 3. solus autem Pater est tale principium Verbi. Ita etiam respondet Suarez *lib.* 9. *cap.* 9. Mastrius *n.* 81. vbi addit, Poncium afferre aliquas rationes valdè friuolas, principium petentes. Ideò eas spernit. Si eas curiosè appetis, vide *disp.* 10. *à n.* 14.

Obiicit etiam Smiherius *d.* 6. *q.* 11. quia esse cognitum creaturarum est aliquid earum, atque adeò non est independens, sed pendet à Deo, & cùm operationes extra, sint indiuisæ; sequitur pendere à tribus simul personis. Ex quo infert: Tale *esse cognitum* non potest esse ante productionem personarum. Hoc erat etiam Fabri ferè argumentum.

Respondetur, illud *esse cognitum* esse quid creaturæ obiectiuè, quo nulla opus est efficientia erga illas, sed solo actu Patris fœcundo, vt sæpius dixi.

Iam igitur Scoticorum argumentorum admouet arietes Mastrius.

Primvm itaque Scoti argumentum suprà etiam relatum sumitur ex necessitate diuinarum Personarum: sic. Ens infinitum simpliciter necessarium non potest esse posteriùs esse finito contingente. Sed diuina Persona Verbi est ens infinitum simpliciter necessarium: ergo non potest habere esse post creaturas, quæ sunt ens finitum contingens. Hanc rationem fundari in D. Anselmo *c.* 29. *Monol.* asserunt Vasquez *cap.* 3. Meldula *n.* 83. vbi ait: *Sine ergo ille cogitetur, nulla alia ex stante essentia: siue aliis existentibus; necesse est, Verbum coæternum illi, esse cum illo.* 173

Respondet D. Bonau. *ad secundum*, & post eum cæteri, argumentum concludere ad summum de creaturis existentibus, non de possibilibus, quæ sunt obiectum necessarium potentiæ Dei: & quidem de existentibus loquitur clarè etiam D. Anselmus, vt patet. Quod verò *cap.* 33. & 34. loquatur de possibilibus etiam dicens: *Verbum non esse similitudinem creaturarum* (esto) idem asserit D. Bonau. *ad* 4. sed non est idem dictum cum præcedenti. Vnde non rectè aliquid Meldula, aut Vasquez inferunt, & malè Fasolus *num.* 54. nouam responsionem timidus quærit dicens, loqui probabiliter D. Anselmum etiam de creaturis possibilibus; at fore, vt non esset idem Verbum, si è sola notitia Patris, non creaturarum productum esset: tunc enim esset Verbum solum Patris, cùm hoc Verbum sit Dei, & creaturarum Verbum, vt docet D. Anselmus. 174

Contra enim est, quia de Verbo hoc negat D. Anselmus *cap.* 32. 33. & 34. esse Verbum Dei, & creaturarum, vt obseruat Meldula *num.* 84. post D. Bonau. *argum.* 4. *opposito*, quod concedit in responso. 175

Instat Scotus, & asseclæ, esto creaturæ secundum essentiam, vt possibiles, sint necessariæ, tamen magis necessariò est Deus, & magis implicat non esse. Igitur sic arguo. Magis necessarium non pendet in suo esse à minus necessario. Verbum est magis necessarium, quàm creaturæ possibiles. Hoc quis ignorat? Ergo, &c.

Respondetvr à Theologis sacræ Soc. Iesv, creaturas, vt obiectum necessarium diuinæ omnipotentiæ, æqualis esse cum Verbo necessitatis. Sequitur enim per locum intrinsecum, ablata possibilitate creaturarum; non esse Deum omnipotentem, & hæc non est aliqua Dei imperfectio; sed magna Dei perfectio, vt discurrunt Suarez, Amicus, Arriaga, Fasolus, Lezana, & alij cum S. Bonauent. *ad* 2. vbi profectò talem fatetur necessitatem; aliòqui eius responsio satis elueret argumentum.

Scandalosam exclamant Scotistæ hanc veritatem, quia esse Dei, est simpliciter necessarium à se; at esse creaturæ, ab alio.

Hoc tamen est scandalum passiuum, vt colligo è D. Bonauent. *d.* 41. *q.* 1. non enim hæc necessitas est simpliciter ex parte creaturarum; sed ex parte diuinæ bonitatis, & potentiæ; quæ cùm in se sit infinita, debet posse communicari infinitis: alioqui non erit perfectus Deus in se. Sicut enim posse creaturam producere aliam, est perfectio, non rei producibilis simpliciter, sed magis causæ pro- 176

ductiuæ habentis virtutem: ita in casu nostro, vt notat D. Bonauent. *fundamento secundo*. Neque sequitur hinc, Deum pendere à creaturis modo phantastico Scotistarum, vt aduertit S. Doctor ad argumenta, non enim ex aliqua indigentia habet potentiam ad possibilia; sed ob plenitudinem virtutis, & dependentiam creaturarum ab ipso. Ita etiam Amicus *n*.139. & Lezana *ad* 2.

177 ALIO etiam medio vrget Scotus: Prius cognoscitur obiectum primarium, quàm secundarium. Sed essentia, & quæ in ea sunt, habent rationem obiecti primarij diuini intellectus; creaturæ autem secundarij: ergo. Hoc argumentum magnificat Meldula.

Respondetur facilè ex dictis, cognitionem creaturarum possibilium esse circa obiectum primarium, quia est perfectio essentiæ, & virtutis Dei; at esto, adhuc tamen eodem signo debet cognosci possibilitas creaturarum, vt Deus comprehensiuè cognoscatur. Ex dictis responde Longo, vbinam S. Doct. sententiam nostram astruat?

QVÆSTIO XI.

An Verbum producatur è cognitione creaturarum futurarum.

VNVM è potissimis argumentis Scoti ad probandum, Verbum non oriri è cognitione rerum possibilium, vt è cognitione comprehensiua dicatur enasci; erat, debere nasci etiam è cognitio-
178 ne futurorum, quæ ad comprehensiuam Dei cognitionem faciunt; neque satisfaciunt dicentes, scientiam futurorum, non esse nouam cognitionem; quis enim non videt, esse nouum obiectum cognitionis super esse possibile? Ideò conantur communiter, negata illatione, assignare discrimina. Quare non modò Scotistæ; sed etiam Thomistæ, ac Iesuitæ, aliique omnes suprà relati, exceptis perpaucis, initio *quæst*. 10. indicatis, quos referam, negant, Verbum produci è cognitione futurorum. Eos lege locis citatis, vel immediatè sequentibus. E nostris consentiunt Longus *q*.34 *art*.4. Caspensis *disp*.7. *n*.55. Baudunius verò *q*.34. *art*.2. ait, requiri consequenter, & per accidens.

SECVNDA sententia est, Verbum produci etiam è scientia visionis. Ita D Bonau. *in* 1.*d*.27.*p*.2.*q*.2.*ad primum*, vbi asserit, Verbum referri ad creaturas, etiam futuras; quod si de existentibus negare videtur, hoc est, quia Deum non concedit habere nouam cognitionem in tempore; sed omnem ab
179 æterno. Sic exponit, & applaudit Forestus *fol*.521. palinodiam canens priùs dictorum, *fol*.374. vbi contrariam secutus allegabat D. Bonau. *ibi in corpore*. Idem vult D.Bonau. *d*.32.*q*.1 *ad* 2. dum Patrem, & Filium eodem amore, quo se diligunt, qui est notionalis, nos quoque diligere astruit, & licèt addat, quà parte tangit creaturam, & nos; amorem illum essentialem dici; est tamen re vera idem omninò amor cum eo, qui respicit personam, connotans quoddam essentiale, ex quo re vera procedit Spiritus sanctus, vt notat Valentia, *tract. de Trinit. disp*.2. *q*.8. *punct*.1. *ad primum*, & Forestus ibi, vbi suprà. Est autem eadem ratio de processione Spiritus sancti ex amore creaturarum: & de productione Verbi ex earum cognitione, vt omnes fatentur; atque adeò argumenta pro vtraque controuersia currunt, & valent.

Eadem sententia est D. Bonau. *q*.1. *fundam*.1. & aliis locis afferendis, vbi id probat. Eadem est sententia D. Thomæ *q*.34. *art*.3. vbi asserit vniuersaliter, Verbum oriri ex quavis cognitione creaturarum, & *quæst*.37. *art*.2. *ad* 3. vbi cum D. Bonau. ait, quòd sicuti Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantùm Verbum sufficienter repræsentat Verbum, & omnem creaturam; ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu sancto, & sic importatur respectus ad creaturas omnes, & in Verbo, & in Amore procedente. Sic exponunt D. Thomam sectatores huius sententiæ. Gregorius de Valentia, *ubi suprà*, Franciscus Zuniga *tract. de Trin*.*q*.34.*d*.9. *dub*.7. referens alios eruditissimos viros vniuersitatis Salmaticensis. Didacus Ruitz, *disp*.63. *p*.1.3.4. & 5. Arriaga, *disp*.52. *sect*.4. *subsect*.2. qui dicit, esse inter Recentiores vniuersalem; sicuti Valentia asserit fuisse inter antiquos. Subscribit recens Greg. Ferrarius *in cap*.2. *Apoc.epist*.2.*q*.22.

EQVIDEM video multas in ea difficultates; eam tamen probabilem video, ac interim probabilem astruo.

PROBATVR primò à D. Bonau. illis auctoritatibus D.Augustini, & D.Anselmi, quibus Verbum è creaturis possibilibus oriri diximus. Eæ enim auctoritates idipsum de creaturis futuris ostendunt, vt aduersarij quoque aduertunt. 180

Respondet Suarez, voluisse D. Augustinum asserere, Verbum è cognitione quidem creaturarum genitum, non tamen, vt futuræ sunt formaliter; sed materialiter solum.

Contra est ratio, qua id probat S.Augustinus; quia scilicet Verbum alioqui non esset adæquatum, Ergo ex ea etiam cognitione, quæ præcisè est futurorum productum est. Alioqui (infert Arriaga) aduersarij *in præcedenti quæstione* audientes, Suarez hoc testimonio niti ad probandum, Verbum natum è cognitione possibilium, respondere vtique possent, ortum è cognitione possibilium materialiter, non vt possibilia sunt. Hæc tamen illatio non opprimit; nam responderet Suarez, quod non est par ratio: nam si non esset è possibilibus, iam omninò creaturarum cognitio excluderetur; at dum negatur è futuris, vt futuræ sunt, id non derogat; cùm creaturæ iam cognitæ sint aliter, nempe vt possibiles.

Respondet Mastrius primò, Verbum adæquatum esse memoriæ, seu scientiæ Patris habituali, in sententia D.Augustini; sed hoc iam elisum est, *disp*.2. *q*.4. & in hac *disput. sect*.1.*q*.2. 181

Respondet secundò, Verbum nasci consequenter, & de his, quæ sunt in scientia actuali Patris, iuxta modum tamen, quo talis scientia ad obiecta terminatur. Quare cùm in toto ordine naturæ, quo emanationes ad intra complentur, non terminetur ad creaturam actualem, quæ non adhuc est decreta; (cùm decretum sit post emanationes ad intra, & à tota Trinitate firmetur) sequitur, scientiam actualem non terminari ad futura.

Hæc tamen ratio friuola est, tum quia Mastrius concedit, Verbum oriri è cognitione Spiritus sancti, tametsi non intelligatur esse tunc; sed postea à Verbo iam producto procedat, quam ait esse Scoti, & eruditiorum Scotistarũ sententiam. Tum quia omnes Scotistæ conclamant, Patrem in signo generationis præhabere omnem perfectionem, & nihil ei è generatione aduenire perfectionis: perficeretur autem, si expectare cogeretur generationẽ, & spirationem, vt actualem rerum cognitionem habere posset. 182

DEINDE

183 Deinde Pater communicasset Filio scientiam imperfectam, non actualem; & cùm Filius omnia quæ habet, à Patre habeat, & nihil à se, vt dicitur *Ioan.5.* Atque *Matth.11.* & in Concilio Florent. definiatur: *Patrem dedisse Filio omnia, quæ habet, excepta paternitate.* Cùm igitur Pater habeat scientiam omnem actualem etiam futurorum, oportet, vt eam communicauerit Filio, cùm hæc sit perfectio; neque sit paternitas, & verè communicatam esse probatur, quia eam habet Filius. Hoc argumento pressus Meldula concedit, Verbum accepisse hanc scientiam actualem post generationem. At cùm hæc instantia apud Scotistas realia sint; sequitur, Verbum genitum carere illâ perfectione, atque adeò imperfectum, quod falsissimum est, & authoritatibus violentum.

Respondet Mastrius, scientiam liberam non dicere nouam perfectionem Deo additam; sicuti neque transitus rerum à statu possibilitatis ad statum futuritionis per decretum, vllam Deo addit perfectionem.

184 Abstrahamus, & supponamus, Deum cognoscere creaturas tantùm possibiles; & ignorare futuras, nonne hæc esset in Deo imperfectio? Ergo à contrario, est perfectio ea scire. Ideò enim *Isai. 41.* dicitur: *Annunciate, quæ ventura sunt, & sciemus quia Dij estis vos.*

Probatvr secundò ex eodem D. Augustino *tract.21. in Ioan.* ad ea verba: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ facit*, vbi ait: *Dicendo Filio, quod facturus erat Pater per Filium, ipsum Filium genuit, per quem faceret omnia.* Particula sanè (*dicendo*) non meram concomitantiam; sed veluti exproductionem dicit.

185 Probatvr tertiò. Ioan.14. *Verba, quæ ego loquor, à meipso non loquor*, quæ verba D. Bonau. *in commentario*, & *in 1. d.32. dub.6. & 7. litt.* exponit ex Patribus relatis à Toleto, Verbum accepisse à Patre in generatione notitiam, & sapientiam; sed cùm loquatur, quæ audiuit, & loquatur de futuris, vt ibi constat loqui: ergo in generatione accepit hanc cognitionem. Idem argumentum de Spiritu sancto; ex illo; *Cùm venerit Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, non enim à semetipso loquetur; sed quæcumque audiet loquetur, & quæ futura sunt annunciabit vobis.* Vbi D. Bonauent. ex D. August. tract 99. *Ab illo audiet, à quo procedit.* Audire, est illi scire: scire verò, est esse; semper audit cùm semper sit Spiritus: & per hoc, & audiuit: & audit, & audiet. Igitur notitiam futurorum in origine accipiunt: & hoc etiam exprimit Concilium Florentinum suprà.

186 Respondet, Filium aliqua accipere formaliter, vt virtutem spiratiuam; aliqua radicaliter, vt relationem ad Spiritum sanctum. Primò modo accipit scientiam possibilium, quæ nectitur omnipotentiæ. Secundò modo scientiam futurorum, quæ non est ab essentia simpliciter, sed à tribus personis. Contra, quia D. Aug. *lib.83. qq. quæst.63.* relatus à D. Bonau. d.27. p.2. q.2. *Verbum*, ait, *dicere relationem ad creaturas, vt faciendas.* Ergo in sua ratione Verbi habet esse ex cognitione rerum faciendarum.

Probatvr quartò à D. Bonau. *d.27. p.2. q.2. in corpore*, argumento, quo vtuntur Arriaga, Forestus, & alij. Cognitio, qua gignitur Verbum, debet esse comprehensiua vnico actu circumplectens omnia cognoscibilia; sed inter hæc sunt etiam futura: ergo. Maior probatur ex D. August. *15. de Trin. c.13.* nam si Verbum esset ex cognitione non complectente omnia extensiuè, & intensiuè, non esset comprehensiua; atque adeò esset Verbum diminutum, vt aduertit etiam Meldula *num.65.* referens eos, qui dicebant, sufficere, si sit comprehensiua intensiuè. Profectò enim comprehensiua cognitio debet ad omnia extendi. Itaque cognitio futurorum est necessaria ad comprehensionem; vt omnes concedunt.

Confirmatur; nam Verbum etiam nunc gignitur, Psal.2. *Ego hodie genui te.* Sed nunc cognoscit futura: ergo. 187

Hoc argumentum valdè torquet omnes allegatos *quæst. præcedenti* asserentes, Verbum debere produci è cognitione creaturarum possibilium, vt sit è cognitione comprehensiua, neque sit Verbum minutum. Frustra verò diuersitates excogitant. Quod enim illa sit necessaria simpliciter; hæc verò solùm ex suppositione decreti, non facit, quia Deus esset ignorans, imperfectus, si ea nesciret, vt suprà ostendi. Quod etiam dicit Suarez, & alij, non addi perfectionem aliquam cognitione futurorum, quia eædem creaturæ sunt cognitæ iam possibiles, non satisfacit; nam alia profectò est distincta, & addita cognitio, vt suprà ostendi, abstrahendo, quod Deus ea ignoraret. Itaque, licèt creaturæ liberè decernantur ad esse, tamen scientia de iis est necessaria in Deo, vt aduertit S. Bonau. *ad 2.* Quare nec satisfaciunt in hoc disparitatem inuenientes.

Alij etiam concedunt quidem, cognitionem futurorum ad notitiam comprehensiuam spectare: attamen non pro eo signo generationis, vt refert Mastrius, *num.104.* Hi cùm sint Thomistæ, atque concedant Spiritum sanctum concurrere, vt obiectum ad generationem Verbi, à quo postea procedit, non debent conqueri, si etiam creaturæ vt obiectum ad comprehensiuam cognitionem spectans, intelligantur. 188

Imò vrgeo eos argumento D. Bonau. *in corpore*, quod perurget Mastrius, *num.106.* scientia visionis, & simplicis intelligentiæ apud Thomistas est actus vnus simplicissimus è sola diuersitate obiectorum distinctus. Ergo si Verbum producitur ex actu cognitionis possibilium, debet produci etiam ex cognitione futurorum. Neque vlla ratio potest diuersitatis adduci. Quamvis enim decretum productionis non sit necessarium; vt terminetur ad creaturas, tamen necessaria est scientia de futuris, ne Deus censeatur ignarus.

Probatvr quintò à D. Bonauent. *argumento.* S. Anselmi *in Monologio* suprà. Verbum dicit respectum ad id, quod per Verbum dicitur; sed summus Spiritus cum per Verbum dicit se, dicit, etiam omnia, quæ facta sunt: ergo.

Probatvr sextò à D. Bonau. *in corpore, & fundamentis.* Quicquid habet Filius formaliter, habet per generationem. Sed Filius habet exprimere creaturas faciendas, esseque earum exemplar secundùm omnes conditiones futuritionis: ergo. Maior probatur. Quia quicquid habet Filius habet à Patre, vt dicitur *Ioan.14.* Minor probatur à Seraphico *in fundamentis*, ex D. August. *lib.83. qq. quæst.63.* & 11. *confess.* & ad Psal.61. *Semel locutus est Deus.* Confirmatur rursus Minor *in corpore*, à D. bonau. ex D. August. 15. *de Trin. cap.10. & 11.* Quia tunc Verbum dicitur quando mente imago, vel similitudo alicuius rei concipitur Iam ergo in eo sunt exemplaria creaturarum: ergo id ex origine accepit. Vrgeo: Sequitur Patrem pluries locutum noua Verba, quia ad futura cognoscenda fœcundus manebat, post Verbum natum. 189

Obiiciunt

Obiiciunt primò iuncto agmine omnes aduersarij. Si Verbum procederet è cognitione futurorum, esset contingens, non necessarium; sed hoc est absonum: ergo. Probatur sequela. Non est magis necessarium Verbum, quàm principium ex quo producitur. Cùm ergo creaturæ futuræ sint contingentes; erit contingens & Verbum, quod ex eis producitur.

Aliqui Recentes ponunt, Verbum primò productum secundum necessaria, iterum renouari, adueniente scientia futurorum. Sed hi multa subeunt incommoda, quia illud Verbum secundò productum, vel est vnum cum primo: vel non; si vnum; ad quid reproducitur? Deinde erit compositum è necessario, & contingenti. Si sunt plura Verba. Ergo subsistentiæ multæ, personæ plures.

191 Respondet igitur Arriaga, distingui duas rationes in Verbo; alteram necessariorum: alteram contingentium ad eum modum, quo duas in Deo scientias distinguimus vnam, necessariorum: alteram contingentium, quæ sunt ipse Deus.

Hæc sanè doctrina noua est, quia sequetur, dari duo Verba, quod in Theologia est nouum. Itaque iure conqueritur Macedo, *collat.*7. *diff.*1. *sect.*3. illum incorreptum abire.

Respondent alij, cognitionem illam esse necessariam, supposito decreto.

Verùm non soluit: nam necessitas Verbi est simpliciter absoluta; atque adeò non debet pendere à futuritione rerum, quæ potuerunt non esse futuræ.

Respondet Zuniga, cognitionem illam esse alternatiuè omninò necessariam, & debuisse Deum scire creaturas futuras, vel non futuras.

Hoc tamen non soluit: nam futuritio rerum dicit determinationem ad vnam contradictoriam, & ita non est ampliùs cognoscibilis per esse, vel non esse.

192 Ego video argumentum validissimum, quod est S.Doctoris; at dicerem cum D.Bonau.*ad secundum*, certissimè futura in Verbi generatione exprimenda, vt ostendi; ne minus in Verbo, quàm in scientia Patris sit; vt ait S. August. quamvis enim creaturæ liberè exeant à voluntate; tamen intellectus vno actu simplici in vno signo comprehendit suam voluntatem necessariò, ac proinde & decreta, quæ sanè videt dum gignens Verbum comprehendit totam Trinitatem, & si Verbum, & Spiritus sanctus nostro modo imperfecto intelligendi, sint postea cum suis decretis, quæ quoad entitatem sunt ipse Deus; exprimitur verò creaturarum connotatio in Verbo, obiectis necessariis simpliciter constituto necessario; vt sit comprehensiuum omnium rerum, quod Verbo infinito est simpliciter necessarium. Sub hac ratione obiecti, res futuræ ponuntur in natalibus æternis, nedum ad ornatum Verbi, necessariò; non vt liberè decretæ. His soluitur & secundum.

Obiiciunt *num.*2. Posterius non potest esse principium prioris. Creaturæ, vt futuræ sunt posteriores Verbo; nam ab eo, & Patre, ac Spiritu sancto decernuntur ad esse. Ideò & Concilium Syrmiense declarat, verba illa Genes.1. *Faciamus hominem*, esse à tota Trinitate: eodem autem modo Deus decreuit, quo exequitur in tempore. Vrgent. Meritoria opera significantur à meritis Christi ob vnionem Verbi: ergo hæc futura supponunt Incarnationem Verbi, ne dum emanationem æternam,

Respondetur cum D. Bonauent. posteriora non posse esse principium, *Quod*, prioris; at posse esse principium, *Quo*, in esse cognito: sic enim, & Spiritus sanctus est posterior Filio, & tamen secundùm plerosque aduersarios, ex eius cognitione producitur Verbum, quod est principium Spiritus sancti. Cùm itaque Pater in primo signo habeat cognitionem comprehendentem omnia, quid mirum si & posteriora exprimit in Verbo, quod secundùm esse reale ea producit? Sic & domus in esse reali ædificatur è contemplatione sui. Ita Scoticus orbis duobus axibus, vt ait Mastrius, euolutus irregularis ruit; vel à centro recedit. 193

Ex his collige primò, esse priorem in Patre cognitionem rerum, è quibus gignitur Verbum, quàm Verbum genitum: nam cùm Pater non sit sapiens sapientia genita, non gignit Verbum more nostro, vt in eo cognoscat creaturas. Ex quo etiam fit, priorem esse notitiam, quàm Verbum in Patre: de quo S.Bonau.*dist.*17.*p* 2.*q*.3.

Ratio habetur è D. Anselmo *in Monol.* nam Verbum est similitudo expressa è cognitione, seu notitia obiecti. Quod asseruit etiam D. August. *l.b.*15. *de Trin. cap.*10. 15. & 24. & quidem in Deo supponitur notitia perfecta formata; at in nobis formatur perfectè cùm intellectus Verbo informatus est formaliter intelligens; quo fit, vt formaliter sit sapiens notitia genita; in Deo autem non sic, supponitur enim Deus essentialiter absolutè sapiens ante generationem Verbi. Tametsi Filius appropriatè dicatur sapientia, non quia per eam fiat Pater sapiens; sed quia Verbum gignitur per intellectionem: vt dixi, *disp.*2.*quæst.*4. tamen Pater non est sapiens sapientia genita; vt docet D. Aug. 6.& 7.*de Trinit.c.*1. Concludit autem S.Bonau. priùs esse sapientiam, quàm Verbum. 194

Si dicas Eccli.1. dici: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.*

Respondet S. Doctor, Verbum Dei extra esse principium creatæ sapientiæ, erudiens nos. 195

Si dicas secundò. Potentia est prior sapientiâ, ex Richardo de Sancto Vict. sed Verbum est operatiua potentia ex D. August. *lib.*83. *qq. quæst.*63. ergo est prius sapientiâ.

Respondet S.Doctor, Verbum essentialiter quidem esse omnipotens, sicut Pater; operatiuam verò potentiam appropriari Patri formaliter: Filio autem dispositiuè, quatenus ad operandum rationabiliter necessaria est sapientia, quæ Filio ipsi appropriatur.

Si dicas tertiò, sapientiam esse habitum: verbum verò esse speciem expressam ex actu, qui prior est habitu.

Respondet S.Doctor, sapientiæ habitum fieri ex actibus intellectionum in nobis, qui sapientiam acquirimus per actus frequentatos; at in Deo res se habet è contrà, quia Verbum conceptum non reddit Patrem sapientem, sed à Patre accipit sapientiam. 196

Hinc soluit difficultatem aliam. Cur Verbum propriè dicatur de Filio; sed sapientia appropriatè: nam sapientia dicit intuitum intellectionis; atque adeò non dicit relationem; ideò non dicitur propriè: at Verbum, & Imago dicit conceptum expressum ex vi conceptionis repræsentans parentem. Ideò dicitur propriè Verbum, & Imago, secundùm quam rationem dicit realem respectum ad principium, *Quod*, parentem.

Colligit secundò S. Doctor, Verbum dicere respectum, non quidem realem ad creaturas. 197

Quod

Quod referatur conſtat; eſt enim ſimilitudo expreſſa, etiam è creaturis. Similitudo quidem exemplaris, etiam in ordine ad creationem earum: vnde Filius eſt *Ars* Patris, vt ait D. Auguſtinus. Vnde etiam Verbo attribuitur, vt ſit ſapientia creatiua, & potentia operatiua, modo dicto. Ad creaturas quidem poſſibiles, ſeu producibiles dicit reſpectum, quaſi habitu; vt ait S. Doctor, & aptitudine, & ratione ſapientiæ, & virtutis refertur ſecundùm eſſentialia; at, vt ſimpliciter ſimilitudo expreſſa, dicit reſpectum ſecundùm propria.

Hunc autem reſpectum non eſſe realem, probatur à D. Bonau. ratione, quâ omnes nituntur Theologi, quia Deus à nullo extra dependet. Eſt igitur reſpectus rationis fundatus in virtute, ſapientia, & ratione etiam Verbi expreſſiua; atque adeò ratione partim eſſentialium, partim perſonalitatis. Vide Foreſtum, *fol.* 377. Profectò relatio realis mutua eſt inter res eiuſdem ordinis.

Adde aliam rationem D. Bonau. quoad creaturas poſſibiles, & futuras: cur non referatur Deus ad illas, quia ſcilicet non ſunt; terminus autem relationis realis debet actu exiſtere. Sic arguit Scotus, cum D. Bonauentura.

SECTIO III.

De Filio Dei, vt eſt Imago.

QVÆSTIO I.

An ratio imaginis reperiatur in Diuinis.

D. Bonau 1. d. 3. p. 1. & diſt. 31. p. 1. & in 2. diſt. 16.
D. Th. q. 35. art. 1.

IMAGO dicitur, quaſi imitago, vt docet D. Bonauent. *diſt.* 31. *p.* 2. *q.* 1. quia imitatur *Prototypon.* Duas conditiones ad imaginem perfectam exigunt communiter cum D. Bonau. *locis citatis*: altera eſt, vt totum *prototypon* imitetur: hinc imitans partem, v.g. pedem, non imago dicitur, ſed veſti-
198 gium; vel in aliis quid ſimile. Altera conditio eſt, vt ſit à *prototypo*, ordinataque ad ipſum repræſentandum. Ideò D. Auguſt. *lib.* 83. *qq. q.* 73. & 74. ait, ouum ouo ſimile eſſe, non tamen eſſe alterius imaginem, quia ex ipſo non exprimitur; nec eſt ad illud repræſentandum apprimè productum.

Duplex eſt autem Imago. Altera ſecundùm naturam; ſic filius Adæ dicitur imago Adæ, *Geneſ.* 5. quia eſt ſimilis ei in ſpecie atoma, vt aduertit S. Bonauent. *diſt.* 3. *q.* 2. *ad argumenta.* Perfectiſſima autem erit imago, ſi eandem naturam habeat cum ſuo principio. Talis eſt Filius Dei. Altera verò imago eſt ſecundùm ſpeciem externam, vt imago Herculis, quæ licèt effectiuè ſit à pictore; eſt tamen exemplariter ab Hercule. Ad hanc reducitur etiam Verbum noſtrum, quod ſecundùm expreſſionem tantùm, non ſecundùm naturam imitatur obiectum.

Assero, in diuinis eſſe propriè rationem imaginis.

Probatvr à D. Bonau. 1. ex illo Sap. 7. *Candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius*, vbi Gloſſa: *Et plena repræſentatio bonitatis eius.* Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis.*

Probatvr à S. Bonau. etiam in 3. *diſt.* 10. *art.* 2. 199
quæſt. 2. *ad quartum*, ex 8. Rom. *Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Idem habet, *diſt.* 11. *q.* 2. *fundamento* 1.

Adde particulam illam Sap. 7. de Filio Dei *Speculum ſine macula*, qui locus Filium Dei imaginem indicat. De eo autem exponitur à D. Bonau. ibi cum D. Clemente Papa *epiſtola* 1. *ad Iacobum.* Euariſto *ad Epiſcopos Afros*, in Filio enim Pater ſuam faciem contemplatur. Adde Concilium Epheſ. 1. *in confeſſ. fidei*, vbi Filium Dei vocat imaginem, & characterem. Alludit autem ad id Hebr. 1, *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura.* Græcus habet: *Character ſubſtantiæ eius.* Ideò D. Cyril. *lib.* 1. *de recta fide*, ad Theodoſium, ait: *Imaginem, & characterem illum appellant ſacræ litteræ.*

Iiſdem authoritatibus probatur à D. Bonau. *lib.* 1. 200
Compendij Theologicæ veritatis, cap. 6.

Probatvr etiam à S. Doctore *in* 2. *d.* 16. *quæſt. vlt. ex* 1. *Hebr.* vbi Filius dicitur: *Figura ſubſtantiæ Patris*; nam & Concilium Nicænum, & Patres quam plurimi imaginem, & figuram pro eodem accipiunt, atque aiunt, exprimere diſtinctionem Filij a Patre. Tandem eſt vniuerſalis Patrum conſenſus; quos refert Foreſtus, *fol.* 383. & *ſequenti.*

Quare incautè Durandus 1. *d.* 28. *q.* 3. Imaginem ad Deum impropriè tranſlatam muſſitauit. Hoc verò eius dictum ſequenti quæſtione adhuc validiùs elidam.

QVÆSTIO II.

An Imago ſit propria Filij Dei.

D. Bonau. 1. d. 31. p. 2. q. 1. & 2.
D. Th. q. 35. art. 2.

DVRANDVS, nuper adducto loco, aſſerit, non minùs Spiritui ſancto, quàm Filio conuenire rationem imaginis in diuinis; vtrique verò impropriè.

Omnes tamen Theologi cum Sanctis Doctoribus aſſerunt; imaginem eſſe filij proprietatem.

Probatvr primò à D. Bonau. allegatis, *quæſt. præcedenti*, auctoritatibus, quibus ſoli Filio imago adſcribitur.

His addit S. Doct. *ad* 14. *Ioan.* illud: *Philippe,* 201
qui videt me, videt & Patrem; quia ſcilicet eſt Imago Patris, vt notat ex D. Auguſt. *tract.* 70. & Cyrillo *lib.* 1. *Theſauri, cap.* 1. qui imaginis ponunt rationem in conſubſtantialitate. Vnde, & idem Cyrillus *epiſtola* 10. *approbata in Concilio Epheſ.* ait: *Propter eandem, quam cum illo habet eſſentiam & imago, & character, & ſplendor perſonæ illius eſt.*

Idem oſtendit S. Doctor teſtimoniis aliorum Patrum; præcipuè D. Auguſt. 7. *de Trinit. cap.* 3. Hilarij *lib.* 7. *de Trin.* Richard. de S. Vict. *lib.* 6. *de Trin. cap.* 19. Ruperti *lib. de Trin. cap.* 2. Ambroſ. *lib.* 2. *de fide in Proœm.* ex Græcis D. Athan. *ſerm.* 4. *contra Arrianos*, & *de Decreto Synodi Nicenæ.* Videtur probari tertiò à S. Doct. *in Compend. Theolog.*
loc. cit. & *in* 2. *diſt.* 16. *dub.* 3. ex illo Geneſ. 1. *Facia-* 202
mus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Chaldæus: *Sicut imago noſtra*, vbi aduerte, loqui Patrem, & videri vocare imaginem relatam à ſe ad creandum hominem; & licèt moneat D. Auguſt. *lib.*

lib. de Genesi imperfecto, non dicere ad *imaginem meam*; sed *nostram*, atque adeò Trinitatis, vt exponunt Patres infra adducendi, quibus subscribit S. Bonauentura. Aduerte tamen Hilarium, *5. de Trinitate*, Fulgentium, *lib. de fide ad Petrum*, *c.1.* Chrysost. *homil.8.in Genes.* Basil. *homil.10.Hexaemer.* August. *7.de Trin.c.6.* & *lib.3.in Genes.cap.19.* dicere, Deum, vt vnum in tribus, se imaginem appellare; sed ibi sumunt pro exemplari. Sic & 1. *Corinth.11.* dicitur: *Vir imago Dei*, vt infrà in fine *ad primum.*

FATEOR, aliquos Patres Græcos vocare nonnunquam imaginem Filij Spiritum sanctum, vt aduertunt *hic* Sancti Doctores. Sic D. Basilius *lib.5. contra Eunom.cap.12.* Damascenus 1. *de fide, cap.18.* Gregorius Thaumaturgus *in confess.fidei*, quæ extat apud Gregorium Nyssenum in vita eius, Athanasius *ad serapionem.* Sed imaginem latè accepere pro similitudine, vt aduertunt Tanner. *disp.4.q.4.dub.2.n.25.* Vasquez *disp.45.n.5.* & alij cum D. Bonau. *ad 1. quæst.2.*

203 PROBATVR quartò à S. Doct. *quæst.1.* ratione *in corpore*, quam vnicam fatetur, eamque sibi arrogat Vasquez *cap.3.* & *5.* propositis, & exsibilatis aliis S. Bonau. rationibus; cùm tamen hæc à S. Doct. afferatur, *quæst.2.* ratio propria pro hac assertione, eamque repetat *loc. cit. Compendij.* Est autem hæc: Imago non est quæcunque similitudo; sed ea solùm, quæ est expressa ad repræsentandum, vt docet D. August. *lib. imperfecto de Genes. ad litt. cap.16.* & *lib.5. q.q. super Deuter. quæst. 4.* & *lib.83.*

204 *qq. quæst.74.* Quare imago debet habere originem ab eo, ad quod repræsentandum producitur; siue imitetur imaginatum in natura, vt Abel Adamum: siue in extrinseca figura, vt statua Cæsarem. Debet autem esse ad hunc finem expressa ad repræsentandum. Cùm igitur Verbum diuinum sit similitudo Patris expressa per intellectum, vt Verbum illius. Ergo est expressa similitudo ad repræsentandum id, à quo procedit in esse intelligibili, & obiecto per se. Cùm igitur hoc modo repræsentet Patrem, & ex illo hoc modo procedat; erit illius imago. Sic autem procedere ostendit, *dist.27. p.2. q.1.* nam intelligens seipsum, concipit sui imaginem, quæ est Verbum, vt docet D. Anselmus, & D. Augustinus ibi allegati. Aduertit tamen S. Doctor, quòd quamvis imago sit etiam artefacta, qualis est pictura, aut sculptura; tamen imago naturalis procedit per generationem viuentis à principio intrinseco. Sic enim oritur ex natura sua ad genitorem repræsentandum: & talis est Filius similis in natura consubstantialis, & in fœcunditate spiratiua, quam etiam Patri exhibet in se expressam. Ea autem connotatur Spiritus sanctus, vt docet D. Bonau. quem ideò immeritò reprehendit Vasquez, *num.16.* Quis enim non videt, fœcunditatem spiratiuam Patris communicatam Filio; in eaque expressam connotare relationem ad Spiritum sanctum; tametsi ab eo non procederet? aliud enim est connotare relationem, aliud referri realiter, quod Vasquez confundit. Quod verò Spiritus sanctus non sit imago; sequitur, quia non nascitur vt Verbum.

205 Ex his habes, ineptam esse posteà rationem Vasquez ad excludendum Spiritum sanctum à ratione imaginis, scilicet, quia nulli repræsentat intelligenti, à quo procedit, vt hîc ostendi, *dist. 2. q.5.* vbi eius dicta, quæ Seraphicum oppugnabant, contriui.

IGITVR in sua ratione Vasquez nil solidi superaddit rationi Sanctorum Doctorum, vt ibi notaui.

PROBATVR ergo solidè argumento S. Bonau. 206 *q.1. in corpore*, & *in Compendio*, *loc. cit.* Imago est similitudo ab aliquo expressa ad repræsentandum totum; at Verbum est huiusmodi: ergo. Minor probatur a Seraphico *in fundamentis*, & *in corpore*, vbi ait: *Quia Verbum nascitur simile Patri in natura ex vi suæ processionis.* Maior patet ex dictis, *q.1.* & declaratur à S. Doct. *dist.13. citata*, quia similitudo, & processio ad imaginem requiruntur, vt ait D. August. *locis adductis.* Ibi affert S. Doct. exemplum de Abel, & Seth, qui dicuntur imagines Adæ. Vnde Verbum non est solùm imago, quatenus Verbum intellectuali modo repræsentans omne id, ex cuius cognitione oritur: nam hoc modo esset imago Spiritus sancti, & creaturarum; ex quorum oritur cognitione; sed vt gignitur Filius in natura eadem ad repræsentandum: hæc enim est ratio naturalis imaginis; quamvis oriatur *Filius* 207 *mentis*, quod in nobis identitatem naturæ, & consubstantialitatem non inducit. Igitur consubstantialitas nata ad repræsentandum ex vi generationis est ratio imaginis in Filio, vt notat S. Bonau. *in corpore.* Quòd verò ex perfectione illa emanandi intellectualiter repræsentet, non sufficeret ad perfectissimam imaginem, si aliàs formalis similitudo non intercederet: nam propria similitudo fundatur in conuenientia, seu vnitate formali. Vbi ergo non est hæc conuenientia, neque est similitudo. Ergo neque propria imago; quia, vt docet D. Augustinus, similitudo est de intrinseca ratione imaginis. Ratio igitur imaginis in Filio est; quia est genitus naturaliter à viuente intellectiuo, vt Verbum mentis, expressiuum dicentis. Vide S. Bonau. *loc. cit.* & Suarez *lib.9.c.8.*

PROBATVR igitur à D. Bonau. *q.2. in corpore*, 208 eadem ratione, qua vtitur S. Thom. Ei conuenit ratio imaginis inter Personas diuinas, qui oritur ex vi naturæ similis suo principio. Sed Filius, non Spiritus sanctus, oritur hoc modo: ergo. Est ratio etiam Alensis *1.p.q.43.memb.1.* Richardi *d.13.art.3. q.3.* & hoc mihi suadet, esse rationem genuinam etiam D. Bonauenturæ, qui est Alensis discipulus, & Richardi Magister; tametsi Vasquez neget esse eandem cum ratione D. Thomæ. Igitur quoad substantiam est eadem ratio horum omnium.

Arguit Vasquez contra hanc rationem: nam etiam Spiritus sanctus ex vi suæ originis est similis Patri in essentia. Ergo erit imago Patris, si ratio imaginis in hoc collocatur.

PRO solutione, sciendum e D. Bonau. *hîc*, & *d.13.* 209 *q.2.* ac *D. Thom. q.10. de potentia, art.2.* Intellectum ex vi propria producere simile, ideò in natura perfectissima necesse est, vt fiat in similitudine perfectissima secundùm essentiam; at verò natura voluntatis est, vt producat amorem, non autem similem amanti; ideò talis processio etiam in natura perfectissima non exigit, vt id, quod procedit, procedat simile in natura; sed vtrumque in diuinis euenit ratione subiecti, vt producat simile; & simile in natura producenti, quia scilicet ipsa processio est infinita, & in Deo existens. Contra quam rationem sic explicitam, nullam habent vim instantiæ Vasquez, quamvis operosè multiplicatæ, vt aduertit Tanner. *disp.4.q.2.dub.3.n.1.* Eandem rationem eodem ferè modo tuentur Caietan. *q.27.art.4.* & *q.35.art.2.* Ferrar. *4.contra Gent.c.11.* Nazar. *q.27. art.4.controu.1.* Valentia *q.1.p.4.* Molina *q.27. art.4.* Suarez *lib.11. c.5.*

Huic

210 Huic autem rationi solùm addit Vasquez ordinationem ad repræsentandum; sed hæc in ratione Filij, & Verbi, vt gignitur simile, ex vi suæ originis continentur, vt dixi cum D. Bonauentura.

Alias rationes affert S. Bonau. quas vocat meras congruentias.

PRIMA est è Richardo de S.Vict. *lib.6. de Trin. c.19. & seq.* Imago in diuinis debet esse perfectissima: ergo est vnica; nam debet habere totam rationem imaginis, alioqui si alia est necessaria, iam hæc non erit sufficiens. Perfectè autem repræsentat, non modò essentiam; sed etiam fœcunditatem spiratiuam.

Contrà arguit Vasquez cum D.Thom.*q.35.art.2.* quia in diuinis non attenditur similitudo secundùm proprietates, sed secundùm naturam; quod si attenderetur secundùm proprietates, non esset maxima similitudo, cùm proprietates Patris, & Filij sint disquiparantes.

Porrò, imaginem debere esse vnius, vnde nam constat? si duos perfectè repræsentet, ac quemlibet illorum.

211 Arguit etiam Suarez *lib.11. cap.6.* quia si ratio imaginis sumatur à notionalibus, non erit imago, quia neque est Pater, nec virtutem accipit generatiuam: spiratiua verò fœcunditas est dissimilis; nam in Patre est Paternitas; at in Filio est filiatio.

Respondetur, sumi posse à proprietatibus, quia, licèt Filius non sit Pater; est tamen speculum, in quo relucet paternitas, vt terminata, & completa; imò constituta in esse perfecto relatiuo. Ideò dicitur Ioan.14. *Qui videt me, videt & Patrem meum,* vt explicat Cyrillus *lib.1.Thesauri,c.1.*& ideò obseruat S.Doct. *ad cap.7. sap.* cum D.Ambros. *lib.1. de fide, c.14.* dici *speculum*, quia in eo videtur Pater. Et alij Patres vocant filium faciem Patris; sic explicant id Psal.138. *Quò à facie tua fugiam.* Vide Athanas. *lib.5. de vnica substantia Trinitatis.* Cyrill.*lib.5. Dial. de Trin.* Nyssenum *lib. de differentia essentiæ, & hy-*

212 *postaseos*, vbi ait: *Filij hypostasis, quasi forma, & facies est, qua Pater cognoscitur*, & D. Athanasius *oratione 4. contra Arrianos.* Cyrillus *lib. 3. Thesauri, cap.1.* ea verba Ioan. 5. *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius vnquam audistis: neque speciem vidistis.* Dicunt autem, Filium esse speciem, & vultum Patris. Et D. Gregorius Nyssenus *lib. de Trin.* ait: *Videre licet, non aliter hypostasim, siue personam Patris, nisi quis per characterem in eum intuitus fuerit*; vbi alludunt ad id Hebr.1. *Cùm sit splendor Patris, & figura substantiæ eius.* Græcè *character*: Vnde Concilium Ephes. vocat Filium imaginem, & characterem. Clarè D. Cyrillus lib.3. in Ioan. cap.29. *Neminem, ait, esse arbitror, qui rebus ipsis compulsus non concedat, characterem sigillum signare, & absque charactere signare non posse.* Quoniam igitur Diuina Scriptura testatur, characterem *hypostaseos* Dei Patris Filium esse, quia in ipsa, & ex ipsa est naturaliter, quo alio charactere Pater Filium suum

213 signauit? Igitur sicut Filius inter nos dicitur imago Patris; quia similis in facie; simili modo simplicissimo potest dici Filius Dei, vt terminus paternitatis, modo dicto.

Ad id, quod quærit Vasquez; iam dixit S. Bonau.imaginem ideò debere esse vnam, atque vnius, quia infinita, vt dixi.

Ad alia dico, Filium imitari Patrem in fœcunditate spiratiua, quæ non refert, quòd sit in ratione filiationis inclusa; imò hoc facit ad rationem imaginis, vt sit accepta à Patre, neque est omninò idem cum filiatione, sed virtualiter distincta; quod si esset filiatio, non esset etiam in Patre; & si esset omninò paternitas, non esset etiam in Filio, cùm tamen clarè constet esse vnam in vtroque, eò quòd sunt vnum Spiritûs sancti principium, vt definitur in Concilio Lugdunensi. 214

HINC habes, rationem imaginis conuenire Filio, ratione essentiæ, & fœcunditatis spiratiuæ, atque relationis, qua terminat *prototypon.*

HABES etiam, eandem esse proprietatem filiationis, imaginis, ac Verbi, licèt aliquid connotetur vnâ, quod non connotatur aliâ. Filius enim dicit solam relationem procedentis ab alio per generationem: Verbum verò dicit conceptum intellectûs, & connotat respectum ad Spiritum sanctum, modo suprà dicto contra Vasquez; & dicit respectum rationis ad creaturas. Imago verò ad filiationem se habet, vt commune ad particulare: nam filiatio est vna è speciebus imaginum; est enim triplex species imaginum. Naturalis, vt Filius; intellectualis, vt Verbum; artificialis, vt statua, vel pictura. Vide Suarez *lib.9.cap.8.* & Forestum *fol.380.* cum D. Bonau. *dubiis litteralibus, dist.16. secund. sent.* 215

Obiicies primo illud Genes.1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, vbi Hilarius *4.de Trin.* Beda ibi, & alij Patres dicunt, dici imaginem Dei: ergo absolutè. 216

Respondent SS. DD. non admodum propriè Sanctos Patres accepisse nomen imaginis, sed exponendum, vt passiuè sumatur, ac sensus sit, Creatura est imago Sanctissimæ Trinitatis, itavt Sanctissima Trinitas sit Imaginata vel Exemplar, ad cuius similitudinem factus est Homo, qui cùm imitetur essentiam in tribus personis, est imago Sanctissimæ Trinitatis. Vide S.Doct.*2.d.16. dub.3. litt.* sic autem ex hoc loco S.August. *lib.7. de Trin. in fine*, Cyrillus *lib.1. contra Iulianum*: & *lib.1. Thes. cap.2.* Hilar.*5.de Trin.* Fulgentius *lib.1. de fide ad Petrum, cap.1.* Athanas.*de vna Deitate, lib.1.* & *Dial.1. contra Anomæos, & contra Gregales Sabellij*, Chrysost. *serm.de Trin.* colligunt, Hominem esse ad imaginem Sanctissimæ Trinitatis.

VIDETUR tamen aliqua ratione speciali Homo ad imaginem Verbi, idest Filij, qui cùm sit imago adæquata naturalis Patris, sic videtur homo participare de ratione imaginis; sicuti, licèt per gratiam fiat homo Filius per adoptionem Sanctissimæ Trinitatis, quæ operatur ad extra indiuisè nostram sanctificationem, tamen ex participatione Filij Dei constituimur Filij Patris, & fratres Christi per quandam appropriationem. Hoc sensu videtur locutus Clemens Alexandrinus *oratione hortatoria ad gentes*, dicens: *Est Dei imago Verbum, & Filius: sic Verbi imago Homo*, & D. Athanasius *oratione 2.* contra Arrianos: *Non enim alterius erat coniungere hominem cum Spiritu sancto, quàm tui ipsius, qui es Imago Patris, ad quam ab initio creati sumus.* Et Paulus Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui*, vt aduertunt S. Cyrillus *lib.1. contra Iulianum*: Hilarius, Theodoretus, & alij ibi, & S. Bonauent. *1. dist.3. p.2. quæst.1. ad quintum.* 217

Obiicies secundò. Idem est imago passiuè, quod actiuè

actiuè exemplar : at hoc in diuinis dicitur essentialiter : ergo.

Respondet S. Doctor, negando maiorem, nam exemplar dicit rationem principij ad extra, quare toti competit Trinitati : Imago verò rationem producti etiam ad intrà.

Obiicies tertiò. Ratio imaginis consistit in repræsentando non solùm vnitatem, sed etiam distinctionem : at in vna persona, putà Filio, qui dicitur imago, non est distinctio : ergo non est imago.


Respondet S. Doct. veram maiorem de imagine rei habentis vnitatem, & distinctionem, & ordinem plurium. At Filius est imago Patris, qui non habet distinctiones. Homo sanè, qui est imago Trinitatis debet habere vnitatem essentiæ, & distinctionem potentiarum, atque actuum (sicuti in Trinitate est vna essentia in tribus personis distinctis) multiplicatis actibus intellectûs, & voluntatis. De imagine creata agam, *tract. de Anima.*



DISPVTATIO X.

De Spiritu sancto.

INTELLECTVS Seraphicus desideratur ad Spiritum sanctum Amorem exponendum. Arduum est sanè de Patre, & Filio recondita pandere arcana; vt non immeritò exclamet Vates : *Generationem eius quis enarrabit* : Magis tamen difficile de Spiritu sancto disserere; vt ideò Ægyptij sapientes in tertio signo deficientes conclamarint : *Digitus Dei est hic.* Opus aggredior, Seraphini nostri vestigiis firmiter insistens.



SECTIO I.

De tertia Persona Diuina, vt Spiritus sanctus est.

QVÆSTIO I.

An Spiritus sancti nomen sit tertia Personæ Diuinæ proprium.

D.Bonau.d.10.q.1. art.1.
D.Th.q.36.art.1.

1 MVLTAS acceptiones Spiritûs tradunt Sancti Doctores : aliquando enim significat impulsum, aut iræ, vt Isaiæ 3. *Spiritus eius velut torrens*, aut *Procellarum spiritus dicitur*, aut *Ventus.* Aliquando inspirationem, Iob 32. *Inspiratio omnipotentis dat intellectum.* Aliquando prout opponitur simpliciter omni rei corporeæ : & sic Deus, Angeli, & Animæ spiritus vocantur : *Veni spiritus à quatuor ventis.* Ezech.37. *Inspirauit spiritum vitæ.* Genes.2. *Qui facis Angelos tuos spiritus.* Psal.101.& Hebr.1. *Deus spiritus est.* Ioan.4.

Quamvis autem tres Personæ diuinæ sint Spiritus sancti, tamen hoc nomen *spiritus* notionaliter iam accipitur ad significandam tertiam Personam diuinam, vt docent SS.Doctores *hic*, & cæteri. Cùm enim nos à creaturis vocabula emendicemus, & ad ostendendam emanationem huius personæ non habeamus in creatis exemplum, eam processionem vocamus *spirationem*, & personam procedentem, *Spiritum sanctum.*

ASSERO, nomen Spiritus sancti, esse nomen tertiæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis.

PROBATVR à D. Bonau. & D. Thom. spirare dicit quendam impulsum affectus, siue amoris, siue alterius affectionis è corde, & est actus vitalis internus impellens voluntatem amantis in amatum : sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia ergo Persona tertia procedit per actum amoris, quo Deus amatur, conuenienter dicitur *Spiritus sanctus* : at Filius; quia emanat per generationem naturalem, circa quam non attenditur sanctitas inter nos. Ideò habemus quidem nomen ad significandam eius emanationem, quam vocamus *generationem*; personam verò appellamus *Filium*, non tamen illi adnominamus sanctitatem; tametsi sanctus sit, non minùs quàm tertia Persona. Ambas tamen personas non nominabimus cum Patre tres Spiritus sanctos; quia substantiuum nomen *Spiritus* significaret tres substantias, vt notauit Tannet.*disp.4.aub.5.q.4.n.3.* 2

PROBATVR secundò : nam conuenientes in voluntate dicuntur conspiratores. Pater autem, & Filius conspirant voluntate ad producendum, hunc amorem : ergo. Est ratio D.August.15.*de Trin.c.*19. & ferè D.Thomæ *hic.* 3

Obserua primò locum illum Ioan.3. *Spiritus vbi vult spirat*; assumi à S. Doct. ad flatum venti significandum, iuxta expositionem Chrysostomi *homil.*25. *in Ioan.* Cyrilli *lib.*2. *cap.*24. Dionysij *de cælesti Hier. cap.*15. Authoris *qq. noui Testamenti*, qui putatur August. *quæst.*59. Theophylacti, & Euthymij.

COMMVNITER verò de Spiritu sancto intelligunt Patres. D. August. *tract.*10. *in Ioan.* Hieronymus *epistola ad Hedibiam*, *quæst.*9. Ambrosius *lib.*2. *de fide*, *cap.*3. & *lib.*3. *de Spiritu sancto*, *c.*11. Hilarius *lib.*2. *de Trin.* Gregorius 27. *Moral. c.*13. & Athanas. *lib.*1. & 5. *de vnica Deitate Trin.* Nazianzenus *oratione* 5. *de Theolog.* Basil. *lib.*5. *contra Eunom. cap.*5. Nyssenus *oratione de Baptismo*, quam expositionem magis amplectitur in Commentario, vti dixi, *disp.*1. *quæst.*8. Vt enim regenerationis arcanum donum doceret Nicodemum Christus, nititur ostendere, hoc esse opus Spiritûs sancti ineffabile, qui occultè spirat gratiam regenerantem. 4

OBSERVA secundò, S. Doctorem, vt ostendat amorem spirari, adduxisse id Thessal.1. c.5. *Deus pacis sanctificet vos per omnia : vt integer spiritus vester, & anima; & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi, seruetur*, vbi spiritum pro charitate accipit cum S.Chrysostomo, Pauli Interprete, atque à secretis, *homil.*11.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio.

D.Bonau.d.11.q.1.
D.Th. q.36.art.2.

HÆc quæstio per Spiritum sanctum est Seraphico demandata, vt in Concilio Generali Lugduni coram Imperatore Græcorum, ac totâ Græcâ sapientiâ illam declararet. Ibi enim Pontificis Gregorij X. personam sustinens, Græcos conuicit, conuertit, & ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium reuocauit. Vnde orationem præclaram habuit, themate præposito, Baruch 5. *Exurge Hierusalem, & circumspice collectos Filios tuos ab Oriente.*
6 Quantum verò profecerit, testatur Sixtus V. in aureo diplomate, quo Sancti, atque Doctoris Ecclesiæ infulas præbuit. Cùm autem in eo Concilio omnia sacra testimonia de hac veritate S. Doctor armauerit; non est cur aliunde illa peregrinantes emendicemus.

Definitio Concilij Lugdunensis Oecumenici, hæc est, *cap. fideli*, quæ habetur, in cap. vnic. de summa Trin. in 6. *Fideli, & deuota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex vno principio: non duabus spirationibus; sed vnica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicauit, ac docuit Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra: Hoc habet Orthodoxorum Patrum, ac Doctorum Latinorum pariter, atque Græcorum incommutabilis, ac vera sententia.*

7 QVONIAM igitur S.Doct. ibi definit è Cathedra, nomine Papæ, hanc veritatem in Ecclesia perstitisse vsque ad ea tempora perpetuam; libet tempora percurrere, vt videamus, quo tempore fuerit oppugnata.

Tametsi Iustinianus Episcopus Siciliæ in epistolâ ad Petrum, Antiochiæ Episcopum; quæ habetur in quinto Concilio Generali, scribat: *Macedonius spirat à Patre solo Spiritum sanctum*; legendum tamen *separat*, non *spirat*, quia Macedonius latrabat, Spiritum sanctum creaturam à solo Filio; Filium verò à solo Patre quidem, sed creatum. Itaque Macedonius non fuit author erroris Græcorum.

8 PRIMVS igitur author Græci huius erroris fuit Theodoretus, circa annum 430. Ita habetur in refutatione Anathematum, quæ scripta est à D. Cyrillo.

DEINDE, circa annum 767. Multi è Græcis hunc errorem ebiberant: nam Addo Viennensis *Adnot. lib.4. De gestis Francorum, cap.67.* & Abbas Vspergensis *in Chron.* referunt, sub id tempus, anno 766. fuisse Concilium celebratum, in quo præsente Rege Galliæ Pipino, Magni Caroli Patre, disputatum est à Latinis, & Græcis de Sanctissima Trinitate. Certum est autem, nullam aliam de Trinitate controuersiam inter Latinos, & Græcos vnquam extitisse. Aliud etiam Concilium à Carolo Magno Aquisgranis vocatum ad hanc veritatem definiendam, refert Annonius *lib.4. de gestis Francorum, cap.9.*

9 Is error raptim per Græciam serpens percrebuit: nam circa annum 860. Theophylact. *in cap.3. Ioan.* ex communi Græcorum sensu profitetur contra Latinos, profitendum Spiritum sanctum à solo Patre, Eóque tempore Ioannes Diaconus in vita S. Gregorij Papæ, *lib.4. c.75.* testatur è Dialogis huius S. Doctoris expunctum à Græcis illud Symboli; *Spiritum sanctum, à Filióque procedere.*

TANDEM circa annum 1054. aperto schismate discissi Græci, Imperatore eorum Constantino decimo Monomacho. Tunc autem Michaël Patriarcha Constantinopolitanus, Imperatoris fretus patrocinio, Romanum Pontificem cum Latinis excommunicatum proclamauit; eò quòd in Symbolo addidissent: *Filióque procedit*; quod schisma adhuc Græcos, Armenos, Moscos, & Ruthenos ab Ecclesiâ Sanctâ extorres detinet; cùm toties Græca fides inconstans fuerit comperta, vt indicat S. Bonauent. *hîc*.

VERVM enim verò Catholica hæc veritas; Spiritum sanctum, etiam à Filio procedere, constantissimè ab Orthodoxis est perpetuò propugnata. 10

Primò enim contra Nestorianos, circa annum 430. hæc veritas probata est in epistola ad Nestorium, quæ recepta est in Concilio Ephesino.

Deinde, circa annum Domini 600. addita sunt illa verba Symbolo Nicæno, & Constantinopolitano: *Filioque procedit*; nam licèt ad amussim nesciatur quo anno sint addita, vt aduertit S. Bonau. & fatentur Theologi, certũ est tamen intra annos 589. & 653. fuisse addita. Nam in Concilio Toletano septimo, circa annum 579. recitatur Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum, sine hac additione; mox verò in Concilio Toletano octauo, circa annum 653. recitantur cum illâ, nec ante hæc tempora vsquam legitur hæc additio. Tandem serpente schismate, celebratum est Concilium Generale Lugduni, ad quod missi sunt Sancti Bonauentura, & Thomas à Gregorio X. quamvis S. Thomas in itinere occubuerit: sic Diuinâ agente prouidentiâ, quæ gloriam hanc Seraphico destinabat, Græcam synagogam cum Ecclesia confuendi.

Tandem in Concilio Florentino extrema est huic errori manus imposita, & Ecclesia Græca cum Latina vnanimis confessa est de Spiritu sancto: *Qui à Patre, Filioque procedit.* 11

Hunc errorem nos validè cum Seraphico auctoritatibus, & rationibus expugnabimus.

PRIMÒ enim *Ioan.16.* loquens Christus de Spiritu sancto, ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, quem locum vrget Vasquez *disp.145. cap.2.* Valentia *disp.2.q.10.p.2.* Suarez *lib.10. de Trin. c.1.* Bellarmin. *tom.1. tract. de Christo*, cum D. Bonau. ad eum locum Ioannis, & in hac quæst. *fundam. vlt.* Hinc arguit S.Doct. Quisquis est omne, quod habet, est omne quod acceperit; sed Spiritus sanctus, cùm sit Deus summè simplex, est omne, quod habet. Ergo omne quod accipit: ergo si accipit ab aliquo, accipit ab eo esse, atque procedit; sed accipit a Filio: ergo ab illo procedit. Minor patet è loco citato Ioannis, quem de processione Spiritûs sancti intelligunt Sancti Patres. August. ibi, *tract.99.* Beda ad eum locum Ioan. Anselm. *lib. de processione Spiritus sancti, c.7.* Hilar. 8. *de Trin.* Ambros. *lib.2. de Spiritu sancto, c.12.* & *lib.5. de fide, c.6.* E Græcis Dydimus *lib.2. de Spiritu sancto*, Nazianz. *orat.49.* Cyril. *epistolâ suprà adductâ.* 12

Hoc argumento euellitur responsio aliquorum; Spiritum sanctum dici accipere de Christo, quatenus instruit, iuxta doctrinam à Christo traditam: vel, dici accipere *de meo*, idest de thesauro Patris, de quo, & Christus hauserat. 13

Contra enim stat, quia Scriptura testatur, Spiritum sanctum accipere de Sapientia Verbi; sapien-

tia autem est substantia, vt acutè aduertit Vasquez *n.*7. ex D. Bonau. *hic*: ergo si accipit scientiam, accipit & substantiam. At, esto dicat: de meo thesauro, in quo communico cum Patre. Igitur cùm ille thesaurus sit communis etiam Filio. Ergo accipit etiam à Filio, vt infert Valentia suprà.

Neque obstat, dici in futuro *accipiet*, cùm tamen ab æterno acceperit; verum est enim, quod cùm emanatio sit immutabilis, durat semper in omnibus temporum differentiis; vt notat D. August. & cum eo D. Bonau. *fundam. vlt.* & Valentia.

14 Secvndvs locus est *Ioan.* 15. & 16. vbi Christus protestatur, se missurum Apostolis Spiritum sanctum. Hoc autem vrget S. Doct. *fundam.* 8. *hic*, & *in Commentariis*; & cum eo Valentia *loc. cit.* Suarez *n.*7. Vasquez *n.*10. & alij: qui omnes sic arguunt. Omnis missio fundatur in emanatione missi à mittente; sed Spiritus sanctus mittitur à Filio: ergo ab eo procedit. Maior est D. Hilarij 9. *de Trin.* August. 4. *de Trin. c.*20. & *lib.* 3. *contra Maximinum, c.*14. & *lib.* 4. *de Trin. c.*20. & *tract.* 102. *in Ioan.* Cyril. *lib.* 2. *thesauri, c.*5. Gregor. *homil.* 26. *in Euang.* Beda *l.* 2. *homiliarum, homil.* 2. Hinc Pater nunquam fertur missus, vt aduertunt Patres allegati.

Respondent Græci, Spiritum dici missum à Filio, quia eadem dona elargitur cum Filio.

Contrà, nam etiam Pater dat eadem dona: *Omne enim donum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Ergo & ipse mittitur à Spiritu sancto, quia dona eadem largitur. Hoc autem est falsum, vt docet D. August. *lib.* 2. *de Trinit. c.*5.

Dices, Christum fateri, se missum à Spiritu sancto, *Isaiæ* 48. & *Lucæ* 4. ergo ab eo est.

Respondetur, loqui de Christo secundùm naturam humanam, secundùm quam conceptus est de Spiritu sancto.

15 Tertivs locus est Ioan. 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, & c. 17. *Omnia tua mea sunt*: quem locum vrget D. Bonau. *ad* 5. & cum eo Vasquez *n.*6. Valentia *loc. cit.* Suarez *n.*6. Tunc sic arguit S. Doct. etiam *fundamento* 6. Propositio generalis est. Omnia, quæ Patris sunt, communicata sunt Filio, & hoc necessarium est, vt communicatio sit perfectissima: quare ea sola excipiuntur, quæ sunt Patris. Hæc (vt Pater est) enim implicat communicari. Idem habet D. August. 5. *de Trin. cap.*14. Damas. *lib.* 1. *de fide, cap.*9. vbi ait: *Quo Pater, vt omnia quæ Pater habet, Filij sint, hoc vno excepto, quod ingenitus non est, quæ quidem vox non naturæ discrimen, nec dignitatem, aut auctoritatem; sed existentiæ modum indicat.* Idem habet, *c.*11. & *lib.* 3. *c.*9. & 14. Hinc etiam D. August. *loc. cit.* arguit, Filium esse vnum cum Patre secundùm omnem rationem, qua ei non opponitur per originem. At inter ea, quæ habet vltra paternitatem, est etiam vis spirandi; neque secundùm hanc Pater opponitur Filio relatiuè. Ergo eam communicauit Filio. Hoc definitum est etiam in Concilio Florentino; scilicet *excepta paternitate, omnia Patrem Filio communicasse.* Talis autem inter perfectiones extra paternitatem est spiratio actiua: ergo. Hoc argumentum è Seraphicô desumpsit Scotus, vt dicam *quæst. sequenti*, cui illud adscribunt Scotistæ ibi allegandi.

16 Qvartvs locus est, quem refert S. Bonauent. *fundamento* 7. Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui.* Idem *Rom.* 8. dicitur: *Spiritus Filij.* Hinc arguit S. Bonauent. & cum eo Vasquez *n.*11. Valentia *loc. cit.* Suarez *num.*7. atque Tannerus *disp.* 4. *q.* 4. *dub.* 5. vbi omnia allegata media adhibet. Tunc sic: Nulla persona est alicuius, nisi per correlationem; correlatio verò fundatur in emanatione; sed Spiritus sanctus est Filij: ergo ab eo emanat.

Qvintvs locus similis est Ioannis 15. vbi dicitur: *Spiritus veritatis.* Hinc arguit S. Doct. *fundamento* 8. & cum eo allegati Theologi. Hic dicitur Spiritus veritatis, idest, Filij, qui est Veritas, vt testatur D. Cyrillus *lib.* 10. *in Ioan. cap. vlt.* & *epist.* 10. Hoc est argumentum D. Cyrilli *epist. allegata Synodali*, acceptata à Concilio Generali Ephesino, præside eodem Cyrillo Patriarcha Alexandrino, nomine Cælestini Papæ I. vbi ita scribit: *Spiritus veritatis nominatur; & est Christus veritas, & effunditur ab eo, sicut, & ex Deo Patre.* Noua autem editio Concilij Ephesini ex veriore Peltani editione, sic habet: *Sed & perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.* Deinde idem locus à quarta Synodo *act.* 5. & à quinta Synodo, *act. vlt.* & à sexta, *act.* 17. & à septima, *act.* 7. receptus fuit. 17

Obiiciunt Græci Ioan. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ergo à solo Patre emanat. 18

Respondet S. Doct. Christum ex humilitate allegate solum Patrem, à quo & ipse habet omnia, & vim spiratiuam accepit; ne tamen deciperemur, ait: *Quem mittam*, vt modestè ostenderet, etiam à se procedere, ac ideò etiam addit: *Omnia quæ Patris sunt mea sunt.* Ita respondet etiam D. Aug. *lib.* 3. *contra Maximinum, c.*14. quòd, scilicet adducit Patrem, vt primarium fontem Spiritûs sancti.

Respondet secundò S. Doct. per hoc non exclusisse Filium; sed exprimi Patrem, vt auctorem primarium; sicuti cùm dicitur, Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater*, vt aduertit Anselmus *lib. de processione Spiritus sancti*, aliis enim locis id exprimitur.

Ex his infert S. Bonau. falsò opponere Græcos, non inueniri in Scripturis Spiritum sanctum manare à Filio; at esto non inueniretur, multa tamen definienda relicta sunt Ecclesiæ, quæ est columna, & fundamentum veritatis.

Secvndvm igitur caput auctoritatum ad hoc dogma comprobandum sumitur è Conciliis.

Primò sanè Concilium Alexandrinum à D. Cyrillo conuocatum epistolam contexuit, quam misit Concilium ad Nestorium, in qua hæc veritas definitur. Hæc porrò epistola recepta fuit in Concilio Ephesino 1. *cap.*14. & est inter epistolas Cyrilli 10. cuius verba suprà retuli ex antiqua compilatione. Deinde recitata fuit epistola illa in Concilio quinto Generali, *collat.* 6. atque in vniuersum epistolæ synodales Cyrilli approbatæ sunt à Concilio Chalcedonensi, *act.* 5. in posteriori definitione fidei: & à sexta Synodo, *act.* 17. Habetur etiam in septima Synodo Nicæna secunda, *act.* 7. vt probauit Andreas Theologus in Concilio Florentino, *sess.* 7. contra Græcos negantes, in septima Synodo inueniri Symbolum cum illa particula: *Filioque procedit.* 19

Observa, S. Bonau. *ad sextum* Græcis quidem concedere, in nullo quatuor Conciliorum, inter quæ est Ephesinum, vt dixit, *dist.* 1. *dub.* 1. definitam processionem Spiritûs sancti à Filio; sed loquitur in actis totius Concilij de rebus nouis; supponit enim cum Magistro acceptam fuisse epistolam illam synodalem, in qua hæc veritas asseritur tanquam Scripturæ, non egens noua definitione.

Hæc veritas confirmata est in Concilio Toletano primo, *c.*21. & in Concilio tertio, *c.*1. & in Concilio quarto, *c.*1. & in Concilio octauo, *c.*1. & in vndecimo, *c.*1. & in Barensi, cui interfuit D. Anselm. vt ipse refert *in lib. de processione Spiritus sancti, cap.*4. & in 20

Lateranensi

Lateranensi sub Innocentio III. *cap.*1. in quam definitionem consenserunt & Græci, vt constat, *cap.*4. Idem definitum est in Lugdun. Concil. sub Gregorio X. vbi Seraphicus Præses prouinciam illam egregiè exantlauit, & ibi Symbolum cecinit tota Ecclesia Latina, & Græca: *Qui ex Patre, Filioque procedit*, ter Græcè: & ter Latinè. Itidem, & in Concilio Florentino consentientibus Latinis, & Græcis; & in Tridentino *sess.*3.*in confess.fidei.*

Tertium caput auctoritatum est Sanctorum Patrum, qui, vt probauit S. Bonau. in Concilio Lugdunensi, ibique declaratum fuit, perpetuò vnanimi consensu in hac veritate conuenere incommutabili verissimâ sententiâ, vt retuli suprà.

Probatur ergo à S. Bonau. ad sextum cum Magistro è Patribus ipsis Græcis.

21 Primus, S. Athanasius in Symbolo definitum, ait: *Spiritus sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Hunc Symbolum esse D. Athanasij, certum est: nam D. August. *in Psal.*120. recitat versiculum præcedentem dicens. De hoc solo (idest Christo) D. Athanasius Alexandrinus Episcopus ità pulchrè locutus est: *Filius à Patre solo est; non factus, nec creatus, sed genitus.* Aliis etiam huius Symboli sententiis vtitur passim D. August. *in Enchir. cap.*36. & *lib.*5.*de Trin.c.*8.& *epist.*174.& *serm.*195.*de tempore*, D. Gregor. Nazianz. *oratione de laudibus Athanasij*, testatur, eum perfectissimam fidei confessionem composuisse, quam totus Oriens, & Occidens veneratur.

Respondent Græci, id additum in Symbolo illo à Latinis, qui etiam iniquè in Conciliis id addidere, cum anathematis fulmen in Concilio Ephesino eiaculatum esset contra addentes doctrinam nouam.

Alij moderniores ausi sunt dicere, virum Sanctissimum fuisse tunc ebrium, vt refert Gennadius *lib.pro defensione Concilij Florentini, cap.*1.

22 Respondet D. Bonau. Concilia addidisse aliqua pro opportunitate, non negata à priscis; sic pauciora definita sunt in Concilio Nicæno, & in Symbolo illo; quia tunc non adhuc eruperant hæretici impugnantes Spiritum sanctum, vt asserit Basilius *epist.*60. ad Ecclesiam Antiochiæ directâ. Alia verò Concilia sequentia serpentibus hæresibus occurrêre nouis additis fidei definitionibus, vt aduertit S. Bonau. etiam *in* 3. *d.*25. vbi per multas quæstiones id eximiè tractat. Neque Concilium antiquius potest prohibere, quin alia in posterum definiantur si oportuerit. Porrò Ephesinum non damnat addentes aliquid, sed docentes oppositum. Et si hoc saltem verum est, cùm docuerit id, quod creditur in epistola Synodali Cyrilli; caueant Græci ab anathemate, vt aduertit S. Bonau. *dub.*2.*litt.* Neque verò in præcedentibus Conciliis vnquam definitum fuerat Spiritum sanctum à Patre solo procedere, vt aduertit Vasquez *n.*19. cum D. Bonau. *hîc.*

23 Quoad Symbolum D. Athanasij, constat non esse additam à Latinis particulam. *Filioque*, cuius signum est; quod S. August. suprà allegat præcedentem versum in quo definitur, Filium à solo Patre genitum. Cur autem dicitur à solo Patre? an vt excludat procedere à Spiritu sancto? Absit, sed vt mox è contrario adderet, Spiritum sanctum non à solo Patre, sed à Patre, filióque manare, vt aduertit Valentia.

Eandem veritatem asserit Athanas. *serm.*4.*contra Arrianos*, & *epistolâ ad Serapionem*, vt referunt Valentia, Vasquez, & alij.

Aliud etiam testimonium habeo in D. Athanasio in redargutione Meletij, quod referam *quæst. sequent.* Et de Symbolo agam 2.2.*tract. de fide.*

Secundum testimonium indicatum ibi à D. Bonauent. est Dydimi *lib.*2. *de Spiritu sancto*, apud D. Hieronym. *tom.* 6. vbi explicans id Ioan. 16. *Non enim à semetipso loquetur*, ait: *Quia non ex se est, sed ex Patre, & me est: hoc enim, quod subsistit, loquitur à Patre, & me, illi est.*

Tertium testimonium est D. Cyril. *epist.*10. à Conciliis approbatâ, vt dixi, 24

Quartum est D. Ioan. Chrysost. *homil.*1.*de Symbolo*, vbi ait: *Iste est Spiritus procedens de Patre, & Filio.* Et homil.2. *Spiritum sanctum dicimus Patri, & Filio coæqualem, & procedentem de Patre, & Filio.*

Probatur deinde à D. Bonau. *in fundamentis*, ex illis Patribus Græcis, & Latinis, qui Spiritum sanctum asserunt à Christo donatum: ex his Damasc. 1. *de fide, c.*10. vbi ait: *Spiritum sanctum ex Patre procedere, & per Filium omni creaturæ impertiri*; vnde *cap.*11. vocat Spiritum sanctum, Spiritum Filij; & addit: *Sicut è sole procedunt radius, & splendor; ita à Patre procedere Filium, & Spiritum sanctum per Filium.* Ergo per Filium, tanquam per radium procedit.

Epiphan. *heresi* 69. idem asserit.

Idem docent Patres asserentes, Spiritum sanctum esse amorem Patris, & Filij; de quo *sect.*2. 25

Et qui dicunt, esse nexum vtriusque; de quo *sect.*3.

Tandem omnes Patres relati à Valentia; Vasquez, Suarez *loc. cit.* & Bellarmino *lib.*2. *de Christo*; *c.*25. Emmanuele Caleca de erroribus Græcorum, à Bessarione Card. in Concilio Florentino, Gennadio Patriarcha. Defensorio Concilij Florentini, imò in ipso Concilio Florentino, vbi magno huic negotio postremum colophonem imposuere, omnia ex D. Bonauenturæ scriptis, atque actis in Concilio Lugdunensi decerpta sunt.

Rationes pro assertione latius prosequar *sequenti quæstione.*

Hoc vnum dico pro coronide; Florentinum 26 Concilium absolutum esse *anno* 1439. in quo vix Græci consensere huic fidei articulo; sed Græca fides cui non patet? Mox resilientes; *anno* 1457. 28. *Maij*, postridiè Pentecostis, Constantinopoli capta, Imperatore eorum occiso, Otthomani Mahumeti Regis Turcarum vilissima mancipia facti, adhuc sæuissimè succumbunt tyrannidi; Spiritu sancto vltore debiti sibi negati honoris.

Obiiciunt primò Græci. In Concilio Ephesino lectum est Symbolum Nestorianorum, & refutatio anathematum contexta à Theodoreto tunc Nestoriano, in quibus habebatur, Spiritum sanctum à solo Patre emanare; nec tamen sunt correcti à Concilio.

Respondetur cum D. Bonau. *ad* 6. nullum ibi impugnasse emanationem Spiritûs sancti à Filio. Porrò 27 Ephesinum Concilium non erat ad hoc congregatum, sed contra Nestorium, qui emanationem Spiritus sancti non negabat. Quod si Theodoretus extrà aliquid mussitauit, responsum est à D. Cyrillo *epistola illa* 10. Mirum autem est Valentiam asserere, Nestorium non negasse emanationem Spiritus sancti à Filio, & tamen addere; Nestorianis responsum esse epistolâ.

Dices: quorsum igitur epistola illa ad Nestorium cum assertione nostra?

Respondetur, vt tota fidei confessio illi præberetur.

Obiicies secundò. In Concilio Nicæno, aut Constantinopolitano non habetur Spiritum sanctum à Filio procedere: in Ephesino autem prohibemur aliam fidem asserere.

28 Respondet S.Bonau.Concilia definisse articulos, iuxta opportunam necessitatem sic in Constantinopolitano asseritur, *Filius à Patre procedere*, similiter, & *Spiritus sanctus*, damnandum fuit enim maledictum Macedonij; Spiritum sanctum à solo Filio procedere, vt creaturam. Similiter, & Filium à Patre, vt creaturam: in Nicæno autem definitur consubstantialitas Filij cum Patre contra Arrium, In Ephesino non prohibetur aliud addi; sed tantùm addi contraria: sic enim & Paulus, *Galatas* 1. anathema dicit aliter euangelizantibus.

Obiiciunt etiam Patres. Dionysium *c.2. de Diuin. nominibus*, vbi ait, solum Patrem esse fontem diuinitatis; ideò ex eo emanare duo lumina, Filium, & Spiritum sanctum.

29 Respondet S. Bonau. eum velle solum Patrem esse fontale principium, quia non est ab vllo; & aliæ personæ ab illo. Imò testatur, hanc Spiritus sancti emanationem, vt refert metaphrastes in eius vita, inducens eum loquentem: *Ascendit meus Christus in cælum; & ad paternam sedem reuertitur, & spiritum, qui ex ipso procedit, mittit discipulis.*

Secundò opponunt Nazianzenum dicentem: *Filius, & Spiritus sanctus gemini Patris radij.*

Respondet S.Doct. sicuti ad Dionysium suprà.

Tertiò opponunt Damasc. *lib.1. de fid. c.11.*

Respondet D. Bonau. Damascenum apud nonnullos redolere errorem Græcorum, sic & D. Th. respondet.

Resumit tamen D.Bonau. Damascenum agitasse cum aliis quæstionem: An posset Spiritus sanctus dici *à*, vel *ex* Filio. Id autem eo sensu negat, quod sit ex Filio, quia præpositio *à*, & *ex* significat mana-

30 re, vt ex primo fonte, qui est solus Pater. Concedit verò: emanare per filium: particula enim *per* dicit causalitatem, non tamen primi fontis in hac materia: & sanè præpositionem *per* significare causalitatem ostenditur Scripturis. Genes. 4. *Possedi hominem per Deum.* Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Hoc sensu Patres omnes Græcos admisisse emanationem Spiritus sancti à Filio testatur Bessarion, oratione habita in Concilio Florentino pro vnione, *cap.6.* & ita ibi Ecclesia Græca subscribit post agitatam controuersiam. Et sanè Damascen. *cap.18.* eius libri, ideò eum vocat imaginem Filij, sanè vt

31 emanat ab eo. Vnde conclusum, in Concilio Damascenum & Maximum nobiscum esse. Applaudunt Scotus *d.11. q.1.* Argent. *ibi art.1.* Valent. *d.2. q.10. p.2.* Suar. *hic lib.10. c.1.* Vasq. *d.147. c.7.* Ruitz *d.67. q.9.* Bellarm. *lib.2. de Christ. c.25. & 27.* & Græci apud Macedum *collat.6. differ.1.* Vnde Morandus *n.111.* clamat charum Seraphici pro tanto Patre responsum.

Obiiciunt adhuc Græci. Si Spiritus sanctus esset etiam à Filio, fuisset Pater insufficiens principium.

Respondet S. Doct. Græcos arguisse errore putantes, nos duo Spiritus sancti principia ponere, quo errore amoto dextras dedere in Concilio Florentino: sicut autem non valet. *Pater creat*: ergo solus, alioqui est insufficiens; ita & hic, vt notat Valentia ex D Bonau. quem vide omnia Græcorum arma retundentem.

QVÆSTIO III.

An, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc distingueretur ab illo.

SS.Doctores suprà.

Qvæstio hæc visa est aliquando quibusdam allegatis à Scoto, *dist. 11. quæst. 2.* penitus inutilis, quia, cùm Spiritus sanctus necessario sit etiam à Filio, iam si non emanaret, non esset ampliùs; & ita frustra proponitur titulus: An adhuc distingueretur.

Attamen vtilis est modus arguendi, & disputandi ab impossibili: hinc enim eruitur: an id, quod 32 remouetur; tametsi irremouibile; sit de intrinseco rei conceptu. Sic & D. August. *5. de Trin. cap.6.* hanc discutit quæstionem. An, si Pater non esset innascibilis; adhuc esset genitor. Tunc autem licèt de impossibilibus suppositis disputare, quando intrinsecè non sequitur euidenter vtraque contradictoria, vt hæc: *An si homo non esset risibilis, adhuc esse homo;* at verò si quæras: *An, si Petrus non esset rationale animal, adhuc esset homo;* erit quæstio inutilis, quia cùm homo includat essentialiter animal rationale, ex illa suppositione sequitur non esse rationale animal, & simul esse tale, &c. quia quæstio cadit super subiectum intrinsece *animal rationale.* Itaque erit quæstio: an sit homo, qui intrinsecè non habet esse hominis, ex omnium sapientum sensu.

In casu nostro. Filius iam supponitur constitu- 33 tus in esse personæ Filij per generationem. Hinc videtur, posse habere, per quod instituatur quæstio: an remaneat distinctus à Spiritu sancto, si ab eo non procederet, puta per esse filiationis, sicuti, si quæras: An dempto solo animali, adhuc esset homo.

Itaque Recentiores Theologi admittunt, quæstionem hanc non esse ineptam, vt dicebant Gregorius, Gotfredus, & alij. Addunt tamen, sequi per locum intrinsecum, easdem personas Filij, & Spiritus sancti, quæ de facto sunt, non esse futuras; quia variata hac numero processione, debet necessariò variari hæc numero relatio Spiritus sancti, quæ habet pro termino adæquato Patrem, & Filium; ac proinde sanctum Spiritum, necesse est consequenter variari, cuius esse est ad terminos. Similiter ex parte Filij debet variari relatio filiationis, quoad fœcunditatem spiratiuam à Patre acceptam. Ita censent Suarez, *lib.10. de Trin. cap.20.* Arrubal *disp.131. num.13.* Albertinus *in Prædic. ad aliquid, corollar.15. quæst.15. dub.2.* Zuniga *disp.11. dub.3.* Fasolus *1. p. q.36. art.2. dub.3.* Arriaga *disp.53. sect.4.* Lezana *tract.5. disp.11. q.2.* & alij Addunt 34 tamen, etiam hoc sensu vtilem esse quæstionem: si enim ostendatur, has personas, detracta emanatione, non distingui. Signum erit, rationem intrinsecam distinctionis esse emanationem vnius ex altera.

In totum asserit eruditissimus etiam Matthæus Ferchius, opusculo de personis producentibus Spiritum sanctum, *quæst.6.* quem S.Bonauenturæ sectatorem esse admonet, atque refellit Meldula *disp.7. q.4. num.194.* Nititur verò is probare contra omnes allegatos, non fore alias personas. Id ipsum nititur

tur Gauatius Scotista; sed retunduntur optimè à supra citatis: nam ablata emanatione Spiritus sancti à Filio, mutantur aliqua prædicata essentialia in Filio, & Spiritu sancto. Ergo mutantur rationes formales, nam repugnantia prædicatorum venit è rationibus formalibus, vt docet Scotus 1. *distinct.*36. *quæst.*1. Antec. est euidens: nam spiratio actiua se ipsa est communicabilis Patri, & Filio, at data hypothesi est incommunicabilis: sic & spiratio passiua necessariò terminatur ad Filium; tunc autem non terminaretur. Ergo aufertur id, quod est per se, eo ipso, quòd aufertur aliquid simpliciter necessarium, vt docet Aristor. 1. *post. textu* 44. Tandem generatio actiua de facto necessariò coniuncta est cum fœcunditate spiratiua: at data hypothesi repugnat Filio fœcunditas spiratiua.

35 Respondet verò Meldula, rescindi quidem ex hypothesi aliqua prædicata; sed ait, ea non esse prædicata primi modi, primò constitutiua personarum: nam spiratio actiua non constituit Filium in esse Filij. Neque Spiritus sanctus constituitur in esse formali per amorem mutuum Patris, & Filij, sed per amorem, qui ex intrinseco potest esse vnius: Sic & generatio actiua est quidem cum fœcunditatis spiratiuæ communicatione, at tamen, si ea careret, non variaretur intrinsecè generatio, sed per extrinseca; vnde adhuc maneret subiectum, de quo quæri posset: an maneat distinctum, data suppositione nostra? At profectò in quæstionibus de impossibili necesse est supponere, ablatum aliquid, quod est impossibile auferri; atque dummodò, eo ablato, maneat obiectum, quoad intrinseca, potest quæstio institui: at si destruantur intrinseca, iam inutile est quærere de re, quæ intrinsecè destructa est; an sit distincta. Et quidem in casu nostro, cum disputatio instituta sit ad Græcos retundendos: quæstio esse debet de personis nunc existentibus; non de aliis. Hæc clare discutiam in hac quæstione.

36 QVÆSTIO igitur instituta est occasione argumenti quarti, quo S. Bonauentura Græcos vrgebat ex concessa ab eis sanctissima Trinitate; ad confitendam emanationem Spiritus sancti a Filio. Si Spiritus sanctus non emanaret ab illo; non esset persona ab eo distincta. Hæc sequela, tametsi procedat ex hypothesi impossibili; tamen virtute continet Cardinalem quæstionem; an adæquata radix illius distinctionis sit processio, ita vt negata processione Spiritus sancti, per locum intrinsecum auferatur personalis distinctio à Filio.

PRIMA sententia est, rationem illam, atque sequelam esse inualidam, quippè adhuc, Verbum esset persona distincta à Spiritu sancto, etiamsi non esset eius principium. Ita Henricus *quodl.* 5. *quæst.*9. ac Nominales 1. *dist.*11. vbi Ocham *quæst.*2. Rubion *quæst.*1. *art.*2. quos concitato gressu secutus est Scotus *ea dist. quæst.*2. cum tota discipulorum acie: sic Mairo *ibi quæst.* 2. Bassol. *quæst. vn. art.*2. & 3. Lichetus, Posnaniensis, Tartaretus, Vigerius, Bargius *eadem dist.* Faber *disp.*38. Smisingh. *disp.*4. *quæst.*2. Scherius *disput.*7. *quæst.*4. Vulpes *de Trinitate, disp. ut.*67. *art.*9. Sghemma *tit.* 18. *quæst.*8. & 9. Brancasius *lib.*3. *dist.* 3. *quæst.* 22. Rada *controu.*15. Mastr. *d.*7. *quæst.*4. P. Macedo *co lat.*6. *diff.*4. allegans aliud suum volumen, plurimosque Doctores, & Patres vtrinque sapienter adducens.

Ea est sententia etiam Cartusiani *in* 1. *dist.* 11. *quæst. vnica.* Amicus *disput.*27. *sect.* 2. multos refert pro ea.

37 SECVNDA sententia est, adæquatam distinctionis inter Spiritum sanctum, & Filium rationem esse emanationem eius à Filio; atque adeò inuictè Græcos vrgeri per locum intrinsecum, hac ratione. Ita D. Thom. *quæst.* 36. *artic.* 2. & 4. *contra Gent. cap.*29. & *quæst.*10. *de potentia art.* 4. quibus locis conspirant Thomistæ, Caietanus, Torres, Zumellus, Bañes, Salmaticens. Syluester, Nazarius, & alij. Molina *disput.*3. Vasquez *disput.* 147. Suarez *lib.*10. *de Trinitate, cap.*2. Tanner. *disput.*4. *quæst.*4. *dub.*6. Zuniga, Ruiz, Granado, Arriaga, Amicus, Lezana, Auersa apud Mastrium *num.*103. Macedum *sect.*2. Capreolus 1. *dist.*11. *quæst.*1. *art.*1. Ægid. *ibi art.* 1. *quæst.*3. Heruæus *quæst.* 1. Durand. *quæst.* 2. Ferrar. 4. *contra Gent. cap.*24 Forestus *fol.*428. Coriolanus *quæst.* 36. *art.*2. Ferchius *loc. cit.* Fuliensis *l.*2. *cap.* 6. Caspens. *disputat.* 8. *sect.* 2. Bauduinus *quæst.*36. *art.* 2. Morandus *quæst.*25. referens alios. Valentia verò *quæst.*10. *p.*3. asserit, si hæc quæstio tractetur metaphysicè per rationes petitas e solo naturali lumine, veram esse Scoti sententiam; at si Theologicè per rationes, nixas etiam reuelatis; sic validissimum esse sanctorum Doctorum Thomæ, & Bonauenturæ argumentum. Quare non satis miror, Mastrium hoc Valentiæ dicto gloriari: Quid enim Metaphysica prodest in hac controuersia sine fundamentis reuelatis; imò obest? Valeant igitur rationes metaphysicæ Scoti. Adde, non esse principia Metaphysica, quæ omninò enti non conueniunt.

QVOAD D. Bonauenturam, allegatur ab omnibus huius sententiæ sectatoribus in quarto argumento, vbi sic loquitur. Hoc idem ostenditur ratione ducente ad impossibile. Omnis distinctio personarum in diuinis attenditur secundum relationem, & originem. Ergo si Spiritus non procedit à Filio, atque è conuerso, nulla est ibi origo. Ergo nulla est ibi mutua relatio: ergo nec distinctio, vbi non loquitur solùm de facto, nulla facta suppositione impossibili, vt putat Meldula *n.* 207. sed per rationem ex hypothesi impossibili arguit per locum intrinsecum; data hypothesi Græca, futurum, vt tota distinctio personæ Spiritus sancti à Verbo tolleretur, vt aduertunt omnes Commentatores Seraphici, præsertim Coriolanus, Forestus, & Marginistra, qui cum Scoto contrarium, (vt vidit Macedo) asseuerant. Neque hæc ratio affertur à S. Bonauent. ad oppositum, vt putat Vasquez *cap.* 4. 38

Aureolus *d.*11. *quæst.*1. *art.*3. docet, quod, & si Spiritus sanctus non procederet a Filio, adhuc tamen ab eo distingueretur, non quidem personaliter; sed tamen realiter. Idem asserit Gregorius *d.*12. *quæst.*1. qui tamen addit, inutilem hanc quæstionem, quia inuolui vtramque contradictoriam, quod Spiritus sanctus esset, vt supponitur in quæst. & quod non esset: quia spiratio actiua est de intrinseco filij constitutiuo. Idem habet Gregorius *d.*12. *quæst.*2. *art.*1. cum Gotifredo apud Scotum.

ASSERENDVM; rationem D. Bonauent. esse solidissimam & verissimam sequelam; quòd si Spiritus sanctus non procederet à Filio tolleretur per locum intrinsecum distinctio inter eos. 39

PROBATVR primò argumento sanctorum Doctorum: Omnis distinctio realis in diuinis est per oppositiones relatiuas ex origine; atque adeò omnia sunt vnum, vbi non obuiat oppositio relatiua ex origine. At data hypothesi, iam Spiritus sanctus non referretur ad Filium. Ergo non distingueretur ab illo. Minor est euidens etiam aduersariis. Totum negotium pendet è maiori, quam sic soluunt.

Omnia esse vnum præter relatiua, inclusis etiam disparatis; nam filiatio etiam præcisa, cùm filium constituat, nec sit in Spiritu sancto; eum realiter distinguit ab illo. Satis superque esse deberet oraculum Sixti in Bulla Doctoratus S. Bonauent. eius doctrinam in Conciliis Lugdunensi, & Florentino ad Græcos euincendos, enituisse Ecclesiæ validissimam.

PROBATVR ergo illa Maior primò ex Patribus, & Conciliis.

40 Concilium Toletanum primum in confessione fidei in fine sic habet. *Credimus, spiritum esse Paraclitum, qui nec Pater sit; nec Filius, eò quòd sit à Patre, Filioque procedens.* En totum Seraphici argumentum.

Respondet Faber; particulam, *eò quòd*, non significare causam formalem, sed signum distinctionis.

Contra primò, nam eadem ratio per particulam (*quia*) habetur cap. vltimo Concilij sic. *Neque Patrem, neque Filium esse Spiritum sanctum, quia ab vtroque procedit*; neque aliam causam affert. Prætetea particula illa in sensu Fabri extorta, conspicitur apud Grammaticos, & nusquam apud Latinos inuenitur.

Respondet Rada, & Meldula *num.* 268. in Concilio sic legi. *Credimus Spiritum sanctum Paraclitum, qui nec Pater sit, nec Filius, sed à Patre, filioque procedens*, & sic deest causalis illa (*eò quòd*) in qua vim facitis.

Respondet secundò Meldula, & si adesset illa causalis, significaret vnam causam distinctionis, sed non excluderet aliam, quam ponunt Metaphysici è constitutione per proprias relationes, per quas distinguuntur à cæteris, quia idem est principium constitutiuum, & distinctiuum.

Contra primò, quia in textu emendato habetur, vt nos obiicimus.

41 Quod verò vnam rationem inadæquatam afferat, indignum est: nam ibi Concilium in confess. fidei profitetur assignare Mysterium sanctissimæ Trinitatis, & distinctionis personarum rationem profectò adæquatam.

DEINDE probo ex vndecimo Concilio Toletano in confessione fidei, è Concilio primo accepta, totam rationem distinctionis sumi ex origine. Sic enim ait: *Hæc ergo sancta Trinitas, quæ vnus, & verus Deus est, nec recedit à numero; nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur: in diuinitatis verò substantia, quid numeratum sit non comprehenditur. Hoc ergo solo numerum insinuat; quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt.*

42 Respondet Faber, ibi solùm haberi distinctionem è relationibus; sed non è solis oppositis, sed etiam è disparatis. Idem respondet Meldula, & communiter Scotistæ.

Contra, quia secundùm disparatas relationes non sunt ad inuicem. Numquid Pater per relationem spirationis actiuam refertur ad Filium? & per Filiationem Filius ad Spiritum sanctum?

Respondet alius Scotista, solùm negari distinctionem haberi per absoluta. Contra, quia addit numerum haberi è personis, vt ad inuicem sunt, vel referuntur; quod idem omninò est; vt constat ex Aristot. *in prædicamento ad aliquid*, & *sexto Metaph. eodem cap.* & probat D. Bonauent. 1. *dist.* 13. *quæst.* 3.

43 Confirmatur, nam illud Concilij dictum, sumptum est è D. Augustino *tract.* 39. *in Ioan.* vt fatetur Mastrius *num.* 267. Iam videamus quid dicat S. August. cùm enim dixisset, tres esse personas; quærit, *quid tres?* & respondet: *Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Et subdit: *Ita, quæ dico potestis de similitudinibus agnoscere quotidianis. Homo, & alter homo, si ille sit Pater; ille Filius quod homo, ad se ipsum est; quòd Pater, ad Filium est, & Filius quòd homo, ad seipsum est: quod autem Filius, ad Patrem, Pater enim est nomen dictum ad aliquid, & Filius ad aliquid*: Applicat verò comparationem in omnibus, eo excepto, quòd diuinæ personæ non sunt tres dij. Et subdit: *Hoc solo numerum insinuat, quod ad inuicem sunt; non quòd ad se sunt.* Et vt ostendat, se ponere numerum non ratione relationum disparatarum subdit: *Quia verò non ad se est Pater; sed ad Filium; nec Filius ad se est; sed ad Patrem: nec Spiritus ad se, in eo, quòd dicitur Spiritus Patris, & Filij, non est, dicam, tres.*

Respondet Mastrius, hic includi etiam relationes disparatas, quæ absolutis opponuntur, secundùm quæ fit antithesis, vt quæ in se sunt faciant vnitatem, & quæ ad inuicem faciant numerum; profectò enim relationes disparatæ; non sunt numerandæ cum his, quæ ad se sunt. Ergo in altero membro cum his, quæ sunt ad inuicem, & faciunt numerum. 44

Contra, quia D. August. de sola relatione opposita asserit, & exemplificat. Itaque relationes disparatas excludit; easque connumerat inter ea, quæ ad se sunt, quatenus non opposita relatiuè: nam relatio totum esse, quod habet, ad alterum habet.

PRÆTEREA S. August. *lib.* 5. *de Trinitate* ferè toto. Et *lib.* 7. *cap. vltimo*, & *lib.* 15. *cap.* 14. & aliis locis adscribit soli relationi multiplicationem in Trinitate. Exponit autem ea loca scripturarum, quæ soli relationi oppositæ assignant Trinitatis distinctionem: vt 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*; vbi seclusis relationibus oppositis omnia inferuntur vnum: sic *Matth. vltimo, Ioan.* 1. & in libris de ciuitate Dei docet; *Ideò simplex dicitur Deus, quoniam, quod habet, hoc est, excepto quòd relatiuè quæque persona ad alterum dicitur; sicut Pater Filium habet; nec est Filius.* Profectò clare loquitur & formaliter, aut dicendus semper locutus impropriè de relationibus diuinis: tribuens ipsis etiam disparatis distinctionis causationem.

Respondet Faber *num.* 24. sensum esse; Personam diuinam esse idem realiter cum eo, quod ipsa habet essentialiter, & formaliter; sed non esse idem cum eo, quod habet originaliter, & correlatiuè, imò ab eo distinguitur realiter.

Contra primò, quia de solis correlatiuis declarat se loqui.

PROBATVR secundò illa propositio è Concilio Florentino *sess.* 18. vbi Ioannes Latinorum Theologus præstantissimus omnium Latinorum nomine, Græcis consentientibus, ait: *Sola relatio apud omnes tam Græcos, quam Latinos Doctores diuina processione Personas multiplicat, ita vt non vlla alia ratione, quàm vi relationis Pater à Filio, & vna Persona ab alia differant.* Hoc sanè dictum est totius Ecclesiæ; sed detruncatum refertur à Mastrio. 45

Respondet Mastrius, Ioannem paulò supra attulisse aliam rationem distinctionis; nempè, ex vi proprietatum incommunicabilium: sic autem loquitur: *Vt igitur personæ differant inter se, necesse est, vt hypostaticæ, personalesque proprietates incommunicabiles sint.* Si autem voluisset in testimonio obiecto,

obiecto, quòd Filius per actiuam spirationem personaliter à Spiritu sancto distingueretur; iam non per proprietates incommunicabiles differentiam diuinarum Personarum assignaret, cùm actiua spiratio communis sit Patri, & Filio. Intentio igitur huius Theologi fuit ostendere, Spiritum sanctum accipere idem omninò à Patre, & Filio; vt patet ex his, quæ subdit: *Necesse est iuxta omnes supradictos Doctores sic intelligere, vt persona hæc, idest Spiritus sanctus dicatur accipere, atque esse, quod ab alio est.* Præcisa autem processione à Filio, adhuc Spiritus sanctus per processionem à Patre constitueretur in esse personali, & per eam à quauis persona differret.

46 HÆC tamen possent ea responsione retundi, qua vsus est Ioannes ipse: *Nondum Pater Reuerende ad propositum respondisti.* Nam in testimonio citato eius intentio in conclusione videtur illis verbis. *Constat igitur principalis ratio Pater Reuerend. cur ab alio spiritus dicatur*, hoc autem ostenderat, quia scilicet accipit à duabus personis substantiam, non earum relationem, cùm hæc distinguat personas, sola namque relatio (ait) (quam principalem habitudinem superius nominauimus) apud omnes tam Græcos, quàm Latinos Doctores diuina processione personas multiplicat: cui etiam duo illa, *à quo*, & *ad quod*; de quibus est supradictum, conueniunt. Si quidem igitur relationes huiusmodi personas multiplicant ita, vt non vlla alia ratione, quàm vi relationis Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant, quem quidem in modum spiritus etiam ab alio est; necesse est iuxta omnes supradictos Doctores sic intelligere, vt idcircò persona hæc, idest, *Spiritus*, dicatur accipere, atque esse, quod ab alio est. Propterea Magnus Basilius, & Epiphanius asserunt, sanctum Spiritum accipere esse à Filio; ac procedere, idem esse.

47 HINC præclarè vides, solam relationem personalem, quam vocat principalem originis, distinguere Personas Patris, & Filij: Spiritum verò sanctum per suam etiam personalem processionem à Patre, & Filio distingui. Et has tres supra, non alia ratione dixerat incommunicabiles esse debere, quàm vt per eas personæ ab inuicem distinguantur: nam; *Proprietas* (ait) *non esset proprietas; si esset communicabilis, quod quidem (nempe, vt non sint communicabiles) è relationis vi creditur euenire, quemadmodum etiam Doctores vestri præsertim S. Gregorius Theologus in Epiphaniæ sermone tenet. Nam si proprietas communicabilis esset, proprietas non esset, proprietas: Vt igitur personæ differant inter se, necesse est, vt hypostaticæ, personalesque proprietates incommunicabiles sint. Propterea Doctores inquiunt, nil, nisi principij habitudo est, in qua quidem hæc duo considerantur* à quo aliquid; *&* ad quod aliquid, *ob idque Pater, & Filius sunt, quod Pater principium est: Filius autem ex principio: in quo quidem nequaquam communicant; cùm cæteris in rebus procul dubio communicent, vt Epiphanius de tali principij, vel principali habitudine, qua substant personæ sensisse creditur; cui quidem non aliud, quàm* à quo aliquid, *&* ad quod aliquid, *conuenit. Si quidem igitur diuina omnia, proprietatibus personarum exceptis, inter se communicabilia sunt; sequitur, cum quippiam ex aliquo credimus esse; necesse esse intelligamus, ab eodem etiam accipere esse.*

48 Ex qua ratione exprimit, proprietates personales, quæ sunt constitutiuæ, & distinctiuæ per relationes oppositas, esse debere incommunicabiles; atque adeò spirationem actiuam non distinguere Patrem à Filio; sed ab vtroque per passiuam distingui Spiritum sanctum. Itaque perperam Mastrius ait, hinc colligi, non distingui per spirationem actiuam, quia est communis Patri & Filio; Ioannes autem per incommunicabiles distinguit.

Confirmatur verò illa Maior propositio ex omnibus Conciliis, quæ distinctionem personarum explicant semper solùm iis nominibus, quæ relationes originum exprimunt. Ita quinque Concilia generalia apud Græcos, in quibus recepta est epistola Cyrilli ad Nestorium, quæ sanè epistola hoc resonat. Itèm Concilia Nicænum, & Constantinopolitanum in Symbolo. Lateran. *in cap. firmiter* sub Innocentio III. Lugdunense sub Gregorio X. *cap. fideli.* Florentinum *in litteris vnionis.*

PRÆCIPVE verò *sess. vltima* huius postremi Concil. id totum euidenter astruitur. Sic enim habet: *Idcircò autem diuinum Symbolum declaratum, elucidatumque à maioribus nostris fuisse dicimus, ne quisquam ambigens: an Filius Spiritus sancti causa sit, in aliquam inciderit hæresim. Nam credentes sanctum Spiritum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant spiritum ex solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium. Qui autem proferunt Spiritum sanctum ex sola Patris persona procedere; hi proculdubio substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur diuinæ substantiæ, quod à ratione, & fide valdè alienum piè creditur esse.* Hic est textus apud aduersarios verus, vt habet Laurentius Surius. Sic legunt è nostris etiam Vasquez *cap.* 3. Ferchius *cap.* 2. *num.* 6. Coriolanus, Tannerus, & alij. 49

VBI obserua, aduersarios, vt inferant hoc vnum inconueniens induci à Concilio. Si Pater solus esset principium Spiritus sancti, nempè futurum, vt in essentia distinguerentur Filius, & Spiritus sanctus, idcircò attulisse textum ab iis verbis solum: *Nam tenentes, &c.* Sed hæc est ratio præcedentium; nempe, in Symbolo recitari *à Patre, filioque, &c.* ne id negantes in aliquam hæresim inciderent, quasi multi hinc errores sequantur, quos refert ab illis verbis: *Nam tenentes, &c.* Itaque non nego inferri secundo loco, secuturam diuisionem in essentia. 50

Alio autem modo explicatur, *& consequenter non esse Filium*, idest, tolli de medio Filium, secundùm relationem ad Spiritum sanctum, quæ cùm intrinsecè in filiatione includatur, tollet Filium personaliter distinctum à Spiritu sancto, & faciet esse solum ad Patrem relatum, atque distinctum ab eo tantùm.

VASQVEZ tamen cum Scotistis adulterat sensum dicens, eum esse. Nam dicentes, Spiritum sanctum è Filio nequaquam procedere, necesse est intelligant à Patre solo procedere Spiritum sanctum, & consequenter hunc non esse Filium. Hæc sanè expositio aperte est falsa nam in tota periodo reddit rationes, cur negantes hanc emanationem incidant in hæreses, easque explicat. En prima; quia hinc sequitur, eos asserere Spiritum sanctum esse à solo Patre, & consequenter (profectò infert sequi errorem,) eum Spiritum esse Filium; malè ergo legunt, *& consequenter non esse Filium.* Si enim id sequeretur, esset sequela propositionem inferens Catholicam distinctionis Filij, & Spiritus sancti; at quâ logica, è Græca hæresi Concilium infert veritatem? sic enim Spiritus sanctus à Filio non spiratur. Ergo non est Filius, sed persona distincta: Sanè protestatur sequela, ex illo primo errore nouas hæreses consequi, *& consequenter*, ablata radice distinctionis, 51

distinctionis, nempe relatione ex origine tolli distinctionem, & Spiritum sanctum esse Filium. Vel si legitis *consequenter non esse Filium*, quia ablata fœcundi ate (ait Tanner.) spiratiuâ, non accepit essentiam fœcundam ad spirandum in Patre existentem; ac proinde, non spirans, non est amplius illa persona adæquata distincta à Spiritu sancto. Certò mihi concessere Scotistæ, ablata emanatione Spiritûs sancti à Filio, inferri à Ioanne in Concilio, auferri saltem vnum fundamentum distinctionis inter has personas. Imò D. Gregorio Nyss. ad Abl. teste, quem referam *num. 61*. ostendit Bessarion *cap. 6. orationis ad Concil. habita* tolli id, per quod solum distinguuntur, vt fatetur Vasq. *cap. 4*. Quomodo ergo contrarium his approbatis hoc loco inferre dicetur? Obsecro perlegite verba Concilij, & videbitis falsò Vasquez commentari.

Respondet Vasq. *cap. 3*. Concilium nil relati absurdi inferre è prædictis verbis; sed statuere potius, quod ipsi Græci secundùm veram fidem astruere debent; nempè, si Spiritus non procedit à Filio, eum saltem à Patre procedere, & à Filio distingui, ne Trinitas tollatur.

At num hæc est fides Catholica? Hæc à Græcis quæsita? Hanc ipsi tenebant, Spiritum, saltem à Patre manare: Heus mî Vasquez quid dicis? Non ne Concilium totum fuit, vt Græci confiterentur: *à Patre, filioque procedis*? Neque Trinitatem negabant. Neque Concilium nititur postea conuincere ex eorum errore sequi, non esse tres personas, vt fateris; sed solum quòd Filius non accepisset totam essentiam, quia non accepisset fœcundam. At si hoc solùm inferret; iam Græci responderent, negando sequelam; rationem verò petere principium. Hoc est enim, quod negant, essentiam communicatam Filio esse fœcundam, cùm in persona Patris proprietas sit spirare, sicut generare, (aiunt ipsi.) Benè autem, dato primo absurdo illato; quod sequeretur, tolli Trinitatem, quæ relationibus ex originibus, distinctas habet personas, iam potest supponere, essentiam Filio communicatam fœcundam; & hoc è negantibus inferre, non communicari totam.

Respondet Vasq. è *cap. 2. disput. 146*. Græcos è Scriptura, è Conciliis, & Patribus conuictos, Patrem omnia Filio communicare fateri, præter esse ingenitum; vel Patrem: at fœcunditas spiratiua non est esse Patrem, vel ingenitum.

52 Dico, Græcos in esse personali Patris, & ingeniti posuisse adæquatum fontale principium Filij, & Spiritûs sancti, & sub hac ratione Filio opponi. Hoc igitur declarat Eugenius PP. Græcis consentientibus in litteris vnionis, in fine Concilij.

His conuincitur Vasq. & cum eo Arriaga *d. 47. sect. 6*. dicens, nil nobis hunc textum prodesse.

His satis, superque fit Mastrio vrgenti. Quomodo è Græco errore sequitur, & quod spiritus non differat persona, & differat essentia à Filio. Addit Morandus sequelam hanc induci à Concilio. Non esse filium, sed distinctum: at non relatione per vos: ergo essentiâ.

P. Macedo propensum Vasquij animum landans, illicò ostendit ineptè interpretari verba illa: *Negantes, &c. necesse est, vt intelligant a solo Patre procedere, ac consequenter non esse filium*. Imo ex eo, quod sit persona à solo Patre; sequitur eam potius esse filium, non autem consequenter à Concilio inducitur contrarium, quippè Filium à solo Patre credit. Itaque eradendam negatiuam, *non*, vrget mecum, quia Concilium ibi non laudat Græcos, aut eorum fidem, sed impugnat; vt constat ex primis Concilij verbis.

Secundò ait Macedo, verba illa nec in Romana, vel Seuerini Binij, aut Stephani Paulini translatione extare; tametsi in omnibus codicibus dicat Vasq. se legisse. Esto (ait Macedo) ea exemplaria mendosa; at nostra sunt castigata, maximè cum in Græcis fontibus non sint ea verba. Sic autem se reperire, ait: *sess. 25. §. sed quoniam suspicantur*, Adamussim, *etenim qui negant Spiritum sanctum etiam ex filio procedere, profectò manifestè declarant quod ex solo Patre: si verò ex solo Patre, fuit ergo quando non Filius. Si verò dicant quod ex sola paterna hypostasi, separant re ipsa substantiam ab hypostasi atque ita per ipsos substantia in partes secabitur, quod absurdum est*.

Hinc verò infert ex illa negatione emanationis à Filio, & tolli personam Filij, & diuidi substantiam Dei. Tollitur Filius, quia non esset consubstantialis Patri: quippè virtutem voluntatis fœcundæ, non recepisset; vnde, & Arianismus. Ob id reor Concilium vti ea locutione; *Quando, &c.*

Id intendit Pontifex in litteris vnionis definiens: *Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipso quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus.*

Id verò Scoti opinionem confodit; quia si à Filio non manat Spiritus sanctus, iam Filius ex intrinseco non est Patri consubstantialis, & consequenter non est Filius, quem credimus in Trinitate, sed essentiæ diuersæ. Et ecce inconueniens secundum, diuisos essentiâ asseri: vt ait Concilium. Sequitur autem vtrumque ex intrinseco debito Personæ Filij repugnante. Quare sequitur per locum intrinsecum, non fore Filium in Trinitate à Patre, & Spiritu sancto sola personalitate distinctum; sed nullum Dei esse Filium, vel distinctum non relatione, sed essentiâ. Quare frustra Macedo insudat, vt ostendat Scoti opinionem non lædi, quæ agit de possibili; nam ostendi ex intrinseco, quod non potest tolli.

Respondet P. Macedo. Sic Latinos PP. arguere cum Anselmo. Processio Spiritûs sancti est à Deo per Deitatem: ergo si iam Filius sit, qui est Deus, debet spirare, quod si negatur spirare, negatur existere.

Quod si dicant Græci extitisse Filium, sed non spirasse, quia id conuenit Patri ratione propriæ hypostasis.

Arguit Concilium, sic diuisam essentiam ab hypostasi non interuenire spirationi; atque adeo esse aliam deitatem; nam Pater est Deus. Secundò si Deitas non per se, sed per hypostasim communicatur Spiritui sancto, debet hypostasis esse Deitas, atque diuersa à Deitate naturæ, quæ non communicatur; & in Spiritu sancto erit sola Deitas communicata per solam hypostasim, quæ non est illa absoluta. Hinc sequitur diuinitatem, quæ est in Patre esse diuersam ab ea, quæ in Filio; nam hæc Filij nil produxit: hoc optimum argumentum, ait.

Hinc educit, Concilium non afferre rationem relationum distinguentium; sed Deitatis vnientis, vt Græcos conuinceret: deinde contra Scotum hæc non vrgere, qui concedit emanationem Spiritûs sancti à Filio.

At tanti viri, cuius sapientiam admiror, pace dico, si hoc est argumentum, non vrgere Græcos, qui

qui concedunt, Filium iam genitum Deum, sed non spirare, quia est Deitatis, vt in prima Persona, sicuti, & generare; actus enim notionales sunt ab essentia, sed vt in hac vel illa persona. Itaque spirare est Patris fontis: neque sequitur hypostasim Patris esse Deitatem distinctam, aut diuersam à Deitate Filij, sed vnam, quæ communicatur Spiritui sancto; in quo non producit, neque in Filio, quia à fonte Patris in vtrumque debet diffundi. Ratio igitur à me suprà allata videatur, quâ & Scotus refellitur.

Porrò Latinos Patres vsos ratione D. Bonau. constat è Ioanne Theologo eximio pro eis causam agente. Imò & Græcos, vt patet ex dictis à Bessarione, à quo timet inuictus Macedo; nam totum Concilium plausit peroranti. Ratio vero D. Bonau. clauditur in illa confessione, vt dixi, maximè iuxta emendatiores textus, inferentes primò, fore, vt Spiritus sanctus esset Filius. Denique altera ratio sumpta ex vnitate Deitatis, & omnes aliæ validæ, sunt D. Bonau. vt testatur Sixtus V. suprà. Vnde Ioannes, & Bessarion disputarunt de relationibus oppositis.

53 Idem infert Bessarion ibi *oratione dogmatica, c.6.* è septima Synodo dicens: *Non quia nos dicimus, Spiritum sanctum per filium prodire; ideò aut est, aut manifestatur substantia identitas; non enim per nos, neque per nostrum dicendi modum, diuina essentia diuinis vnitur, aut identificatur personis; sed quia est essentia identitas; ideò prodire dicitur, & prodit per Filium Spiritus. Hoc autem Latini etiam confitentur* (ait Bassarion.)

54 Hæc est ratio D. Bonau. indicata *fundamento 2.* & affertur *fundamento 6.* & confirmatur *ad quintum argumentum.* Omnia, quæ Patris sunt, ea communicauit Filio, excepta Paternitate (quam repugnat, vt dixit idem Concilium, communicari) sed voluntas fœcunda non est formaliter paternitas: ergo communicata est Filio. Hoc argumentum desumpsit Concilium è D.Bonau. quem nouerant optimè in Concilio Lugduni controuersiam sedasse: eandem rationem è D. Bonau. sumpsit Concilium Tolet. sextum *anno* 648. celebratum, vbi habes: *Spiritum verò sanctum neque genitum, neque creatum; sed de Patre, filioque procedentem vtriusque esse spiritum, ac per hoc substantialiter vnum sunt, quia & vnus ab vtroque procedit.* Hanc rationem desumpsit è Seraphico Scotus, cui tota eius Schola magno plausu eam adscribit, quasi vnicam. At verò nil prohibet, aliis etiam argumentis comprobari, quæ plurima apud Seraphicum reperies, maximè verò allatam supponit.

55 Huic rationi illud vnum opponere potuissent Græci, Patrem communicasse filio omnia, excepta paternitate, in qua etiam fœcunditas voluntatis clauditur. Quare non communicauit eam Filio.

At vis argumenti est in eo, vt communicauerit eandem essentiam, atque adeò intellectum, & voluntatem, quæ quidem nondum habuerat suum actum fœcundum: ergo communicauit fœcundam. Nititur verò alia suprà relata, vt dixi.

56 Hanc verò rationem probat S. Doct. *fundamento vltimo* ex illo Ioannis 15. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet.* En tota ratio D. Bonauenturæ, nedum maior propositio, quam rursus in Commentario vrget cum D.Ambrosio *lib.2. de Spiritu sancto, cap.12.* Cyrillo Alexandrino *lib.11. in Ioannem, cap.1.* Nazianzeno *tract. de fide* in fine Hilario 8. *de Trin.* Anselmo *de processione Spiritus sancti*, quæ referuntur à Mastrio *num.211.* Fasolo *quæst. 36. art.2. d.1.* Amico *disput. citata*, & aliis.

Eandem rationem confirmat S. Doct. in fundamentis ex illis scripturis, quæ testantur Spiritum sanctum accipere id, quod est à Filio. Ideò dicitur: *Spiritus Filij.* Galat. 4. Ioan. 15. & aliis locis allatis *quæst. 1.* quæ supponunt, vel asserunt, Filium à Patre accepisse, vt producat; atque adeò & mittat Spiritum sanctum. Hæc omnia exaggerant Scotistæ, præcipuè Mastrius *num. 211.* Gauatius *p.2. cap.2.* atque hinc clamant, hanc solam esse rationem, hoc vnicum fundamentum assertionis; eam verò, qua infertur, futurum, vt non distinguerentur ab inuicem Spiritus sanctus, & Filius; nullo niti authoritatis fundamento, quod quàm falsum sit, ostendi, & adhuc ostendam.

D. enim Athanasius, cum multis Conciliis, atque scripturis, in Symbolo distinctionem personarum è correlatione sumit, dum eatenus distinguit, qua Pater ingenitus: Filius genitus à Patre: Spiritus sanctus ab vtroque procedens. Eam porrò doctrinam clarè etiam testatur *serm. 4.* contra Arrianos. Refertur in redargutione etiam Meletij, vbi ait: *Impossibile est in Trinitatis gloriam Spiritum sanctum numerari, si non manasset ex Deo per Filium; sed per modum creaturæ factus esset.* Hic tamen locus nil prodest, vt constat. 57

D. Gregorius Nazianzenus *orat. 5. de Theologia.* *Quid ergo est, inquit, quod spiritui deest ad hoc vt sit Filius? nisi enim aliquid deesset, Filius esset. Deesse nihil dicimus, neque enim Deo quidquam deest: verum manifestationis, vt ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diuersa quoque illis nomina procreauit:* Et subdit. *Quod genitus non sit, quod genitus, & quod procedat, hoc effectum est, vt alius Pater: alius Filius: alius Spiritus sanctus appelletur; atque ita confusa trium personarum distinctio in vna diuinitatis natura, & dignitate conseruetur.* D. Anselmus *epist. de processione Spiritus sancti. Hæc sola causa pluralitatis est in Deo vt sit Deus de Deo, quod totum potest dici relatio.* Hinc Theologi sumpsere axioma: *Omnia in diuinis sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* 58

His adiungo Richar. Victorinum *lib. 4. de Trin. cap.5. In diuina natura circa originem solam oportet quærere personarum differentiam.* 59

Isidorum appono *lib.1. differ. cap.3. Inter personam Patris, & Filij, & Spiritus sancti ita secernitur, quod Pater nec genitus est, nec procedens: Filius ex Patre genitus: Spiritus sanctus ex Patre, & Filio, non genitus; sed procedens.*

Addo D.Bernardum ep.190. *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sanè designatio.*

Tandem Boëtius lib.2. de Trin.cap.11. *Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* 60

Ne Mastrio nauseanti stomachum commoueam, concludo breuiter, alios etiam Patres eodem modo asserere relationes; easque ex originibus esse principium distinctionis Personarum diuinarum. Damascenus *lib.1. de fide, cap.11.* Fulgentius de fide ad Petrum, *cap.1.* Leo Papa *ep 91.* Dionysius *cap.2. de diuinis nominibus.* Hæc latè exponam atque ostendam *d.12. quæst.1.*

Absona est Scotistarum responsio, hos Patres sumere distinctionem à relationibus quidem, sed non à solis oppositis; sed etiam disparatis: nam sancti Patres clarè sumunt distinctionem personarum, vt per originem sunt ad inuicem relatæ. Profectò

fectò disparatis relationibus non sunt ad inuicem, magis quàm Pater, & Dominus.

61 Quod addit Mastrius; Ideò Patres asserere distinctionem ex originibus, quia nihil in diuinis distinguit, nisi habeat rationem originantis, vel originari, ineptum est: nam Patres explicant sumi ex originibus Filij à Patre: Spiritûs sancti ab vtroque. Itaque suadeo, vt electuarium recipiat ad nauseam biliosam expellendam.

Quod addit tandem, adhuc futurum, vt possit Spiritus sanctus à Filio procedere, falsum est; quia si fœcunditate diuinâ necessariâ caret; quo pacto possit spirare?

Ex his habes, perperam Vasquez, & Arriagam concedere Scotistis, non habere nos alium ex Patribus, quàm S. Gregorium Nyssenum: cæteros verò à Scotistis satis explicari.

APPONAM tamen etiam S. Gregorium Nyssenum, qui præclarè id asserit.

Is igitur, lib. ad Ablabium, vbi de diuinis personis, ait: *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solùm discerni alterum ab altero deprehendimus: nimirum, eò quòd credimus aliud quidem causam esse: aliud ex causa; & ex eo, quod ex causa est.* En quo pacto è sola relatione opposita per originem, asserit Pater hic sanctus Personas diuinas distingui. Vbi duo grauiter sunt ponderanda. Alterum est, hunc Patrem explicare, quo sensu locuti sint etiam alij Patres; nam explicat hanc propositionem, prout creditur, & astruitur ab omnibus. Ex quo fit, vt omnes alios etiam Patres in nostra habeamus sententia, ait enim. *Credimus, &c.* Vnde Bessarion loco citando sic interpretatur etiam Nazianzenum. Alterum est, hoc testimonium allegari in Concilio Florentino à Bessarione *cap. 6. orationis.* Vnde magnam obtinet auctoritatem, quia in Concilio Generali acceptatur.

Respondet primò Vtinensis Scotista, in originali non haberi particulam, *solùm*, & hoc suspicatur etiam Meldula.

Sed hoc est miserorum refugium ineptum, cum ab omnibus sic legatur in Concilio.

Respondet secundò, aliam etiam differentiam ab eo assignari.

62 Sed hoc est friuolum: nam subdit quidem: *Rursus aliam differentiam consideramus.* Sed non assignat aliam differentiam realem Spiritûs sancti à Filio, sed diuersitatem aliam emanationis à Filio; quia ab eo immediatè quidem; sed à Patre immediatè itidem; at mediante etiam Filio procedit.

Respondet tertiò cum Meldula, differentiam Scoticam assignari à D. Nysseno alio loco, scilicet contra Eunomium *lib. 1.* qui apud nos non habetur: allegatur verò à Bessarione: *Distinguitur ab eo sua proprietate, quæ est, quod vnigenitus ex Patre productus est; & quod per ipsum filium manifestatus est.* Hinc Bessarion (ait Meldula) duas differentias colligit. Prima, quod non per generationem, vt Filius; sed per processionem ex Patre sit, ac si diceret, per diuersum subsistendi modum: secundò, quòd per ipsum manifestatus sit, idest, ex Filio productus. Cùm igitur prima differentia in Spiritu sancto habeatur, quia sit, *non genitus*, sed *procedens* à Patre, profectò per hanc satis distingueretur, etiamsi à Filio non procederet.

63 Respondetur facilè, eundem Bessarionem declarare quo sensu loquatur: *His verbis* (supple Nazianzenus Gregorius) *manifestationis verbum* (ait) *æternam processionem significare, probans, prout etiam ex verbis Nysseni Gregorij apparuit, & eandem Filij, & Spiritûs sancti ab inuicem distinctionem tradens, quam & Nyssenus Gregorius: quemadmodum enim ille, eò quòd nec vt vnigenitus ex Patre productus est, & quod per ipsum Filius sit manifestatus, spiritum à filio distinguit: ita & Nazianzenus; tum manifestationis, tum relationis ad inuicem diuersitate distinctionem eorum ponit. Quod ille dixit, non vt vnigenitum esse productum, hic manifestationis diuersitatem, hoc est diuersum subsistentiæ modum. Quod verò Nyssenus, per filium ait manifestari; Nazianzenus, diuersitatem relationis ad inuicem nominauit. Relationem verò ad inuicem Filij, & Spiritus sancti nescio an aliam quisquam reperiat præter eam, quæ secundum causam, & causatum sit, secundum quam filius quidem ad spiritum, vt causa se habeat: spiritus verò è conuerso ad filium, vt causatum ad causam; & ideò diuersimodè. Aut ostendat mihi quispiam aliam inter Filium, & Spiritum sanctum relationem, secundùm quam alter ad alterum refertur.* 64 *Sed profectò nunquam reperiet. Etenim si quis nobis illam opponet, quòd Spiritus dicatur Spiritus Filij; primo quidem ista relatio, & secundùm ipsum Nyssenum Gregorium, & alios omnes Doctores non conuertitur. Nec enim Filius dicitur etiam Spiritus, nec huic ad Filium Spiritus relationi, aliqua alia Filij ad Spiritum correspondet relatio; nec eadem, neque diuersa secundum actionem, & passionem. Deinde quod dicatur Filij Spiritus, nihil aliud significat, nisi quod per filium manifestatus sit secundùm magnum Basilium: siue quod per filium procedat secundùm maximum, siue quod ex filio procedat secundum occidentales Doctores. Hæc enim quatuor, vt probatum est, æquiualent; videlicet Filij Spiritum dici: per Filium manifestari, per Filium procedere, & ex Filio procedere. Hæc autem relationem ad inuicem causæ, & causati significant. Quam Nazianzenus Gregorius audacter asseuerat, & diuinitatis personarum* 65 *Filij, & Spiritus distinctiuam esse, & causam, vt diuersa nomina habeat: & vnus Filius, alter Spiritus dicatur. Hæc autem & ipsa ratio attestatur. Diuina enim, & sancta Trinitas non magis vnum, quàm tria est: illud essentiâ: hoc personis, siue proprietatibus; vniuntur etenim vnà cum distinctione, & distinguuntur vnà cum vnitate: vt B. Dionysius ait: & quia in quibuscumque pluribus, in quibus est aliquid commune, est etiam aliquid distinctiuum: in hac etiam diuinarum personarum Trinitate, quæ sibi in vnitate essentiæ conueniunt, quærendum est illud, quod eas distinguit, & cum id non sit essentia (in hac enim summè conueniunt) in diuinis autem præter essentiam, & relationes, atque diuersum processuum modum, (quem Latini originem nominant) nil aliud intelligere sit, relinquitur; vt, vel origo, vel relatio, vel vtrumque diuinas personas distinguat. Cùm verò relatio, & origo, etsi secundùm modum intelligendi differunt (siquidem origo significatur per modum actûs, vt generatio: relatio verò per modum formæ, vt paternitas,) re tamen non differunt. Ideo vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ; priùs tamen, & principaliter secundùm modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur diuinæ personæ: consequenter autem per diuersum processuum modum, siue per originem. Quare non immeritò Theologi, & Doctores nostri Spiritum à Filio distinguentes dupliciter eos distinguunt, ab imperfectiori modo ad perfectiorem procedentes distinctionem, quæ per diuersum processuum modum fit; diuersum manifestationis modum nominantes; illam verò, quæ fit per relationes Nyssenus quidem* 66

quidem Gregorius per Filium manifestari: Nazianzenus verò diuersitatem relationum ad inuicem appellans. Patet ergo, quod hæc relationum diuersitas, relationis distinctio est; & relatiuè Filius ad Spiritum & ad Filium Spiritus refertur. Et cùm Filius, prout Filius, ad Spiritum non refertur (non enim dicitur Filius Spiritus) restat, vt referatur vt spirans. Spiritus enim spiranti: & passiua spiratio actiua spirationi correspondet.

67 HÆc latiùs more prosecutus sum, rogans Meldulam, vt paulisper stomachum contineat, vt ostendam illi primò apud Patres, distinctionem per relationes esse solùm per oppositas, vt refricat Bessarion, allegans sanctos Patres; vt notat Morandus.

Deinde ostendam duplicem illam distinctionem reduci ad vnam, quia illa, quæ ex origine, completur in relatione mutua; atque adeò non distingui personas duabus distinctionibus adæquatis, vt clamat Meldula; sed origine inchoatiuè, & imperfectè, atque complete per relationes mutuas; non autem per disparatas, aut disparatum subsistendi modum, vt fingit Meldula.

HINC eruditè Ferchius vrget rationem Seraphici, altéque conqueritur, Scotum, & sectatores, Libros integros insumere ad Catholicum fundamentum euertendum. Vrget autem *num.*41. distinctiuum diuinarum Personarum in esse reali est origo, siue relatio directè opposita originanti: at si Spiritus non procederet à Filio, neque è contrà, inter eos non esset origo opposita; neque opposita relatio. Ergo neque personalis distinctio.

Hanc rationem cæteris præferendam rectè ait Arriaga; malè tamen concedit, esse solubilem. Cùm enim tota difficultas sit in Maiori, & hæc tot auctoritatibus sit firmata; obsecro qua parte concuti valet?

68 PROBATVR verò adhuc maior rationibus. Prima est; personarum distinctarum debet dari ratio distinctiua. Sed Personæ diuinæ sunt realiter distinctæ. Ergo debet dari ratio distinctiua. Hæc autem non potest esse aliquid absolutum, vt omnes confitentur: Ergo relatiuum. Sed non sufficit relatio disparata: ergo. Minor vltima probatur: nam in Patre sunt duæ relationes disparatæ, & tamen vna est persona. Confirmatur quia intellectus, voluntas, & cætera attributa sunt inter se, & à personis maximè disparata, tamen quia non sunt opposita; non distinguuntur realiter.

Respondent Scotistæ, non asseri à se, quascumque relationes disparatas esse principium distinctionis realis; sed solùm disparatas incompossibiles in eodem supposito, quæ incompossibilitas aliunde sumitur, quam è simplici disparitate relationum, vt docet Scotus *littera, D.*

Ad confirmationem respondent cum Scoto *quodl.*5. realem identitatem relationum cum diuinis perfectionibus absolutis fundari præcisè in ratione entis infiniti, quod ex sua ratione identificat omne compossibile in illo ente.

69 Contrà primò: ens infinitum est aptum identificare omne compossibile in illo ente: at relationes disparatæ sunt compossibiles in ente illo. Ergo in eo identificantur. Confirmatur: nam generatio actiua, & spiratio actiua identificantur in Patre; tametsi incompossibiles sint in Filio: similiter generatio passiua, & spiratio actiua identificantur in Filio; tametsi incompossibiles in Patre.

Respondent Scotici, distinctionem realem in personis oriri è relationibus disparatis incompossibilibus in eodem subiecto, vt sunt filiatio, & spiratio passiua; earum autem distinctionis ratio venit, quia non potest vna res pluribus productionibus disparatis prodire; sicuti distinctio è relationibus oppositis venit, quia nihil potest se ipsum producere.

Contrà; quia si vnum incompossibilium repugnat, alterum necessariò inest. Sed spiratio actiua, & passiua sunt incompossibiles in eodem; & vnum horum incompossibilium ex hypothesi necessariò repugnat Filio; scilicet spiratio actiua. Ergo alterum incompossibile necessariò inerit Filio, nempe, spiratio passiua. Quare stante hypothesi, Filius erit eadem persona cum Spiritu sancto. Maior est Scoti *quodl.* 16. & Lichetus probat: quia si negatio necessariò repugnat: affirmatio opposita necessario inest: si enim repugnat homini necessariò non animal; iam necessariò erit animal: sic arguit Ferchius in fine capitis. 70

Respondent Gauatius, Meldula, & alij, maiorem veram de incompossibilibus immediatis in ordine ad proprium susceptibile; sicut se habent duæ differentiæ idem genus diuidentes, & subiectum in ordine ad contraria immediata, quorum est indifferenter susceptiuum, sic autem non se habent actiua, & passiua spiratio respectu Filij, qui potest esse sine spiratione etiam actiua. Eam enim non habet ab intrinseco; sed ab extrinseco. Alioqui sic liceret arguere: si vnum incompossibilium repugnat; alterum necessariò inest: sed rationalitas, & rugibilitas sunt incompossibiles, & rugibilitas non conuenit equo: ergo ei conuenit rationalitas. Item, supposità illa maiori possemus arguere. Sed generatio actiua, & passiua sunt incompossibiles in eodem: & Generatio passiua repugnat Spiritui sancto: ergo actiua ei necessariò inest. 71

INSTAT Ferchius; regula optima optimè applicatur: At extra chorum refellitur, vt ex ipsorum doctrina colligitur. Est autem regula Aristotelis 2. *Poster. text.* 28. & 29. quod si vni oppositorum inest vnum oppositum, & reliquum reliquo inerit, vt si bono inest indiuisibile; malo inest diuisibile. Sed spiratio actiua, & spiratio passiua sunt immediatè oppositæ, & spiratio actiua est Filio compossibilis: ergo spiratio passiua erit Filio incompossibilis. Et hoc quidem verum est; per hypothesim autem spirationi actiuæ conceditur incompossibilitas cum Filio: ergo spirationi passiuæ concedi debet compossibilitas cum Filio ex hypothesi. 72

Sed retorquet Meldula cum Ganatio: si vnum oppositum inest vni opposito, & reliquum reliquo inerit. Sed generatio actiua, & generatio passiua sunt immediatè oppositæ, & generatio actiua est incompossibilis Spiritui sancto: ergo generatio passiua erit illi compossibilis: & ita Spiritus sanctus erit genitus. 73

At hæc non est regula Aristotelis: vt dixit Ferchius, sed inuersa.

Respondet secundò, negando, ex hypothesi, incompossibilem esse spirationem actiuam.

At quis non videt, datà hypothesi repugnare omne

omne enim, quod ad intra non conuenit, repugnat; quia omne, quod conuenit ei, conuenit necessariò intrinsecè; in Deo enim est idem esse, & posse esse ad intrà, vt monet Vasquez *cap.6.*

74 Vrget Ferchius 2. *Top. loco* 18. datur regula de quibuscumque immediate in compossibilibus, quorum alterum inesse, vel non inesse debet, vt homini ægritudo, vel sanitas: de his Aristoteles ita scribit: *Ostendentes enim, quod inest alterum; quod non inest reliquum ostendentes erimus; si autem, quod non inest, ostendamus; reliquum inesse ostendentes erimus*: at spiratio actiua, & spiratio passiua sunt immediatè opposita, quarum alteram inesse in Filio necesse est secundùm rationem quidditatiuam Filij, scilicet spirationem actiuam: ergo si spiratio actiua non insit, necessariò spiratio passiua inerit.

Retorquent verò Gauatius, & Meldula, vt suprà, cum generatio actiua non insit Spiritui sancto: ergo illi inerit passiua.

75 Sed ineptè retorquent: nam in ea propositione est; vt alterum oppositorum conueniat. Quod verò suprà dicebant, Filio posse non conuenire etiam spirationem actiuam, ineptè dicitur: nam de intrinseco est Dei, quidquid ad intrà est. Vnde etiam rudiler retorquet de rugibilitate, & rationalitate; quarum neutra conuenit equo: hoc enim insulsè vrgetur, quia neutra est de intrinseco equi, neque est immediatè diuisa à rationalitate; sed media irrationalitate; at spiratio actiua,& passiua sunt immediatè opposita.

76 Probatvr deinde ratio D. Bonau. alio illius fundamento *hic, & distinctione* 10. *quæst*.3. & *art*.2. *quæst*. 2. Sublatâ ratione constitutiuâ Spiritus sancti tollitur & distinctiua. Sed data hypothesi tolleretur ratio constitutiua Spiritus Sancti. Ergo & distinctiua à Filio. Maior est Scotistarum. Minor probatur à D. Bonau. ex D. Augustino *6. de Trin. cap.*16. quod sumpsit Concil. Toletanum vndecimum, & ex S. Hieronymo *in psal.* 17. & aliis Patribus, quos referam, *quæst*. 7. Spiritus enim sanctus ex origine intrinsecè exigit, esse à duabus personis, vt amor mutuus, & nexus Patris, & Filij; sed amor mutuus est duorum; & nexus non est aliquorum nisi, vt sunt distincti. Idem probat S. Doct. *dist*.13. *q*.3.

Respondet Mastrius, hunc modum procedendi non esse intrinsecum. Hinc, data hypothesi variaretur Spiritus sanctus accidentaliter.

77 Contrà enim est: nam, vt arguit S. Doct. Spiritus sanctus intrinsecè manat, vt amor infinitus perfectissimus: hic autem est inter duos; vt ostendam *quæst*.7.

An verò aliquod accidens in Deo Mastrius inuenit? Vide *tractat*. 1. *d*. 3. *quæst*. 4. Vrgeo; nam Concilium Florent. *sess. vltima* asserit, debere variari Spiritum sanctum, vt suprà ostendi, quia variarentur etiam Pater, & Filius in essentia, quatenus Pater non communicaret Filio voluntatem fœcundam, vt concedit, & probat Scotus.

Respondet Mastrius *num.* 298. id sequi non per locum intrinsecum, sed tantùm extrinsecum, vt dixit *num.* 200. quatenus potentia ad intrà non est separabilis ab actu; & ideò Filius vel non haberet eandem cum Patre voluntatem; vel si haberet, & posset spirare, exiret in actum quia in æternis idem est esse, & posse.

Sed hoc argumentum tenere per locum intrinsecum fatetur Mastrius *num.*232. in fine. Addit verò secundò, neque secuturam mutationem à nobis prætensam, vt esset idem Filius cum Spiritu sancto. Hoc verò quomodo nobis faueat, dixi suprà. Interim satis est mihi inuenisse in eius dicto implicantiam.

Probatvr tertiò, argumento D. Anselmi *epistola de processione Spiritus sancti, cap.*5. quo vrgebat quemdam Episcopum negantem à Patre procedere his verbis: *Nam si non est ipsum de Patre, quòd (nempe Spiritus sanctus) cùm sit vnus idemque Pater, inueniri nequit, vnde sit alius à Patre.* 78
Sic igitur arguit S. Pater, vt notat Ferchius *cap.*10. Pater, & Spiritus sanctus sunt vnus, idemque Deus. Si per aduersarium,Spiritus hoc ipsum, quod est, non est de Patre, non est personaliter à Patre distinctus. Idem argumentum prosequitur D. Anselmus circa finem illius capitis; non esse Spiritum sanctum alium à Patre; si ab eo non manat. Ergo neque esset alius à Filio, si ab eo non esset.

Respondet Bassolius, se nolle dicere, quod quæuis persona producta, quæ distinguitur ab alia, sit ab illa. Hæc tamen responsio confusa & falsa est, & contra D. Anselmum: nam, tametsi de solo Patre loquatur in ordine ad Spiritum sanctum; tamen eadem ratio vrget etiam de Filio.

Respondet Mastrius, bonam esse illationem: si 79
Spiritus sanctus non est à Patre; cùm neque sit à Filio in sententia illius Græci, non habebit relationem aliquam oppositam, vel disparatam, per quam distinguatur; at non sequitur. Ergo si à Patre solo procedat, & non à Filio, nullo pacto distinguetur. Ratio disparitatis est, quia tunc habebit relationem disparatam.

At S. Anselmus paulò post excludit differentiam per relationes disparatas, vt notat Ferchius: nam *cap.* 6. refutat responsionem hanc, quam potuisset suo argumento afferre. Spiritum sanctum differre à Patre, quia licèt non sit ab illo per processionem; tamen alium esse ab illo, per alium modum subsistentiæ, quem habet; quæ est responsio Scoti, & assectarum, ad quam trahere conati sunt suprà Ioannem Theologum in Concilio Florentino: ergo supponit è concessis ab Episcopo, Spiritum sanctum non esse nudam essentiam; sed personam independentem: vnde S. Pater cogit eum concedere: si quis eum negat esse à Filio; negare non posse, esse à Patre.

Instant Scotistæ, Anselmum afferre duas causas distinctionis; alteram, quia est à Filio: alteram, quia habet esse diuersum in sua origine: nam emanat spiratione: at vero Filius generatione. Propterea clamant, Anselmum esse pro Scoto,quod malè concedunt etiam Suarez *lib.* 10. *cap*.2. Vasquez *d*.147. *cap*.4. Macedo ridenti. 80

Omitto, Anselmum eam differentiam assignare è sensu Græcorum, vt obseruat D. Thom. *quæst*. 10. *art*. 5. *ad* 2. Fasolus *dub*. 3. *num*. 52. Ferchius *cap*.9. Vide etiam præpositum *quæst*.36. *d*. 3. Arriagam *disp*.53. *subsec*.3. & Montoiam.

Respondetvr secundò cum eodem D.Thom. & D. Bonau. allegata *d*. 2. *quæst*. 4. quos sequitur Fasolus, distingui Filium à Spiritu sancto, quia diuerso modo procedunt. Profectò hæc diuersitas includitur in emanatione Spiritus sancti ab vtroque. Neque verò è disparatis relationibus sumit distinctionem

distinctionem: nam ex eo ibi desumpsere Theologi celebre axioma: *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*; nam, *cap.2.* ait:
81 *Hæc sola causa pluralitatis in Deo, vt sit Deus de Deo, quod totum dici potest relatio: Ergo vbi non est relatio inter res, quarum altera sit procedens: altera producens, quæ propriè est relationis oppositio, ibi nulla est causa pluralitatis simpliciter.* Et *cap. 3.* ait: *Supra dicta relationis oppositio, quia ex eo nascitur; quia Deus de Deo est; prohibet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum de inuicem dici, & propria singulorum alijs attribui*: Et mox, ait: *Pluralitas sequitur relationem*, idest, oppositam, vt suprà dixerat: & paucis interiectis diuinam vnitatem, & pluralitatem sic explicat. *Nec vnitas amittat aliquando suum consequentiam, vbi non obuiat aliqua relationis oppositio; nec relatio perdat, quod suum est, nisi vbi obsistit vnitas inseparabilis.* En clarè axioma. Ibi autem loquitur dogmaticè è proprio sensu, vt fatetur Mastrius *n.*217.

82 Futilis est autem responsio eius, aliorumque Scotistarum, Anselmum non dicere; omnia esse vnum, vbi non obuiat relatiua oppositio; sed relationis oppositio; nam relationum oppositio est, vt mutuò opponuntur: disparatorum nulla est oppositio ex enumeratis ab Aristotele *in post. Prædic. cap.1.* & 10. *Metaph.* 14. Sed elusoria est, cogens Anselmum, loqui extra chorum impropriissimè, imò falsò, vt notat Ferchius *cap. 7. num.*79. post D. Bonau. *hic* & *distinctione 4. dub. 7.* & *distinct.*13. *quæst.* 3. & cum eo P. Galitius in *post prædic.* Multas alias auctoritates, & rationes eruditè habet Ferchius.

83 Obiiciunt primò datur in diuinis distinctio realis absque oppositione relatiua. Paternitas siquidem, & filiatio de facto realiter distinguuntur à Spiritu sancto, & à spiratione passiua; & tamen illi non opponuntur relatiuè; huic enim opponitur relatiuè solùm actiua spiratio, & in concreto spirator. Hoc argumentum valde nobis molestum esse clamant.

Respondetur facilè primò cum Foresto *fol.*135. ex D. Bonau. *d.* 11. *q. quæst.* 2. Paternitatem, & Filiationem petere spirationem actiuam, vt prædicatum sibi omninò intrinsecum: quare filiatio illud includens distinguitur à spiratione passiua; nam, quamuis, enim Pater, vt sic in communi dicat solùm relationem ad Filium: tamen Pater Deus est talis, vt generet talem Filium sibi similem in fœcunditate spiratiua. Et per hoc satisfit Mastrij *n.*226. Eadem responsione vtitur etiam Granado apud Arriagam.

Respondetur secundò cum D. Bonau. *distinct. 26. quæst. 5.* distinctionem personarum non sumi præcisè è nudis relationibus, sed ex eis, vt per origines, quæ actiuè opponuntur Spiritui sancto emananti.

84 Instat Mastrius. Spiritus sanctus non emanat à Patre, & Filio, vt sunt duo, sed vt vnam habent voluntatem fœcundam, & sunt vnum principium. Ergo inter paternitatem, filiationemque non est oppositio originis cum Spiritu sancto. Probatur Antec. ex D. Anselmo *ep. de processione Spiritus sancti, cap. 6.* vbi ait: *Erit igitur diuina essentia in Spiritu sancto, non de deitate Patris, sed de relatione, quod stultissimum est.* Et in Monol. cap. 12. *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius; sed ex eo, in quo vnum sunt: nam non ex relationibus suis; sed ex ipsa sua essentia emittunt Pater, & Filius tantum pariter bonum.* Hoc etiam probat (ait Mastrius,) pluralitatem suppositorum non esse conditionem per se requisitam ad spirationem Spiritus sancti.

Respondetvr tamen cum D. Bonau. *distinctione 11. quæst. vltim. in corpore*, Voluntatem quidem fœcundam esse principium, *Quo*, Spiritus sancti, eamque communem Patri, & Filio; atque adeò non emanare Spiritum ab eis, vt ad inuicem referuntur per generationem, vt sic, sed vt vterque est Deus improcessibilis. Pater quidem communicans Filio fœcunditatem spiratiuam, dum communicat voluntatem, antequam suum exerat actum; attamen, necesse esse, emanare vt amorem mutuum, & vt nexum Patris, & Filij; ac proinde exiguntur duo supposita distincta; tametsi habentia eandem fœcunditatem voluntatis, & hoc sensu intelligit D. Anselmum, quem adducit, qui de solo principio, *Quo*, loquitur, non de principio, *Quod*; hoc enim debet esse duorum suppositorum mutuo se inuicem amantium. 85

86 Ex hac doctrina colligitur altera responsio ab aliis, filiationem ideò opponi Spiritui sancto, quia est receptiua spirationis actiuæ; non quidem vt potentia, sed vt suppositum, quod ratione spirationis actiuæ distingui debet: non enim solæ relationes oppositæ distinguuntur, sed etiam supposita. Itaque non solùm distinguitur spiratio actiua, & passiua, sed etiam spirator, & spiratus. Ita multi apud Arriagam, & Bellarminus *lib.2. de Christo, cap. 26.* apud Gauatium *2. p. cap. 2.* & Mastrium *num.*229. qui omnia impugnat, sed elapsis fundamentis.

Arriaga respondet, spirationem actiuam esse actionem, quæ est suppositorum, & quia Paternitas, & Filiatio sunt principia constitutiua personarum, quæ sunt principium (*Quod*) spirationis, necessariò debent distingui à termino producto.

87 Obiiciunt secundò cum Scoto *1. d. 11. quæst. 2.* Quocumque aliquid formaliter constituitur in esse eodem, etiam distinguitur à quocumque alio talem entitatem non habente: sed Filius constituitur in esse Filij per filiationem, & non per spirationem actiuam: ergo Filius distinguitur à Spiritu sancto per filiationem, & non per spirationem actiuam.

Respondet P. Galitius *lib.1. Dialect. tract.7. c.2. num.6.* ex D. Bonau. *1. d. 9. quæst.2.* præcipuè *ad 4.* & *d.34. quæst.1. in corpore*, vbi eum sequuntur Nazarius *quæst.36. art.2. controu.1. ad primum*, Caietanus ibi, Bañes *dub.3. ad 1.* Torres *p.2. commentarij ad 3.* & alij Thomistæ ibi, & Ferrar. *4. cont. Gentes c.24.* Molina *quæst.36. art.2. d.3. ad 2.* Auersa, & alij apud Mastrium, maiorem veram esse, quidem in relatiuis etiam disparatis creatis, quæ distinguuntur sanè relatiuè à correlatiuis: disparatè verò ab omni alio alterius generis, vel speciei; attamen in diuinis cætera omnia vniuntur, exceptis relatiuis oppositis: ac propterea viget axioma: *In diuinis omnia sunt vnum*, vbi *non obuiat relationis oppositio*, vt suprà ostendi; etiam è D. Anselmo, qui, tametsi videatur innuere aliam distinctionem è diuersitate emanationum, vt clamant Rada, Meldula, Faber, & alij; tamen ea non satis probari distinctionem realem restatur *cap. 3.* illis verbis: *Cum apparebit, quia*

quia Spiritus sanctus est de Filio: tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus sanctus; neque Spiritus sanctus Filius; vt aduertit Forestus *fol.*436 exprimens, disparatam emanationem non afferre in diuinis distinctionem realem, nisi vt est ad oppositiones relatiuas terminata, vt suprà ostendi; & explicuit S. Bonau. suprà cum D. Thom. *hic ad* 7. & *quæst.*10. *de potentia*, *art.*5. *ad* 2. & latè prosequitur Nazarius *con. l.* 3. sic explicabis omnia, quæ hinc aggerat P. Macedo.

88 Ratio verò, cur in diuinis non possit è dispara is aduenire distinctio realis, est D. Bonau. *loc. cit. d.* 26. & D. Thom. *loc. cit.* quia distinctio in diuinis venit non per additionem qualitatis, seu naturæ ad naturam, sicuti si adderes albo simili esse æquale, quod addit quantitatem; sed est in eadem natura communicatio per originem: ideò non potest ibi esse alia distinctio realis, quàm per originem vnius ab alio; atque adeò per mutuam relationem. Quomodo autem vniatur filiatio constitutiua Filij, cum spiratione actiua? ratio est, quia etiam spiratio actiua est de intrinseco Filij; licèt enim Filius per filiationem constituatur; tamen ea includit etiam vim spiratiuam, sine qua non esset ille Filius, qui nunc est, vt aduertunt Lezana, Amicus, & alij suprà allegati. Hac docta responsione, quam frustra in frusta concidere nititur Meldula *a n.* 234. vt facilius illam infringat; Hinc defluunt instantiarum vortices, quos aggerat, exagerat, vrget, atque profundit. Frustra verò e nuda Metaphysica congerunt Scotistæ. Ex fide enim hæc sunt præcipuè colligenda.

89 Parum ab hoc recedunt Suarez *lib.*10. *de Trinitate*, *cap.* 2. Fasolus *d.* 3. Ferchius *cap.* 9. concedendo, idem esse principium constitutiuum formale, & proportionatè distinctiuum ab alio quocumque; sed addunt, nec Spiritum sanctum spiratione passiua: nec filiatione Filium, quomodolibet spectatis, constitui. Sed illum spiratione passiua, vt est à Patre, & Filio: istum filiatione, vt habet spirationem actiuam adnexam; quo fit, vt sublata à Filio spiratione actiua, velut passiuæ spirationis termino, auferatur à Spiritu sancto spiratio passiua. Et sic non maneat Spiritus sanctus: è conuerso etiam non maneat idem Filius, qui est per se spiratiuus. Vide Ferchium latiùs, ac strictiùs prementem Scotica fundamenta.

90 Hinc soluitur alia Scoti instantia. Quodlibet habens aliquod esse, distinguitur distinctione conueniente illi esse à quouis alio per aliquid, quod est de ratione eius, in quantum habet tale esse. Igitur Filius personaliter distinguitur per aliquid, quod est de ratione eius, in quantum est persona. Spiratio actiua non est de ratione eius, in quantum est persona. Sed Filio iam posito aduenit, quasi proprietas: ergo Filius non distinguitur personaliter per spirationem actiuam, quæ est posterior. Consequentia patet, quia ex 10. *Metaph.*11. Omne ens cuilibet enti comparatum vel est idem, vel est diuersum: nam idem, & diuersum immediatè diuidunt ens: Huic argumento gloriatur Arriaga nullum ante se fecisse satis.

91 Respondetur cum D. Bonau. 1. *d.* 4. *dub.* 2. & *d.*19. *p.* 2. *quæst. vltim.*, *ad quintum*, & suprà *citatis locis*, admissa prima consequentia, negando subsumptum; quia, licèt spiratio actiua in actu secundo adueniat personæ Filij, inest tamen intrinsecè fœcunditas, quia talis Filius personaliter non esset, nisi fœcundus ad spirandum, tametsi actio spiratiua adueniat Filio iam constituto. Fœcunditas autem actiua ad spirandum repugnat cum Spiritu sancto. Ad axioma Aristotelis respondetur, negando in diuinis esse verum; tametsi in creatis verificetur: ens quidem creatum, quod est aptum numerari, vel est idem, vel diuersum; non sic increatum, & sic Spiritus sanctus est secundùm essentiam idem cum Filio; secundùm personam non. Rursus est idem secundùm disparata, quia continet aliquid, quo prohibetur fieri distinctio, nempè inclusam fœcunditatem actiuam originis spiratiuam, secundùm quam illicò repugnat spiritui conuenire. Ideò enim S. Bonau. *dist.*11. *dub.*2. cum Magistro, ait, Patrem gignendo dedisse spirare; & hoc spirare esse genitum.

Obiicit adhuc Scotus vrgens suprà allatum argumentum: si Pater per impossibile non spiraret; sed Spiritus sanctus esset à solo Filio; adhuc Pater distingueretur à Spiritu sancto. Ergo pari ratione, si Spiritus sanctus procederet à solo Patre, adhuc distingueretur à Filio. Antec. conceditur communiter. Consequentia patet; quia tota ratio procedit vtrobique.

Respondetur communiter, negando consequentiam, negata paritate: nam in eo casu, licèt Spiritus sanctus non procederet à Patre immediatè, procederet tamen mediante Filio: sicuti igitur nepos producitur ab auo, medio suo Filio; ita in casu nostro: ex quo infertur etiam distinctio, sicuti causæ, & effectus, quia quod est *causa causæ*, est etiam *causa causati*, alioqui idem mediate se ipsum produceret, vt ait Morandus. Hæc est responsio S. Bonauenturæ *d.* 11. *quæst.* 3. *fundamento* 3. quam summo plausu omnes accipiunt, vno ferè detracto Gregorio, de Valentia, qui negat antecedens Scoto. 92

Contra instant Scotistæ, quia nepos non distinguitur ab auo per solam originem mediatam ab illo; sed præsertim per suam intrinsecam differentiam indiuidualem, ac personalem proprietatem, adeò vt, si non esset ab illo mediatè, adhuc realiter personaliter distingueretur ab illo: ergo sic & Spiritus sanctus per suam intrinsecam proprietatem personalem distingueretur à Patre: etiamsi non esset ab eo mediatè: nam esse mediatè ab alio, non est formale constitutiuum eius, quod manat: Confirmatur, quia esse hunc ab alio, vt à causa suæ causæ, non est propriè esse ab illo: nam primus nil influit in tertium, id est, causatum; sed solùm in secundum, & axioma illud: *quod est causa causæ, est etiam causa causati*, ab omnibus intelligitur, non de *per se causa* causati; sed de causa *per accidens*. Igitur si Spiritus sanctus esset à solo Filio, esset à Patre per accidens.

Hæc tamen inania sunt; nam, quamuis concesserim, nepotem ab auo differre, etiam suâ differentiâ indiuiduali, & personalitate; nil prohibet dari etiam aliam rationem realis distinctionis, quod vrgent Scotistæ in diuinis absque causa, vbi est vna simplicissima natura Trinitatis; & personæ de fide identificantur cum essentia, & omnia sunt vnum, exceptis relationum oppositionibus. Quid verò mirum, si Nepos sit sua indiuiduali differentia constitutus, cùm sit natura distinctus, & personalitate absolutâ ab auo diuisus? Quòd verò *causa causæ sit causa causati per se*, probatur, quia dat virtutem, quæ est *per se* causa. Sic enim generans lapidem dat ei grauitatem; atque adeò est causa effectus ipsius grauitatis, qui est motus deorsum. Sic in aliis causis, dummodò id, quod producitur à causa secunda non sit extraneum causæ primæ, vt notat P. Galitius 93

ctus *lib. 1. dialec. tract. 7. c. 2. n. 3.* ex D. Bonau. *in 2. d. 34. p. 1. q. 1. ad quartum.* Vnde licet Deus sit causa liberi arbitrij, non est tamen causa peccati; quia peccatum non est effectus, sed defectus extraneus à Deo. Quod limitat Scotus, si causa media sit causa tertij. Si enim non est causa; falsa est propositio, v. g. Cœlum est causa auri. Ergo est causa auaritiæ: negatur consequentia; quia aurum non causar auaritiam per se. Ex quo habes, dogma esse verum per se, vt colligitur è Scoto 4 *d. 1. q. 4. §. Ad primam ergo quæstionem*; at Mastrius, & alij Scotistæ confundunt causam mediatam cum causa per accidens. Falsum est autem, id, quod aiunt Smisingh. *d. 4. q. 2. n.* 74. & Mastrius *n. 2; 1.* causam causæ nil influere in causatum, & futurum eundem effectum, etiam si causa non esset à causa illa. Profectò si à prima causa non haberet virtutem eandem, non produceret illum effectum, vt patet.

94

Vide D. Bonau. *dist. 12. q. 3.* præcipuè *ad 2.* vbi causam mediatam à causa per accidens distinguit.

Respondetur secundò ex D. Bonau. *loc. cit. in 1. dist. 12. q. 3. fundamento 2.* qui adducit Richardum, *5 de Trin. cap. 8.* non posse dari hanc hypothesim, quia sequerentur ambo contradictoria: quod distingueretur Spiritus à Patre, vt aduertit Forestus *fol. 436.* ex Molina: neque mirum, vt aiunt Valentia, & Ferchius; quia abyssus abyssum inuocat.

95 Obiicit adhuc Scotus. Idem non potest duabus productionibus totalibus accipere esse: at generatio, & spiratio, etiam si essent à solo Patre, essent duæ adhuc productiones totales diuersæ: ergo & Filius, ac Spiritus sanctus accipientes esse per illas; non possunt esse vnus. Hoc argumentum (ait Ferchius *n. 100. cap. 6.* & clamat Meldula *n. 257.* vrget etiam in sententia D. Bonau. qui *in 1. d. 7. dub. 4. litteræ*, ait: quod Spiritus sanctus non potest generari, & spirari simul; quia quamuis vna persona possit duobus modis producere; tamen vna persona non potest duobus modis produci. Et paulò infrà dicit, quod non est simile. *Pater potest generare, & spirare.* Ergo Spiritus sanctus generari, & spirari: quia non est inconueniens, vnum principium pluribus modis producere: sed vnum principiatum duobus modis produci est impossibile: eandem doctrinam habet *dist. 13. q. 2. ad vlt.* & *q. 3. in corpore, & ad quartum.* Vbi obseruat Mastrius *n. 262.* Seraphicum non solùm de facto rem ita se habere voluisse, vt putat Ferchius; sed etiam de possibili, quia Metaphysicè suis rationibus formalibus exigunt distinctis productionibus educi.

96 Respondeo ex D. Bonau. *1. d. 13. q. 3. in corpore*, quem T.T. sequuntur communiter. Si spiratio esset à solo Patre, non fore duas productiones duorum suppositorum realiter distinctorum; eorum enim distinctio realis non sumitur adæquatè ex principio, *Quo*, sed etiam ex diuerso principio, *Quod.* Quia enim spiratio est emanatio per modum connexionis ideò est à duobus suppositis, quo fit, vt, si à solo Patre esset, produceretur alius, qui à solo Patre differret, & cùm nullam oppositionem haberet ad filium; identificaretur realiter cum illo, ad modum, quo cætera omnia identificantur; saltem realiter. Itaque à Filio differret solùm formaliter ad summum, quia non esset alteruter terminus adæquatus, vt notat Morandus.

Instat Mastrius, & alij. Concilia, & Patres distinctionem Personarum sumunt è processionibus; & processionum è duplici principio *Quo*, ita Augustinus, Nazianzenus, Damascenus, & alij plurimi apud Macedum, *sect. 6.* vbi addit Scripturas distinguentes Filium, quia Verbum è Patre, &c.

Respondetur, eos supponere emanationes, vt sunt modò, quæ ad correlatiuos referuntur, tenent enim, distinctionem aliam realem non esse in diuinis, præter correlationum, præcipuè August. Nazianzenus, & Damascenus. Quod verò Principij *Quod* variatio mutet rationem emanationis, ostendam *quæst. 7.* 97

Quæ cum ita sint, etiam si daremus Scotistis id, quod tam auide petunt, emanationes esse realiter diuersas inter nos, esseque productiuas terminorum realiter distinctorum; etiamsi disparati tantùm sint; attamen in diuinis res alio modo se habet, vt acute discurrunt sapientes D. Bonau. *dist. 26. q. 3.* & *dist. 13. q. 3.* quia omnia in Deo ex fide vnificantur, exceptis oppositis relationibus. Quare, sicuti vnificantur perfectiones essentiales, quæ inter nos realiter sunt distinctæ, etiam vnificantur emanationes, & termini ablatis oppositionibus relatiuis ex origine. Quod si in filio vnificatur relatio passiua Filij, cum actiua spirantis; multò magis vnientur realiter duæ passiuæ, sublatis oppositionibus ex origine, & ita, licèt non possit idem duabus productionibus esse productum, tamen id fiet, quoties suppositum constituendum sit relatione ex origine distinctum; vt ait Durandus cum D. Bonau. suprà, & communiter: sic enim ablata correlatione vnificantur absoluta, & relatiua, quæ magis distant, quàm relatiua disparata, vt fatetur Faber à *num. 10.* sic elidìtur Scotistarum primum fundamentum. 98

Quod verò dicebant Scotistæ, Filium iam constitutum differre personaliter à Spiritu sancto, non emanante à se, sed à Patre per aliam diuersam emanationem, falsum est, quia suprà ostensum est, spirationem actiuam in actu primo esse de ratione Filij. Quod si hæc ad constitutionem Filij non faceret, neque faceret ad distinguendum eum à Spiritu sancto, quia idem est principium constitutiuum, & distinctiuum apud Scoticos.

Obiiciunt adhuc: si Pater solus spiraret, produceret voluntate, non aliquid absolutum; quia absoluta sunt improducibilia; non nudam relationem: ergo personam. 99

Respondetur, producturum personam à se distinctam realiter; sed ad Filio solùm formaliter, vel virtualiter: esset enim alia, quàm nunc; sicuti alius esset Filius, quia careret fœcunditate spiratiua, quæ includitur in esse Filij, non quasi materialiter identicè; sed formaliter, quia talis est Filius intrinsecè fœcundus. Per quod satisfit interrogationi Arriagæ, & Mastrij.

Hoc Epiphonemate claudo. Tanta, tamque odorata lignorum strues: talis Patrum Sacro-Sanctus in Concilio odorem suauitatis in orbe euaporantium Senatus, ad Spiritus sancti ardentem afflatum, ad suum ortum flammigerum è corde Patris, & Filij testandum Seraphicæ Phœnici Bonauenturæ nidum contexuit, in quo, sole Patre; Nato, splendore; Spiritu, igne; ardens, emoriensque multiplicauit sæcula: Grande opus hæc veritas. Cineres collegit Scotus ardentes, eosque compinxit: eis eximios addidere ministri colores; Mastrius, & Macedo præsertim gigantem exinde formarunt.

QVÆSTIO IV.

An Spiritus sanctus procedat principaliter, aut principaliùs à Patre.

D.Bonau.d.12.q.2.
D. Th. quæst.36. art.3.ad 2.

SVPPONO, Spiritum sanctum non priùs esse à Patre: de quo agit S. Bonau. *d.* 12. *quæst.* 1. & quidem duratione non prius procedere probatur à S.Doctore, quia in diuinis non datur priùs, vel posterius, vt habetur in Symbolo Athanasij. Neque causalitate; daretur enim diuersitas principiorum. Sic enim prius esset productus, quàm à Filio produceretur, & sic vel à Filio non esset; vel bis produceretur; non autem semel,tanquam ab vno principio, vt fides docet, neque esset amor mutuus, & vniens Patrem, & Filium: ex quo fit etiam,vt non sit priùs origine à Patre,quàm à Filio; alioqui non esset ab vtroque, tanquam ab vno principio.

100 POTEST tamen dici, prius authoritate procedere à Patre; quia Filius accipit à Patre virtutem spiratiuam.

OBICIT verò sibi: causa prima est, quæ agit, alia non supposita; vnde in ea est status. Talis est Pater: ergo.

Respondet S. Doct. esse quidem primum, quia dat & Filio; attamen producit, & vnum principium cum Filio.

OBICIT secundò. Qui habet à se, prius est, quam, qui habet ab alio. Pater habet spirare à se: Filius verò à Patre: ergo.

Respondet S.Doct. hoc probare ordinem spirantium, non autem spirationis, quæ est ab vtroque, vt vno principio; vt docet etiam Scotus: ratione verò originis est prior spiratiuus Pater, quo sensu potest dici principalior,quod idem concedit *quæst.*2. & cum eo Durand. *quæst.*2. Marsil. *in* 1.*q.*15. *art.*2. *concl.*2. qui id absolutè comparatiuè concedunt. D. verò Thomas dicit, *principaliter*, cum Gabriele *q.*3.

101 Addit verò S.Bonau. procedere à Filio, etiam *principaliter*, quo euacuatur omnis suspicio instrumenti, vel minoris perfectionis, quam timere videntur in hoc dicto Vasquez *ad art.*3. *D. Thom.* Tanner. *disp.*4.*q.*4.*dub.*5. Suarez *lib.*10. *c.*3. nam S. Doct. *in corpore* declarat,quod si *principaliùs* mussitet aliquid perfectionis maioris, est omninò negandum, vt ait Alarcon. *disp.*9. *c.*28. Morand. *n.*616.

102 OBSERVANDVM autem cum Vasquez, Seraphicum sumere (*principaliter*) provt dicit comprincipium, seu constituens vnum principium cum Patre; at accipere *principaliùs* provt hoc principium sunt duæ personæ comparatæ spirantes, quarum tamen altera habet hoc; vt sit origo alterius, & hoc sensu comparatiuum conuenire Patri, non autem comparate ad primum sensum. Quare comparatiuum duplici sensu sequitur positiuum, & vno acceptatur, & altero respuitur à S.Doctore. Itaque perperam reprehenditur à quodam Theologo apud Scotum, quasi abuteretur comparatiuo (*principaliùs*) ad significandum solummodò, sic esse à Patre, quia à se habet vim spiratiuam, in quo non potest comparari cum Filio, quia eam habet à Patre, atque adeò non capit positiuum: comparatiuum enim (*principaliùs*) non cadit super esse à se; sed cadit super spirari principaliùs, quatenus habet hoc suprà filium, idest esse à se.

ASSERENDVM, eo tantùm sensu principaliùs à Patre, quàm à Filio manere Spiritum sanctum, quatenus Pater dat Filio virtutem spiratiuam; non autem quod pleniùs, aut perfectiùs à Patre procedat. Ex quo habes, Seraphicum ponere hanc assertionem ad aliorum assentium, absolutè principalius esse à Patre, dictum restringendum; non quia ipse sentiret (*principaliùs*) propriè significari hoc sensu.

Hinc eruit conclusionem; non posse dici emanare pleniùs à Patre.

PROBAT S. Bonau. quia totum esse accipit à Filio habente eandem vim spiratiuam, eadem perfectione producentem; neque plus aliquid à Patre accipit. Ex quo infert S. Doct. neque principaliùs in proprio sensu emanare à Patre: hoc enim sensu *principaliùs* diceret magis, & minùs: perfectiùs, & imperfectiùs in emanatione Spiritus sancti, & auferretur simplicitas, & vnitas spirationis, quia etiam ablata est prioritas, & posterioritas realis, respectu etiam generationis, ita vt hæretico petulanter quærenti an Spiritus sanctus processerit è filio iam nato; vel ex eo non nato, opportune responderit Magister *d.* 12. *ex* D. Augustino 15. *de Trin. cap.* 26. neutro modo processisse: quia non bene diuidit hæreticus per contradictoria; cùm simul sit medium, in quo fuit generatio, & spiratio. Hinc allegati omnino negant eum modum. 103

Aliqua soluit argumenta, quæ videbantur probare, Spiritum sanctum principaliùs idest, pleniùs esse à Patre.

PRIMVM est. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*, ex Aristotele 1. *Poster. t.* 5. sed Filius spirat, quatenus habet à Patre spirare. Ergo multò magis Pater. 104

Respondet, maiorem veram, vbi est pluralitas causarum, & capacium magis, & minùs; at non sic est in casu hoc; quia sunt vnum principium simplicissimum.

SECVNDVM. Causa prima plus influit, quam secunda, ex *L. de causis*, *prop.*2. Ratio est quia virtutem à prima accepit. Pater est primum principium spirandi: ergo.

Respondet eodem modo: est enim diuersa virtus in causa prima, & secunda & hæc à prima pendet externè, ideoque prima causa potior: non sic in diuinis, est enim vna virtus, & si in filio accepta, vt ait & morandus.

TERTIVM. Pleniùs procedit aliquid ab eo, à quo principaliter. Sed Spiritus sanctus à Patre procedit principaliter ex D.Aug.15.*de Trin.c.*11.ergo.

Respondet *principaliùs*, & *principaliter* impropriè adhiberi *hîc* comparatiuè, & quidem positiuè principaliter esse etiam à Filio,nominat verò S.August. Patrem, ne videretur esse principium solùm, mediante Filio, non immediatum immediatione suppositi. 105

QVARTVM. Pleniùs procedit aliquis ab eo, à quo habet quicquid habet, scilicet substantiam & proprietatem, quàm à quo non habet. Spiritus sanctus habet à Patre,& quod sit,& quod procedat à Patre, & Filio; à Filio autem non habet, quod procedat à Patre, quia tunc Filius daret aliqui Patri: ergo.

Respondet,quod habere à se,vel ab alio non ponit gradum plenitudinis: vnde,quamuis Filius habeat à Patre virtutem spiratiuam; habet tamen ita perfectam, sicut est in Patre; sicuti etiam habent ambo eandem Deitatem. Itaque Spiritus sanctus ab vtroque idem esse recipit, eandem recipit proprietatem; esto verò recipiat à Filio, recipiente

virtutem

virtutem à Patre; non tamen recipit, vt à Patre, sed vt à Filio iam spiratore.

QVÆSTIO V.

An Spiritus sanctus procedat immediatè à Patre, & Filio.

D.Bonau.d.12. q.1.
D.Th.q.36.art.3.

QVÆSTIO est: An Pater non sola immediatione virtutis, quatenus dat Filio virtutem spiratiuam; sed etiam ipse immediatione suppositi spiret Spiritum sanctum.

ASSERO primò, Spiritum sanctum esse à Patre mediante Filio, quatenus dedit Filio vim spiratiuam.

106 PROBATVR à D.Bonau.1. ex D. Hilario 12. *de Trin.* vbi sic Patrem alloquitur: *Spiritum sanctum, qui ex te, per eum (idest Filium) est, promerear.* Hac phrasi vtuntur Græci. Spiritus sanctus à Patre procedit per Filium, vt refert Bessarion in Concilio Florent. *in oratione sua, cap.7.* vt claret in Cyrillo *lib.11. in Ioan. cap.1.* Athanasio *in Redargutione Meletij circa finem*, & Damasceno *lib.1. de fide, cap.11.* vbi tamen negat Spiritum sanctum ex Filio esse, vt aduertit D. Bonau. *dist.11. q.1. ad vltimum*, vbi notat, eum non negare, quoad rem, esse à Filio; sed ait, non dici; quia putauit particulam *à* significare primum principium originale, quod est Pater, Filius verò est principium de principio. Et hac de causa tantùm, cum Damasceno id negarunt alij Patres Græci, vt testatur Concilium Florent. *in litt. vnionis*, & Bessarion. *c.7. orationis suæ*, in Concilio, & aduertunt Suarez *lib.10. c.1. num.13.* Vasquez *disp.146. cap.7.* Tannerus *disp.4.q.4.dub.5. num.23.* qui Damascenum excusant; tametsi alij eum erroris damnent, vt D. Thomas *q.36. art.2. ad 3. & quæst.10. de potentia, art.4.* & idem refert, se audisse Seraphicus; sed tamen ad bonam frugem

107 reuocat. Profectò hæc phrasis: *Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium*, in sensu D. Bonau. acceptatur etiam à D. Thom. *q.36. art.3.* & cæteris Scholasticis, & à multis etiam Latinis Patribus adhibetur; quia hoc modo loquendi significatur Spiritus sancti à Patre processio mediata, vt notat Valentia *q.10. p.4.* quamvis non negetur, procedere etiam immediatè ab ipso Patre simul, & Filio. Quo sensu Concilium Florent. *sess. vltima*, declarat: *Declarantes quod id, quod Sancti Doctores, & Patres dicunt. Ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, Filium quoque esse secundùm Græcos causam: secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut, & Patrem.*

Apud antiquos Græcos sanè erat idem manare à Filio, & à Patre per Filium: nunc verò Moderni Græci negant apertè, vllo modo manare à Patre, & Filio concedentes manare per Filium, quasi simul cum Filio à Patre esse; quos redarguit Bessarion in Concilio, & Valentia *loc.cit.* Morand. *n.616.* Tannerus *n.24.* tanquam insulsos. Et S. Bonau. *loc.cit.* suæ modestiæ non oblitus, sed tanta perfidia permotus vocat maledictam progeniem, quippè nullum è Patribus Græcis habeant ita apertè locutum, quod ostendit S. Doct. sed negabant, esse à Filio, idest, tanquam à primo principio, quo sensu etiam solum Patrem causam fatebantur Spiritus sancti, idest,

108 primum principium; sic locuti sunt Damascenus suprà, Maximus epistola ad Marinum, vt notant Vasquez, & Tannerus, qui ad bonum sensum non renuunt vocare Theophylactum, & Euthymium; quod tamen renuit Suarez, sed frustra: nam ille *ad 3. Ioan.* hic *ad 14.* negant quidem, Spiritum sanctum à filio, sed fatentur dari per filium, & ideò esse Spiritum filij, quod de emanatione æterna debet intelligi. At neque negant, Spiritum sanctum esse à Filio in sensu nostro; nam ideò ibi negant spiritum ex filio procedere, ne concedantur duo principia spiritus. Tandem videtur eos excusare, & Concil. suprà, & Bessarion.

PROBATVR à S. Doctore secundò assertio ex D. August. 5. *de Trin. cap.8.* vbi ait: *In diuinis est processio immediata tantùm, & mediata, & immediata; mediata verò sola esse non potest*; & ait, quod mediata, & immediata simul, est Spiritus sancti à Patre processio.

PROBATVR tertiò. Similis est processus in Trinitate imagini creatæ; sed amor procedit à mente mediante intelligentia: ergo & Spiritus sanctus à Patre mediante Filio: si dicas, non esse simile. Contra: ergo destruitur ratio imaginis; hæc enim debet repræsentare ordinem, & originem personarum, & non solum numerum, quia hic etiam in vestigio exprimitur. 109

ASSERO secundò. Pater etiam immediatè immediatione suppositi spirat Spiritum sanctum.

PROBATVR primò à D. Bonau. argumento primo opposito, addito responso. Agens immediatum est nobilius solo mediato. Pater est agens nobilissimum spirans: ergo.

PROBATVR secundò. Agens mediatum metum non attingit effectum propria actione, & ideò actio mediata diuersitatem agentium principiorum, & separationem secum fert; sed Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti ex Concilio Lugdunensi, *cap. fideli*, & ex Florentino: ergo. Hoc fundamento nititur Suarez *lib.11. cap.3. num.5.* 110

PROBATVR tertiò è *resp. ad primum.* Filius non potuit habere virtutem spirandi, nisi à Patre; quia omnia à Patre accepit, vt fatetur toto sermone cœnæ: ergo eam habuit Pater in se primò: *Nemo enim dat, quod non habet.* Deinde illa virtus est essentia, & voluntas fœcunda; neque minùs hæc debet esse in vna persona, quàm in altera ex his duabus: neque Pater hanc virtutem Filio communicando, se illâ priuauit. Imò est vna voluntas, vna volitio fœcunda, vnus actus: ergo. Sicut enim Filius accepit hanc virtutem per intellectum, qui est prior voluntate, & consequenter eam accepit fœcundam; ita habuit fœcundam Pater ipse. Ergo hac virtute suppositum Patris immediatè spirat, & non solùm mediante Filio. Dat lepidum exemplum. Pater Adam genuit Abelem, mediante Eua, cui dedit corpus; sed & immediatè ex Eua eum genuit. Hoc planè vult S.Doct. *dist. 12. quæst.3. ad 1.* cui insudat Fetchius *tract.1. de Angelis, q.12. cap.2.* Ordine Pater spirat mediante filio, quia virtute data Filio; immediatè tamen, quia eadem virtute communi spirat fœcunda actione. Id exprimit Capull. *d.12.q.3.p.4.* 111

Ex his habes primò, quid velit S. Damascenus *1. de fide, cap.18.* dum ait: *Spiritum sanctum per Filium coniungi Patri*; & D.Nyssen.orat. Quod tres Deos non oporteat: *Filium sine medio è prima persona: Spiritum sanctum per eum, qui immediatè est.* 112

COLLIGE secundò, quàm longè absit hic modus emanandi Spiritus sancti à Patre per Filium ab

eo, quo manant ad extra creaturæ, de quibus Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Per Filium quidem Pater creauit, dans ei in generatione essentiam, & virtutem creatricem, vt exponit Chrysost. *homil. 4. in Ioan.* ipse verò Pater eadem virtute creauit communicando rebus esse, & essentiam extra; at non sic fecit Spiritum sanctum, vt lattabant Eunomius, & Macedonius; sed, vt ait D. Cyrillus lib. 13. Thesauri, cap. 3. *Dicimus, quod non similiter Spiritus sanctus, & cætera omnia dicuntur ex Deo esse; nam Spiritus sanctus essentialiter in ipso Deo est, & inseparabiliter ex Deo prodit: Creatura verò ex Deo Patre per Filium in Spiritu sancto ad extra producta sunt.*

113 Collige tertiò cum Foresto, *fol. 463.* Non posse e conuerso dici: Filius per Patrem spirat; nam cùm opposita significet, Patrem per Filium spirare, quia dedit Filio virtutem ad modum, quo dicitur Rex per Prætorem iudicare. Profectò non rectè dicitur Filius per Patrem spirare, quippe nullam ei virtutem dedit. Quicquid in oppositum sentiat Durandus, & Torres, admittentes, illud dictum, sic exponentes, Filium spirare per Patrem, idest, virtute ab eo recepta, hic enim modus loquendi nouus est, & inducit Patrem, quasi medium, & ordinem personarum inuertit.

QVÆSTIO VI.

An vnica sit virtus, qua Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum.

D. Bonau. d. 11. q. 2.

114 CVM duo genera principiorum ad agendum assignentur: alterum, *quo*, idest virtus, qua agens agit: alterum, *Quod agit*; vt docet Aristot. 5. *Metaph.* videndum est; an Pater, & Filius vna virtute spirent. Mox verò inquiram de principio. *Quod*: an debeant esse duo supposita; & postea: an duo supposita vna virtute spirantia sint propriè vnum principium Spiritus sancti. Hæc autem discutiuntur ad Græcorum argumentum eluendum, quo inferebant, nos asserere duo principia Spiritus sancti, dum hunc à Patre non modò; sed etiam à Filio emanantem asserimus. Ideò Latini in Concilio Florentino *sess.* 18. responderunt inclamando anathema, asserentibus duo principia Spiritus sancti.

Assero, vnicam esse virtutem, qua Pater, & Filius spirant.

115 Probatvr primò à S. Doct. *fundamento* 2. Ex vnitate actus, siue originis, & termini adæquati, rectè etiam colligitur vna virtus tali actui proportionata, & adæquata, sed actus spirationis, & terminus adæquatus est vnus: ergo, & virtus.

Probatvr secundò à S. Doct. *fundamento* 3. & 4. Si plures virtutes requiruntur ad spirandum Spiritum sanctum, vel sunt partiales, vel sunt totales. Si partiales, ergo quævis earum est imperfecta, & insufficiens, & neutra persona est principium perfectum, sed ex vtraque fit vnum perfectum, & compositum: si sunt duæ virtutes totales. Ergo cum sint etiam duæ personæ spirantes erunt absolute duo principia Spiritus sancti contra Concilium Lugdunense, *cap. vnico, de summa Trinitate in 6.* & Florentinum *sess. 24.*

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *in corpore* à priori, quia hæc virtus non est aliud, quàm voluntas Patris, & Filij; sed voluntas est vna in Patre, & Filio: ergo & virtus spirandi est vna. Maior probatur, quia Spiritus sanctus spiratur, vt amor; amor autem est a voluntate. Minor probatur, quia vna est deitas Patris, & Filij. Ergo vna voluntas, quæ Deo intrinseca est, vtpote spiritui intellectiuo, & volitiuo. Quòd verò in vtroque sit fœcunda, probatur, quia Pater primò generat Filium intellectu, qui est prior voluntate; & sic Pater habet voluntatem fœcundam, eamque consequenter communicat Filio, eum producendo per intellectum. Has rationes sumpsêre Suarez *lib. 10. cap. 5.* & cæteri. 116

Obiicies. Virtus spirandi est quid notionale; nil autem tale est commune, ex Basilio *epist. 43.* 117

Respondetur, negando minorem: ad D. Basilium dico, eum loqui de notionalibus personalibus, non personarum. Personalia autem sunt primò constitutiua singularum personarum.

QVÆSTIO VII.

An ad spirandum Spiritum sanctum necessariæ sint duæ Personæ.

D. Bonau. d. 10. q. 3.

FVIT opinio Scoti *dist. 12. q. 1.* & cum eo reuerâ incedunt Gabriel *q. 1. art. 1. & 2.* Durand. *d. 11. q. 3.* duas personas ad productionem Spiritus sancti esse quasi per accidens, quia amor Patris ex se est perfectissimus: ideò per accidens est etiam à Filio; sicuti per accidens est Personarum Trinitas, etiam ad creationem: sequitur omnes Scotistæ allegati, *quæst. 3.* qui inde arguunt, futurum Spiritum sanctum eundem, atque distinctam personam, etiamsi à Patre solo spiraretur. In hanc sententiam conati sunt aliqui rapere D. Bonauenturam, quia, *dist. 11. quæst. 2.* ait: Quantumvis Spiritus sanctus à duobus procedat, quia tamen procedit, non vt sunt differentes, sed vt est in eis fœcunditas voluntatis, patet, quod Spiritus sanctus procedit ab eis, in quantum vnum sunt. Idem refricat *ad secundum, & tertium.*

118 At S. Doctor ibi agit de principio, *quo*, idest de virtute spiratiua; attamen hanc virtutem præclarè asserit exigere duas personas eadem *quæst. ad tertium*, vbi docet, à pluribus distinctis in persona procedere debere. Idem habet *ad 4.*

Ex professo docet S. Doctor, Spiritum sanctum à duabus personis esse debere mutuò se amantibus *dist. 10. q. 3.* & *dist. 11. q. 1.* probat, ideò, quia est nexus Patris, & Filij: & *dist. 19. q. 2.* vbi plures personas docet, pluresque spiratores necessariò esse Spiritus sancti. Idem sentit D. Thom. *q. 36. art. 4.* Caiet. *ibi*, & Thomistæ cæteri. Torres Episcopus Canar. Marsil. *q. 15. art. 3.* Ferrar. *4. contra Gent. cap. 25.* Henricus *in summa art. 54. q. 6.* Suarez *lib. 10. cap. 6.* Vasquez *disp. 150.* Tanner. *d. 4. q. 4. dub. 7. n. 7.* dicens idem sentire alios adductos cum Morando *q. 28.* Alarc. *tract. 5. d. 9. c. 4.* Ruiz *d. 71.* apud Macedum *collat. 6. diff. 2.* qui tamen pro priori stat cum Bellarm. *lib. 1. de Christ. c. 27.* Molin. *q. 36. art. 4.* Arrub. ferè ibi *d. 130.* Cæterùm e mea Religione stant mecum Caspens. *d. 8. sect. 5.* Longus *q. 36. art. 8.* Forestus *fol. 450.*

Assero

Assero cum hac sententia.

119 Probatur primò a D. Bonau. *d.* 10. *q.* 3. ex Richardo de S. Vict. 3. *de Trinitate*, *cap.* 3. 7. & 11. vbi docet non posse esse amorem perfectum, & iucundum, nisi sit saltem duorum. Idem habet, *cap.* 16. sed Spiritus sanctus procedit, vt amor perfectus: ergo. Hac ratione vtuntur Vasquez *num.* 8. Suarez *num.* 4. Nazar. *ad art. c. D. Thom. controu.* 3. Tannerus, Morandus, & communiter. *Fundamentum* 3. & 4. D. Bonau. idipsum probat, quia dilectio non mutua claudicat. Vide Seraphicum.

Respondet Scotus *loc. cit.* & Rada, *controu.* 16. Richardum esse contra D. August. 5. *de Trin. c.* 14. vbi soli Patri attribuit perfectam rationem spirandi; sicut & creandi.

At ibi non assimilat in omnibus vtramque productionem; alioqui deberet sola ratione referri ad Spiritum sanctum, sicuti refertur ad creaturas, sed vult dicere, quod sicut ad creationem requiruntur tres personæ; ita ad spirandum duæ: ita tamen, vt vtrobique sit vna virtus; & ideò vnum principium, *Quo*. Vnde subdit: *Ad creandum verò, Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum principium, sicut vnus Creator.* Neque soli Patri adscribit creationem perfectam.

120 Probatur secundò à D. Bonau. è Scriptura, & aliis Patribus. Et primò affert id Ioan. 17. *Vt sint vnum sit vnum sicut, & nos.* Vbi Dominus petit vnitatem amoris inter discipulos, non essentiæ: ergo mutuum amorem inter diuinas Personas supponit.

Affert etiam D. Hieronymum *in Psal.* 17. vbi ait: *Spiritus sanctus est amor, quem habet Pater in Filium: & Filius in Patrem.*

Affert etiam *d. b.* 5. *litt.* S. August 6. *de Trin. c.* 5. ex Magistro: *Manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus a genitore diligatur: genitoremque suum diligat.* Idem habet S. Bernardus *de amore Dei*, & Hugo de S. Vict. *epistola ad Bernardum*, quos omnes refert Vasquez *disput. citata*, & *disp.* 151. *cap.* 1. Quid plura? In Symbolo definitur: *A Patre, filioque procedit.*

121 Hinc arguit validissimè Valentia, *d.* 2. *q.* 10. *p.* 5. ex D. Bonau. *d.* 10 *q.* 3. *in corpore.* Quicquid Spiritui sancto competit in eius emanatione, est de ipsius ratione intrinseca; sed ei de fide competit emanare à duobus: ergo. Maior probatur, quia est ens simpliciter necessarium. Minor est de fide, vt ostendi, *quæst.* 2. ex quo ruit oppositio Suarez, & Scotistarum; præsertim Macedi, id verum de facto concedentis.

Instat Scotus efficacissimè (ait Faber *disp.* 41.) si amor mutuus est necessarius, quia iucundissimus; sequitur, Patrem esse beatum in Filio, & accipere à Filio, vt possit spirare.

122 Hoc argumentum sumpsit è D. Bonau. *d.* 10. *q.* 3. cui respondet, Patrem non accipere aliquid à Filio eum amando; alioqui Deus acciperet aliquid à nobis, dum eum amamus; neque verò à Filio; sed à sua generatione obtinet Pater, posse spirare; inde enim habet Filium mutuò amantem: alioqui idem sequetur *de facto*; nam de facto Spiritus sanctus procedit ab vtroque, & expectanda est generatio, vt spiretur à Patre.

Respondet Faber, aliud esse ita *de facto*: aliud ita esse *necessariò*.

Hæc tamen responsio chimerica est: nam de facto Spiritus sanctus est necessarius: & Pater de facto non recipit à Filio. Et cùm Spiritus sanctus sit Deus, habet totum suum esse necessarium. Et sicut ait Scotus, essentiam nil recipere ab attributis, quia ab ea manant; ita, &c.

Instat adhuc. Sequeretur, Patrem, & Filium esse duas causas partiales Spiritus sancti. 123

Respondetur negando: est enim vna simplex dilectio mutua, vna virtus, vnus actus, vt definit Concil. Lugdunens. suprà citatum *q.* 6. Scio, de facto ita manare. Num id est accidens? Absit à Deo, in quo omnia sunt simpliciter necesse, vt ait Scot. allatus *d.* 9. *q.* 10.

Probatur tertiò à D. Bonau. *loc. cit.* è consensu Patrum, & Doctorum dicentium, Spiritum sanctum esse nexum Patris & Filij. Sed quia Scotus *d.* 13. *quæst. vnic.* & Faber *loc. cit.* clamant, nullum SS. Patrum dicere Spiritum sanctum esse nexum, eò quod ex amore mutuo prodeat; adducam testimonia. 124

S. August. 6. de Trin. cap. 5. *Siue ideo sit vnitas amborum, qui charitas, &c.* Et 3. *de Trin. c.* 3. 7. & 11. ostendit perfectum amorem in nexu duorum consistere. Eum imitati PP. Concil. Tol. 11. & discipuli, Prosper *sent.* 371. Fulg. *q.* 4. *ad Ferrand.* Bernard. *serm.* 8. *in Cant.* Hugo, & Richard. de S. Vict. citati. *Consentiunt Patres Græci.* Nazianz. apud D. Thom. opusc. 1. contr. errorem Græc. *Spiritus sanctus procedit vt medius ingeniti genitique.* Chrysost. homil. 2. in Symbol. Apost. *Spiritus sanctus procedens à Patre, & Filio charitate coniungitur.* Epiph. in Anchor. col. 7. *Spiritus in medio Patris, & Filij ex Patre, & Filio.* Sic Damasc. lib. 1. de fid. cap. 18. *Spiritus sanctus medius ingeniti, & geniti.* Medius autem dicitur nexus mutui amoris, vt notat P. Macedo, hos aliosque Patres referens; nec refellit, *sect.* 5. Imò concedit esse nexum, quia & mutuo procedit amore. De hoc *sect.* 2. *q.* 2. & 3.

Suarez *num.* 4. Macedo, & condiscipuli Scoti aiunt id non ex intrinseco amoris esse, vt sit mutuus alioqui mancus est amor, quo Pater seipsum prosequitur.

At D. August. suprà ostendit, Spiritum sanctum Patri filioque consubstantialem, & ab eis distinctum, quia est nexus amborum, & ex amore mutuo: id autem non satis probaret, si esse nexum, & amorem mutuum, non esset intrinsecum.

Obiicit primò Scotus, si ad perfectionem amoris exigitur, vt sit mutuus; sequitur, amorem, quo Pater diligit se, esse imperfectum, contra D. Augustinum citatum.

Respondetur, amorem Patris erga se, solum non esse, sed comprehensiuum obiecti, seu boni; & includere Filium, & Spiritum sanctum, vt dicam, *sect.* 2. *q.* 4. & 5. 125

Obiicit secundò. Sic se habet amor mutuus Patris, & Filij ad spirandum; sicut voluntas trium personarum ad creationem, è D. August. 5. *de Trin. c.* 14. at per accidens est, tres personas concurrere ad creationem: ergo.

Respondet S. Doct. *dist.* 29. *art.* 2. *q.* 1. *fundamento* 4. in hoc esse simile tantùm; quòd, sicuti tres personæ, quia vnica virtute creant, sunt vnum principium creaturarum; ita & Pater, ac Filius, quia vnica virtute spiratiua spirant, sunt vnum principium Spiritus sancti; neque tamen vsquam per accidens sunt: imò, si vna esset tantùm persona, non subsisteret satis natura ad extrà creandum; non solùm, quia illa, quæ dicunt emanationes ad intra, sunt priora, sed etiam quia, vt sit Deus adæquatè, debet esse Trinitas. Quare non bene Alarcon. *d.* 9. *c.* 4. Morand. *num.* 621. & Arriaga *sect.* 6. concedunt; 126

dunt, omnipotentiam vno supposito contentam per se esse. Multò minùs verum est, quod si esset tantùm Pater adhuc spiraret eundem Spiritum sanctum: nam de ratione characteristica Spiritus sancti est, vt emanet, vt amor mutuus, sicuti probabo, *sect.2.q.3.* & obseruant Theologi, præsertim Turrianus. Ideo & D.August.15.*de Trin.cap.26.& 27.* ait: Verbum esse Filium, quia procedit ab vna persona; at Spiritum sanctum non esse Filium, quia procedir à duabus personis: quam rationem adhibuit, & Anselmus in Monol. *cap.53.* & approbat S.Bo-
127 nau. *dist.13.q.3.* quia scilicet characteristica ratio Spiritus sancti est, vt manet per amorem mutuum, vt explicant eruditissimi Theologi multi in Hispania apud Turrianum, *opusc.8.d.1.dub.3.* nec longè abit Smisingh *de Trin. disp.3. q.2. num.122.* quantumvis frustra reclamet Mastrius *disp.7. num.136. & 190.* vbi ait, eam rationem allatam à D.August. in quadam concione ad populum, vt captui plebis obuiam, non vt Theologicam, vt colligitur è D. August. At D. Augustinus profitetur, *in libris de Trin. loc. cit.* hanc rationem afferri pro captu humano etiam Theologicè, & ex Scripturis se id colligere, ex iis scilicet, quæ diuinæ generationis rationem tradunt, in qua Pater intrinsecè omnia communicauit; atque adeò, & fœcunditatem ad spirandum, quæ ideò à duobus esse debuit per locum intrinsecum. Fateor ingenuè, malè mihi olere phrasim Sophistarum; id *per accidens esse* repetentium, tametsi non accidens propriè intelligant. Quamvis enim per accidens inter nos emanaret amor ex intelligentia fœcunda, in quibus est imago Dei imperfecta; attamen ad hunc numero amorem, qui est Spiritus sanctus intrinsecè spectat esse à duabus personis, quia relatio adæquata Spiritus sancti est ad vtramque personam, tanquam terminos; neque in hoc potest conuenire aliquid per accidens, cum formalis eius ratio, & quidditatiua in tali habitudine consistat, vt arguit Suarez *loc.cit.* Et quicquid est Spiritus sancti constitutiuum, sit Deus simpliciter necessarium.

128 Obiicies tertiò. Sequeretur, nec Patrem, nec Filium esse principium perfectum Spiritus sancti, sed vtrumque tantùm, hoc autem derogat perfectioni singularum personarum.

Respondetur ex dictis cum D.Bonau. *dist.11.q.2. fundam.3.* quem sequuntur alij, præcipuè Suarez *num.8.* rationem perfectionis principij sumi à virtute, quæ perfecta, communisque est in Patre, & Filio, & hoc satis est, vt quælibet earum personarum sit spirator, & principium perfectum.

Vere tamen etiam Caietanus, & Suarez dicunt cum eodem Seraphico, *dist.10.art.2.q.2.* conditionem requisitam ad hanc productionem Spiritus sancti non esse in singulis personis; sed in vtraque simul; quia vtraque est necessaria ad hanc numero productionem. Declaratur: nam Spiritus sanctus per suam in diuisibilem relationem respicit Patrem, & Filium: & quamvis ab vtroque habeat relationem illam, tamen non posset per illam respicere Filium, nisi ab illo procederet: nec è conuerso. Ergo vt illa relatio habeat integram, & adæquatam suam habitudinem, necessaria ex parte principij est duplex relatio, quæ constituat adæquatum terminum illius relationis. Ita Suarez.

129 Enim verò illa distinctio Suarez, quod licèt ad productionem amoris simpliciter non sit necessarium à pluribus procedere; tamen, vt est hic Spiritus sanctus, habens habitudinem relatiuam ad Patrem, & Filium, requirit duas personas; videtur mihi sententia Gratiani: nam idem est, ac dicere Spiritus sanctus, vt est à Patre, & Filio, debet esse à duabus personis.

QVÆSTIO VIII.

An Pater, & Filius sint vnicum principium Spiritus sancti.

D.Bonau.d.11.q.2.
& d.29.art.2.q.1.
D.Th.q.36.art.4.

RES omninò de fide est definita in Concilio Lugduni, *cap.fideli*, & habetur in 6. *Fideli, ac deuota confessione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus; sed vna spiratione procedit.* Et in Concil. Florent. sess. vltima: *Spiritus sanctus ex Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio ab vtroque æternaliter, tanquam ex vno principio, & vna spiratione procedit.*

NEQVE particula (*tanquam*) aliquid detrahit definitioni. Ideò autem Concilium Lugdunense subdit: *Damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter à Patre, & Filio procedere Spiritum sanctum, siue etiam ausu temerario, quod ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex vno principio asserere.* Vbi sub anathemare excluduntur duo principia. 130

ITAQVE vocula (*tanquam*) æquiualet, ac (*in quantum*) quæ significat formalem rationem. Igitur non est similitudinis nota; sed demonstratiua, & reduplicatiua veritatis, sicut cùm dicitur, Ioan.1. *Vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti*, alioqui si Latini duo Spiritus sancti principia admitterent; & ea habere meram vnici principij similitudinem, non satisfacerent Græcis, qui nobis hoc piaculum inurebant, eo quia dicimus, procedere etiam à Filio. Qua de causa Latini in Concilio Florent. anathema conclamant asserentibus duo principia Spiritus sancti.

Quare Scotus 1.*d.12.q.1.* Durandus *d.24.q.2.& 3.* Gabr.*d.12.q.1.* quos ferè imitatur Vasquez *disp.148. cap.1.* aiunt, quæstionem, quoad rem, definitam esse; disputari autem inter Catholicos de modo dicendi: An sint dicendi vnum principium, quia vna est virtus spiratiua; an verò duo principia, quia duæ sunt personæ spirantes. 131

Enim verò Sancti Doctores agunt de re, vt obseruant Caietanus, Zumel, Bañez, Torres, Valentia, Pesantius, quos allegat, & sequitur Nazarius *q.36.art.4.controu.1.*

Quare, & D.Bonau. geminas instituit quæstiones allatas in margine. Primam de re: alteram verò, quæ est *dist.29.* de modo dicendi.

ASSERO primò vnum esse principium Spiritus sancti. Patet è Conciliis allatis, quæ rem definiunt. Idem colligitur è D.August.5.*de Trin.cap.14.* apud Magistrum *d.29.* & D.Bonau. *ibi art.2. q.1. in corpore*, vbi etiam refert D.Anselmum *lib.de spiratione Spiritus sancti, cap.10.* quem allegat etiam *dist.11. q.2.fundam.1.* Eosdem referunt Suarez *lib.10. cap.7.* & alij, qui addunt Hilarium *lib.4.de Trinit.*

PROBATVR ratione à D.Bonau. *fundam.2.* Vnitas effectus est ab vnitate actus, & vnitas actus ab vnitate potentiæ, vel subiecti; sed vna est persona producta 132

producta simplicissima, vno actu, vna virtute: ergo à Patre, & Filio, tanquam vno principio manat. Eadem ratione vtitur *dist.29.*

PROBATVR à D. Bonau. *fundamento* 3. ratione, qua abutitur Scotus allatus *quæstione præcedenti*: Quod est à duabus, in quantum duo, aut est insufficienter à quolibet, aut ab altero superfluè; sed Spiritus sanctus non est ab altera persona insufficienter nec superfluè, quia neutrum conuenit naturæ perfectæ: ergo.

PROBATVR à D Bonau. *fundamento* 4. Quod est à duobus, in quantum duo, est compositum, si substantialiter est ab illis, quia à duobus, in quantum duo procedit vnum, e multis, & ita oportet, quod illud vnum habeat differentiam; at Spiritus sanctus non est compositus: ergo.

PROBATVR quintò à D. Bonau. Nihil vnum procedit à duobus similibus in natura, in quantum duo; nisi alter sit principium actiuum; alter passiuum; sed hoc non est in diuinis: ergo. Est argumentum D. August. citati *quæst. præcedenti.*

133 PROBATVR sextò à D. Bonau. *in corpore*, quia vbi vna est forma spiratiua, ibi vniuntur concurrentes in vnum principium; at vna est forma spiratiua, quæ est virtus fœcunda notionalis communis Patri, & Filio: ergo. Confirmatur à S. Doctore, *dist.29. fundamento* 4. Ideò enim tres personæ dicuntur vnus Creator, seu vnum principium creaturæ, vnus Dominus, &c. vt aduertunt etiam alij, præsertim Tanner. *disp.4. q.4. d.7. n.5.* & Nazar. *loc. cit. contro.2.* qui eandem rationem refert è D. Thom. *1. d.19. art.4.* & *d.11. art.2. & 3.* & *q.36. art.4.*

ASSERO secundò, ita loquendum absolutè, vnum esse principium Spiritus sancti, Patrem, & Filium.

134 PROBATVR à D. Bonau. *dist.29. citata.* Hoc nomen *Principium*, stat pro notione, non in comparatione ad suppositum; sed ad naturam, & vim spiratiuam, quæ est voluntatis communis Patri, & Filio fœcundæ; quæ non dicit personam, cùm sit communis vtrique; neque dicit essentiam, cùm dicat relationem ad personam spiratam.

Confirmatur à Conciliis allegatis, definientibus rem; & quid dicendum. Idem probatur etiam rationibus suprà.

135 QVÆ cùm ita sint, meritò à Recentioribus atro temeritatis carbone signantur Durandus *1.d.29.q.2.* Gregorius *d.12.q.1.* dicentes, non posse asseri Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus sancti, neque apta est glossula Conciliis; definiri, *tanquam*, id est, ad modum vnius principij. Hæc enim est ineptia, vt suprà ostendi. Addo verò, Fabrum *d.41. c.1.* iustificasse Durandum, quippè in eius scriptis hoc non inuenerit; sed fallitur.

Obiiciunt Gregorius, & Durandus; aut *principium* sumitur pro forma agendi, aut pro ipso agente. Non primum; quia potiùs deberet dici, principium spirationis esse in Patre, & Filio, quàm Pater, & Filius sunt vnum principium. Si secundum, cùm supposita sint duo; potiùs dicenda sunt duo principia.

136 Faber respondet, petitionem esse vanam, quia supponit pro principio, *Quo*, id est voluntate, quæ est vna in Patre, & Filio; sed non soluit oppositionem Durandi.

137 Capreolus *1.dist.12.q.1.* respondet, nomen *Principium*, supponere confusè & immobiliter, cùm habeat copulatum subiectum; sicut cùm dicitur, Parisiis, & Romæ venditur iste piper, & ideò non licet descendere distinctiuè, aut ascendere assignando aliquod singulare, ratione cuius illa propositio sit vera, quia esset fallacia figuræ dictionis à suppositione confusa ad determinatam; hoc enim sophisma est, quando non rectè assignatur indiuiduum, aut singulare sub aliquo termino communi. Igitur cùm nomen hoc confusè significet Patrem, & Filium, non licebit dicere, esse hoc, vel hoc *principium* demonstrando per primum *hoc*, vnam personam; & per secundum *hoc*, alteram.

Consentit ex parte Caietanus ponens confusionem solùm ex parte prædicati, idest, *Principij.*

Capreolum sequitur Ripa *ad art. cit. D. Thomæ.* Nazarius *contro.2.* §. *Quinto obseruandum*, Bañes, Caspens. *disp.8. num.38.* Zumellus verò ait, habere suppositionem confusam simul, & determinatam.

COMMVNITER tamen Theologi asserunt, nomen *Principium*, determinatè supponi; cùm enim in Deo sit vnum tantùm principium; nec plura sub illo assignari possint, fieri nequit, vt confusè supponatur. Nec verò sub eo assignari posse Patrem, & Filium, tanquam singularia illius, ait Vasquez *cap.4.* tametsi sint illius nominis connotata, quod non obstat, quò minùs terminus determinatè supponatur. Eadem ratione probatur, terminum *principium*, non supponi collectiuè pro Patre, & Filio, quæ sententia falsò adscribitur à nonnullis Marsilio *1. q.15. art.3.* & à Suarez *cap.7.* attribuitur malè D. Thomæ, qui nihil tale vnquam dixit, vt obseruat Nazarius; nam hoc nomen non est collectiuum, vt populus; sed vnam formam simplicem significat. 138

Quomodo autem terminus *principium*, determinatè supponatur, variè etiam à Theologis solet explicari. 139

Gabriel *in 1. dist.12. q.1. art.2. & 3.* qui etiam refert suum Magistrum Ochamum, docet, ex actiua spiratione, & diuina essentia constitui principium spirationis, quod est quartum subsistens; non re, sed ratione distinctum; neque est quarta persona, quia commune est Patri, & Filio. Idem asserunt Molina *disp.2.* Nazarius *quæst. eadem 36. art.4. contro.2.* Ripa cum Caietano *ad 4. & 5.* Iauello *ibi*, qui ait, *hic* non esse suppositionem mobilem communem, sed immobilem, cum *hic* non sint plura singularia principij, ad quæ possit fieri descensus. Idem asserit Forestus *fol.433.* vbi adducit D. Bonau. *dist.29. art.2. q.1. & 2.* præcipuè *in corpore*, vbi ait: Ideò dicimus Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, vt *vnum* dicat vnitatem notionis, & vis spiratiuæ, & naturæ in spirantibus. Mendosè autem Forestus refert vltimum verbulum sic: (*& spirantium,*) vt suam sententiam Seraphico inurat; neque aliquid ibi pro hac sententia dicit S. Doctor. Neque *dist.11. q.2.* aliud habet, quàm esse Patrem, & Filium vnum principium Spiritus sancti, quia vna virtute spirant. Frustrà verò allegat ibi *quæst.3.* quæ non extat. Sequitur Baudunius *quæst.37. in calce.*

Hoc quartum subsistens impugnant Suarez *lib.10. cap.4. & 7.* Bañez, & Zumellus *ad art. D. Thomæ*, & Canar. Turrianus, post D. Bonauenturam, vt dicam infrà, quo cum sentit D. Thom. *q.36. art.3. & 4.* & *q.40. art.4.* & multi Thomistæ maximè Recentiores, Caspensis *disput.8. sect.3.* Longus *quæst.36. art.3.* Tanner. *q.4. d.7.* Auersa *hic, sect.5.* Alarcon. *d.9. c.1.* Arriaga *disp.50. sect.3.* Morandus *n.618.*

Primò

140 Primò arguit Suarez: nam ea ratione Pater, & Filius spirant, qua Pater intellectu generat; sed Pater immediatè generat, vt Pater talis persona est: ergo. Hoc argumentum ait Suarez *cap.5. n.5.* esse præcipuum in hac re.

Hæc ratio non est valida, vt ostendit D.Bonau. *dist.11. q.2.* quod probat, quia Pater intellectu generans habet esse Patris; & Filius intellectu genitus accipit esse Filij; at vterque non spirat voluntate, vt Pater, & Filius præcisè; sed vt spiratores. Ideò D. Anselm. *lib. de process. Spiritus sancti*, ait: *Nullus intellectus capit, Spiritum sanctum esse Patris, & Filij, secundùm quod alter est Pater: alter Filius; sed secundum quod vterque est idem Deus, intellige vna voluntate fœcunda duorum spirantium*, vt dixit loco suprà citato.

141 Secundò arguunt Gregorius *d.12.* & Bañes *hic*, quia admitteretur quaternitas personarum, contra Concilium Later. sed hoc non vrget: nam admittitur à plurimis Thomistis subsistentia absoluta, quæ non facit quaternitatem, quia est identificata; sicuti hæc.

Probatvr meliùs. Illa communis subsistentia: vel est producta; vel improducta. Si producta: ergo non est Pater, si improducta: ergo non est Filius. Deinde, si illa est subsistentia communis: ergo composita.

142 Tertiò. Vel illa subsistentia complet subsistentiam Patris, & Filij, & tunc non potest esse communis; sed realiter differet, sicut differt Pater à Filio. Deinde sequitur, esse imperfectam subsistentiam Patris, & Filij compositam ex actu, & potentia. Vel non complet; sed est tertia, & tunc, vel Pater, & Filius subsistunt in ea; & ecce communicabilitas subsistentiæ Patris, & Filij: vel non subsistunt in ea; & sic non est subsistentia.

Si dicas, solam vim spiratiuam eâ subsistentiâ subsistere. Ergo ea subsistunt spiratores cum essentia, & relatione.

143 Ad rationem Ochami, & Gabrielis respondetur, non esse necessariam hanc quartam subsistentiam ad spirandum: nam vnicum principium conflatur ex voluntate amante fœcunda, propriis subsistentiis nixa; neque verò vnum assero spiratorem, sed duos.

Respondet ad difficultatem Vasquez *disp.101.c.4.* nomen *principium*, non supponi ibi determinatè, sicut supponitur homo in hac propositione, *Homo currit*; sed singulariter, sicut hic terminus *Deus*, in hac: *Pater, & Filius sunt vnus Deus.* Cùm enim dicimus: Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, perinde est, ac si dicamus; sunt hoc vnum principium spirandi, quia principium spirandi est vnum; sicut vnus spirator.

Per hoc tamen non respondet satis, in quo consistat ratio huius principij; quod verò non sit vnus spirator, ostendam *quæst. sequenti.*

144 Respondet directè, signare naturam ipsam, siue virtutem spirandi; connotare verò suppositum habens talem virtutem vagè, hoc scilicet, vel illud.

Contrà, quia sic neque Pater, neque Filius erit *principium*; neque Pater, & Filius simul, sed vel Pater, vel Filius, quod est ridiculum; nam diuiditur principium.

Optima est responsio D. Bonau. *dist.29. art.2. quæst.1. & 2.*

Pro qua aduertit, *q.2.* quod notio aliqua potest sumi dupliciter. Primò in abstracto, *vt spiratio.* Secundò in concreto, *vt spirator*, vel *principium.* Rursus in concreto potest significari, vel in ordine ad subiectum in ratione suppositi, vel in ratione suppositi, vel in ratione actiui, vel vtroque modo. Significatur ergo notio spirationis in comparatione 145 ad subiectum in ratione suppositi per hoc nomen *spirator*, quod est nomen verbale, & quia suppositum huius notionis est persona, & non vna persona; sed duæ: ideo dicimus, duos spiratores; non vnum. Nec est simile de hoc nomine *Creator*; quia cùm sit nomen essentiale, significat in concreto subiectum, quod est substantia, & illud est vnum in tribus; sed notio ad personam spectat, quæ ex se multiplicatur; ideò non est vna eodem modo in duabus. Significatur etiam notio in comparatione ad subiectum in ratione actiui, vt hoc nomen *principium*, quod dicit originem; & quia subiectum agit per virtutem, & virtus respicit naturam; cùm in Patre, & Filio sit vna natura; est vna virtus non multiplicata. Per hoc nomen *principium*, signatur notio spirationis, vt vna: & ita dicimus Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, vt vnum dicit vnitatem notionis, & vis spiratiuæ, & naturæ in spirantibus.

Hinc soluit S. Doctor difficultatem; cur Pater, qui habet plures virtutes, non dicatur plura principia: hoc enim negant PP. Latini, & Græci, Concilij Florent. *sessione vltima*; licèt enim ad vnitatem substantiui sufficiat vnitas virtutis; tamen ad pluralitatem non sufficit pluralitas virtutis, nisi multiplicentur naturæ. Suarez sic respondet, *n.7.* non sequi plura principia, quia licèt ad vnitatem substantiui sufficiat vnitas virtutis, & formæ; tamen ad pluralitatem non sufficit pluralitas, nisi multiplicentur supposita. 146

Hinc colligitur, an *principium* dicatur vniuocè de Patre, & Filio: vbi enim non est pluralitas sub communi termino, ibi non est vniuocatio, nec analogia. 147

Ex hac doctrina, quam accepit Suarez *n.10.* colligit S. Bonauent. *dist.29. quæst.2.* Quid dicendum ad quæstionem ampliorem. An hoc nomen *principium* essentialiter, vel notionaliter sumptum: vniuocè, vel æquiuocè dicatur. Cùm enim idem sit principium essentiale, & notionale sola ratione differens, non est ibi inuenire vniuocationem; attamen respectu termini connotati producti, est aliqua multiplicitas; nam principium essentiale fertur in creaturas; at verò notionale ad diuinas personas. Igitur videtur dici analogicè de essentiali, & notionali: principium sanè dicit originem producendi; non hoc, vel illo modo. Iam verò essentialiter fertur ad creationem; notionaliter ad intrinsecas emanationes personarum: productio verò ad diuinas Personas, & ad creaturas est analogica; quia priùs dicitur de productione infinita diuinarum Personarum, quæ est ad intrà; & postea de productione entis creati finiti, & hoc sensu D.Basilius, ait: *Filio Dei, accipere cum creaturis, est commune.* Vide *disp.8. sect.1. q.4.*

QVÆSTIO IX.

An Pater, & Filius dici possint duo spiratores.

D.Bonau. d.29. quæst. vlt.
D.Thom. q.36. art.4. ad 6.

Mvlti scrupulo torquentur; ne concedant duos spiratores, eò quòd spirator est nomen substan

substantiuum, quod dicit formam vnicam, vnde sumit suam vnitatem. Ita D.Thom. *loc. cit.* quem sequuntur discipuli: ibi Suarez *lib.10.c.7.* Vasquez *disp.156.cap.3. num.11.* Faber 1. *disput.41. num.18.* Tannerus *disp.4. quæst.4.dub.7.n.2.* vbi pro eodem accipi aiunt *spirator*, & *principium.* Caspensis *disp.8.n.36.* Baudunius *q.36.art.4.* Morandus *n.610.* Macedo *coll.6.diff.3.*

Duos attamen spiratores admittunt cum D. Bonauent. Alensis 1. *part. quæst.70. memb.3. art.5.* Richardus (licèt non omninò) *d.11.q.5.* Ægidius *ibi, q.4.* D.Thom. *eadem dist. & d.29. quæstionibus vltimis.* Eam probabilem fatetur Longus *q.36.art.9.* Forestus *fol.444.*

SENTIO cum Seraphico, Patrem, & Filium posse dici duos spiratores.

148 PROBATVR primò ex D. Hilario *lib.2. de Trin.* vbi ait: *Patrem, & Filium esse duos authores, idest spiratores Spiritus sancti.* Nec impropriè est locutus.

Ratio D. Bonauent. est; quia spirator idem est, ac qui spirat. Est enim nomen verbale masculinè, & importat ipsam spirationem in concreto suppositi, quod profectò non dicit essentiam; sed personam. Igitur cùm duæ sint personæ spirantes, debent dici etiam duo spiratores; & si Pater, & Filius sunt vnus spirator: ergo vna persona.

Respondet D. Thom. & asseclæ, quòd, quia spirans adiectiuum est; spirator verò substantiuum, possumus dicere Pater, & Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores, propter vnam spirationem. Nam adiectiua nomina habent numerum secundùm supposita: substantiua verò à seipsis secundùm formam significatam. Quod verò Hilarius dicit, quòd Spiritus sanctus est à Patre, & Filio anthoribus, exponendum, quòd ponitur substantiuum pro adiectiuo. Hoc responsum refellit Macedo è Scoto: eos vide.

149 CONTRA adhuc est, vt aiunt S. Bonau. & alij, præcipuè Richardus, qui vtrinque soluit rationes; nomen *spirator* est nomen verbale, quod significat actionem, quæ cùm sit suppositorum, multiplicatur ad multiplicationem suppositorum. Cùm igitur duo sint supposita, quæ spirant; erunt duo spiratores. Neque D. Hilar. doctor præcipuus inter Latinos credendus est impropriè loqui. Ex hac responsionis impugnatione ruunt argumenta Suarez, Fabri, Tanneri, qui non rectè confundunt hæc duo nomina, *principium*, & *spirator*, vt obseruant D.Bonau. & Richard. nam *principium*, non est nomen verbale.

Obicies adhuc. Dicitur vnus Creator, quia vna virtute creat: ergo vnus spirator, quia vna virtute spirant.

150 Respondet D. Bonau. negando consequentiam, quia Creator dicitur ratione vnius virtutis vnius substantiæ communis, subsistentis in tribus personis, seu provt istæ vniuntur in essentia formaliter ad dandum ei subsistere, non autem vt sunt supposita tria correlatiua; at spirator dicit virtutem quidem, sed provt personæ relatæ sunt ad terminum realiter, & quia duæ personæ; ideo duo spiratores. Sic consone loquitur Seraphicus cum *d.6.a n.34.*

QVÆSTIO X.

Quo pacto dicatur Spiritus sanctus ingenitus.

D.Bonau.dist.13. q.4.
D.Th.q.33.art.4.

IAM *disp.8.sect.2.q.2.* ostendi, *Ingenitum*, provt dicit præcellentiam primitatis esse notionem Patris: at Spiritui sancto non dicere aliud, quam non esse productum via generationis; attamen non dicere perfectionem, quia non excludit, quin alia via sit productus. Idipsum asserit S. Doctor *ibi*, ostendens, qua diuersitate conueniat Patri, Essentiæ diuinæ, & Spiritui sancto. Vide ibi; est enim facile, & iam explicitum, *d.8.sect.2.q.2.* 151

SECTIO II.

De Spiritu sancto, vt amor est.

QVONIAM triplici titulo tertia persona decoratur, vnde recondita eius emanatio nobis in hac vita pernoctantibus scintillat. Primò quidem *Spiritus*, quo spirationem eius per impulsum agnoscimus, eiusque relationem ad principium, à quo spiratur. Secundò *Amoris*, quo modus proprius eruptionis per amorosum impulsum exponitur. Tertiò *Doni*, quo eius quædam relatio ad nos ex diuina benignitate exoritur: iam de primo cùm egerimus sectione elapsa; de secundo *Amoris* nomine hîc dicam. Et quidem tertiam personam per voluntatem emanare, vt amorem, ostendi, *disp.2.* 152

QVÆSTIO I.

An nomen Amoris, *sit proprium Spiritus sancti.*

D.Bonau. d.10. art.2.q.1.
D.Thom. q.37. art.1.

QVIDDITAS rei è quidditate nominis, quæ a Philosophis dicitur: *Quid nominis*, erui assolet: est enim signum, quod ad ipsam essentiam, quam exprimit, refertur; ideò è nominis notitia ad rei cognitionem scandimus, vt notat D. Bonauent. 1. *dist.25.q.1. ad 7.* & Caietan. *de ente, & essentia, in fine prologi*, & 1. *Poster. c.1.*

ADVERTIT autem S. Doct. *dist.10. dub. 1. litt.* Amorem, Charitatem, & Dilectionem exprimere eandem affectionem; attamen Amor significat adhæsionem amantis ad amatum, vt colligitur è D. Dionysio, *c.4. de diuin. nominibus.* Dilectio verò addit electionem obiecti amati è pluribus, vt dicatur dilectus, quia electus è pluribus amabilibus. Ideò Cant. 5. dicitur: *Dilectus meus, electus ex millibus.* Charitas verò addit appretiationem, quod enim diligitur, charum habetur, quo sensu Apostolus in epistolis suis. Fideles *charissimos* nominat, quod idem docuit. D.Thom. 1.2. *q.26. art.3.* 153

T Hinc

Hinc colligit, eandem esse affectionem amoris, & dilectionis, tametsi D. Isidorus *lib. Ethym.* dixerit, amorem esse etiam irrationalium; dilectionem verò, & si tantùm rationalium.

154 Colligit etiam ex D. Dionysio *cap.4. de diuinis nominibus*, amorem non esse solum libidinosum: dilectionem verò significare affectum honestum. Idem probat ex D.August. *ad vltimum Ioan.* vnde id maximè confirmat S. Bonau. nam ibi Christus interrogat Petrum. *Diligis me?* postea verò. *Amas me?* Idem igitur significant.

Eadem docet S.Doct. *de septem Itineribus, dist.2.* vbi è D. Dionysio *loc.cit.* probat, in diuinis nominibus vtendum communiter nominibus *Amoris, Dilectionis, & Charitatis*; & ex D.August. *6. de Trin.* vbi charitas definitur: *Amor boni.* Diuersas tamen rationes eiusdem affectûs etiam Sancti exprimunt. Quibusdam verò nomen *Amoris*, visum est diuinius, quàm *dilectionis*, vt ait S.Dionys. *loc.cit.*

155 Observandum deinde è D.Bonau. *dub.2. litt.* & *in corpore*, *quæst. allegata*, & D. Thom. Amorem quatuor modis accipi. Primò prout est essentialis: atque adeò communis toti Trinitati, quo sensu *Ioannes epist.1.c.4.* ait: *Deus charitas est.* Et idem asserit de omnibus personis S. August. *15. de Trinit. c.17.* & hoc modo amor non est productus ad intra, aut extra: sic enim se habent omnia essentialia; alioqui essentia multiplicaretur.

Quod si in diuinis non daretur amor communis tribus personis, & solus esset amor spiratus, sequeretur, Filium esse prolem Spiritus sancti, vt infert S.August. *15. de Trinit. cap.19.* nam Coloss. 1. dicitur: *Transtulit nos in regnum filij charitatis suæ, (vel dilectionis.)* Id verò idem sonat, ac filij dilectissimi; est enim Habraïca phrasis; quo pacto filius perditus dicitur *Filius perditionis, &c.*

156 Secundo modo sumitur *Amor*, siue *Charitas*, pro amore mutuo Patris, & Filij, quo spirant Spiritum sanctum, & est notio nectens Patrem, & Filium ad esse principium spirationis. Quo sensu non potest conuenire Spiritui sancto; alioqui spiraret seipsum.

Tertiò sumitur *Charitas*, vt est propria Spiritus sancti; sed non est inuenire Scripturas ad hoc euidenter comprobandum. Scio probari à D. Aug. *loc.cit.* ex illo Ioan. cap.1. *Charitas ex Deo est.* Solus autem Spiritus sanctus emanat via amoris, & colligitur hic sensus è D. Ioannis contextu, vbi exponens, quomodo Deus maneat in nobis per charitatem, ait: *In hoc cognoscimus, quia in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Enim verò locus iste non omninò hoc sensu conuincit: nam S. Augustinus ipse, *lib. de gratia Christi*, contra Pelagianos *cap.27.* exponit de gratia creata, quæ nobis infunditur: quo sensu, & Concilium Mileuit. *can.4.* hunc locum accepit. Consonat locus Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

157 Nititur tamen modo, quo Spiritus sanctus emanat; sicut enim Filius oriens ex intellectu Patris, recipit omne id, quod ad intellectum pertinet, vt esse Verbum, Sapientiam: ita Spiritus sanctus per voluntatem manans, omne id, quod est voluntatis, vt esse amorem, charitatem, dilectionem; vt omnes SS.Patres, ac Theologi clamant, & aduertit Suarez *lib.11. cap.1. n.5.* post D. Bonauenturam locis adductis præcipuè *in quæst. fundam.4.*

Quartò sumitur appropriatè: & sicuti potentia appropriatur Patri: Sapientia Filio, ita charitas, quæ est communis Patri, Filio, & Spiritui sancto, appropriatur huic, qui est amor nectens. Ideò Coloss. 3. dicitur: *Vinculum perfectionis*, vt notat D. Bonau. *dub.2. citato.*

Porrò amor notionalis Patris, & Filij est idem cum personali Spiritus sancti formaliter, & differt solùm virtualiter; quatenus ille ante communicationem in duabus personis Patre, & Filio est fœcundus: hic verò communicatus per actum, qui dicitur primogenitus voluntatis, qualis est amor. 158

His ruunt instantiæ à Capreolo relatæ *d.32. q.1. art.1.* ex Aureolo, qui volebat inde colligere, duos amores, re distinctos, alterum fœcundum: alterum nequequam.

Assero igitur, nomen *Amoris* esse proprium Spiritus sancti.

Probatur primò à D. Bonau. ex D. August. *15. de Trin. c.17.* & *ad cap.4. epist. 1. Ioan.* 159

Probatur secundò à S.Doct. quia emanat per principem actum voluntatis: ergo est amor.

Probatur tertiò à S. Doct. sicut Verbum se habet ad Filium: ita amor ad Spiritum sanctum. Sed Verbum est proprius Filij: ergo & amor Spiritus sancti.

Probatur quartò à S. Doct. *in corpore*, quia procedit è perfectissima voluntatis liberalitate. Ex quo infert, esse personam, quia cum sit perfectissimus, debet esse subsistens. Secundò cum distinguatur à producente, & non possit distingui naturâ; sequitur distingui hypostasi. Concludit verò, quod dilectio in diuinis sumitur essentialiter, notionaliter, & personaliter. *Essentialiter*, quia qui liber diligit se. *Notionaliter*, quia Pater, & Filius concordant in spirando Spiritum sanctum. *Personaliter* verò, quia ille, qui producitur per modum perfectæ liberalitatis, non potest esse nisi amor, siue dilectio. Vnde essentialiter dictum dicit complacentiam; notionaliter verò concordiam in spirando: personaliter verò processum in illa concordia. Huius autem exemplum ponit S. Doct. in amore sponsi, & sponsæ; nam diligunt se amore sociali ad conuiuendum; diligunt se vlterius amore coniugali ad prolem procurandam, & illa si produceretur è sola concordia voluntatis, esset amor.

Obiicies primò. Pater, & Filius amando spirant. Ergo amor non est proprius Spiritus sancti. 160

Respondet S.Doctor, notionaliter actiuè hoc esse proprium spirantium; at esse hypostasim amore spiratam, conuenire Spiritui sancto; nam amor spiratus non potest esse proprietas spirantium, sed hypostasis spiratæ. Ideò neque est simile de amore creato, qui est accidens inhærens amanti: at amor increatus est hypostasis, & substantia.

Obiicies secundò. Sicut se habet sapientia ad Filium: ita amor ad Spiritum sanctum. At sapientia non est Filij proprietas, sed appropriatum: ergo.

Respondet S. Doctor, negando paritatem, quia sapientia non est relatiua ad alium; & ideò semper est ad se, nisi approprietur: amor verò dicit respectum ad eos, qui amore nectuntur. Vnde, sicut Verbum est proprium Filio, & non solùm appropriatum, quia connotat respectum ad dicentem; sic etiam amor, siue charitas non tantùm est appropriatum; sed etiam proprium Spiritus sancti: & sicut procedit Filius per modum Verbi; ita Spiritus sanctus per modum amoris; & ideò hæc admittitur. *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto*, vt dicam q.7. non autem quòd Pater sit sapiens sapientiâ genitâ.

Obiicies

Obiicies tertiò. Omne illud, quod dicitur propriè, importat aliquam relationem. Ergo si amor dicitur propriè, importat relationem: vel ergo ad amantem; & tunc amans non est amor: vel ad amatum; & tunc spiritus sanctus, vel non amaret, vel non amaretur.

161 Respondet S.Doctor, dicere respectum ad amantes; sed hoc, quod dicitur *amantes*, sumitur notionaliter. Vno enim modo diligere se, idem est, quod concorditer spirare: hoc modo Spiritus sanctus non est amans, quia non spirat; obiectio autem currit de essentiali; quod non dicit egressum ab amante, sed solùm dicit complacentiam voluntatis, qua quilibet amat, & amatur.

QVÆRES; cur emanatio Verbi habeat proprium nomen, similiter, & terminus, qui est Verbum, vt dicatur generatio Verbi, aut Filij; non sic emanatio Spiritus sancti.

162 Respondet S.Bonau. *locis adductis*, & D. Th. *hic*, id oriri ex inopia vocabulorum, quibus eius emanatio per voluntatem exprimatur. Sumimus enim vocabula à creaturis commodata, à quibus habemus modum emanandi per naturam, qui dicitur generatio, qua simile in eadem natura producitur. Habemus etiam conceptum mentis, qui dicitur Verbum, quod spirituali generatione oritur; at non habemus processum per voluntatem, seu amorem, quo producatur substantia, vel simile in natura. Ideò caremus etiam vocabulo id exprimente.

QVÆSTIO II.

An Spiritus sanctus procedat per modum Amoris.

D.Bonau.d.10. q.1.& 2.
D.Thom.q.27. art.3.& 4.

ASSERO, Spiritum sanctum emanare per modum *Amoris*.

163 PROBATVR à D. Bonau. 1. q.1. *fundamento* 2. Omnis modus producendi simpliciter simplex, & perfectissimus debet Deo attribui; at duplex datur, scilicet, per modum naturæ in generatione, & per modum voluntatis; princeps autem emanatio per voluntatem est amor, vt docet D. August. 14. *de Trin.* quia hæc est affectio prima, & nobilissima: ergo.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *q.*2. Cognitio dicit ordinem ad amorem: cognoscimus enim, vt amemus. Ergo emanatio Verbi ordinatur, vt spiret amorem.

PROBATVR tertiò ibi: Id, quod procedit vt donum, procedit ex amore. Spiritus sanctus procedit, vt donum: ergo.

PROBATVR quartò *in corpore*, & *fundamento* 3. Diuinis Personis adscribenda est vnio perfectissima, & iucundissima: talis est affectio charitatis: ergo. Minor probatur; nam ex Aristot. 8.Eth. cap.1. & primo Rhet. c.5. *Amicitia aut est beatitudo, aut non sine beatitudine.*

164 PROBATVR quintò, *fundamento* 5. Spiritus sanctus in nobis existens facit nos similes illi summæ Trinitati, sicut ait Dominus, Ioan.17. *Vt sint vnum: sicut & nos.* Sed Spiritus sanctus in nobis existens producit in nobis primo affectum charitatis. Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ergo necesse est in Trinitate reperire emanationem charitatis; sed hæc non est secundæ Personæ: ergo tertiæ.

OBIICIES primò. Amor productus inter nos non est hypostasis; sed accidens.

RESPONDET S.Doctor, quod sicut Verbum in diuinis est persona: ita & Amor, quia emanationes diuinæ respuunt omnes næuos. 165

Obiicies secundò. Amor est eius, in quo requiescit affectus. Ergo semper accipitur, vt in alium tendens, sed omnis persona est in se perfectè ens, & distincta. Ergo nulla persona procedit per modum amoris.

Respondet S. Doctor, Personam diuinam in aliam tendere, ad quam refertur; non tamen in aliam tendere exeundo à se, receptamque in alia; hoc enim neque inter nos euenit: nam amor non recedit à mea voluntate; sed ei inhæret, quia accidens est; at diuinus amor subsistit in se.

Obiicies tertiò. Si ex amore Patris, & Filij emanat amor: ergo ex amore Filij in Spiritum sanctum alius emanat.

Respondet S. Doctor, non è quovis amore emanare Spiritum sanctum; sed ex amore voluntatis adhuc fœcundæ; at voluntas Spiritus sancti non est ampliùs fœcunda; neque etiam necessarius est alius amor, quia primus est perfectissimus, qui seipso amat, & amatur. 166

Obiicies quartò. Si ponitur in diuinis emanatio personæ in potentia concupiscibili; cur non emanat alia persona ex irascibili, quæ respicit honorem?

Respondet S. Doctor, irascibilis actus esse, vel circa vincendum disconueniens, vel arduum aggrediendum; hæc autem in diuinis non possunt esse.

Obiicies quintò. Cùm in nobis sint alij habitus fœcundi, cur solùm per amorem datur emanatio in diuinis.

Respondet, amorem esse affectum primum nobilissimum, qui complectitur in se totam nobilitatem omnium.

QVÆSTIO III.

An Spiritus sanctus procedat ex amore Patris, & Filij mutuo.

D.Bonau. d.10. q.1.& 3.
D.Thom.q.27. art.3. & 4.

ASSERO, Spiritum sanctum intrinsecè emanare debere ex amore mutuo, vt dixi *sect.* 1. *q.*7.

PROBATVR à D. Bonau. *q.*2. & 3. è Scriptura, & Patribus relatis, loco adducto contra Scotum. 167

Repeto D.Aug. 6. *de Trin. c.*5. quem refert S.Doct. *art.*2. *q.*2. vbi ait: *Quapropter, etiam Spiritus sanctus in eadem vnitate substantiæ, & æqualitate consistit, siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas, siue ideo vnitas, quia charitas; & ideò charitas, quia sanctitas; manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatoremque suum diligat, sintque non participatione; sed essentia sua, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio; seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Quod imitari per gratiam, & ad Deum, & ad nos ipsos iubemur.* Eundem locum vrget S.Doctor *dist.*10. *dub.*5.

Respondet Scotus *dist.*13. *quaest. vnic.* & Faber *dist.*41.*num.*23. eatenus esse nexum vtriusque secundùm D. Augustinum, quia est commune productum ab vtroque; non quia procedat ab eis distinctis per mutuam dilectionem.

Miror virum classicum hæc effutire. Quid enim sonant verba illa (*quo genitus, &c.*) compatior Fabro, qui non legit hunc locum; nam citat, *cap.*5. *vel* 16. cum tamen ille, 6. *de Trinit.* non extendatur vltra, *cap.*10.

168 DEINDE obseruo, vocari eam communionem à D. Augustino *ibi* amicitiam. Deinde concludit: *Æqualis est igitur etiam Spiritus sanctus, & si æqualis in omnibus, æqualis propter summam simplicitatem, quæ in illa substantia est. Et ideo non amplius, quam tria sunt; vnus diligens eum, qui de illo est: & vnus diligens eum de quo est; & ipsa dilectio.* Ex his habeo, è con substantialitate Spiritus sancti inferre, non posse esse, nisi duas personas mutuò amantes, & Spiritum sanctum ex amore mutuo procedentem.

SVMPSIT autem D. Augustinus, hæc ex D. Gregorio Nazianzeno *oratione* 5. *de Theol.* vbi Spiritum sanctum vocat sanctitatem vtriusque, vt aduertit Valentia, *disp.*2. *q.*10. *p.*5. *ad finem.* Audi Concil. Tolet.11. *in conf. fid.* testans Spiritum sanctum esse à Patre, & Filio, quia amborum charitas, vt fatetur Macedo, *coll.*6. *diff.*4. *sect.*8. sed clarè Ruitz *d.*68. *sect.*4. idem ostendit.

169 PROBATVR secundò *ibi, art.*2. *q.*2. ex D. Dionys. *cap.*4. *de diuinis nominibus*, *p.*2. vbi ait: *Amorem siue diuinum, siue intellectualem, vnitiuam dicimus virtutem.* Hinc arguit S. Doct. ibidem, *& in corpore.* Virtus vnitiua se tenet ex parte eius, quod est virtus: si ergo Spiritus sanctus est virtus vnitiua, & ideò nexus; sequitur, quod non ideò sit nexus Patris, & Filij, quatenus sunt vnum antecedenter; sed quatenus amore mutuo vniuntur in eo. Idem aduertit S. Doct. etiam *ad primum, & secundum.*

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *q.*3. *art.*1. è 17. *Ioan.* vbi Christus orat, vt sint vnum per gratiam fideles; sicut, & Pater, & Filius per mutuam dilectionem substantialem. Sic exponunt Cyrillus, Theophylact. Theodorus, Heracleotes, Mopsuestiensis, Leontius, Euthymius ad hunc locum, Ambros. *lib.*4. *de fide, cap.*2. August. *hic*, & *serm.*51. *de verbis Domini.* Vide Maldonatum *hic*, vbi Patres adducit.

170 ADDIT S. Doctor etiam Hieronym. *in Psal.*17. vbi definiens Spiritum sanctum, ait: *Spiritus sanctus est amor, quem habet Pater in Filium, & Filius in Patrem.* Quid clarius? Adde Hugonem de S. Vict. *epistola ad D. Bernardum*, vbi ait: *Si rectè diceris amare amore, qui à te procedit; cur non Pater, & Filius dicuntur amare amore, qui ab ipsis procedit.* Clariùs Richardi de S. Vict. vt fatetur Scotus. Adde D. Bernardum *de amore Dei*, *c.*7. vbi habet: *Amas te amabilis Domine, cum à Patre, & Filio procedit Spiritus sanctus. Amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem: & tantus amor, vt sit vnitas.* Huiusmodi authoritates refert S. Bonau. etiam *dist.*32. *q.*1. Clariùs D. Bernardus *serm.*3. *Pentec.* ait: *Spiritum sanctum procedere, vt firmissimum vinculum Trinitatis.* Adde ipsum sentire D Bonau. *loc. cit.* & S. Thom. etiam *quæst.*34. *art.*4. qui sunt Ecclesiæ Sancti Doctores.

Adde Alensem 1. *p. q.*43. *memb.*5. Albert. *eadem dist.* cum D. Bonau. & alios Patres, atque Theologos communiter, vt refert Valentia *disp.*2. *quæst.*10. *puncto* 5.

Ex quibus rectè infertur, deceptum Scotum, & asseclas, dum negant ab aliquo ex Patribus astrui, amorem mutuum necessariò requiri ad emanationem Spiritus sancti. Profectò, quicquid competit Spiritui sancto, est de illius intrinseca ratione, quia est ens simpliciter necessarium; sed iam ei competit, vt procedat ab vtroque: ergo est de illius ratione. Minor ostensa est de fide, *sect.*1. Vide *sect.*1. *quæst.*7.

PROBATVR etiam alia ratione D. Bonau. *art.*1. *quæst.*3. Spiritus sanctus debet intrinsecè procedere ex amore perfectissimo. Talis est amor mutuus: ergo. Minor probatur. Tum quia si amanti non rependitur amor, ex parte amati claudicat amor; & qui non amat amantem; iniquus, aut ingratus facilè habetur. 171

Scotus *dist.*13. *quæst. vnic.* Faber *disp.*41. *num.*23. inuehuntur contra: si ad perfectionem amoris requiritur, vt sit mutuus; sequitur, Patrem esse beatum in Filio.

Respondet S. Doct. *d.*10. *q.*3. *ad* 1. (ibi enim Scotus argumentum accepit) negando sequelam; nam ex hoc, quòd amans per amorem tendit in amatum, nihil dat ei; alioqui ego darem aliquid Deo, dum eum amo.

Respondetur secundò, quod sicut tota Trinitas est intrinsecè obiectum beatificum, vt ostendi, *tract.*1. *disp.*11. *quæst.*21. ita diuinæ Personæ non accipiunt ab alieno, sed Pater à sua generatione: Filius à generante: & Spiritus sanctus à processione, quæ omnia sunt vnum bonum simplicissimum beans.

DICES: ergo Pater recipit à Filio etiam sapientiam; & sic est sapiens sapientiâ genitâ.

Respondetur, negando sequelam, quia cùm Pater generet Verbum intelligendo, necessariò præsupponitur sapiens; at beatitudo in vltimo fine stat, qui est Deus vnus, & Trinus.

QVÆSTIO IV.

An Spiritus sanctus procedat ex amore Diuinæ Essentiæ, attributorum, & personarum.

QVIA sicuti se habet intellectus ad suum obiectum; ita etiam voluntas ad suum. Ideò eadem ratione, qua definiuimus ex quarum rerum cognitione oriatur Verbum; definiemus nunc ex quarum rerum amore spiretur Spiritus sanctus: amor enim ex obiecto expresso manat; atque adeò eædem opiniones, eædem distinctiones; eadem currunt argumenta, vt docent omnes communiter cum D. Bonau. *d.*32. *q.*1. *ad quintum.* Igitur opiniones vide *disp.*9. *sect.*2. *q.*8. *& seqq.*

ASSERENDVM, Spiritum sanctum produci ex amore diuinæ Essentiæ, & Personarum.

PROBATVR primò ex D. Bonau. *d.*32. *q.*1. *fundamento* 3. è D. Bernardo de amore Dei, *c.*7. *Amas te amabilis Deus, cùm à Patre, & Filio procedit Spiritus sanctus.* 172

PROBATVR secundò à D. Bonau. *fundamento* 6. Sicut se habet Pater ad productionem Verbi: ita Pater, & Filius ad spirationem Spiritus sancti; sed Pater è cognitione sui generat: ergo.

PROBATVR tertiò à S. Doct. *ibi.* Si non spirant ex amore sui: ergo ex amore alicuius extrinseci tantùm; & ita Spiritus sanctus erit extraneus omninò. Profectò debet emanare ex amore summi Boni.

PROBATVR

Probatvr quartò à Seraphico è Sanctis PP. referendis, *quæst.7.* qui dicunt, Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto; nam locutiones illæ inferunt id: Pater, & Filius diligendo se spirant.

173 Probatvr quintò à D.Bonau. Spiritus sanctus emanat ex amore perfectissimo comprehensiuo boni, quod est obiectum iucundissimum beatitudinis: hic autem est amor non modò essentiæ, sed etiam personarum: ergo. Maior probatur, quia amor diuinus est. Ergo comprehensiuus summi boni. Minor probatur ex Aristot. 8. Eth. cap.1. & 1. Rhet. cap.5. *Amicitia aut est beatitudo, aut non sine beatitudine.* Sic D. Bonauent. *dist.* 10. *quæst.*2.

Dices. Si Pater, & Filius spirant ex amore Spiritus sancti: Ergo hic amor est futuri boni. Ergo est desiderium, quod est amor connotans imperfectionem carentiæ boni.

Huic, & similibus satis responsum est, esse complacentiam boni præsentis, nil enim prius, & posterius in diuinis.

QVÆSTIO V.

An Spiritus sanctus procedat ex amore creaturarum possibilium.

Prima opinio est Scoti 2. *dist.*1.*q.*1. quem omnes Scotistæ sequuntur cum aliis allatis *disp.* 9. *sect.*2.*quæst.*10. negantes, Spiritum sanctum spirari ex amore etiam creaturarum, præcipuè id tuentur Vasquez *disp.*143.*c.*5. & *disp.*155.*c.*2. Longus *q.*37. *art.*1. referens Caietanum, & Suarez.

174 Secvnda sententia est D.Bonau. *dist.*10.*dub.*3. *litt.* & *d.*32.*q.*1. *ad quintum & sextum.* D. Thom. *q.*37.*art.*2.*ad* 3. Caietani *ad quæst.*34.*art.*3. Zumelli, Torrensis, Nazarij, & aliorum Thomistarum ad loca D. Thomæ allegata. Marsilij 1.*d.*35.*art.*1.*prop.*5. Valentiæ *q.*8.*puncto* 2. Foresti, *fol.*476. Tanneri *d.*4. *q.*4.*dub.*7. vbi ait esse communem Doctorum, eamque probabilem fatetur Vasquez *disp.* 79. Caspens. *d.*8.*n.*86. Morandus *q.*29.*n.*624.

Assero cum hac sententia, Spiritum sanctum spirari ex amore creaturarum possibilium.

Probatvr primò. Omne bonum simpliciter necessariò amabile, est amatum à Patre, & Filio in emanatione Spiritus sancti. Creaturæ, vt possibiles, sunt obiectum tale: ergo. Maior conceditur à Scoto *loc.cit.* Fabro *in* 2. *disp.*2. *cap.*2. & aliis Scotistis. Minor probatur. Qui vult aliquid necessariò simpliciter, vult omne, quod simpliciter necessariò est cum eo coniunctum; sed Deus, sic amat suam omnipotentiam: ergo sic vult etiam obiectum illius;

175 hoc autem sunt creaturæ possibiles: ergo. Hoc argumentum est D. Bonau. *dist.*32. *q.*1. *ad quintum.* Quod ita struit: sicut se habet necessitas obiecti in Verbi productione ad intellectum; ita in ordine voluntatis proportionaliter se habet obiectum eius ad spirationem; at Verbum procedit è cognitione omnium possibilium creaturarum, quia sunt obiectum necessarium omnipotentiæ: ergo. Minorem supponit probatam *d.*27. *p.*2. *q.*2. *ad secundum*, ad quod remittit. Et probatur, quia sicuti cognitio, ex qua gignitur Verbum, debet esse comprehensiua; ita amor, ex quo spiratur Spiritus sanctus, debet esse comprehensiuus boni necessarij simpliciter; at Verbum ideo oritur è cognitione creaturarum possibilium, quia sunt obiectum necessarium diuini intellectûs: ergo & Spiritus sanctus ex amore earundem. Minor probata est, *disput.* 9. *sect.* 2. *q.*10.

Hinc eruit Forestus *loc.cit.* cum D.Bonau. *d.*32. 176
*q.*1. *fundamento vltimo*, Deum in amandis creaturis ad spirandum non debere egredi extra se, diligendo aliquid extra se simpliciter; quia tunc aliquid extra Deum exigeretur ad constituendum Spiritum sanctum. Iam verò dum amantur creaturæ, amantur vt obiectum omnipotentiæ, non vt præcisè sunt res extra Deum; & sicuti res possibiles cognoscuntur à Deo in ipso prout infinitis modis est communicabilis; ita amantur, vt docet D. Bonau. & videbimus, *q.*7. & ostendi, *tract.*1.*disp.*13.*q.*5.

Probatvr secundò à D.Bonau. *dist.*10. *dub.*3. 177
litt. Ita Pater diligit creaturas producendo Spiritum sanctum; sicut cognoscit generando: sed generando cognoscit comprehensiuè creaturas possibiles distinctas: Ergo & spirando amat.

Hinc tamen non egreditur ad amandum, vt aduertit S.Doct. 3. *dist.*32. *quæst.*1. quia amor Dei non est affectus egrediens, sed substantia immanens: vnde eas potius in se amat, & si extrà sunt, ad se reducit eas amando in sua substantia.

Argumenta opposita soluta iacent, *disp* 9.*sect.*2. *quæst.*10.

QVÆSTIO VI.

An Spiritus sanctus spiretur ex amore creaturarum futurarum.

Omnes Authores primæ sententiæ *in quæst. præcedenti*, negantes, Spiritum sanctum procedere ex amore creaturarum possibilium; multò magis negant procedere ex amore futurarum. Illis adiunguntur aliqui ex authoribus secundæ sententiæ. Nazar.*ad quæst.*37. *art.*2. Caietanus *quæst.* 34. *art.*3. & ibi alij, Morandus *loc. cit.* Suarez *lib.*11. *cap.*2.

Secvnda sententia est, Spiritum sanctum procedere ex amore creaturarum etiam futurarum. Ita 178
videtur D.Bonau.*d.*10.*dub.*3.*litt.* & *d.*32.*q.*1. ad duo vltima, & *quæst.*2. D.Thom. *q.*37. *art.*2.*ad* 3. & *in* 1.*dist.*32.*quæst.*1.*art.*3. Marsil.*d.*35.*art.*1. apertè verò asseuerant Valentia *d.*2.*q.*8. *p.*2. Torres, Zumellus, & alij *ad art.cit. D.Thomæ*, Zuniga *disp.*9.*dub.*7. Ruitz *d.*63.*sect.*4. Arriaga *disp.*52. qui ait, esse communem inter Recentiores; tametsi Turrianus *op.sc.* 8. *dub. vltimo.* hactenus solum Valentiam se pro hac sententia asserat vidisse. Forestus verò, *fol.*477. est problematicus.

Assero, probabilem esse hanc sententiam.

Hoc inferunt Sancti Patres, quos referam, *quæst.*8. dicentes, Patrem, & Filium diligere illas Spiritu sancto: sic enim sequitur Spiritum sanctum, è sua origine ad nos referri ratione. Quòd verò ait Morandus, loqui de possibilibus tantùm, est euidenter falsum, vt ibi ostendam.

Probatvr ex D.Bonau.*dist.*32.*q.*1.*ad quintum.* Sicut se habet Pater ad obiectum intelligibile in generatione Verbi; sic & Pater, & Filius ad obiectum amabile in spiratione Spiritus sancti. At 179
Verbum, vt sit adæquatum intellectui, & infinitum simpliciter, vno actu simplici, vno aspectu, vna cognitione cõprehensiua circumplectitur omnia, vt docet S.Bonau.*d.*27. *p.*1.*q.*2. ad quam lectorem remittit. Ergo & Spiritus sanctus amore cõprehensiuo;

non esset autem comprehensiuus, nisi clauderet etiam creaturas, prout eis vult bonum existentiæ: ergo.

180 Hinc habeo aliud argumentum contra Vasquez ex D. Bonau. *loc.cit.* Quando est vnus actus simplicissimus, & sola ratione intellectûs viatoris ex imperfectione distinguitur; tunc non potest secari, vt secundùm vnum operetur: & secundùm alium non; sed talis est actus amoris Dei ex Vasquez: ergo. Sicuti ostensum est illud contra eum esse, erit & hoc.

Vnde ruit responsio Vasquez, hunc actum extendi materialiter etiam ad creaturas futuras, non autem formaliter; si enim è sola imperfectione intellectûs viatoris diuiditur; profectò à parte rei debet formaliter extendi ad creaturas futuras.

181 Vrgeo. Si Verbum non oriretur è cognitione omnium rerum, deberent alia Verba gigni è rerum cæterarum cognitione; quia intellectus respectu earum est fœcundus adhuc: ergo & nouus Spiritus sanctus ex amore sequenti creaturarum procederet.

Probatur tertiò à D. Bonauent. *dist.32. q.1. ad quintum.* Ita se habet Spiritus sanctus, vt amor, & vt donum: nam omne donum est ex amore; sed Spiritus sanctus spiratus est, vt donum nostrum, ex D. August. 5. *de Trin. cap.15. & 16.* adducta à D. Bonauent. *dist.18. quæst.3.* ad quam remitiit *in hac dist.32. quæst.1. ad quintum*: ergo.

Obiiciunt primò. Amor Dei erga creaturas est liber; at Spiritus sanctus est necessarius simpliciter.

182 Respondet Forestus, necessarium esse amorem creaturarum ex suppositione. Contra tamen est, quia Spiritus sanctus necessarius est simpliciter.

Respondet Valentia, hunc amorem esse necessarium simpliciter quoad actum diuinum; habere verò à sua maxima perfectione, vt possit terminari: & non terminari ad creaturas, vt dixi de actu Dei libero, *tract.1. d.16. q.3.*

Addo, Spiritum sanctum habere esse principaliter ex obiecto necessario.

183 Obiiciunt secundò, quod est à tribus personis est posterius emanationibus earum; at creaturæ decernuntur à tribus personis: ergo.

Respondet primò Forestus. Omnia esse vno actu, & solam dari prioritatem originis, seu *à quo*; non prioritatem *in quo*.

Respondetur, quod sicuti producitur ex amore sui, quod videtur implicare, cùm adhuc non supponatur esse; ita ex amore creaturarum. Sic enim Pater, & Filius comprehendentes suam diuinam voluntatem amantem, omne, quod à se est faciendum, amant hoc amore, qui ex parte comprehensionis est necessarius; ne illi addatur noua spiratio. Vide, *d.9.n.192.*

184 Forestus, *fol.477.* ait, amorem ad creaturas esse essentialem; & ideò priorem esse in hoc sensu, quàm amorem notionalem, licèt conditio aliqua requiratur, saltem personæ, quæ potest esse Pater.

Fateor, mihi arduam hanc sententiam videri; attamen non video quomodo negetur ab asserentibus, esse necessarium ad amorem comprehensiuum, amari creaturas possibiles.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto.

D.Bonau.dist.32. q.1.
D.Th.q.37.art.2.

Hæc propositio est Sanctis Patribus admodum familiaris, & Scholasticis accepta. Hanc adhibet S.August. *6. de Trin. cap.5.* vbi ait; Spiritum sanctum esse amorem, quo genitus à genitore diligitur; genitorémque suum diligit. Et *15. de Trinit. cap.17.* vbi ait: *Spiritus sanctus secundùm Scripturas sanctas, nec Patris solùm est, nec Filij solius, sed amborum; & ideò communem, qua inuicem se diligunt Pater, & Filius, insinuat charitatem.* Hanc eandem propositionem insinuat, *lib.5. de Trin. cap.11. lib.7. c.3. lib.1. de doctrina Christiana, c.5.* vbi Spiritum sanctum *Concordiam, Complexum, & Vnionem* Patris, & Filij asseuerat. 185

Gottifredus Pictauiensis relatus à Scoto *1. d.13. quæst. vnic.* credit, hanc propositionem à D. Augustino retractatam, *lib.2. Retract. c.26.* dum aliam similem recantat: *Pater est sapiens sapientia genita.* Huius opinionem relatam etiam à D.Bonau. *in corpore*, sustinet anceps Suarez, *lib.11. de Trin. cap.3.* Arriaga *disput.53. sect.2.* Torres *in commentario art.*

Pro ea arguunt. Sicut se habet Pater ad intelligere; ita Pater, & Filius ad diligere: sed Pater non intelligit Filio. Ergo neque Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. Minor probatur, quia Pater non est sapiens sapientia genita, neque enim quicquam à Filio recipit. Hoc est secundum argumentum S.Bonauenturæ ad opposita. 186

Respondet S. Doct. *in corpore*, & *ad secundum*, diuersam esse hanc propositionem ab illa; nam, cùm dicitur, Pater non est sapiens sapientia genita, significatur aliquid essentiale. Iam verò id, quod est principium, *quo* alicui personæ respectu alicuius actus essentialis, necesse est, vt vel sit principium formale essendi productiuum talis actus, qua ratione dicitur Pater sapiens sapientia ingenita, quia sapientia improducta est principium Patri *quo* intelligit. Vel est necesse, vt sit principiatiuum illius principij, *Quo* formalis, & hoc modo dicitur Filius sapiens sapientia ingenita; quia sapientia ingenita est principium productiuum sapientiæ genitæ, qua Filius est formaliter sapiens. Vel est principium subauctoritatiuum, *Quo*, essentialis actus: sic dicitur: Pater creat per Verbum. Verbum enim est principium creandi; sed habens auctoritatem à Patre. Iam verò sapientia nullo modo est principium, quo Pater intelligat, nam singulæ personæ sunt sapientes à natura sua; neque est principatiuum sapientiæ Patris, vt constat, neque est principium actiuum subauctoritatiuum; quia actus ille sapiendi non producitur à Verbo in Patre; sed è contrà. 187

At verò cùm dicitur; Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, non intelligitur principiatiuè vllo modo, sic enim esset falsa; sed formaliter in effectu, id est Pater, & Filius se inuicem diligunt amore è suo corde spirato, sicut etiam de nobis dicitur, vt infrà latiùs dicam. 188

Prætereà adeo exactus est S.August. in retractationibus, vt singula verba dentatim sigillet; atque adeò

adeò id, de hac propositione præstitisset, etiam in libris de Trinitate; sicuti illam de sapientia retractat *lib. 6. cap. 1. & 2. lib. 7. cap. 1. & 3. & lib. 5. cap. 7.* vbi rationem etiam reddit falsitatis; quia Pater non esset sapiens de se; sed à Filio. Hanc quæstionem ex professo tractat D. Bonauentura *dist. 32. art. 1. quæst. 1.* quo nemo accuratiùs, vt testatur Macedo, hanc materiam amoris illustrauit.

Addo præclaros S. Augustini discipulos, qui, ne transuer'o quidem vngue ab eo recedunt, id docuissent, vt refert S. Doctor in *fundamentis*. Hi sunt D. Bernardus *lib. de amore Dei, cap. 7.* vbi vocat: *Spiritum sanctum amorem Patris ad Filium; & Filij ad Patrem.* Et *serm. 3. Pent.* ait: *Spiritum sanctum procedere tanquam firmissimum, & indissolubile vinculum Trinitatis.* Vnde *serm. 8. in Cant.* vocat: *Spiritum sanctum osculum Patris ad Filium.*

189 **Hugo epistolá ad Bernardum**, ait: *Si rectè diceris amor amoris, qui à te procedit; cur non rectè Pater, & Filius diligunt amare amore, qui ab ipsis procedit?* Et iterum ibi: *Si Spiritus sanctus esset amor cordis tui, ac Patris, & Filij; quis quæso posset negare Spiritu sancto, hoc est, amore tuo te diligere?*

Apponit S. Bonauentura etiam D. Hieronymum *in psal. 17.* vbi ait: *Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius; sed ipsa dilectio, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre.* Denique Guitmundus in confessione de sancta Trinitate, quæ habetur *tom. 6. Bibliot.* ait: A Patre procedit amor ad Filium; & à Filio ad Patrem, & hic amor est Spiritus sanctus, qui ab vtroque procedit.

190 ARGVVNT secundò argumento S. Bonau. penultimo, & vltimo, & in corpore. In illa propositione, aut sumitur *diligere* essentialiter; aut notionaliter; non secundum, quia cùm *diligere* fœcundum Patris, & Filij sit spirare; sequeretur quòd vt Pater, & Filius spirarent se Spiritu sancto: si essentialiter sumitur. Ergo pariter potest dici Pater sapiens sapientia genita, essetque Spiritus sanctus principium formale dilectionis essentialis Patris, & Filij: est argumentum quartum ad opposita, vnde sumpsêre illud Scotus, & alij.

191 Respondet D. Bonau. quòd sicut generatio potest dupliciter significari; primò vt dicit emanationem. Secundò, vt dicit modum emanandi cum expressione, seu declaratione; sic & spiratio potest dupliciter accipi, & exprimi. Primò per verbum *spirare*. Secundò per verbum *diligere*: Quemadmodum verò, *dicere* importat generationem, & vlteriùs quandam expressionem circa personam; sic & *diligere*. Vnde, sicut *dicere* importat actum generandi, & dicendi, siue exprimendi, & ratione dictionis, siue expressionis, Pater dicit se Verbo; idest, dicendo, seu exprimendo se, gignit Verbum, vel generando Verbum, se eodem Verbo exprimit: sic in proposito, *diligere* importat actum spirandi, & actum connectendi, ratione cuius dicitur Pater, & Filius se inuicem diligere Spiritu sancto, hoc est, inuicem concordando spirant Spiritum sanctum; vel spirando Spiritum sanctum inuicem nectuntur.

192 Et hoc velle videtur Rada infrà, & Faber *disp. 42. num. 21.* dicens, quod sicut Verbum ad Patrem habet duplicem relationem, scilicet geniti, & declaratiui; ita Spiritus sanctus habet duplicem relationem ad Patrem, & ad Filium: altera est originis, quæ est relatio spirati, & mutua: altera rationis, quæ est innominata, & respondet proportionaliter relationi declaratiui in Verbo. Sicut enim Verbum est declaratiuum Patris, & omnium rerum; ita Spiritus sanctus est amor omnis rei amabilis, non verò appropriatè, vt volunt Scotus *d. 13. quæst. vn.* 193 & Faber suprà; sed propriè, vt infra dicam. Hanc verò relationem Fabro innominatam, vocat S. Bonauent. *connexi. di*, & hoc sensu etiam Suarez *loc. cit.* illam admittit propositionem, quatenus Spiritus sanctus habet rationem nexûs, & vnionis affectiuæ, in qua Pater, & Filius vniuntur, tanquam in termino communi producto. Sicut enim duæ lineæ vniuntur puncto; ita Pater, & Filius vniuntur, tanquam in termino, producto Spiritu sancto.

SECVNDA igitur opinio est Simonis de Tornaco, qui dixit, hanc propositionem solùm veram esse in ratione signi, idest, Spiritus sanctus est signum amoris Patris, & Filij. 194

Contrà arguit S. Bonau. & cum eo Scotus: sic enim posset dici hæc propositio vera: Pater, & Filius diligunt se creaturâ, quia creatura est signum dilectionis eorum: dilectio enim creaturarum fuit causa, vt eas produceret. Eodem argumento vtitur Vasquez *disp. 151. cap. 1.*

TERTIA opinio est, hanc propositionem esse sumendam, sumpto Spiritu sancto pro amore essentiali: amor enim, licèt sit essentialis, appropriatur Spiritui sancto. Tribuitur Alensi: eam verò tenet Durandus *1. dist. 32. quæst. 1. num. 11.* Arriaga *loc. cit. num. 13.* & hoc vnico modo posse exponi, ait Molina. Pater, & Filius amando se essentialiter, spirant Spiritum sanctum, quo se amant; quod tamen esse falsum, quo ad posteriorem partem, ait: eò quòd Pater, & Filius non amant se essentialiter Spiritu sancto. Ideò hæc propositio, vt ait Durandus, vel est falsa, vel impropria. 195

Contra hanc tertiam opinionem de amore essentiali, arguunt Scotus, Faber, & Vasquez, argumento D. Bonau. *in corpore*: nam sic etiam esset vera ista. Pater, & Filius sunt boni Spiritu sancto. Consequens est falsum, vt patet: ergo. Probatur sequela, quia bonitas est essentialis, quæ appropriatur Spiritui sancto. 196

Respondet Arriaga, neg. consequentiam: neque enim è similibus impropriis valet, alioqui, cùm Spiritui sancto attribuatur bonitas, quæ spectat ad voluntatem, deberet ei attribui etiam iustitia, quæ ad eandem spectat.

Contrà est, quia bonitas, & amor habent idem fundamentum; neque est simile de amore, voluntate, & amicitia: quia enim Spiritus sanctus est amor; attribuitur ei etiam bonitas, quæ communicationes dicit: ideò iustitia non habet idem fundamentum.

QVARTA opinio est Scoti, hanc propositionem, merè notionaliter sumptam, esse falsam; alioqui si quæreretur, Patrem, & Filium se diligendo spirare se ipsos; veram autem esse solùm impropriè, vt sit sensus: Pater, & Filius, dum diligunt se, spirant Spiritum sanctum, seu dicitur in ablatiuo Pater & Filius se diligere Spiritu sancto, quatenus est amor eorum; sicut Verbum est declaratiuum eorum. Igitur ratione relationis rationis, quæ est in Spiritu sancto, ad omne diligibile, dicitur principium, *Quo*, amoris Patris; & Filij, non in ratione effectus; vt vult D. Thomas; sed in ratione formæ; sicut de Patre dicitur, dicere Verbo, ob relationem declaratiui; ita *hîc* Pater, & Filius diligere se Spiritu sancto, ob relationem innominatam: Hunc modum planum, nullis obnoxium argumentis acclamat Faber. 197

Id mehercule fabulosum reor: primò quidem, relatio rationis nequit fundare realem amoris assertionem. Deinde, quid est relatio illa innominata 198

similis relationi Verbi, vt declaratorij? si enim supponit Spiritum iam spiratum, sicuti declaratio illa supponit Verbum iam genitum, sequitur non esse formam amandi, quia forma amandi est actus, quo spiratur Spiritus sanctus: si verò dicas, esse amorem, vt merè refertur ad creaturas; Quomodo Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto formaliter? an nouo amore? an declaratione amoris, ex amore creaturarum? & tunc redit opinio Tornacensis. Erit ergo tantùm signum. Tandem vtcumque redditur oppositio impropria, & Patres carpuntur. Ideò cum Tornaco inuoluitur Scotus à non nullis apud Radam *controu.* 17. neque iustè conqueritur falsa testimonia Scoto imponi: aliquando enim in opinionem refutatam relabitur. Hanc Scoti sententiam latè describit Rada *loc. cit.* & impugnat Nazarius *quæst.* 37. *art.* 2. *controu.* 1.

199 Qvinta opinio est Altisiodorensis, quam refert D. Bonau. *dist.* 32. *quæst.* 2. *in corpore*: eatenus formaliter Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto, quatenus inuicem connectuntur, & Spiritus sanctus est ille nexus.

Contrà arguit S. Bonau. quia vel illud *nectuntur* dicit, aliquid in Patre, & Filio prouenient à Spiritu sancto; vel aliquid in Patre, & Filio, vt sunt principium Spiritus sancti. Si primum, recipiunt aliquid à Spiritu sancto; si secundum: ergo Spiritus sanctus comparatur ad connexionem, tanquam principium. Non ergo, vt in ratione formæ, sed in ratione effectus, in ordine ad principium. Confirmatur hæc consequentia ex responsione *ad tertium, & quartum*, quia cùm Spiritus sanctus sit persona distincta à Patre, & Filio, non potest esse forma, qua Pater, & Filius formaliter diligunt inuicem. Erit ergo, quatenus terminus productus, vt infrà differam.

200 Sexta igitur expositio est D. Thomæ *loc. cit.* Bañes, Caietani, & Nazarij, atque aliorum Thomistarum ibidem: Capreoli 1. *d.* 32. *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 5. & aliorum, quos refert Vasquez *cap.* 2. Tannerus *disput.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 8. Coriolanus *quæst.* 37. *art.* 4. allegans D. Bonau. *hic*, Richardum, & alios. Hi dicunt, propositionem hanc veram esse, sumpto Spiritu sancto propriè: subscribunt Alarcon. *d.* 8. *cap.* 4. Auersa *quæst.* 37. Ruitz *disput.* 74. Morandus *num.* 628. qui alios referunt; sic & Fuliensis *l.* 2. *cap.* 6.

Multis autem viis conantur auctores præfati eam exponere, & sartamtectam seruare.

D. Thomas cum suis sic procedit. Quando agens producit effectum actione tali, quæ determinatè includat effectum; tunc agens potest denominari ab illo effectu, illud autem, à quo aliquid denominatur, habet rationem formæ. Iam in proposito, Spiritus sanctus est veluti effectus productus à Patre, & Filio, actione dilectionis, & illa actio includit Spiritum sanctum, vt effectum: ergo Pater, & Filius possunt denominari diligentes se, & alia Spiritu sancto; & Spiritus sanctus potest habere rationem formæ, & principij, quo Pater, & Filius se diligant: Minor probatur exemplo. Dicitur enim arbor florêre floribus à se productis; quamuis enim flores non sint forma arboris, quia tamen sunt quidam effectus procedentes ab arbore per actionem florendi, & in ea includuntur: ideò possunt denominare arborem florêre, sustinendo rationem formæ respectu illius *florêre*. Secunda pars maioris probatur, quia denominatio est à formis: sic dicitur. Iste indutus est vestibus. Hic enim ablatiuus constituitur in ratione causæ formalis, licèt non sit forma. Minor est euidens, 201 accipitur enim ibi diligere notionaliter. Sic autem sumptum, est actio productiua Spiritus sancti, eumque includit: diligere enim est spirare: sic eam ad vnguem tenet Hugo suprà. Idem supponit S. Bonau. *d.* 32. *art.* 2. *quæst.* 1. *argumento* 3. addito responso, Caspensis *d.* 8. *sect.* 8. & ferè Marcus Baudunius *quæst.* 37. *art.* 2. Longus *quæst.* 37. *art.* 2. loris Scoto alios vinciente Doctores sextæ sententiæ.

Contra hanc arguit Scotus *d.* 32. *quæst.* 2. §. *aliter dicitur.* Durand. *loc. cit.* Torres Episcop. Canariensis *quæst.* 37. *art.* 2. qui argumenta Scoti insolubilia canit cum Rada *controu.* 17. Macedo *collat.* 9. *diff.* 1. argumenta Scoti eo feriunt, nullum agens à suo effectu posse affici, & denominari: cùm enim sit terminus actionis, non potest agens, quod est principium, actiones retrotrahere: sic non dices, Faber ædificat ædificio à se extructo. Non minus autem Spiritus sanctus dilectione producitur notionali Patris, & Filij. Vrget; spiratio non minùs includirit in suo conceptu Spiritum sanctum, tanquam terminum; quàm includat dilectio notionalis; at non potest dici Pater, & Filius spirant se Spiritu sancto; sicuti nec potest dici. Pater generat Filio: ergo neque potest dici, diligunt se Spiritu sancto.

Exemplum quoque D. Thomæ cribrat; nam 202 verbum *florêre*, non significat actionem producendi flores, sed significat, arborem esse floridam; idemque esse subiectum, in quo sunt flores: ideò si miraculo germinasset eos flores, sicuti Virga Aaron, adhuc diceretur florêre floribus. Igitur illa denominatio est subiecti, non à forma agentis, sed à termino: est enim *floreo* verbum neutrum; non actiuum.

Pro solutione notant Thomistæ post D. Bonau. 203 ad argumenta, & *quæst.* 2. *fundamento vltimo*; duplicem esse actionum differentiam; aliquæ enim sunt, quæ proprium habent immediatum effectum, mediantem inter ipsas, & obiectum, seu materiam, quæ per eas attingitur, aut quam significantur attingere. Itaque verba talis actionis significatiua, duplicem in eis important ordinem, siue respectum; alterum ad effectum, siue terminum per eas productum: alterum ad obiectum, siue materiam, circa quam versantur, siue sint actiones transeuntes, *vt dealbatio*; siue immanentes, vt *dicere, diligere*; nam dalbatio proprium habet effectum, qui est albedo producta, quæ media est inter dealbationem, & rem dealbatam; & similiter, *dicere* próprium habet terminum, quasi effectum productum, idest, Verbum medium inter actum dicendi, & rem Verbo dictam, siue repræsentatam: sic & *diligere* notionaliter dicit amorem productum, 204 qui medius est inter actum amandi, & rem amatam: & ideò duplex in quolibet ex his verbis clauditur habitudo: altera ad terminum productum: altera ad obiectum; siue materiam, circa quam versatur actio, quæ diuersa est, iuxta diuersitatem rei per *casum accusatiuum* significatæ. In hoc ergo actionum genere fieri potest denominatio, non solùm ab actione, sed etiam ab effectu, siue termino producto; dicendo, v. g. Petrus albedine dealbat parietem. Pater dicit se, Filium, Spiritum sanctum, & creaturas Verbo. Pater, & Filius diligunt se, & creaturas Spiritu sancto. Ratio est, quia in hoc actionum genere effectus, siue terminus productus ex parte actionis se tenet magis, quàm ex parte obiecti: pertinet enim ad perfectionem, & complementum operationis, & est intimus illi,

illi, & sicut actio per se, & ex natura sua ordinem habet ad obiectum, siue materiam, circa quam versatur; ita & ad idem obiectum, siue materiam ordinatur terminus productus, puta albedo ad hoc, vt fiat paries albus; flores, vt sit arbor florens; Verbum ad repræsentandum. Amor ad obiectum diligibile. Quo fit, vt eadem ratione, qua denominatur agens ab actionibus dicti generis, denominetur etiam ab earum effectibus, siue terminis per eas productis: & quia principium actionis potest esse etiam illius obiectum, vt patet, cùm aliquis intelligit, & amat se. Ideò actus notionalis prædicto modo significatus, potest reflecti suprà principium ipsius actus, dicendo. Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto.

205 Quædam aliæ actiones sunt non habentes effectum medium inter eas, & obiectum, quod per eas attingitur; siue materiam, circa quam versatur, vt generare, spirare, ædificare; his enim importatur actio, vt immediatè attingens obiectum, siue materiam, circa quam versatur, & vna tantùm significatur habitudo, quæ est ad terminum, vel effectum actione productum; & in hoc actionum genere fit agentis à sola actione denominatio; non autem ab effectu; non enim dicitur Pater generat Filio; sed generatione; nec producens producit producto; sed productione, neque ædificator ædificat ædificio, seu æde; sed ædificatione; nec spirator spirat Spiritu sancto; sed spiratione, ob dictam causam: quia nullus terminus, siue effectus productus significatur his verbis, vt medius, & ordinatus ad vlteriorem terminum, siue obiectum, aut materiam, circa quam versatur agens; sed solam actionem prædicta verba significant, vt ad tale obiectum ordinatam. Ita etiam Bañes *loc. cit.*

206 Instat Faber *num.* 11. diligere non attingit effectum productum, medio alio effectu producto; sed immediatè per ipsam dilectionem: Pater enim, & Filius ipsa dilectione spirant Spiritum sanctum, sicuti Pater ipsa generatione generat Verbum.

Sed quis non videt, actum dilectionis attingere obiectum amore? amor autem est Spiritus sanctus, qui tanquam effectus denominat formaliter Patrem, & Filium in ratione diligentium se inuicem.

Hoc clariùs soluetur alia notatione D. Bonau. *ad* 4. quam sibi Vasquez adsciscit *cap.* 3. duo sunt genera actionum; aliæ enim significantur sub respectu solùm ad terminum, quem producunt, vt generare, spirare, producere, ædificare: aliæ verò cum duplici ordine altero ad terminum productum; altero ad rem aliam, non quidem productam; sed vel per modum obiecti; aut per modum subiecti, se habentem. In actionibus prioris generis non fit denominatio à termino producto in casu effectiuo; & ideò non dicitur. Pater generat Filio alium; nec dicitur spirat Spiritu sancto ipsum. Ratio est manifesta: nam, si in his operationibus fieret denominatio huiusmodi, necesse esset, significari sub ordine ad aliquid aliud, quàm ad terminum; nam cùm dicimus: Pater generat Filio, significamus generationem ordinari ad aliquid aliud: sensus enim est: Pater Filio generat se, aut alium. Pater & Filius spirant Spiritu sancto. Hoc sensu benè arguit Macedo non posse accipi, quia quod est proprium & notionale nequit communicari, v. g. spirare Spiritui sanctui, siue per modum formæ, siue per modum actus, aut actiuæ denominationis: spirare enim est Patris, & Filij notionale sed manca est ratio Macedi, pace tanti Salomonis, quia in operationibus posterioris generis cùm habeant alium respectum ad subiectum, vel obiectum; fieri potest denominatio à termino producto in casu effectiuo; sic dicimus dealbare parietem albedine producta in pariete. Sic Pater dicit Verbo producto: Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto; non tamen spirant: nam hoc modo, operatio diuinæ voluntatis per verbum (*diligunt*) præter respectum ad terminum productum, includit etiam respectum ad obiectum. Pater autem, & Filius sunt obiecta diuini amoris; at verò per verbum *spirandi* significantur cum solo ordine ad terminum productum.

Hinc D. Bonau. eruit rationem *fundamento* 5. quam sumpsit Scotus, & Vasquez: sicut se habet Pater ad *dicere*; ita Pater cum Filio ad *diligere*: sed Pater Verbo dicit se, & omnia. Ergo Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. 207

Quoad exemplum verò D. Thom. quòd sicut arbor dicitur florêre floribus; ita Pater, & Filius diligere se Spiritu sancto, tanquam, veluti effectu producto; dico, Scotum, in Grammaticis carpentem aduersarios Thomistas, in Grammaticis labi; dum ait: *florêre* non esse verbum actiuum; atque adeò non significare actionem; non enim ideò verba sunt neutra, quia non significant actionem: nam *aro, puto; meto*, & alia neutra significant actiones laboriosas: sed dicuntur neutra, quia non possunt inuerti passiuè, & carent virtute correlatiua actiuorum, & quia neque vocem habent passiuam deponentium: ideò neque actiua sunt; neque passiua, neque deponentia: sed neutra. Igitur *florêre* dicit actionem vitalem, sicut vegeto: ideo virga non diceretur florêre floribus, si ab intrinseco eos non germinasset. Quoad virgam Aaron respondetur è D. Bonau. *in* 3. illam fronduisse, & floruisse ex intrinseco, sed miraculosè, quo ad modum subitæ eruptionis. 208

Deinde S. Thom. non ait, necessariò denominari; sed posse denominari.

Obiicit secundò Scotus cum asseclis: esto admittatur illa propositio, quòd agens denominetur ab effectu; tamen illa actio non reflectitur supra agens, ita vt significetur illud agens produci illa actione: non enim dicitur, ignis calore calefacit se; non ergo actio dilectionis reflectitur super Patrem, & Filium diligentes. Hinc malè afferunt: sicut Sol dicitur illustrare hæc inferiora, luce in eis producta; ita, &c. 209

Respondet S. Bonau. *in corpore*, *& ad argumenta*: non reflecti in Patrem reciprocè, quia Pater merè diligendo, se diligit amore essentiali, at retransitiuè amore mutuo ad Filium, spirat Spiritum sanctum: hæc autem reflexio non est à Spiritu sancto, vt à principio; sed vt à termino producto: neque reflectitur super Patrem, & Filium, tanquam terminos; sed tanquam obiecta: igitur ratione mutuæ dilectionis fit reflexio, vt infert S. Bonau. *post responsionem ad quartum*, & Fuliensis.

Instat Faber. Impossibile est, quod agens sit obiectum suæ actionis, sed debet esse realiter distinctum. 210

Argvo ego ad hominem. Impossibile est per te, agens esse obiectum suæ actionis: quia sic esset producens, & productum. Pater, per te, est obiectum generationis, nam generat ex cognitione sui. Ergo generatio non est actio Patris. Vel alio modo: sed diuina essentia, per te, est obiectum generationis: ergo, per te, realiter differt à Patre, quod est hæreticum, contra Concilium Rhemense. 211

Respondetur

Respondetur ergo, dupliciter sumi obiectum: primò, vt *ad quod*. secundò, vt *de quo*: primo modo est terminus, & de eo verum est, debere distingui à producente.

Instat secundò. Diligere est actus notionalis; actus autem notionales non reflectuntur super sua principia.

Respondet S.Doct. actus notionales non reflecti terminatiuè supra se; sed obiectiuè, vt sæpè dixi.

212 Obiicit tertiò Scotus. Quando verbum habet significationem transitiuam, nunquam effectus significatus ponitur in ablatiuo Sed diligere habet talem significationem: ergo. Maior probatur: non enim dicitur, equus generat equo.

Respondet Caietanus, verba transeuntia esse in duplici discrimine, quædam sunt, quæ significant transitum effectus omninò; quædam sunt, quæ significant transitum, quoad obiectum; sed in se continent effectum; & hæc construuntur cum obiecto in accusatiuo, tanquam in termino transitus, & cum effectu in ablatiuo. Talia sunt verba actiua quinti ordinis: *Augeo*, *sterno*, *Influo*. Sic dicam sterno mensam floribus; augeo te gratiis, cur autem nequeat dici equus generat equum, equo genito; sæpius dictum est supra: neque enim verbum generandi est aliquid medium inter principium, & effectum, neque aliud, ad quod referatur; vnde sonaret, effectum productum esse principium; quod implicat. Est doctrina D.Bonau.*hic*, *in corpore*, & *ad argumenta*, & *quæst. sequenti*. Neque volumus, hanc prædicationem esse ab effectu merè, sed vt ab effectu formali, vt ait D. Bonauentura.

213 Obiicies quartò cum Suarez: quando terminus actionis constituitur illo modo cum verbo significante productionem, significatur vt forma eius, cui accommodatur. Ergo oportet, vt det illi significationem formalem, & intrinsecam; vt in hac. *Ignis calefacit lignum calore producto*, vel per adiacentiam aliquam; vt cùm dicitur arbor florere floribus: quia flores manent in arbore, & ornant illam; vel per extrinsecam denominationem; vt cùm Pater dicit se, & alia Verbo. Sed hæc non potest esse denominatio intrinseca, vt patet; neque extrinseca, quia Spiritus sanctus nec repræsentat, neque adiacet; nec ornat Patrem, & Filium producentes.

Respondetur ex D. Bonau. negando antec. satis enim est, si adsit vt effectus, ad modum formæ denominans. Dico ergo, illam denominationem esse extrinsecam ad modum intrinseci: est enim denominatio ab effectu ad modum denominationis formalis: licèt autem Spiritus sanctus non adiaceat, vel ornet; habet tamen identitatem essentialem, & inexistentiam personalem. Quod igitur præstat in Verbo repræsentatio, hoc idem præstat nexus in Spiritu sancto, quoad effectum denominandi.

214 Obiicies quintò cum Canariensi. *Diligere* non significat producere amorem: verè enim amat, qui iam antea produxerat amorem. Ergo hæc propositio notionaliter est impropria.

Respondetur, *diligere* notionale, in diuinis significare productionem amoris; imò etiam inter nos. Ad probationem respondetur, eum, qui diligit, semper producere nouum actum amoris, cùm non possit esse amor sine actu dilectionis.

INSTAT Torres. Si Deus se solo produceret in mente nostra amorem: nos amore illius diligeremus, non autem amore à nobis producto.

RESPONDETVR, de ratione actus vitalis esse, vt sit ab intrinseco: ideo casus illle non potest esse: sed essentialiter implicat.

Obiicies sextò, si Pater diligit Filium Spiritu sancto. Ergo & diligit seipsum Spiritu sancto. Sed hoc est falsum, quia Pater in primo signo diligit se: ergo.

Respondet Scotus ad minorem, Patrem in primo signo diligere se amore essentiali: at in tertio signo diligere se Spiritu sancto, quatenus illi appropriatur relatio dilectionis ad omne diligibile.

Respondet D.Bonau. ex quo sumpsit Scotus argumentum, quod est tertium, Patrem diligere se reciprocè amore essentiali: at verò mutuò cum Filio amore fœcundo, qui respicit Spiritum sanctum, & ideo Spiritus sanctus, vt nexus terminatiuus, denominat Patrem, & Filium, sese diligentes.

QVÆRES primò. An Pater dici possit diligere se Spiritu sancto.

Richardus respondet affirmatiuè, quia diligere amore notionali, est in ipsum amorem spirare, non solùm vt in terminum, sed vt in obiectum. 216

At S. Doctor videtur, id negare *q. hac in corpore*, & *ad* 3. attamen solùm negat, eum amorem Patris in se solum non esse notionalem; nam fœcunditas est in amore mutuo Patris, & Filij. At *dist*. 10. *dub*. 3. *litt*. ait ex D. August. 15. *de Trinit. cap*. 7. negandum, quia diligere tenetur essentialiter, idest, amor Patris essentialis non est in Patre à Spiritu sancto, nec in Spiritum sanctum terminatur: vnde neque est principium, neque terminus: Idem sentit Scotus apud Fabrum *num*. 23. licèt addat suam falsam expositionem propositionis, de qua fuit nostra quæstio dicens; quòd Pater, & Filius diligunt se inuicem Spiritu sancto, vt Spiritus sanctus appropriatè est amor omnis diligibilis.

QVÆRES secundò. An possit rectè dici: Pater, & Filius diligunt Spiritum sanctum, Spiritu sancto. 217

Respondetur, si sumas *diligere* essentialiter, & *Spiritum sanctum* pro persona, & *Spiritu sancto* pro amore essentiali, falsa est; nam in diuinis amor personæ erga personam oritur ex fœcunditate amoris, ita enim amor fertur in terminum, vt ipsum producat: si verò de amore notionali intelligatur; Richardus asserit, esse veram. Vide Forestum *fol*. 493.

QVÆRES tertiò. An Spiritus sanctus diligat se ipsum, se ipso.

Respondetur assertiuè, idest, Spiritum sanctum, se diligere se ipso, vt principio amante. Ita D. Thom. 1. *d*. 32. *art*. 1. *propositione*. 4. Vasquez *loc. cit*. & alij. 218

Dices vltimò Pater, & Filius diligunt se, & creaturas. Sed Spiritus sanctus non est amor, quo diligunt creaturas: ergo. Hoc est quintum argumentum D. Bonau. quod sibi Scotus adscribit, eique attribuitur à Fabro. Propter huius etiam solutionem est quæstio sequens.

QVÆSTIO VIII.

An Pater, & Filius diligant creaturas Spiritu sancto.

D.Bonau. d. 10. dub. 3. litteræ, & d. 32. q. 1. ad 5.
D.Th. 1. d. 32. q. 1. art. 1. & 1. p. q. 37. art. 2. ad 3.

SCOTVS *dist*. 13. *quæst*. 2. quem sequitur Faber *disp*. 41. circa finem. Rada *contron*. 17. non vult, hanc

hanc propositionem falsam, vt putant Vasq. *d.* 152. & alij; sed ait, esse veram hoc sensu, vt contingenter Spiritus sanctus sit principium amandi creaturas; sicuti Verbum cognoscendi.

Canariensis ad hunc articulum D. Thomæ negat hanc propositionem; tamen in gratiam Angelici, eam concedit hoc sensu; Patrem, & Filium diligere creaturas Spiritu sancto, quia, dum se inuicem diligunt, creaturas etiam diligunt, non simpliciter necessariò.

Suarez *lib.* 11. *cap.* 3. ait: eatenus Patrem, & Filium Spiritu sancto ferri in creaturas; quatenus amore, quo se inuicem diligunt, diligunt etiam creaturas, non simpliciter necessariò; sed ex suppositione, quod futuræ sint, & ideò hoc bonum est eis dandum; sicuti Verbum non necessariò repræsentat creaturas futuras; sed supposito decreto; & ideò Filius, & Spiritus sanctus relationem rationis habent ad creaturas: addit verò, hanc propositionem sic esse impropriam, arridens Scoto, vt ait Macedo *coll.* 9. *sect.* 1.

219 Vasquez *disput.* 152. *cap.* 2. ait, hanc propositionem esse veram solùm de notionali dilectione eodem modo, quo se inuicem diligunt Pater, & Filius, quia scilicet Spiritus sanctus, tanquam terminus productus per dilectionem, non solùm habet respectum producti ad Patrem, & Filium, verùm etiam respicit obiecta secundaria amoris; sicùt ipsa dilectio notionalis. Quare, sicut dicitur Pater intelligere creaturas in Verbo; ita etiam possumus dicere, diligere creaturas Spiritu sancto, tametsi non procedat ex amore creaturarum formaliter.

220 D. Thomas sustinet, hanc propositionem veram esse, siue sumatur *diligere* essentialiter; siue notionaliter; priori enim modo sensum facit: Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto, idest, per Spiritum sanctum, quia amor, quo Deus prosequitur creaturas, volendo eis hoc bonum existentiæ, vt essentialis, in amore spirato includitur, sicut & in productione Verbi totius Trinitatis etiam essentialis cognitio implicatur: est autem tritum in D. Thoma, diuinas emanationes esse rationes productionis creaturarum. Posteriori autem modo, idest, notionaliter, hic erit sensus. Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum, qui est ratio omnis collationis factæ creaturis. Idem habet Marsil. 1. *d.* 35. *art.* 1. *prop.* 5. Nazarius *q.* 37. *art.* 2. *controu.* 2. vbi adducit etiam D. Bonauenturam. Idem sentiunt Thomistæ omnes, ac Tannerus *disput.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 8. *num.* 12.

221 D. Bonaventura, *dub.* 10. refert aliquos intelligentes hanc propositionem Pater, & Filius diligunt nos per Spiritum sanctum, operando; sicut dicitur per Verbum omnia facere.

Contra arguit S. Doct. sic enim possemus etiam dicere: Pater, & Filius puniunt, & odiunt peccatorem per Spiritum sanctum.

Respondet ipse, veram esse propositionem essentiali, & notionali sensu, & sensum esse. Pater, & Filius spirando Spiritum sanctum, donum, & amorem, ac vinculum, eum nobis proinde infundunt, & inspirant. Licèt igitur non constituatur in ablatiuo ob solam donationem, quæ amor est essentialis, quo Deus vult indiuisim hæc bona; tamen notionaliter benè construitur ob notionalem productionem. Sicut enim dicitur: Pater dicit se & creaturas Verbo; ita & Pater, & Filius Spiritu sancto diligunt se, & creaturas eo modo, quo præcedenti quæstione explicui, declarans illud: Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. Sic enim eam declarat D. Bonauentura *dist.* 32. *q.* 1. *ad* 5. Idem sentit Richardus *dist.* 32. *quæst.* 2.

Hic nota, Seraphicum non dixisse, hanc propositionem: *Pater, & Filius diligunt nos Spiritu sancto*, tribus modis sumi posse, essentialiter, notionaliter, & mixtè, vt putat Forestus *fol.* 477. sed dicit το *diligere* tripliciter sumi, primò essentialiter merè, vt cum dicitur Pater, & Filius diligunt se inuicem. Secundò notionaliter; vt cùm dicitur Pater, & Filius diligunt se inuicem Spiritu sancto. Tertiò mixto modo, vt in hac propositione. *Diligunt nos*, &c. non enim primo, & secundo modo præcisis, hanc concedit Seraphicus, qui parum à D. Thoma recedit. 222

Obiicies primò. Vel hæc propositio intelligitur essentialiter: vel notionaliter. Non essentialiter: nam Pater, & Filius, & Spiritus sanctus eo nos diligunt; non secundum, quia amor notionalis est necessarius; at verò amor Dei erga creaturas est contingens: potuit enim non diligere.

Respondet D. Bonau. *quæst. citata ad quintum*, esse amorem notionalem eundem, quo Pater, & Filius diligunt se; mixtum tamen connotato essentiali ad creaturas, vt dixi: hic verò est necessarius: ex parte actus diuini, & respectu decreti facti. 223

Obiicies secundò cum Vasquez: non potest Spiritus sanctus dici ratio processionis creaturarum, nisi appropriatè; idque impropriè; siquidem ratio producendi creaturas est vnitas essentiæ: pluralitas verò personarum in ratione principij per se ad eam non pertinet.

Respondet D. Bonau. *distinct.* 18. *quæst.* 1. essentiam quidem esse principium causalitatis respectu productionis creaturarum; neque tamen per accidens se ad hoc habere tres personas; quia de ratione Dei Creatoris est, vt sint tres personæ istæ; adhuc verò, cùm Spiritus sanctus propriè procedat in ratione Doni, atque amoris, vt primum productum à voluntate diuina, est etiam originalis fons; vnde omnia dona deriuantur. Videtur autem S. Doct. *ad secundum quæstionis adducta* concedere, Spiritum sanctum esse donum creaturarum per appropriationem; attamen solùm vult dicere, quòd, quoad causalitatem efficientem dona sunt à tota Trinitate, tamen per Spiritum sanctum, tanquam exemplar; quia est primum Donum, quo donantur alia, adeo vt notionaliter, & propriè sit causa exemplaris donorum omnium. Quod enim est primum in vnoquoque genere, est mensura cæterorum: hoc clariùs ostendam sectione sequenti. Idem ferè dicunt Nazarius, & alij. 224

SECTIO III.

De Spiritu sancto, vt Donum est.

Inter nomina sancti Spiritus insigne est hoc, apud D. Augustinum 5. *de Trinitate, cap.* 15. & 19.

Qvæstio

QVÆSTIO I.

An detur in diuinis ratio Doni.

D. Bonau. 10. & 18.
D.Th.q.38.

225 VT solidè rem pertractemus, videre oportet, quid sit Donum: Donum, ex Aristot. 3. *Top. cap.*9. vt refert D. Bonau. *dist.*18. *quæst.* 2. *ad* 4. & *quæst.*3. *fundamento vltimo*, & *ad.*2. & *quæst.*4. *Est datio irredibilis sine spe, & pacto retributionis*; ac si dicas: est datio liberalis ex amore. Iam verò videndum est: an hæc definitio congruat in diuinis: neque enim nouas in rebus decernendis definitiones proprio marte licet confingere. Hanc acceptat D. Thom. *art.*1. *&* 2. Vasquez *disput.*153. *cap.*2. Suarez *lib.*11. *cap.*4. Faber *disput.*43. Tannerus *disp.*4. *quæst.*4. *dub.*4. Nazar. & alij Thomistæ *ad locum citatum*, D.Thomæ, ac Morand. *num.*615. eam supponit communem.

Hinc tria in dono reperit S. Doct. Primum est res donata, quæ licèt non sit exhibita; est tamen naturâ donum. Secundum est donans. Tertium est, cui donum confertur.

Pro quo aduertit in his *qq.* passim, *Donum à dato* differre; nam *Datum* dicit donum actu exhibitum: at *Donum* est tale non modò cum actu datur; sed etiam cum est in potentia dabile, imò quando est tale natura sua, vt sit donabile: sic, *quæst.*3. *in corpore*; & hoc laudant alij cum Scoto *loc. cit. post G,* & cum D.Augustino *loc. cit.*

226 Qvoad rem, quæ est donum, requiritur, vt ex liberalitate detur: quod explanat Scotus lepido exemplo apud Fabrum sumpto è D.Bonau. *quæst.*2. *ad* 4. Nihil habet rationem doni, nisi quatenus habet rationem amoris, seu nisi quatenus è liberalitate amoris procedit: non enim *Culter, Rosa, Liber*, habent rationem doni, nisi quatenus amicabiliter actu amatorio voluntatis communicantur.

Hinc geminas relationes in dono inuenit Scotus post D.Bonau. *quæst.*1. *in corpore*, altera est ad donantem: altera ad eum, cui fit donatio. Vterque autem, tam donans, quam is, cui donum exhibetur, debet esse naturæ rationalis: hæc enim sola est capax amorosæ liberalitatis; vt ait D. Augustin. *lib.* 4. *contra Iulianum cap.* 3. non longè ab initio.

227 Assero, in diuinis esse rationem doni propriè.

Probatvr à D. Bonau. *quæst.*1. ex prima Corinth. *Diuisiones gratiarum sunt; idem autem spiritus diuidens singulis, prout vult.* & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et Isaiæ 9. *Filius datus est nobis.*

Deinde ex D. Augustino *loc. cit.* 5. *de Trinitate, cap.* 19. & *lib.* 6. *cap.*5. Idem probat *quæst.*3. ex primo Iacobi: *Omne donum desursum est.*

Idem ostendam rationibus, dum comprobabo. Cui in diuinis conueniat esse donum.

QVÆSTIO II.

An detur in diuinis aliqua Persona manans per modum liberalitatis.

D.Bonau. d.10. quæst.1.
D.Th. q.38.art.2.

Asserendvm, dari; & hanc esse Tertiam Personam.

Probatur à D. Bonau. In diuinis est communi- 228
catio amoris perfectissimi, idest, mutui: talis autem communicatio est per liberalitatem: ergo. Maior probatur. Perfectior est dilectio mutua, & communicata; quam non mutua, & non communicata, quia talis, scilicet, non communicata videtur sapere amorem libidinosum. Ergo si in Deo est summa delectatio, summa beatitudo, non est ibi persona, quæ mutuò non ametur, nec cui amor mutuus non communicetur; è mutuo autem amore Patris, & Filij manat Spiritus sanctus: ergo liberaliter.

Probatvr secundò. Quidquid est nobilitatis in creatura, est Deo attribuendum: sed inter nos est duplex modus nobilis communicandi, primus per naturam: secundus per liberalem voluntatem; datur verò in diuinis modus producendi per naturam Filium: ergo datur etiam modus producendi per liberalitatem Spiritum sanctum.

Probatvr tertiò. Sicuti natura perfectissima 229
est perfectissimæ fœcunda prolis: ita voluntas perfectissima est liberalissimæ fœcunditatis: at natura diuina est perfectissima intellectu, quo Pater gignit Verbum, personam perfectissimam. Ergo etiam voluntate liberalissima personam Spiritus sancti.

Probatvr quartò. Sicuti ante productionem creaturarum danda fuit ad intra productio Verbi, in quo omnia facienda disponerentur; ita ante donationes liberales bonorum eisdem creaturis dandas, fuit persona donum, in quo omnia liberaliter donarentur.

Obiicies primò. Productio Personæ diuinæ de- 230
bet esse dissimilis productioni creaturæ. Sed creaturæ manant liberaliter. Ergo Persona diuina opposito modo.

Respondet S. Doct. diuinam personam emanare diuerso modo, nempè vt rationem volendi, & donandi, quæ est intrinseca voluntati perfectissimæ; at creaturæ manant, vt res tantùm extrà volitæ.

Obiicies secundò. Manans è liberali voluntate, manat dissimile volenti in essentia, vt ens inferius, nec necessarium. Talibus autem modis non potest procedere Persona diuina: ergo.

Respondet S. Doctor, quod licèt modus emi- 231
nandi per voluntatem non sit per modum simils, & æqualis in substantia; attamen in diuinis, quia est perfectissimus, producit æqualem in eadem essentia, ens nimirum simpliciter necessarium.

Obiicies tertiò. Inter nos est modus non solùm producendi per naturam, & voluntatem, sed etiam per artem, qui modus est perfectus. Ergo debet dari etiam in diuinis.

Respondet S. Doctor, emanationes ad intra debere esse secundùm eandem substantiam: productio autem per artem intrinsecè repugnat; quia debet esse alicuius extrinsecì. Quoad id verò, quod in arte est perfectionis, resplendet in emanatione filij,

Filij, qui est ars plena omnium rationum viuentium, vt docet D. August. 6. *de Trin. c.* 10. Igitur, sicut in diuinis potest esse emanatio, vt ratio donandi, ita etiam vt ratio artefaciendi, seu vt ars: quia vtrumque potest manare in eadem natura intrinsecè; at verò neque, vt liberaliter factum, neque vt aliquid fabrefactum, potest manare persona ad intrà; sed extrà debet produci.

232 Obiicies quartò. Quantò pluribus communicatur dilectio: tantò perfectior euadit. Ergo si dilectio in diuinis est perfectissima, debet poni, non solùm tertia persona, cui amor secundæ communicetur; sed quarta, cui amor tertiæ, & sic in infinitum, vel standum in persona prima. Antecedens probatur: omne bonum in commune deductum pulchriùs elucescit.

Respondet S. Doct. naturâ edoctus, frustra fieri per plura, quod potest per pauciora, vt dicitur 1. *Phys. t.* 51. & 8. *Top. c.* 4. Cùm igitur perfectissimus amor reperiatur mutuus inter duas personas, & in tertia mutuæ infinitæ dilectionis communicatio, frustrà extendimus dilectiones ad personas multiplicandas; neque amor minùs esse debuit, quàm mutuus, vt ostendi *sect.* 2. *q.* 3. & *sect.* 1. *q.* 7.

QVÆSTIO III.

An donum sit ratio propria Spiritus sancti.

D. Bonau. d. 18. q. 4.
D. Th. q. 38. art. 2.

233 DVRANDVS 1. *dist.* 18. *q.* 1. asserit, rationem doni in diuinis, essentiæ diuinæ conuenire, & toti sanctissimæ Trinitati, quatenus dari potest creaturæ, vel per modum Creatoris, & Gubernatoris, vel in ratione obiecti cogniti, vel dilecti per gratiam, & gloriam; appropriari tamen Spiritui sancto, quatenus etiam ille dicitur procedere per modum amoris: amor enim rationem habet primi doni. Nititur suo falso fundamento; Spiritum sanctum non emanare propriè à voluntate, sed ab essentia: vnde & rationem amoris, atque adeo etiam doni solùm appropriatè ei conuenire astruit.

SECVNDÒ, Ocham relatus à Marsilio 1. *q.* 21. *art.* 1. & Gabriel *dist.* 18. *q. vn.* aiunt, donum bifariàm vsurpari: altero modo pro eo, quod alteri gratis dari potest; & hoc modo non solùm Spiritui sancto, sed cuilibet personæ conuenit ratio doni: quælibet enim earum creaturæ donari valet: sic donatus est Filius *Ioan.* 3. Altero modo dicitur donum, quod procedit ex vi amoris alicuius obiecti; non quia liberaliter alicui detur: hoc modo Spiritus sanctus habet rationem doni, non respectu creaturarum, quibus liberaliter donetur; sed respectu Patris, & Filij: quia est vtriusque mutuus amor. Quare erit donum Patris ad Filium, & repensus à Filio ad Patrem. Ob id Gabriel putat, diuinam essentiam esse donum Patris ad Filium. Idem sentit Capreolus *d.* 18. *quæst. vnica.*

234 AT contrà rectè arguunt Durand. *n.* 10. Marsil. *loc. cit.* Canariensis *prima parte coment.* Vasq. *n.* 3. cum D. Bonau. *dist.* 18. *q.* 5. *fundam.* 2. essentia diuina non potest dici donum respectu secundæ personæ accipientis illam; nec Filius potest dici procedere, vt *datus*, vt docet D. Aug. 15. *de Trin. c.* 19. vbi in hoc distinguit emanationem Filij, ab emanatione Spiritus sancti, quod Filius oritur, *vt natus*; Spiritus sanctus procedit, *vt datus*; neque verò licet ad libitum nominibus vti, sed iuxta peritorum doctrinam: donum autem teste Arist. 4. *Top. c.* 4. *est datio irredibilis,* hoc est gratuita, & liberalis; ac proinde ex nullâ necessitate proueniens, quantum ex vi suæ productionis, vt docet D. Bonau. *dist.* 10. *q.* 1. *ad* 2. & *dist.* 18. *q.* 3. *fundam.* 2. & *ad secundum*: & *d* 18. *q.* 3. *fund.* 2. & *ad* 2. Ideò non rectè natura diuina dicitur donum datum Filio. Quod verò præfati Doctores addunt, neque respectu Spiritus sancti dici datam liberaliter essentiam, differetur *quæst. seq.* ad mentem Seraphici.

TERTIÒ, Canariensis *secunda parte commentarij D. Thomæ*, ait, tripliciter accipi donum: primò, vt est alicuius donantis per liberalitatem, & hoc modo essentia est donum, & omnis persona est donum, quia se ipsam creaturis donare potest: secundò dicitur donum, quod est alicuius per originem, & donari potest: sic ratio doni tantùm conuenit personæ procedenti, idest, Filio, & Spiritui sancto. Tertiò modo dicitur donum id, quod non tantùm est alterius per originem, & donari potest; sed etiam ex vi suæ originis procedit vt donum: & hoc modo soli conuenit Spiritui sancto, qui, cùm procedat vt amor, vi suæ originis habere videtur rationem doni. Pro hac allegat D. Thom. *ad* 1. & est sententia Marsilij 1. *q.* 21. *art.* 1. *not.* 4. Easdem ferè distinctiones habet S. Bonau. *in corpore quæstionis quartæ*, nempè primam, & tertiam; non verò secundam.

EST igitur sententia D. Bonau. rationem doni esse proprium Spiritus sancti. Cum eo est D. Thom. & Thomistæ multi, & alij exteri, qui tamen diuersis modis hoc explicant. 235

Zumellus *ad art.* 1. *q.* 38. ita ait, Spiritum sanctum esse donum propriè, vt essentia diuina, Pater, & Filius dicantur impropriè donum.

Valentia dicit, nomen doni posse competere etiam Filio: at proprium esse Spiritus sancti propter vsum, & accommodationem Doctorum.

Vasquez *disp.* 153. docet, rationem doni esse proprietatem Spiritus sancti, & nequit aliis personis conuenire, & allegat S. Thom. & D. Bonau. qui verè id sentire videtur meo iudicio.

Caietanus verò ad hunc art. quem sequitur Nazarius *ibi controuersia vnica*, vbi allegat suam Scholam Thomistarum, dicunt, nomen doni dici de Deo, Deitate, ac de singulis personis propriè, idest, non metaphoricè, vel impropriè. Personaliter verò dictũ, dici propriè de Spiritu sancto, idest per se primò. Idem sentire videtur D. Bonau. *q* 4 vt exponit Forestus à *fol.* 512. Vult tamen S. Doct. Deum magis propriè datum: at Spiritum sanctum donum dici.

ASSERO primò, verè de Deo, vt vnus est, dici nomen *Doni*, nec omninò impropriè. Ita D. Bonauentura *in corpore*. 236

PROBATVR primò à D. Bonau. *dist.* 18. *quæst.* 3. ex 1. Iacobi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.* Datur autem etiam Deus, Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, vt obseruat S. Doct. *in commentario.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *q.* 1. *argum.* 4. *ad oppositum*, *addito responso*: abstracto per intellectum Spiritu sancto, adhuc intelliguntur Pater, & Filius liberales, & causa donorum sufficiens.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. quia donum est datio irredibilis, idest, absque retributione; at Deus dat hoc pacto se: ergo. Maior est Aristot. 4. *Top. c.* 4. apud D. Bonau. *q.* 5. Minor probatur à D. Bonau. quia creatura nihil habet suum, quod Deo retribuat. Vnde clamat Dauid: *Quid retribuam Domino?* &c. & *Bonorum meorum non indiges.*

ASSERO secundò, etiam Personæ Filij conuenire esse donum actu datum, & dabile.

Probatur à D. Bonau. q. 1. ex Isaïæ 9. *Filius datus est nobis.* Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Galat. 3. Titum 2. &c.

Probatur etiam ratione D. Bonau. ex definitione doni allata ex Aristotele suprà, quæ aliquo modo ei aptatur.

Assero tertiò. Propriissimè tamen conuenit ratio doni Spiritui sancto, quia non solùm donatur; sed etiam procedit ex amore, vt donum, seu, vt donabilis.

Quod sanè Spiritus sanctus præcipuè sit donum datum; scripturis est euidens; Ioannis 4. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes. Si scires donum Dei, &c.* Ioan. 14. & sequentibus, vbi promittit mittere Spiritum sanctum. Idem habetur *Ephes.* 4. Actorum 2. 10. 11. *Psal.* 63. Vide D. Bonau. *ad* 4. *Ioannis*, & ad *cap.* 14. 15. *& sequentia*, vbi alia loca edisserit.

238 Quòd verò esse doni sit proprium Spiritus sancti. Probatur à D. Bonau. 1. ex D. Augustino 5. *de Trin. cap.* 15. *Sicuti in Trinitate non est Verbum, nisi Filius; ita nec donum, nisi Spiritus sanctus.* Et lib. 4. cap. 20. *Sicut natum esse, est Filium à Patre esse; ita Spiritum sanctum donum Dei esse, est à Patre, & Filio procedere.* Hinc arguo ex D. Augustino. Eodem modo ratio doni conuenit Spiritui sancto, quo ratio Verbi conuenit Filio, sed ratio Verbi est propria solius Filij: ergo & ratio doni est propria solius Spiritus sancti. Maior est etiam aliorum PP.

Respondet Gregorius *disp.* 2. *q.* 12. *p.* 2. nomen Verbi competere Filio ex vi suæ significationis, quia solus procedit per intellectum; sed nomen doni solùm propter vsum, & accommodationem Doctorum competere Spiritui sancto.

At comparatio D. August. sic esset inepta, & falsa, nam hoc modo comparat, quòd Spiritus sanctus ex vi emanationis habet esse, quod est esse donum: eadem prorsus ratione, qua Filius accipit esse Verbi. Optimè autem arguit D. August. vt ait Morandus *quæst.* 29.

239 Probatur secundò à D. Bonau. Qui habet relationem ad Patrem, & Filium per aliquid; distinguitur ab eis per illud: sed Spiritus sanctus per esse doni refertur ad vtrumque: ergo.

Probatur tertiò *in corpore*, & *quæst.* 2. *ad* 4. Is, qui ex natura intrinseca suæ originis est amor, is intrinsecè est donum. Spiritus sanctus ex vi suæ originis est amor. Ergo intrinsecè, vt Spiritus sanctus est, habet maximè proprium esse doni: maior probatur, quia amor est primum donum voluntatis; vnde alia dona emanant. Minor est certissima. Hoc argumento vtuntur D. Thom. cum asseclis, Vasquez *disp.* 153. Suarez *lib.* 11. *cap.* 4. Tannerus *disp.* 4. *q.* 4. *dub.* 4. *n.* 12. Morand. *loco citato.*

240 Valentia tamen eam rationem conatur infringere, quia ex eo, quòd Spiritus sanctus est amor, atque adeo id, quod primò solet donari, fit, vt ei soli competat nomen *Doni*, ex vi significationis eius; attamen non solus amor est donum; sed etiam alia multa. Quare ea ratio solùm ostendit meritò à Doctoribus hoc nomen soli tertiæ personæ adscriptum, quod facilè potuerunt facere, cùm vsus alioqui nominum sit ad placitum.

Enim verò non admodum aptè differit Valentia. Suppono autem ex D. Bonau. *quæst.* 2. *ad* 4. & *dist.* 10. *q.* 1. *ad primum*, quem ex parte sequitur Vasq *cap.* 2. dupliciter aliquid donum nominari primò per extrinsecam additionem, quando scilicet est liberaliter datum, vel donabile, non ab intrinseco, sed ab electione libera voluntatis ex amore. Sic Cultellus, Liber, Armilla est donum, & ita in diuinis tota sanctissima Trinitas est donum: altero modo aliquid est donum: primò, ex intrinseca sua origine, ac proinde substantialiter; & propriissimè: loquendo hoc modo ea tantùm habent rationem doni, quæ ex origine ita procedunt, habentia intrinsecè donabilitatem: talis est Spiritus sanctus, 241
qui manat à voluntate amante, vt amor mutuus Patris, & Filij, & ideò non modo est amor; sed etiam ratio amandi, ac volendi reliqua ad extrà, quæ sunt volita: amor enim est primum donum, cætera verò, vt ab illo.

Iam verò; esto solus amor non habeat rationem doni, sed multis aliis competat; ea tamen eatenus sunt dona; quatenus ex amore extrinsecus addito fiunt dona: ideò enim Cultellus, & Armilla sunt donum, quia additur eis voluntas amorosa exhibens. Cùm igitur in diuinis solus Spiritus sanctus sit amor ex origine, consequenter ex vi originis suæ propriissimè solus est donum: vnde non ad placitum Doctorum; sed intrinsecè sic postulat nominari: esto autem alia multa, præter amorem, sint dona: attamen ea tantùm extrinseca additione liberalis amoris dantis euadunt dona vera, non mera denominatione, vt dicam *n.* 249. in quo errat Vasquez. In diuinis autem alia quidem 242
sunt substantialiter dona; at propriissimè solus Spiritus sanctus, vt manans amor inuenitur habere rationem doni: sicuti enim vnum Verbum datur, quod cùm infinitum sit, absorbet omne esse Verbi; ita vnicum reperitur donum totam rationem doni absorbens. Est autem in diuinis dandum donum, cùm sit primus, veluti effectus voluntatis fœcundæ perfectissimæ, quæ procul dubio est in diuinis, vt ostendit S. Doct. *dist.* 10. *quæst. citata in fundamentis, & corpore.*

Quæ cum ita sint, Doctores ideò nomen doni 243
Spiritui sancto adscribunt, quia talis est intrinsecè ex vi suæ originis; non autem id dicunt ex vsu. Id inter eos S. August. qui fuit exactior huius Theologiæ speculator, aduertit. Ideò 5. *de Trinitate, cap.* 15. ait: *nomen doni ita proprium esse Spiritûs sancti, sicut nomen Verbi est solius Filij*; & *cap.* 11. vbi, relationem realem Spiritus sancti ad Patrem, & Filium, ait, *in ratione doni inueniri*: & *lib.* 4. *cap.* 20. ait: *Et sicuti Spiritui sancto donum Dei esse, est à Patre procedere; ita mitti, est cognosci, quòd ab ipso procedat.*

Ex his collige, falsò Vasquez *disp.* 154. in calce dixisse, Bonauenturam non inuenisse in Spiritu sancto veram rationem doni, quæ est, ex origine suâ substantialiter habere esse donum, quam rationem à se editam gloriatur; at Bonauenturam solùm docuisse *quæst.* 1. Spiritum sanctum eò esse primum donum, quia semper donatur in cæteris donis gratum facientibus; aut quia est causa exemplaris cæterorum donorum; quod ipse Vasq. ait, non rectè dictum; tum quia cum cæteris donis non tantùm datur Spiritus sanctus; sed aliæ etiam personæ: tum quia etiam Filius hoc pacto habet esse causam donorum, sicut Spiritus sanctus.

Profectò non solùm suprà *citatis locis*, sed 244
etiam ipsa *quæst.* 1. quam allegat Vasquez, hæc vsurpata ab hoc Moderno doctrina præclarè elucet. Primò sanè in fundamentis, vbi ex eo, quod Spiritus sanctus est amor, colligit, eum esse primum donum; quia enim procedit, vt amor, est ratio donandi

donandi alia; & ideò cætera solùm extrinsecè sunt exhibita, neque S. Doct. ait, ideò Spiritum sanctum esse donum, quia semper donatur in cæteris donis, vt ei adscribit Vasquez, sed quatenus est ratio, per quam cætera donantur, vt patet 1. & 2. *fundamento*.

245 In corpore verò agitat quæstionem: An Spiritus sanctus sit donum, in quo omnia alia donantur: & quomodo hoc verum; & dicit, quod, si intelligas per concomitantiam, falsum est: quia aliqua dona non sunt cum Spiritu sancto, aliquando cùm datur, vt prophetiæ, miracula, &c. Quædã, quæ nunquam sunt cum Spiritu sancto, vt amor seruilis præcisè, quia solus non sufficit ad charitatem, quæ diffunditur per Spiritum sanctum. Verum autem est de gratiis gratum facientibus, ipsum esse donum, in quo omnia donantur, quia cum his comitanter est Spiritus sanctus per gratiam, & charitatem. Si verò propositio hæc *Spiritus sanctus est donum, in quo omnia donantur*, indicat causalitatem; sic non est proprium Spiritus sancti, quia dare ad extrà est commune toti Trinitati. Vel vt dicit causalitatem, & subauctoritatem: & hoc sensu Pater per Filium, & Spiritum sanctum donat. Vel vt dicit causalitatem, subauctoritatem, & exemplaritatem: & sic propriè Spiritui sancto conuenit. Ipse enim procedit per modum primi doni, ita vt omnis donatio sit eo posterior, & ab illo accipiat rationem donationis: & ad *quartum* explicat, Spiritum sanctum esse donum, quia est amor.

246 Itaque S. Doctor *ibi* loquitur de Spiritu sancto, vt est causa actualis donorum nobis largitorum; & respectu horum, omnibus his modis est donum, in quo omnia donantur nobis; attamen in ratione doni, ipse naturâ suâ est primum donum, in quantùm est amor, & amore procedens, vt dixit *fundamento vltimo*, & in fine *corporis*, quod latiùs prosequitur *q.2.* maximè ad *quartum q.3. in fund.* vbi cum D. August. ostendit, Spiritum sanctum esse donum, etiamsi nunquam esset datum in tempore, cùm esse doni sit ipsa entitas æterna Spiritus sancti. Et *q. 4.* vbi ex professo quærit: An esse doni sit propriũ Spiritus sancti, & idque desinit ea ratione, quã sibi adscribit Vasquez: vnde infert, quod etiam inter nos, si amor posset donari, sicut res aliæ; substantialiter, & ex vi suæ processionis esset donum.

247 Ideò igitur Spiritus sancti proprium est esse donum, quia procedit, vt datus; sicut Verbum est Filius, quia procedit, vt natus; sicuti docet S. August. 5. *de Trinitate, cap.* 14.

Probatur adhuc à D. Bonau. *ea distinct.* 18. *quæst.* 5. primò ex D. August. 5. de Trin. cap. 11. *Eò est donum, quò Spiritus sanctus*. Ergo ratio doni est distinctiua Spiritus sancti proprietas.

Secundò ex eodem D. August. *lib.* 15. *de Trin. c.* 19. vbi assignat differentia emanationis Filij, & Spiritus sancti; quia hic emanat, vt *donum*: ille verò, vt *natus*. Si ergo hæc est differentia distinguens Spiritum sanctum à Filio; sequitur, quod sit proprietas Spiritus sancti, vt arguit *fundamento secundo, & tertio*.

Tertiò probatur à S. Doct. ex D. August. 5. *de Trin. cap.* 11. vbi ait: Relationem, secundùm quam refertur Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium, magis apparere in hoc nomine, *Donum*, quàm in hoc nomine, *Spiritus*: Tunc sic; relatiua sunt propria, & nunquam communicata, sed esse donum est relatio Spiritus sancti, ex D. August. maior est de fide. Idem habet S. Bonau. *dub.* 1. *litt.*

248 Ex dictis habes, quo pacto donum ita sit proprium Spiritus sancti, vt tamen non impropriè conueniat Deo, vt vnus, & Filio; ex quibus Soluuntur argumenta Zumelli. Habes etiam, quo pactò nostræ primæ conclusioni non obsit Vasquez argumentum. Rei, quæ ex liberali voluntate, ei accedente, donari potest; ratio doni prouenit extrinsecà tantùm dominatione à voluntate donantis, quæ illi extrinseca est, & accidentaria: Ergo ad rationem doni requiritur, esse productum per amorem, vt ipsius productio sit substantialiter donatio. Id verò conuenit soli Spiritui sancto: ergo impropriè dicitur de Deo.

Respondetur, donum propriissimè, tale esse, & soli conuenire Spiritui sancto: at verò, vt res aliqua non sit impropriè donum datum, sufficit, si detur ex amore, etiamsi non sit producta ex amore. An 249 non erit donum adamas exhibitus à sponso suæ sponsæ, etiamsi naturaliter in mineralibus, non ex amore genitus? sic igitur, cùm Deus, & duæ priores personæ dentur ad fruitionem ex charitate; cur non erunt propriè donum? Ideò arguitè S. Doct. *q.* 4. dicit, *esse donum datum*, conuenire toti Trinitati; at verò *esse donum*, vt manans in ratione doni, conuenire soli Spiritui sancto. Addit S. Bonau. *q.* 3. quod *datum*, cùm sit participium, vel nomen verbale concernit tempus; at verò *donum* à tempore abstrahit: & ideò, quia omnia diuina supra tempus sunt, conuenientiùs in diuinis dicitur *donum*, quàm *datum*. Deinde, quia donum supra datum addit conditionem liberalitatis, siue irredibilitatis, & ideò maximè competit diuinis.

Obiicies adhuc contra hoc dictum, Spiritum 250 sanctum non esse rationem donorum, primò, aliqua enim dona appropriantur Filio, vt ea, quæ spectant ad illustrationem intellectûs.

Respondet S. Doct. Filium esse rationem dandi aliqua sumpta materialiter, seu ratione eius, quod subest, at verò in ratione donationis omnia appropriantur Spiritui sancto, ratione iam dictâ.

Obiicies secundò. Si Spiritus sanctus est donum, & ratio donorum. Ergo & doni est donum, & donationis donatio in infinitum, quod est absonum ex Aristot. 8. *Physs. text.* 9 Probatur sequela, quia donum dicit relationem, & rursus doni donum dicit relationem; & ita illa ad aliam in infinitum.

Respondet S. Doct. posse vnum donum esse, principium alterius doni; at in causando sistitur in primo fonte donorum, nec abitur in infinitum. Adde; in diuinis *donum* veram hypostasim dicere.

Igitur Spiritum sanctum esse rationem donorum 251 probat S. Doctor *d.* 18. *quæst.* 1. ex 1. *Cor.* 12. *Diuisiones gratiarum sunt: idem autem Spiritus diuidens singulis, prout vult*. Deinde id probat ex D. August. *lib.* 15. *de Trin. cap.* 19. Per donum, quod est Spiritus sanctus, commune omnibus membris Christi, propria quibusque dona Dei donantur.

Probatur tertiò à S. Doct. omne posterius reducitur ad vnum primum. Spiritus sanctus est primum donum: Ergo omnia ad eum reducuntur, tanquam ad primum.

Probatur quartò à S. Doct. omne donum, in quantùm donum, ex amore datur, alioqui non habet rationem doni: sed Spiritus sanctus est amor Patris, & Filij, ex D. Augustino 6. *de Trinitate, cap.* 5. ergo.

Obiicies adhuc primò contra tertium assertum. Donum dicitur in habitu, & datum dicitur in actu: Ergo, datum addit super donum: ergo, cui conue-

nit esse datum; conuenit esse donum, sicuti quia rationale addit super animal; cuicumque conuenit rationale; conuenit esse animal. Sed datum conuenit Trinitati: ergo & donum: non ergo est proprium Spiritus sancti.

252 Respondet S. Doct. *quaest.* 4. datum addere supra donum actualem communicationem; at donum in suo intrinseco dicere supra datum emanationem per modum liberalitatis, & quia id, quod donum addit supra datum, est personale; ideo donum propriissimè est personæ Spiritus sancti. Igitur non omne datum significat donum, sed actus donandi donum.

Obiicies secundò, donum dicit respectum ad dantem, & ad eum, cui datur: si ergo donum est proprium Spiritus sancti, aut propter respectum ad dantem, aut ad recipientem: non secundum, quia, & *Filius datus est nobis.* Isaiæ 9. si primum. Contra, Filius procedit à dante, scilicet Patre, vt donabilis in tempore per Incarnationem. Ergo esse donum non est Spiritus sancti proprium.

Respondet S. Doct. Spiritum sanctum dici donum propriè, ratione respectus ad dantem, non ratione respectus simpliciter, sed talis respectus, quia emanat per modum donabilis ex vi amoris, quod est proprium Spiritus sancti. Quare Filius, non emanat, vt donabilis reduplicatiuè, quamuis manauerit specificatiuè donabilis: & ideò in tempore datus est ex libero tantùm decreto.

Obiicies tertiò. Regula est: omne nomen dicens respectum ad creaturas esse commune tribus. Sed donum est huiusmodi: ergo.

253 Respondet S. Doct. maiorem veram esse de nomine, quod importat respectum solùm ad creaturas; non personæ ad personam; donum autem vtrumque importat & principaliùs respectum ad personas. Ita etiam D. Thom. *ad* 4. vt obseruat Forest. *fol.* 496. *col.* 2.

Obiicies quartò: nihil dicens respectum ad creaturas, est proprietas distinctiua personæ: sed donum dicit respectum ad creaturas: ergo.

Hoc est argumentum mox adductum è *quaest.* 4. refricatum *quaest.* 5. at integra quæstione soluetur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Spiritus sanctus sit Donum, vt donatus à Patre Filio: an vt donabilis nobis.

254 HÆc quæstio præclarè nobis elucidabit illam disputationem, quam mouent illicò. An ratio doni conueniat Spiritui sancto ratione essentiæ, idest, amoris essentialis inclusi; an ratione proprietatis personalis. Si enim primò significat donabilitatem creaturis; profectò conuenit Spiritui sancto ratione essentialium, secundùm quæ in creaturas elargitur, atque adeò nomen doni erit appropriatum, non proprium Spiritui sancto: at verò si primò significat donum Patris ad Filium intrà; erit proprium Spiritus sancti personale relatiuum, quemadmodum satis *quaest. praeced.* etiam defendimus.

SCOTVS *in* 1. *dist.* 18. *q. vnica* asserit, donum principaliter significare relationem donabilitatis ad creaturas, quæ est relatio rationis; hanc autem relationem esse essentialem, non personalem; quia omnes personæ, imò & essentia potest donari creaturæ, ideò relationem hanc ad creaturas obtinet: addit verò connotare proprietatem personalem Spiritus sancti quia Spiritus sanctus ex vi suæ processionis est amor, & consequenter primum donum, quatenus à Patre, & Filio liberaliter donatur sibimetipsis. Est enim amor productus ipsarum personarum, & essentiæ Diuinæ, & hoc sufficit ad rationem doni; non autem, vt est donabilis nobis. Sequitur Scotum sic explicitum Faber *disp.* 43. Hanc sententiam sequitur Caietanus *quaest.* 38. *art.* 2. Nazarius *contron. vnica*, dicens, esse Thomistarum sententiam post D. Thomam.

Sequuntur Tannerus *disp.* 4. *q.* 4. *dub.* 4. *num.* 12. & alij.

E regione, secunda sententia est, rationem doni constitutiuam esse personæ Spiritus sancti, & distinctiuam: hanc verò aliqui dicunt esse, habere rationem donabilem creaturis rationabilibus. Ita Suarez *lib.* 11. *c.* 4. Vasquez *disp.* 154. *c.* 2. At Valentia *disp.* 2. *q.* 12. *p.* 2. asserit, principaliùs significare relationem ad Patrem, & Filium, quæ non est distincta à relatione processionis. Idem, exponente Foresto, *fol.* 496. *&* 499. sentit D. Bonau. *dist.* 18. *q.* 5. *fundamento* 3. *&* 4. & *in corpore*, & *quaest.* 2. & est D. Augustini, vt infrà ostendam. Hæc est sententia D. Thom. vt dixi *quaest. praecedenti, ad tertium*, & idem sentit 1. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 4. Capreolus *ibidem*, vt notat Vasquez. 255

Suppono ex probatis, *quaest. praecedenti*, rationem doni adeò esse propriam Spiritus sancti, vt sit constitutiua, & distinctiua eius personæ. Hoc ostendit D. Bonau. *dist.* 18. *q.* 5. ex D. Aug. 5. *de Trin. cap.* 11. vbi ait: *Eo est donum, quo est Spiritus*; at Spiritus est proprietas constitutiua, & distinctiua; ergo.

Deinde ex eodem D. August. 15. *de Trin. cap.* 19. vbi ait: *Ratio doni distinguit Spiritum sanctum a Filio.* Vide ibi.

ASSERO primò, rationem doni in Spiritu sancto principaliùs esse, vt sit mutuò donatus amor à Patre Filio; & è conuerso. Patet ex dictis.

PROBATVR primò ex D. August. 5. *de Trin. c.* 11. vbi ait: *Sed tamen ille Spiritus sanctus, qui non Trinitas; sed in Trinitate intelligitur, in eo, quod propriè dicitur Spiritus sanctus, relatiuè dicitur, cùm ad Patrem, & Filium refertur; quia Spiritus sanctus, & Patris, & Filij Spiritus est; sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem, cùm dicitur donum Dei. Donum enim est Patris, & Filij, quia & à Patre, & Filio procedit.* Cùm igitur Spiritus sanctus sit donum secundùm relationem ad Patrem, & Filium; sequitur esse donum, vt ab æterno datum à Patre Filio, & vice versa. 256

PROBATVR secundò à Seraphico *q.* 2. *fundamento* 5. Vbi est amor gratuitus, ibi intrinsecè est donum; sed in Patre, & Filio est amor gratuitus mutuus, spirans Spiritum sanctum: ergo Spiritus sanctus principaliter ex vi suæ emanationis est donum Patris, & Filij mutuum. 257

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *fundamento* 4. Vbi est perfecta ratio liberalitatis, ibi est donum; sed in emanatione Spiritus sancti est perfecta ratio liberalitatis Patris ad Filium in amorosa spiratione Spiritus sancti. Ergo Spiritus sanctus ex vi suæ originis est donum Patris, & Filij. Maior patet ex definitione doni allata *q.* 3. ex Aristot. 4. *Top. c.* 4. Minor patet ex dictis *sect.* 2.

ASSERO secundò, Spiritum sanctum, vt donum connotare etiam donabilitatem creaturis rationabilibus.

PROBATVR primò à D. Bonau. *quaest.* 1. Id est donum habens relationem donabilitatis, seu in 258

creatura

creatura habens relationem receptibilitatis gratuito, per quod omnia creaturis donantur, at per Spiritum sanctum omnia donantur nobis: ergo. Maior probatur: nam dare est actualis exhibitio doni, illudque supponit. Minor probatur primò ex prima Corinth.12. *Diuisiones gratiarum sunt: idem autem Spiritus diuidens singulis.* Secundò è D. August. 15. *de Trin. cap.* 19. vbi ait: *Per donum, quod est Spiritus sanctus, communiter omnibus membris Christi, propria quibusque dona Dei donantur.* Vbi id confirmat ex aliis scripturis Ioan.4. *Si scires donum Dei, &c. dedisset tibi aquam viuam.* Hanc autem aquam esse Spiritum sanctum, ait: *Ioan.* 7. & 1. *Corinth.* 15. Idem probatur actorum 8.10.11.vt suprà retuli.

259 PROBATVR secundò à D. Bonau. *quæst.* 2. Id, quod est eò donum, quodabile est; illud est donum ex intrinseco respiciens eos, quibus est dabile, & dandum. Sed talis est Spiritus sanctus: ergo. Maior est certa. Minor probatur à D. Bonau. ex D. Augustino 15. *de Trin. cap.*19. vbi ait: *Eo donum est, quo datur, quibus datur.* Et 5. de Trin. cap.14. *Eò donum dicitur, quò daturus eum erat Iesus.* Et 5. de Trinitate, cap.15. *Qui procedebat Spiritus, vt esset donabilis, iam donum erat.* Et cap.16. *Spiritus sanctus sempiternè donum est; temporaliter verò datur.*

260 PROBATVR tertiò à D.Bonau. *quæst.*3. Donum tria dicit, etiam secundùm Scotum, & Fabrum, idest, *Rem*, quæ est donum; *Relationem* ad donantem. Et *eos*, quibus donatur. Tunc sic. Relatio supponit fundamentum. Sed Spiritus sanctus dicit relationem ad creaturas, quibus donatur. Ergo in se est donum, quia creaturis est donabilis. Quod verò donum propriè sit Spiritus sanctus, supponit *in corpore* ex D. Augustino 15. *de Trinitate, cap.*19. vbi ait: *Ita Spiritus sanctus est donum; sicut Filius est Verbum.*

Confirmatur à S.Doct. *quæst.*5. ex eodem August. *loc. cit. Eò donum, quò Spiritus.* Sed est Spiritus propriissimè personaliter: ergo. Et ibidem differentiam Spiritus sancti à Filio assignat, quod hic, vt *natus*; ille vt *donum* emanet, vt suprà ostendi *quæst. præcedenti.* Si ergo propriissimè personaliter solus est donum, & dicit relationem ad eos, quibus datur, datur autem hominibus, vt luce clariùs euitet; sequitur, esse donum, quatenus donabilis est hominibus.

261 Confirmatur à Seraphico *quæst. vltim. in corpore.* Quando Deus dicitur noster, nominatur ab actu, quem habet in nobis, ex D. Damasceno 1. *de fide cap.*12. Sed Spiritus sanctus dicitur noster. Ergo ratione actus; & ideò per correlationem aliquam doni; quia, vt ait S. Doct. est regula; quod Deus de his dicitur noster, quæ dicunt respectum ad nos secundùm habitudinem causalitatis, vel correlationis. Quòd verò dicatur Spiritus noster, probatur à Seraphico *dist.* 18. *quæst.*6. Quia est pignus nostræ hæreditatis: & ob alias rationes *quæst. seq.* probandas.

Respondet Faber cum Scoto, quod in dono, vt dicitur de Spiritu sancto, sunt duo: alterum principale, & est relatio rationis ad nos; & hoc est appropriatum, non proprium Spiritus sancti; quia aliæ etiam personæ sunt nobis donabiles; alterum est connotatum, estque proprietas Spiritus sancti, quatenus procedit, vt amor, & consequenter donum, in quo omnia alia donantur. Quando ergo D. August. ait: *Donum esse proprietatem personalem Spiritus sancti,* intelligit id connotare materialiter.

262 Contrà sunt euidentissimi textus D. August. quòd pro formali; ait enim: *Eo esse donum, quo Spiritus* & per rationem doni distingui à Filio. Quid clarius? Quod enim distinguit Spiritum sanctum, est formale eius. Præterea D. August. 5. *de Trinitate, cap.* 11. ait: *In eo relationem magis, quam in nomine Spiritus elucere*; relationes autem sunt proprietates formales distinctiuæ, vt definiunt Concilium Later. *cap. firmiter*, & *cap.* Damnamus, Florentinum *sess. vltima* & Toletanum vndecimum *in confessione fidei.*

DEINDE rationes S. Bonau. efficacissimæ sunt; si enim donum dicit formaliter respectum ad eum, cui datur; certum illud est autem, dari nobis; quis negabit ad nos referri, vt donum est; & cùm sit donum, in quantum Spiritus, vt ait D. August. sequitur, ergo, &c.

Neque sufficit responsio Scoti, Spiritum sanctum non solùm donari à Patre Filio; nam donatur etiam nobis, non sicut Pater, & Filius; sed ex natura sua dixi.

Contra hanc assertionem insurgit Scotus tribus argumentis sumptis ex D. Bonau. ad oppositum *quæst.*5. 263

PRIMVM est, proprietas constitutiua diuinarum Personarum est relatio ad intrà; non ad extrà: at esse donabile creaturis, dicit relationem ad extrà: ergo illa non est constitutiua, nec proprietas Spiritus sancti. Minor est euidens. Maior probatur, quia quælibet Persona diuina habet esse perfectum Personale diuinum, antequam fuerit creatura aliqua, non solum in esse existentiæ, sed neque in esse essentiæ; & in esse intelligibili: ergo Persona diuina non potest constitui in esse personali per relationem ad creaturas. Antecedens patet; quia Persona diuina est ex se *necesse esse*; at creatura neque in esse reali, neque in esse cognito est ex se *necesse est.* Quod verò creatura nullo pacto sit *necesse esse* probatur à Scoto, quia *necesse esse* est conditio existentiæ: at creatura in esse cognito abstrahit ab existentia; quantùm verò ad esse reale, manifestum est, non habere esse necessarium simpliciter.

Respondet S. Bonau. *ad primum*, Spiritum sanctum constitui in esse personæ talis per ipsam realem donabilitatem, quæ non dicit à creaturis dependentiam: sicut etiam omnipotentia, licèt dicat virtutem producendi creabilia, non ob id tamen constituit Deum omnipotentem dependenter à creaturis; imò ex intrinseco Dei est hæc virtus super creabile: creaturæ autem, vt sunt obiectum omnipotentiæ, sunt simpliciter *necesse esse*, sunt enim obiectum illius necessarium, atque adeò non minùs, quàm ipsa potentia; alioqui, si creaturæ non simpliciter necessariò essent possibiles; sequeretur, Deum non esse necessariò simpliciter omnipotentem, quia simpliciter necessariò non posset eas condere, quæ possent non esse possibiles. Sic igitur Spiritus sanctus est donum Patris, & Filij; atque adeò ex eò, quod est à Patre, & à Filio; habet vt si donum infinitum communicabile infinitè; & quia etiam creaturæ simpliciter necessariò sunt possibiles participare dona, quæ ex diuino amore prodeunt; sequitur, illum esse communicabilem omnibus; vnde esse communicabile nobis non potest circumscribi à dono; & hoc vult dicere Vasquez, Spiritum sanctum esse donum donabile, & ideò, donabilitatem in fundamento esse constitutiuam Spiritus sancti: non autem donationem actualem. Quam responsionem sumpsit ad litteram è D.Bonauentura. 264

SECVNDVM argumentum Scoti, quod Faber acclamat insolubile, sumptum est è D.Bonauentura 265

secundo, & tertio. Nulla relatio rationis per se includitur in Persona diuina, quæ est ens reale. Si enim intrinsecè includeret Persona diuina ens rationis, esset ens rationis. Sed relatio Dei ad creaturas est rationis: ergo.

Respondet S. Bonau. supposita explicatione in corpore factâ, quam declarat *ad ultimum*; Spiritum sanctum non constitui per relationem rationis ad creaturas; sed per fundamentum, quod est esse amorem, & nexum ex origine infinitum Patris, & Filij, cui inseparabiliter coniunctum est, esse donabile ex intrinseco; Quia tamen hoc nomen *Doni* apud nos relationem mutuam sonat; ideò neque potest intelligi sine aliqua relatione ad nos: sicuti nos, vt participantes de diuino dono ad ipsum realiter referimur. Itaque non per respectum donabilitatis; sed per originem, Spiritus sanctus constituitur donum; tamen nostro mo-
266 do intelligendi percipitur esse donum. Affert simile exemplum, quod spondet explicare *dist. 27. p. 2. quæst. 2.* sicuti enim Verbum, quia ex cognitione etiam creaturarum oritur; non constituitur in esse ex relatione illa ad creaturas; sed ex intellectione illa circumplectente etiam creaturas; relatio verò rationis à nobis apponitur, vt intelligamus, more nostro: sic & Spiritus sanctus ex amore creaturarum spiratus, vt donum infinitum, consequenter est ens necessariò communicabile; quia bonum ex amore procedens; attamen apponitur relatio rationis, vt more nostro percipiatur.

267 Tertium argumentum Scoti, quod est vltimum D. Bonauenturæ. Vna persona non constituitur formaliter duabus relationibus distinctis. Sed relatio passiua, qua Spiritus sanctus refertur ad Patrem, & Filium, & relatio donabilitatis ad nos, sunt duæ rationes distinctæ: ergo, altera earum non est constitutiua Spiritus sancti. Sed prior est constitutiua: ergo non secunda: maior est nota: nihil enim constituitur duabus causis totalibus; spiratio autem videtur causa totalis constitutiua Spiritus sancti. Minor probatur: relationes distinguuntur à terminis, *hic* autem sunt termini diuersissimi Pater, & Filius in alterâ: in alterâ vero creaturæ. Prætereà illa est realis: hæc verò rationis.

Addit Faber, has rationes ostendere, relationem declaratiui in Verbo, & donabilitatis in Spiritu sancto non esse reales, & Verbum non gigni ex cognitione; aut Spiritum sanctum ex amore creaturarum.

268 Respondet S. Doctor, quod Spiritus sanctus *Amor, & Donum*, dicunt eandem proprietatem realem, sola ratione distinctam: nam Spiritus explicat emanationem per ordinem ad vim spiratiuam productricem: amor eandem explicat, exprimendo modum emanandi, per modum Nexus. Donum verò eandem emanationem, vt dicit aptitudinem ad nectendum omnia per diffusionem donorum. Vnde constituitur Spiritus sanctus per originem, & relationem tali modo ad spirantes; non autem per relationem rationis ad nos; hæc enim sequitur ex ratione donabilitatis realis, licèt à nobis imperfecte capientibus percipiatur, vt constitutiua Spiritus sancti. Affert rursus exemplum secundæ personæ, quæ est vna, & tamen dicitur *Filius*, quia vi naturæ emanat: dicitur *Imago*, quia est expressiuus: dicitur *Verbum*, quia expressiuum aliis ex intellectu, formatum è cognitione comprehensiua etiam creaturarum.

269 Alivd argumentum apponit S. Doctor, quod est secundum. Omnis proprietas distinctiua personarum est ab actu; non ab habitu. Vnde Pater dicitur, quia actu gignit: Filius, quia gignitur: Spiritus sanctus, quia spiratur. Sed donum non dicitur ab actu donandi, sed à donabilitate; alioqui non esset donum ab æterno, quia ab æterno non est actu datus nobis, vel in se, vel in donis suis. Hoc argumentum attuli, quia ex eo etiam colligitur responsio ad argumeta Scoti.

Respondet S. Doct. Spiritum sanctum constitui per actum originis in tali perfectione, vt sit donum, idest, bonum infinitum ex amore, ita vt habeat ex intrinseco, posse infinitis donis communicari. Quod verò habeat respectum ad actum donationis; non constituitur per hunc respectum, vt dixi; sed per eum realem, quem habet ex origine ad Patrem, & Filium, qui est fundamentum illius respectus ad nos.

QVÆSTIO V.

An Spiritus sanctus sit Donum ab æterno.

D. Bonau. dist. 18. quæst. 2.

Ex dictis iam definita est quæstio, quam appono maioris gratia explicationis: profectò cùm ostenderim Spiritum sanctum emanare, vt donum Patris, & Filij mutuum, & vt donabile creaturis, vt docet etiam D. August. 5. *de Trin. cap.* 14. dicens: *Quod autem datum est, & ad eum, qui dedit refertur, & ad eos, quibus dedit*; rectè sequitur, esse donum ab æterno.

Assero primò, sumpto dono in ordine ad donantes, Patrem, & Filium; fuit donum ab æterno datum à Patre Filio, & è conuerso. Esse donum supponit S. Doctor tanquam certissimum potiùs, quàm directè velit illud probare. Quod verò sit ab æterno hoc sensu datum. 270

Probat argumento tertio. Vbi est amor actu gratuitus, ibi est donum actu. In diuinis ab æterno est amor gratuitus: ergo. Minor confirmatur ex Richardo de S. Vict. ad Bernardum: *Pater* (ait) *impendit amorem Filio, & Filius Patri.* Et ex D. August. 15. *de Trin. c.* 19. vbi quærens, quare Spiritus sanctus non dicatur Filius, ait: *Exiit, non quomodo natus, sed quomodo datus.* Sed exiit datus ab æterno: ergo. Hoc idem colligitur è D. Bonauentura etiam *quæst.* 5.

Probat etiam *argumento quarto.* Vbi est perfecta liberalitas, ibi est donum: sed in diuinis ab æterno est perfecta ratio liberalitatis: ergo. Minor probari potest dicto D. Hilarij 8. *de Trin.* ritè intellecto de Spiritu sancto, cui dicitur donata essentia.

Assero secundò, sumpto Spiritu sancto, vt est donum, secundùm alterum respectum ad creaturas, non fuit actu datum; tametsi fuerit donum, quia donabilis ex vi originis. Primum patet. 271

Probatvr secundum à D. Bonau. primò ex D. August. 5. *de Trinitate, cap.* 15. *Quia Spiritus* (ait) *procedebat vt esset donabilis, iam donum erat*, & cap. 16. *Spiritus sanctus sempiternè donum est; temporaliter verò datur.*

Probatvr secundò à S. Doct. *fundamento vltimo.* Sicut se habet ratio Verbi ad rerum productionem; sic se habet ratio doni ad gratiarum distributio

distributionem; sed ante rerum productionem fuit Verbum: ergo ante gratiarum collationem fuit donum, non fuisse autem datum, iam constat; quia creaturæ non erant, quibus daretur.

272 Contra primum assertum, quod tenent etiam Gabriel *disp.* 18. *quæst. vnic.* cum Ochamo, & aliis, videtur obstare, quia Scripturæ, & Patres, cum de Spiritu sancto, vt dono dato, loquuntur, videntur asserere tantùm in ordine ad creaturas, vt aduertit Forestus *fol.* 518.

Respondet, Scripturam loqui de Spiritu sancto mittendo ad Ecclesiam, ad prophetas, atque adeò nil mirum, de hoc tantùm disserere; nam de æterna datione Patris ad Filium non erat ad rem discurrere. Iuxta hoc propositum Patres expositores locuti sunt. Attamen D. Augustinus huius Theologiæ Doctor, ad rem nostram locutus est.

Deinde, quia donum est liberaliter dandum; at Spiritus sanctus procedit necessariò.

Respondetur, donum exire ex vi amoris, quem liberum in diuinis ostendam *disp.* 13. *q.* 2.

Obiicies tertiò. Sequeretur, Patrem à Filio aliquid recipere.

Respondetur ex D. Bonauent. *dist.* 10. *q.* 3. nil recipere amatum ab amante; alioqui nos Deum amando, aliquid illi deferremus. Adde, Filium à Patre habere omnia, quæ rependit.

Obiicies contra secundum assertum, primò ex D. August. 15. de Trin. *Eò donum est Spiritus, quò datur.* Sed datur in tempore: ergo solum in tempore est donum.

273 Respondet S. Doctor, intelligi de dono exhibito actu, non autem de dono, vt donabili.

Obiicies secundò ex D. August. 5. de Trin. c. 14. *Eò donum dicitur, quò daturus ipsum erat Deus.* Sed daturus erat ex tempore: ergo si donum est æternum, temporale est causa æterni.

Respondet S. Doctor, eò donum dandum, quia decreuerat Deus donare; sed in tempore exequendum, sicuti & prædestinatio est æterna, sed exequenda in tempore, vocatione, iustificatione, &c. neque ob id temporale est causa æterni; imò decretum æternum est causa executionis simpliciter, & consequentis: ex consequentia verò effectus faciendi in tempore; vt temporalis salus, vel donatio est causa ordinationis. Ita volita salus Petri est causa, vt præparentur media, & futurum peccatum eius est causa præscientiæ.

Obiicies secundò. Posito dono, debet dans, & recipiens assignari; sed recipiens est creatura, quæ est in tempore: ergo, & donum.

274 Respondet S. Doctor, posito dono actu exhibito, debere assignari recipientem; at Spiritus sanctus est donum ab æterno in habitu, non actu; vnde non sunt correlatiua actu: simile reperitur in Deo, qui est exemplar creaturæ temporalis.

Obiicies tertiò. Donum addit supra datum, quia donum est datio irredibilis ex 4. *Top. c.* 4. sed Spiritus sanctus non est datus, nisi in tempore: ergo neque donum.

Respondet S. Doctor, donum addere supra datum; sed tamen supra id, quod ex se non dicit datum ex liberalitate, nisi prout additur ei ratio communicationis, vt liber, cultellus, & similia, in aliis verò datum sequitur rationem doni; nempè in eo, quod ex se importat liberalitatem, etiamsi nunquam detur dono, vt est amor, & sic conuenit Spiritui sancto.

275 Obiicies vltimò. Sicut Filij est generari, ita doni est donari; sed non est Filius, antequam generetur. Ergo nec donum, antequam donetur; at donatur tantùm ex tempore: ergo.

Respondet S. Doctor, negandò paritatem; quia generari dicit emanationem Filij, quæ secundùm rationem intelligendi præcedit Filium. Vnde impossibile est, vt sit, nisi generetur: donari autem non solùm dicit doni emanationem; sed amplius dicit eius communicationem, & hoc consequitur esse doni; & ideo non dicitur donum ex tempore, quamvis donetur in tempore.

QVÆSTIO VI.

An Spiritus sanctus ita sit ratio omnium donorum, vt semper ipse etiam simul donetur.

D. Bonau. d. 18. q. 2.

Ratio doni, prout à dato distinguitur, & dicit donabilitatem ex vi originis, satis suprà in Spiritu sancto probata est. Hanc autem esse proprietatem eius relatiuam ostendi, ex quo oritur quæstio, an semper cum donis & ipse donetur.

Profectò omnia dona ita à nobis obtinentur, 276 vt eorum omnium Spiritus sanctus sit ratio. Sic enim 1. *Corinth.* 12. Enumeratis donis Dei concludit Apostolus: *Hæc autem operatur idem Spiritus diuidens singulis, prout vult.* Et ad Hebr. 2. *Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem.* Idipsum prosequitur S. August. 15. *de Trin. c.* 19. & aliis locis. Præclarè autem id habet Apostolus Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis.* Vbi ostendit, simul cum charitate, dari Spiritum sanctum. Quæritur verò: an in omnibus donis semper ita fiat.

Assero primò in donis, & gratiis, quæ dicuntur *gratis data*, non semper infunditur Spiritus sanctus.

Probatur à D. Bonau. ex D. Isidoro *lib.* 1. *de* 277 *summo bono, c.* 17. vbi ait: *Multis indignis dona Spiritus sancti dantur.* Sic data est prophetia Balaamo, Mago Ariolo; & forsan Sybillis: Addit S. Doct. etiam timorem seruilem esse donum Spiritus sancti, neque tamen cum eo statim infundi Spiritum sanctum. Ideò Concilium Trident. *sess.* 13. *cap.* 14. *de contrit.* declarat, timorem esse quidem donum Dei; non tamen inhabitantis Spiritus sancti, sed impellentis. Idem docet S. Doctor *opusc. de septem donis. De dono timoris.* Si magis non timeat pœnam, quàm culpam: & vt docet Concilium, sit cum proposito non peccandi: sic enim *Initium sapientiæ est timor Domini.* Timorem verò seruilem non esse cum Spiritu sancto docet *hic* in corpore, eumque neque disponere, si magis timet pœnam, quàm culpam; atque adeò non detestatur culpam; docet *loco adducto de septem donis*; alioqui verò disponere, si proponat non peccare, asserit S. Doctor 3. *dist.* 34. *p.* 2. *quæst.* 1.

Assero secundò, dona sanctificantia, seu gratias gratum facientes, semper dari cum Spiritu sancto.

Probatur primò de charitate *Rom.* 5. *citato,* 278 & Ioan. 14. *Ad eum veniemus, &c.* Idem de gratia sanctificante certum est, ex eodem loco Ioannis.

De Sapientia probatur à D. Bonau. *opusc. de septem donis.* De dono sapientiæ ex illo, *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Ideò obseruat S. Bonau. *in comment.* ad hunc locum *Sap.1.* reddi rationem: *Spiritus enim Sanctus effugiet fictum, &c.* Idem probat eo opusc. ex Iacobi 3. *Quæ desursum est, sapientia pudica est, pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis.* Eadem habet S. Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana*, & Anselmus *lib. de similitudine*, & alij Patres apud eundem Seraphicum. Vide Bernardum etiam *in Cant. sermone 82.*

279 Igitur omnia in Spiritu sancto donantur, & multa cum Spiritu sancto.

Dices *Rom.8.* asseritur: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.* Ergo per Filium, & cum Filio omnia nobis donantur.

280 Respondet S. Doctor 4 *part. Breuil. cap.9.* Omnia donari in Christo, quia ea emeruit per suas passiones; sicuti dicitur etiam Philip.1. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm, vt in eum credatis; sed etiam, vt pro illo patiamini*, quod intelligunt S. Augustinus *lib. de prædest. Spiritu sancto, c.2.* & Concilium Arauſ. *can.25.* pro merito Christi. Sic pro merito Pater mittit Spiritum sanctum, vt dicitur Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis:* at Spiritus est ratio originalis, quatenus ex amore procedens, vt dixi suprà.

Ex his patent argumenta in contrarium.

QVÆSTIO VII.

Qua ratione Spiritus sanctus dicatur magis propriè donum, quam datus.

D.Bonau. d.18. q.3.
D.Th.q.38.art.2.

EX dictis iam liquet, Spiritum sanctum meliùs dici donum, quàm datum, quod probat S. Doctor *quæst.4.* quia datum propriè significat communicatum. Potest igitur id, quod est datum dici communicatum ex liberalitate, & sic est commune toti Trinitati. Vel ex liberalitate, & auctoritate: & sic Filius, & Spiritus sanctus dantur à

281 Patre. Tertiò potest dici datum ex liberalitate, auctoritate; & ex origine, & sic Spiritus sanctus est datus, cuius proprium ex origine est, esse donum donabile. Et ita proprium est Spiritus sancti, esse donum: esse autem datum, est commune.

Ex his asseruit S. Doct. *q.3.* rationem, cur Spiritus sanctus meliùs dicatur donum.

Primò, quia datum conuenit Spiritui sancto respectu nostri solùm in tempore; donum verò ab æterno. Ergo meliùs dicitur donum, à quo est datum esse, tanquam effectus, & quod posterius, Deóque conuenientiùs, qui est supra tempus.

Secundò, quia, etiamsi nunquam esset datus, adhuc esset donum.

Tertiò ex Glossa ad id primo Iacobi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est*, vbi dicitur: *Datum quoad naturalia. Donum, quoad gratuita, quæ a Spiritu sancto sunt appropriatè, vnde dicitur sanctificator.*

Vel, vt exponit S. Doctor, *opusc. de septem donis, cap.1.* ex D. Dionysio: *Datum optimum*, est Filius datus in Incarnatione. *Donum* verò est Spiritus sanctus in die Pentecostes donatus, cùm gratuita effusa sunt in Ecclesiam. Ex his patet ad argumentum, quod ex hoc loco volebat, idem esse donum, & datum.

Tandem, quia donum supra rationem dati addit irredibile, ex Aristotele toties citato. Deus autem est, cui nihil potest reddi; sequitur absolutè, in diuinis magis propriè dici *donum*, quàm *datum.*

Obiicies secundò. Mobilis, & moti eadem est 282
ratio. Ergo etiam dati, similiter & donabilis.

Respondet S. Doctor, negando paritatem, quia motum dicit totum, quod dicit mobile, & addit actum; at verò datum non dicit omnia, quæ sunt in dono: nam donum intrinsecè dicit, esse irredibile; at datum dicit tantùm exhibitum, & communicatum quavis ratione.

Obiicies tertiò. In omni genere perfectior est actus, quàm potentia; sed datum est actus: donum est potentia. Ergo datum est perfectiùs. Ergo magis Deo attribuendum, id fiat.

Respondet S. Doctor, actum aliquem esse per- 283
fectionem potentiæ, & de hoc vera est maior; at verò sunt aliqui actus, qui non perficiunt potentiam, vt donare actu non perficit donabilitatem Spiritus sancti, sicuti sol lucens potens illuminare cubiculum clausum, non perficitur, si actu illuminet apertâ fenestrâ; sed tota perfectio aduenit cubiculo.

Obiicies quartò. Quando vnum est ratio alterius, est eodem perfectiùs; at datum est ratio doni ex D. Augustino 15. *de Trin. cap.10.* vbi ait: *Eò donum dicitur, quia datur.* Ergo est perfectius; atque adeò magis Deo attribuendum. Itaque non est ratio oppositum asserendi, quod sit datus, quia donum.

Respondet S. Doctor, dici donum, quia datum liberaliter illius tantùm respectu, cui datur. Vel dic, respectu nostri à posteriori agnosci, esse donum ex effectu, quia datur.

QVÆSTIO VIII.

An Spiritus sanctus rectè possit dici noster, & quomodo.

D.Bonau. d.18. q.6.

ADuertit S. Doctor, tripliciter posse alicuius. Primò per informationem, vt albedo Petri: & hanc habitudinem important nomina ab-
stracta. Quoniam verò nihil diuinum nos infor- 284
mat; ideò de abstractis Dei non potest dici *meus*, vel *noster*. Sic non dicitur essentia diuina nostra; omnipotentia nostra, quamvis autem dicatur Deus, sanctitas, iustitia nostra, hoc euenit, quia sic pronunciata non significant informationem; sed efficientiam. Ideò ergo dicitur sanctitas nostra, quia est causa efficiens, non tamen formalis, non enim Sancti sunt iusti sanctitate Dei, neque Deus formaliter est nostra Sanctitas; sed sancti sumus iustitiâ creatâ formali gratiæ, vt ostendam *prima secunda, disput. de iustificatione, quæ est tertia tractatus quinti.* Hinc malè diceretur; sanctitas Dei est sanctitas nostra.

Secundò

285 Secundò: ergo potest dici, aliquid esse alicuius habitudine causalitatis, & hanc habitudinem important nomina, quæ dicunt actum, vt *Creator noster.*

Tertiò dicitur, hoc esse illius secundùm correlationem: sic dicitur *Magister noster*, *Pater noster:* quia per hoc referimur, vt discipuli, filij, &c. non tamen dicitur secundùm relationes internas, secundùm quas, personæ ad intrà mutuò referuntur, non extrà. Ita non dicitur Pater per naturam noster, Filius Dei noster, Spiritus sanctus noster; dicitur verò Spiritus noster secundùm relationem donabilitatis ad nos, & donationis, quia nobis donatur cum donis, qui sanè effectus est communis toti Trinitati; tamen appropriatur Spiritui sancto; alia etiam ratione, quia à nobis pos-
286 sidetur, & est donum nostrum, idest, nobis datum, tametsi absolutè nequeat dici donum nostrum, quia secundùm rationem aliam respicit intrà Patrem, & Filium. Hinc verò sequitur, nomina, quæ non significant etiam possessionem, sed meram originem ad intrà non posse dici relatiuè ad nos: ideò non dicitur Filius noster; tametsi dicatur: *Filius datus nobis.* Isai. 9. Idipsum vult S. Thomas 1.*dist.*18.*quæst.*1.*art.*5. nostra dici, quæ sunt in Deo, & denotant respectum ad nos, aut finis, aut efficientis; cætera verò non dici nostra. Hanc doctrinam sequuntur Marsil. *in* 1. *quæst.*21. *art.*5. *dub.*2. Canariensis *in fine comment. quæst.*39. *art.*2. Vasquez *disp.*154. *cap.*3. & alij mox allegandi.

287 Hinc soluit S.Doct.*dist.*18.*dub.*6.*litt.* Cur dicat Deus, Numer. 11. *Tollam de Spiritu, scilicet sancto, tuo*, quia scilicet specialiter possidebatur à Moyse. Ideò Lucæ 1. dicitur: *Spiritus Eliæ*, quem locum perlustrat S.August. *lib.*5.*de Trin.cap.*14.

Confirmatur à D. Bonau. & D. Thom. *dist.cit.* Ægid. *quæst.vlt.* Richard. *quæst.*6. Sicuti enim nos parentes nostros; qui nos genuerunt vocamus nostros: ita & nos Deum, à quo habemus esse, &c. ad quem tendimus; vt ad finem vltimum, quem primum agnoscimus principium.

Id egregiè exerit Apostolus Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei.*

288 Addunt verò D. Thomas, & Richard. cum Magistro, non licere dicere Spiritum sanctum nostrum absolutè, quia sic respicit solum Patrem, & Filium. Sic & Amicus *disp.*27.*sect.*7. Præposit.*q.*37. Auersa *num.*161. Morand. *num.*626. Aliquo tamen modo S.Bonau.*dist.*27.*p.*2.*q.*2.*ad quartum*, concedit, id dici posse, quod probat ex Danielis tertiodecimo: *Suscitauit Spiritum sanctum Danielis*, nempè quia Spiritus ipse sanctus donatur nobis. Ad Magistrum respondet, eum id negare, quia Spiritus sancti nomen impositum est à proprietate personali principaliter, secundùm quam respicit spiratores; ideò, sicuti Verbum, tametsi è cognitione creaturarum productum à Patre, non dicitur Verbum creaturarum ex D. Anselmo *in Monol. cap.*32. ita neque Spiritus sanctus dicitur donum, & Spiritus sanctus creaturarum. Potest igitur (ait S. Doctor) dici Spiritus sanctus creaturæ, vt spirans dona, &c. de quo Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat*, qui est actus essentialis, appropriatus tamen Spiritui sancto. Ideò enim *Actorum* 2. dicuntur: *Repleti Spiritu sancto.*

289 Eadem igitur ratione non posse dici absolutè donum nostrum, asserit S. Doctor, quia donum non minùs, quàm Verbum dicit originem ad intra, & suum respicit principium.

Ex quibus etiam colliges, quo pacto Sancti DD. arguant, Spiritum sanctum esse *Donum*, quia ex origine *Amor*, non enim essentialiter; sed notionaliter intelligitur amor, alioqui probarent, Spiritum sanctum esse talem solùm appropriatè. Et in hoc decepti sunt Caietanus, & Torres *ad art.*2.*q.*38. Igitur eò donum, quia exit, vt amor, qui est primum donorum.

Instat Aureolus: si hoc ita est. Ergo Spiritus sanctus habet peculiarem causalitatem circa creaturas. 290

Respondet S. Doctor, ideò Spiritum sanctum esse notionaliter *Donum*, quia ex vi suæ originis manat, vt *Amor*, qui habet rationem primi doni; aliis verò conuenit ratio doni per additum extrinsecum voluntatis placitum. Addit S. Doctor, eum esse etiam exemplar donorum omnium, quæ nobis conferenda sunt, vel conferri possunt.



DISPVTATIO XI.

De Personis relatis ad essentiam.

D.Bonau dist.3. & d.31.& 34.
D.Thom.q.39.

Postquam de singulis Personis actum est simpliciter in se consideratis; agendum de iisdem comparatis ad essentiam, & ad actus notionales, & ad inuicem. Et quidem de distinctione relationum ab essentia, *disp.*3. *quæst.*3. *& sequenti* egi.

QVÆSTIO I.

An dici possint tres Personæ vnius essentiæ.

D.Bonau.d.34. dub.5.litt.
D.Thom.art.1.

Asserendum, rectè dici: *tres Personæ sunt vnius essentiæ.*

Probatur à SS. DD. quia essentia accipitur, vt forma trium personarum, vt sensus sit. Tres personæ vnâ essentiâ formaliter consubstantiales sunt: ergo. Probatur antecedens, nam genitiuus significat habitudinem principiati ad principium, vt Filius Patris, vel è contra; vt Pater Filij, vel possidentis ad possessum, vt Dominus agri; vel formæ ad totum, vt rationalitas Petri; vel specificantis ad specificatum, vt creatura salis; vel persona hominis. Iam verò habitudo in ratione formæ importatur per nomen abstractum. Est communis sensus TT. apud Tanner. *disp.*4.*q.*1.*dub.*3. 1

Hæc propositio, vt aduertit S. Aug. *lib.*3. *contra Maximinum*, c.14. exprimit illud *Homousion* acclamatum in Concilio Nicæno contra Arrium. Hæc sanè propositio continetur 1. Ioan. 5. *Hi tres vnum sunt.* Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus.* Expresè autem astruitur in Concil. Tolet. 6. *can.*1. Bracar. 1. c. 1. In sexta Synodo Generali, *Actione* 5. *&* 11. & in Epistola Agathonis Papæ. 2

Eandem

Eandem astruunt Sancti Patres; Epiphanius in Ancorato, Hilarius de Synodis, Ambrosius *lib. 3. de fide, cap. 7.* Basilius *epist. ad quasdam Dei ancillas*, Fulgentius contra Arrianos, *obiect. 7.* Isidorus *lib. 7. Ethymol.* dum in voce *Homousion*, distinctionem Personarum contra Sabellium cum vnitate essentiæ, seu consubstantialitate contra Arrium, asserunt contineri. Quam vocem Marianus Victorinus, *Opusc. de hac voce*, ait, diuinitus reuelatam, quam in Symbolo canit Ecclesia: *Consubstantialem Patri*.

3 Non tamen potest dici. Tres Personæ sunt essentiæ. Probatur à Seraphico, quia genitiuus importat aliquam è dictis habitudinibus determinatam: at in hac non intrat habitudo determinata formæ; vnde sicuti posset dici, *mulier egregiæ formæ*; at si dicas *mulier formæ*, nil exprimeres, quia non exprimeretur ratio formæ: ita in casu nostro, vt aduertunt Molina *ad hunc art.* Coriolanus *q. 39. art. 3.* Suarez *lib. 4. cap. 1.* Forestus *cap. 11. de modo dicendi.*

4 Addit S. Doctor, neque dici posse. Tres Personæ vnius Dei. Probatur à S. Doct. primò, quia subiectum in genitiuo importat primò habitudinem formæ ad formatum, & tunc debet esse nomen abstractum; Deus autem est concretum: Ergo non potest construi in concreto in habitudine subiecti, vt forma. Secundò, significat habitudinem specificantis ad specificatum, vt creatura salis; at neque hoc modo exprimere potest in nostro casu, quia personæ plurales indefinitæ non specificant determinatam rationem Trinitatis, licèt distinguant à persona hominis, vel Angeli. Tertiò, significat habitudinem principij, vt creatura Dei; neque hoc modo significare potest, quia Deus non est principium trium personarum, vt sic; neque datur Deus subsistens, qui producat personas; maximè verò primam. Quartò, potest importare habitudinem possessionis, vt ager Petri: at hoc modo nequit significare personas esse possessas à Deo, significaretur enim distinctio realis inter Personas, & Deum.

5 Probatur secundò à D. Bonau. Illa locutio, quæ habet vim formæ, seu essentiæ, qualis debet esse in diuinis, conuertitur: sic dicitur, mulier egregiæ formæ: & egregia forma mulieris. Ergo si dicerentur tres Personæ vnius Dei, posset etiam dici. Vnus Deus trium Personarum, quæ locutio non est sana, significat enim, idè hac *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Itaque significaretur, esse Deus trium creaturarum; atque adeò non modò cum Arrianis negaret deitatem Filij, cum Macedonianis deitatem Spiritus sancti; sed etiam deitatem Patris obrueret.

Potest tamen dici. *Tres sunt Dei personalitates*; quia significat solùm, tres esse rationes subsistendi in diuinis.

6 Addit Forestus ex D.Bonau. *dist. 25. dub. 2.* & Magistro *ea distinctione*, non posse dici tres Personæ *ex*, vel *de* eadem essentia; quia propositiones *ex*, *de*, significant rationem principij; & sic inducerent distinctionem realem inter essentiam, principium, & personas principiatas. Confirmatur; nam eadem de causa Concil. Later. *cap. Damnamus*, vetuit eam propositionem: *Essentia generat*, quia induceretur quaternitas.

Dices. Inuenitur apud Patres aliquos: *Essentia de essentia.*

7 Respondetur, *ibi* sumi abstractum pro concreto; vel substantiam nominarunt pro subsistentia more veterum, significando *Personam de persona.* Vsi sunt autem nomine essentiæ, vt consubstantialitatem personarent.

Similiter potest dici: *Vna essentia trium personarum.* Sic enim locutus est Agatho Papa *loco citato.* Simili modo dici potest: *Tres personæ vnius definitionis*, significat enim habere eandem quidditatem, & essentiam.

QVÆSTIO II.

Vtrum nomina concreta singulariter, vel pluraliter, iuxta pluralitatem formarum prædicentur de Deo, & personis.

D. Bonau. 1. d. 34. dub. 5. litt. & d. 9. dub. 2. & in 3. d. 1. q. 3.
D. Th. q. 39. art. 1.

Iam vidimus, nomina abstracta significantia singulariter, vel pluraliter, enumerari iuxta vnitatem, vel pluralitatem formarum. Ratio D. Bonau. est, quia hæc nomina nihil aliud significant, vel connotant, præter formam ipsam: ideò secundùm numerum, vel vnitatem eius debent multiplicari. Quam doctrinam sequuntur alij communiter, vt notat Vasquez *disp. 155. cap. 1.*

De concretis verò aliud iudicium ferendum: 8
hæc enim præter formam aliud significant, idest suppositum; ideò non ex sola forma videtur desumenda vnitas, vel pluralitas eorum; sed ex supposito. Hæc differentia assignatur disertè à D. Bonau. *dist. 4. q. 1. in corpore, regula prima*, quia concretum imponitur à forma; at non formæ, sed supposito, vt album imponitur ab albedine: at non formæ ipsi; sed alicui supposito, puta homini, vel olori: ideò à supposito numerandum.

Qvoniam verò è concretis, alia sunt adiectiua, 9
vt *potens*; alia substantiua, vt *Deus*, quæ diuerso modo exprimunt formam; ideò diuersa est vtrorumque ratio, & de vtrisque est controuersia.

Et quidem quoad substantiua, oritur quæstio insignis alteri adnexa, quæ *tertia parte* discutitur: An, si Verbum tres naturas humanas assumpsisset, esset vnus homo ex vnitate suppositi. Similis est quæstio: si plures diuinæ Personæ assumerent eandem naturam humanam; an essent plures homines ob pluralitatem personarum; an vnus homo ex vnitate naturæ.

Prima opinio est Durandi *in 3. d. 1. q. 3. ad tertium*, qui, licèt cum D. Thomæ infrà adducenda opinione sentiat in vniuersum, tamen in casu suprà relato; si vna persona assumeret plures humanitates, nec vnum hominem, nec plures dicendos astruit. Hanc refert, neque refellit Richardus *3. dist. 1. art. 1. q. 5.*

Eam refellit Scotus *in 3. dist. 1. q. 3. ad primum*, quia 10
vnum, & multa sunt passio entis, & ex æquo diuidunt naturam eius: quare vbicumque reperitur natura entis, necesse est vnitatem, vel pluralitatem reperiri: ergo, si nomen significat naturam aliquam entis simpliciter, quale est substantiuum, significabit etiam vnum, vel multa. In casu autem prædicto diceretur *homo* in concreto: ergo vel esset vnus, vel plures. Hoc argumentum sumpsit Scotus è D. Bonau. *3. d. 1. q. 3. in fund.* Ex modo enim arguendi id indicat.

SECVNDA

SECVNDA opinio est Marsilij *in 3. quæst.2.art.3. dub. 2.* in formis creatis sumendam vnitatem, vel pluralitatem à suppositis. Itaque si vna persona assumeret tres naturas, esset vnus homo: si verò plures personæ vnam naturam, essent plures homines. Idem sentit Gabr. *3.d.1. q.2.art.3.dub.4.ad secundam rationem.*

11 Enim verò sequeretur, posse dici in diuinis plures Deos. quia ibi sunt tres Personæ, vt arguit Scotus 3. *d 1. q.3.* & Faber *disp.5.* ex D. Bonauent. *1.dist.4.q.1. 3. & 4.* quem etiam Vasquez imitatur, *n.7.* atque Caspensis infra citandus, vocans hoc inexpugnabile argumentum.

TERTIA sententia sumit vnitatem, vel pluralitatem concretorum substantiuorum è sola vnitate, vel pluralitate formarum. Ita Altissiodorensis *lib.3. summæ tract.1.cap.1.q.5.* Scotus *in 3.dist.1.q.3.* & *in 1.dist.12.q.1.* §. *Ad quæstionem istam.* Citatur etiam D.Thom. *3.dist.1.q.2.art.5. ad secundum*, & *tertium* dum asserit, in eo casu, quo vna persona assumeret plures humanitates, fore plures homines. Idem docet Capreolus *in 1. d.4. q.1.art.1. ad primum Aureoli.* Vasquez *disp.155.cap.4.* referens allegatos supra, vbi etiam addit D. Thomam *hic*; licet Caietanus, & alij dicant, D. Thomam solùm asserere, quòd requiritur etiam pluralitas formarum, non tamen sufficit. Pro hac sententia Potestus *de modis dicendi, cap.3.* adducit etiam Seraphicum *3.d.1.q.2.* sed malè, vt ostendam; eam probabilem credit Ferrar. *4.cont.Gent. c.11.* Suarez *lib.4. de Trin.cap.11. num.4.*

12 Syluester verò, *quæst.36. art.4.* docet, nomen concretum multiplicari, si forma est substantia: si verò sit accidens, nunquam plurificari, nisi plurificato subiecto; non enim possunt dici plures artifices, nisi sint plura supposita artis. Idem sentit Torres *ad art.3 q.39.*

Bartholomæus Medina *3.part. quæst.3. art.6.* ait, quòd singularitas, vel pluralitas nominis substantiui attenditur penès formam significatam per nomen, quando formale significatum substantiui est per se subsistens, & idem re cum supposito; sicut natura diuina significata hoc nomine *Deus*, est per se subsistens, & idem cum qualibet diuina Persona. Aliam addit Glossam, veram esse dictam regulam D. Thomæ, quando nomen substantiuum non significat formam accidentalem, sed substantialem. Ex quibus deducit, in casu duarum Personarum assumentium eandem humanitatem, futuras illas personas vnum hominem; & non duos, eò quòd humanitas adueniat Filio Dei; sicut forma accidentaria. Hunc modum dicendi sequitur Bañes *q.36. art.4.* Zumellus *quæst.39. art.3.* & indicauerat Ferrar. *4. contra Gentes, cap. 11. conclus.4.*

13 Alij apud Molinam *q 36. art.4.d.4.* eam regulam D.Thomæ limitant ad ea substantiua, quorum formale significatum est de intrinseca ratione suppositi. Inter hos recenset Medinam.

14 QVARTA igitur sententia asserit, vniuersaliter ad pluralitatem concretorum substantiuorum requiri pluralitatem formarum, atque suppositorum. Ità D.Thom. *1. part. quæst.36. art. vltim. ad 2.* vbi etiam validissimum affert argumentum: quia si sufficeret pluralitas formarum, iam Pater esset duo principia, cùm habeat duas formas: alteram generatiuam; alteram spiratiuam. Et *3.part.q.3.art.7.ad secundum*, vbi ait: Si vna persona plures humanitates assumeret, non diceretur plures homines, quia nomen alicuius formæ nunquam pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. Ità explicant Caietanus, & Canar. *ad hunc art.* & sequitur Ferrar. *loc.cit.* Addit tamen Caietanus, eo casu, quo plures Personæ diuinæ assumerent eandem humanitatem, non esse dicendum, vnum hominem simpliciter; sed vnum ratione naturæ. Itaque in sententiam primo loco allatam deflectit. Citatur etiam Scotus *3. dist.1. q.3.* à Fabro *disp.5.*

Quod si D.Thomas est huius opinionis, non benè Scotus arguit contra D.Thomam, argumento allato contra secundam sententiam, vt notat Caietanus, quia ad plurificanda concreta pluralitas suppositorum non sufficit; sed requiritur etiam pluralitas formarum. Affert rationem huius rei Suarez *3.part. disp.13.sect.2.* quia ad hoc, vt aliqua sint vnum sufficit, vt in aliqua ratione vniantur: ad hoc verò, vt sint plura, in nulla ratione debent conuenire, quia multitudo, cùm sit idem, ac diuisio, opponitur vnitati. Vt ergo concretum plurificetur, necesse est, quod omninò, & simpliciter omnia plurificentur, & nulla vna ratio remaneat. 15

Porrò hanc quartam sententiam tuetur Valentia, *disp.2.q.13.p.3.col.665.* qui sic exponit D.Thomam; ita vt assignet differentiam inter multiplicationem substantiui, & adiectiui, vt ad multiplicationem adiectiui sufficiat multiplicari supposita: ad multiplicationem verò substantiuorum requiratur multiplicari formam, ita tamen, vt conueniant cum adiectiuis, vt vtraque ad sui multiplicationem requirant multitudinem suppositorum. Eodem modo interpretatur Angelicum Caietanus suprà, *quæst.36. art.4.* & *q.39. art.3.* eamque interpretationem sequuntur Ferrar.*loc.cit.* Iauellus, Torres, Bañes, Zumel. *ad hunc art.* Molina *loc. cit.* Suarez *3. part. disp.13.sect.3.* (licèt, vbi suprà, oppositum dixerit.) Tannerus *disp.4. quæst.1.dub.7.* Nazarius *q.39.art.2. controu. vnica*, qui duo dicunt, eam esse communem sententiam Thomistarum, quam secuti sunt etiam Scotistæ, præsertim Rada *controuersia sextadecima.* 16

ENIM verò, quia S. Thom. variè locutus est: 17 nam *in 3. d.1. q.2. art.5.* dixit, nomina substantiua accipere vnitatem, & pluralitatem ab vnitate, vel pluralitate formæ significatæ; non autem ab vnitate, vel pluralitate suppositorum, quod idem asserit *quæst.9.de potentia, art.6.* & *in 1.d.9.q.2.art.3.* In quibus nullam de pluralitate suppositorum mentionem facit. Et *in 3.sent.* vtens regulâ prædictâ in mysterio Incarnationis, ait: *Si vna persona duas humanitates assumeret, dicerentur plures homines propter pluralitatem formæ significatæ, quamuis vnum tantùm esset suppositum.* In hoc etiam articulo solùm meminit pluralitatis formæ: vnde videtur respuere interpretationem Thomistarum suprà allatam, & collocutus aliis locis conformiter *hic.*

At verò, *q.36.art.4.ad 2.* negat, Patrem esse plura 18 principia, quia licèt plures formæ sint, nempè *Generatio, & spiratio*; tamen est vnum suppositum. Idem videtur *3.p.q.3.art.6.ad 1.* vbi asserit, quod si tres Personæ assumerent vnam naturam humanam, essent vnus homo propter vnam naturam humanam; sicuti sunt vnus Deus propter vnam naturam diuinam, & *art.7. ad 2.* docet: Nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dici, nisi propter pluralitatem suppositorum.

Hinc Ferrariensis *loc.cit.* & Nazarius ita hæc loca 19 conciliant. Causam quidem formalem vnitatis, vel pluralitatis substantiuorum concretorum esse solam formam, & hoc velle S.Doctorem prioribus locis; at verò adhuc requiri pluralitatem suppositorum, tanquam

tanquam condicionem ad multiplicanda concreta: & hoc velle posterioribus locis Doctorem Angelicum.

Hæc profectò quarta sententia est etiam D. Bonau. *in 1.dist.4.q.1.in corpore, & q.2.* vbi propterea damnat hanc propositionem: *Deum genuit alium Deum*, quia infert alietatem in supposito, & formà, & consequenter plures Deos. Igitur ad concretorum multiplicationem requirit multiplicationem formarum, & suppositorum. Concludit autem *quæst.* 2. Quoniam ergo Deus generans, & Deus genitus, etsi sint personaliter distincti, tamen in deitate vniuntur, ex eadem causa, quia vna deitate: ideò non recipiunt nomina importantia simpliciter distinctionem; è contra verò Petrum, & Ioannem esse plures homines asserit, quia multiplicantur naturæ, & supposita; tametsi conueniant in ratione specifica. Hinc suam regulam sumpsit Suarez suprà.

20 Et *dist.3. art.2. q.3. argumento* 4. quod concedit, apertè, docet, ad numerationem alicuius concreti veram, non aliud requiri, quam multiplicationem suppositorum, & fomæ. In responso autem addit, requiri multiplicationem formæ propriæ; non formæ significantis meram possessionem adiectiuè.

Eadem dist. & art. q.2. ad vltimum, tradit duas regulas de adiectiuis, & substantiuis, quas dat etiam D.Thom. & assignat rationem, cur substantiua concreta numerentur ex numeratione formæ, & non solùm suppositorum, sicuti adiectiua: nam substantiua habent esse à se, atque adeò vnitatem, aut multitudinem: accidens autem habet esse in subiecto, & consequenter ab eo recipit vnitatem: & quia nomina adiectiua se habent ad modum accidentium. Ideò à supposito numerantur. Hæc est ratio D. Thomæ. Ex hoc fundamento sequitur, vt adiectiua non se mutuò determinent; sed determinent substantiuum per modum determinationis formalis, per modum adiacentis, & inhærentis, & consequenter ab eo recipiant vnitatem, aut pluralitatem, à quo pendent, quæ est ratio à discipulis, & Vasquez *num.*15. adscripta Scoto *locis suprà citatis*, quam veluti diuersam extollunt; cùm sit ratio D. Bonauenturæ, & D. Thomæ, vel ex eius radice sumpta, vt rectè obseruat Nazarius *loco addicto* ante conclusionem; at nudè sumpta ratio Scoti non satis explicat id, quod intendit, vt notat Vasquez.

21 Quoad locum, quem affert Forestus, nil contra me: ibi enim solùm dicit, quòd si tres Personæ vnam assumerent naturam humanam, essent vnus homo, ita, quia, licèt tres sint Personæ, tamen sunt vna natura, atque adeo esset assumptio ad vnitatem indiuidui. En nostra sententia. Neque rectè arguit, esset vnus homo, quia esset vna natura: ergo si essent plures naturæ, tametsi vna esset persona, adhuc erunt plures homines. Hoc enim non infertur, vt dixi suprà in regula assignata à Suarez, cum D. Bonauentura.

Eandem sententiam tenet S. Doct. *in 3. dist. 6. quæst.*2. vbi etiam eam probat: si multiplicatio concretorum substantiuorum è sola formarum distinctione sumeretur, iam posset dici Christum esse duo, quod esse falsum ostendetur *3.p. disp.*19. *q.*1. Vnde in Symbolo D. Athanasij: *Non duo tamen; sed vnus est Christus*. Sequitur Caspensis *tract.* 20. *disput.*3. *sect.*4.

22 Respondet Vasquez *cap.6.* non posse quidem dici Christum *duos* masculinè, posse tamen neutraliter; dicitur enim aliud, & aliud: sic D. Cyrillus *in scholiis de Incarnatione, cap.*26. ait: *Et est ipse hic, & illud.* Et D. August. *in Enchir. cap.*35. ait: *Est aliud propter Verbum, aliud propter humanitatem.* Et alij PP. dicunt, Christum esse duas naturas simul. Sic Damascenus *lib.*3. *de fide, c.*19. Anselm. *de Incarnat. cap.*5. Bernard. *serm.*3. *in vigilia Natiuit.* & ipse D. August. *in Enchir. cap.*38.

Contrà tamen est communis sensus Theologorum cum D. Thom. *3.p. quæst.*17. *art.*1. negantium, Christum posse dici duo, etiam neutraliter: quod probant SS. DD. si Christus diceretur duo neutraliter, ideò esset, quia Christus est duæ naturæ. Christus autem non potest dici duæ naturæ, quia licèt sit *diuinitas sua*, & ideò prædicetur in abstracto; tamen non est *sua humanitas*.

Aliam rationem affert Vasquez *num.*23. quam fatetur potissimam, ob quam non liceat dicere, Christum esse duo; quam habet S. Bonau. *loc. cit. in corpore*. Quoties multa in aliquo vniuntur, & res vna multa illa continet sub aliqua vnione, & vnitate, non dicitur esse multa; sicut Petrus, quamvis contineat multa, non dicitur esse multa; nec duo, quippè omnia illa coniuncta simpliciter dicuntur vnum; vnum autem, & multa opponuntur. Ergo cùm Christus sit, non tantùm vnus; sed vnum simpliciter propter vnionem omnium, quæ habet, non potest dici plura, nec duo; sed debet exprimere cum additamento, dicetéque est vnum pluribus constans naturis: at dicere, Christum duo absolutè, tollit omnem vnitatem. 23

Vrgeo. Si Christus esset absolutè duo neutraliter, non posset alterum de altero prædicari; sed hoc est absonum: nam Deus est homo, & homo Deus: ergo. 24

Respondet Vasquez, esse duas naturas, & duo, non excludere omnem mutuam prædicationem; sed solùm abstractam; eo enim ipso, quòd vna humanitas non est alia, sunt duo homines.

Hæc tamen non sunt ad rem: nam homo in concreto dicit primam substantiam completam hominis; ideò multiplicanda est ad multiplicationem eorum omnium, quæ naturam hanc subsistentem reddunt; vnde sicuti non dicitur *plures Dij*, eò quòd sint plures personæ; ita neque potest dici *plures homines*, eò quòd plures nudæ quidditates indiuiduæ humanitatis sunt: nam concretum non dicit nudam essentiam, sed suppositum cum essentia. Videndus & Ruitz *disp.*37. *sect.*6.

Quoad nomina adiectiua. Vasquez dat regulam generalem, multiplicari ad multiplicationem suppositorum, quibus adiacent. Ratio est, quia cum significent formam per modum adiacentis, idest ab alio habitam, ideò singularitatem, vel pluralitatem sumunt è supposito, vel subiecto, cui formam adiacere significant. Ita D. Bonau. *dist.*4. *q.*1. & aliis locis citatis, & D. Thom. *art. cit.* Affert exemplum D. Bonau. de albedine, quæ licèt sumpta sit ex forma ipsa albedinis; tamen in concreto non significat formam, sed suppositum album: v. g. Cygnum, aut niuem. 25

Addo tamen cum D. Bonau. *dist.*4. *q.*2. aliqua esse nomina adiectiua, quæ substantiua virtualiter sunt, vt adiectiuum, *alius*, non significat aliquam formam adiacentem, sed personam aliquam: ideo non multiplicatur ad multiplicationem personæ in ratione subiecti, sed in ratione per se stantis. 26

Similiter aliqua numeralia, *duo, tres, quatuor*, licèt adiectiua sint, habent tamen significationem substantiuam, vel personatum masculinè, vel naturarum in neutro, vel vtriusque in fœminino, prout

prout etiam apponuntur nomina substantiua, vt duo lapides, tres mulieres.

27 Aliqua verò sunt nomina adiectiua, quæ possunt significare personas, & etiam substantias: v.g. *omnipotens, æternus*, ex quo sequitur, in diuinis, posse dici tres omnipotentes; quia tamen significant etiam naturam, & plures omnipotentes, plures personas, virtute omnipotentiæ distincta, prædicas exprimunt. Ideò S. Athanasius in Symbolo definit: *Non tres omnipotentes; sed vnus omnipotens. Non tres æterni, vel immensi; sed vnus æternus: vnus immensus.* Ideò, & Concilium Lateranense *in cap. Firmiter*, vt omnem ambiguitatem auferret, vocat Patrem, Filium, & Spiritum sanctum consubstantiales, coæquales, coomnipotentes, coæternos; non autem tres omnipotentes, æternos; quod Vasquez non aduertit, dum tres omnipotentes, æternos, ex hoc loco astruit. Idem repetam, *quæst.6.* Ideò S.Doct. 1. *dist.9.dub.2. litt.* eisdem regulis substantiuorum, & adiectiuorum concedit tres coæternos; non tres æternos; quia coæternus includit relationem mutuam, etsi importet substantiam in adiacenti.

28 Idem S.Bonauent. *dist.22.dub.3. litt.* quærit cur non dicamus, tres omnipotentes, & dicamus tres potentes. Respondet, quod verbum semper adiectiuè, & in adiacentia significat; & ideò semper trahit numerum à supposito: similiter participium, manens participium, quia habet naturam verbi; sed nomen, quia inquierè significat; ideò aliquando substantiuatur: & quando numeratur, tunc numeratur sicut nomen substantiuum à parte suæ formæ; & ideò, quia *potens*, potest esse participium; at verò *omnipotens* est nomen tantùm; ideò non sic recipitur, tres omnipotentes, sicut tres potentes, nisi omnipotens sit adiectiuum, & adiectiuè tantùm. Ratio autem, quare omnipotens non potest esse participium, est propter compositionem ex *omni*, & *potens*, quæ in verbum non coniunguntur, non enim possum dicere *omnipossum omnipotens.*

29 Igitur aliqualiter permittitur dicere, *tres omnipotentes*, si adiectiuè, idest adiacens, supposito clarè exprimatur; si verò substantiuè, vt virtutem quoque multiplicatam significet, non licet, quia virtus est vna; & ideò Concilium Later. addit expositionem.

Cætera itidem nomina, quæ multiplicationem absolutam substantiæ, idest naturæ, & virtutis, atque actus ad extrà significant non multiplicantur. Ideò non dicitur *tres Creatores.* Ita definitum est in Concilio Romano tertio: *Si quis non dixerit Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam esse diuinitatem, potestatem, maiestatem, gloriam, dominationem, vnum regnum, &c. anathema sit.* Et in Concilio Lateran. *cap. Firmiter*, asseritur: *Vnum vniuersorum Principium, Creator omnium.* Et Ecclesiastici 1. *Vnus est Altissimus Creator.* & Iacobi 1. *Vnus Legislator, & Iudex.* De substantiuis tandem, & adiectiuis eadem docet S.Bonau. *dist.24. q.2.* vbi explicat etiam nomen *æternus*, solùm dici propriè essentialiter; ideò non tres æternos.

QVÆSTIO III.

Vtrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.

D.Bonau.d.4. q.4.
D.Th. q.39. art.4.

SVPPONI terminum in propositione, est, eum poni in propositione; & rem, quam significat, esse, sicuti propositionis copula denotat: nam si terminus ponatur pro re, quæ non est, non benè supponit. Quare in hac propositione: *Homo currit*, currente Petro, subiectum homo supponit pro Petro, vt docet D.Bonau. *d.4.q.1. ad 2.* ratione cuius vera est propositio, & hoc pacto sequitur, latiùs patere significationem nominis, quàm suppositionem, quia significatio omnia comprehendit, quæ ipsa voce iuxta suam impositionem denotari consueuerunt; at suppositio est determinata significatio pro ea re dumtaxat, ratione cuius, enunciatio est vera, & hoc modo latiùs patet significatio, quàm suppositio. Ita indicat D.Bonau. *d.4. q.4. in corpore*, quem Logici plerique sequuntur. Itaque non rectè Vasquez, ait, suppositionem esse subrogationem loco rei, ita vt æquè latè pateat significatio, ac suppositio. Vnde in hac propositione: *Homo disputat.* Subiectum homo, licèt significet hominem indefinitè, tamen solo Petro disputante, vera est solùm de eo: & ita sensus erit: Vnus homo disputat, qui est Petrus, non autem vagè supponit. Quid enim facit vocem, loco rei, substitui verè, nisi Petrus? 30

SVPPOSITIO autem est duplex; alia materialis, dum vox pro se sola sumitur in propositione, vt *Homo est nomen*; alia formalis; dum sumitur pro re significata, vt *Homo est rationalis*; iam verò D.Bonauent. *dist.4.dub.3.litt.* diuidit propositionem formalem in simplicem, in qua terminus pro suo immediato significato vsurpatur, vt cùm dicitur: Homo est species; sic enim homo sumitur, non mediatè pro aliquo indiuiduo; sed immediatè pro ipsa natura communi; alia personalis, cùm pro mediata significatione capitur, vt: Petrus est homo. Hæc verò alia est discreta, cùm sumitur terminus indiuidui proprius, vt *Petrus currit. Pater generat*, aut relatiuè eandem personam refert; vt: Ille (indicato Petro) currit. Alia est communis, cùm pro suis inferioribus sumitur, vt: *Homo scire desiderat*, est enim hominibus desiderium sciendi. Hæc verò communis personalis, alia est naturalis: alia accidentalis, & hæc vtraque, alia distributiua: alia copulatiua: alia determinata: alia confusa, vt supponitur ex Logica. 31 32

NOTA secundò, hunc terminum, *Deus*, habere vim termini communis simul, & discreti; singularis, & proprij; significat enim naturam singularem immultiplicabilem deitatis, communicatam tamen tribus personis. Ideo est singularis terminus; atque adeò ratione singularis naturæ dicitur, & de personis astruitur: *Deus Pater. Deus, Filius. Deus Spiritus sanctus*, quibus est etiam communis deitas. Ideò dicitur: *Trinitas Deus*, qui modus prædicationis nulli potest creatæ naturæ conue- 33

nire; natura enim creata, distinctis indiuiduis, distincta indiuidualiter existit: vnde terminus significans communiter naturam, non significat eam simul esse personalem, discretam, & indiuiduam.

34 NOTANDVM tertiò, non solùm non dari suppositum aliquod, vel semisuppositum commune in diuinis; vt ostensum est, *disp.6. quæst.5.* cum D. Bonau. quem secuti sunt multi, inter quos Vasquez; sed neque dari concretum deitatis, ratione antecedens ipsas personas, contra Vasquez, *disp.156.* nomen enim Dei non est concretum, nisi in ordine ad supposita; seu personas, vt docuit S.Doct. multis locis adductis, *disp.6. quæst.5.* & ibi validè probatum est. Quod si nomen *Deus*, est naturæ connotans suppositum, obsecro quod suppositum connotat, commune ne; an proprium? non commune, quia id negat Vasquez, neque proprium, quia Deus per se antecedit personas: ergo in illo priori rationis habes Deum absque supposito. Igitur quodnam concreti genus est hoc, dicens solam deitatem? ex quibus concretum? Profectò Deus est concretum ex deitate, & habente illam, vt monet Damascenus 3. *de fide, cap.11.* vbi ait: *At Dei vocabulum, & natura communitatem significat, & in vnumquamque persona equè collocatur; quemadmodum & homo, Deus enim is est, qui diuina natura praditus;*

35 *& homo, qui humana.* Neque verò Damascenus solùm vult dicere, per conuersionem, vt putat Vasquez cap.3. *Is, qui diuina natura praditus est, Deus est*; non enim debemus legere S. Damascenum inuersum. Reddit enim illa particula *enim*, rationem dicti suprà, quod & communitatem naturæ significet, & in singulis personis æquè sit, quia sicuti homo dicit naturam, & suppositum; ita & Deus.

Obiicit Vasquez: Multæ sunt propositiones, in quibus hoc concretum concedendum, & non ratione personarum; vt cum dico: *Deus creat.* Et in Symbolo Athanasij: *Pater est Deus. Filius est Deus. Spiritus sanctus est Deus, non tamen tres Dij; sed vnus Deus est.* Quis ergo audeat negare, vnum esse modò Deum, qui de tribus personis communiter prædicetur? Quod si tres personæ continerentur in illo concreto, nec tres dicerentur vnus Deus, nec communis esset Deus tribus personis. Hæc sumpta sunt è D.Bonau. *q.2.*

36 Respondet S. Doct. *dist.4. dub.4. lit.* & *quæst.4.* hoc nomen *Deus*, habere naturam termini communis, & discreti; ideo simul stat pro pluribus, sicut pro vno, hoc tamen concretum est tantùm, quatenus est in tribus personis, vt dixi *disp.6. quæst.5.* Ideo cùm dico: *Deus creat*, significatur concretum Trinitatis; nam Trinitas creat, virtute tamen vnicâ indiuisâ. Vnde nomen *Deus*, non solùm asseritur à nobis commune tribus personis, vt putat Vasquez; sed singulæ etiam personæ habentes eandem Deitatem sunt vnus Deus, quia Deitas æqualiter in tribus subsistit, & in hoc vniuntur; non quod etiam sint communia, sed quia tria supposita in natura vnica conueniunt; ita omnes illæ propositiones ritè astruuntur.

37 ASSERO primò, hoc nomen *Deus*, significat naturam, & personam.

Quòd supponat naturam, probatur à D. Bonau. *argumentis secundo loco.*

Primò; pronomen refert rem pro proprio supposito, sed cum dicitur: *Benedicat nos Deus, & metuant eum*; pronomen *eum* refert naturam: ergo.

Probatur secundò, quia dicitur Deus est Trinitas. Pater, & Filius est vnus Deus: ergo Deus significat id, in quo Trinitas conuenit; non conuenit autem in personis, sed in natura communi: ergo eam significat.

Quod verò supponat pro persona, probatur argumentis primo loco, quæ in corpore concedit.

PRIMVM est ex D.Ambrosio in Psal.66. *Benedicat nos Deus. Deus noster, benedicat Deus.* Ibi D.Ambrosius, ait: Trina Dei professio Trinitatem indicat personarum.

SECVNDVM. Hoc nomen *homo*, significat omne id, cui inest humanitas: ergo à simili, & hoc nomen *Deus*, supponit pro omni eo, cui inest diuinitas; sed hoc est persona: ergo.

TERTIVM. Hoc nomen *Deus*, significat Deitatem in concretione; sed non nisi in concretione ad personam, vt dictum est, *disp.6. quæst.5.* ergo. 38
Regula igitur est significare pro persona, cùm de eo asseritur aliquid notionale, vt: *Deus generat*, supponit Patrem: *Deus spirat*, supponit Patrem, & Filium. Igitur *Deus* significat illam personam, cuius est ille actus notionalis.

Et quidem, quoad hanc propositionem: *Deus generat Deum*, conceditur ab omnibus Scholasticis. Ita D. Bonau. *dist.4. quæst.1.* D.Thom. *1.dist.4. quæst.1.art.2. & hic*, Gabriel. *quæst.1.art.1.* Gregorius *quæst.vnic.* Capreol. *quæst.1. art.3. ad secundum, tertium, & vltimum Aureoli.* Aureolus *quæst.1.* Canar. *in 2.part. comment. art.4. quæst.39. D. Thom.* vbi Caietanus, Bañes, Zumellus, Nazarius *controu.2.* Valentia, Vasquez, Suarez *lib.6. cap.7.* Tannet. *disp.4. q.1. dub.7. n.12.* Forestus *cap.5.* Calpens. *disp.3. sect.10.* Baudunius *q.39. art.2. d.1.* Auersa *hic, sect.2.* Morandus *q.31.* 39

PROBATVR à D. Bonau. primò ex Symbolo: *Deum de Deo*; hoc enim dicitur ratione generationis.

Secundò. Generatio est productio viuentis similis in natura, ex Aristot. *1. de Gener. animalium.*

Tertiò. Quicquid habet Filius, habet à Patre; sed habet Deitatem, & est Deus: ergo à Deo Patre. Hæc eadem dixi, *tract.1. disp.12. q.9.*

Obiicies primò. Hoc nomen *Deus* significat essentiam; sed non conceditur hæc propositio: *Diuina essentia generat essentiam*: ergo.

Pro responsione S. Doct. dat primam regulam. 40
Nomen abstractum imponitur formæ, & à forma, vt albedo imponitur ipsi albedini, & ab ipsa forma albedinis: nomen verò concretum imponitur à forma; at non formæ, sed supposito, vt alicui albo: puta homini, vel olori. Hæc igitur propositio: *Deus genuit Deum* est vera, quia terminus, *Deus*, imponitur à forma essentiali; idest Deitate; tamen imponitur personæ: & ideò reddit locutionem veram pro persona, cuius est operari, quæ verè est principium generationis; & pro persona, quæ verè est terminus generationis. Sic enim & in creatis non est forma, quæ generet; sed est suppositum; putà homo, leo, & id, quod generationis est vltimus terminus, non est forma; sed compositum subsistens. Igitur dum & deitas significet formam abstractam, quæ neque est generans, nec genita, cùm hoc sit personæ; essentiáque diuina sit improducibilis, & communis tribus personis; non potest esse generans, nec genita; alioqui, si esset generans, deberet realiter distingui à Filio genito; & si esset genita, deberet realiter distingui à Patre generante; & ita Pater, & Filius realiter differrent secundùm essentiam. Idemque de Spiritu

sancto

sancto, atque adeò inueheretur quaternitas damnata in Concil. Later. *cap. Damnamus.* Vide allegatos Doctores.

41 Obiicies secundò. Nomen *Deus*, vel supponit pro omni persona, vel determinatè pro aliqua. Si hoc secundum: ergo restringitur eius significatio ab aliquo; sed non restringitur, nisi ab hoc verbo, *generat*; quod non potest fieri; quia terminus positus in prædicato non restringit terminum à parte subiecti, ratione significationis: ergo stat pro omni persona: ergo & Filius generat Patrem, & Spiritum sanctum. Similiter & Spiritus sanctus generat Patrem, & Filium, quæ sunt absurdissima.

42 Pro responsione, S. Doct. secundam tradit regulam, quòd terminus habens multitudinem suppositorum sine distributione acceptus, stat pro illo, pro quo reddit locutionem veram, vt cum dicitur: *Homo currit*, vera est locutio pro currente, si aliquis currit; non tamen (fateor) restringitur, quia, si addatur distributio, confundet illum terminum pro omnibus; si autem esset restrictus, non confunderet, nisi pro illis, ad quos se extendit restrictio. Vnde aliud est terminum restingi ad vnum, aliud reddere locutionem veram pro vno. Igitur cùm Deus sit nomen tale, non restringitur à verbo *generat* ad solum Patrem, ita vt solus sit Deus, & non Filius, & Spiritus sanctus sit Deus; sed cùm nomen *Deus*, habeat vim supponendi pro quacumque persona, & inter eas vna sit generans; & pro ea, quæ est genita; manet tamen ad significandum etiam Spiritum sanctum; si aliquid apponatur, quod ei conuenit.

Obiicies tertiò. Iste terminus *Deus*, quantum est ex se, æquè benè supponit pro Filio; sicuti pro Patre: ergo cùm Filij sit non generare; sicuti & Patris est generare, si hæc est vera: Deus generat pro Patre; eadem ratione, & hæc: Deus non generat pro Filio; sed non conceditur hæc: Deus non generat. Ergo neque hæc: Deus generat.

43 Pro fundamento responsi exhibet S. Doct. tertiam regulam, quòd in termino habente formam non multiplicabilem non differt præponere, & postponere negationem, vnde non differt: *Petrus non currit*, & *non Petrus currit.* Iam verò affirmatio sanè de aliquo asserit; at negatio ex natura sua plus destruit (est enim venefica) quàm ab firmatione sit assertum: v.g. si dicas: Petrus ægrotat, vera est, etiamsi capite tantùm langueat; quo fit, vt, licèt affirmatiua concedatur: *Deus genuit*, quia supponit pro ea persona, quæ in diuinis est generans, tamen non conceditur hæc: *Deus non generat*, quia destruit omninò, & de omnibus negat, eò quòd negatio magis destruat, quam ponat affirmatio. Neque per hoc saluatur, si dicas: Non Deus generat: quia in termino habente formam non multiplicabilem; idem est si præponatur, & si postponatur negatio. Ideò si hæc: Non Deus generat, remouet à quocumque subiecto, quod Deus generet; ita & hæc: Deus non generat; sed de hoc, *quæst. seq.*

Obiicies quartò. Contradictoria sunt vera de quolibet sub disiunctione, quia de quolibet vera est affirmatio, vel negatio: ergo si Deus genuit Deum: aut Deum, qui est Pater: aut Deum, qui non est Pater; sed quod implicatur, contingit simpliciter inferri, vt si dicatur. Homo, qui non currit, disputat. Ergo homo non currit. Ergo similiter si genuit Deum, qui non est Pater. Deus non est Pater; sed si non est Pater: ergo non generat.

Pro responso exhibet quartam regulam. Relatiuum, quod indicat antecedens, sub eodem modo supponendi, sub quo antecedens præcessit ipsum relatiuum, si dicit relationem personalem, non dicet relationem simplicem. Itaque, cùm terminus Deus supponat pro Deo genito in antecedente; relatiuum refert pro illo eodem, & ita sensus est. Deus genuit Deum, qui Deus genitus non est Pater. 44

Neque rectè infertur: ergo Deus non est Pater, vel: ergo Pater non est Deus, quia mutatur suppositio: nam in antecedente habetur: Deus Pater, vel Pater genuit Deum, qui in persona non est Pater, vnde relatiuum *qui* indicat personam. Malè ergo infertur: ergo Deus non est Pater; sed deberet dici secundùm relationem antecedentis: ergo Deus Pater non est illa persona, quæ est Deus genitus: sic soluit S. Doctor *dist.* 4. *dub.* 3. *litt.* quæstionem hanc à Magistro propositam. Ideò concludit cum Petro de Tarantasia. Quod si relatiuum *qui*, facit relationem simplicem, affirmatiua est vera: Pater est idem Deus, qui & Filius. Et negatiua est falsa; at si faciat relationem personalem, affirmatiua est falsa, idest, persona Filij est Pater: & negatiua vera. Persona Filij non est Pater.

QVÆSTIO IV.

An possit aliquo sensu asseri, Deus non generat.

D. Bonau. d. 4. q. 1. ad 3.
D. Th. q. 39. art. 4. ad 3. & in 1. d. 4. q. 1. art. 2.

E Responsione D. Bonau. *ad* 3. ansa nobis porrigitur de hoc disputandi.

Gregorius *in* 1. *d.* 4. *quæst. vnic.* Gabriel. *quæst. vnic. art.* 2. *concl.* 2. Ocham *ibi ad* 2. Maior *quæst. vnic. ad* 1. Argent. *quæst. vnic. art.* 3. Durand. *quæst.* 2. Aureolus *quæst.* 2. asserunt, eam veram, licet non vsui tradendam.

Opposita sententia est SS. Doctorum *hic*, quos sequuntur Richard. 1. *d.* 4. *q.* 1. *ad* 2. Capreol. *quæst. vnic art.* 2. & 3. Henricus *in summa art.* 54. *quæst.* 3. *ad quartum.* Caietanus cum cæteris expositoribus *ad art.* 4. *quæst.* 39. *D. Thomæ*, vbi Torres 3. *part. comment. dub.* 4. Nazar. *controu.* 2. *conclus.* 7. Molina *q.* 36. *art.* 4. *disp.* 3. Valentia *quæst.* 13. *de Trin. p.* 3. Vasquez *disp.* 157. *cap.* 3. Suarez *lib.* 6. *cap.* 7. Tanner. *disp.* 4. *quæst.* 1. *dub.* 7. *à num.* 13. Forestus *de modis dicendi, cap.* 6. & alij vniuersaliter. Hi omnes negant hanc propositionem; subscribunt Præposit. *q.* 39. *art.* 4. *dub. vnico.* Arriaga *disput.* 54. *sect.* 3. Morandus *quæst.* 31.

Assero cum hac sententia.

Probatvr à Seraphico primò. Contradictoria non valent de eodem verificari; sed hæc: *Deus generat*, & hæc: *Deus non generat*, sunt contradictoriæ: ergo. Sed prior est vera, vt ostendi *quæst. præced.* ergo posterior falsa. Argumentum est optimum. Restat probare minorem. Probatur ergo à D. Bonau. Illæ sunt contradictoriæ, quarum altera est singularis affirmatiua: altera singularis negatiua. Ista verò: *Deus generat*, est particularis affirmatiua: ergo. Minor probatur. Hæc: *Deus generat*, supponit 45

X 2 pro

pro eo, cui respondet veritas, si sit aliquis generans. Cùm autem in Diuinis Pater generat, & non alius; iam hæc vox, *generat*, supponet pro Patre. Vide D.Bonauent. *dist.*4.*quæst.*1 *ad* 2. quem allegati laudant.

46 NEGATIVA verò, *Deus non generat*, est destructiua omninò: sic ista: *Deus non est vnitus carni*, est hæretica, quia destruit omnem vnionem omnium personarum, non est autem vnita nisi vna Verbi persona, quæ tamen negatur, hac negatione: sic etiam ista est falsa. *Deus non est Pater*: ergo, & hæc, *Deus non generat*: sic enim comprehendit totam naturam non multiplicabilem, omninóque, & totaliter negat, & ideo est vniuersalis negatiua respectu omnium personarum. Hoc argumento vtuntur Vasquez, Valentia, Suarez, & alij. Ex quo ruunt argumenta Gregorij, & Gabrielis.

47 ARGVIT Gabriel: Subiectum harum propositionum est Deus, qui non est terminus singularis, sed quadam ratione communis: sic propositiones erunt, non contradictoriæ; sed subcontrariæ, vt hæc; Homo currit. Homo non currit, & possunt esse ambæ veræ, si aliquis currat homo, & alius non currat. Colligit Durandus ex hac communitate nominis; non esse idem postponere, & anteponere negationem; nam si præponatur sic: *Non Deus generat*, erit contradictoria affirmantis: *Deus generat*. Quod si terminus, *Deus*, est omninò singularis; & ideò quæcumque negantur de Deo, negantur etiam de omni persona, atque adeò falsa est propositio, Deus non generat; eodem modo quicquid enumeratur hoc termino, dicetur de omni persona. Quare si hæc est vera: *Deus generat*, erit vera etiam hæc: *Filius generat*.

48 RESPONDETVR, eos non percepisse doctrinam Seraphici: nomen enim *Deus*, licèt sit commune tribus, tamen in priori propositione per additionem verbi notionalis, quod est solius Patris: *Deus generat*, singularis omninò fit ex fide, quæ credit, solum Deum Patrem generare. Cùm verò dicitur: *Deus non generat*, omninò negatur etiam de Patre: nam iuxta regulas Dialecticorum, termini in affirmatiua, & negatiua propositione seruant eandem suppositionem; quia prædicatum est idem, vt patet in hoc: Homo est species. Homo non est species. Cui doctrinæ fauet Damascenus 3. *de fide*, *cap.*4. Nicetas *lib.* 3. *Thesauri*, *cap.*33. vt notat Suarez *loc.cit.num.*15. & dixi in argumento.

49 Quo fit, vt omninò negetur, etiam de aliis, quia si negatur de Patre, cæteris iam constat negari; at esto esset indefinita, vt ait Valentia, adhuc falsa est, quia cùm negatio, vt aiunt Logici, sit malignantis naturæ, videtur vniuersaliter negare, etiam in propositione indefinita, si, vt est hæc, necessaria sit; imò si dicas. Homo, elapso Adam non contraxit peccatum originale, falsa iudicaretur; etiamsi Christus, & B. Virgo non contraxerint. Et per hæc patet ad argumenta Aureoli, & Gregorij. Licèt igitur diuina essentia habeat rationem naturæ communis, quia est in tribus; sed singularis, quia est immultiplicabilis, vt docet D.Bonauent. *dist.* 4. *quæst. vlt. in corpore*, negatio totum destruit, dum absolutè negat: *Deus non generat*. Nec est simile de his contingentibus: *Homo currit. Homo non currit*. Vbi fallitur Morandus. Neque est simile de his subcontrariis. *Aliquis homo currit*, *aliquis homo non currit*: nam hæc saluantur per negationem alicuius indiuidui, neque enim negant de omnibus; sed de aliquo; cùm natura sit multiplicata etiam in aliis; at diuina natura est simplicissima, & immultiplicabilis; & ideò negatio omninò destruit. Vnde non rectè arguunt à negatione ad affirmationem. Quod exemplo Durandi probo, qui arguit. In Christo est vna 50
simplicissima persona, & tamen ratione naturarum dicitur; Christus mortuus est, & non mortuus est: ergo etiam *hic* ratione diuersarum personarum potest dici. Deus generat, quia Pater generat: & Deus non generat, quia nec Filius, nec Spiritus sanctus generat.

Respondetur enim, non posse dici absolutè Christus, vel Filius Dei non est mortuus, quia negatio omninò destruit; tametsi, qui mortuum astruit, solùm in aliquâ naturâ id astruat.

Obiicies terriò. Deus idem est, ac habens deitatem; sed hæ duæ propositiones sunt veræ. *Habens deitatem generat. Habens deitatem non generat*; & sunt solum subcontrariæ, quia aliquis habens deitatem generat; & aliquis habens deitatem non generat. Ergo & hæ: *Deus generat. Deus non generat*.

Respondet Vasquez, quod Deus non est idem, 51
ac habens deitatem; at verò non est necesse, tam arctum tramitem ad fugam intrare, vt dixi *quæst.*2. Respondetur ergo; esto Deus sit idem, atque habens deitatem, & affirmatiua sit vera, quia in vna persona verificatur; tamen nego, verificari etiam negatiuam, vt aduertit D. Bonau. *ad tertium*: quia negatio malignatur ad totalem destructionem omnium, vt suprà dixi. Quòd si eodem modo vera esset, iam falsum esset illud Logicorum peruulgatum vbique proloquium: *Negatio plus destruit, quàm ponat affirmatio*.

Habemus ergo, actus notionales rectè prædicari de Deo significato per nomina essentialia, in concreto sumpta: & hoc est de fide. Ideo Matthæi 16. dicitur: *Tu es Christus Filius Dei viui*.

QVÆSTIO V.

An possit dici Deus generat alium Deum.

D.Bonau. dist.4. q.2.
D.Thom. q.39. art.4. ad quartum.

DICENDVM, id dici non posse.

PROBATVR à D. Bonauentura primò, ex D.Anselmo *in Prosol.cap.*2.

PROBATVR secundò à S. Doct. *in fundamentis*, 52
& in corpore. Alius, est adiectiuus adiunctus substantiuo *Deus*; ideo non substantiuè, aut per appositionem potest significare *alium*, idest, qui est Deus: ergo ponit alietatem in supposito, & forma: ergo dicit alium distinctum Deum; sed hoc est hæreticum: ergo.

Pro hoc, dat S.Doct. regulam relatam *q.*2. in referenda eius sententia.

Idem sentit Hugo de S. Vict. *in summa sentent. tract.*1. D.Thom. *hic*, Scotus *in* 1. *dist.*4.*q.*1. Durand. *q.*2.*ad* 2. Gabriel *quæst.vnic.art.*3. Marsil. 1. *q.*8.*art.*3. *ad* 4. Tametsi D.Thom. & Gabriel. dicant posse habere verum sensum; si *Deum* appositiuè, & vocem *alium*, substantiuè ponamus. Verumtamen hic sensus non est vsitatus, vt ostendit S.Bonau. quem sequitur Vasquez *disp.*157.*c.*7. Caspens. *d.*3.*n.*94. Forestus *c.*7. Morand. *q.*31. Arriaga *loc.cit.suprà q.*3.

Iam

53 Iam igitur, sicuti non possumus dicere propositiones significantes omnimodam diuersitatem inter Personas diuinas; vt, *Deus genuit alium Deum*, quia in diuinis est vnitas essentiæ, seu non est vnum è diuersis causis, vt phrasi vtar D. Bonau. & dixi *quæst.2.* ita non possunt enunciari propositiones significantes omnimodam vnitatem inter personas; vnde non licet dicere: *Deus genuit se*, conceditur tamen hæc: *Deus generat alterum se.* Probatur à D. Bonau. *dist.4.dub.7. litt.* quia oppositio directa intelligitur semper circa idem. Quia ergo in diuinis est identitas in natura, & alietas in suppositis, & hoc sine oppositione; ideo nomen identitatis, & alietatis in sermone vno vniuntur sine oppositione ad singularis modi expressionem.

54 PROBATVR secundò à D.Bonauent. *hic, in corpore*, ex D.August. *epist.66.* vbi habetur: *Pater genuit alterum se.* Idem habet D. Thom. *hic.* Confirmatur ex D.August. *in Ioannem.* An vero possit dici: Deus genuit eundem Deum. Scotus *dist.4.q.1. ad 4.* Alensis *quæst.50.memb.3.art.2.* Vasquez *d.157. cap.7.* eam concedunt. Probatur ex Aristot. 4. *Metaph.cap.5.text.11.* Idem, & diuersum diuidunt omne ens; sed Deus non genuit diuersum, vel alium Deum, & tamen genuit: ergo eundem.

Respondetur tamen, non posse dici: nam, vt notat D.Bonauent. *dub.2.* Idem, & diuersum non diuidunt ens ex æquo; nam pars in ordine ad totum, neque est omninò idem, neque omninò diuersum. Et *dist.19. quæst. vltim. ad vltimum*, probat, quia in diuinis est vna omninò natura, & plures personæ. Ideo dictum Aristotelis, vix, aut ne vix quidem in creatis est verum, vbi cum suppositis numerantur etiam naturæ: sic etiam Morandus, & Arriaga.

55 Probatur ex D. Hilario *de Trinitate*, vbi ait: *Deum ex Deo natum, nec eundem natiuitas, nec alium esse natura permittit.* Idem censet D. Thom. *1.dist.4.quæst.1.art.3.ad 3.* Albert.*1.p.quæst.51.art.1.* Durandus, & alij apud Forestum de modis dicendi in hoc Mysterio *cap.7.* Ratio est, quia, sicut Deus dicit suppositum; ita Deum diceret, esse idem suppositum.

Monet verò Morandus cum Arriaga, seruandum cautè communem modum intelligendi.

SECTIO VI.

Vtrum nomina essentialia in abstracto expressa possint supponere pro Persona.

D.Bonau. d.5. dub.4. litt.& q.1. & art.2. q.1. D.Thom. q.39. art.5.

QVÆSTIO præcipuè agitatur de illa propositione: *Essentia generat essentiam.*

Fuit error Abbatis Ioachini, hanc laudantis propositionem.

Omnes tamen contra eum conclamant. Ita SS. Doctores *hic*, vbi omnes Thomistæ ad articulum citatum, Caietanus, Bañes, Ripa, Nazarus, Torres, Zumellus, Molina, Vasquez, Valentia verò, *disp.2.q.13.puncto 3.* Suarez *lib.6.cap.7.n.10.* Scotus *d.5.q.1.* vbi Scotistæ, Durandus *quæst. vnic. art.2.* Gregorius *q.1.* Marsilius *1. d.9. art.1.* Morandus *q.31. & 39.*

EST autem definitum in magno Concili Later. *cap. Damnamus*, vt ostendit D. Bonau. Idem fuerat damnatum in Toletano primo, his verbis: *Si quis dixerit deitatem nascibilem esse, anathema sit.* Ipsum rationibus etiam naturalibus, & D.Bonauentura probatur à Scholasticis. 56

HINC temerè Holcot in suis determinationibus, *q.10. dub.4.* dixit, nullam esse rationem naturalem huius veritatis. Cùm autem rationes attulero, inanis elucebit excusatio Vasquez, qui satius sibi consuleret; si Patres Ecclesiæ non sæpius accusaret, qui non accusandi, sed verissimè locuti passim fuêre, quam in iustificando Holcot tempus conterere.

PRIMA ratio est D. Bonauenturæ *quæst.1.* Inter genitum, & genitorem debet esse distinctio realis, cùm enim sint oppositi relatiuè non possunt, non realiter distingui; sed essentia Diuina abstractè non potest realiter distingui ab aliqua persona Diuina generante, aut genita: ergo nec generare potest, nec generari: *Nihil enim seipsum generat*, ex Arist. *2. de anima.* Hæc ratio lumine naturæ notissima est: nam euidentissima est distinctio, quæ requiritur inter gignentem, & genitum. Ratio hæc est Concilij Lateranensis *loco citato*, & Florentini *loco citando*; & posterioribus Theologis probatissima. 57

DOGMA verò illud: Generans, & genitum realiter differre, astruunt Aristot. *2.de anima*, dicens: *Generat autem nihil seipsum, sed conseruat.* D. Athanasius, lib.de propriis personis: *Nemo sibimetipsi Pater est, & quis sibimetipsi Filius; dum Pater non est genitus, & Filius non est ingenitus.* D.Epiphanius hæresi 57. *Pater seipsum generare impossibile est.* Clem. Alexandrinus, lib.8. strom. *Non est aliquid ipsum sui ipsius causa.* Tertullianus contra Praxeam *cap.10.& 11.* Hilar. *lib. de Synod.* post octauum canonem Orientalium. Cùm non potest esse, nisi alius generans, & genitus. D.August. *1.de Trin.c.1.* relatus à Magistro, & communiter. 58

SECVNDA ratio est D. Bonauent. *fundamento 3.* Generare est personæ; sed essentia nuda non est persona: ergo. Maior probatur ex illo dogmate: *Actiones sunt suppositorum.* Est autem sapientum Philosophantium, & Theologorum dogma, quod in Concilio Florent. videtur canonizatum *sess.18.* vbi Ioannes Theologus nomine Ecclesiæ Latinæ loquitur: *Porrò autem actiones iuxta omnium Philosophorum scholam, suppositorum esse videntur, vt in hominum genere fieri videmus. Quamuis enim hic homo (hoc est, persona, vel suppositum) generet; eius tamen substantia generationis huiusmodi principium est, quandoquidem actiones suppositorum (vt vidimus) sunt.* Eandem rationem refricat *art.2. q.1. fundamento vltimo.* 59

Vasquez spondet, se 3. *p. quæst.1. art.2.* probaturum hanc rationem inualidam; nos verò *tract.1. disp.3. quæst.3. 7. & sequentibus*, validam ostendemus. 60

Rursus *eadem quæst.* refricat primam rationem, vt probet, essentiam non esse genitam. Nihil seipsum gignit, sed ab alio generatur; sed substantia Diuina est vna. Ergo non generatur à substantia Diuina, quod est dicere à seipsa; neque potest gigni essentia à personis, quæ sunt formaliter idem cum ipsa essentia, vt ostensum est *d.3.q.3.* Hac ratione nititur Vasquez.

PROBATVR quartò à D. Bonau. *ibi*: Omne quod generat est de substantia generantis, sed non est in diuinis, nisi vna substantia: ergo.

61 Obiicies primò. Quando aliqua sunt vnum, quicquid verificatur de vno, verificatur & de altero. Diuina essentia, & Deus Pater sunt formaliter vnum. Ergo si Deus Pater generat, etiam essentia generat.

Respondet S. Doctor, distingui ratione ratiocinata, idest, virtualiter essentiam, & personam, quod sufficit, vt aliquid de vna affirmetur, quod de altera non potest dici. Ideò & Ioannes Theologus Latinorum, *sess.* 19. ait: *Quoniam diuina substantia nomen abstractum existit; idcircò generatio non potest ei attribui; nam cum vna numero sit, si quidem generare possit, proculdubio in diuinis esset distinctio, quandoquidem non seipsam, verùm quidquam aliud generaret.* Malè autem errauit Abbas Ioachim, putans, quod si negaretur hæc: *Essentia generat*, deberet realiter distingui à Patre, & induci quaternitas. Eum excusat S. Bonau. tanquam simplicem; sed damnatus est in Concil. Later.

62 Obiicies secundò. Quando aliqua in abstracto inuicem prædicantur; id, quod dicitur de vno, dicitur de altero; sed essentia in abstracto est persona: ergo si persona generat, etiam essentia.

Respondet S. Doctor, quod diuersus est modus essentiæ prædicandi de persona, & è contra; & prædicandi actûs notionalis de essentia: nam verba notionalia hos actus significant per modum formæ adiacentis; & ideò semper formaliter accipiuntur, sicut quæcumque nomina adiectiua prædicantur. Igitur ex vi suæ significationis semper in sensu formali, & nunquam in sensu identico accipiuntur. Hic enim sensus solùm exprimi potest verbo substantiuo *sum, es, est.* At essentia de persona prædicatur in sensu identico, quia idem sunt, non tamen virtualis distinctio excluditur, & varius modus, qui contradictorias potest inuoluere: vnde persona est incommunicabilis, essentia communicabilis. Hoc aduertit post D. Bonau. Vasquez ad hunc articulum D. Thomæ; & hanc obseruationem Scoto acceptam fert, cùm sit D. Bonau. *ad secundum, & tertium*, quâ doctrinâ S. Doctor cætera soluit.

63 Obiicies tertiò multos Patres dicentes, substantiam diuinam generare, & genitam esse. Ita D. Hilarius, & D. Augustinus, relati à Magistro. D. Epiphan. *hæresi* 76. Nazianzenus *orat.* 4. *de Theol.* S. Cyrillus *lib.* 2. *Thes. cap.* 1. S. Ambrosius *serm.* 3. *de actis Concil. Niceni*, & in hoc acriter insistit Richard. de S. Vict. *lib.* 6. *de Trin. c.* 22.

Respondet S. Doct. *in corpore*, SS. Patres emphaticè locutos ad imprimendam diuinarum Personarum consubstantialitatem: quando enim erant aliquæ hæreses retundendæ, ad feriendos aduersarios insistebant in illis propositionibus, quæ vehementius refellerent, ac præferrent antidota. Sic cùm tempore Chrysostomi, liberum arbitrium negaretur, visus est aliquid amplius arbitrio concedere, vt notauit D. Augustinus, cum autem postea gratiæ necessitate negata, totum arbitrij libertati daret Pelagius; pro gratiæ necessitate visus est S. August. liberum arbitrium minuere, vt obseruaui 1. *tract. disp.* 3. *q.* 8. & hoc est maximè notandum.

64 Deinde respondent Sancti Doctores, hos Patres aliquando abstracta sumere pro concretis. Sic etiam cùm aiunt: *Lumen de lumine*, & in matutinis, feriâ tertiâ canit Ecclesia: *Consors paterni luminis, lux ipse lucis, & dies.* Et feria secunda in hymno laudum: *Lux lucis, & fons luminis.* Et D. August. 17. *de Trin. cap.* 14. vocat Filium, *Lumen de lumine*; *sapientiam de sapientia*: *Essentiam de essentia.* Prætereà, cùm Patres, & Concilia vocant Patrem, fontem Deitatis, vt vidimus, *disp.* 8. *sect.* 1. *q.* 2. videntur concedere Deitatem in abstracto genitam. Tandem Concilium Toletanum 15. ait: Secundùm essentiam, voluntas Diuina genuit voluntatem.

Respondent autem S. Doct. *in corpore*, & *ad tertium*, aliqua esse nomina concreta, vt *Deus*; aliqua omninò abstracta, vt *essentia*: aliqua verò se habere medio modo, vt *Sapientia. Lumen. Voluntas*, quæ significant quidem formam, sed operatiuam, & consequenter in supposito, atque adeò his, aliquo modo, licèt non omninò propriè, adscribitur operatio: nam includunt suppositum ratione actus, vel originis; quia, *actiones sunt suppositorum*; & ideò possunt aliquo modo supponi pro principiis operantibus. Adde, voluntatem esse principium, *Quo*; substantiæ verò nomen aliquando adhibitum, loco subsistentiæ. Vel adhibita est substantia ad consubstantialitatem in diuinis contra Arrium inculcandam, vt ait etiam D. Thomas, & Vasquez *disp.* 157. *c.* 6. Scotus *loc. cit.* & alij. 65

Ex his etiam habes, eodem modo, quo damnatur hæc: *Essentia generat*, damnatam etiam hanc: *Essentia generatur.* Sic eruitur è Concilio Lateran. & ad verbum definitum in Concil. Tolet. sub Leone I. à quo fuit confirmatum. 66

PROBATVR à D. Bonau. quia vna est Deitas, & essentia: si ergo generaretur. Ergo ab alio realiter distincto: & hoc vel esset distinctum essentiâ, & tunc à creatura esset producta; vel à seipsa.

PROBATVR secundò. Omnis actio ad suppositum terminatur: nam ex 1. *Metaph.* actiones, & generationes sunt circa singularia.

Neque admittenda est: *Essentia generatur*, vt in Persona Filij: nam eadem est in Filio, & in Patre. Ideo Concil. Tolet. damnat omnino hoc dictum: *Essentiam nascibilem.* Ita etiam D. Thomas *ad primum*, & alij. 67

Dices D. Bonau. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad argum.* concedit, quod generatur commune in particulari, puta, in Filio.

Respondet Forestus primò, hoc asseri à S. Doctore, secundo loco, post traditam veram sententiam; sed non soluit: nam S. Doctor, ait: Secundo loco, hoc dici posse.

Respondet secundò, hoc tantùm significare, quod Filius per generationem accipiat essentiam; sed neque hoc soluit: nam hoc concedit S. Doct. postquam dixit, admitti communicari essentiam Filio. Igitur aliud sonat.

Respondetur, planum esse sensum D. Bonauent. vult enim solùm, posse dici in concreto, Deum generari: Deus autem includit essentiam in supposito. Ergo suppositum generatur. Ideo Deus generatur, quia suppositum est Deus, idest, habens essentiam; non tamen propriè admittit generari essentiam, vt in supposito Filij est, sicuti patet legenti. 68

Obiicit primò S. Bonau. Generatio inter nos, tametsi, vt motus est, sit imperfectionis; tamen vt est ad substantiam, est perfectionis; ex Arist. 5. *Phys. text.* 7. & 1. *de Gener. text.* 18. si ergo quod est perfectionis, est transferendum ad Deum. Ergo generatio terminatur ad essentiam, & sic generatur.

Respondet S. Doct. generationem in diuinis terminari ad primam substantiam, idest personam, seu ad concretum, idest Filium Dei; essentia autem, quia prima entitas, non potest produci: & hoc est maioris perfectionis, quàm transire de non esse, sicuti inter nos: transiret autem si ex nihilo generari deberet.

Obiicit

69 Obiicit secundò: si datur in diuinis generatio, debet terminari ad substantiam; non enim ibi est accidens.

Respondet S. Doctor terminari ad personam, quæ est relatio subsistens.

70 Obiicit tertiò: *Motis nobis, mouentur ea, quæ in nobis*, ex Aristot. *cap. de substantia*, & 2. *T. p. c.* 21. Ergo genita persona generatur substantia: quod si fit hoc in nobis, vbi est maior distinctio inter personam, & substantiam; multò magis in diuinis.

Respondet, hoc euenire in nobis, quia essentia est multiplicabilis; non sic in diuinis. Imò etiam inter nos gignitur forma, non materia: ideo mota forma non mouetur materia; multò minùs in diuinis.

71 Obiicies quartò: Generare, est sibi simile in natura producere: ergo producitur natura etiam in diuinis.

Respondetur, generare in diuinis, esse producere personam sibi similem in natura, communicando illi naturam eandem.

Addendum igitur, diuinam essentiam communicari: sic D. Bonau. *d.* 5. *q. vlt.*

Probatur ab ipso. Primò, quia per generationem fit, vt fit in Filio, & per spirationem in Spiritu sancto, absque amissione damis.

Confirmatur, quia generatio in creaturis est ratio communicandi substantiam: ergo multò magis in diuinis, vbi essentia est summa bonitas, & ideo summè communicabilis.

Hoc verò sensu: essentia communicatur; solùm denoto relationem rationis inter communicantem, & essentiam communicatam, vt notat Vasquez *disp.* 157. *num.* 43.

Quapropter potest aliquis dici etiam, seipsum communicare, vt docet Marsil. 1. *quæst.* 9. *art.* 2. Ratio est, quia communicare non dicit producere; vnde necessaria sit distinctio, vt notat Vasquez è Scoto *dist.* 5. *quæst.* 1.

Obiicit sibi S. Doctor primò: Generatio est ratio distinguendi; non est autem idem principium distinguendi, & communicandi.

72 Respondet S. Doct. generationem esse rationem distinguendi personas; in creaturis verò etiam indiuiduas naturas, quia ad multiplicationem personarum multiplicantur & naturæ; at in diuinis natura non est multiplicabilis.

Obiicit secundò. Id, quod facit aliquid esse in *hoc* non est ratio communicandi, sed appropriandi, & indiuiduandi ex 7. *Metaph. t.* 31. at generatio facit naturam esse in persona Filij: ergo.

Respondet D. Bonau. primò, verum esse, quando facit *hoc*, esse in *hoc*, per appropriationem indiuiduantem, sed non ita fit in diuinis; manet enim appropriata Filio, sed eadem est in Patre.

73 Respondet secundò. Dupliciter fit, aliquid esse in *hoc*, primò absolutè & sic est ratio appropriandi. secundò comparatiuè, vt id, quod est in vno, fiat postea in alio, & sic est ratio communicandi naturam: sed quædam natura est, quæ diuiditur in suppositis, & est illa, cui fit additio; quædam autem non. Ita fit in diuina; & in priori est ratio communicandi, & distinguendi: in posteriori autem est ratio solùm communicandi.

Obiicit tertiò. Id, quod per generationem datur, generatur: sed diuina essentia per generationem datur: ergo generatur.

74 Respondetur, negando maiorem, etiam in humanis; nam, & materia communicatur in generatione, nec tamen generatur: sufficit autem si persona generetur.

QVÆSTIO VII.

An Personæ possint prædicari de nominibus essentialibus.

D. Bonau. dist. 4. quæst. vlt.
D. Th. q. 39. art. 6.

QVÆRITVR, an possit dici: *Deus est Trinitas*, & similia.

Hæc quæstio soluta ferè est, cum de Relationibus, *disp.* 3. vbi contra Gilbertum ostendi, has propositiones esse veras: *Deus est Paternitas. Deus est Trinitas, &c.*

ASSERO, posse prædicari Personas de nominibus abstractis essentiæ. Ita Sancti DD. cum Alensi *d.* 4. *q.* 5, *memb.* 3. *art.* 2. Alberto 1. *p. q.* 51. *memb.* 1. *art.* 1. Richardo *ad litteram Magistri.* Scoto *dist.* 4. *q.* 1. Ochamo, & Gabriele *ibid.* Henrico 1 *p. summæ, art.* 73. *q.* 11. quos discipuli sequuntur D. Thomæ, Caietanus, Torres, Vasquez, Molina ad hunc articulum, Morand. *q.* 39.

PROBATVR primò è Concilio Nicæno, *lib.* 2. §. *Sancta, & magna*, vbi per Osium loquitur: *Diuinitas non est vna persona; sed tres personæ.* Et infrà: *Indiuisa Trinitas est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* 75

D. Gregorius Nazianzenus *oratione in sancta lumina*, & Damascenus 1. *de fide, cap.* 11. aiunt: *Magis propria est hæc: Diuinitas est tres personæ; quam in tribus.*

Præterea in Concilio Later. *cap. Firmiter*, sub Innocentio III. decernitur: *Firmiter decernitur, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus est vna Deitas, & essentia.* Et in epistola Sophronij *in sexta Synodo*, Act. 11. *Non alium vnum Deum, quam tres Personas cognoscentes.* Hanc veritatem docent frequenter Sancti Patres. Epiphanius *hæresi* 69. Cyrillus *lib.* 12. *Thesauri, cap.* 14. Augustinus 5. *de Trin. c.* 8. & *lib.* 6. *cap.* 7. & *lib.* 8. *cap.* 1. & *lib.* 11. *cap.* 24. & plurimi alij.

PROBATVR ab Angelico: Ea, quæ sunt idem omninò, possunt de se inuicem prædicari. Talis est essentia cum Personis diuinis: ergo. Eandem rationem habet S. Bonau. *dist.* 15. *q.* 1. *d.* 34. *q.* 2. vt dixi *disp.* 3. 76

Dices. Si admittitur: Essentia est Trinitas: ergo, & hæc: *Essentia est Trina.*

Respondetur ex D. Bonauent. *d.* 24. *art.* 3. *q.* 2. Richardo *q.* 1. & 2. negando paritatem: nam *trina* est adiectiuum significans multitudinem essentiarum: at Trinitas est substantiuum vnicam relinquens essentiam, quasi Trium vnitas personarum.

ASSERO secundò; nomina abstracta absolutam essentiam significantia, non posse, de diuinis Personis in numero plurium enunciari. Vt: *Diuinæ Personæ sunt tres sapientiæ, tres potentiæ.* Est communis cum Magistro *dist.* 22. & D. August. 5. *de Trin. cap.* 6. & 8. & *lib.* 7. *c.* 2.

ASSERO tertiò, nomina concreta substantiua falsò de personis in numero plurium enunciari, vt: tres Personæ sunt tres Dij. Ita D. Bonau. *dist.* 9. *dub.* 2. *litt.* & *dist.* 22. *dub.* 3. *litt.* & *dist.* 24. *art.* 2. *q.* 4. & omnes Patres, atque Theologi; tametsi Marsil. 1. *q.* 5 *art.* 2. *ad* 5. & *in* 2. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. dicat, solùm 77

X 4 impedire

impedire vsum Ecclesiæ, quæ in Symbolo Athanasij docet: *Non tres dij, sed vnus est Deus.*

PROBATVR tamen, impedire veritatem ipsam, à D.Bonau. *dist 9. dub. 2. citato*, & D.Thom. *hic.* Nomina substantiuè prolata significant substantiam, vt in se vnam, vel plures; sed nomen *Deus*, est tale nomen substantiuum. Ergo debet significare substantiam diuinam; vt in se est vna, non plurificabilis. Hanc rationem impugnat Scotus, quam optimè defendit Caietanus.

78 Addit S. Doctor *citatis dubiis*, propositiones ex nominibus adiectiuis compositas verè, & legitimè de pluribus prædicari; si tamen consignificent vnitatem. Sic D. Athanasius tres personas coæternas, coæquales, & in Concilio Later. *cap. Firmiter*, coomnipotens, consubstantiales, coæquales dicuntur. Et in Concilio Romano tertio sub Damaso I. *Si quis tres Personas non dixerit veras coæquales, semper viuentes, omnia viuificantes, saluantes, &c. anathema sit.* Vbi aduerte, Damasum anteponere particulas significantes coæqualitatem, seu vnitatem. Secundò, non dicere tres viuentes; sed solùm viuentes, quod idem est, ac viuere; ac viuificantes, idest viuificare est; enim participium, quod ad verbum accedit.

79 RATIO D. Bonau. *loc. cit.* & D.Thom. *hic art. 3.* est, quia nomina adiectiua significant per modum inhærentis accidentis in suo subiecto, & supposito. Quo fit, vt ad multiplicationem suppositorum multiplicentur; sed in diuinis tria sunt supposita: ergo.

Aliam rationem apponit S.Doct. *dist. 9. dub. illo secundo*: nam consignificant relationes, vt cùm dicitur, æquales, similes, &c. Eadem est ratio D.Thomæ *1. dist. 9. q. 1. art. 2. ad primum*, Richard. *dist. 22. q. 7.* & de hisegi, *q. 2.*

QVÆSTIO VIII.

Vtrum essentialia rectè approprientur Personis.

{ D.Bonau. d. 34. q. 3.
D.Thom. q. 39. art. 8.

ASSERO primò, appropriari meritò aliqua attributa essentialia personis ad significandum nobis eandem personam.

80 PROBATVR à D. Bonau. 1. Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Quamvis autem talis Pater etiam sit, tamen quia per intellectum productus est Filius, vt Verbum, videtur ei appropriandum, dirigere, veritatem dicere: & quia per actum vitalem generatione producitur; ideo dicitur etiam *Vita.* Idcircò vocatur etiam: *Liber vitæ.* Apoc. 13. quia docet omnia. Ideò, & *Ars artium*, & *Idea.*

Ideò 1. Corinth. 1. dicitur: *Dei sapientia, & virtus.* Sapientia enim habet cum Verbo similitudinem: & Filius validus ob virtutem à potente, quam ad creationem effudit, de quo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.* Similiter Isaiæ 11. *Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me.* Si enim significat Filium secundùm Deitatem, sequitur, Spiritum significare Patrem, quia solus Filium mittit ob auctoritatem originis. Igitur aliquo sensu, nomen *Spiritus* appropriatur Patri.

81 ENIM verò non modò ob similitudinem; sed etiam ob dissimilitudinem aliqua appropriantur: Exempli gratia, quia prima persona est Pater æternus: & ideo concipitur, vt *senex*; ne credatur imbellis, attribuitur ei potentia. Ideo dicitur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ.* Quia Filius posset concipi, vt *puer*, ideo illi adscribitur sapientia. Quare eum vocat Apostolus: *Sapientiam.* 1. Corinth. 1. Sic, quia spiritus apprehenditur: vt *furibundus*, attribuitur ei bonitas: *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, &c.* Hæc appropriantur diuinis Personis, provt considerantur secundùm virtutem ad causandum, vt docet D.Thom. at S.Bonau. hæc tradit agens de appropriatis in genere.

Distinctione autem 31. quæst. 3. considerans specialiter diuinas Personas docet, Patri attribui meritò æternitatem, eò quòd Pater sit sine principio aliquo; quamvis enim Æternitas dicat carentiam solius principij secundùm durationem, per appropriationem, tamen dicit negationem omnis principij. Filio attribuitur species, quia ad pulchritudinem tria requiruntur. Primum integritas, siue perfectio, quæ enim diminuta sunt, deformia sunt. Secundum exigitur debita proportio, siue consonantia in omnibus. Vnde ab Augustino dicitur pulchritudo, æqualitas numerosa. Tertium claritas, vnde nitida, pulchra dicuntur. 82

Quia ergo Filius est perfecta similitudo Patris, vt naturæ partus omnibus numeris absolutissimus, eiusque imago perfectissima, comprehensiuè ipsum repræsentans, perfectissima autem si sit imago, dicitur pulchra, etiamsi sit imago rei vilis; quantò magis imago comprehensiua Dei Patris? Tandem, quia in sua origine est Verbum, & species expressa, quæ dicitur lux, & splendor intellectus, vt ait Damascenus *lib. 1. cap. 8.* Ideo pulcherrimus splendor dicitur, & pulcherrimum mundum gerens mente, pulcherrimus dicitur, quippè est ars quædam omnium formarum plena, vt aiunt D.August. *lib. 6. de Trin. c. 6.* & Boëtius *de consol. lib. 3. Metro 9.* Ideo meritò Filio attribuitur species, quæ importat rationem perfectæ similitudinis, & habet rationem cognitionis, seu cognoscendi, & rationem pulchritudinis, quippè Filius his omnibus præstans, potest meritò dici species digna Imperio, sicuti de Priamo dixit Homerus apud Porphyrium, *cap. de specie.* 83

PORRÒ Spiritui sancto appropriatur *vsus*, quia habet similitudinem cum propriis Spiritus sancti; largo modo accepto *vsu*, provt comprehendit etiam frui. Spiritus enim sanctus procedit per actum voluntatis, & amoris; & ita debuit ei appropriari nomen, quod exprimat actum voluntatis: tale autem est nomen *vsus*: nam *vti*, est assumere aliquid in facultatem voluntatis, siue ad vtendum, siue ad fruendum, vt ait D. August. 11. *de Trinit. cap. 11.* Quoniam ergo assumptio ad fruendum est per amorem; similiter ad vtendum, quia amor est pondus, & ordo; Spiritus autem sanctus est amor consonus vsui, quo Pater, & Filius se inuicem fruuntur. Vnde D. August. 6. *de Trin. cap. 11.* vocat illam delectationem, dilectionem, fœlicitatem, beatitudinem, vsum. Similiter *vsus*, quo nos etiam fruimur, similitudinem habet cum proprio Spiritus sancti, in quantum est donum, vt ostendit D.Aug. *loc. cit.* dicens: *Et in Trinitate Spiritus sanctus genitoris, genitique suauitas, ingeniti largitate, atque vbertate creaturas perfundens.* Ideò rectè *vsus* Spiritui sancto adscribitur: sic consideratæ diuinæ Personæ, secundùm quod sunt in se, entia nominari solent. 84

Distinctione

85 *Distinctione verò eadem art.2. q.3.* considerat personas, vt sunt vnus Deus, & sic appropriat Patri *vnitatem*, Filio *æqualitatem*, Spiritui sancto *concordiam.*

QVIA enim Pater est prima Persona, non supponens aliam, sed primum principium; ideò appropriatur ei *vnitas*, non vt dicit essentiæ indiuisionem, quia sic conuertitur cum ente, aut voluntatis conformitatem, quia sic appropriatur Spiritui sancto; sed appropriatur Patri, vt dicit in numeris primitatem.

86 FILIVS verò, quia est secunda Persona, & perfectè exprimens Patrem, & hoc facit æqualitatem. Ideò *æqualitas* ratione ordinis primò reperitur in Filio, æqualitas enim tunc primò intelligitur, cum primò habetur associatio duorum in vno.

87 SPIRITVS verò sanctus vocatur *concordia.* Concordia enim importat duos concordabiles, & etiam concordantem. Ideò primo incipit concordia, vbi incipit tertia Persona, quæ distinctos connectit secundum rationem suæ emanationis, quod sanè Filio non conuenit.

Ex quo deducunt SS. DD. quòd sicuti omnia æqualia sunt propter Filium, quia nisi Filius oriretur æqualis Patri; Pater æqualis non posset dici. Æqualitas enim eius primo consideratur ad Filium; atque adeò, & Spiritus sanctus hoc ipso, quòd Patri æqualis est, habet à Filio. Ita excluso Spiritu sancto, qui est duorum connexio, non posset intelligi vnitas connexionis inter Patrem, & Filium; & ideò dicuntur omnia connexa propter Spiritum sanctum.

88 *Distinctione verò 36. dub.4. litterali*, considerans diuinas Personas secundùm habitudinem, quam habent ad causata; eum iam *dist.34. q.3.* considerasset secundùm virtutem (vt initio dixi) ad causandum; & ponderans illud Rom.11. *Ex quo omnia. Per quem omnia. In quo omnia*, seu *Per ipsum, Ex ipso, In ipso*, ait: Igitur particula *ex*, appropriatur Patri ratione potentiæ primi principij: nam præpositio *ex*, significat rationem primi principij. Præpositio *per* appropriatur Filio, qui est medium, non quidem vt instrumentum; sed vt dicitur ars, per quam Pater omnia disponit. Vnde sicut sapientia, & ars appropriatur Filio; ità, & ly *per quem.* Quandóque tamen *per* non appropriatum, sed proprium est Filij, vt cùm dicitur Ioan.1. *Omnia per ipsum facta sunt*, non quia sit medium, vt instrumentum, per quod Pater operetur, veluti Faber per Malleum; sed quia ipse est principium de principio, & ars sublimis, vt dixit *in Commentario. Ioan.1.* & ait D.Thom. *hic*, licèt & cum Spiritu sancto creet. Tandem præpositio *in*, denotat rationem continentis; continet autem Deus res dupliciter, vt docet D. Thom. Vno modo secundùm suas similitudines, prout res sunt in scientia Dei; & hoc sensu ly *in ipso est* appropriatum. Secundo modo continentur res in Deo, quatenus Deus suâ bonitate conseruat, & gubernat eas ad finem adducendo; & sic ly *in quo*, appropriatur Spiritui sancto, sicut bonitas.

89 IN Breuiloquio *1.p. cap.6.* vela colligens, reddit præclarè rationem omnium appropriatorum. Quia enim primum ens est nobilissimum; ideo conditiones entis nobilissimi in eo reperiuntur in summo. Hæ autem sunt *vnum, verum, bonum*: quæ non contrahunt ens, secundùm supposita, sed secundùm rationem. Nam *vnum* nominat ens, vt connumerabile, & hoc habet per indiuisionem sui esse. *Verum*, secundùm quod cognoscibile, & hoc habet per indiuisionem sui à propria specie. *Bonum*, secundùm quod communicabile; & hoc habet per indiuisionem sui à propria operatione; & quia hæc triplex indiuisio se habet secundùm ordinem, quantum ad rationem intelligendi; ita vt verum præsupponat vnum; & bonum præsupponat verum, & 90 vnum; hinc est, quod hæc attribuuntur Primo Principio in summo, quia perfecta, & generalia attribuuntur appropriatè tribus personis, quia ordinata; & ideò *summè vnum* Patri, qui est origo personarum. *Summè verum* Filio, qui est à Patre, vt Verbum. *Summè bonum* Spiritui sancto, qui est ab vtroque, vt amor, & donum; & quia summè vnum est summè primum, quia caret omni principio. Ideò æternitas appropriatur Patri: & quia summè verum est summè æquale, & pulchrum. Ideò species appropriatur imagini, seu Verbo; & quia summè bonum est summè vtile, & proficuum, & communicabile. Ideo vsus datur Spiritui sancto. Hæc appropriatio sumitur ex Hilario, *secundo de Trinitate.* Quod insinuat D.Augustinus *lib.1. de doctrina Christiana, cap.5.* dicens: *In Patre vnitas. In Filio æqualitas. In Spiritu sancto vnitatis, æqualitatisque concordia.*

RVRSVS, quia summè vnum, & primum tenet 91 rationem principiandi. Quia summè pulchrum, & speciosum tenet rationem exprimendi, & exemplandi. Quia summè proficuum, & bonum tenet rationem finiendi; quia bonum, & finis idem. Hinc oritur tertia ratio appropriandi efficientiam *Patri.* Exemplaritatem *Filio.* Finalitatem *Spiritui sancto.*

ITERVM, quia à Summo, & Primo Principio 92 fluit omne posse. A summo, & primo Exemplari fluit omne scire; & ad summum finem tendit omne velle. Ideo necesse est, primum esse omnipotentissimum, omnisapientissimum, & beneuolentissimum. Vnitas autem prima, & summa rediens supra seipsam reditione completa, & perfecta, est omnipotentissima; sic & veritas sapientissima, & bonitas beneuolentissima, & hæc appropriantur, quia ordinem insinuant. Voluntas enim dat præintelligere cognitionem, & voluntas, & cognitio præsupponunt potentiam, & virtutem; quia posse scire, est aliquid posse. Ex his apparet, quæ sint appropriata, & quibus, & qua de causa. Hæc tamen vltima, scilicet Potentia. Sapientia, & Voluntas sunt potissimè illa, in quibus laudatur Trinitas summa. Hæc S.Doctor.

OBSERVAT autem *locis adductis*, & opusculo, 93 cui titulus: *Declaratio terminorum Theologiæ.* Hæc appropriari, non quasi facta propria alicuius personæ, cùm sint communia, sed attribuere alicui personæ ad propriorum notitiam magis explicandam.

Eadem refricat, *lib.1. Compendij Theolog. cap.26.* vbi addit, hæc appropriata Scripturis fundari, quæ ea appropriant: sic opera manifestatiua potentiæ attribuunt *Patri.* Opera declaratiua sapientiæ *Filio.* Opera verò manifestantia bonitatem *Spiritui sancto.*

In tertio etiam sentent. dist.4. quæst.1. docet, fieri 94 à Scripturis appropriationes personis. Primò ad errores remouendos, tum ad veritatem declarandam: sic ad errorem arcendum appropriatur Patri potentia, ne credatur senex infirmus: Filio sapientia, ne iuuenis sciolus: Spiritui sancto bonitas, ne credatur furibundus. Et hac de causa docet, adscribi Spiritui ipsi sancto conceptionem Filij; ad excludendam enim carnalem commixtionem, dicitur conceptus de Spiritu: ad excludendam verò concupiscen

concupiſcentiæ fœditatem, dicitur de Spiritu ſancto. Ad manifeſtandam autem veritatem fiunt cæteræ ſuprà allatæ appropriationes. Et hac de cauſa conceptio Chriſti, & Incarnatio attribuitur Spiritui ſancto, qui eſt amor, & donum; hoc enim eſt maximum amoris pignus dare Filium ad mortem, ob noſtram ſalutem. Vnde clamat Eccleſia Sabbato ſancto: *O ineffabilis dilectio charitatis! vt ſeruum redimeres, Filium tradidiſti.* Prætereà, quia, ſicut mulier per viri delectationem, ſeu dilectionem, & ad virum cohæſionem, quæ eſt cum deſiderio, & amore virtutis generatiuæ generat prolem: ſic B. Virgo propter amoris ſingularitatem, ſingulariter dicitur concepiſſe Deum ex diuino amore diuinitus, maximè quia donabatur Filius, ſeruis Redemptor ex amoris exceſſu.

Multa ſibi opponit, & ſoluit S. Doctor *allegatis quæſtionibus.*

95 Obiicit primò *diſt.* 24. *quæſt.* 3. ſicut ſe habet proprium ad commune; ita commune ad proprium; ſed proprium non poteſt communicari, & fieri commune, niſi falsò: ergo neque commune appropriari.

Respondet S. Doct. negando paritatem; nam, quando commune appropriatur, non attribuitur, niſi ei, cui conuenit; neque attribuitur, vt proprium: at ſi proprium fiat commune, attribuitur, quibus non conuenit.

Obiicit ſecundò. Appropriatio in diuinis aut eſt ſecundum rem, aut fit ab intellectu; ſi primum: appropriatio ſecundum rem ſupponit dici prius de illo. Ergo in eſſentialibus eſt priùs, & poſterius in diuinis: ſi ſecundum. Contra, quia ſapientia attribui debet antiquiori. Ergo Patri, qui ſecundùm conceptum apprehenditur, vt antiquus.

96 Reſpondet S. Doct. appropriationem eſſe per intellectum; rationem verò appropriandi eſſe in re, quatenus, ſcilicet ex propriis eſt aliqua ratio, non qua perfectio illa realiter prius ſit, tanquam in primo; ſed quatenus eſt aliquid, quod cognoſcatur per illam appropriationem: & ideo intellectus appropriat propter intellectionem: ſic quia poſſet intellectus carnalis apprehendere Patrem æternum impotentem, quia ſic apprehendi ſolent ſenes. Ideò ei attribuitur potentia, non quaſi magis potenti, quam Filius; ſed vt potens apprehendatur: quod ſi Filio tanquam apprehenſo robuſtiori adſcriberetur potentia, crederetur Patre potentior. Idem diſcurſus de ſapientia, quæ primo aſpectu non apprehenditur eſſe in Filio, concepto vt infante.

97 Obiicit tertiò. Vbi eſt appropriatum primum, debet præintelligi proprium: ergo cùm appropriatum ſit commune, & eſſentiale, erit poſterius, ſaltem ratione, notionalibus propriis.

Reſpondet S. Doct. appropriata, vt ſunt perfectiones eſſentiales, eſſe priùs notionalibus; at verò eſſe poſteriùs, quoad appropriationem.

Obiicit rurſus ſibi *diſt.* 31. *quæſt.* 3. multa. Primum: omnes diuinæ Perſonæ ſunt coæternæ, coæquales: ergo non rectè hæc à D. Hilario appropriantur.

Reſpondet S. Doct. ex dictis, rationem aliquam præcipuam, ſuprà allegatam, dari appropriandi: hanc verò ſuprà retuli.

Obiicit ſibi ſecundò. Cùm appropriatur ſpecies Filio; vel per ſpeciem intelligitur forma, quæ eſt natura; at natura non eſt appropriabilis. Vel intelligitur pulchritudo; at pulchritudo imaginis refertur in prototypum: ergo ad Patrem: ergo illi debet appropriari.

Respondet S. Doct. ſumi ſpeciem, vt eſt pulchritudo, quæ conuenit imagini, tum ſi pulchra ſit; tum ſi benè repræſentet: hinc poteſt eſſe imago pulchra, etiamſi diabolum repræſentet; magis verò pulchra erit, ſi pulchrum repræſentet pulchrè, puta, ſi adamuſſim repræſentet glorioſum Nicolaum, cuius S. Doctor ſæpè meminit, tanquam ei deuotiſſimus. Ideò hunc inter Patres Concilij Nicæni præcipuum recenſet in *Hexaëm.* Igitur pulchritudo duplex eſt in præſtantiſſima imagine: altera eſt, quia in ſe perfecta, & pulchra: altera quia pulcherrimum repræſentat; at in prototypo eſt ſola pulchritudo abſoluta. Fatetur tamen, honorem imaginis tranſire ad prototypum ſolum, ſi ſit pictura, vel ſculptura; non autem ſi ſit imago viua adæquata. Cùm igitur Filius Dei ſit imago comprehenſiua Paternæ formæ, eique conſubſtantialis, rectè ei titulus formæ, & honor imaginis viuentis debetur. 98

Obiicit tertiò. Imago ex Hilario *de Synodis prop.* 1. habet naturam, eſſentiam auctoris, & ſpeciem: cur ergo magis tradit imaginem per ſpeciem? Reſpondet, hæc patere ex modò dictis. 99

Obiicit quartò. Deo non eſt vtendum, ſed creaturâ: ergo vſus malè appropriatur Spiritui ſancto. Reſpondet, ſumi vſum, non vt diſtinguitur à fruitione, ſed prout dicit amoris complexum, & actum liberum.

Obiicit quintò. Bonum, & pulchrum eſt idem ex D. Dionyſio *cap.* 4. *de diuinis nominibus.* Sed bonitas eſt appropriata Spiritui ſancto: ergo, & pulchritudo. Confirmatur maior: nam in idiomate ſancto, nomen טוב *Tob*, ſignificat bonum, & pulchrum.

Reſpondet S. Doct. differre ratione: ideo poſſum vnum vni appropriari, & aliud alteri. 100

Eadem *diſt. art.* 2. *quæſt.* 3. alia ſibi apponit, & ſoluit.

Obiicit primò. Ens, & vnum conuertuntur: ergo etiam vnitas, & eſſentia; at eſſentia nulli eſt appropriabilis: ſimiliter neque ens: ergo neque vnum, vel vnitas.

Reſpondet S. Doct. ſumi vnitatem, vt dicit primitatem, non autem, vt dicit entis indiuiſionem.

Obiicit ſecundò. Si appropriatur, deberetur Spiritui ſancto, qui eſt amborum vnitas, ex D. Auguſtino 6. *de Trin. cap.* 3.

Reſpondet, vnitatem reperiri ante duo, & ideò magis Patri adſcribi, qui eſt primus.

Obiicit tertiò. Nil indifferens eſt appropriabile: æqualitas in rebus æqualibus eſt maximè indifferens: ergo. 101

Reſpondet S. Doct. æqualitatem primò appropriati, cùm primum, æquale alteri inuenitur. Cùm ergo Filius ſit ſecunda perſona, nata æqualis Patri; ideo æqualitas in Filio primò inuenitur.

Obiicit quartò. Æqualitas eſt vnitas in quantitate: ſed vnitas adſcribitur Patri: ergo.

Reſpondet S. Doct. æqualitatem non appropriari ob vnitatem; ſed ratione primæ aſſociationis, & perfectæ; æqualitas enim primo intelligitur, cùm intelligitur aſſociatio: & hæc primò in Filio intelligitur.

Obiicit quintò. Appropriatio de communi facit proprium; at concordia potius de proprio videtur facere commune, reducendo plures ad vnitatem: ergo.

Reſpondet S. Doct. concordiam appropriari Spiritui ſancto; non quia de communi faciat aliquid proprium, ſed quia diſtinctos connectit, & hoc ex vi ſuæ emanationis, vt ſæpè dixi. 102

Obiicit

Obiicit sextò. Videtur concordia adscribenda Filio, qui dicitur Pax nostra, qui fecit vtraque, vnum. *Ephesios* 2. & *coloss.* 1. dicitur: *Pacificans per sanguinem crucis eius, &c.*

Respondet, concordiam, & connexionem conuenire Spiritui sancto ex vi originis, quia procedit, vt amor; at Filio non competit ex origine, quia est Verbum, sed ex Incarnatione, & officio mediatoris. Ideò priùs, & potiùs Spiritui sancto detur.

Obiicit septimò. Contra rationem D. Augustini *lib.* 1. *de doctrina Christiana, cap.* 5. Omnia æqualia propter Filium: ergo Pater est æqualis propter Filium: ergo habet aliquid à Filio.

103 Respondet S. Doct. attribui Filio æqualitatem, quia, eo ipso, quòd generatur æqualis, incipimus intelligere æqualitatem in Patre. Vnde non ob id recipitur aliquid à Filio.

QVÆSTIO IX.

An translatitia rectè transferantur in diuinas Personas.

D.Bonau. d. 34. q. 4.
D.Th. q. 39. art. 8.

TRanslatitia sunt, quæ tropicè diuinis personis adscribuntur, & de creaturis propriè dicuntur.

Assero, rectè translatitia ad diuinas Personas transferri. Plenæ sunt his Scripturæ sanctæ.

104 Pater dicitur *sol*, Filius *splendor*. Spiritus sanctus *ardor*. Est enim Filius, vt splendor diuinæ cognitionis: Spiritus sanctus, vt amor, seu calor cordis amantis, emanans.

In arca testamenti, ad quam omnes veteris testamenti cæremoniæ confluebant, erat *Virga*, quæ Patris potentiam significat. *Tabula legis* Filij sapientiam, & *Manna*, quod Spiritus sancti designat iucunditatem.

In Apocalypsi visus est Deus, vt *homo* in maiestate, qui Patrem repræsentabat. In eius sinu erat *Agnus*, Filium exponens. E sede autem Dei, & Agni, *fluuius* aquarum cælestium emanans in terras diramatus effluebat, exprimens effusionem donorum Spiritus sancti. Hinc Theologi etiam Patrem *fontem*: Filium *riuum*, Spiritum sanctum *lacum*, acclamant.

105 Præterea Spiritus sanctus comparatur igni, digito Dei, &c. ob varios effectus.

Duas autem assignat causas S.Doct. harum translationum: altera est, vt laudes Deo inde acclamantes, pro nostro captu ipsum glorificemus, quippè verborum egenique exiles, in dicendo indigemus creaturis, vnde elogia Deo texamus.

Altera est manuductio ad cognoscendum Deum; quia enim è creaturis notitiam haurimus, ideò aptè nomina ex eis assumimus ad diuinas præcellentias adumbrandas; sic Leonem ad inuincibilem eius virtutem exprimendam insumimus, &c.

106 Qvoniam igitur finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem. Ideò non assumimus ad Dei cognitionem, & laudes, ea quæ sunt inepta, vel quæ errores possent inducere: sic neque assumuntur Mures, Bufones, Dracones; neque ex altera parte Angelos; ne dij credantur, exhibemus.

Benè tamen ait Areopagita, *cap.* 1. *cælestis Hierarchia*: *Impossibile est aliter nobis lucere diuinum radium, nisi sacrorum velaminum varietate circumuelatum.* Hoc enim esse aliqualiter necessarium etiam D. Bonauentura suprà innuit, ita, vt pro hoc statu difficile sit, quod impossibile vocatur.

Aliqua sibi obiicit S.Doctor, quæ solùm probant, 107 non esse quidem similitudinem per naturæ participationem inter Deum, & creaturas; esse tamen secundùm analogiam; vnde similitudines eruantur.

Ex his colligere libet: cur Spiritus sanctus toto veteri testamento allegoriis sanctissimè vsus sit ad populos instruendos; & Christus in nouo testamento ita parabolis delectatus, vt sine parabolis non loqueretur populis. Vide etiam Forestum *fol.* 536.



DISPVTATIO XII.

De Personis diuinis comparatis ad relationes.

RElationes, & Personas esse idem formaliter, ostendimus *disp.* 3. *quæst.* 7. Iam nobis præclara est disputatio circa constitutionem, & distinctionem Personarum.

QVÆSTIO I.

An Personæ diuinæ constituantur, & distinguantur relationibus.

D.Bonau. dist. 26. q. 1. 2. & 3.
D.Th. quæst. 40. art. 1.

FVit præpositi opinio relata à D.Bonau. *quæst.* 1. & D.Thom. *art.* 1. *quæst.* 40. & *quæst.* 32. *art.* 2. in personis nullas esse proprietates, siue absolutas, siue relatiuas, atque adeò nullis eas proprietatibus constitui, aut distingui; sed distingui seipsis, non aliquo sui; nullo verò modo constitui. Hanc opinionem sequitur Gregorius *d.* 26. & 27. *q.* 1.

Hæc opinio, tametsi in eo ab omnibus repre- 1 hendatur; quod neget in diuinis Personis proprietates; in hoc tamen à multis laudatur, quod dicat, Personas diuinas à nullo alio constitui; sed solùm per intellectum; sicut species genere, & differentia dicitur constitui. Ita Canariensis 3. *p. commentarij huius articuli*, & 2. *parte comment. art.* 4. D.Thom. *in* 1. *dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 1. Caietanus *hic ad primum*, Ferrariensis 4. *contra Gent. cap.* 26. quos adducit, & ambabus vlnis amplectitur Vasquez *disputat.* 158. *cap.* 2.

Ex his autem, qui personas proprietatibus à 2 constitui fatentur, aliqui asserunt, has proprietates constitutiuas, & distinctiuas esse absolutas. Ita Ioannes de Ripa *dist.* 26. & 27. Eam verò probabilem censet Scotus *dist.* 27. *quæst.* 1. quem tuetur Lichetus *d.* 26. *quæst. vnica.* Eam secutus est etiam Alphonsus Salmeron *tom.* 2. *tract.* 12. *ad* 4. & citatur etiam Rupertus Lincolniensis, & alij nonnulli, quos recenset Zumellus *disput.* 1. citatur & Adam quidam. Eam verò à Scoto attribui Seraphico, sed immeritò, adnotant passim Marginistæ Seraphici

Seraphici ad loca citanda. Caietanus *quaest.*40.*art.*1. Canar. *loc. cit.* Valentia *disp.* 2. *quaest.*14. *puncto* 2. Nazarius *quaest.*40. *art.*4.*controu. vnica.*

3 Faber Fauentinus *disp.* 23. *cap.* 3. negat, Scotum hanc opinionem probabilem censêre, aut eam Seraphico adscribere: & quidem quoad primum ait, hanc opinionem repugnare scripturis, neque videri stare cum fide, & authoritates multas adducit ex Ecclesiæ sanctionibus, & scripturâ, quæ tamen addit, non cogere, & solui posse, eaque soluit. Quoad alterum verò ait, Scotum ibi solùm adducere Seraphici distinctionem de substantia communi, & de substantia, vt est hypostasis, quam primus S. Bonau. (ait Faber) inuexit: & quidem S.Bonau. passim, vt *dist.*7. *dub.*3. *litt.* distinguit, esse *aliquid* primò, vt commune ad essentiam, & personam, & explicatur pronomine *Quid*: Secundò pro persona, & dicitur. *Quis*; & primo sensu Pater est *aliquid*; non in secundo, vt docet etiam Magister ibi, sed *ad aliquid*: nam personæ sunt relatiuæ.

Addit verò Faber, quod Scotus accommodat distinctionem D.Bonauenturæ, opinioni Ripæ.

4 Ab hoc errore Scotum vindicare conantur alij discipuli, præsertim Ioannes Rada *controu.* 23. vbi opinionem temeritatis, & erroris incusat, non tamen hæreticam ait, & respondet auctoritatibus, quæ contra eam afferuntur, vt ab hæresi liberet.

Verum enim verò, cum Scotus distinctionem D. Bonauenturæ applicet opinioni Ripæ, eamque probare conetur, atque auctoritates, rationesque contra illam soluere nitatur: profectò eam censet probabilem, pro qua & Lichetus allegat Seraphicum.

Dvas autem partes continet opinio Ripæ: altera est, distinctiuas proprietates esse absolutas: & hic est error in fide, vt notant Vasq. *loc. cit.* Molina ad hunc articulum *disp.* 2. Bañes *ibidem.* Altera est, quod proprietates constitutiuæ sint absolutæ: & eodem modo fœtet, vt notant Molina, & Bañes, tametsi Vasquez non eodem modo eam damnet.

An verò Scotus primus asseruerit opinionem Ripæ à fide dissonam; iudicio legentium D. Bonauenturam, & D.Thomam relinquo?

5 Qvod verò Seraphicus primus excogitauerit distinctionem illam substantiæ in communem, & subsistentiam, siue hypostasim, vt dicebat Faber, nocte obscurius est, cùm hæc distinctio fuerit olim à Patribus examinata, vt vidimus *disputat.* 4. *quaest.*2.

Secvnda sententia, è concedentibus distinctiua, & constitutiua diuinarum Personarum, est dicentium, hypostases constitui originibus: personas autem relationibus. Eam refert, atque refellit D. Thom. tanquam absurdam.

Tertia sententia est, personas constitui, & distingui originibus, v.g. Patrem generatione; non Paternitate: eam refellit S. Thomas. Adscribitur autem D.Bonauenturæ *dist.* 26. *quaest.* 2. & *dist.*27. *q.*7. à Scoto *dist.* 26. *quaest.*1. & *dist.* 28. *q.* 3. Fabro *cap.*4. Ruitz *disp.*89. Arriaga *disp.*51.*sect.*3. Suarez *lib.*7. *cap.*6. *num.*4. Nazario supra, Tannero *disp.*4. *quaest.*3. *dub.* 6. Morando *quaest.*32. Marco Baudunio *quaest.*40. Caspensi *disp.*4.*sect.*2. sed falsò, vt agnouêre Valentia *loc. cit.* Vasquez *cap.* 4. Coriolanus *q.*40. *art.*3. Forestus *fol.* 306. & ipse Baudunius sic tandem exponit Seraphicum. Alios citant Amicus *disp* 21. *sect.*3. Auersa *q.*27. *sect.*10.

6 Qvarta sententia est, Personas diuinas constitui, & distingui relationibus personalibus. Ita D.Thom. *hîc*, *quaest.*40. *art.*2. & 3. vbi Caietanus, Torres, Nazarius, aliique Thomistæ suprà citati: Albertus 1. *d.* 27. *art.* 2. Alensis 1. *p. quaest.*65. *memb.*3. & 4. Gandauensis *quodl.* 5. *quaest.*8. & in summa *art.*5. & 6. *quaest.*4. Scotus *d.*28. *quaest.*3. cum discipulis: Richardus *distinct.*26. *art.*4.*quaest.*1. Ægid. *dist.*26. *art.*1. *quaest.*2. Heruæus *quaest. vn. art.*3. Durandus *quaest.*1. Gabriel. *quaest.*1. Capreolus *quaest.*1. *art.*1. Marsil. 1. *quaest.*29. *art.* 1. *dub.* 1. & 2. Ferrar. 4. *contra Gent. cap.*26. Suarez *lib.* 7. *cap.*7. Vasquez *disput.* 159. *cap.* 5. Albertinus *tom.* 2. *pred. ad aliquid, corol. seu quaest.* 10. *dub.*2. Tanner. *disputat.* 4. *quaest.*3. *dub.*6. Ruitz *disputat.* 87. *sect.* 1. Caspensis *disputat.*4. *sect.* 2. Amicus *disput.*20. Morandus *loc. cit.* adducens Arrubalem, Alarconem, Arriagam, imò & Scotum *quaest.*3. Quoniam verò S.Thomas 7 *art.*4. distinguit relationem primò, vt dicit proprietatem personalem: secundò, vt dicit relationem: & priori modo dicit constituere personas; posteriori autem referre tantùm, quam distinctionem impugnat Durandus 1. *distinct.* 26. *quaest.*1. Scotus *distinct.* 28. *quaest. vlt.* & alij: è regione autem propugnant Caietanus, & Torres *quaest.*40. *art.* 2. & 4. Capreol. *d.* 26. *quaest.* 1. Ferrar. 4. *cont. Gent. cap.*26. quibus consentit Marsil. 1. *distinct.*29. *art.*1. *dub.*1. Ideò hæc opinio dissecta, & difficilior emergit, vt notant Zumellus *loc. cit.* & Molina *quaest.*40. *art.*2. *d.*2. *memb.*2. In varia enim placita abiens tricas offendit, & scopulos; vt videre est in Nazario laxè omnia referente.

Capreolus enim, & Ferrara docent, personas constitui relationibus; sed non vt relationes sunt; sed vt sunt formæ hypostaticæ: distingui verò relationibus, vt relationes sunt. Idem sentit Syluester; & Iauellus apud Nazarium dicit esse rationabiliorem.

Caietanus dicit, relationem constituere personam sub ratione formali relationis, seu, vt est forma relatiui; sed non secundùm actum exercitum referendi, quamuis hoc modo distinguat personas. 8
Idem videntur docere Torres *quaest.*40. *art.*2. & 4. Albertinus *loc. cit.* Marcus Baudunius, Nazarius §. *Relatio vna, & eadem* (vt ait Caietanus) dupliciter significatur vno modo, vt concepta; alio modo, vt exercita, &c. Eundem sequitur Rua apud ipsum: eundem sensum (ait) esse eorum recentiorum, qui relationibus attribuunt constituere personas ratione esse *in* distinguere verò, vt sunt *ad*: Allegat pro hac etiam Radam, Canar. Bannem, Valentiam; atque huc trahit etiam Suarez, & Zumellum, Ferrar. & Capreolum. Addit Vasquium, idem iudicasse, dum ait: Personam Patris apprehendi, priusquam gignat, constitutam ex essentia, & proprietate innascibilis fœcundi, quam S. Bonau. fontalem plenitudinem vocat. Ideo pro hac staret S.Doct.

Vera Seraphici sententia est, Personas diuinas 9
constitui, & distingui relationibus, vt ex originibus sunt; *d.*26.*q.*3. vt videre Vasq. *dist.*158.*n.*15. Macedo *collat.*7.*diff.*4 dicens ita à Scoto adduci, non vt adscribit ei Caietanus. Fallitur Macedo dicens, conuenire D. Bonauent. cum Ripa ex parte, quia ponit aliquid etiam absolutum, nempè origines distinguere. Sed si origines sunt absolutæ, iam dic communes: sunt autem hæ initiatæ relationes, vt vidit Macedo: at vt ingenuè loquar. Vidit Scotum, & Lichetum malè citantes, quos voluit iustificare non iustè. Cum Seraphico stant D.Thom. *q.*40. *art.*2. Durand. 1. *d.*26. *q.*1. *n.*12. Ægid. *art.*2. *q.*2. apud Valentiam cui subscribit Arriaga *d.*61. *sect.*3. Forest. *fol.*306. Coriolan. *loc. cit.* Molina *q.* 40. *art.*2. *d.*2. *memb.*4.

Fuliensis

Fuliensis *l.2.c.3.* Adducit Vasq. *c.5.* D. Thomam dicentem, origines, non vt formam, sed vt viam spectare ad distinctionem: censet verò relationes complete. En Seraphici sententia. Videamus & Scotistas pudore suffusos ad ostium: Macedo, *sect.2.* viam tuendi Ripam tradit, aliqua absoluta certo modo notionalia esse, vt virtus spirandi; vel intellectus, & voluntas, vt sunt principia proxima emanationum: hæc antecedunt ipsas origines, nedum relationes, & sunt absoluta, & sunt principia distinctiua inadæquate. Ita Pater virtute generatiua intellectus fœcundi incipit distingui ab aliis personis; propiùs originem deriuando, formaliter vero relationibus distinguitur. Ita Scotum sentire ostendi, & argumenta sic euadere satagit contra distinctionem per absoluta.

At quis non videt virtutem intellectus, quæ est proximum generandi principium, referri initiatiue ad Filium magis originis deriuatione, quam relatione formaliter? vt ostendi *d. 2. quæst. 2. & seq.* & *d.8. sect.2. q.2. & 3.* sed Seraph nostrum orare, vt desuper illuminet.

9 SVPPONO ex D. Bonau. hic non quæri aliquod principium constitutiuum, & distinctiuum personarum ex natura rei distinctum, quale ponit Scotus componens, tribuendo vltimum perfectionis personæ, quæ per illud sit incommunicabilis, & distincta ab aliis, sicuti in persona creata: est enim diuina Persona simplicissima: enim verò cum res illa diuina, puta persona Patris, habeat essentiam absolutam, innascibilitatem, & generationem actiuam, & relationem paternitatis, quæ omnia inter se vir-
10 tualiter distinguuntur. Ideò quærimus, vtrum illa res sit distincta, & incommunicabilis, vt est essentia, vel vt est innascibilitas, vel vt est generatio, vel vt relatio; cùm enim hæc virtualiter distinguantur, & hoc sufficiat ad negandum de vna ratione, quod de alia asseritur, non frustra inquirimus, secundùm quam sit persona incommunicabilis, & distincta. Neque verò realem constitutionem elidunt Scotistæ, eò quòd nos solam virtualem distinctionem concedimus: hæc enim distinctio sufficit, vt essentia communicetur; personâ incommunicatâ manente, vt aduertit Arriaga. Ideò miror Caietanum, qui hæc nouerat, lapsum eum præposito quoad alteram partem constitutionis. Non adeo miror Vasquium, qui solam distinctionem nostri conceptus imperfectam admittit; ex quo videtur constituere Trinitatem ens rationis, vt vidit Fauentin. *d. 38. sub n.15.* At posita distinctione virtuali non est, cur miretur in hac disputatione *num.3.* aliquos negare constitutiuum reale distinctum, sufficit enim virtute distingui.

11 ADDIT Valentia, D. Bonau. dum constituit relationes ex originibus constitutiuas, & distinctiuas, non negare etiam relationes esse constitutiuas, & distinctiuas personarum. Ideò in fine corporis concludit S. Doctor. Quoniam igitur proprietas diuina secundum communem vsum loquendi importat habitudinem, & originem; ideo tenendum, quod proprietates non solum sunt ratio innotescendi distinctionem, sed etiam distinguendi. Itaque vult illam inchoatiuè ex originibus: complete verò ex relationibus haberi. Hoc ipsum sensit magnus ille Bessarion *in oratione pro vnione*, ad Concilium Florentiæ recitata *cap. 6.* vbi sic eloquitur: *Et quia in quibuscumque pluribus, in quibus est aliquid commune; est etiam aliquid distinctiuum, in hac etiam diuinarum Personarum Trinitate, quæ sibi in vnitate essentiæ conueniunt, quærendum est illud, quod eas distinguit, & cum id non sit essentia (in hac enim summe conueniunt) in diuinis autem præter essentiam, & relationes, atque diuersum processuum modum, quem Latini originem nominant, nil* 12
aliud intelligere sit; relinquitur, vt vel origo, vel relatio, vel vtrumque diuinas Personas distinguat. Cùm verò relatio, & origo, etsi secundùm modum intelligendi differant (si quidem origo significatur per modum actus, vt generatio, relatio verò per modum formæ, vt paternitas) re tamen non differunt; ideò vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ Personæ, prius tamen, & principaliter secundùm modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur diuinæ Personæ; consequenter autem per diuersum processuum modum, siue per originem. Non enim generare, & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam; sed paternitas, & filiatio; siue Patrem, & Filium esse, quod relationis est; sed quia relatio, & origo idem sunt re; & relatio consequitur originem, ideo vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ Personæ, sed principaliùs relatione, siue proprietatibus. En sententia D. Bonauenturæ ad litteram. Eum verò in doctrinis secuti sunt PP. Concilij Florentini, quippe S. Doctor in Lugdunensi Græcos iam optimè conuicerat, qui rursus ad quæstiones reuersi fuerant.

Igitur ordine naturæ ex originibus magis, seu primò inchoatiue; licet ordine dignitatis, seu principaliùs à relationibus habetur distinctio. 13

ASSERO primò, dari in diuinis proprietates constitutiuas, & distinctiuas diuinarum Personarum. Hoc probatum est latè, *disputatione 3. quæstione prima.*

PROBATVR adhuc à Seraphico *distinct. 27. prima parte, quæstione 4. in corpore,* & *dist. 33. quæst. secunda, fundamento primo,* addita explicatione corporis quæstionis, in qua tradit doctrinam Ecclesiæ, quæ in Præfatione Missæ de Sanctissima Trinitate canit, *vt in essentia vnitas: & in personis adoretur proprietas.* Et in Concil. Later. *cap. Firmiter,* vbi dicitur: *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam vna: secundum personalem proprietatem discreta.*

SECVNDÒ in hac quæstione in corpore affert ea, 14
quæ habentur à Sophronio in epistola recepta à sexta Synodo, *Act. 11.* longè à principio, vbi ait: *Hoc quidem propter naturam, & identitatem: illud verò propter alteritatis trium proprietates, propter quæ dissimilitudinem proprietatum, quæ inconfusè vnamquamque figurant personam.* Est autem idem, quod ait D. Bonauent. Nullo cogitante intellectu Patrem referri alio modo ad Filium per paternitatem; alio modo per spirationem ad Spiritum sanctum. Similiter Filium dissimili ratione per filiationem referri ad Patrem, & ad Spiritum sanctum per spirationem actiuam; atque adeò dari debere proprietates distinctas constitutiuas varias singularum personarum, alioqui omnia essent communia, vel si non darentur plures proprietates virtutibus distinctæ; vna persona vno modo tantùm referretur.

Respondet Gregorius primò, sensum Ecclesiæ 15
esse improprium, vel explicandum in sensu intransitiuo hoc modo: adorantur proprietates in personis, hoc est, quæ sunt ipsæ personæ.

Contrà primò est, quòd Ecclesia in dogmaticis loquitur, vt decet, ad veritatem fidei; alioqui nunquam aliquid certum haberemus.

Quòd neque eo sensu exponenda sint verba; ar-

guo, quia si personæ figurantur proprietatibus, & signantur: ergo ipsis distinguuntur. ergo dantur proprietates, alioqui sensus esset figurari personas à personis.

16 PROBATVR secundò à Seraphico *in corpore, q.1.* ratione mox dicta. In vna persona sunt plures proprietates, quæ se inuicem distinguuntur absque intellectus operatione, vt in Patre est Innascibilitas, & Generatio actiua; & spiratio actiua, quæ secundùm D. Augustinum 5. *de Trin.c.6.* sunt distinctæ; ideo ait, quòd: *Si Pater non generaret, adhuc esset ingenitus.* Similiter Pater non distinguitur à Filio per spirationem actiuam, quæ est eadem etiam in Filio: ergo Pater non distinguitur seipso à toto Filio, sed aliqua proprietate, quæ est in Patre, & non in Filio. Hoc argumento vtitur Scotus *loco citato.* Confirmatur, quia Pater communicat Filio omnia, præter esse Patrem; *ex Concilio Florentino in literis vnionis*: ergo hæc est propria primæ Personæ. Ità arguit Arriaga.

17 Respondet Gregorius, dari has proprietates Patris in sensu intransitiuo, sicut dicitur, essentia Dei. Sensus enim est. Essentia Dei, quæ est Deus, sic sunt proprietates in persona, quæ sunt ipsa persona; non autem sensu transitiuo, eo modo, quo dico *equus Papæ.* Ad locum D. Augustini respondet, non inferri; si Pater non generaret adhuc esset innascibilis: ergo paternitas non est innascibilitas, sicuti non valeret; si Deus non esset Dominus, adhuc esset Deus: ergo Deus, & Dominus distinguuntur.

VERVM sic facit relationes Trinitatis ad modum relationis dominij, quæ est rationis, & ita cùm in diuinis omnia sint vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, erit Sanctissima Trinitas ens rationis, quod est hæreticum: nam realiter differunt per aliquid, & per aliud conueniunt: ergo debet dari constitutiuum transitiuè. Ità redarguit Faber, *n.7.* ex D.Bonau. *in corpore, 1.quæst.* Annuit Morandus, *num.632.*

18 ASSERO secundò, personas Diuinas non constitui, vel distingui per absoluta; sed per relatiua.

PROBATVR primò à D. Bonau. *in fundamentis, & in corpore.* Hoc verò constat primò è Scripturis, quæ, tradentes veritatem Sanctissimæ Trinitatis, explicant personas nominibus relatiuis. Matth. vltim. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Idem habetur 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Idem habent Concilia; Nicænum, Constantinopolitanum, & alia in Symbolo, quod ex Apostolis, quoad hoc, accepère. Item in Symbolo Athanasij. Sic Concil. Later. sub Innocentio III. *cap. Firmiter,* Florentinum sub Eugenio, vbi definitur, Trinitatem esse discretam per proprietates personales. Præclarè autem Ioannes Theologus in Florentino *sess.* 19. nomine totius Latinæ Ecclesiæ eloquitur: *Ita vt in nullo alio differant, nisi quia Pater est Pater, & Filius est Filius, &c.* Et in fine sess. ait: *Hypostases, (seu Personas diuinas) ex essentia, & proprietate constare, ita vt persona nihil aliud sit, quam substantia, & proprietas.* Mox verò proprietates relatiuas astruit: *Quæ quidem substantia, & proprietas, licet vnum reipsa sint, & per suas proprietates re inter se differant, quandoquidem ad aliquid sunt; ipsas tamen secundum substantiam Deum vnum fatemur.*

CLARIVS *sess.18.* idem Ioannes ait: *Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem, secundùm autem modum nostræ intellectionis differre videntur: nam persona ex substantia, proprietatibusque consistit, &c. Proprietates vero nequaquam communicabiles sunt; quod quidem ex relationis vi creditur euenire, quemadmodum etiam Doctores vestri, præsertim Sanctus Gregorius Theologus in Epiphania sermone tenet.* 19

Et infrà declarans, quæ sit proprietas: *Propterea Doctores inquiunt, nil, nisi principij habitudo est, in qua quidem hæc duo considerantur,* à quo aliquid: *&* ad quod aliquid. *Ob idque Pater, & Filius sunt, quod Pater principium est; Filius autem ex principio, in quo quidem nequaquam communicant, cum cæteris in rebus inter se dubio procul communicent, &c. Si quidem igitur diuina omnia, proprietatibus personarum exceptis, inter se communicabilia sunt, &c.* Et tandem concludit: *Sola namque relatio,* 20 *quam principalem habitudinem superius nominauimus, apud omnes tum Græcos, quam Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat: cui etiam duo illa,* à quo, *&* ad quod, *de quibus est supra dictum, conueniunt. Siquidem igitur relationes huiusmodi personas multiplicant, ita vt nulla alia ratione, quàm vi relationis Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant.* Hæc sane verba clara sunt, magnamque obtinent auctoritatem, à toto quippe Concilio tacitè accepta. Hinc etiam Concilium Toletanum vndecimum: *Ergo hoc solum numerum insinuat, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt.* Hæc verba sumpta sunt è D. Augustino *lib.5. de Trinitate, cap. 2.* & *lib.5. cap. 8.* cuius testimonium vrget S. Bonauent. *quæst.5. fundamento 3.* Addit Boëtium *lib. de Trinit. versus finem, cap.10. Substantia continet vnitatem: relatio multiplicat Trinitatem.* Et Richardum de Sancto Vict. *lib.4. cap.13. & 15.* vbi ait: *Persona distinguitur proprietate originis.* Quæstione verò secunda affert Damascenum lib.1. de fide, cap.11. *Vnum quippe Deum cognoscimus, in solis autem proprietatibus, nimirum paternitatis, filiationis, & processionis, atque quantum ad causam* (originem intelligit, vt obseruat Tannerus) *& ea, quæ ad causam proficiscuntur, ac personæ perfectionem, hoc est existendi modum, discrimen aduertimus.* Addit Hilarium 12. de Trinit. *Pro-* 21 *prium est Deo nato, esse Filium.* Addit *quæst.1.* S. Hieronymum *in expositione Symboli ad Damasum,* vbi ait: *Non tantum nomina, sed & nominum proprietates confitemur, quibus tres personæ distinguuntur.* Tandem Anselmus lib. de processione Spiritus sancti, cap.1. ait: *Hæc sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dici non possint de se inuicem; sed alij sint ad inuicem, quia prædictis duobus modis (idest generatione, & processione) est Deus de Deo; quod totum dici potest relatio.* Quare in sola relatione apud Patres saluatur Trinitas personarum, quorum doctrinam Ecclesia canonizauit, vt patet *in Canone, dist 15. Sancta Romana.*

Respondent Scotus *loc. cit.* Faber *num.16.* neque 22 Scripturas, neque Ecclesiam vnquam declarasse, in sola relatione distinctionem inueniri, aut absolutum, prout dicit proprietates non facere distinctionem, tametsi absolutum, vt dicit essentiam non distinguat. Ad summum verò ostendi, hanc sententiam contra communem Doctorum sensum esse. Addit, Scripturas, forsan per relatiua explicasse

Personas

Personas diuinas, quia notiores sunt: aliqua verò Concilia dixisse, personas distingui proprietatibus personalibus, non decidendo; an sint absolutæ: vt Lateranense.

P. Macedo præsertim alia his addit, nominibus etiam absolutis personas vocari. Ita Prou. 30. *Quod nomen eius, & quod nomen Filij eius?* Quærit nomen absolutum: & Apoc. 19. *nomen eius nemo nouit nisi ipse*, idest absolutum; quale esset Verbum Dei, quæ sæpè nominatur absolutè; non autem toties dicitur Verbum Patris. Sic Spiritus sanctus dicitur *Amor, Donum*. Sic notat & D. Bonau. *d.18.quæst.2. & 4.* in eo autem relatio non apparet, vt ait D. Aug. *5. de Trin. cap. 11.*

Miror Heroïs hæc ore promi, nam Verbum Dei notionale Patris dicit relatiuum; vt fatetur cum Aug. vbique Macedo *Schola 1. cap. 1.* sic & nomina alia eius propria, & quæ Spiritus sancti, vt ostendam *d. 10. passim*, relatiua sunt: esto non appareat hoc clarè: ideò in relationibus distinctionem astruunt Concilia, & Patres, non in absolutis, seu ad se, excludendo substantiam. Quod enim ait Macedo intelligi substantiam, vt prior est virtute fœcunda, leuius est, nam hæc est relatiua, vt dixi *n. 9.* & solùm initium distinctionis; vt ipse fatetur: perfectius verò originibus, nec tamen vel hæ sunt satis: sed completur distinctio relationibus, vt docent Patres & Concilia suprà, ac monet Tanner. *num. 19.* rectè igitur Faber hoc Epiphonemate claudit: *Subiicio me determinationi Sanctæ Ecclesiæ*: nam etiam Lateranense, quod Faber recipit, proprietates esse relatiuas iam dixerat: *Tres quidem personæ, sed vna substantia simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem à solo Patre; ac Spiritus sanctus ab vtroque pariter. Pater generans: Filius nascens: & Spiritus sanctus procedens.* Id aduertit Suarez *n. 7.*

Respondent secundò Scotus, & Lichetus, distinctionem astrui originibus initiatiuè; relationibus verò à posteriori, tanquam à signis.

23 Mirum sanè, Patres, & Concilia nunquam loqui formaliter attribuendo absolutis distinctionem, vti attribuendam clamat Scotus, vt aduertit Tannerus.

Probatur secundò à Seraphico *fundamento vltimo, & corpore*. Id, quod in diuinis est communicabile tribus, est commune; & ideò non est distinctiuum personarum: sed solæ relationes sunt incommunicabiles; absoluta verò communicabilia: ergo. Maior probatur à S. Doct. nam proprium est, quod vni conuenit: ergo est incommunicabile. Minor probatur ex Concilio Florentiæ *in literis vnionis*, vbi dicitur: *Pater gignendo Filium, dedit ei omnia, quæ sunt Patris, præter esse Patrem.*

Respondet Faber de mente Scoti, entitatem etiam absolutam personalem esse incommunicabilem, & hanc negari à Concilio communicatam Verbo; non autem sola essentialia absoluta.

24 Contrà primò, nam Ioannes in Concilio Florentino incommunicabilitatem è relationibus tantùm ortam ait.

Contra secundò; quia Patres, & Concilia asserunt, sola relatiua facere numerum; atque adeò omnia absoluta excludunt, tanquam communia. Itaque frustra excogitat absoluta propria personalia. Prætereà cùm dicat Concilium, omnia Patrem Filio communicasse, præter esse Patrem; quis non videt, loqui de relatiuis? Pater enim relatiuus est; vt aduertit S. Doct. *vltim. fundam.* & habetur in Concilio Vvormatiensi *in confess. fidei*, vbi habetur, *Quod Pater non ad se, sed ad Filium dicitur.* Idem habetur in Concilio Toletano vndecimo. Aduertit autem Suar. *lib. 7. c. 1.* Concilia ista asserere totum id, quod Patris proprium est, esse relatiuum.

Confirmatur: nam absolutum personale est chimæricum: ideo ait D. Aug. *6. de Trin. c. 2.* & *lib. 5. c. 8.* *Quod ad se dicitur, de singulis dicitur*; vt arguit S. Bonau. *q. 3. fund. 3.* & *lib. 5. c. 5.* ait: *In Deo non esse, nisi substantiam, idest, essentiam, & relationem, & quicquid ad se; & non ad aliud dicitur, ad essentiam pertinet.* Et cap. 8. regulam statuit: *Quidquid in Trinitate ad se dicitur, substantialiter dicitur*: & Damasc. *lib. 1. de fide, c. 11.* ait: *Nos vnum cognoscimus Deum in solis quidem proprietatibus paternitatis, filiationis, & processionis differentiam intelligentes.* Quare illa distinctio de absolutis essentialibus, & personalibus est ad fugam meditandam excogitata; sed frustra. His ruit Macedo.

Assero tertiò, relationes, vt sunt originis, esse 25 constitutiuas, & distinctiuas. Hæc est sententia luce clarior Seraphici *dist. 26. q. 3.* quæ est sententia omnium sapientum Græcorum, & Latinorum vsque ad Concilium Florentinum, quod celebratum est *anno millesimo quadrigentesimo trigesimo octauo* sub Eugenio IV.

Audiamus Ioannem Theologum in Concilio, nomine Ecclesiæ Latinæ, nullo vel ex Græcis obmurmurante: *Sola relatio, apud omnes tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuinam processione multiplicat, vt non vlla ratione, quam vi relationis Pater à Filio, ac vna persona ab alia differat.*

Audiamus & eruditissimum Bessarionem, Græcorum oraculum *in oratione pro vnione, c. 6.* in eodem Concilio, idem conclamantem: *Eo distinguitur, inquit Nyssenus, Spiritus à Filio, quia per ipsum est; quasi diceret, quòd cum ambo à primo sint, non sufficienter distinguerentur, nisi alter per alterum esset.* Idem confirmatur clarè verbis eius, suprà relatis.

Confirmatur ex Conciliis, & Patribus relatis 26 *dist. 10. sect. 1. q. 3.* quibus concluditur distinctio Filij à Spiritu sancto ex relatione originis. Hoc est præcipuum fundamentum S. Bonauenturæ; quod Scotus, & Faber non aduertunt.

Optimè id probant alij Patres adducti à D. Bonauentura, suprà relati.

Aliquos Patres refert Suar. *lib. 7. c. 1. 5. & 6.* præ- 27 sertim August. Damasc. & Richard. allegatos à D. Bonau. & alios, qui relationibus, & originibus distinctionem adscribunt personarum: sic D. Fulgent. de fide ad Petrum c. 1. *Quia aliud est genuisse, quam natum esse: & aliud procedere, quam genuisse, vel natum esse, manifestum est, quoniam alius est Pater; alius est Filius: alius Spiritus sanctus.* Similia habent Ambros. *lib. 1. de fide, c. 2.* Athan. *Dial. 1. de Trin.* contra Anomæos, & alij suprà relati ex Concilio Florentin.

Idem voluit sancti PP. adducti à Vasquez *disput. 147.* siue Græci, qui dicunt, distinctionem personarum esse per relationem causæ, & causati; siue Latini, qui idem asserunt sub nomine tamen, non causæ, sed Principij, qui in Concilio Florentino recitantur.

Addit Vasquez, ex originibus haberi distinctionem, sed inchoatiuè tantùm; at neque S. Doctor ampliùs dicit: nam distinctionem formaliter completè relationibus adscribit. Ideo docet, relationem paternitatis constituere, & distinguere, non præcisè, vt sola relatio est, sed vt relatio originis. Attende, clamat Forest. *fol. 306.* non dicit, originem distinguere, sed inchoare distinctionem, neque solam originem; sed relationem cum origine, vt notat etiam Valentia.

28 PROBATVR secundò ex D. Bonau. *dist.* 9. *q.* 2. præcipuè *ad quartum*, & *dist.* 34. *q.* 1. vt dixi *disput.* 10. *q.* 3. *ad secundum*, & *d.* 26. *q.* 3. *ad vltimum*. Idem, secundùm aduersarios nostros est, in diuinis principium constitutiuum, & distinctiuum: sed in diuinis distinctiuum personarum sunt relationes originis: ergo, & constitutiuum. Huic argumento non video, quid dicat Scotus, quem Faber ait, omnia argumenta soluisse. Hæc enim maior est Scoti, vt vidimus *d.* 10. *à num.* 87. Minor de fide; consequentia optimâ.

Respondet Vasquez, maiorem veram de constitutiuis realiter, at in diuinis relationes esse constitutiuas tantùm secundum nostram considerationem.

Contrà; constituta sola ratione sunt ens rationis: at personæ sunt entia realia: maior est euidens: minor de fide.

29 PROBATVR tertiò à D.Bonau. *in corpore* alio argumento, quod perperam refert Faber. Neque enim S. Doct. supponit, quòd origo, vt proprietas, sit constitutiua, & vt relatio, sit distinctiua, siue potius ratio cognoscendi distinctionem, vt patet legenti corpus *q.* 3. Vnde male etiam deducit Faber, ex opinione D. Bonau. sequi, Patrem constitui per actiuam generationem, non per Paternitatem: Filium per generationem passiuam, non per filiationem: legito textum. Ratio verò sic affertur à Fabio lutea. Quando sunt plura, quorum vnum est prius: alterum posterius; id quod est posterius, non potest esse ratio constitutiua rei, cum per prius constituta iam sit: sed in constitutione Personæ diuinæ origo est prior: relatio posterior: ergo persona non constituitur substantialiter à relatione. Confirmatur; quia relatio fundatur in origine: ergo origo præcedit relationem: at cum est origo, est persona: relatio autem subsequitur personam, & insurgit: ergo. Hæc ratio est à Fauentino in somniis conficta;

30 & à Suarez *lib.* 7. *c.* 6. & Vasquez in nocte priùs exarata. Ratio ergo legitima S. Doctoris est: Quandocumque vnum est ab alio, debet esse distinctum à suo principio per formam receptam; nihil enim seipsum producit: sed Filius est à Patre; & Spiritus sanctus ab vtroque, ex origine recipientes formam: ergo hinc debent esse distincti à suo principio; non ex nuda relatione, quæ supponit fundamentum. Cum igitur in diuinis sint relationes reales afficientes personas: ergo supponunt fundamentum reale: sed hoc non est essentia: ergo aliquid personale: ergo aliquid originis. Confirmatur: abstrahantur relationes ab origine; iam adhuc remanent personæ distinctæ; nihil enim implicat, concipi Patrem generare Filium, & sic Patrem, & Filium existere.

31 HINC deducit S. Bonau. proprietates, idest relationes esse distinctiuas formas, prout tamen ex originibus sunt. En verba S. Doctoris: *In diuinis hypostasibus intelligimus originem, siue emanationem; intelligimus etiam habitudinem: secundum rationem intelligendi origo præcedit ipsum, qui oritur; & secundum rationem intelligendi relatio consequitur ipsum, qui refertur. Potest igitur proprietas relatiua importare solum habitudinem, & hoc modo consequitur rationem distinctionis; & est ratio innotescendi distinctionem; non distinguendi: potest etiam vtrumque proprietas importare, scilicet, habitudinem, & originem: & tunc non tantum est ratio innotescendi, sed etiam distinguendi: circumscripta enim emanatione, siue origine, impossibile est in diuinis intelligere pluralitatem: sed notandum, quod cum idem sit personis oriri, & esse, & ad alterum se habere, tamen secundum rationem intelligendi, sunt ordinata, vt primum sit oriri; deinde esse intelligatur in his, quæ habent esse ab alio: & deinde se ad alterum habere. Quia tamen simul sunt in Deo, ideo eodem nomine designantur. Vnde generatio dicit originem, & habitudinem. Quoniam igitur proprietas diuina secundum communem vsum loquendi importat habitudinem, & originem, ideo tenendum, quod proprietates non solum sunt ratio innotescendi distinctionem, sed etiam distinguendi.* Hæc S. Bonau. *in corpore* & *ad quartum*, concludit: *Et sic patet, quod abstractis proprietatibus non remanet distinctio, nec re, nec intellectu; & sic vtroque modo sunt ratio distinguendi.*

Ex his habes primò, frustrà Canariensem 3. *p.* 32
comment. ad refellendum D. Bonau. prænotare, originem, & relationem re idem esse, licet ratione distinctas: hoc enim prænotauit & S. Bonauentura, vt vtramque ad distinctionem requireret.

HABES secundò Seraphicum adscribere originibus distinctionem inchoatiuè; sed relationibus formaliter. Quare argumenta D. Thomæ nil contra D. Bonauenturam vrgent.

HABES tertiò, rationem D. Bonau. esse optimam nixam principiis fidei astruentis, distinctionem personarum è relationibus originum, vt ostendi *disp.* 10. *sect.* 2. *q.* 3. & obseruat Gregor. de Valentia, qui sententiam, & rationem Seraphici acclamat egregiam, quam confirmare satagit Arriaga, tametsi declinet *subsec.* 3.

HABES quartò, Seraphicum non ponere distinctionem Personarum diuinarum in relationibus, vt sunt externæ, sed vt sunt habitæ (vt plurimi Torrensis, & Caietani vtar) ea est sententia Capreoli, Ferrar. Nazarij, & aliorum supra, eaque sententia expressa D. Thomæ *q.* 40. *art.* 4 & *q.* 29. *art.* 4. & idem sentiunt Albertin. *loc. cit.* Tanner. *n.* 22. qui addit, relatione paternitatis non constitui; & distingui Patrem solum materialiter, vt videntur asserere Capreolus, & Ferrariensis. 33

ASSERTIO igitur tertia. Personæ diuinæ constituuntur, & distinguuntur relationibus personalibus; non formaliter, vt ad aliud sunt in actu exercito; sed vt sunt formæ hypostaticæ incommunicabiles ex origine, relatiuæ tamen in actu signato.

PROBATVR à sanctis Doctoribus eadem ratione, quam affert Tannerus *n.* 25. Constitutiuum personæ Patris supponitur generationi, & generatio præsupponitur respectui ad Filium exercito: nam persona, vt generet, debet esse actu, & vt referatur exercitè ad Filium, debet habere Filium genitum: miror autem, Forestum *fol.* 30. id non vidisse in Seraphico, qui præclare, vt retuli, hoc asserit, dum nudos respectus negat distinguere; sed ait notificare origines, & distinctiones. 34

Non tamen modo Thomistarum, Tanneri, & Albertini, distinguentium relationem, prout est relatio; & prout est hypostatica forma, difficile enim ab eis sustinetur hoc secundo modo distinguere; non primo, vt obseruant Molina *quæst.* 40. *art.* 2. *disputat.* 2. *memb.* 2. Zumellus *disputat.* 2. *num.* 161. Forestus, & alii. Constantissimum enim est, personas constitui, & distingui actu per relationes vt de Filio, & Spiritu sancto constat. Idem ergo de Patre dic. Itaque relationes etiam, vt sunt hypostaticæ, relationes sunt; alioqui per aliquid absolutum differrent personæ: Probatur sequela: nam hypostases sunt propriæ; non communes: ergo per eas differunt personæ: si autem propriæ: ergo relationes: nam proprietates sunt relatiuæ, vt docet S. Doctor *dist.* 26. *quæst.* 2 & ostendi *disp.* 3. *quæst.* 1. 35

Obiiciunt

Obiiciunt primò Gregorius, & alij primæ sententiæ: diuina Persona est æquè simplex, ac ipsa essentia: sed essentia diuina, quia simplicissima nullo alio constituitur, aut distinguitur; sed se ipsa constituitur, & distinguitur à quouis alio: ergo.

36 Respondet S. Doct. *q. ait.* 1. *ad quartum*, quòd licèt persona sit æquè simplex; includit tamen absolutum, & relatiuum: & sanè relatiuum non componit, cum ex natura sua sit ad alterum: videmus enim etiam inter nos, plures respectus aduenire rei, absque eius mutatione, vt cùm Oloti candido nascuntur alij Olores candidi, quibus incipit esse similis, facta mutatione solùm in enatis Oloribus.

Scotus *loc. cit.* & Faber *n.*8. respondent, non esse simile de persona, & de essentia, licèt ambæ sint simplicissimæ: nam essentia non includit aliqua, quorum vnum non est alterum formaliter, at persona includit aliqua, quorum vnum non est alterum formaliter: ideò non distinguitur se tota, sicut essentia; persona enim includit essentiam, & relationem: at essentia se solam.

37 Miror, hos viros hæc dicere: cùm enim fiat comparatio inter essentiam, prout comprehendit omnia absoluta, & distinguitur à relatiuis; & teneant Scotus cum suis, essentiam formaliter distingui ab attributis, eodem modo, quo & essentia à relatione, non video, quomodo soluat argumentum Gregorij: & eò magis, quò absoluta magis component, vt aduertit S. Doctor *ad quartum*; quam relatiua, vt dixi.

Obiiciunt secundò, Diuina Persona vel constituitur à se; vel ab alio: non à se, quia nihil est sibi constituens, & constitutum; si ab alio: ergo componitur.

Respondet Scotus, & Faber, personam constitui ex essentia, & relatione formaliter distinctis; non tamen componi: at melius S. Doct. *ad secundum, & tertium* resoluit, non componere, quia relatio est modus virtualiter tantum distinctus, non faciens compositionem, quà cum subiecto conuertitur; non autem cum veluti subiecto constituit vnum ex, vel *in*, vel *cum* eo.

38 Obiiciunt tertiò *cap. firmiter* dicitur: *Pater communic. sse Filio totam substantiam*: at si esset aliqua proprietas in Patre, quæ non in Filio; non communicasset Filio totam substantiam; quia illa proprietas esset substantia; non accidens.

Respondet Scotus ex D. Bonau. *dist.*25. *q.*1. substantiam dupliciter sumi: primò pro essentia, & hoc modo distinguitur à proprietate: secundò pro supposito, & hoc in diuinis est relatio: Pater ergo communicauit Filio totam substantiam; non proprietatem.

Obiicies quartò. Si in diuinis personis essent proprietates reales sequeretur, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non esse eandem rem. Probatur sequela: quia sic Pater non est sola essentia; sed essentia cum illa proprietate, quæ est entitas Patris.

Respondet S. Doctor *in corpore*, & *ad secundum*, diuinas Personas esse diuersas res personales relatiuas, non absolutas. Hoc modo explicat Damascenus 1. *de fide*, *cap.*12. dum ait; quod: *In creaturis est differentia re, & conuenientia rationis; sed in diuinis, è contrario.*

39 Obiicies cum secunda sententia, primò ex comparatione relationis ad relationem. In relatiuis semper est aliquid absolutum, super quo fundatur relatio, & quod per relationem refertur: sed Personæ diuinæ sunt relatiuæ: ergo in eis est aliquid absolutum, quo fundantur relationes; & quod per illas refertur: sed illud absolutum non est essentia: ergo persona: atque adeò est quid absolutum. Prima propositio probatur ex D. August. 7. *de Trin. cap.* 5. vbi ait: *Omne relatiuum est aliquid, prater relationem.* Et infrà: *Si Pater non est aliquid ad se; non est, quod relatiuè referatur.* Confirmatur à simili: Abraham Pater refertur ad Isaac Filium relatione paternitatis, quæ fundatur in absoluto, quod in Abraham supponitur paternitati.

Respondet S. Bonau. *q.*2. *in corpore*, & *q.*3. *ad primum, & quartum*, quem sequitur Arriaga, malè è creatis relationibus, quæ supponunt aliquid absolutum, deduci diuinas, quia enim relationes istæ creatæ sunt accidentia, componunt cum subiecto, & supponunt aliquid absolutum: at relationes diuinæ sunt vna entitas simplicissima, substantialis, subsistens. Ideo per eam constituitur persona in esse subsistenti, & relatiuo, ita, vt nequeat abstrahi alterum ab altero, vt intelligantur hypostases distinctæ, abstractis proprietatibus relatiuis; si enim ab hypostasi Patris abstraheretur paternitas; vel è contra, non haberet aliquid speciale, quod sit principium intelligendi ipsam. 40

Obiicies secundò ex eodem medio. Omne compositum supponit partes componentes, & vnionem ipsarum: ergo relatum supponit rem, quæ refertur, & relationem, & vnionem vtriusque. Id autem, quod refertur in diuinis est Persona: ergo priùs est persona, quàm referatur.

Respondetur ex D. Bonau. *loc. cit.* supponi quidem essentiam, & relationem, non autem personam priùs esse, quàm personam relatam: quia persona relata non resultat ex persona, & relatione, vt malè supponit Scotus; sed ex essentia, & relatione; licèt autem nostro conceptu supponatur essentia ipsa, tamen relatio non supponitur priùs, quia eum relatio intelligatur, vt modus in aliquo; eo ipso intelligitur relatio simul etiam in essentia, & ita refertur. 41

Obiicies tertiò ex eadem via. Relatio realis præexigit extrema realia: sed relatio inter personas est realis: ergo præexigit extrema, idest, distinctas personas; atque adeò illas non distinguit, sed supponit distinctas.

Respondet S. Doct. *quæst.*3. *in corpore*, & *ad primum*, & *quæst.*2. *ad prima tria*, veram maiorem de relationibus; at relationes diuinæ sunt substantiæ distinguentes, & constituentes supposita, seu personas, subscribit Caspensis.

Addit aliam responsionem *ad primum quæstionis tertiis*, quòd relationes diuinæ respiciunt aliquid, vt principium; & aliquid, vt terminum productum. Et quidem id, quod respiciunt tanquam principium, supponitur; & hæc est incommunicabilitas: at verò, quia respiciunt aliqua, vt terminum; v.g. genitum, & spiratum per origines. Ideò origines ipsæ supponuntur, quibus relationes substantiales producuntur: vnde non supponuntur producti absoluti, sicuti euenit inter nos, cùm homo generat hominem, vnde resultat relatio Patris, & Filij: sed ipsæ relationes substantiales produccuntur originibus, quas ideo supponunt: supponunt etiam principium innascibile. 42

Ex his resoluitur aliud argumentum Scoti. Omne relatiuum reducitur ad absolutum: ergo Pater refertur ad Filium secundùm esse absolutum illius: ergo priùs est persona per absolutam proprietatem, quam sit Filius.

Respondetur, reduci ad innascibilem, vt ostendam *ad vltimum*.

Obiicies quartò cum Scoto ex comparatione producentis cum producto: omne producens priùs est, quam productum: ergo persona producens est priùs origine, quàm sit producta: ergo distinctio non venit ex relatione: nam hæc consurgit post productionem.

43 Vrget secundò. Si personæ secundùm esse personæ sunt relatæ, nihil aliud erit personæ Patris, quàm habere Filium iam productum. Quorsum igitur ponimus generationem ad Filium habendum?

Hoc argumentum non benè affertur à Vasquez *disp.*159.*cap.*1. sic, si personæ, vt personæ, sunt relatæ, nihil aliud erit Patri producere, quàm habere Filium. Debuit enim dicere: ergo hoc erit Patri personam esse, ac habere iam Filium. Profectò oportet, vt producatur absolutum: nam ad relationem non est motus, *ex* 5. *Phys. t.* 10. Ergo persona, quæ refertur debet secundùm esse absolutum producta fuisse, vt referatur.

VRGENT adhuc comparando relationes cum originibus. Primò: omne suppositum, quod est principium operationum, supponitur operationi: priùs enim conuenit rei esse, quàm operari: ergo priùs, quàm intelligatur persona Patris in relatione Patris; intelligitur esse: ergo non constituitur, neque distinguitur relatione.

44 Deinde relatio est velut forma Personæ diuinæ, quatenus persona est; omnis autem forma intelligitur, priùsquàm res, cuius est forma constitutiua: ergo priùs intelligitur paternitas, quàm persona Patris; at Paternitas nequit intelligi sine filiatione, quia sunt simul cognitione: ergo filiatio intelligitur ante personam Patris. Quomodo ergo filiatio resultat ex generatione, quæ prouenit à Patre; siquidem ante personam Patris intelligitur?

Hæc omnia simul conglomerant, vt ostendant, personam Patris non constitui relatione paternitatis; quia priùsquàm paternitate referatur, generat, & priùsquàm generet debet esse subsistens persona in se vna à cæteris distincta.

45 Solam autem personam Patris feriunt, quia generatio passiua præcedit personam Filij; & spiratio passiua præcedit Spiritum sanctum, & relationem eius: spiratio verò actiua supponit Patrem, & Filium iam constitutos; relatio enim spiratorum non est personalis.

Fauentinus *cap.*5.*num.*32.præmittit responsa Seraphici, quasi leuiora, & ait, ad ea reduci etiam responsiones aliorum, à Scoto attritas.

PRIMAM ergo responsionem Seraphici adducit Scotus *dist.*28. *quæst.* 3. relationem posse considerari dupliciter: primò, vt est origo: secundò, vt relatio. Primo modo non constituit, nec distinguit; sed est ratio solùm innotescendi: secundo verò modo constituit. Potest etiam relatio dicere simul originem, & habitudinem: & tunc est ratio innotescendi, distinguendi, & constituendi: & sic primam personam, ait, constitui per generatio nem actiuam.

46 Scotus *loc. cit.* & Faber *num.* 24. aiunt; quòd si D. Bonauentura vult, origines esse distinctiuas inchoatiuè; verum dicit: at si velit origines esse formas constitutiuas, & distinctiuas, falsum loquitur.

NOTAT deinde Faber, quod origo in diuinis est relatio tantùm, non aliqua forma absoluta, quia actio secundum Scotum est relatio agentis ad passum, vel producentis ad productum; tamen secundùm rationem potest distingui, vt productio, quatenus consideratur vt origo, dicatur via ad personam; quatenus verò in se consideratur, & propriè sit relatio originis, & ita Scotus hic accipit productionem, cùm ait, posse illam accipi vt viam, & vt principium, & loqui ait secundùm principia D. Bonau, qui videtur supponere, quod productiones sint formæ quædam, quasi absolutæ, vt tenent illi, qui docent, omninò actionem esse formam absolutam.

Deinde *n.*41. hoc argumento (ait) efficacissimo arguit contra D.Bonauenturam, quia hæc distinctio rationis non potest constituere personas reales. Hoc autem argumentum testatur *num.*36. militare contra D.Bonauenturam, & D.Thomam.

ADVERTO primò rationis Fabri inefficaciam, 47
qui cum Scoto subscribit opinioni D.Bonau. si velit, origines esse distinctiuas inchoatiuè: relationes verò, vt formas asserat. Dicunt etiam, relationes, & origines ratione distingui, & tamen refellunt D. Bonau. eò quòd dicat, distingui relationes à personis ratione ratiocinata, idest, virtualiter, quæ distinctio satis est, vt dixi *disput.*3.*q.*1. & 3. Qua responsione ruit argumentum. Quod S.Bonau. teneat, origines esse tantùm inchoatiuas distinctionis personarum, luce clariùs est *hic*, & *dist.*27.*q.*1. vbi productionem vocat formam, intellige fluentem, *fundam.* 1. paternitatem verò habitudinem, in hypostasi fixam.

Ex quo etiam ruit argumentum D.Thomæ, Scoti, & omnium aduersantium Seraphico, quod sic adornant. Forma constitutiua, & distinctiua personarum debet esse aliquid *in facto esse*, & forma fixa; at origines non sunt quid fixum: ergo.

Respondetur enim ex D.Bonau. *loc. cit.* & *dist.*26. 48
*q.*3. origines esse principia distinctionis, quatenus nil potest esse à se ipso, & ita *in fieri*: at distinctionem *in facto esse* à relationibus haberi.

DEINDE aduerto, non rectè apponi à Scoto, & Fabro hanc doctrinam D. Bonau. pro responsione ad omnia allata argumenta, quæ solum Patrem impetunt, vrgentque, quo pacto supponatur Pater ipsi generationi, si relatione Patris constituitur, & distinguitur.

Respondet S. Doctor *dist.*27. *q.* 2. *ad* 3. (non *ad primum*, vt refert Faber *n.*32.& Scotus *quodl.*4.) primam personam constitui per primitatem innascibilitatis, quæ est prima ratio incommunicabilitatis.

Instat Faber. Ingenitum dicit meram negationem, quæ non potest esse constitutiua personæ positiuæ: spondet autem, eam infrà refutaturum.

AT eius, aliorumque refutationes contudi *dis-* 49
*put.*8.*sect.*2. *quæst.*3. Hæc sanè doctrina omnia argumenta eneruat: aliorum verò solutiones, nisi ad Seraphici asylum confugiant, discrimini exponuntur, vt ostendo.

Henricus *quodl.*9.*q.*1.& 3. respondet, relationem non actualem, sed aptitudinalem, quæ in Patre dicitur generatiuitas, esse distinctiuam primæ personæ, & eam constituere aptam ad generationem. Ita etiam Bacconius *d.*16.*q.*1.*art.*1.& 2. & alij.

Instant Scot. *loc. cit.* & Faber *n.*36. nam aptitudo non potest esse primò constitutiua, quia pendet ab aliquo priori, cuius est aptitudo. Ideò si illa entitas prior est communicabilis, erit communicabilis etiam aptitudo. Confirmatur, quia non benè per aptitudinem redditur ratio actùs, vt si quæram: cur lapis descendit? respondeas, quia habet aptitudinem, debet enim assignari entitas, in qua fundatur aptitudo: sic lapis est aptus descendere, quia est grauis.

Respondet

50 Respondet Bacconius, generatiuitatem determinari ad incommunicabilitatem, ex fundamento.

Instat Faber: ergo generatiuitas non est prima ratio incommunicabilitatis; sed primum illud fundamentum: ergo non potest constituere primò personam incommunicabilem.

MVLTI Thomistæ relati à Fabro *n*.40. respondent, paternitatem, vt est in essentia, tanquam in radice, constituere primam Personam.

Contrà arguit Faber, quia essentia, vt continet paternitatem in radice, non est forma relatiua; sed absoluta. Præterea relatio in radice non est relatio actu: at res est simpliciter talis, quatenus est actu talis.

51 Deinde arguit cum Scoto. Prima persona non constituitur in esse per entitatem minùs perfectam, quàm secunda persona; at hæc constituitur secundùm hos per relationem actu: ergo & prima persona; non autem per aptitudinalem, quæ est minùs perfecta.

Respondet Bacconius, eam solam aptitudinem, quæ duratione præcedit actum, esse imperfectam; at generatiuitas, solâ origine præcedit generationem. Faber vrget contrà, quia potentialitas ad generandum est Physica siue actu, atque adeò imperfecta.

Hi omnes ad ostium Seraphici pulsant. Dicant ergo, hanc potentialitatem esse ex innascibilitate, quæ est fontale principium omnium emanationum, & est actualis fœcunditas, quæ Patrem primò reddit incommunicabilem: hæc verò est relatiua ad Filium, & Spiritum sanctum inchoatiuè. Hanc demonstraui, *disp*.8.*sect*.2.*q*.3.

52 Miror zelum Scoti, & Fabri, vt personæ sint secundùm relationes æquè perfectæ, cùm nullam in relationibus admittant perfectionem; apud nos autem non est minus perfecta primitas Patris, quæ est fons aliarum personarum.

D.Thomas *quæst*.40.*art*.4. respondet, quod relatio constitutiua Patris, idest, paternitas potest dupliciter considerari. Primò, vt est proprietas; & sic præcedit generationem, & constituit personam Patris. Secundò, vt refertur, nec constituit Patrem.

Contra hanc distinctionem insurgit Scotus, Faber *c*.6.& alij, quia proprietas constitutiua personæ Diuinæ actu constituit, quatenùs est in re, non quatenus concipitur ab intellectu; alioqui non constituet personam realem.

53 Laborant Thomistæ, vt hanc distinctionem sartamtectam seruent.

Caietanus *ad eum articulum* dicit, relationem esse constitutiuam, vt conceptam, non vt exercitam; sic etiam Nazarius *conclus*.14.

Contrà arguunt Ferrariensis, Hieronymus Rua, Molina, Zumellus, Valentia, Rada. Primò, Ferrariensis. Nihil aliud est formam exercere actum suum, quam dare esse subiecto, cui inest in genere causæ formalis: ergo tunc relatio exercet munus suum, cùm dat subiecto esse relatiuum formaliter: ergo idem est considerare relationem, vt conceptam, & vt exercitam.

Confirmatur à Molina. De essentia relationis est referri; sic enim definitur ab Aristotele, totum esse ad aliud habere. Idem vrget Zumellus multis etiam aliis argumentis, quæ refricat Rada.

54 Vrget etiam Faber *num*.44. quia adhuc sequitur, Personam diuinam constitui per ens rationis. Hoc argumentum ait insolubile esse. Deinde, vel illud primum munus est absolutum, vel relatiuum. Si primum: ergo persona constituitur per absoluta. Si secundum: ergo habet terminum, & correlatiuum: ergo actu est exercita relatio.

PER hæc impugnat Faber etiam solutionem Ferrariensis 4. *contra Gent. cap*.26. Capreoli *d*.26.*q*.1. Nazarij, & aliorum dicentium, relationem, vt hypostasim constituere; sed non distinguere: vt autem relationem, distinguere. Eisdem argumentis refellit responsum Bañes, relationem constituere, vt est *in* personam Patris in esse subsistentiæ; quatenus verò dicit *ad* constituere in esse incommunicabili.

Esse enim *in*, & esse *ad*, sola ratione distinguuntur: ergo non possunt distingui ad assignandum constitutiuum personæ realis. Deinde, si esse *in* constituit personam: ergo per aliquid absolutum constituitur. 55

Prior tamen oppositio diluta est; nam Thomistæ debent intelligere distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ est virtualis, atque sufficiens, vt dixi.

Molina *quæst*.40. *art*.2. *disp*.2. & *quæst*.27. *art*.3. *disp*.4. ait, omnes Theologos errare, quippè ex relatione, & generatione creatâ metiuntur diuinam, vt; sicut generatio, v.g. humana supponit suppositum creatum, & paternitas supponit generationem; ita sit etiam in diuinis, vt primum suppositum Trinitatis antecedat generationem, & generatio paternitatem. Quapropter ità in absurda lapsi sunt; vt alij dicerent, personas constitui per absoluta; alij ad Metaphysicas distinctiones obscuras confugerint. Res igitur aliter se habet in diuinis. Quare essentia est radix relationum, eas virtute continens. Itaque essentia seipsam intelligit, ex quo resultat relatio.

Hæc tamen opinio videtur admittere, quod essentia generet.

MELIVS omnes dicerent cum D.Bonau. Patrem secundùm esse ingenitum, quod dicit primitatem, & fontale principium, supponi. Iam verò eum intelligendo generare Filium, & ad eum referri. 56

Sic saluatur etiam D. Thomas, vt persona primò supponatur subsistens, & relata inchoatiuè per fontalem perfectionem positiuam; vnde resultet ex generatione relatio, eo ipso exercita, vt dicebat Caietanus.

Nec officiunt argumenta aduersa: nam persona, vt sic, realiter constituitur per illam fontalem plenitudinem, quæ virtute differt à paternitate; ideò non aliquo ente rationis constituitur persona, sed per aliquid reale relatiuum inchoatiuè, vt dixi, *disp* 8.*sect*.2.*q*.3.

Vasquez *disp*.159.*cap*.5. respondet, constitutionem personarum non esse realem, sed nostro conceptu: nam constitutio realis exigit distinctionem ex natura rei inter constituentia, & constitutum; vt probaui (ait) *disp*.158. *cap*.2. Igitur respondet, nostro conceptu præintelligi Patrem, antequam generet, vt potentem generare, & sic posse concipi sub conceptu innascibilis, & fœcundi ad producendum. 57

Quòd constitutio personarum secundùm rationem sit non realis, iam confutatum est, *disp*.3.*q*.1. & satis argumentis Scoti, & D. Bonau. suprà refellitur. Quòd verò Pater, vt innascibilis, supponatur, est Seraphicum asylum, quo realis constitutio, è distinctis virtute, asseritur præsupposita.

OPPONIT verò Faber, sequi distinctionem potentialem in diuinis; persona autem est actualissima. Ideò eius constitutiuum est actuale. Deinde sequi esse constitutiuum rationis.

Y 4 Dissimulat

58 Dissimulat hic Doctor nostræ virtualis distinctionis naturam, quam satis aperui, *disp.3.q.4.* est enim actualissima virtutum, non merum ens rationis, aut potentiale.

Scotus 1.*dist.*28.*q.*5. & Faber *cap.*7. reiectis aliis, asserunt, Patrem constitui paternitate, quæ est relatio positiua ad Filium.

At quia vident, non esse adhuc solutum nodum. Si enim Pater constituitur relatione ad Filium: ergo non procedit, vt generans Verbum; nam relatiua sunt simul naturâ, & cognitione: at simul cum Filio, & per generationem constituitur: ergo non est persona, dum generat.

59 Respondent, relatiua mutua ex Aristot. *c. Ad aliquid*, esse simul, cum hoc tamen stat prioritas Patris generantis, quoad originem respectu Filij, quia producit Filium. Confirmatur ex Auicenna 6. *Metaph. cap.*2. vbi ait: *Causam, quatenus causam, esse naturâ priorem causato, in quantum causatum.* Sicut ergo correlatio causæ ad causatum non impedit causæ prioritatem, quæ est prioritas naturæ; multò minùs prioritas originis, quæ est minor prioritate naturæ, coëxistentiæ relatiuorum repugnabit. Igitur prima persona constituitur in esse per relationem, quæ coëxistit quidem correlatiuo Filio; cum hoc tamen stat, vt sit prior origine.

60 Vt autem hoc elucidet Scotus; quærit quomodo Diuina essentia constituatur ad primam subsistentiam: Respondet, quod diuina essentia ex se est in prima Persona. Dat exemplum de causis illimitatis: sicut enim Sol illuminat mundum, & priùs viciniorem partem, ad quam illuminandam seipso determinatur: & anima viuificat totum corpus adæquatè; tamen primò cor; vnde ad illud viuificandum seipsâ determinatur: sic ergo essentia Diuina, quia est illuminata ad essendum in tribus personis ordine quodam; ideò aliqua subsistentia, siue persona est prima primitate immediationis; & hæc est prima persona, quæ est prima, quia ordine originis primò inest illi personæ, quàm aliis.

61 Quod si quis hoc neget, & dicat, essentiam Diuinam determinari ad primam subsistentiam per primam relationem.

Respondet, redire quæstionem: Per quid essentia determinetur ad illam primam proprietatem: siue, quomodo pullulet in essentia illa prima relatio?

Hinc respondet ad argumentum principale, primam personam præintelligi origine ante secundam, tamen cum hoc esse simul, more relatiuorum. Itaque Pater constituitur paternitate, quæ Filio præintelligitur; & tamen simul cum illo est.

62 Cum arguis: primum suppositum præcedit generationem, quia suppositi est agere: ergo præcedit etiam secundum suppositum.

Respondet Scotus, quod primum suppositum præcedit generationem passiuam, non actiuam; sed ea ex se est formaliter subsistens, quia generatio actiua, & paternitas in re sunt idem.

Quod si dicas. Paternitas insurgit per generare: ergo paternitas est posterior generatione.

63 Respondet, paternitatem insurgere per generare, non tanquam terminum, sed tanquam principium generationis, & tunc non sequitur, quod paternitas sit posterior generatione; sed solùm, quòd paternitas est prior origine generatione: & quod constituit priùs suppositum generans, in esse suppositi: Deinde habet generare; & sic generatio est in secundo signo, licèt paternitas insurgat per generare, quia insurgit per generare, non tanquam terminus, & passiuè; sed tanquam principium, & actiuè; sicut calefaciens, vt calefaciens, est calefaciens per calefactionem; & tamen est prior origine ipsa calefactione. Potest etiam dici, quod generare, seu generatio dupliciter accipi potest. Primò pro re acta. Secundò pro relatione sola agendi. Generare pro re acta est posterius supposito agente, non autem generare pro relatione: & hæc est deceptio, quæ est in argumento, & semper facit difficultatem.

Ad probationem, quod suppositum debeat præcedere generationem actiuam; quia suppositi est agere: ergo præintelligitur suppositum ante generationem. 64

Respondet Scotus *in quodl. q.*4. actionem esse suppositi existentis in esse hypostatico; per ipsam actionem generandi, quæ est prima entitas incommunicabilis, quia prima Persona habet esse hypostaticum ipsa actione generationis; non autem actionem esse suppositi, iam præexistentis ipsi actioni: & si arguas. Omne agere supponit esse: ergo agere non potest esse prima ratio subsistendi.

Respondet, verum esse in creaturis, in quibus suppositum est absolutum; at in diuinis relatiuum est. Vnde agere in diuinis supponit esse absolutum; non autem hypostaticum.

Si instes. Agere in diuinis supponit illud esse, quod est potens agere; sed illud est suppositum, non essentia, quia essentia non generat: ergo. 65

Respondet, quod posse agere non supponitur à parte rei; sed agens, & potens agere sunt idem, quia agens est primò potens agere; præsupponit autem principium, *Quo*; non autem principium, *Quod*, potens agere. Igitur agere in diuinis præsupponit esse simul existens, non autem præexistens, hoc enim tantùm præsupponitur in creaturis.

Tandem ait Scotus, hæc omnia patere nobis, si concipiamus hoc, quòd inter Patrem, & Filium est vnica habitudo, siue relatio realis originis, quæ est productio actiua, & relatio producentis ad productum, quæ sunt idem; relatio autem originis non præsupponit suppositum, cui inest; sed simul sunt quoad esse relatiuum. Ideò non est arduum intelligere, relationem paternitatis, & generationem non præsupponere suppositum; sed illud constituere. Præsupponit sanè relatio essentiam, qua innititur, & memoriam fœcundam, vt principium, *quo*, si consideretur hæc relatio, vt est actio; quia omnis actio supponit principium, *quo*, agendi; actio autem, vt est pura relatio; sicut est in diuinis, non præsupponit suppositum; sed illud constituit in esse, & facit esse relatiuum. 66

Ad exactam autem constitutionem primæ Personæ notat Faber *num.*61. è Scoto *q.*4. *quodl. art.*3. quòd in Patre est vnica relatio originis, non plures secundùm rem; sed secundùm nostrum modum intelligendi. Hoc ferè habet etiam Valentia, *disput.*2. *quæst.*14.*puncto* 3. 67

Hæc Scoti, & asseclarum doctrina multa continet falsa, nec soluit argumenta. Profectò eam vidit cum illis effugiis S. Doct. *dist.*27. *q.*2. & vt ineptam refellit.

At vt à primis exordiar dictis; Patrem relatiuum esse simul cum Filio, & tamen priorem origine, in creatis esto verum sit, quia Pater per absolutum generat: & ideò supponitur; at verò Pater relatiuus implicat, quod sit prior sub eadem ratione relatiui.

relatiui. P[illegible] h[illegible], v[illegible] P[illegible] re[illegible] non gignere, oporteret, cum per generationem acquirere esse generantis. Ergo non nisi peracta generatione, est actus generan[illegible], vt arguit S. Doctor *ad secundum*, & cum paternitas insit Patri per actum generationis, nullo modo generationem præcedit; sed ad summum cum ea inest. Quomodo ergo generat, si nondum est persona?

68 Qvod enim personam primam è radice essentia germinet, sicut sol illuminat partem viciniorem, & anima primo viuificat cor, non est ad rem, vt soluat argumenta: nam hæc persona est Pater. Ergo [illegible] ab essentia, [illegible] non enim aliam proprietatem constitutiuam habet, secundùm ad[illegible] igitur Pater, non quia generet, sed quia est ab essentia. Sum[illegible] Patrem in [illegible] signo prio[illegible] secundum Scotistas, in quo [illegible] ab essentia, (non enim entia rationis sunt hic [illegible], vt ipsi [illegible]) [illegible] est [illegible] ante generationem: ergo per absolutum, sed hoc est paternitas. Ergo hæc est absolutum quid.

Id autem, quod affert ex Auicenna, non est ad rem, sed potius est contra eum: nam causa ideò est prior in quantum causa, quia iam actu existens causat effectum, & ideò præsupponitur iam existens per suum esse, neque tamen adhuc refertur, quia nondum est effectus; at verò Pater, dum generat, non supponitur existere, cum per generationem acquirat esse Patris. Quod si prius est in ratione principii: ergo non constituitur per paternitatem, sed vel per innascibilitatem, vel per absoluta, cum suppositi sit agere; & vnumquodque agat, in quantum est actu: Vel dicendum etiam erit, e[illegible] [illegible]: ergo primum suppositum præcedit generationem.

69 Responsio verò Scoti, quod primum suppositum supponit generationem passiuam, non verò actiuam, friuola est, vt arguit S. Doctor *in fundamento 2.* [illegible] *in cor. vtr.* nam [illegible] prius est generari, quam esse filium [illegible] & prius est generare, quàm esse Patrem, sicut enim se habet generatio passiua ad filiationem; ita actiua ad paternitatem; sed generatio passiua præcedit filiationem: ergo & actiua paternitatem.

Probatur paritas a Seraphico: nam, quod est ratio essendi alicuius, est prius eo; sed generatio actiua est ratio essendi Patri: & passiua essendi Filio. Ergo sicut generatio passiua supponitur Filio, qui est terminus in *facto esse*, ita & actiua Patri. Ideò non fiat, quod ideo sit Pater, quia Filius generetur: nam Filius habet, vt prior sit per generationem. Igitur generatio præcedit filiationem, & relatiua sunt simul natura, & intelligibilitate. Ergo generatio est ratio essendi paternitatis; ac proinde hanc præcedit.

70 Qvod verò paternitas insurgit per generationem, non vt terminus; sed vt principium, redolet paradoxum. Vbinam terrarum, aut in cœlis inuenitur aliquid insurgere, & habere esse ex aliquo, vt principium eiusdem a quo habet esse? Principium sanè antecedens est.

Sequi verò solùm, quod paternitas sit prior origine, quam generatio, implicat, vt probat S. Bonauent. nam si priùs origine est Pater, quam generet: ergo illa paternitas in illo priori originis est absoluta, cùm adhuc nullum correlatiuum respiciat. Hoc autem est contra Concilia, & Scripturas, vt vidimus. Addo, contra rationem: nam Pater est relatiuum nomen, vt docent Sancti Patres, & Concilia suprà.

Exemplum verò, quod calefaciens est prius calefactione, cùm tamen sit calefaciens per ipsam calefactionem, non est ad rem: nam calefaciens dicit subsistens, quod est prius, & [illegible] calefaciens per ipsam calefactionem efficienter, non respectu sui, sed respectu calefacti, non etiam calefactio dat esse efficienti; at Pater debet constitui formaliter in esse ipsâ paternitate, & generatione, alioqui idem gigneret seipsum, quod est absurdissimum apud omnes Philosophos, apud Theologos, & Patres, præcipue apud D. August. 1. *de Trin. cap.* 1. & apud Concil. Later. *cap. Firmiter*, pessime olens, vt dixi, *disp.* 11. *q.* 5. 71

Quod autem subdit Faber, generare, pro re acta sumptum, esse posterius supposito, non autem si sumatur pro relatione sola agendi, & in hoc nos impingere, vanum est: nam, vel sumit pro re acta ipsum genitum, vel ipsam generationem formaliter. Si sumatur pro Filio genito, iam elusa est responsio: nam si genitus est post generationem, etiam generans est ante eam, vt principium eius: si verò sumitur pro formali generationis; vellem scire, in quo distinguitur generatio, vt est actio, & vt est relatio: nam secundùm Scotum, actio est relatio extrinsecus adueniens sine supposito fundamento. Igitur sumatur generatio, vt est actio, nonne debet esse ab aliquo, tanquam à principio? Ergo tanquam a priori subsistente: nam actiones sunt suppositorum, vel saltem existentium. 72

Qvòd verò actio, vt aiunt, supponat principium, *Quo*, non principium, *Quod*; ridiculum est: nam principium *Quo*, in suo conceptu includit principium *Quod*, in bono enim idiomate principium *Quo* est id, quo principium *Quod* operatur; & ita relatiua sunt, atque adeò simul naturà, & cognitione ipsa; sed per te principium *Quo* supponitur actioni: ergo & principium *Quod*. 73

Quòd actio sit subsistentis, non ante actionem, sed per ipsam actionem, paradoxum olet: nam cùm suppositum sit principium actionis, quomodo per ipsam actionem, quæ est effectus, acquirit esse? Profectò agere sequitur ad esse, saltem naturà, vel origine: ex quibus ruit etiam Caspensis *n.* 19. dicens, id verum esse de supposito agente per veram actionem; sane hæc est actio vera ex Caspensi *disp.* 8. *n.* 101.

Qvòd verò ait Scotus, relationem originis non supponere suppositum; sed illud constituere, nec aliter posse esse, quia in Patre est vnica habitudo, siue relatio realis originis, & hæc non præsupponit suppositum; sed illud constituit, iam refutatum est. Quòd enim sit vnica habitudo Patris ad Filium, non facit, vt relatio originis constituat suppositum in esse principii illiusmet originis, cuius est ipsa principium, hoc enim est imperceptibile; sed solùm obtinet, Paternitatem non esse aliam numero distinctam relationem à primitate, qua constituitur in esse principii.

Pluribus hanc sententiam non insector, satis enim collisa est.

Arguit tertiò Scotus ex propria ratione constitutiui. Id, quod est constitutiuum, est incommunicabile; sed paternitas non est incommunicabilis, est enim quædam quidditas relatiua. Omnis autem quidditas est communicabilis: ergo. 74

Respondet S. Bonau. *dist.* 27. *q.* 1. §. *Ampliùs*, & *dist.* 28. *q.* 3. Paternitatem de generali significatione, esse communicabilem, vt constat in creaturis, in quibus Pater dat Filio, vt fiat Pater aliorum, in diuinis autem esse incommunicabilem ex innascibilitate,

Seraphici ad loca citanda. Caietanus *quæst.40.art.1.* Canar. *loc. cit.* Valentia *disp. 2. quæst.14. puncto 2.* Nazarius *quæst.40. art.4. controu. vnica.*

3 Faber Fauentinus *disp. 23. cap. 3.* negat, Scotum hanc opinionem probabilem censêre, aut eam Seraphico adscribere: & quidem quoad primum ait, hanc opinionem repugnare scripturis, neque videri stare cum fide, & authoritates multas adducit ex Ecclesiæ sanctionibus, & scripturâ, quæ tamen addit, non cogere, & solui posse, eaque soluit. Quoad alterum verò ait, Scotum ibi solùm adducere Seraphici distinctionem de substantia communi, & de substantia, vt est hypostasis, quam primus S. Bonau. (ait Faber) inuexit: & quidem S. Bonau. passim, vt *dist.7. dub.3. litt.* distinguit, esse *aliquid* primò, vt commune ad essentiam, & personam, & explicatur pronomine *Quid*: Secundò pro persona, & dicitur. *Quis*; & primo sensu Pater est *aliquid*; non in secundo, vt docet etiam Magister ibi, sed *ad aliquid*: nam personæ sunt relatiuæ.

Addit verò Faber, quod Scotus accommodat distinctionem D. Bonauenturæ opinioni Ripæ.

4 Ab hoc errore Scotum vindicare conantur alij discipuli, præsertim Ioannes Rada *controu. 23.* vbi opinionem temeritatis, & erroris incusat, non tamen hæreticam ait, & respondet auctoritatibus, quæ contra eam afferuntur, vt ab hæresi liberet.

Verum enim verò, cum Scotus distinctionem D. Bonauenturæ applicet opinioni Ripæ, eamque probare conetur, atque auctoritates, rationesque contra illam soluere nitatur: profectò eam censet probabilem, pro qua & Licherus allegat Seraphicum.

Duas autem partes continet opinio Ripæ: altera est, distinctiuas proprietates esse absolutas: & hic est error in fide, vt notant Vasq. *loc. cit.* Molina ad hunc articulum *disp. 2.* Bañes *ibidem.* Altera est, quod proprietates constitutiuæ sint absolutæ: & eodem modo fœtet, vt notant Molina, & Bañes, tametsi Vasquez non eodem modo eam damnet.

An verò Scotus primus asseruerit opinionem Ripæ à fide dissonam; iudicio legentium D. Bonauenturam, & D. Thomam relinquo?

5 Quod verò Seraphicus primus excogitauerit distinctionem illam substantiæ in communem, & subsistentiam, siue hypostasim, vt dicebat Faber, nocte obscurius est, cùm hæc distinctio fuerit olim à Patribus examinata, vt vidimus *disputat. 4. quæst. 2.*

Secunda sententia, è concedentibus distinctiua, & constitutiua diuinarum Personarum, est dicentium, hypostases constitui originibus: personas autem relationibus. Eam refert, atque refellit D. Thom. tanquam absurdam.

Tertia sententia est, personas constitui, & distingui originibus, v.g. Patrem generatione; non Paternitate: eam refellit S. Thomas. Adscribitur autem D. Bonauenturæ *dist. 26. quæst. 2.* & *dist. 27. q. 7.* à Scoto *dist. 26. quæst. 1.* & *dist. 28. q. 3.* Fabro *cap. 4.* Ruitz *disp. 89.* Arriaga *disp. 51. sect. 3.* Suarez *lib. 7. cap. 6. num. 4.* Nazario suprà, Tannero *disp. 4. quæst. 3. dub. 6.* Morando *quæst. 32.* Marco Baudunio *quæst. 40.* Caspensi *disp. 4. sect. 2.* sed falsò, vt agnouêre Valentia *loc. cit.* Vasquez *cap. 4.* Coriolanus *q. 40. art. 3.* Forestus *fol. 306.* & ipse Baudunius sic tandem exponit Seraphicum. Alios citant Amicus *disp. 22. sect. 3.* Auersa *q. 27. sect. 10.*

6 Quarta sententia est, Personas diuinas constitui, & distingui relationibus personalibus. Ita D. Thom. *hic*, *quæst. 40. art. 2. & 3.* vbi Caietanus, Torres, Nazarius, aliique Thomistæ suprà citati: Albertus *1. d. 27. art. 2.* Alensis *1. p. quæst. 65. memb. 3. & 4.* Gandauensis *quodl. 5. quæst. 8.* & in summa *art. 5. & 6. quæst. 4.* Scotus *d. 28. quæst. 3.* cum discipulis: Richardus *distinct. 26. art. 4. quæst. 1.* Ægid. *dist. 26. art. 1. quæst. 2.* Heruæus *quæst. vn. art. 3.* Durandus *quæst. 1.* Gabriel. *quæst. 1.* Capreolus *quæst. 1. art. 1.* Marsil. *1. quæst. 29. art. 1. dub. 1. & 2.* Ferrar. *4. contra Gent. cap. 26.* Suarez *lib. 7. cap. 7.* Vasquez *disput. 159. cap. 5.* Albertinus *tom. 2. pred. ad aliquid, corol. seu quæst. 10. dub. 2.* Tanner. *disput. 4. quæst. 3. dub. 6.* Ruitz *disputat. 87. sect. 1.* Caspensis *disputat. 4. sect. 2.* Amicus *disput. 20.* Morandus *loc. cit.* adducens Arrubalem, Alarconem, Arriagam, imò & Scotum *quæst. 3.* Quoniam verò S. Thomas 7 *art. 4.* distinguit relationem primò, vt dicit proprietatem personalem: secundò, vt dicit relationem: & priori modo dicit constituere personas; posteriori autem referre tantùm, quam distinctionem impugnat Durandus *1. distinct. 26. quæst. 1.* Scotus *distinct. 28. quæst. vlt.* & alij: è regione autem propugnant Caietanus, & Torres *quæst. 40. art. 2. & 4.* Capreol. *d. 26. quæst. 1.* Ferrar. *4. cont. Gent. cap. 26.* quibus consentit Marsil. *1. distinct. 29. art. 1. dub. 1.* Ideò hæc opinio dissecta, & difficilior emergit, vt notant Zumellus *loc. cit.* & Molina *quæst. 40. art. 2. d. 2. memb. 2.* In varia enim placita abiens tricas offendit, & scopulos; vt videre est in Nazario laxè omnia referente.

Capreolus enim, & Ferrara docent, personas constitui relationibus; sed non vt relationes sunt; sed vt sunt formæ hypostaticæ: distingui verò relationibus, vt relationes sunt. Idem sentit Syluester; & Iauellus apud Nazarium dicit esse rationabiliorem.

8 Caietanus dicit, relationem constituere personam sub ratione formali relationis, seu, vt est forma relatiui; sed non secundùm actum exercitum referendi, quamuis hoc modo distinguat personas. Idem videntur docere Torres *quæst. 40. art. 2. & 4.* Albertinus *loc. cit.* Marcus Baudunius, Nazarius §. *Relatio vna, & eadem* (vt ait Caietanus) dupliciter significatur vno modo, vt concepta; alio modo, vt exercita, &c. Eundem sequitur Rua apud ipsum: eundem sensum (ait) esse eorum recentiorum, qui relationibus attribuunt constituere personas ratione esse *in* distinguere verò, vt sunt *ad*: Allegat pro hac etiam Radam, Canar. Bannem, Valentiam; atque huc trahit etiam Suarez, & Zumellum, Ferrar. & Capreolum. Addit Vasquium, idem indicasse, dum ait: Personam Patris apprehendi, priusquam gignat, constitutam ex essentia, & proprietate innascibilis fœcundi, quam S. Bonau. fontalem plenitudinem vocat. Ideo pro hac staret S. Doct.

Vera Seraphici sententia est, Personas diuinas 9 constitui, & distingui relationibus, vt ex originibus sunt; *d. 26. q. 3.* vt videre Vasq. *dist. 158. n. 15.* Macedo *collat. 7. diff. 4.* dicens ita à Scoto adduci, non vt adscribit ei Caietanus. Fallitur Macedo dicens, conuenire D. Bonauent. cum Ripa ex parte, quia ponit aliquid etiam absolutum, nempè origines distinguere. Sed si origines sunt absolutæ, iam dic communes: sunt autem hæ initiatæ relationes, vt vidit Macedo: at vt ingenuè loquar. Vidit Scotum, & Licherum malè citantes, quos voluit iustificare non iustè. Cum Seraphico stant D. Thom. *q. 40. art. 2.* Durand. *1. d. 26. q. 1. n. 12.* Ægid. *art. 2. q. 2.* apud Valentiam cui subscribit Arriaga *d. 61. sect. 3.* Forest. *fol. 306.* Coriolan. *loc. cit.* Molina *q. 40. art. 2. d. 2. memb. 4.*

Fuliensis

Iuliensis *l.2.c.3.* Adducit Vasq. *c.5.* D. Thomam dicentem, origines, non vt formam, sed vt viam spectare ad distinctionem; censet verò relationes complere. En Seraphici sententia. Videamus & Scotistas pudore suffusos ad ostium: Macedo, *sect.2.* viam tuendi Ripam tradit, aliqua absoluta certo modo notionalia esse, vt virtus spirandi; vel intellectus, & voluntas, vt sunt principia proxima emanationum: hæc antecedunt ipsas origines, nedum relationes, & sunt absoluta, & sunt principia distinctiua inadæquate. Ita Pater virtute generatiua intellectus fœcundi incipit distingui ab aliis personis; propiùs originem deriuando, formaliter verò relationibus distinguitur. Ita Scotum sentire ostendi, & argumenta sic euadere satagit contra distinctionem per absoluta.

At quis non videt virtutem intellectus, quæ est proximum generandi principium, referri initiatiuè ad Filium magis originis deriuatione, quam relatione formaliter? vt ostendi *d. 2. quæst.2. & seq.* & *d.8. sect.2. q.2. &* 3. sed Seraph nostrum orate, vt desuper illuminet.

9 Svppono ex D. Bonau. hîc non quæri aliquod principium constitutiuum, & distinctiuum personarum ex natura rei distinctum, quale ponit Scotus componens, tribuendo vltimum perfectionis personæ, quæ per illud sit incommunicabilis, & distincta ab aliis, sicuti in persona creata: est enim diuina Persona simplicissima: etiam verò cum res illa diuina, puta persona Patris, habeat essentiam absolutam, innascibilitatem, & generationem actiuam, & relationem paternitatis, quæ omnia inter se vir-
10 tualiter distinguuntur. Ideò quærimus, vtrum illa res sit distincta, & incommunicabilis, vt est essentia, vel vt est innascibilitas, vel vt est generatio, vel vt relatio; cùm enim hæc virtualiter distinguantur, & hoc sufficiat ad negandum de vna ratione, quod de alia asseritur, non frustra inquirimus, secundùm quam sit persona incommunicabilis, & distincta. Neque verò realem constitutionem elidunt Scotistæ, eò quòd nos solam virtualem distinctionem concedimus: hæc enim distinctio sufficit, vt essentia communicetur; personâ incommunicatâ manente, vt aduertit Arriaga. Ideò miror Caietanum, qui hæc nouerat, lapsum cum præposito quoad alteram partem constitutionis. Non adeo miror Vasquium, qui solam distinctionem nostri conceptus imperfectam admittit, ex quo videtur constituere Trinitatem entis rationis, vt vidit Fauentin. *d.38. sub n.15.* At posita distinctione virtuali non est, cur mireris in hac disputatione *num.3.* aliquos negare constitutiuum reale distinctum, sufficit enim virtute distingui.

11 Addit Valentia, D. Bonau. dum constituit relationes ex originibus constitutiuas, & distinctiuas, non negare etiam relationes esse constitutiuas, & distinctiuas personarum. Ideo in fine corporis concludit S. Doctor. Quoniam igitur proprietas diuina secundum communem vsum loquendi importat habitudinem, & originem; ideo tenendum, quod proprietates non solùm sunt ratio innotescendi distinctionem, sed etiam distinguendi. Itaque vult illam inchoatiuè ex originibus: compleri verò ex relationibus haberi. Hoc ipsum sensit magnus ille Bessarion *in oratione pro vnione*, ad Concilium Florentiæ recitata *cap. 6.* vbi sic eloquitur: *Et quia in quibuscumque pluribus, in quibus est aliquid commune; est etiam aliquid distinctiuum, in hac etiam diuinarum Personarum Trinitate, quæ sibi in vnitate essentiæ conueniunt, quærendum est illud, quod eas distinguit, & cum id non sit essentia (in hac enim summè conueniunt) in diuinis autem præter essentiam, & relationes, atque diuersum processuum modum, quem Latini originem nominant, nil* 12
aliud intelligere sit; relinquitur, vt vel origo, vel relatio, vel vtrumque diuinas Personas distinguat. Cùm verò relatio, & origo, etsi secundùm modum intelligendi differant (si quidem origo significatur per modum actus, vt generatio, relatio verò per modum formæ, vt paternitas) re tamen non differunt; ideò vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ Personæ, prius tamen, & principaliter secundùm modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur diuinæ Personæ; consequenter autem per diuersum processuum modum, siue per originem. Non enim generare, & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam; sed paternitas, & filiatio; siue Patrem, & Filium esse, quod relationis est; sed quia relatio, & origo idem sunt re; & relatio consequitur originem, ideo vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ Personæ, sed principaliùs relatione, siue proprietatibus. En sententia D. Bonauenturæ ad litteram. Eum verò in doctrinis secuti sunt PP. Concilij Florentini, quippe S. Doctor in Lugdunensi Græcos iam optimè conuicerat, qui rursus ad quæstiones reuersi fuerant.

Igitur ordine naturæ ex originibus magis, seu 13
primò inchoatiuè; licet ordine dignitatis, seu principaliùs à relationibus habetur distinctio.

Assero primò, dari in diuinis proprietates constitutiuas, & distinctiuas diuinarum Personarum. Hoc probatum est latè, *disputatione 3. quæstione prima.*

Probatvr adhuc à Seraphico *distinct. 27. prima parte, quæstione 4. in corpore*, & *dist. 33. quæst. secunda, fundamento primo*, addita explicatione corporis quæstionis, in qua tradit doctrinam Ecclesiæ, quæ in Præfatione Missæ de Sanctissima Trinitate canit, *vt in essentia vnitas: & in personis adoretur proprietas.* Et in Concil. Later. *cap. Firmiter*, vbi dicitur: *Hæc sancta Trinitas secundùm communem essentiam vna: secundum personalem proprietatem discreta.*

Secvndò in hac quæstione in corpore affert ea, 14
quæ habentur à Sophronio in epistola recepta à sexta Synodo, *Act. 11.* longè à principio, vbi ait: *Hoc quidem propter naturam, & identitatem: illud verò propter alterificas trium proprietates, propter quas dissimilitudinem proprietatum, quæ inconfusè vnamquamque figurant personam.* Est autem idem, quod ait D. Bonauent. Nullo cogitante intellectu Patrem referri alio modo ad Filium per paternitatem; alio modò per spirationem ad Spiritum sanctum. Similiter Filium dissimili ratione per filiationem referri ad Patrem, & ad Spiritum sanctum per spirationem actiuam, atque adeo dari debere proprietates distinctas constitutiuas varias singularum personarum, alioqui omnia essent communia, vel si non darentur plures proprietates virtutibus distinctæ; vna persona vno modo tantùm referretur.

Respondet Gregorius primò, sensum Ecclesiæ 15
esse improprium, vel explicandum in sensu intransitiuo hoc modo: adorantur proprietates in personis, hoc est, quæ sunt ipsæ personæ.

Contrà primò est, quòd Ecclesia in dogmaticis loquitur, vt decet, ad veritatem fidei; alioqui nunquam aliquid certum haberemus.

Quòd neque eo sensu exponenda sint verba; ar-

guo, quia si personæ figurantur proprietatibus, & signantur: ergo ipsis distinguuntur. ergo dantur proprietates, alioqui sensus esset figurari personas à personis.

16 PROBATVR secundò à Seraphico *in corpore, q.1.* ratione mox dicta. In vna persona sunt plures proprietates, quæ se inuicem distinguuntur absque intellectus operatione, vt in Patre est Innascibilitas, & Generatio actiua; & spiratio actiua, quæ secundùm D. Augustinum 5. *de Trin.c.6.* sunt distinctæ; ideo ait, quòd: *Si Pater non generaret, adhuc esset ingenitus.* Similiter Pater non distinguitur à Filio per spirationem actiuam, quæ est eadem etiam in Filio: ergo Pater non distinguitur seipso à toto Filio, sed aliqua proprietate, quæ est in Patre, & non in Filio. Hoc argumento vtitur Scotus *loco citato.* Confirmatur, quia Pater communicat Filio omnia, præter esse Patrem; *ex Concilio Florentino in literis vnionis*: ergo hæc est propria primæ Personæ. Ità arguit Arriaga.

17 Respondet Gregorius, dari has proprietates Patris in sensu intransitiuo, sicut dicitur, essentia Dei. Sensus enim est. Essentia Dei, quæ est Deus, sic sunt proprietates in persona, quæ sunt ipsa persona; non autem sensu transitiuo, eo modo, quo dico *equus Papæ.* Ad locum D. Augustini respondet, non inferri; si Pater non generaret adhuc esset innascibilis: ergo paternitas non est innascibilitas, sicuti non valeret; si Deus non esset Dominus, adhuc esset Deus: ergo Deus, & Dominus distinguuntur.

VERVM sic facit relationes Trinitatis ad modum relationis dominij, quæ est rationis, & ita cùm in diuinis omnia sint vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, erit Sanctissima Trinitas ens rationis, quod est hæreticum: nam realiter differunt per aliquid, & per aliud conueniunt: ergo debet dari constitutiuum transitiuè. Ità redarguit Faber, *n.7.* ex D. Bonau. *in corpore, 1. quæst.* Annuit Morandus, *num.632.*

18 ASSERO secundò, personas Diuinas non constitui, vel distingui per absoluta; sed per relatiua.

PROBATVR primò à D. Bonau. *in fundamentis, & in corpore.* Hoc verò constat primò è Scripturis, quæ, tradentes veritatem Sanctissimæ Trinitatis, explicant personas nominibus relatiuis. Matth. vltim. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Idem habetur 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Idem habent Concilia; Nicænum, Constantinopolitanum, & alia in Symbolo, quod ex Apostolis, quoad hoc, accepêre. Item in Symbolo Athanasij. Sic Concil. Later. sub Innocentio III. *cap. Firmiter,* Florentinum sub Eugenio, vbi definitur, Trinitatem esse discretam per proprietates personales. Præclare autem Ioannes Theologus in Florentino *sess.* 19. nomine totius Latinæ Ecclesiæ eloquitur. *Ita vt in nullo alio differant, nisi quia Pater est Pater; & Filius est Filius, &c.* Et in fine sess. ait: *Hypostases, (seu Personas diuinas) ex essentia, & proprietate constare, ita vt persona nihil aliud sit, quam substantia, & proprietas.* Mox verò proprietates relatiuas astruit: *Quæ quidem substantia, & proprietas, licèt vnum reipsa sint, & personas proprietates re inter se differant, quandoquidem ad aliquid sunt; ipsas tamen secundùm substantiam Deum vnum fatemur.*

19 CLARIVS *sess.* 18. idem Ioannes ait: *Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem, secundùm autem modum nostræ intellectionis differre videntur: nam persona ex substantia, proprietatibusque consistit, &c. Proprietates verò nequaquam communicabiles sunt; quod quidem ex relationis vi creditur euenire, quemadmodum etiam Doctores vestri, præsertim Sanctus Gregorius Theologus in Epiphaniæ sermone tenet.*

Et infrà declarans, quæ sit proprietas: *Propterea Doctores inquiunt, nil, nisi principij habitudo est, in qua quidem hæc duo considerantur,* à quo aliquid: *&* ad quod aliquid. *Ob idque Pater, & Filius sunt, quod Pater principium est; Filius autem ex principio, in quo quidem nequaquam communicant, cum cæteris in rebus inter se dubio procul communicent, &c. Si quidem igitur diuina omnia, proprietatibus personarum exceptis, inter se communicabilia sunt, &c.* Et tandem concludit: 20 *Sola namque relatio, quam principalem habitudinem superius nominauimus, apud omnes tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat: cui etiam duo illa,* à quo, *&* ad quod, *de quibus est supra dictum, conueniunt. Siquidem igitur relationes huiusmodi personas multiplicant, ita vt nulla alia ratione, quam vi relationis Pater a Filio, ac vna persona ab alia differant.* Hæc sanè verba clara sunt, magnamque obtinent auctoritatem, à toto quippe Concilio tacitè accepta. Hinc etiam Concilium Toletanum vndecimum: *Ergo hoc solum numerum insinuat, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt.* Hæc verba sumpta sunt è D. Augustino *lib.5. de Trinitate, cap. 2. & lib.5. cap. 8.* cuius testimonium vrget S. Bonauent. *quæst.3. fundamento 3.* Addit Boëtium *lib. de Trinit. versus finem, cap.10. Substantia continet vnitatem: relatio multiplicat Trinitatem.* Et Richardum de Sancto Vict. *lib.4. cap.13. & 15.* vbi ait: *Persona distinguitur proprietate originis.* Quæstione verò secunda affert Damascenum lib.1. de fide, cap.11. *Vnum quippe Deum cognoscimus, in solis autem proprietatibus, nimirum paternitatis, filiationis, & processionis, atque quantum ad causam* (originem intelligit, vt obseruat Tannerus) *& ea, quæ ad causam proficiscuntur, ac personæ perfectionem, hoc est existendi modum, discrimen aduertimus.* Addit Hilarium 12. de Trinit. 21 *Proprium est Deo nato, esse Filium.* Addit *quæst.1.* S. Hieronymum *in expositione Symboli ad Damasum*, vbi ait: *Non tantum nomina; sed & nominum proprietates confitemur, quibus tres personæ distinguuntur.* Tandem Anselmus lib. de processione Spiritus sancti, cap.1. ait: *Hæc sola causa pluralitatis est in Deo; vt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dici non possint de se inuicem; sed alij sint ad inuicem, quia prædictis duobus modis (idest generatione, & processione) est Deus de Deo; quod totum dici potest relatio.* Quare in sola relatione apud Patres saluatur Trinitas personarum, quorum doctrinam Ecclesia canonizauit, vt patet *in Canone, dist.15. Sancta Romana.*

Respondent Scotus *loc. cit.* Faber *num.16.* neque 22 Scripturas, neque Ecclesiam vnquam declarasse, in sola relatione distinctionem inueniri, aut absolutum, prout dicit proprietates non facere distinctionem; tametsi absolutum, vt dicit essentiam non distinguat. Ad summum verò ostendi, hanc sententiam contra communem Doctorum sensum esse. Addit, Scripturas, forsan per relatiua explicasse

Personas

Personas diuinas, quia notiores sunt: aliqua verò Concilia dixisse, personas distingui proprietatibus personalibus, non decidendo; an sint absolutæ: vt Lateranense.

P. Macedo præsertim alia his addit, nominibus etiam absolutis personas vocari. Ita Prou. 30. *Quod nomen eius, & quod nomen Fily eius?* Quærit nomen absolutum: & Apoc. 19. *nomen eius nemo nouit nisi ipse*, idest absolutum; quale esset Verbum Dei, quæ sæpè nominatur absolutè; non autem toties dicitur Verbum Patris. Sic Spiritus sanctus dicitur *Amor, Donum.* Sic notat & D. Bonau. *d. 18. quæst. 2. & 4.* in eo autem relatio non apparet, vt ait D. Aug. *5. de Trin. cap. 11.*

Miror Herois hæc ore promi, nam Verbum Dei notionale Patris dicit relatiuum; vt fatetur cum Aug. vbique Macedo *Schola 1. cap. 1.* sic & nomina alia eius propria, & quæ Spiritus sancti, vt ostendam *d. 10. passim*, relatiua sunt: esto non appareat hoc clarè: ideò in relationibus distinctionem astruunt Concilia, & Patres, non in absolutis, seu ad se, excludendo substantiam. Quod enim ait Macedo intelligi substantiam, vt prior est virtute fœcunda, leuius est, nam hæc est relatiua, vt dixi *n. 9.* & solùm initium distinctionis; vt ipse fatetur: perfectius verò originibus, nec tamen vel hæ sunt satis: sed complectur distinctio relationibus, vt docent Patres & Concilia suprà, ac monet Tanner. *num. 19.* rectè igitur Faber hoc Epiphonemate claudit: *Subiicio me determinationi Sanctæ Ecclesiæ*: nam etiam Lateranense, quod Faber recipit, proprietates esse relatiuas iam dixerat: *Tres quidem personæ, sed vna substantia simplex omnino. Pater à nullo, Filius autem à solo Patre; ac Spiritus sanctus ab vtroque pariter. Pater generans: Filius nascens: & Spiritus sanctus procedens.* Id aduertit Suarez *n. 7.*

Respondent secundò Scotus, & Lichetus, distinctionem astrui originibus initiatiuè; relationibus verò à posteriori, tanquam à signis.

23 Mirum sanè, Patres, & Concilia nunquam loqui formaliter attribuendo absolutis distinctionem, vti attribuendam clamat Scotus, vt aduertit Tannerus.

Probatur secundò à Seraphico *fundamento 2. limo, & corpore.* Id, quod in diuinis est communicabile tribus, est commune; & ideò non est distinctiuum personarum: sed solæ relationes sunt incommunicabiles; absoluta verò communicabilia: ergo. Maior probatur à S. Doct. nam proprium est, quod vni conuenit: ergo est incommunicabile. Minor probatur ex Concilio Florentiæ *in litteris vnionis*, vbi dicitur: *Pater gignendo Filium, dedit ei omnia, quæ sunt Patris, præter esse Patrem.*

Respondet Faber de mente Scoti, entitatem etiam absolutam personalem esse incommunicabilem, & hanc negari à Concilio communicatam Verbo; non autem sola essentialia absoluta.

24 Contrà primò, nam Ioannes in Concilio Florentino incommunicabilitatem è relationibus tantùm ortam ait.

Contra secundò; quia Patres, & Concilia asserunt, sola relatiua facere numerum; atque adeò omnia absoluta excludunt, tanquam communia. Itaque frustrà excogitat absoluta propria personalia. Prætereà cum dicat Concilium, omnia Patrem Filio communicasse, præter esse Patrem; quis non videt, loqui de relatiuis? Pater enim relatiuus est; vt aduertit S. Doct. *vltim. fundam.* & habetur in Concilio Vvormatiensi *in confess. fidei*, vbi habetur. *Quod Pater non ad se, sed ad Filium dicitur.* Idem habetur in Concilio Toletano vndecimo. Aduertit autem Suar. *lib. 7. c. 1.* Concilia ista asserere totum id, quod Patris proprium est, esse relatiuum.

Confirmatur: nam absolutum personale est chimæricum: ideo ait D. Aug. *6. de Trin. c. 2.* & *lib. 5. c. 8.* *Quod ad se dicitur, de singulis dicitur*; vt arguit S. Bonau. *q. 3. fund. 3.* & *lib. 5. c. 5.* ait: *In Deo non esse, nisi substantiam, idest, essentiam, & relationem, & quicquid ad se; & non ad aliud dicitur, ad essentiam pertinet.* Et cap. 8. regulam statuit: *Quidquid in Trinitate ad se dicitur, substantialiter dicitur*: & Damasc. *lib. 1. de fide, c. 11.* ait: *Nos vnum cognoscimus Deum in solis quidem proprietatibus paternitatis, filiationis, & processionis differentiam intelligentes.* Quare illa distinctio de absolutis essentialibus, & personalibus est ad fugam meditandam excogitata; sed frustra. His ruit Macedo.

Assero tertiò, relationes, vt sunt originis, esse 25 constitutiuas, & distinctiuas. Hæc est sententia luce clarior Seraphici *dist. 26. q. 3.* quæ est sententia omnium sapientum Græcorum, & Latinorum vsque ad Concilium Florentinum, quod celebratum est *anno millesimo quadrigentesimo trigesimo octauo* sub Eugenio IV.

Audiamus Ioannem Theologum in Concilio, nomine Ecclesiæ Latinæ, nullo vel ex Græcis obmurmurante: *Sola relatio, apud omnes tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuina processione multiplicat, vt non vlla ratione, quam vi relationis Pater à Filio, ac vna persona ab alia differat.*

Audiamus & eruditissimum Bessarionem, Græcorum oraculum *in oratione pro vnione, c. 6.* in eodem Concilio, idem conclamantem: *Eo distinguitur, inquit Nyssenus, Spiritus à Filio, quia per ipsum est; quasi diceret, quòd cum ambo à primo sint, non sufficienter distinguerentur, nisi alter per alterum esset.* Idem confirmatur clarè verbis eius, suprà relatis.

Confirmatur ex Conciliis, & Patribus relatis 26 *dist. 10. sect. 1. q. 3.* quibus concluditur distinctio Filij à Spiritu sancto ex relatione originis. Hoc est præcipuum fundamentum S. Bonauenturæ; quod Scotus, & Faber non aduertunt.

Optimè id probant alij Patres adducti à D. Bonauentura, suprà relati.

Aliquos Patres refert Suar. *lib. 7. c. 1. 5. & 6.* præ- 27 sertim August. Damasc. & Richard. allegatos à D. Bonau. & alios, qui relationibus, & originibus distinctionem adscribunt personarum: sic D. Fulgent. de fide ad Petrum c. 1. *Quia aliud est genuisse, quam natum esse: & aliud procedere, quam genuisse, vel natum esse, manifestum est, quoniam alius est Pater; alius est Filius: alius Spiritus sanctus.* Similia habent Ambros. *lib. 1. de fide, c. 2.* Athan. *Dial. 1. de Trin.* contra Anomæos, & alij suprà relati ex Concilio Florentin.

Idem volunt sancti PP. adducti à Vasquez *disput. 147.* siue Græci, qui dicunt, distinctionem personarum esse per relationem causæ, & causati; siue Latini, qui idem asserunt sub nomine tamen, non causæ, sed Principij, qui in Concilio Florentino recitantur.

Addit Vasquez, ex originibus haberi distinctionem, sed inchoatiuè tantùm; at neque S. Doctor ampliùs dicit: nam distinctionem formaliter completè relationibus adscribit. Ideo docet, relationem paternitatis constituere, & distinguere, non præcisè, vt sola relatio est, sed vt relatio originis. Attende, clamat Forest. *fol. 306.* non dicit, originem distinguere, sed inchoare distinctionem, neque solam originem; sed relationem cum origine, vt notat etiam Valentia.

Obiiciunt primò Gregorius, & alij primæ sententiæ: diuina Persona est æquè simplex, ac ipsa essentia: sed essentia diuina, quia simplicissima nullo alio constituitur, aut distinguitur; sed se ipsa constituitur, & distinguitur à quouis alio: ergo.

36 Respondet S. Doct. q.cit. 1. *ad quartum*, quòd licèt persona sit æquè simplex; includit tamen absolutum, & relatiuum: & sanè relatiuum non componit, cum ex natura sua sit ad alterum: videmus enim etiam inter nos, plures respectus aduenire rei, absque eius mutatione, vt cùm Olori candido nascuntur alij Olores candidi, quibus incipit esse similis, facta mutatione solùm in enatis Oloribus.

Scotus *loc. it.* & Faber *n.*8. respondent, non esse simile de persona, & de essentia, licèt ambæ sint simplicissimæ: nam essentia non includit aliqua, quorum vnum non est alterum formaliter, at persona includit aliqua, quorum vnum non est alterum formaliter: ideò non distinguitur se tota, sicut essentia; persona enim includit essentiam, & relationem: at essentia se solam.

37 Miror, hos viros hæc dicere: cùm enim fiat comparatio inter essentiam, provt comprehendit omnia absoluta, & distinguitur à relatiuis; & teneant Scotus cum suis, essentiam formaliter distingui ab attributis, eodem modo, quo & essentia à relatione, non video, quomodo soluat argumentum Gregorij: & eò magis, quò absoluta magis componunt, vt aduertit S. Doctor *ad quartum*; quam relatiua, vt dixi.

Obiiciunt secundò. Diuina Persona vel constituitur à se; vel ab alio: non à se, quia nihil est sibi constituens, & constitutum; si ab alio: ergo componitur.

Respondet Scotus, & Faber, personam constitui ex essentia, & relatione formaliter distinctis; non tamen componi: at meliùs S. Doct. *ad secundum, & tertium* resoluit, non componere, quia relatio est modus virtualiter tantum distinctus, non faciens compositionem, quà cum subiecto conuertitur; non autem cum veluti subiecto constituit vnum *ex*, vel *in*, vel *cum* eo.

38 Obiiciunt tertiò *cap. firmiter* dicitur: *Pater communic. sse Filio totam substantiam*: at si esset aliqua proprietas in Patre, quæ non in Filio; non communicasset Filio totam substantiam; quia illa proprietas esset substantia; non accidens.

Respondet Scotus ex D. Bonau. *dist.*25. *q.*1. substantiam dupliciter sumi: primò pro essentia, & hoc modo distinguitur à proprietate: secundò pro supposito, & hoc in diuinis est relatio: Pater ergo communicauit Filio totam substantiam; non proprietatem.

Obiicies quartò. Si in diuinis personis essent proprietates reales sequeretur, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non esse eandem rem. Probatur sequela: quia sic Pater non est sola essentia; sed essentia cum illa proprietate, quæ est entitas Patris.

Respondet S. Doctor *in corpore*, & *ad secundum*, diuinas Personas esse diuersas res personales relatiuas, non absolutas. Hoc modo explicat Damascenus 1. *de fide*, *cap.*12. dum ait; quod: *In creaturis est differentia re, & conuenientia rationis; sed in diuinis, è contrario.*

39 Obiicies cum secunda sententia, primò ex comparatione relationis ad relationem. In relatiuis semper est aliquid absolutum, super quo fundatur relatio, & quod per relationem refertur: sed Personæ diuinæ sunt relatiuæ: ergo in eis est aliquid absolutum, quo fundantur relationes; & quod per illas refertur: sed illud absolutum non est essentia: ergo persona: atque adeò est quid absolutum. Prima propositio probatur ex D. August. 7. *de Trin. cap.* 3. vbi ait: *Omne relatiuum est aliquid, præter relationem.* Et infrà: *Si Pater non est aliquid ad se; non est, quod relatiuè referatur.* Confirmatur à simili: Abraham Pater refertur ad Isaac Filium relatione paternitatis, quæ fundatur in absoluto, quod in Abraham supponitur paternitati.

Respondet S. Bonau. *q.*2. *in corpore*, & *q.*3. *ad primum, & quartum*, quem sequitur Arriaga, malè è creatis relationibus, quæ supponunt aliquid absolutum, deduci diuinas, quia enim relationes istæ creatæ sunt accidentia, componunt cum subiecto, & supponunt aliquid absolutum: at relationes diuinæ sunt vna entitas simplicissima, substantialis, subsistens. Ideo per eam constituitur persona in esse subsistenti, & relatiuo, ita, vt nequeat abstrahi alterum ab altero, vt intelligantur hypostases distinctæ, abstractis proprietatibus relatiuis; si enim ab hypostasi Patris abstraheretur paternitas; vel è contra, non haberet aliquid speciale, quod sit principium intelligendi ipsam. 40

Obiicies secundò ex eodem medio. Omne compositum supponit partes componentes, & vnionem ipsarum: ergo relatum supponit rem, quæ refertur, & relationem, & vnionem vtriusque. Id autem, quod refertur in diuinis est Persona: ergo priùs est persona, quàm referatur.

Respondetur ex D. Bonau. *loc. cit.* supponi quidem essentiam, & relationem, non autem personam priùs esse, quàm personam relatam: quia persona relata non resultat ex persona, & relatione, vt malè supponit Scotus; sed ex essentia, & relatione; licèt autem nostro conceptu supponatur essentia ipsa, tamen relatio non supponitur priùs; quia cum relatio intelligatur, vt modus in aliquo; eo ipso intelligitur relatio simul etiam in essentia, & ita refertur. 41

Obiicies tertiò ex eadem via. Relatio realis præexigit extrema realia: sed relatio inter personas est realis: ergo præexigit extrema, idest, distinctas personas; atque adeò illas non distinguit, sed supponit distinctas.

Respondet S. Doct. *quæst.*3. *in corpore*, & *ad primum*, & *quæst.*2. *ad prima tria*, veram maiorem de relationibus; at relationes diuinæ sunt substantiæ distinguentes, & constituentes supposita, seu personas, subscribit Caspensis.

Addit aliam responsionem *ad primum quæstionis tertiæ*, quòd relationes diuinæ respiciunt aliquid, vt principium; & aliquid, vt terminum productum. Et quidem id, quod respiciunt tanquam principium, supponitur; & hæc est incommunicabilitas: at verò, quia respiciunt aliqua, vt terminum; v.g. genitum, & spiratum per origines. Ideò origines ipsæ supponuntur, quibus relationes substantiales producuntur: vnde non supponuntur producti absoluti, sicuti euenit inter nos, cùm homo generat hominem, vnde resultat relatio Patris, & Filij: sed ipsæ relationes substantiales producuntur originibus, quas ideo supponunt: supponunt etiam principium innascibile. 42

Ex his resoluitur aliud argumentum Scoti. Omne relatiuum reducitur ad absolutum: ergo Pater refertur ad Filium secundùm esse absolutum illius: ergo priùs est persona per absolutam proprietatem, quam sit Filius.

Respondetur, reduci ad innascibilem, vt ostendam *ad vltimum.*

Obiicies quartò cum Scoto ex comparatione producentis cum producto: omne producens priùs est, quam productum: ergo persona producens est prius origine, quàm sit producta: ergo distinctio non venit ex relatione: nam hæc consurgit post productionem.

43 Vrget secundò. Si personæ secundùm esse personæ sunt relatæ, nihil aliud erit personæ Patris, quàm habere Filium iam productum. Quorsum igitur ponimus generationem ad Filium habendum?

Hoc argumentum non benè affertur à Vasquez *disp.*159.*cap.*1. sic, si personæ, vt personæ, sunt relatæ, nihil aliud erit Patri producere, quàm habere Filium. Debuit enim dicere: ergo hoc erit Patri personam esse, ac habere iam Filium. Profectò oportet, vt producatur absolutum: nam ad relationem non est motus, *ex* 5. *Phys. t.* 10. Ergo persona, quæ refertur debet secundùm esse absolutum producta fuisse, vt referatur.

VRGENT adhuc comparando relationes cum originibus. Primò: omne suppositum, quod est principium operationum, supponitur operationi: priùs enim conuenit rei esse, quàm operari: ergo priùs, quàm intelligatur persona Patris in relatione Patris; intelligitur esse: ergo non constituitur, neque distinguitur relatione.

44 Deinde relatio est velut forma Personæ diuinæ, quatenus persona est; omnis autem forma intelligitur, priusquàm res, cuius est forma constitutiua: ergo priùs intelligitur paternitas, quàm persona Patris; at Paternitas nequit intelligi sine filiatione, quia sunt simul cognitione: ergo filiatio intelligitur ante personam Patris. Quomodo ergo filiatio resultat ex generatione, quæ prouenit à Patre; siquidem ante personam Patris intelligitur?

Hæc omnia simul conglomerant, vt ostendant, personam Patris non constitui relatione paternitatis; quia priùsquàm paternitate referatur, generat, & priùsquàm generet debet esse subsistens persona in se vna à cæteris distincta.

45 Solam autem personam Patris feriunt, quia generatio passiua præcedit personam Filij; & spiratio passiua præcedit Spiritum sanctum, & relationem eius: spiratio verò actiua supponit Patrem, & Filium iam constitutos; relatio enim spiratorum non est personalis.

Fauentinus *cap.*5.*num.*31.præmittit responsa Seraphici, quasi leuiora; & ait, ad ea reduci etiam responsiones aliorum, à Scoto attritas.

PRIMAM ergo responsionem Seraphici adducit Scotus *dist.*28. *quæst.* 3. relationem posse considerari dupliciter: primò, vt est origo: secundò, vt relatio. Primo modo non constituit, nec distinguit; sed est ratio solùm innotescendi: secundo verò modo constituit. Potest etiam relatio dicere simul originem, & habitudinem: & tunc est ratio innotescendi, distinguendi, & constituendi: & sic primam personam, ait, constitui per generationem actiuam.

46 Scotus *loc. cit.* & Faber *num.* 24. aiunt; quòd si D. Bonauentura vult, origines esse distinctiuas inchoatiuè; verum dicit: at si velit origines esse formas constitutiuas, & distinctiuas, falsum loquitur.

NOTAT deinde Faber, quod origo in diuinis est relatio tantùm, non aliqua forma absoluta, quia actio secundum Scotum est relatio agentis ad passum, vel producentis ad productum; tamen secundùm rationem potest distingui, vt productio, quatenus consideratur vt origo, dicatur via ad personam; quatenus verò in se consideratur, & propriè sit relatio originis, & ita Scotus hic accipit productionem, cùm ait, posse illam accipi vt viam, & vt principium, & loqui ait secundùm principia D. Bonau. qui videtur supponere, quod productiones sint formæ quædam, quasi absolutæ, vt tenent illi, qui docent, omninò actionem esse formam absolutam.

Deinde *n.*41. hoc argumento (ait) efficacissimo arguit contra D. Bonauenturam, quia hæc distinctio rationis non potest constituere personas reales. Hoc autem argumentum testatur *num.*36. militare contra D. Bonauenturam, & D. Thomam.

ADVERTO primò rationis Fabri inefficaciam, qui cum Scoto subscribit opinioni D. Bonau. si velit, origines esse distinctiuas inchoatiuè: relationes verò, vt formas asserat. Dicunt etiam, relationes, & origines ratione distingui, & tamen refellunt D. Bonau. eò quòd dicat, distingui relationes à personis ratione ratiocinata, idest, virtualiter, quæ distinctio satis est, vt dixi *disput.*3.*q.*1. *&* 3. Qua responsione ruit argumentum. Quod S. Bonau. teneat, origines esse tantùm inchoatiuas distinctionis personarum, luce clariùs est *hic*, & *dist.*27.*q.*1. vbi productionem vocat formam, intellige fluentem, *fundam.*1. paternitatem verò habitudinem, in hypostasi fixam. 47

Ex quo etiam ruit argumentum D. Thomæ, Scoti, & omnium aduersantium Seraphico, quod sic adornant. Forma constitutiua, & distinctiua personarum debet esse aliquid *in facto esse*, & forma fixa; at origines non sunt quid fixum: ergo.

Respondetur enim ex D. Bonau. *loc. cit.* & *dist.*26. *q.*3. origines esse principia distinctionis, quatenus nil potest esse à se ipso, & ita *in fieri*: at distinctionem *in facto esse* à relationibus haberi. 48

DEINDE aduerto, non rectè apponi à Scoto, & Fabro hanc doctrinam D. Bonau. pro responsione ad omnia allata argumenta, quæ solum Patrem impetunt, vrgentque, quo pacto supponatur Pater ipsi generationi, si relatione Patris constituitur, & distinguitur.

Respondet S. Doctor *dist.*27. *q.* 2. *ad* 3. (non *ad primum*, vt refert Faber *n.*32.& Scotus *quodl.*4.) primam personam constitui per primitatem innascibilitatis, quæ est prima ratio incommunicabilitatis.

Instat Faber. Ingenitum dicit meram negationem, quæ non potest esse constitutiua personæ positiuæ: spondet autem, eam infrà refutaturum.

AT eius, aliorumque refutationes contudi *disput.*8. *sect.*2. *quæst.*3. Hæc sanè doctrina omnia argumenta eneruat: aliorum verò solutiones, nisi ad Seraphici asylum confugiant, discrimini exponuntur, vt ostendo. 49

Henricus *quodl.*9.*q.*1.*&* 3. respondet, relationem non actualem, sed aptitudinalem, quæ in Patre dicitur generatiuitas, esse distinctiuam primæ personæ, & eam constituere aptam ad generationem. Ita etiam Bacconius *d.*26.*q.*1.*art.*1.*&* 2. & alij.

Instant Scot. *loc. cit.* & Faber *n.*36. nam aptitudo non potest esse primò constitutiua, quia pendet ab aliquo priori, cuius est aptitudo. Ideò si illa entitas prior est communicabilis, erit communicabilis etiam aptitudo. Confirmatur, quia non benè per aptitudinem redditur ratio actûs, vt si quæram: cur lapis descendit? respondeas, quia habet aptitudinem, debet enim assignari entitas, in qua fundatur aptitudo: sic lapis est aptus descendere, quia est grauis.

Respondet

50 Respondet Bacconius, generatiuitatem determinari ad incommunicabilitatem, ex fundamento.

Instat Faber: ergo generatiuitas non est prima ratio incommunicabilitatis; sed primum illud fundamentum: ergo non potest constituere primò personam incommunicabilem.

MVLTI Thomistæ relati à Fabro *n.*40. respondent, paternitatem, vt est in essentia, tanquam in radice, constituere primam Personam.

Contrà arguit Faber, quia essentia, vt continet paternitatem in radice, non est forma relatiua; sed absoluta. Præterea relatio in radice non est relatio actu: at res est simpliciter talis, quatenus est actu talis.

51 Deinde arguit cum Scoto. Prima persona non constituitur in esse per entitatem minùs perfectam, quàm secunda persona; at hæc constituitur secundùm hos per relationem actu: ergo & prima persona; non autem per aptitudinalem, quæ est minùs perfecta.

Respondet Bacconius, eam solam aptitudinem, quæ duratione præcedit actum, esse imperfectam; at generatiuitas, solâ origine præcedit generationem. Faber vrget contrà, quia potentialitas ad generandum est Physica siue actu, atque adeò imperfecta.

Hi omnes ad ostium Seraphici pulsant. Dicant ergo, hanc potentialitatem esse ex innascibilitate, quæ est fontale principium omnium emanationum, & est actualis fœcunditas, quæ Patrem primò reddit incommunicabilem: hæc verò est relatiua ad Filium, & Spiritum sanctum inchoatiuè. Hanc demonstraui, *disp.*8.*sect.*2.*q.*3.

52 Miror zelum Scoti, & Fabri, vt personæ sint secundùm relationes æquè perfectæ, cùm nullam in relationibus admittant perfectionem; apud nos autem non est minus perfecta primitas Patris, quæ est fons aliarum personarum.

D. Thomas *quæst.*40.*art.*4. respondet, quod relatio constitutiua Patris, idest, paternitas potest dupliciter considerari. Primò, vt est proprietas; & sic præcedit generationem, & constituit personam Patris. Secundò, vt refertur, nec constituit Patrem.

Contra hanc distinctionem insurgit Scotus, Faber *c.*6. & alij, quia proprietas constitutiua personæ Diuinæ actu constituit, quatenùs est in re, non quatenus concipitur ab intellectu; alioqui non constituet personam realem.

53 Laborant Thomistæ, vt hanc distinctionem sartamtectam seruent.

Caietanus *ad eum articulum* dicit, relationem esse constitutiuam, vt conceptam, non vt exercitam; sic etiam Nazarius *conclus.*14.

Contrà arguunt Ferrariensis, Hieronymus Rua, Molina, Zumellus, Valentia, Rada. Primò, Ferrariensis. Nihil aliud est formam exercere actum suum, quam dare esse subiecto, cui inest in genere causæ formalis: ergo tunc relatio exercet munus suum, cùm dat subiecto esse relatiuum formaliter: ergo idem est considerare relationem, vt conceptam, & vt exercitam.

Confirmatur à Molina. De essentia relationis est referri; sic enim definitur ab Aristotele, totum esse ad aliud habere. Idem vrget Zumellus multis etiam aliis argumentis, quæ refricat Rada.

54 Vrget etiam Faber *num.*44. quia adhuc sequitur, Personam diuinam constitui per ens rationis. Hoc argumentum ait insolubile esse. Deinde, vel illud primum munus est absolutum, vel relatiuum. Si primum: ergo persona constituitur per absoluta. Si secundum: ergo habet terminum, & correlatiuum: ergo actu est exercita relatio.

PER hæc impugnat Faber etiam solutionem Ferrariensis 4. *contra Gent. cap.*26. Capreoli *d.*26. *q.*1. Nazarij, & aliorum dicentium, relationem, vt hypostasim constituere; sed non distinguere: vt autem relationem, distinguere. Eisdem argumentis refellit responsum Bañes, relationem constituere, vt est *in* personam Patris in esse subsistentiæ; quatenus verò dicit *ad* constituere in esse incommunicabili.

Esse enim *in*, & esse *ad*, sola ratione distinguuntur: ergo non possunt distingui ad assignandum constitutiuum personæ realis. Deinde, si esse *in* constituit personam: ergo per aliquid absolutum constituitur. 55

Prior tamen oppositio diluta est; nam Thomistæ debent intelligere distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ est virtualis, atque sufficiens, vt dixi.

Molina *quæst.*40. *art.*2. *disp.*2. & *quæst.*27. *art.*3. *disp.*4. ait, omnes Theologos errare, quippè ex relatione, & generatione creatâ metiuntur diuinam, vt; sicut generatio, v. g. humana supponit suppositum creatum, & paternitas supponit generationem; ita sit etiam in diuinis, vt primum suppositum Trinitatis antecedat generationem, & generatio paternitatem. Quapropter ità in absurda lapsi sunt; vt alij dicerent, personas constitui per absoluta; alij ad Metaphysicas distinctiones obscuras confugerint. Res igitur aliter se habet in diuinis. Quare essentia est radix relationum, eas virtute continens. Itaque essentia seipsam intelligit, ex quo resultat relatio.

Hæc tamen opinio videtur admittere, quod essentia generet.

MELIVS omnes dicerent cum D. Bonau. Patrem secundùm esse ingenitum, quod dicit primitatem, & fontale principium, supponi. Iam verò eum intelligendo generare Filium, & ad eum referri. 56

Sic saluatur etiam D. Thomas, vt persona primò supponatur subsistens, & relata inchoatiuè per fontalem perfectionem positiuam; vnde resultet ex generatione relatio, eo ipso exercita, vt dicebat Caietanus.

Nec officiunt argumenta aduersa: nam persona, vt sic, realiter constituitur per illam fontalem plenitudinem, quæ virtute differt à paternitate; ideò non aliquo ente rationis constituitur persona, sed per aliquid reale relatiuum inchoatiuè, vt dixi, *disp* 8.*sect.*2.*q.*3.

Vasquez *disp.*159.*cap.*5. respondet, constitutionem personarum non esse realem, sed nostro conceptu: nam constitutio realis exigit distinctionem ex natura rei inter constituentia, & constitutum; vt probaui (ait) *disp.*158. *cap.*2. Igitur responder, nostro conceptu præintelligi Patrem, antequam generet, vt potentem generare, & sic posse concipi sub conceptu innascibilis, & fœcundi ad producendum. 57

Quòd constitutio personarum secundùm rationem sit non realis, iam confutatum est, *disp.*3.*q.*1. & satis argumentis Scoti, & D. Bonau. suprà refellitur. Quòd verò Pater, vt innascibilis, supponatur, est Seraphicum asylum, quo realis constitutio, è distinctis virtute, asseritur præsupposita.

OPPONIT verò Faber, sequi distinctionem potentialem in diuinis; persona autem est actualissima. Ideò eius constitutiuum est actuale. Deinde sequi esse constitutiuum rationis.

58 Dissimulat hic Doctor nostræ virtualis distinctionis naturam, quam satis aperui, *disp.3.q.4.* est enim actualissima virtutum, non merum ens rationis, aut potentiale.

Scotus 1.*dist.*28.*q.*5. & Faber *cap.*7. reiectis aliis, asserunt, Patrem constitui paternitate, quæ est relatio positiua ad Filium.

At quia vident, non esse adhuc solutum nodum. Si enim Pater constituitur relatione ad Filium: ergo non procedit, vt generans Verbum; nam relatiua sunt simul naturâ, & cognitione: at simul cum Filio, & per generationem constituitur: ergo non est persona, dum generat.

59 Respondent, relatiua mutua ex Aristot. *c. Ad aliquid*, esse simul, cum hoc tamen stat prioritas Patris generantis, quoad originem respectu Filij, quia producit Filium. Confirmatur ex Auicenna 6. *Metaph. cap.*2. vbi ait: *Causam, quatenus causam, esse naturâ priorem causato, in quantum causatum.* Sicut ergo correlatio causæ ad causatum non impedit causæ prioritatem, quæ est prioritas naturæ; multò minùs prioritas originis, quæ est minor prioritate naturæ, coëxistentiæ relatiuorum repugnabit. Igitur prima persona constituitur in esse per relationem, quæ coëxistit quidem correlatiuo Filio; cum hoc tamen stat, vt sit prior origine.

60 Vt autem hoc elucidet Scotus; quærit quomodo Diuina essentia constituatur ad primam subsistentiam: Respondet, quod diuina essentia ex se est in prima Persona. Dat exemplum de causis illimitatis: sicut enim Sol illuminat mundum, & priùs viciniorem partem, ad quam illuminandam seipso determinatur: & anima viuificat totum corpus adæquatè; tamen primò cor; vnde ad illud viuificandum seipsâ determinatur: sic ergo essentia Diuina, quia est illuminata ad essendum in tribus personis ordine quodam; ideò aliqua subsistentia, siue persona est prima primitate immediationis; & hæc est prima persona, quæ est prima, quia ordine originis primò inest illi personæ, quàm aliis.

61 Quod si quis hoc neget, & dicat, essentiam Diuinam determinari ad primam subsistentiam per primam relationem.

Respondet, redire quæstionem: Per quid essentia determinetur ad illam primam proprietatem: siue, quomodo pullulet in essentia illa prima relatio?

Hinc respondet ad argumentum principale, primam personam præintelligi origine ante secundam, tamen cum hoc esse simul, more relatiuorum. Itaque Pater constituitur paternitate, quæ Filio præintelligitur; & tamen simul cum illo est.

62 Cum arguis: primum suppositum præcedit generationem, quia suppositi est agere: ergo præcedit etiam secundum suppositum.

Respondet Scotus, quod primum suppositum præcedit generationem passiuam, non actiuam; sed ea ex se est formaliter subsistens, quia generatio actiua, & paternitas in re sunt idem.

Quod si dicas. Paternitas insurgit per generare: ergo paternitas est posterior generatione.

63 Respondet, paternitatem insurgere per generare, non tanquam terminum, sed tanquam principium generationis, & tunc non sequitur, quod paternitas sit posterior generatione; sed solùm, quòd paternitas est prior origine generatione: & quod constituit priùs suppositum generans, in esse suppositi: Deinde habet generare; & sic generatio est in secundo signo, licèt paternitas insurgat per generare, quia insurgit per generare, non tanquam terminus, & passiuè; sed tanquam principium, & actiuè; sicut calefaciens, vt calefaciens, est calefaciens per calefactionem; & tamen est prior origine ipsa calefactione. Potest etiam dici, quod generare, seu generatio dupliciter accipi potest. Primò pro re acta. Secundò pro relatione sola agendi. Generare pro re acta est posterius supposito agente, non autem generare pro relatione: & hæc est deceptio, quæ est in argumento, & semper facit difficultatem.

Ad probationem, quod suppositum debeat præcedere generationem actiuam; quia suppositi est agere: ergo præintelligitur suppositum ante generationem. 64

Respondet Scotus *in quodl. q.*4. actionem esse suppositi existentis in esse hypostatico; per ipsam actionem generandi, quæ est prima entitas incommunicabilis, quia prima Persona habet esse hypostaticum ipsa actione generationis; non autem actionem esse suppositi, iam præexistentis ipsi actioni: & si arguas. Omne agere supponit esse: ergo agere non potest esse prima ratio subsistendi.

Respondet, verum esse in creaturis, in quibus suppositum est absolutum; at in diuinis relatiuum est. Vnde agere in diuinis supponit esse absolutum; non autem hypostaticum.

Si instes. Agere in diuinis supponit illud esse, quod est potens agere; sed illud est suppositum, non essentia, quia essentia non generat: ergo. 65

Respondet, quod posse agere non supponitur à parte rei; sed agens, & potens agere sunt idem, quia agens est primò potens agere; præsupponit autem principium, *Quo*; non autem principium, *Quod*, potens agere. Igitur agere in diuinis præsupponit esse simul existens, non autem præexistens, hoc enim tantùm præsupponitur in creaturis.

Tandem ait Scotus, hæc omnia patere nobis, si concipiamus hoc, quòd inter Patrem, & Filium est vnica habitudo, siue relatio realis originis, quæ est productio actiua, & relatio producentis ad productum, quæ sunt idem; relatio autem originis non præsupponit suppositum, cui inest; sed simul sunt quoad esse relatiuum. Ideò non est arduum intelligere, relationem paternitatis, & generationem non præsupponere suppositum; sed illud constituere. Præsupponit sanè relatio essentiam, qua innititur, & memoriam fœcundam, vt principium, *quo*, si consideretur hæc relatio, vt est actio; quia omnis actio supponit principium, *quo*, agendi; actio autem, vt est pura relatio; sicut est in diuinis, non præsupponit suppositum; sed illud constituit in esse, & facit esse relatiuum. 66

Ad exactam autem constitutionem primæ Personæ notat Faber *num.*61. è Scoto *q.*4. *quodl. art.*3. quòd in Patre est vnica relatio originis, non plures secundùm rem; sed secundùm nostrum modum intelligendi. Hoc ferè habet etiam Valentia, *disput.*2. *quæst.*14.*puncto* 3. 67

Hæc Scoti, & asseclarum doctrina multa continet falsa, nec soluit argumenta. Profectò eam vidit cum illis effugiis S. Doct. *dist.*27. *q.*2. & vt ineptam refellit.

At vt à primis exordiar dictis; Patrem relatiuum esse simul cum Filio, & tamen priorem origine, in creatis esto verum sit, quia Pater per absolutum generat: & ideò supponitur; at verò Pater relatiuus implicat, quod sit prior sub eadem ratione relatiui.

relatiui. Ponamus enim hominem, vt Patrem relatiuum gignere; oporteret, eum per generationem acquirere esse generantis. Ergo non nisi peracta generatione, est actus generationis, vt arguit S.Doctor *ad secundum*, & cum paternitas insit Patri per actum generationis, nullo modo generationem præcedit; sed ad summum cum ea inest. Quomodo ergo generat, si nondum est persona?

68 Qvod enim personam primam è radice essentia geminet; sicut sol illuminat partem viciniorem, & anima primò viuificat cor; non est ad rem, vt soluat argumenta: nam hæc persona est Pater. Ergo fluit ab essentia, vt Pater: (non enim aliam proprietatem constitutiuam habet, secundùm aduersarios.) Est igitur Pater, non quia generet; sed quia est ab essentia. Sumo Patrem in eo signo priori reali, secundùm Scotistas, in quo fluit ab essentia, (non enim entia rationis sunt hic facienda, vt ipsi clamant.) Iam est Pater ante generationem: ergo per absolutum; sed hoc est paternitas. Ergo hæc est absolutum quid.

Id autem, quod affert ex Auicenna, non est ad rem, seu potiùs est contra eum: nam causa ideò est prior, in quantum causa, quia iam actu existens causat effectum; & ideò præsupponitur iam existens per suum esse, neque tamen adhuc refertur, quia nondum est effectus; at verò Pater, dum generat, non supponitur existere, cum per generationem acquirat esse Patris. Quod si priùs est in ratione principij: ergo non constituitur per paternitatem; sed vel per innascibilitatem, vel per absoluta, cum suppositi sit agere; & vnumquodque agat, in quantum est actu; Vel dicendum etiam erit, essentiam generare: ergo primum suppositum præcedit generationem.

69 Responsio verò Scoti, quod primum suppositum supponit generationem passiuam; non verò actiuam, friuola est, vt arguit S. Doctor *fundamento 2. & in corpore*: nam sicuti prius est generari, quàm esse filium; ita & priùs est generare, quàm esse Patrem, sicut enim se habet generatio passiua ad filiationem; ità actiua ad paternitatem; sed generatio passiua præcedit filiationem: ergo & actiua paternitatem.

Probatur paritas à Seraphico: nam, quod est ratio essendi alicuius, est priùs eo; sed generatio actiua est ratio essendi Patri: & passiua essendi Filio. Ergo sicuti generatio passiua supponitur Filio, qui est terminus in *facto esse*; ita & actiua Patri. Ideò non stat, quod ideo sit Pater, quia Filius generetur: nam Filius habet, vt prior sit per generationem. Igitur generatio præcedit filiationem, & relatiua sunt simul naturâ, & intelligibilitate. Ergo generatio est ratio essendi paternitatis; ac proinde hanc præcedit.

70 Qvod verò paternitas insurgat per generationem, non vt terminus; sed vt principium, redolet paradoxum. Vbinam terrarum, aut in cœlis inuenitur aliquid insurgere, & habere esse ex aliquo, vt principium eiusdem à quo habet esse? Principium sanè antecedens est.

Sequi verò solùm, quòd paternitas sit prior origine, quàm generatio, implicat, vt probat S. Bonauent. nam si priùs origine est Pater, quam generet: ergo illa paternitas in illo priori originis est absoluta, cùm adhuc nullum correlatiuum respiciat. Hoc autem est contra Concilia, & Scripturas, vt vidimus. Addo, contra rationem: nam Pater est relatiuum nomen, vt docent Sancti Patres, & Concilia suprà.

Exemplum verò, quod calefaciens est prius calefactione, cùm tamen sit calefaciens per ipsam 71
calefactionem, non est ad rem: nam calefaciens dicit subsistens, quod est prius, & est calefaciens per ipsam calefactionem efficienter, non respectu sui; sed respectu calefacti, non enim calefactio dat esse efficienti; at Pater debet constitui formaliter in esse ipsâ paternitate, & generatione; alioqui idem gigneret seipsum, quod est absurdissimum apud omnes Philosophos, apud Theologos, & Patres: præcipuè apud D.August. 1. *de Trin.cap.1.* & apud Concil. Later. *cap. Firmiter*, pessimè olens, vt dixi, *disp.11.q.5.*

Quod autem subdit Faber, generare, pro re acta 72
sumptum, esse posterius supposito, non autem si sumatur pro relatione sola agendi, & in hoc nos impingere, vanum est: nam, vel sumit pro re acta ipsum genitum, vel ipsam generationem formaliter. Si sumatur pro Filio genito; iam elisa est responsio: nam si genitus est post generationem, etiam generans est ante eam, vt principium eius: si verò sumitur pro formali generationis; vellem scire, in quo distinguitur generatio, vt est actio, & vt est relatio: nam secundùm Scotum, actio est relatio extrinsecus adueniens sine supposito fundamento. Igitur sumatur generatio, vt est actio, nonne debet esse ab aliquo, tanquam à principio? Ergo tanquam à priori subsistente: nam actiones sunt suppositorum, vel saltem existentium.

Qvòd verò actio, vt aiunt, supponat princi- 73
pium, *Quo*, non principium, *Quod*; ridiculum est: nam principium *Quo*, in suo conceptu includit principium *Quod*, in bono enim idiomate principium *Quo* est id, quo principium *Quod* operatur; & ita relatiua sunt, atque adeò simul naturâ, & cognitione ipsâ; sed per te principium *Quo* supponitur actioni: ergo & principium *Quod*.

Quòd actio sit subsistentis, non ante actionem, sed per ipsam actionem, paradoxum olet: nam cùm suppositum sit principium actionis, quomodo per ipsam actionem, quæ est effectus, acquirit esse? Profectò agere sequitur ad esse, saltem naturâ, vel origine: ex quibus ruit etiam Caspensis *n.19.* dicens, id verum esse de supposito agente per veram actionem; sanè hæc est actio vera ex Caspensi *disp.8. n.102.*

Qvòd verò ait Scotus, relationem originis non supponere suppositum; sed illud constituere, nec aliter posse esse, quia in Patre est vnica habitudo, siue relatio realis originis, & hæc non præsupponit suppositum, sed illud constituit, iam refutatum est. Quòd enim sit vnica habitudo Patris ad Filium, non facit, vt relatio originis constituat suppositum in esse principij illiusmet originis, cuius est ipsa principium, hoc enim est imperceptibile; sed solùm obtinet, Paternitatem non esse aliam numero distinctam relationem à primitate, qua constituitur in esse principij.

Pluribus hanc sententiam non insector, satis enim collisa est.

Arguit tertiò Scotus ex propria ratione consti- 74
tutiui. Id, quod est constitutiuum, est incommunicabile; sed paternitas non est incommunicabilis, est enim quædam quidditas relatiua. Omnis autem quidditas est communicabilis; ergo.

Respondet S. Bonau. *dist.27. q.1. §. Ampliùs*, & *dist.28. q.3.* Paternitatem de generali significatione esse communicabilem, vt constat in creaturis, in quibus Pater dat Filio, vt fiat Pater aliorum, in diuinis autem esse incommunicabilem ex innascibilitate,

litate, quæ reddit paternitatem incommunicabilem, quia eius est proprium, esse primum, & à nullo esse, quod implicat communicari. Hinc benè dixit Scotus ex D. Bonau. id quod ex aliquo fluit esse communicabile, vel incommunicabile, quale est etiam fundamentum.

75 Hanc responsionem adhibent Vasquez *num.30.* Faber *num.63.*

Addit Scotus aliam instantiam: Ab vltimo constitutiuo non potest abstrahi conceptus communis; sed à paternitate, filiatione, & spiratione potest abstrahi conceptus communis relationis: ergo.

Respondetur ex dictis, *disp.6.q.3.* esto abstrahatur ille conceptus, tamen secundùm alium singularem est simplicissimus, incommunicabilis cuicumque: sicuti si à Petro, & Paulo abstrahatur rationalitas; adhuc remanet differentia indiuidualis.

Ad hoc sunt argumenta Scoti, & aliorum contra positiuam innascibilitatem, quæ euulsa sunt, & contrita, *disp.8. sect.2. q.3.* eaque rursus asserit Vasquez *disp.159.cap.7.* tenens cum D.Bonau.innascibilitatem constituere primam Personam: Paternitatem verò omninò completè illam constituere. Vide D.Bonau. *d.28. q.3. ad 1.* non *dist.27.* vt citat Vasquez.

76 Tandem arguit Scotus *Prou.30.* Quærit sapiens: *Quod est nomen eius? & quod est nomen Filij eius, si nosti?* Si autem secunda Persona constitueretur solà proprietate filiationis, non quæreret: *Quod est nomen Filij?* cùm iam sit notum, eum esse Filium.

Respondetur, non quærere ibi Salomonem aliud nomen magis proprium secundæ Personæ; sed nomen, quod adæquatè explicet Filium Dei; sed quia est ineffabile, ideo subdit: *Si nosti?*

QVÆSTIO II.

An abstractis proprietatibus relatiuis à Personis adhuc maneant personæ.

D.Bonau. d.27. q.3.
D.Thom.q.40. art.1.

NOTAT D. Thomas *in corpore*, & D. Bonau. *fundamento 3. & in corpore*, duplicem abstractionem fieri per intellectum. Vna, qua abstrahitur vniuersale à particulari, vt animal ab homine. Alia verò, secundùm quam forma abstrahitur à materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili. Inter has autem

77 abstractiones hæc est differentia, quod in abstractione, quæ fit secundùm vniuersale & particulare, non remanet id, à quo fit abstractio; remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo; sed animal solùm: In abstractione autem, quæ attenditur secundùm formam à materia, vtrumque manet in intellectu; abstrahendo enim formam circuli ab ære, remanet seorsum in intellectu nostro, & intellectus circuli, & intellectus æris.

78 Quamvis autem in diuinis non sit vniuersale, & particulare, neque forma, & materia secundùm rem; tamen secundùm modum significandi inuenitur aliqua similitudo in diuinis, secundùm quem modum ait Damascenus *lib.3. de fide, cap.6. Commune est substantia: particulare verò hypostasis.* Si igitur loquamur de abstractione, quæ fit secundùm vniuersale, & particulare; remanet essentia communis, remotis proprietatibus, & remota essentia remanent proprietates, vt notant S.Thom. *in corpore*, & D. Bonau. *ad tertium.*

Si verò fiat abstractio proprietatum à personis; quæ est veluti abstractio formæ. Aliqui asserunt, abstractis proprietatibus personalibus adhuc manere Personas distinctas formaliter è solis originibus. Refertur ita sentire D.Bonau. *d.26.q.3.* à Vasquez *in commentario artic. D. Thomæ*; sed immeritò, vt ostendi *quæst.præced.*

ASSERENDVM primò non posse fieri abstractionem propriam relationum à personis; vel hypostasum ab essentia. 79

PROBATVR à D. Bonauent. *in fundamento 3.* Omnis abstractio propriè est vniuersalis à particulari; vel formæ à materia ex Auer. *3. de anima, com.8.* sed in diuinis hæc non sunt, vt dixi *in notando*: ergo.

PROBATVR secundò, *fundamento 2.* Vbi est abstractio, abstractum est simplicius concreto; sed in diuinis non est concretio: ergo nec abstractio.

ASSERO secundò, abstractâ relatione non personali, v.g. spiratione actiua, remanent adhuc personæ Patris, & Filij. Patet: nam supponuntur iam, alter genitor, & alter genitus; esto sint tantùm alij.

ASSERO tertiò, abstractis relationibus personalibus, manet adhuc Pater innascibilis.

PROBATVR ex dictis *quæstione præcedenti*, & *disp.8. sect.2.* nam remanet adhuc prima, quæ est fons aliarum. 80

ASSERO quartò. Abstractis paternitate, & filiatione, remanent personæ in fieri, seu in viâ inchoatiuè distinctæ.

PROBATVR quia adhuc intelligitur alter, qui ab alio: & alter à quo alius in fieri, esto non possit intelligi distinctio, nisi intelligatur & relatio in fieri. Quæ enim origo, nisi aliquis originatur ab alio.

Miror autem, Scotum *quodl.4. §. ex istis duabus*, asserere, amotis personalibus relationibus; manere adhuc saltem vnam personam, idest Patris. Quia prima Persona adhuc intelligitur vt fœcunda, & potens generare. Miror inquam, cùm, vt suprà *quæst.1.* dixi, voluerit, Patrem constitui in esse personæ per generationem, non autem per potentiam ad generandum. 81

AD argumenta soluenda, aduerte, quod cum relationes sint idem formaliter cum essentia non possunt abstrahi, nisi secundùm nostrum modum intelligendi; abstractio enim formæ à subiecto, supponit distinctionem; at relationes transeunt in subiectum, Quidquid dicat Scotus, vt aduertit Marginista: Potest verò considerari vna relatio sine alia, v. g. innascibilitas sine Paternitate; vel spiratio actiua sine paternitate, vel filiatione, sed hæc non est abstractio propriè, quia non est formæ à materia, nec vniuersalis à particulari.

DISPVTA

DISPVTATIO XIII.

De Personis comparatis ad actus notionales.

QVÆSTIO I.

An dentur in diuinis Personis actus notionales; & quid sint.

D.Bonau.d.27. q.1.
D.Tho.art.1.

1 ACtus notionalis est via ad formam, quæ dicitur *notio*, quæque est quasi forma, qua personæ dignoscuntur. Quo fit, vt actus notionalis sit ipsa origo, quatenus ducit ad personam cognoscendam. Itaque actus notionalis non est mera relatio productionis; sed includit etiam operationem intelligendi, & amandi, quæ sunt actus productiui, addentes relationem. Neque tamen est relatio distincta à formis, v.g. origo generationis passiua non est noua relatio distincta à filiatione; similiter nec generatio actiua distincta à paternitate, vt infert D.Bonau. *dist.*27. *q.*1. & 3. & D.Thom. *art.*1. atque omnes communiter tenent. Quo medio probat ibi S. Bonau. *fundamento* 2. originem idem esse cum relatione: v.g generationem actiuam cum paternitate.

2 SCITO adhuc ex D. Bonau. *dist.*26. *q.*1. & 3. & *dist.*27. *q.*1. D.Thom. *art.*1. *ad secundum*, originem idem esse secundùm rem cum relatione, & differre secundùm modum significandi. Cùm autem audis *secundum modum significandi*, ne intelligas, esse solam nominum differentiam; sic enim generare, & paternitas; generari, & filiatio, essent synonyma, quod est absonum. Differunt igitur conceptu nostro innixo ipsi rei, quia virtualiter aliud est origo; aliud relatio. Ideò dicitur, *essentia est Pater*, *est paternitas*; sed non dicitur essentia generat, vt notat D. Bonau. *argumento* 2. *ad oppositum*. Ob id S. Doctor asserit, personas constitui, & distingui relationibus, & originibus. Quare cùm origo actiua sit idem cum paternitate, & origo passiua cum filiatione; sequetur, non posse aut generationem actiuam esse in Filio, aut passiuam in Patre. Ita tenent aliqui Scholastici communiter 1. *dist.*26. cum Magistro. Adde Scotum *d.*28. *q.*3. Ferrar. 4.*cont. Gent. c.*26. & Thomistas ad hunc articulum D.Thomæ.

ASSERO primò, dari in diuinis actus notionales.

3 PROBATVR à D.Thoma. In diuinis attenditur distinctio secundùm originem, origo autem conuenienter designari non potest, nisi per aliquos actus. Ad significandum igitur ordinem originis in diuinis necesse fuit, attribuere aliquos actus notionales intelligendi, & amandi. Idem habet D.Bonau. *locis citatis*.

ASSERO secundò, actus notionales esse origines. Patet ex dictis.

QVÆSTIO II.

An actus notionales sint voluntarij.

ASSERO primò, actum generationis non esse à voluntate. Patet ex *disp.*9. *sect.*2. *quæst.*5. & 6. 4
Ideò Filius dicitur *Autotheos*, non gratiâ, sed necessariò natus, vt notat Fuliensis *lib.*2. *c.*1.

ASSERO secundò, spirationem esse à voluntate: est de fide ex dictis, *disp.*2. *q.*3.

QVÆSTIO III.

An Spiritus sanctus producatur liberè.

D.Bonau.d.10. q.1.
D.Th. q.41. art.2. ad 3.

HENRICVS *in summa*, apud Scotum, *d.*10. *q.*1. §. *Quantum ad primum*, & §. *Quantum ad secundum*, & *quodl.*16. *art.*3 asserit, Spiritum sanctum procedere quidem naturaliter naturalitate solùm comitante, & simul procedere liberè, quatenus, scilicet, voluntas est facultas quædam existens in natura aliqua, & ex ipsa modum quendam naturalem habet comitantem in operationibus.

COMMVNIS sententia est, spirationem Spiritus sancti non esse liberam vllo ex capite; sed simpliciter necessariam. Ita D. Thomas *hîc*, vbi Caietanus, Salmatic. Bañes, Canar. 2. *part. comment.* Nazarius *ibi*, *controu.*2. Capreol. 1. *d.*6. *q.*1. *art.*1. *concl.*5. & *art.*2. *ad argum.* & *d.*10. *q.*1. *art.*1. *concl.*2. & 3. Vasquez 1.*p. disp.*161. Suarez *lib.*6. *de Trin. cap.*3. & cæteri expositores D.Thomæ, qui omnes cum plurimis aliis conclamant, necessarium, & liberum opponi omninò, atque simul esse non posse; cumque emanationes ad intrà sint necessariæ, non contingentes, consequenter inferunt, non posse illas esse liberas. Sic & Baudunius *q.*41. *art.*2. Caspensis *disp.*8. *n.*115. Longus *q.*41.

Ast, spirationem esse liberam, sententia est 5
D.Bonauenturæ, apud Forestum, *fol.*550. *in* 1. *d.*10. *q.*1. & 2. ex professo; & *in* 2. *d.*25. *p.*2. *art.*1. *q.*2. vbi actum liberi arbitrij saluat in necessariis, qui non sequitur Scotum, vt iactat Rada, *controu.*13. nam S.Bonauentura fuit D.Thomæ coætaneus, sæculo tertiodecimo: Scotus verò quartodecimo, vt notat Salazar de Immaculata Conceptione. Scotus igitur sequitur Seraphicum 1. *d.*7. *q.*2. & *d.*10. *q.*1. Licheus, & Tartaretus *ibi*, Bassolis, Faber *disp.*37. Mastrius *disp.*7. *de anima*, *q.*2. *art.*1. *num.*13. & *disp.*7. *de Trinitate*, *q.*3. *art.*4. *num.*175. P.Macedo *collat.*7. *differentia* 1. vbi sapienter hanc libertatem elucidat, necnon cæteri Scotistæ apud hos. Imò & D.Thom. *quæst.*10. *de potentia*, *art.*2. *ad* 5. vt notat Macedo. Idem sentiunt Richardus. Gabriel, Ocham, Marsil. apud relatos. Morandus *quæst.*33. putat conciliare, si dicas emanare liberè, idest, non coactè; sed non soluit perfectè.

FVNDAMENTVM. Cùm Thomistæ solam in- 6
determinationem agnoscant ad vtrumlibet; scilicet ad agendum, vel non agendum, aut ad sic agendum, vel oppositum; & in hoc præcisè dicant consistere dominium, quod habet potentia libera super

super suum actum; negant consequenter, libertatem, vt sic, cum necessitate cohærere posse; & duplicem duntaxat agnoscunt libertatem: vnam, quæ dicitur *contradictionis*, quia est ad opposita contradictoriè; vt ad actum, & suspensionem actus, quæ etiam dici solet libertas *exercitij*: Alteram, quæ dicitur *contrarietatis*, quia respicit extrema contrariè opposita, vt velle, & nolle, quæ etiam dicitur *specificationis*; Scotistæ verò cum D. Bonau. vltra has duas libertatis species, quæ semper cum contingentia reperiuntur; aliam libertatis speciem agnoscunt, quam vocant essentialem; & quia conuenit voluntati, vt sic, & quatenus præscindit à creatâ, & increatâ, & est fundamentum omnium aliarum libertatum, & illis præsupponitur adeò, vt illæ sine ista esse non possint; benè tamen hæc sine illis, cùm sit prior eis; quæ quidem consistit in simplici dominio, quod habet voluntas supra suum actum; hæc autem libertatis species indifferenter se habet ad contingentiam, & necessitatem, & cum vtraque compossibilis est. Et quidem rationabiliter, quia necessitas non opponitur libero; sed contingenti; ex *secundo Perhierm. cap.* 3. Deinde quia necessitas non semper tollit dominium potentiæ super actum suum; sed solùm quando necessitas intelligitur præcedere actum, & potentiam determinare ad illum per modum naturæ, vel sicut natura fixa ad vnum,
7 vt ait D.Thom. *loc. cit.* Itaque non diuiditur immediatè principium actiuum in necessarium, & liberum; sed in naturaliter agens, & in agens ex proposito, vt docet Aristot. 2. *Phys. text.*49. & 60. & 9. *Metaphys. text.*10. & D. August. *lib.*5. *de ciuitate Dei, cap.*9. diuidens causam agentem adæquatè in voluntatem, & naturam, vt aduertit S. Bonauent. 1.*d.*45.*art.*2.*q.*1. & *d.*10.*q.*1. *in fundam.* & cum eo Scotus.

Ex quo habes, falsò Thomistas dixisse, posse esse idem principium naturale, & liberum; quia sunt differentiæ oppositæ, vt probat S. Doctor 3.*d.*6.*q.*3. ex Aristot. 7. *Metaph.* & *in Antep.* Non nego quidem, sumptâ naturâ extensiuè, vt dicit intrinsecam rei essentiam, posse voluntatem dici naturam; tamen pressiùs accepta natura opponitur voluntati, vt dicunt Aristoteles, & D.Augustinus: Quare nequeunt hæ duæ oppositæ differentiæ eidem conuenire: & etiamsi non essent duæ differentiæ specificæ oppositæ; sed duo modi oppositi,
8 nequeunt adhuc eidem conuenire. Porrò libertatem posse stare cum necessitate, ostenditur à D. Bonauent. 2. *dist.*25. *p.*2. *q.*2. & D.August. *in Enchir. cap.*105. vbi ait, loquens de beatis in patria: *Multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Erit homo sic, vt velle malè non possit; nec tamen ideò carebit libero arbitrio.* Idem asserit D. Anselmus *de libero arbitrio, cap.*1. apud Seraphicum, quæst. sequenti: *Qui sic habet, quod decet, & expedit; vt hoc amittere nequeat, liberior est, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere. Liberior itaque voluntas est, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quàm, quæ illam potest deserere.* Has authoritates vrgent Scotus *quodl.*16. *art.*2. Meldula *disp.*6. *de Trin. num.*166. Hinc habes, stare libertatem cum aliqua necessitate, vt deducit etiam Faber *num.* 15. Macedo *sect.*2.

9 Neque dicat Vasquez *disp.*161. *n.*13. hos Patres non loqui de libertate agendi; sed de libertate à seruitute peccati, quæ non facit ad rem. Quod respondet etiam Nazarius.

Ipsi profectò Patres loquuntur de libertate ad peccandum; & non peccandum, & hanc dicunt cum necessitate non peccandi consistere posse. Id ait S.August. etiam *de corrept. c.*12.

Replicat Vasquez, oppositum deduci ex verbis D.Augustini sequentibus: *Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera non est, quæ beati esse sic volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Ergo concedit (ait Vasquez) non esse liberam illam voluntatem.

Mastrius solùm respondet, D.August. *loco primo allegato*, pro nobis stare; sed huic secundo non satisfacit; at D. Bonau. *quæst.*1. *citata*, vtitur hoc ipso loco ad probandum, libertatem stare cum necessitate. Hæc sunt verba S. Augustini: *Multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri, non solum nolimus; sed nequaquam velle possimus: sicut ergo nunc anima nostra nolle in fælicitatem: ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est.* Ex quibus habes, S. Augustinum eodem modo asserere libertatem arbitrij stare cum necessitate nolendi esse miseros; & nolendi peccare: Neque de sola necessitate immutabilitatis agere, vt putant Caietanus, & Nazarius.

Observat autem P.Macedo, eximius D. Augustini Interpres, aliquos voluisse legi: *Neque libera dicenda est*, expunctò *non*, vt sensum inuerterent; at Parisiis, Londini, & aliis Bibliothecis se ait, inuenisse negatiuum. In quo errat & Caiet. *q.*41. *art.*2. adducto Scoto. 10

Obseruat etiam Vasquium addere & detrahere verbis D.Augustini, vt ea ad se trahat. Subdit: *Per te voluntas necessitate adacta ad non peccandum, ex D. August. est libertas: ergo cedis.* Id arguit S. Bonau. qui huius status liberi necessarij reddit ex actibus, qui vtrumque patiuntur, rationem.

Porrò id ipsum etiam confirmatur rationibus D.Bonau. quibus vtuntur Scotus, Rada, Meldula, & alij. Primò quia dominium sui actus cum determinatione ad bonum dicit libertatem, vt ostendi ex PP. & est perfectio absque imperfectione aliqua: ergo conuenit Deo. Deinde Deus est liber, neque enim hæc maxima perfectio est deneganda voluntati diuinæ, quæ conceditur nobis, & tamen sua voluntate vult necessariò. Vide, quæ dixi *tract.*1. *disp.*16.*q.*3. & *hic d.*2.*q.*5.

Assero, Spiritum sanctum produci liberè.

Probatvr à Seraphico *dist.*10. *q.*1. Quod est productum ab actu voluntatis essentialiter, prout dicitur propriè, non est productum per naturam; sed productione opposita, idest liberè. Spiritus sanctus procedit à voluntate productione opposita productioni Filij, quæ est per naturam: ergo liberè. Hoc argumentum desumpsere Scotus, Faber, Rada, Mastrius, & alij. Quod verò principium naturæ actiuum sit oppositum libero, vt assumit S.Bonau. *fundam.* 2. constat ex fundamento nostro. Quidquid dicant Caietanus, Nazarius, & alij. 11

Probatvr secundò à D. Bonau. *fundam.* 3. Quandocumque aliquis operatur perfectissimè secundùm potentiam perfectissimam; operatur secundùm modum perfectissimum illius potentiæ; sed Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum voluntate perfectissima, & perfectissime. Ergo secundùm modum totius perfectionis illius; sed libera productio dicit perfectionem in voluntate. Ergo 12

Spiritus

Spiritus sanctus producitur liberè : sic arguit etiam Scotus *loc. cit.* Faber *n. 9.* ita Mastr. *loc. citato*.

13 Respondet Caietanus *q. 42. art. 2.* Sotus *in 4. d. 49. quæst. 2. art. 1.* Nazar. *loc. cit.* & alij ; quod voluntas sæpè sumitur pro potentia, quatenus determinata ad aliquod bonum, siue opus, & dicitur voluntas, vt natura. Hæc autem voluntas dupliciter determinatur, primò quoad specificationem actus : sic voluntas nostra in via, ita determinatur ad beatitudinem, vt non possit velle oppositum, idest miseriam ; altero modo determinatur, & quoad specificationem actus, & quoad exercitium, vt voluntas beati videntis Deum, quæ non potest velle aliud obiectum, neque cessare, aut suspendere huiusmodi actum volendi Deum : & ideò naturaliter exercet illum actum videndi, & amandi Deum. Iam verò Voluntas diuina se habet naturaliter ad productionem Spiritus sancti, quia est determinata vtroque modo dicto.

14 Respondent secundò, agere liberè, & naturaliter, non esse differentias distinctiuas, & constitutiuas potentiarum diuersarum. Ratio est, quia potentiæ distinguuntur per actus, & actus per obiecta. Quando ergo differentiæ non proueniunt ab obiectis formalibus diuersis, ipsi actus non distinguunt potentias. Ideò in proposito, cùm liberum, & naturale non sumantur penès obiecta diuersa, non constituunt diuersas potentias ; sed tantùm diuersos modos operandi eiusdem potentiæ ; & subinferunt, non dari potentiam merè liberam ; sed potentiam liberam esse quoque naturalem, & ideò posse naturaliter operari, licèt detur potentia merè naturalis. Ratio est, quia ipsa naturalis est prior, quàm libera, & ideò potest esse sine posteriori.

15 Ad argumentum respondent, principium liberum reduci ad naturale. Aristotelem verò allatum in fundamento solùm asserere, quod agere naturaliter, & agere liberè sunt diuersi modi agendi ; non autem diuersæ potentiæ realiter distinctæ.

Ad secundum respondent, necessitatem immutabilitatis stare cum libertate, qualis est necessitas, qua Deus vult creaturas : at necessitatem simpliciter non stare cum libertate, & hac necessitate procedere Spiritum sanctum ; nam, cùm sit Deus, est necessarius simpliciter, & hanc esse maximam perfectionem.

16 Contrà ostendo primò, voluntatem intrinsecè operari liberè ; & ideò non posse esse actum voluntatis, qui non est liber. Quodcumque conuenit alij per aliud, conuenit huic per se, & intrinsecè ; sed omnis libertas conuenit ratione liberi arbitrij, seu voluntatis : ergo intrinsecè ei conuenit, & cùm non sit alia potentia essentialiter libera ; sed sola voluntas, oportet, vt omne operari, quod sequitur ad esse, sit liberum.

Tunc sic arguit S. Doctor. Quod emanat intrinsecè per actum intrinsecum voluntatis, emanat liberè : sic emanat Spiritus sanctus, de fide : ergo. Hoc argumentum sumptum è D. Bonau. *dist. 10. q. 1.* vrgent acriter Scotistæ.

17 Adverte ; aduersarios in æquiuoco natare, dicentes, Deum esse liberum libertate immutabilitatis, eò quòd prius potest producere, v. g. & non producere creaturas ; sed productis, non potest eas non produxisse. Libertas igitur immutabilitatis stat etiam in hoc, vt antecedenter etiam non possit velle oppositum ; attamen illud velit non coactus, sed actui dominatur, seipsum determinans essentialiter ; at verò agens naturale non determinat se, sed determinatur ab alio ; sed Deus à seipso determinatur, vt perfectissimus, ad bonum. Et hoc fundamento D. Bonauent. quod sumpsit Scotus cum asseclis, ruunt Thomistarum machinæ.

Probatvr tertiò assertio à D. Bonau. *fundamento* 4. Quod procedit vt donum, procedit liberè : Spiritus sanctus procedit vt donum : ergo.

Dicent, ipsum procedere, vt donum dabile extrà.

Contrà : nam procedit intrinsecè vt donum, etiam vt refertur ad Patrem, & Filium, vt dixi, *disp. 10. sect. 3. quæst. 4.* Ideò S. Augustinus 4. de ciuitate, cap. 20. *Sicut Spiritum sanctum donum Dei esse, est à Patre procedere ; ita mitti, est cognosci, quod ab ipso procedit.* Et 5. de Trinit. cap. 2. *Donum est Patris, & Filij, quia à Patre, & Filio procedit.* Idem habet *locis adductis, quæst. citata*, vbi id neruosè probaui. Hoc argumento vtitur Faber *num. 16.*

Probatvr quintò à D. Bonauent. *quæst. 10. in fundamentis.* Si Spiritus sanctus emanaret per modum naturæ, iam esset eadem persona cum Filio, qui emanat eodem modo. Hoc vrgent Scotistæ. 18

Obiiciunt primò, Quod non potest aliter esse, non est liberum. Talis est Spiritus sanctus : ergo. Minor probatur, alioqui, si posset non esse, iam esset creatura.

Respondet S. Doct. primò, *in fundamento, è secundo sent.* dari necessitatem, quæ est libera, non contingens.

Respondet secundò *hic in 1. dist. 10. quæst. 1. ad primum*, Spiritum sanctum manare, vt rationem doni habet ex libertate essentiali, quatenus ex actu voluntatis intrinseco sibi dominanti ; non verò contingenter.

Obiiciunt secundò ex Niceta lib. 3. thesauri fidei, cap. 19. *Naturalis voluntas, vt SS. Basilius, & Cyrillus authores sunt, est vita amor, omni enim homini vita, & fruitio chara est. Ecce hæc est communis voluntas, Gnomicæ porrò, seu scientes voluntates in nostra natura multa sunt : alius enim homo priuatim secum agere vult ; alius aliud agere.* En naturalem voluntatem asserunt necessariam. 19

Respondetur, ibi distinguere voluntatem ad contradictoria, quæ nascitur è Gnomi, hoc est ex scientia, & consultatione circa alias res, quæ possunt etiam amari, & non amari ; & ideò circa eas versatur consultatio, hanc, inquam, distinguunt à voluntate ; quæ est appetitus boni, qui appetitus, tametsi quoad specificationem determinetur ad bonum, non ob id est naturalis, idest determinatus ab intrinseco, licèt sit à natura insitus, non excludens liberam essentialiter determinationem sui, & exercitium actus.

Obiicies tertiò cum Vasquez. Aut spiratio dicitur libera, quia est sine coactione, & cum delectatione : & hoc modo etiam operationes brutorum ad ea, quæ naturaliter appetunt, vt ad pascua, essent liberæ. Vel est libera ad contradictoria ; vel ad contraria : & tunc erit contingens. Vel est libera, quia à suo principio intrinseco determinatur ex cognitione, & hoc modo etiam bruta agerent liberè : sic & Caspensis, *disp. 9. n. 115.* 20

Respondet Scotus ex D. Bonau. *in secundo, citato loco*, hoc tertio modo spirationem esse liberam ;

neque verò bruta determinant eligendo delectabiliter ex cognitione finis; ita vt hoc veniat ex rectitudine voluntatis, quæ dominans suo actui velit quod est optimum.

21 Obiicies quartò cum Suarez. Illud solùm est liberum in nobis, quod est facere, & non facere, ex D. August. *lib. 3. de lib. arbitr. c. 3.* Hieronymo *epist. ad Damasum*, Damasceno *lib. 2. de fide, cap. 28.* Aristot. 3. *Eth. c. 4.* sed dicere Spiritum sanctum posse non produci est hæreticum: ergo.

Respondent Rada, & Faber è D. Bonau. *2. d. 25. q. 2. & 3.* Maiorem veram de libertate nostra ad contradictoria; non de essentiali, quam suprà dixi.

22 Obiicies quintò cum eodem. Necessarium repugnat libero. Spiratio est necessaria: ergo. Maior probatur: nam liberum est indeterminatum: necessarium verò determinatum.

Respondet S. Bonau. *quæst. citata ad vlt.* necessarium necessitate coactionis opponi libero; non autem necessarium necessitate immutabilitatis, hoc enim opponitur soli libero contingenti, quale inter nos reperitur. Huic responso acclamat Scotus.

QVÆSTIO IV.

Vtrum actus notionales sint de substantia, & quomodo.

D. Bonau. d. 5. q. 1.
D. Thom. q. 41. art. 3.

VERTITVR inter Catholicos hoc sanum proloquium: *Filius est de substantia Patris.* Ideo quæritur; an, & quomodo verum sit.

Henricus *in summa, art. 54. q. 3. ad vlt.* & *art. 58. q. 1.* ante solutionem argumenti, & *art. 59. q. 2.* asserit, hoc sensu verum esse, vt Filius sit de Patris substantia, tanquam de materia (seclusis imperfectionibus;) sicut dicimus gladium esse de ferro. Idem sentit Durandus *d. 5. q. 2.* & videtur D. Thomæ *eadem dist. q. 1. art. 1.* vt notat Capreolus. Subscribit Arriaga *d. 46. sect. 5. subsect. 1.*

23 VERA tamen sententia est, particulam *de* non denotare principium materiale, neque essentiam Diuinam habere rationem aliquam materiæ, ob quam Filius dicatur de substantia Patris. Ita D. Bonau. *hic*, D. Thom. *ad 2.* Caietanus, Canariensis, Nazarius, *controu. vnica*, & alij moderni ad eum articulum. Vasquez *disp. 161. c. 1.* Valentia *disp. 2. q. 15. p. 3.* Idem sentit Morandus, *quæst. 34.* Scotus *in 1. d. 5. q. 1.* Capreol. *eadem dist. q. 1. art. 1. concl. 4.* Gabr. *q. 2. art. 2.* Gregor. *q. 2. art. 1.* Marsil. *in 1. q. 9. art. 2. ad octauam rationem.* Faber *d. 33.* qui dicit, Theologos omnes vti rationibus Scoti, contra Henricum.

24 PRINCIPIO astruimus, hoc proloquium esse Catholicum. Nititur autem illis testimoniis, quæ testantur, Filium esse genitum, vt notat D. Bonau. *fundamento 1.* sic Psal. 109. *Ex vtero* (vbi Hebræus *Rechem* fœmininum vterum sonat (*ante Luciferum genui te*, vbi asseritur de proprio vtero, vel substantia genuisse, non egens vtero fœmineo; sed ipse præstans substantiam totam; ex opposito generationis hominum, in qua necessaria est substantia Patris, & Matris.

25 Similiter in Symbolo dicitur; *Deus de Deo, Lumen de lumine*; vbi, cùm dixisset Filium: *Ex Patre natum*, addit: *Deum de Deo, &c.* Arbitror autem, additum, quia, cùm particula *ex*, quodlibet principium innuat etiam extrinsecum, vnde dicitur: Mundus ex Deo, voluit explicare generationem de substantia Patris. Hæc doctrina est D. Augustini *lib. de natura boni, contra Manichæum, cap. 26.* quam sumpsère Scholastici Theologi, *locis adductis.*

FATEOR sanè cum Driedo, *lib. 3. de dogmatibus, & regulis scripturæ*, sæpè particulam *de* significare idem, ac *ex* solam efficientiam. Sic Matth. 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et in Symbolo: *Et incarnatus est de Spiritu sancto, &c.* Attamen, quia hic ponitur particula *de*, vt contra distinguitur à particula *ex*; primò enim dicitur: *Ex Patre natus ante omnia sæcula*, deinde dicitur: *Deus de Deo*; significat expressè de substantia Patris genitum, & consubstantialem; quod Vasquez *cap. 2.* plenè non aduertit; putans, nomen Patris satis significare consubstantialitatem. 26

Profectò nomen Patris suprà erat prolatum: *Ex Patre natum.* Igitur, si eo nomine erat satis explicata consubstantialitas, eò quòd expressus sit Filius genitus, generatione propria viuentium, quæ est de substantia Viuentis, seu à principio intrinseco, cur subditur: *Deum de Deo, &c. Consubstantialem Patri?* 27

NE igitur putaretur generatio adoptiua, qualem latrauit Arrius, addit: *Deum de Deo*, vt ostenderet, esse propriam generationem, de principij viuentis coniuncti substantia; sicut propriè generationes fiunt, vt rectè arguit D. Bonauent. *hic, fundamento 4. & ad 3.* vbi particulam *de* exponit, significare consubstantialitatem: aliquando significare etiam materiam, quæ est principium passiuum; sicuti particula *à* significat principium actiuum, vt docet Aristot. *1. Physic. text. 58.* non verò consubstantialitatem, vt notat D. Bonau. *ad tertium.*

PROBATVR à Seraphico *fundamento 3.* quo vtitur Concilium Toletanum vndecimum in confess. fidei: *Filius non ex nihilo, aut ex alia substantia; sed ex vtero Patris, idest, ex substantia genitus, credendus est.* Si enim Filius non ex nihilo; neque de aliquo extrinseco genitus; sed ex vtero Patris: ergo de substantia Patris. 28

Hanc propositionem repetunt SS. Patres, vt notat D. Bonau. post Magistrum *dist. 5. dub. 10. litt.* præcipuè D. August. *15. de Trinit. c. 16. in fine*, & *cap. 20. & lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. & 15.* vt notat Valentia *suprà.*

Ostendit autem S. Bonau. *dub. 10 litt.* Filium, & Spiritum sanctum non esse de nihilo, quia quod est de nihilo, habet esse post non esse, vt ostendam, *tract. 3. disp. 1.* & priuat materiam præiacentem, vt notat D. August. *lib. 3. contra Max. mi. c. 14.* Quamvis autem Filius, & Spiritus sanctus non sint ex materia; tamen non habent esse post non esse, quia sunt ab æterno, vt decernitur in Concilio Nicæno, vbi anathematizantur ea verba Arrij: *Erat, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat.* Idem in Concil. Later. sub Innocentio III. & in Symbolo D. Athanasij: *Æternus Pater. Æternus Filius. Æternus Spiritus sanctus.* Et hoc vult Ioannes *c. 1.* intonans: *In principio erat Verbum*, vt exponunt: Hilarius, *lib. 2. de Trin.* Basilius *lib. 2. contra Eunom. & homil. in hæc verba*, Nazianz. *tract. de fide, ante medium.* August. *6. de Trinit.* Ambros. *lib. 1. de fide, cap. 5.* vt probat ex illo textu S. Bonau. *dist. 9. q. 3.* & ostendimus, *disp. 9. sect. 2. q. 3.* multis Seraphici rationibus. 29

Restat

30 Restat videre, quomodo hæc propositio: *Filius est de substantia Patris; & Spiritus sanctus de substantia Patris, & Filij,* sit vera: quam multis auctoritatibus munit S. Bonau. *d.* 5. cum Magistro.

Assero primò, Filium non esse de substantia Patris, tanquam de materiâ.

Probatur primò à Seraphico *ad* 2. *&* 3. nam commune est tam materiæ, quàm formæ, esse id, de quo aliquid fit, si forma generationem præcedat. Ergo dico, quòd dicitur Filius de substantia Patris, non sequitur esse de materia, sed potius dicit consubstantialitatis habitudinem, & originis; hæc enim dicit perfectionem. Hanc rationem è D. Bonau. sumpsere Scotus, Caietanus *loc. cit.* Vasquez *cap.* 1.

31 Probatur secundò à D. Bonau. Terminus formalis generationis Filij, est essentia Patris: ergo Filius non dicitur esse, & generari de essentia Patris, tanquam de materia. Antecedens ostenditur *quæst. sequenti.* Hanc rationem Seraphico acceptam meritò fert Vasquez, eamque sumpsit Scotus.

32 Probatur tertiò à D. Bonau. *argumento* 2. *&* 3. *ad opp.* addito responso, & *in corpore.* Materialis causa non dicit simpliciter perfectionem, imo dicit intrinsece imperfectionem, sine qua materia non potest concipi, dicit enim potentiam passiuam: ergo nulla est ponenda in Deo. Antecedens confirmatur: nam causa materialis tota reducitur in causam efficientem, quæ sola seipsa causat absque materia. Eodem argumento vtuntur Scotus *loco citato,* Faber *in fine disputationis.*

Quomodo autem particula *de,* consubstantialitatem denotet, vario modo à Theologis explicatur.

D. Thomas *ad secundum,* sic exponit, vt particula *de,* significet quasi principium formale: quia Filius habet substantiam Patris, quæ est quasi principium formale Filij.

33 Contra tamen arguit S. Bonau. & cum eo Vasquez, *cap.* 1. nam eadem quoque ratione dici posset: Pater est de substantia Filij, quia in vtroque eadem essentia est, quasi principium formale vtriusque.

Respondet Nazarius ex D. Thoma, negando sequelam, non enim ibi denotatur sola consubstantialitas; sed etiam ordo ad principium, quod; iam dicitur Pater; hic autem ordo non saluaretur dicendo: *Pater est de substantia Filij.* Eodem ferè modo respondet Vasquez dicens, Angelicum non negasse illum ordinem, qui in Patre supponi debet, tanquam principio. Satius tamen fecisset, explicitè ponendo eum ordinem, vt ait Vasquez infrà cum D. Bonauentura.

Magister sic explicat, *dist.* 5. Filius est de substantia Patris, idest, de Patre, qui est essentia.

Verum eodem pacto dicere possemus, creaturas esse de essentia Dei, quia sunt de Deo, qui est essentia, vt arguit S. Thomas, & Vasquez. Non tamen sequitur, Patrem esse de substantia Filij, quia vterque est essentia; & substantia quidem diuina, sed *Pater non est de Filio,* potius sequitur.

34 Optima expositio est D. Bonauenturæ, quem secuti sunt Scotus, Gabriel, Marsil. Vasquez, Valentia: particulam *de* significare formale principium, vel consubstantiale, si referatur ad essentiam; si verò referatur ad nomen, personamque Patris; denotat simul principium originis. Ideò ergo dicitur Filius de substantia Patris, communicando in eadem natura sibi per generationem communicatâ. Idem videtur dicere D. Thomas.

Probatur igitur primò à Seraphico *fundamento* 2. Quicumque est ab aliquo, & est ei consubstantialis, rectè dicitur de eius substantia; sed Filius est à Patre, eique consubstantialis: ergo. Confirmatur maior à Seraphico, *fundamento* 4. Filius inter nos dicitur de substantia parentum; licèt communicent solùm partem substantiæ, idest corpus; multò magis in diuinis, vbi tota substantia à Patre solo communicatur.

Probatur secundò à S. Doct. *fundamento* 3. 35
Pater generat Filium, & non de nihilo, quia tunc esset creatura, neque de aliqua distincta substantia; alioqui non esset Deus, cuius proprium est, esse vnum: ergo de sua eadem substantia, & consequenter quia consubstantialis. Igitur, cùm dicitur Verbum de substantia Patris, ratione *ablatiui* tenetur substantialiter: ratione verò *genitiui* tenetur originaliter, & ita importat distinctionem Filij à Patre, non ab eius substantia.

Ex quo deducit, particulam *de substantia,* non facere sensum transitiuum, ita vt significet substantiã Patris transire ad Filium; sicut inter nos euenit per decisionem, & distinctionem; neque enim particula *de* significat originem solam; sicut dicitur radius de sole, vel splendor de igne, quia tunc sensus esset. Filius habet ortum de substantia Patris, & ab ea generatur, quod est falsum, sed accipitur simul substantialiter, & originaliter, vt dixi: & sic ablatiuus *de substantia* significat consubstantialitatem: genitiuus verò Patris communicationem per generationem. Idem habet S. Doct. *dist.* 9. *q.* 1. *in corpore.* 36

Propterea notat S. Doctor, particulam *de* significare aliquando materiam, vt, culter de ferro: aliquando ordinem, vt, de mane fit meridies, idest, post mane: aliquando originem, vt, radius de sole: aliquando substantialiter, & partialiter, vt cùm dicitur: *Partes sunt de toto,* siue de substantia totius; vt vrceus vini de dolio, & semen de homine: aliquando accipitur substantialiter, & ordinaliter, vt cum dicitur: *De pane fit corpus Christi.* Ibi enim est ordo, quia corpus Christi succedit pani; & est substantialitas, quia substantia panis in substantiam corporis Christi tota conuertitur. Aliquando denique dicitur substantialiter, & originaliter, vt *Filius est de substantia Patris,* vt dixi. 37

QVÆSTIO V.

An terminus formalis processionis denotatus per particulam de *sit essentia: totalis verò sit persona.*

Sicvt in origine actiua est principium, *Quod,* & principium, *Quo*; ita etiam videtur in passiua constituendum, vt alius sit terminus, *Quod,* emanationis: alius terminus, *Quo,* qui formalis dicitur. Terminus, *Quod,* in creaturis est ipsa res producta integra, vt homo. Ita Aristot. 7. *Metaph. text.* 26. 27. *&* 32. terminus verò, *Quo,* seu formalis ratio, qua aliquis terminat productionem, in compositis est forma, quæ dicitur natura. Ita Aristot. 2. *Physic. text.* 14. vbi ait, generationem esse viam in naturam, scilicet in formam, quæ est finis generationis, vt addit *textu* 70. Hinc philosophantium vulgare proloquium, formam esse terminum, *Quo,* productionis. Quamvis autem Gregorius *d.* 5. *q.* 1. *art.* 2. neget in diuinis, terminum formalem productionum, eò quòd formalis, & totalis terminus productionis (ait) in iis tantùm rebus inueniuntur, quæ constituuntur ex pluribus realitatibus; 38

diuinæ autem Personæ non ita constituuntur. Ideò in diuinis productionibus non est alia realitas, vt materia: alia vt forma. Idem habet Gabriel *eadem dist.q.3.art.1.not.4.& art.2.*

39 Verumtamen communiter conceditur terminus formalis emanationum, vt infra dicam. Suppono enim, totalem esse personam: Nunc quæritur, An essentia sit terminus formalis productionis.

PRIMA opinio est Durandi *d.5.q.2.* Essentiam esse veluti materiam, *ex qua*: relationem verò esse terminum formalem productionum diuinarum, & ita essentiam nullo pacto esse terminum formalem. Idem habet Aureolus apud Capreolum 1. *d.5.q.1. art.2. in argumentis contra primam conclus.* Gabriel *loco citato*, Henricus *in summa, art.52.q.3.ad nonum.* Ocham, Rubion, & alij.

40 COMMVNIOR tamen sententia est, terminum integrum totalem productionis esse personam: formalem vero essentiam. Ita D.Bonau.1.*dist.5.q.2.* dum enim explicat propositionem illam: *Filius est de substantia Patris*, ait: *Sic Filius est de substantia Patris, et consubstantialis origine, quia ab ipso per generationem, eiusdem Patris substantiam accipit; non autem paternitatem.* Vnde liquidò habes, terminum, *Quo*, generationis esse deitatem, qua Filius genitus est Deus, terminus enim totalis est persona Filij producta. Idem docet, *q.4.* vt aduertit Forestus, *fol.569.* D.Thom.*q.41.art.4.* Scotus *dist.5. q.2.* Capreol.*q.1.art.1.concl.1.* Caietanus, & Recentiores communiter, quos sequitur Vasquez, *disp.162. cap.3.* Capensis *disp.6. sect.5.*

ASSERO cum hac sententia, terminum formalem productionis in diuinis esse essentiam.

41 PROBATVR à Caietano. In generationibus naturalibus terminus formalis est forma; sed generatio in diuinis est vera generatio, & spiratio vera substantialis productio: ergo. Maior est Aristot. 2.*Physic.loc.cit.* Minor est clara. Confirmatur: nam de ratione termini formalis non est produci; nam anima rationalis est terminus formalis in generatione hominis; cùm tamen non producatur ipsa generatione, sed creetur.

NEQVE de ratione termini formalis generationis est, vt non antecedat generationem, vt putant authores prioris sententiæ: nam etiam anima rationalis est terminus formalis in resurrectione, cùm tamen præexistat. Similiter, & in generatione hominis, cùm tamen prior sit naturà ipsa generatione, dum creatur: nam per generationem solùm coniungitur anima materiæ. Igitur sufficit termino formali, esse formam rei productæ, per quam res ipsa, veluti per formam in generatione, aut alia productione accipit esse.

QVÆSTIO VI.

An detur in diuinis vera potentia ad actus notionales.

D.Bonau.d.7. q.1 & 3.
D.Thom.q.41. art.4.

PRIMA sententia est Aureoli 1. *d.7.q.1.art.2.* in Deo non esse verè potentiam producentem respectu actuum notionalium, aut respectu personæ productæ; sed potentiam Dei ad generandum, vel spirandum esse solùm non repugnantiam terminorum eo modo, quo dicitur, Deus habet potentiam, vt sit Deus.

SECVNDA sententia est Gregorij *d.7.q.1.art.1.* in diuinis dari potentiam realem, non respectu actuum notionalium; sed solum respectu personæ productæ. Cum his immiscentur a Vasquez, *disput. 163.* Caietanus, Canar. *ad hunc articulum*, imò, & D.Thomas *q.25. art.1. ad 3.* vbi concedit in Deo potentiam vere comparatam cum effectu; non tamen cum operatione, quia, inquit, operatio Dei non distinguitur ab ipsa potentia Dei, & in hoc articulo *ad tertium*, & *q.2. de potentia, art.1 in fine*, vbi videtur idipsum docere. 42

TERTIA sententia est, dari potentiam realem ad actus notionales. Ita D. Bonau. *d.7.q.1.* vbi id supponit, & *q.3.* vbi comparat potentiam ad generandum cum potentia ad creandum. Idem sentit D. Thom.*hic, in corpore*: & cum eo Caietanus, Torres, Zumellus, Molina, Nazarius ad hunc articulum: vbi reprehendit Vasquium trahentem tot Thomistas ad secundam sententiam. Ideò ait, falli etiam circa Capreolum, qui pro hac sententia stat, quam sequitur Vasquez *disp. citata*, Suarez *lib.6. cap.5.* Valentia *disp.2.q.15.p.1.* qui obseruat, authores huius sententiæ nolle admittere potentiam, qua eliciantur actus notionales, distinctam reipsa ab eis, ex quo defluunt argumenta Aureoli, quæ soluit Capreolus: ea enim non solùm hoc probant; sed etiam dari aliquid, quo persona producens verissimè dicatur posse habere actum notionalem, ex vi cuius persona procedens existit, ac producitur distincta à persona producente: & ita actus notionalis virtute tantùm distinguitur ab eo, quo Pater v. g. potest producere. Ita & Tannerus *disp 4. q.2. dub.5 num.5.* Morandus *q.35.* 43

ASSERO cum hac sententia, dari potentiam realem ad actus notionales.

PROBATVR à D.Bonau.*dist.7 q.3. argumento 3. ad tito responso.* Potentiæ dignoscuntur per actus, & actus per obiecta, ex Aristot.1.*de anima, text.33.* sed in diuinis sunt veri actus generationis, & spirationis. Ergo & potentia. 44

Respondent aduersarij, has non esse operationes elicitas; & ideo ad eas non esse potentiam.

Contrà arguitur ex D.Bonau.*loc.cit.* in responso, quia, etiamsi Deus seipso agat, tamen actus, seu operatio est distincta ab obiecto: neque est necessarium, vt distinguatur ab operante, non enim operatio est id, quod producitur; sed id, quo producens agit; & quid medium inter producens, & productum, vt notant etiam Vasquez, Valentia, & alij. Per hoc patet ad argumenta Aureoli. Quod si Aristot. 12.*Metaph.text.30.* docet, in Deo non esse potentiam; de ea potentia loquitur, quæ quandoque caret actu. Est igitur potentia respectu termini, non respectu actus.

QVÆSTIO VII.

Quid sit formaliter potentia in diuinis ad intra productrix.

SVPPONO ex dictis, duplex Principium producens, aliud dicitur principium, *Quo*; & est potentia, seu virtus, quâ instructum ipsum agens operatur. Aliud est principium, *Quod*, & est totum illud, quod hâc virtute præditum producit. In diuinis principium, *Quod*, est *Persona*. Principium autem, *Quo*, dicitur *Potentia*, de qua est nobis quæstio 45

stio, quidnam formaliter sit: an relatio? an essentia? vel vtrumque simul?

Non est autem quæstio de potentia proxima: hæc enim est intellectus, & voluntas, vt dixi *disp.*2. sed de remota.

Hæc sanè principia reperiri virtualiter distincta, ostendi passim, nec simplicitati diuinæ repugnare, de quo aliquid etiam dixi *disput.hac*, q.1.

Prima opinio est, potentiam generandi, & spirandi esse solam essentiam. Marginista Scoti 1.*d.st*.7.*q*.1. eam adscribit D.Thomæ *q*.41.*art*.5. & alij nonnulli Magistro, *dist*. 7. Eam verò probat Scotus. Ideo ait Faber, *d*.35.*c*.4. *n*.19. arduum esse inuenire, quæ sit Scoti sententia. Hanc videntur docere Tannerus, *disp*.4.*q*.2.*dub*.5. Granado *tract*.13. *d*.1. *sect*.3. qui referunt D.Thomam, Suarez, Zunigam, & alios; præcipuè Capreolum, & Thomistas alios.

46 Secunda sententia est Scoti 1. *d*.7. *q*.1. §. *Ad quæstionem igitur*, & §. *Quia autem alia argumenta*. Potentiam in Deo esse solam essentiam diuinam in se absolutam; requiri autem, vt conditionem necessariam proprietatem personæ, quia virtus nunquam agit, nisi in supposito, seu principio, *Quod*; ideò essentia sine supposito est potentia remota, accedente autem supposito fit propinqua, non quia relatio, siue persona actuet, & perficiat essentiam; sed tanquam conditio necessaria externa, vt possit propinquè agere. Ita eam explicat Scotus *ad primum argumentum*, contra opinionem D.Thomæ. Et sequitur Fauentinus *c*.4. Arriaga *disp*.45.*sect*.5. Macedo *collat*. 5. Idem reor sentire plures auctores pro prima sententia citatos, præcipuè D. Thom. *q*.41. *art*.3. vbi ait: *Filius est genitus de essentia Patris, in quantum essentia Patris Filio per generationem communicata in eo subsistit.* Scotum *q*.2. & 3. Capreol. *q*.2. Marsil *q*.9. Caietanum, Nazarium, & Thomistas communiter, Canar. Bañem, Zumellum, Molinam *art.cit*. Suarez *lib*.6. *c*.6. Tannerum *n*.13. vbi allegat Seraphicum *dist*. 5. *q*.2. cum aliis mox relatis. Eam explicat verò Suarez sic, proprium esse illius personæ producentis, tanquam peculiarem conditionem eius. Ita etiam exponit Vasquez *disp*.164. *n*.8. horum sententiam. Hic tamen modus non est Scoti apud Fabrum *n*.20. nam sequeretur, paternitatem, v. g. habere aliquam actiuitatem propriam circa istam potentiam productiuam, vt volebat Henricus, quem tamen Scotus refellit.

Tertia opinio est, solam relationem esse po-
47 tentiam productiuam. Hæc opinio attribuitur D. Bonau. *d*.7.*q*.1. & Durando *q*.2. à Vasquez *c*.1. Fabro *c*.2.*n*.9. Suarez *loc.cit*. Morando *num*.642. Valentia *disp*.2.*q*.15.*p*.2. Tannero *n*.9. Capreolò *d*.7.*q*.1. Carthusiano eadem distinctione, qui ibi eam sequitur; sed omnes quoad S.Bonauenturam decipiuntur, vt ostendam. Eam sequitur Amicus *d*.23. *sect*.2. Alarcon. *disp*.6.*c*.2.

Quarta opinio est Henrici *in summa*, *art*.57. *quæst*.7. Relationem principaliter; minus verò principaliter, essentiam esse potentiam notionalem productiuam. Idem sentit Ruitz, qui hoc modo explicat sententiam Vasquez, in recto significare intellectionem, aut volitionem; in obliquo relationem, eam connotando.

Quinta opinio est, essentiam principaliter esse potentiam productiuam modificatam à relatione. Ita Vasquez *cap*.3. qui adducit Caietanum, & Canar. *ad hunc articulum*. Capreolum *d*.7.*quæst*.1.*art*.1. Marsilium *in* 1.*quæst*.11.*art*.2. *concl*.3. & 4. Ferrar. 4.*contra Gentes*, *cap*.13. Vult igitur Vasquez, solam intellectionem esse principium, *Quo*, connotatâ relatione; quomodo loquitur & Morandus *quæst*.35. alios citans. Verùm Vasquez ex more, ne 48 lato vngue ab aliis, etiam quartæ opinionis recedit, vt notat Arriaga *num*.21. Quid enim facit hæc connotatio? an vt relatio sit pars inadæquata principii, *Quo*? & ecce Henrici opinio. An vt sit conditio? & en opinio aliorum.

Sexta opinio est, essentiam, & proprietatem æquè esse principium, *Quo*, seu potentiam, respectu tamen diuersorum: nam in diuina productione duo sunt, & communicatio essentiæ, & generatio. Respectu prioris, essentia est potentia: respectu posterioris, proprietas, siue relatio. Ita Valentia *disp*.2.*q*.5. *p*.2. Citatur etiam Ruitz *disp*.100. *sect*.4. qui pro hac adducit D. Thomam, Molinam, Suarez, licèt verè Ruitz stet cum Vasquez. Adducuntur à Morando, Arrubal. Præposit. & Granad.

Seraphicus igitur probabilem censet opinionem Magistri asserentis, potentiam productiuam in diuinis dicere essentiam, tamen cum respectu ad aliquid, quia est essentiale tractum ad personam.

Deinde affert aliam opinionem, quam dicit videri probabiliorem, potentiam esse propriam Personæ, vt relationem in essentia. Quod ampliùs explicat ad primum dicens: *Non tantùm respicit naturam; sed proprietatem Personæ.* Et ad secundum ait: *Generare non consequitur naturam simpliciter; sed naturam, vt in persona: quia non in qualibet persona est natura fœcunda ad generationem; sed solùm in persona Patris: & hoc est per aliquam proprietatem, quæ est solius illius naturæ.* Ex quo apparet, Suarez magis secutum opinionem D.Bonauenturæ, quàm Scoti.

Tandem *ad quartum*, ait, quod si quis velit opinionem Magistri sustinere, potest facilè obiecta dissoluere; nam nulla ratio probat, quod potentia generatiua de se dicat in diuinis proprium; sed solùm ex adiuncto dicit relationem.

Ex his habemus, videri Seraphicum tenere eam 49 opinionem, quam Suarez Scoto adscribit, & mirificè laudat. Itaque immeritò refertur à tot scholasticis pro tertia sententia. Id agnouit etiam Nazarius *controuersia prima, ad art. quintum, quæst*.41. & subopinatus est Valentia.

Quare deceptus videtur etiam Coriolanus, *q*.41. *art*.3. allegans Seraphicum pro tertia sententia. Tametsi distinctionem addat, vt ad aliam trahat; nempè, potentiam formaliter significare relationem: fundamentaliter essentiam, quam potentia supponit.

Forestus, *fol*.567. astruit Seraphico problematicè existere, vt probabilem omninò censeat opinionem Magistri; scilicet, potentiam productiuam in diuinis esse formaliter essentiam, (vt in secunda, & quinta sententia) tali persona consistentem: sicuti tenent D. Thomas, Magistrum secutus, & alij suprà: ex altera parte rationem formalem potentiæ productricis principalius constituat in relatione cum Scoto, *dist*.7. *citata*. Richardo, Petro Tarantasia, & aliis; & hanc ait videri probabiliorem. Et quidem legenti Seraphicum elucet, ita rem se habere, vt ait Magister meus Forestus.

Asserendum primò, potentiam productiuam in diuinis non esse solam essentiam.

Probatur à D.Bonau. *fundamento vltimo*. Vbi- 50 cumque est potentia per se productiua, talis est vbique, nisi impediatur; sed per te essentia est potentia generatiua in diuinis, & essentia est in Filio, & Spiritu sancto. Ergo in his etiam erit generatiua,

ratiua. Hanc rationem desumpsère Scotus *loc.cit.* Faber, Macedo *dist.*2. Vasquez *n.*7. Suarez *num.*8. Valentia, Ruitz, & alij suprà.

Si dicas, essentiam nudam non esse dispositam, vt sit potentia.

51 Contrà arguit S. Doct. *in corpore.* Potentia simpliciter necessaria eo ipso, quod est potentia, est etiam disposita; sed essentia nuda per se est potentia simpliciter necessaria ad generationem: ergo disposita. Maior probatur: si datur potentia simpliciter necessaria nuda non disposita in diuinis, iam in illo priori esset indifferens ad producere, & non producere, & consequenter produceret contingenter; sed productiones diuinæ non sunt contingentes: ergo.

PROBATVR secundò à Seraphico, *fundamento* 2. Potentiæ distinguuntur per actus, *ex primo de anima, text.*33. ergo eiusdem naturæ est actus, & potentia; sed actus in diuinis, vt *generare*, & *spirare*, non est absolutum quid meræ essentiæ: ergo neque potentia generatiua. Probatur minor: nam si generare est essentiæ: ergo vel generat seipsam, quod est absonum: vel id, quod generatur, est essentia distincta realiter, & realiter refertur ad illud; sed

52 hoc est absonum: ergo. Probatur sequela, quia forma refertur ad productum eadem relatione, qua producens eadem forma refertur ad idem productum: si ergo essentia est forma, qua persona producit, refertur realiter ad genitum, quod est absurdum. Consequentia est euidens, quia producens realiter refertur ad productum. Antecedens probatur ex Aristot. 2. *Physic. text.*38. & 56. & 5. *Metaph. text.*2. vbi vult, quod ad idem genus principij, & esse, pertinent ars, & ædificator; ars autem est, qua ædificator operatur. Hæc confirmatio est D. Bonau. *dist.*5. *q.*1. & 2. *fundamento* 1. & 2. Totam verò rationem desumpsère è D. Bonauent. Scotus, & Faber.

53 PROBATVR tertiò à S. Bonau. *fundamento* 3. In diuinis idem est posse, & operari: virtus, & operatio ex D. Dionysio; sed operatio, puta generatio, non est solius essentiæ: ergo nec potentia, & virtus. Minor probatur à Seraphico latè *dist.*5. *q.*1. primò, quia principium generationis refertur ad genitum, atque adeò oportet, vt sit ab eo distinctum. Deinde quia agere est subsistentium, non enim agit, nisi in quantum est actu; non est autem agens perfectè in actu, nisi sit subsistens. Hanc etiam rationem sumpsère Scotus, & Faber.

PROBATVR quartò à Seraphico, *fundamento* 4. Pater generat, & potest generare, aut ergo potest, quia generat, aut generat, quia potest; sed non ideò potest generare, quia generat, imò è contrà; ideò generat, quia habet potentiam generandi, & ideò nulla alia persona generat: ergo potentia generandi est propria; at essentia non est propria, sed communis: ergo.

54 PROBATVR vltimò à Durando ratione, quam necessariam secundùm fidem acclamat. Potentia productiua, qua generans generat, includit aliquam relationem, & ideo distinctionem à termino genito secundum suppositum; sed sola relatio est distincta à Verbo genito secundùm suppositum: ergo in potentia productiuâ includitur relatio. Hæc est ratio D. Bonau. *in corpore*, & *q.*2. *fundamento* 3. & *dist.*5. *q.*1. *fundamento* 1. & 2. Hoc solùm probat ratio Durandi, qui conatur demonstrare solam relationem esse principium, *Quo*, sed non est sola relatio, quæ sit propria; sed ipsa essentia tali proprietate determinata: & sic non probat id, quod intendit Durandus, solam relationem esse potentiam in diuinis productiuam. Argumento autem Durandi, prout nimium prætendit, respondebo in fine.

ASSERO secundò, potentiam productiuam in diuinis non esse essentiam cum additione hypostasis qualiscumque, tanquam conditionis ad operandum; sed requiri talem hypostasim, v.g. Patris ad generandum. 55

PROBATVR à Vasquez *n.*9. ratione D. Bonau. *ad secundum.* Si fœcunditas sequeretur naturam, vt in persona indifferenter, iam inueniretur in singulis Personis diuinis, & ita Filius generaret. Probatur sequela: nam in Filio est essentia in persona; sed hoc est falsum, quòd quælibet persona sit fœcunda: ergo requiritur talis persona.

Respondet Faber *num.*10. requiri sanè personam Patris, non qua Pater; sed quatenus est primum suppositum, in quo est adhuc natura non communicata; atque adeò fœcunda: vnde non est fœcunditas in Filio, quia natura potest semel tantùm communicari per generationem infinitam, & cum sit iam communicata, non remanet fœcunda in Filio. 56

Hæc tamen responsio non est ad mentem Scoti, qui vult, requiri personam ratione subsistentiæ necessariæ ad operandum. Ex quo sequitur in eius sententia, naturam esse fœcundam sub qualibet subsistentia.

ASSERO tertiò, solam relationem non esse potentiam productiuam.

PROBATVR à D. Bonau. primò, *argumento* 2. *ad opp. addito responso*, eadem ratione, qua nititur D. Thomas, & Gregorius *loc. cit.* Potentia productiua in agente est id, quo agens assimilat sibi productum; sed Pater assimilat sibi Filium in natura: ergo etiam natura est principium. Hoc argumento vtuntur plurimi, præcipuè Arriaga, *sect.*4. qui ait, non posse aliter explicari: quomodo Filius oriatur Patri. Confirmat; quia nisi intellectio esset principium, non posset Filius dici *sapientia Patris*, vt ostensum est contra Durandum *disp.*2. 57

Respondet Faber, negando maiorem: nam brutum generat sibi simile in specie, & tamen forma sensitiua non est potentia productiua; sed ea est vegetatiua.

Contrà: quia etiam secundùm vegetatiuam assimilat, & hoc sufficit veritati propositionis meæ, quæ talis est. Potentia productiua est id, quo agens assimilat sibi productum; non dicit, qua assimilat soli potentiæ; sed sibi, secundùm alios etiam gradus suæ substantiæ. Hæc porrò est propositio Scoti, vt dicam *ad quintum.* Aliam rationem D. Bonauenturæ afferam *assertione quartâ.*

QVONIAM verò Scotus, & Fauentinus adeò carpendis rationibus alienis delectantur, videamus quàm solidè id ipsi confirment. 58

Probatur ergo primò à Scoto §. *Loquendo tunc de potentia*, & Fabro *num.*10. si relatio esset potentia productiua; sequeretur, productiones diuinas non esse distinctas. Probatur sequela, quia omnes relationes respiciunt sua correlatiua naturaliter. Ergo spiratio non erit distincta à generatione; quia non liberè, sed naturaliter referetur; sicuti, & generatio.

HÆC ratio est imbellis, vt ipse fatebitur Faber *cap.*2. *in fine*, nam hìc est quæstio de potentia remota; non de proxima, quæ est intellectus, & voluntas, quæ sunt principia, è quibus emanationes distinguuntur. Igitur hæc ratio solùm probat, relationem

lationem non esse principium formale proximum; non autem remotum, de quo loquimur: sic ipse redarguit Vasquium in simili, dum ex eo conatur ostendere, relationem non esse potentiam: quia generatio est dictio, quæ est actus intellectûs; relatio autem non est virtus intellectiua: ergo, &c.

59 Deinde sufficeret in principio distinctio virtualis, quam admittimus; neque est necessaria maior distinctio in principio, *Quo*.

Probatur secundò à Scoto: si relatio Patris esset potentia productiua, sequeretur, eandem relationem esse productiuam sui ipsius. Consequens est absurdum: ergo. Probatur sequela, quia in Patre ad Filium est vnica relatio, nempe, generatio actiua, quæ etiam dicitur paternitas. Ergo si illa est productiua, erit productiua generationis, & paternitatis: ergo erit productiua sui.

At hoc argumentum nil valet: nam cùm Deus sit sua actio, non producit generationem: neque generatio est ideò productiua paternitatis; sed Filij. Igitur potentia productiua remota, est etiam relatio, puta generatio, quasi in actu primo, quæ exit ad producendum Filium.

60 Secundò arguo ex Scoto, laudato à Fabro *disp.* 23. *cap.* 7. Generatio actiua est, qua constituitur paternitas, tanquam principium: paternitas ergo est principiata a generatione, quæ est idem: ergo idem est principium sui.

Tertio facilè soluitur ratio Scoti ab auctoribus tertiæ sententiæ, negando sequelam, nam potentia non est relatio, vt refertur; sed vt origo est, & vt talis, est id, vnde generatio: & generatio est id, vnde paternitas, & filiatio oriuntur. Quare non sequitur, relationem producere se ipsam.

61 Probatur tertiò à Scoto: si relatio est potentia generatiua; sequitur, Patrem, in quo est hæc potentia, esse Filio perfectiorem. Probatur sequela primò, quia forma productiua continet virtualiter formam producti: & est perfectior, si non est eiusdem rationis: sed paternitas non est eiusdem rationis cum filiatione: ergo. Probatur sequela secundò: quia filiatio non dat Filio, vt generet, sicuti paternitas id dat Patri; at perfectior est virtus actiua, quàm non actiua: ergo.

Respondetur primò, negando sequelam, vt ostendi *disp.* 3. *quæst.* 10.

Respondetur secundò retorquendo: perfectior est virtus actiua, quàm non actiua: sed per te in Patre essentia est virtus actiua, prout in illa persona; at in Filio non est talis: ergo perfectior est essentia in Patre, quàm in Filio.

Assero quartò, probabile est, potentiam ex essentia magis constitui, quàm ex relatione.

62 Probatur ex Ioanne Theologo *in Concilio Florentia, sess.* 18. vbi ait: *Dixi Filium ex Patre, & ex Patris substantia generari: ita tamen, vt Pater sit generans; principium tamen, quo ipsa persona generat, est id, quod solum communicabile est.* Idem repetit *sess.* 19. Ibi tamen non excluditur necessitas, vt sit in prima Persona. Ideò subdit: *Propterea Pater ergo generatiuum principium est, & suppositum quoddam significat: diuina verò substantia non quidem generat; sed est principium, quo generatio fit, quandoquidem suppositum nullum significat. Porrò autem actiones iuxta omnem philosophorum Scholam, suppo-*

63 *sitorum esse videntur.* Itaque id intendit Ioannes, vt probet, essentiam esse principium *quo*, sed non solam, imò vt modificatam in supposito, iuxta phrasim etiam D. Bonauent., vt notat Nazarius *ad primum.* Neque premit obseruatio Suarez *num.* 6. poni particulam exclusiuam (*sola*) vt sola essentia asseratur principium formale: nam aliam ego appono obseruationem: non enim dixit: principium, quo ipsa persona generat, est id solum, quod communicabile est; sed est id, quod solum communicabile: vnde particula (*solum*) cadit ad nominandam essentiam, quæ sola est communicabilis; non autem ad excludendam relationem à ratione potentiæ.

Probatur secundò à D. Thoma ex D. Hilario *lib.* 2. *de Trin.* & Damasceno *lib.* 1. *de fide, cap.* 8. qui solùm intendunt, potentiam generandi significare in recto naturam diuinam; sed in obliquo relationem, vt aduertit D. Thomas.

Probatur tertiò à D. Bonauent. Principium, *Quo*, est id, in quo productum assimilatur producenti: at assimilatio Filij cum Patre est principaliter secundùm essentiam; tametsi ei assimiletur & in fœcunditate etiam spiratiua. 64

Hinc eruit S. Doct. aliam rationem, quam adhibet Scotus apud Tannerum *num.* 10. productio personarum est vniuoca; si autem principium, *quo*, principale, esset relatio, non esset productio similis; sed æquiuoca. Alias rationes vide suprà.

Assero quintò, probabilius videri potentiam, ex relatione principaliùs constare.

Probatur argumentis factis pro prima assertione. 65

Præcipuè vrget argumentum S. Bonau. allatum, quod detorsit Durandus, vt in sola relatione potentiam collocaret. Potentia productiua, qua generans generat necessariò, est distincta à termino genito: sed sola relatio est distincta à Verbo genito secundùm suppositum: ergo:

Hoc argumento mirè torquentur authores alienarum opinionum, quia infert illam falsissimam opinionem Durandi; Personas diuinas non emanare intellectu, & voluntate; si à relatione, vt potentia, *Qua*, emanant.

Respondetur ex D. Bonauent. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *in corpore*, negando maiorem, quando generatio est vniuoca, & substantia non generatur; sed communicatur: tunc enim eadem forma, qua agens agit, communicatur genito. Vera quidem est omnino maior in creaturis, in quibus principium, *quo*, in generatione producit formam; non communicat eandem numero. Hucusque placet Fabro *num.* 16. & Suarez *num.* 4. & elicitur partim è D. Bonau. *loc. cit. & dist.* 5. *quæst. vltima.* 66

Idem ferè respondet Arriaga *sect.* 5. *num.* 32. dicens, non esse necesse, vt principium, *Quo*, sit distinctum in diuinis; sed sufficere, si id habeat paternitas.

Si opponatur, quod potentia productiua est origo, & radix termini: ergo debet esse distincta à termino. Præterea, terminus dicit ordinem ad potentiam, à qua procedit; nihil autem dicit ordinem ad seipsum. Quod est argumentum D. Bonau. *in fundamentis.*

Respondet Arriaga, vnam rem posse esse causam sui ipsius; dummodò supponatur existens per actionem adæquatam ab alio procedentem. Ergo multò magis intellectio diuina iam existens potest esse causa non sui ipsius; sed filiationis, quæ virtualiter distinguitur ab illa: ergo ex hoc capite non repugnat, intellectionem esse principium Filij. 67

Hoc fundamento ferè infert Valentia, secundum argumentum id solùm probare in sequela, potentiam non consistere solùm in relatione, sed in essentia remotè, atque in intellectu, & voluntate proximè; non verò, quod non consistat etiam in

relatione tanquam in complente rationem potentiæ; non quidem actuando intellectum, & voluntatem; sed per quandam identitatem cum distinctione virtuali. Hoc autem explicat Valentia in creaturis, in quibus videmus, intellectionem, & volitionem procedere non solùm à principio, quod est intellectus, & voluntas; sed etiam ab habitu complente intellectum, & voluntatem in ratione principij: qui quidem habitus non est intellectus, aut voluntas.

S. Doctor respondet argumento: si pro opinione stemus Magistri; difficile quidem posse solui: attamen posse dici; concludere quidem, quod potentia dicit proprietatem, & relationem; non præcisè, sed ratione adiuncti, quod est generare; & hoc, quia in Patre. Itaque est propria, prout modificatur persona Patris, quæ constat ex natura, & proprietate, & modo se habendi naturæ in illa persona.

68 Respondet igitur ad omnes rationes contra secundam, quam reor esse germanam Magistri; potentiam generandi habere quidem coniunctam relationem; nullam tamen ex illis conuincere, esse solam relationem, aut principalius; sed solùm modificari relatione: & hoc solùm probant rationes pro prima assertione.

Argumenta verò pro opinione Magistri allata *assertione tertia*, illud tantùm probant, nempe, non solam relationem, esse potentiam. Itaque S. Doctor ferè problematicus argumenta vtrumque soluendo declarat; attamen illi, vt dixi, videtur probabilior ea, quæ principaliter rationem potentiæ adscribit proprietati. Quod adhuc confirmo. Quando vna operatio vni supposito conuenit; & cæteris repugnat, potentia operatiua, seu productiua illius operationis, debet esse aliquid proprium illi supposito; non aliquid illi commune cum aliis: sed generatio conuenit Patri, & non Filio: ergo.

Respondet tamen D. Bonauent. *ad secundum, & ad vltima duo*, potentiam in diuinis fieri propriam ex additione suppositi primi, quod cùm sit fontale; in eo est origo ad generationem, & spirationem.

69 Probatur secundò adhuc. Imperfectionis est, formam alicui tribuere actum primum, & non secundum: at paternitas tribuit personæ primæ actum primum, idest, esse personale: ergo & actum secundum generandi.

Respondetur tamen ex D. Bonauent. *distinct.* 38. eandem innascibilitatem, quæ constituit primam personam in esse, dare etiam fontalem fœcunditatem, quæ ex natura in tali persona constituitur. Quamuis autem in creaturis (vt notat S. Doctor ad secundum) operatio formaliter sequatur ad esse non personale; sed naturale. Sortes enim non generat, vt Sortes, persona; sed vt homo; attamen in diuinis requiritur tale suppositum primum ob rationem suprà allatam.

70 Obiicit Scotus adhuc pro prima sententia, quæ à cæteris sequentibus reiicitur: si Deus per impossibile generaret alium Deum, Deitas esset principium, *Quo*, illius Dei producti; & non relatio: ergo & in hac productione quam credimus. Probatur consequentia. Quod est perfectionis in principio productiuo, non tollit ab illo rationem principij productiui; sed communicare se in identitate numerali, & adæquata communicatione, ponit perfectionem in principio productiuo: ergo non tollit ab essentia, esse principium productiuum.

Respondetur ex D. Bonauent. *dist.* 9. *quest.* 1. *in corpore* rem in terminis implicare, quod scilicet sit natura diuina, & producat alium Deum: nam vel totam substantiam Deo producto daret: & tunc deberet ipse desinere esse Deus. Ideo producere ex se toto non potest, nisi ille, cuius essentia potest esse in pluribus vna, & tota: vel daret partem substantiæ, & tunc esset diuisibilis; & neuter esset Deus: cùm non haberet totam rationem entis. Data verò hac implicantia, essentia produceret eo modo, quo in creaturis, quod est imperfectionis. Vnde quod est perfectionis in principio productiuo tollit rationem principij productiui, modo imperfecto; implicat enim esse principium perfectum, & dare esse productiuum imperfectè: & ita implicat virtutem productiuam in essentia præsuppositam permanere.

Obiicit adhuc Scotus: essentia est terminus formalis productionis diuinæ: ergo est etiam principium formale productionis. Probatur consequentia: impossibile est, agens communicare, & dare terminum formalem productionis alicui, nisi sit agens vniuocum, vel æquiuocum. Si est vniuocum; forma, qua agit, est eiusdem rationis cum forma producti: & ita cùm producti forma sit essentia, forma producentis erit essentia; si verò sit æquiuocum, forma, qua agit, est perfectior forma producti; in diuinis autem nihil est perfectius essentiâ, quæ est terminus formalis. Ideò generatio in diuinis non potest esse æquiuoca: ergo est vniuoca: ergo essentia erit principium, *quo*, producendi, & terminus formalis productionis, non autem relatio. 71

Hæc est ratio sumpta è SS. Doctoribus, quam Faber sui immemor confutat, vt vidimus *assertione tertia*. Igitur quoad id, quod negat, relationem esse principium, *Quo*. Respondet S. Bonauent. *ad secundum*, generare in diuinis sequi naturam, vt in prima Persona ratione primitatis, quod in creatis non euenit: & ideò principium, *quo*, est relatio modificans naturam, & natura modificata à relatione: quod tandem cogitur fateri Faber *cap.* 4. *num.* 19. quod tamen malè ait esse de mente Scoti, cuius argumenta nudam essentiam asserunt principium *Quo*. Quod verò dicit *concl.* 3. potentiam generandi proximam esse essentiam cum supposito primo, non iuuat: nam agimus de principio remoto; vt ipse vrget contra Vasquez *cap.* 2. *num.* 11. & ipse *num.* 21. *in secunda conclusione* tenet, potentiam generandi esse aliquid absolutum: quibus ostenditur eius varietas. 72

Varium est etiam argumentum Henrici. Generatio est actio positiua: ergo à principio positiuo: sed in diuinis est tantùm essentia, & relatio: relatio autem non potest esse principium, vel terminus motus, ex Aristot. 5. *Phys.* ergo est essentia; at essentia est indeterminata ad plures personas, & ad plures actiones: ergo debet determinari ad hoc, vt sit principium huius numero productionis; determinatur verò per relationem: ergo relatio est principalis. 73

Respondetur ex D. Bonau. *in corpore, & ad secundum*, quod potentia dicit habitudinem originalis principij ad principiatum. Ideò potentia generandi, quæ est prima, quippè quæ est naturæ, quæ productionem voluntatis præcedit, ex se est determinata primò ad generationem, prout tamen modificata in prima Persona: & ideò potest dici, rationem determinationis non esse à sola relatione; tametsi probabiliter inferat, relationem esse principalem, quia vltimò modificat.

Id.

74 Id ipsum solet alia ratione ostendi. In generatione duo sunt: assimilatio, & distinctio: sed principalior est distinctio, quàm assimilatio; quia distinctio non præsupponit assimilationem; sed assimilatio distinctionem: etenim non ideò Petrus generat hunc hominem, quia generat hominem; sed quia generat hunc hominem; ideò generat hominem: at essentia est principium assimilandi; relatio verò distinguendi: ergo relatio est ratio principalior potentiæ generatiuæ.

Respondeti tamen potest, principium, *Quo*, non efficere distinctionem; sed solùm assimilationem. Ideò distinctio generationis, & geniti non debet sumi à principio, *Quo*, sed à principio, *Quod*.

QVÆSTIO VIII.

Cur in singulis Personis non sit potentia ad actus notionales Generationis, & Spirationis: neque tamen dicat in Personis carentibus imperfectionem.

D. Bonau. d. 7. q. 2.
D. Thom. q. 41. art. 6.

De fide constat, Filium in diuinis non posse generare; atque Spiritum sanctum non posse spirare. Huius rei multas rationes afferunt SS. Doctores, quas examinabo.

Aduertunt autem Vasquez, Molina, & Valentia *ad art. D. Thomæ*, id non posse efficaciter ostendi, nisi supposita fide; quod tamen non rectè negat Nazarius ibi *Controu. vnica*: nam potentia generatiua, & spiratiua personarum solùm habetur ex fide, vt probat D. Thomas *quæst. 31. & ibi* Nazarius *controuersia vnica*.

75 Prima ratio D. Bonauent. sumitur è D. Augustino *lib. 3. contra maximinum, cap. 12.* quæ verbis obscuris traditur: *Filius non genuit Creatorem; neque enim non potuit; sed non oportuit.* Non vult dicere, quòd haberet potentiam generatiuam; sed quòd non ex impotentia venit, vt non generet, quæ impotentia dicat priuationem cum debito, & aptitudine, ac monstrositate in carentia; sicut in cæco carentia visus; sed meram negationem, quæ non dicit imperfectionem, eò quòd generare, Filio Dei est inconueniens: sic exponunt SS. Doctores. Quodnam verò sit inconueniens; affertur à D. Augustino *ibi*, & vrgetur à D. Bonau. *fundamento sexto*. Si Filius haberet potentiam generatiuam, profectò generaret; quia posse naturale est coniunctum cum actu necessario. Itaque, & secundus Filius genitus alium generaret, quia non haberet à quo determinetur, nec est minor ratio de secundo Filio, quàm de primo: ergo hic generaret Filium: & ille alium, ob eandem rationem, in infinitum. Est autem inconueniens dari infinitos Filios, qui omnes deberent esse imperfecti, & sine ordine, quo sanè carent infinita secundùm numerum. Hoc argumento vtitur Scotus.

Hinc arguit secundò S. Doct. cum S. Anselmo in Prosol. cap. 7. *Qui potest, quod sibi non conuenit, quantò magis illud potest, & præstat; tantò est peruersior, & infælicior.* Cùm ergo Filio Dei non conueniat generare, iam si gigneret, esset peruersus, & miser.

76 Secvnda ratio D. Bonau. omne illud, ex quo duo intrinsecè differunt, si conuenit vni; alteri repugnat: sic, quia in rationalitate differunt homo, & Leo; si conuenit homini: repugnat Leoni: sed Pater differt intrinsecè à Filio per Paternitatem. Ergo, si hæc conuenit Patri, repugnat Filio; & si Filio non repugnat generare; non repugnat ipsum esse Patrem.

Si dicas; adhuc fore distinctum; sicuti Isaac, tametsi fiat Pater Iacobi, adhuc manet distinctus Filius à Patre Abrahamo.

Opponit S. Doct. quod & secundus Filius posset generare Filium, & tunc essent duo vterque Pater, & simul Filius; & ità etiam alij sequerentur cum magna Personarum diuinarum confusione.

Tertia ratio D. Bonau. Generatio Filij Dei, est productio Verbi ex intellectu Patris; at Verbum nunquam generat aliud Verbum: sed omne Verbum debet esse à mente, seu intellectu productum. 77

Qvarta ratio S. Bonauent. ex Richardo de S. Vict. si Filius generaret alium; & ille alium, sequeretur, quod cùm Filius magis attineat ad Patrem, quàm ad auum; non esset ibi summa connexio; summa æqualitas; summa, & æqua beatitudo; & charitas, quæ omnia sunt absona.

Qvinta ratio D. Bonau. est prima *in corpore*, quam vocat propriam; eam verò adhibent Mayro *d. 7. art. 2.* Argentina *quæst. 1. & 3.* Coriolanus *q. 41. art. 5.* In diuinis debent dari fœcunditates secundùm intellectum, & voluntatem, è quibus ea, quæ secundùm intellectum, est prior. Itaque debent ambæ habere actum suum, & terminum adæquatum. Prima igitur Persona, quæ ratione primitatis est fons omnium emanationum, debet esse principium vtriusque emanationis, quæ obtento termino adæquato relinquunt potentiam exhaustam ad aliam eiusdem rationis emanationem. Pater igitur genuit Filium infinitum, adæquatum Verbum: ergo fœcunditas naturæ tota in Filio effunditur; alioqui Verbum primum non esset comprehensiuum; sed imperfectum esset, vt docet D. August. allegatus *d. 9. sect. 2. quæst. 11.* Ergo non remanet in Filio generatiua fœcunditas. Idem discursus fiat circa Spiritûs sancti emanationem per voluntatem: Igitur non manet in personis productis priuatio exigens; sed mera negatio. Eadem ratione vtitur D. Thomas, quia scilicet, vbi est vnum tantùm dicere adæquatum; ibi non est nisi vnum Verbum; vt notant Nazarius, Caietanus, & alij expositores. Si enim vnus est ille actus simplicissimus; vnus erit & terminus iuxta regulas Aristot. *3. & 5. Phys.* & cùm terminus eius necessariò sit infinitus, adæquatus intellectioni Patris; vnum Verbum esse potest; alioqui erit imperfectum: quia illi potest addi. Hac doctrina ruunt oppositiones Scoti *loc. cit.* Radæ *controu. 9. art. 2.* Valentiæ *disputat. 2. quæst. 15. p. 5.* qui hanc rationem impugnant dicentes, quod cùm actus ille sit simpliciter infinitus. Ergo non obstat, vt illo actu producantur plures personæ, in quibus non esset maior perfectio, quam in illo vnico actu. 78

Non capiunt Verbum istud, quod, cùm debeat esse adæquatum infinitæ intellectioni, eò quòd sit Deus; non potest multiplicari; vt aduertit S. Bonauent. *fundamento sexto, & in corpore*, ex D. Augustino *supra*. Itaque Pater cùm ratione primitatis habeat fontalem fœcunditatem; non potest eam communicare producto: implicat enim esse productum, & esse primum ad omnem fœcunditatem: quia iam in primo generatio est assecuta suum partum. 79

Aliam

80 Aliam rationem apponit S. Doct. *in corpore*, quæ videtur eadem cum prima D. Thomæ, sumptâ ex principio indiuiduationis. In diuinis (ait D. Thom.) non possunt esse plures Patres, aut plures Filij; nisi sint plures paternitates, & plures filiationes. At hoc est impossibile: ergo & illud. Maior probatur, quia personæ diuinæ sunt ipsæ relationes subsistentes. Minor probatur, quia in diuinis non possunt esse plures paternitates, & plures filiationes; nisi secundùm materialem distinctionem. At hæc non est in Deo: ergo. Maior probatur: quia formæ vnius speciei non multiplicantur, nisi secundùm materiam. Minor probatur: quia in Deo non est materia.

Hanc rationem impugnant Scotus 1. *d*.7. *q*.2. Aureolus *ibi*, Rada *controu*. 9. & omnes Scotistæ passim, atque Valentia *loc. cit*. cum aliis Iesuitis.

81 At S. Bonau. non tenet, materiam signatam esse principium indiuiduationis; vt præclare ostendam *tract*.4. qui erit de Angelis *disp*.1.*q*.4.& *tr*.5.*d*.5.*q*.4.

Sic igitur arguit. In emanationibus diuinis debet attendi originalis distinctio personarum, quia necesse est, ea, quæ communicant in natura, distingui, vel per materiam, & formam; vel per originem. Per materiam, & formam non potest esse distinctio in diuinis, quia vbi est talis modus distinguendi, est compositio, & variatio, & formæ multiplicatio, quæ omnia Deo repugnant. Ideò necesse est, distingui per originem, siue habitudinem. Ergo per generare, & generari. Ergo si Filius posset generare, posset etiam non distingui.

Si tu dicas, quod adhuc est distinctio, quia vnus tantùm Pater: alius tantùm Filius: alius est Pater, & Filius. Contrà arguit: secundus Filius posset generare eadem ratione, qua primus, & secundus; & tunc duo essent, quorum vterque esset Pater, & Filius, vt suprà.

Supponit autem, formas subsistentes non multiplicari sine materia: quia etiam animæ multiplicantur in subiectis, vt aduertunt Thomistæ, & in via D. Bonauenturæ constant necessariò ex materia, & forma.

82 Septima ratio D. Bonauenturæ est. Multiplicatio suppositorum secundùm similem modum egrediendi non est, nisi aut propter defectum durationis, sicut est in generabilibus, & corruptibilibus, vt per successiuam generationem perpetuetur esse: aut propter defectum perfectionis, vt fiat per plures, quod non potest per vnum; sicuti plurificantur stellæ ad influxus necessarios: multiplicantur Angeli, & animæ ad implendam supernam Hierusalem, & manifestandam Dei bonitatem, quandoquidem nec vna stella ad omnes influxus esset sufficiens, nec vnus Angelus, aut vna anima ad Empyreum implendum. Idem præclarè videmus in generationibus. Eadem arbor plura gignit poma. Idem brutum plures fœtus. Idem homo plures exerit Filios, quia singulæ generationes sunt imperfectæ cum suis terminis. Iam verò, cùm Deus Pater communicet Filio infinitam, æternamque simpliciter perfectionem in ratione Verbi; non communicat consequenter vim generatiuam ad alios Filios; qui non sunt producibiles, cum in primo infinito sit adæquatus terminus, sitque infinitas simpliciter, & omnis perfectio possibilis Filio Dei. Hæc est quarta ratio D. Thomæ.

83 Contra eam agit Scotus: quia sequeretur, vnicum tantùm productum in diuinis, sed hoc est contra fidem: ergo. Probatur sequela: quia illud productum, Verbum habet quicquid in latitudine productl inueniri potest; vnde omnem productorum multitudinem excludit.

Respondetur cum D. Bonau. negando sequelam: 84 quia in generatione Filij, sicut intellectus, non voluntas est potentia, quâ producitur, ita ea sola exhauritur, vt Filius habeat quicquid ad rationem Verbi requiritur, non autem quod requiritur ad esse Amoris: vt notat Nazar. etiam, cum Caietano, & aliis Thomistis. Ita remanet adhuc voluntas fœcunda.

Insurgit etiam Valentia: si plures Filij conuenissent in eandem numero naturam, sicut iam conueniunt plures personæ; quilibet eorum potuisset esse perfectissimus propter identitatem in tertio, & nihilominus distinctus ab alio.

Respondetur, non esse possibiles plures Filios in eadem numero natura conuenire; vt frustra supponit, non autem probat Valentia. Id autem esse impossibile, ostendit ratio facta, quam confirmat etiam Caietanus, ipsum vide.

Ex his habes, non posse esse plures Patres ratione primitatis, quæ est propria Patris; nec plures Filios ob eam rationem, & alias adductas, quæ arguunt, non posse esse etiam plures Spiritus sanctos: sic definitum est in Symbolo Athan. *Vnus Pater. Vnus Filius. Vnus Spiritus sanctus.* Quod autem Deus est, necessarium est, vt docet Valentia, relatus *d*.10. passim.

Remanet dubium, quod D. Bonau. soluit *septimo loco, in dist.7. ad litteram Magistri.* Cur Filius non sit imperfectior Patre, quia generatiua potentia caret.

Neque enim sufficit dicere, eam carentiam esse 85 non priuationem, quæ in aptitudine, & debito includit monstrositatem carentiæ; sed esse meram negationem, quæ non dicit imperfectionem: sic enim non est imperfectio lapidi, carere animâ: Boui carere intellectu, &c. Contra enim est, quia hæc, cùm habeant finitos limites perfectionis, dummodò eos attingant, sunt in suo genere perfecta: at Filius Dei, cùm sit Deus, debet esse infinitè perfectus simpliciter, atque adeò nulla carere perfectione. Quomodo autem est talis, si caret hac maxima perfectione?

Sic igitur respondet difficultati S. Doctor. Di- 86 uinissima Trinitas est vnus Deus intellectiuus, & volitiuus, cui actus vnicus intellectus conuenit: quia infinitè simplicissimus, & perfectissimus. Ideò in primo tantùm supposito est fœcunditas primitiua intellectus, & voluntatis: hinc Filio communicat plenissimè essentiam diuinam per intellectum: Filius ergo cum totam communicationem generationis accipiat, exhauriat, & terminet adæquatè, non est minus perfectus Patre communicante: sicuti si Rex daret Filio totum suum thesaurum coacervatum ex omnibus venis exhaustis, nil impotentiæ esset Filio, non posse alios thesauros e venis exhaustis coaceruare, nempè, quia totum thesaurum absorbet; sic & Filius, cùm exhauriat totam potentiam generatiuam Patris, quam terminat absorbendo omnes thesauros sapientiæ Dei Patris, non est minùs perfectus Patre communicante. De hoc egi etiam *disp*.3. *q*.10.

Obiicies primò ex Hilario 9. de Trin. *Filius ha-* 87 *bet in se naturaliter naturam gignentem.* Ergo natura in Filio est nata generare.

Respondet S. Doct. sensum esse, habere naturam Patris gignentis, seu naturam fœcundam in Patre.

Obiicies secundò. Plus ordinatur generatio ad generandi potentiam, quàm ad potentiam spirandi;

di: sed Pater generans Filium, communicat ei potentiam spirandi: [illegible]

Respondet S. Doct. quod cùm Generatio [illegible] Filium [illegible] [illegible] habet [illegible] spirandi [illegible] unis.

[illegible]

88 [illegible]

[illegible] Quare nil [illegible] & [illegible] in diuinis [illegible]

QVÆSTIO IX.

[illegible] potentia ad actus [illegible] sit diuersa a potentia creandi.

[illegible]

EX [illegible] huius [illegible] ad intra [illegible] consequenter dicent [illegible] intellectus, & voluntatis [illegible] ad intra [illegible], & ad extra [illegible] esse principia ad intra, [illegible] sunt in hac, [illegible] persona [illegible] *q. 45. sect. 6.* Qui verò [illegible], dicent consequenter [illegible] ad extra sunt indiuisi & [illegible] relationes, secundùm quas [illegible] ad intra, [illegible] propriæ.

89 A[illegible] S. Doctor, [illegible] esse potentiam [illegible] potentiam, [illegible] prout habet [illegible] per unam notionem [illegible] virtute distinctam [illegible] vt talis est [illegible] respecta [illegible] comparentur hæ potentiæ [illegible] obiectum, prior est potentia [illegible] a sui [illegible] ad obiectum, ad quod [illegible] rationem [illegible], potentia [illegible] quam potentia creandi.

90 A[illegible] primò, [illegible] potentiam, [illegible] [illegible]

PROBATVR à D. Bonau. primò: V[illegible] potentis [illegible] posse. [illegible] est potens omnino [illegible]. Ergo habet [illegible] posse ad generandum, & creandum.

PROBATVR secundò à D. Bonau. [illegible] potentia [illegible] quam [illegible] Quod [illegible] præ[illegible]

91 A[illegible] esse plures potentias virtuales, seu [illegible] ratiocinata.

PROBATVR à D. Bonau. primò, ex D. Augustino *7. de Trin. cap. 6.* vbi ait: *Alio est Pater, alio est Deus.* Ergo alio est generans, alio est creans virtute, seu ratione ratiocinata, vt dixi *d. [illegible] quæst. 3. & sequent.*

PROBATVR secundò à S. Doct. Potentiæ distinguuntur per actus, & actus per obiecta loquendo de illis actibus, qui habent suum complementum ab obiectis, [illegible], qui non habent talem ab obiectis complementum, quales sunt actus Dei, qui seipso agit, ostendunt aliquam virtualem distinctionem [illegible] diuersorum obiectorum: sunt autem diuersissima obiecta, Filius productus, & creaturæ. 92

PROBATVR tertiò. Potentiæ plurificantur per subiecta propria: quod si sit subiectum, non formale, saltem virtualis aliqua distinctio ostenditur: at posse creare est in Filio, vt Deus est: non est autem in eo potentia generandi alium Filium. Ergo aliqua distinctio virtualis [illegible] reperitur, qualis est inter esse Deum, & esse Filium, quæ est virtualis.

Probatur quartò, quia aliquo modo, ratione saltem [illegible] potest intelligi potentia creatiua, absque potentia generatiua; tametsi non possit [illegible] non etiam potest intelligi persona sine essentia. 93

QVÆSTIO X.

An potentia creatiua, & generatiua in ordine ad obiecta conueniant analogicè.

D. Bonau. [illegible]

QVÆSTIO est de potentia passiue, vt terminatur ad obiecta [illegible] an posse generari, & posse creari [illegible] analogicè.

ASSERTIVE [illegible] habere. 94

PROBATVR à [illegible], quia posse creari dicit creaturam, posse generari Personam Filij Dei, quæ non [illegible] cum creatura [illegible], sed tantum analogicè. [illegible] eo modo conueniunt, quo Creator, & Creatura. Idem habet D. Thom. *1. d. 7. quæst. 1. art. 2.* Marsil. *1. q. 31.* [illegible] *dub. 4.* Richard. *d. 7. quæst. 4.* [illegible] Suarez *lib. 6. de Trin. cap. 5.* & alij.

PROBATVR secundò, quia [illegible] passiuè respecta personæ dicit productionem [illegible] mutationem: respectu verò creaturæ dicit [illegible] mutationem, quæ omninò variant [illegible] ab vniuocatione, [illegible] analogiam. 95

PROBATVR tertiò à Seraphico, quia posse creari refertur ad omnipotentiam; at posse generari non [illegible] omnipotentiam, alioqui, si ad omnipotentiam [illegible] generari, [illegible], qui potest [illegible], esset [illegible] omnipotens: & Filius, qui generari [illegible], non esset omnipotens. Ergo [illegible]

Vt [illegible] quæ analogia sit hæc, quam [illegible]

S. [illegible] *d. [illegible]*, Deo nil, ait, [illegible] per analogiam, quæ [illegible] vel duorum ad duo, [illegible] modo [illegible] habent ad [illegible], sed ad [illegible] ana- 96
manem: vel dicit latitudinem vnius ad vnum siue exemplaris

exemplaris ad exemplatum. Tametsi vtraque analogia proportionis vocetur, quæ præcipua est. Ideò, vt Quintilianus notat, etiam aliam conuenientiam mediam inter vniuocam, & æquiuocam, in Græco *analogiam*, quòd Latinè sonat *proportionem*, est inuenire.

97 Idem S. Doctor *in 1. distinct. 22. quæst. 3.* agit de analogia attributionis, qua aliquid primò de vno dicitur; deinde per similitudinem de aliis. Inter hæc sunt nomina, quæ primò de Deo dicuntur: deinde ad creaturas transferuntur, vt ens. Alia similiter nomina, quæ primò de creaturis dicuntur, & propriè, vt Leo. Deinde ad diuinam aliquam perfectionem, puta potentiam exprimendam, transferuntur.

Distinctione autem 25. art. 2. quæst. 2. discernit habitudinem vniuocorum ad vniuocans, ab habitudine analogorum: illam quidem vocat æqualitatis, qua plura æquè simul participant de natura, vt Petrus & Paulus, indiuidui, ad naturam humanam. Hanc vocant etiam æqualem analogiam, seu habitudinem. At verò analogia vel est ad diuersa genera, quorum vnum est prius alio, vt Petrus ad speciem hominis, quæ est substantia, & simpliciter ens; & Petri albedo, quæ est accidens, & entis ens posterius. Quo pacto persona comparatur ad diuinam, & creatam, quæ est posterior, & entis ens comparatè. Vel est analogia generis ad plures differentias, quæ dicitur æquiuocatio: vnde Aristoteles dixit in genere multas latere æquiuocationes: & in vnoque genere esse primum, vt dicitur 10. *Metaph.*
98 Hæc tamen est velut vniuocatio, quia idem genus ad plures differentias vniuocatione generica se habet; licèt alia sit differentia perfectior, veluti sub animali rationalitas; & hoc sensu videtur asserere, personam in genere, ad Personas diuinas analogicè se habere: quia alia est quasi species Personæ Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti; neque tamen est ibi aut genus, aut species, aut excessus differentiarum; imò neque differentiæ: omittit verò analogias, quæ hîc non inseruiunt.

Hac verò *dist. 7. quæst. 4.* duplicem assignat analogiam: altera est, qua analogata in vnam naturam vniuntur, quando scilicet creaturæ inuicem sumuntur, & vna est alia perfectior in eadem natura; sicut si Angelus, & anima in vnam naturam intellectiuam conferantur; perfectior enim est Angelus: alia, quæ ad vnum reducit per similitudinem, & proportionem; sicuti Deus, & creatura: & hanc aliqui vocant æquiuocationem, vt Albertus, Ammonius, Boëtius, & alij, *capite de Equiuocis.*

99 Hanc porrò analogiam creaturæ ad Deum asserunt etiam Alensis *1. p. quæst. 2. memb. 3. art. 3. ad primum.* Et *quæst. 10. memb. 2.* & *quæst. 45. memb. 1. art. 3.* Richard. *d. 25. art. 2. quæst. 1.* D.Thom. *q. 13. art. 5.*

Colliges, veram analogiam non esse generis vnius; sed diuersorum.

Igitur præcipuæ species analogiæ sunt attributionis, & proportionis; ex Aristot. *1. Eth. cap. 6.* ita tamen, vt aliquandò confundantur; vt à D. Thom. *1. p. quæst. 13. art. 1.* & *de veritate, quæst. 2. art. 11.* vbi attributionis analogiam secundùm proportionem, nuncupauit: & aliqui dicunt, attributionem esse proportionem.

Quamuis autem sola analogia proportionis propria censeatur; ex Aristot. *5. Metaph. t. 12.* & *duodecimo Metaph. t. 19. 22. & 23.* & *1. Eth. cap. 6.* ex
100 Ammonio simplicio *cap. de Æquiuocis*, tamen inter Doctores vsus obtinuit, vt ea etiam, quæ habitudinem habent, vel inter se, vel ad vnum, analoga vocentur.

Fatendum verò, in analogis attributionis plurimas latere æquiuocationes: nam vrina dicitur sana per attributionem ad animal, quod solum est sanum; vrina verò est signum merum sanitatis.

Nota primò, proportionem significare mensuram vnius, applicati ad alterum; proportionalitatem verò significare duarum proportionum similitudinem. Porrò & proportio, & proportionalitas ad quantitatem quoque virtutis extenduntur: sic dicitur: sicut se habet intellectus humanus ad suum actum: ita & Angelus ad suum.

Nota secundò, analogiam creaturæ ad Creatorem 101
in genere entis, esse similem analogiæ accidentis ad substantiam in genere entis, quia sicut accidens ad substantiam ordinatur, cùm sit entis ens; substantia verò primò ens; ita Deus est primò ens; creatura verò est entis ens; præterea est imperfectissimo modo ens respectu Dei, & posterius; sicuti substantia est natura prior accidente, est enim eius causa. Et est etiam prior cognitione: nam ponitur in definitione accidentis. Fateor, quoad cognitionem nostram è sensibus haustam, priùs esse creaturam; at cognitione simpliciter prior est Deus, sicuti est ens priùs, quàm creatura. Igitur analogia ista potentiæ generatiuæ, & creatiuæ, considerata ad terminos, est eiusdem rationis, cuius est ens, & entis ens.

Idem S. Doctor *distinct. 29. quæst. 1.* & alibi: 102
Analogum medium statuit inter *Vniuocum*, & *Æquiuocum*. Hac verò phrasi explicat æquiuoca, cùm circa *dici*, non circa *esse* sit ingeminatio: sic vox homo dicitur de homine vero; dicitur etiam de picto: & sic ingeminatur; sed non ingeminatur res, quæ non est communis: Vniuocum dicitur cùm, *esse*, non verò vox geminatur. Sortes enim & Plato verè sunt plures homines; at vox *homo*, non dicitur multipliciter. Analoga denique ingeminat, & enumerat in dicendo, & in essendo.

Alii ex S. Bonauentura sic explicant, analo- 103
gum plura significare, non ea tamen absolutè, sed cum ordine quodam, & similitudine, & proportione, & dependentia vnius ad alterum. Quod esse dicitur triplex: primum à similitudine, vt homo verus, & pictus: sed hoc est æquiuocum. Melius exemplum, vt homo sanus, & vrina sana, quæ signat sanitatem. Secundum à causa; sic medicus, medicina, & cibus causant sanitatem, sed principaliter medicus; reliqua verò sunt instrumenta. Et vice versâ, animal dicitur formaliter sanum: medicina verò, medicus, & cibus efficienter. Est enim præcipua formalis causa, semper autem in analogis est vna forma, quæ verè in vno significatorum existit, à quo reliqua denominantur extrinsecè. Vnde illud Aristotelis: *In vno quoque genere est vnum primum, cæterorum mensura.* Tertium denique est proportionis, & proportionalitatis; sic dicuntur prata ridere, quia iucunditatem exerunt, & fœcunditatem germinando herbulas, & flosculos; ad proportionem, qua homo risu suam exerit lætitiam.

Obserua autem, proportionem esse inter duas 104
æquales, vel inæquales habitudines, vt dicunt Arithmetici: sic *quatuor* ad *duos* habet proportionem duplam. Proportionalitas verò est habitudo, & similitudo duarum proportionum, ita; sicut se habet *quatuor* ad *duo*; ita se habet *sex* ad *tria* in duplo. Hæc verò est analogia inter similia, vt inter risum hominis, & prati; ita tamen, vt ad
vnum

vnum ordinentur, & ab eo sortiantur similitudinem.

105 Observa etiam, Analoga attributionis non requirere formam in omnibus analogatis inhærentem; sed in solo principali analogato, ad quod reliqua referuntur: sanitatis enim forma, v. g. in solo animali inuenitur: Analoga verò proportionis in omnibus analogatis formam significant; licèt diuerso gradu existere; vt sapientia dicitur de Deo, & creaturis rationalibus, in quibus omnibus reperitur; sed in Deo perfectissimè, & priùs.

106 Ex his habes, ea, quæ referuntur per attributionem definiri per illud: sic vrina sana, pulsus, color sanus, per animal sanum definiuntur.

Ratio est, quia in se non habent formam, per quam definiantur. Analoga verò proportionis non definiuntur per formam primi analogati; sed per propriam qualiscumque sit. Itaque sapientia hominis non definitur per Dei sapientiam. Vide latius Forestum *fol.* 577.

Hæc longius admiscui cum Foresto *fol.* 598. & 577. vt phrases S. Bonau. in hoc edisceas: ex quibus etiam manent soluta argumenta, conantia probare vniuocationem in potentia creandi & generandi: vt notat S. Doctor. eam enim probant aliquo modo ex parte agentis, non ex parte obiecti.

QVÆSTIO XI.

An, & qua ratione Filius carens potentia notionali generatiua, & Spiritus sanctus carens spiratiua, sit omnipotens.

VT propositam quæstionem soluamus, necesse est videre: an actus notionales ad omnipotentiam, tanquam ad principium reducantur; de quo Forestus *folio* 581. Asseruêre nonnulli, potentiam notionalem ad omnipotentiam spectare, esseque in omnibus personis; esto in omnibus non producat. Ita Marsilius *primo, quæst.* 27. *art.* 2. *p.* 2. Canariensis *in Comment. art.* 6. *quæst.* 42.

107 Deinde D. Thomas *quæst.* 42. *art.* 6. *ad* 3. Ferrar. 4. *contra Gent. cap.* 13. dicunt, in Patre esse potentiam, vt generet in Filio vt generetur: & ideò in vtroque æqualem esse potentiam. Omnipotentiam tamen solum obiectum respicere ad extra creabile, docet S. Thom. *quæst.* 25. *art.* 3. Ita exponunt Doctorem Angelicum, Suarez *lib.* 4. *de Trin. cap.* 10. Zumel. *ad art.* 2. *quæst.* 41. Vasquez *disp.* 166. Rada *controu.* 6. Eum verò impugnant; quia agimus de potentia actiua: vide Faber *disp.* 47. *num.* 4. nam disputamus, non de potentia Logica, seu non repugnantia, neque de Metaphysica, quia, v. g. punctum est in potentia ad lineam, & linea ad superficiem; sed de potentia, quæ est principium, de quo Aristoteles 5. *Metap. cap.* 9. *t.* 17. & alibi passim & diuiditur in actiuam, & passiuam, de actiua autem hic est sermo.

108 Attamen Angelicus *de potentia, quæst.* 2. *art.* 5. *&* 6. asserit, potentiam generandi ad omnipotentiam Patris pertinere, vt refert Nazarius *quæst.* 42. *art.* 6. *Controu. vnica*, enim verò 1. *d.* 8. *q.* 1. *art.* 1. rursus præclarè docet oppositum his verbis. Potentia operandi est sicut potentia rationalis in Deo: & secundùm istam potentiam attenditur omnipotentia in Deo: persona enim diuina, quæ procedit per potentiam, quasi naturalem, non est aliquid connumeratum omnibus. Vnde potentia generandi non continetur sub omnipotentia.

Argentina, & Ægidius *loco adducto* à Scoto 1. *d.* 20. *q.* 1. aiunt, in Filio esse omnipotentiam, licèt nequeat generare; quia quamuis potentia sit etiam ad ea, quæ sunt intra Deum; est tamen solùm ad illa, quæ non implicant; ea autem, quæ contradictionem inuoluunt, non arguunt potentiam. Quare cùm implicet, Filium Dei alium Filium generare, vt vidimus *q.* 7. non arguitur ob id impotentiæ.

Contrà insurgit Scotus: quia generare non implicat simpliciter; sed solùm in Filio. Ergo generare, vt est in Patre, pertinet ad omnipotentiam. Ita etiam Faber *num.* 7. 109

Scotus *loc. cit.* & Durand. *d.* 10. *q.* 1. *n.* 6. Gabriel *d.* 20. *q.* 1. Gregorius *q.* 1. *art.* 2. Caietanus *q.* 25. *art.* 3. Maior 1. *d.* 42. *q.* 1. *propos.* 4. quos sequuntur Suarez, & Vasq. suprà, docent, potentiam notionalem ad omnipotentiam non pertinere. Ideoque tres personas esse omnipotentes, quia obiectum omnipotentiæ, quod est totum creabile, possint creare. Idem sentit D. Thom. *quæst.* 25. *art.* 3. & *q.* 26. *art.* 6. & *in* 1. *dist.* 7. *q.* 1. *art.* 1. Carthusianus ex Vldarico *lib.* 2. *suæ summæ*, refert idem ex D. Dionysio, *cap.* 4. *de Diu. nominibus*, vbi omnipotentiam Deo, per comparationem ad creaturas, adscribit.

Hæc est sententia D. Bonau. 1. *d.* 7. *dub.* 1. *litt.* & 110
Clarius *in* 2. & *q.* 4. *in calce*, vt obseruauit etiam Forestus *fol.* 582. Idem sentit Magister *d.* 7.

Igitvr omnipotentia secundùm phrasim Scripturæ, potentiam ad creaturas tantùm dicit: sic habetur Genes. 14. *n.* 21. Exodi 6. 15. Ruth. 1. Tobiæ 13. Iudith. 16. Iob 11. 13. 22. 24. 27. 28. 31. 34. 45. Sap. 11. 18. Eccl. 42. 45. Machab. 1. 3. 6. 7. 8. Apoc. 1. 8. quibus præcipuè locis omnipotentia, & omnipotens pro infinita virtute Dei ad creaturas accipitur: sic & in Symbolo dicitur. *Credo in Deum Patrem, omnipotentem, Creatorem cæli, & terræ.*

Idem loquuntur Patres D. August. *in Enchir. c.* 96. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum c.* 3. Ideò S. Athanasius, vt ostendat omnipotentiam ad essentiam pertinere; non ad personas, ait: *Et tamen non tres omnipotentes; sed vnus omnipotens.*

Respondet Nazarius, ita loqui Scripturam, & Patres, quia nomen omnipotentiæ primò fuit impositum ad significandam Dei virtutem, extensam ad solum ens creatum, vel creabile; deinde tamen, cognita diuinarum Personarum emanatione, extensum est ad signandam etiam potentiam generatiuam, & spiratiuam.

Contrà tamen, quia à tempore Conciliorum, & 111
Patrum iam reuelata fuerat sanctissima Trinitas; & tamen in dogmatibus fidei asserunt, omnipotentiam per ordinem solùm ad creaturas. Ideò S. August. *loc. cit.* ait: *Deum dici omnipotentem, quia potest omnia, quæ vult:*

D. Fulgentius *loc. cit. In eo, ait, intelligi omnipotentiam Dei, quod omnem creaturam visibilem de nihilo fecit.* Idem de D. Athanasio *in Symbolo*, & de Niceno, ac Constantinopolitano, quæ maximè profitebantur definire sanctissimum Trinitatis Mysterium contra Arrium. Vnde & D. Ambros. *lib.* 1. *de fide c.* 2. *Veritas potestatis excludit numeri quantitatem.* Clarè etiam Concilium Later. *cap. firmiter* definit, omnipotentiam Dei in ordine ad creaturas, vnde explicata emanatione, personarum subdit, *consubstantiales, coomnipotentes; vnum vniuersorum principium, Creator omnium visibilium, & inuisibilium.* Idem habetur in Concil. Tolet. sexto, & vndecimo.

Futilis sanè responsio; Patres, & Concilia lo- 112
qui adhuc iuxta antiquum vsum, quando nondum reuelata sanctissima Trinitate, vnus Deus tantùm agnosce

agnoscebatur. Idem habetur Apoc. *c.1.v.8. c.4.v.8. cap.11.17. cap.16.14. cap.19.6. cap.21.22.* quando de Personis diuinis distinctissimè agebatur.

Adhuc tamen non quiescit mens, quia omne id, quod dicit potentiam, includitur in omnipotentia, seu in potentia ad omnia: sed potentia generatiua dicit potentiam: ergo.

Respondet Durandus, omnipotentiam idem esse, ac potentiam ad agendum. Quare Deus non dicitur omnipotens, quia possit esse; sed quia possit operari. Ergo non est potentia respectu eius, quod præ se fert esse, sed solùm circa id, quod dicit operari; at generatio est esse Dei: ergo.

113 Verum hic negat, quod dixit *1. d. 7. quæst. 1.* in Deo verè esse potentiam ad actus notionales, quod suprà *quæst. 5.* ostensum est.

Respondet Scotus, correlatiuum potentiæ esse possibile: at possibile est id, quod potest esse, & non esse: ergo cùm intra Deum non sit tale; non est ad illud omnipotentia.

Enim verò hoc est effugium: nam & id, quod necessarium est, dicitur possibile. Deinde esse possibile est simpliciter necessarium, vt ostendi *disp. 9. sect. 2. q. 10.* vbi id ipsum fatetur Scotus cum suis asseclis.

Respondet Vasquez, omnipotentiam sumi, sicuti sumebatur ante reuelationem Mysterij sanctissimæ Trinitatis, pro potentiâ tantùm ad extrà.

At video, quòd non aquiescunt, quia posse generare, est posse ad intra.

114 Respondet S. Bonau. *in dubiis litt. d. 7. & q. 2. in corpore*, & *q. 4. in fine*, & *d. 10. q. 1. & 4.* Omnipotentiam proprio conceptu significare virtutem ad omnia extrà creabilia: potentiam verò ad intrà non connumerari cum illa; quia non est factiua; neque dicere imperfectionem, quia potentia generatiua in diuinis non potest ex sua perfectione multiplicari; nam generationes inter nos multiplicantur, vel propter defectum durationis primi geniti, vt perpetuentur species. Sic Adam genuit Seth; hic verò alios: vel ob defectum perfectæ actionis, vt fiat per plures, quod non potest per vnum; sic plures stellæ requiruntur, cùm vna non sufficeret ad omnes influxus necessarios: Cùm ergo in Filio sit plenissima communicatio; quia totam infinitatem Patris in ratione Patris terminat, & exhaurit; non fuit possibile illam potentiam communicari; neque hinc aliqua imperfectio oboritur Filio. Ideò S. August. citatus à D. Bonau. *d. 20. dub. 2. litt.* ait: *Non potest, qui accipit omnia, esse inæqualis ei, qui dedit.* Ideò *lib. 3. cont. Maximinum* ait: *Si dicimus quod Pater est maior Filio, quia Pater genuit Filium; Filius non genuit; cito respondebo: Imò Pater non est maior Filio, quia æqualem genuit Filium.* Igitur cùm tota virtus generatiua exhauriatur in termino illo infinito genito, qua Pater est potens in generando, etiam Filius infinitæ potentiæ elucet in exhaurienda tota illa potentia. Hæc cæteris meliùs S. Bonauentura pro nostro captu explicata relinquit: sed adhuc *dist. 20. quæst. 1. & 2.* ad trutinam reuocat, & nos cum illo *disput. sequenti.* Subscribunt Morand. *n. 645. & 651.* Arrubal *disp. 145. cap. 1.*

Obiicies D. Aug. *lib. 3. contra Maximinum, c. 14.* ait: *Si Pater genuit Filium minorem, aut non potuit, aut non voluit gignere æqualem: si non voluit, inuidum dixisti; si non potuit, vbi est omnipotentia Patris?* Et infià: *Si non potuit, infirmus fuit.*

115 Respondetur, pro omnipotentia intelligi fœcunditatem plenam, quæ in Patre supponitur. Ita etiam respondet Vasq. *disputatione 165. n. 10.*



DISPVTATIO XIV.

De Æqualitate & similitudine Personarum.

D. Bonau. d. 19. & seq.
D. Th. q. 42.

Posquam diuinas Personas comparauimus cum essentia, cum relationibus, & actibus notionalibus; iam ad inuicem conferendæ sunt.

Quærit verò S. Bonauentura *distinct. 19. dub. 1. litt.* cur Magister adeò prolixè agat de æqualitate diuinarum Personarum, & non de identitate in essentia, & similitudine; Et respondet; ostensâ perfectissimâ æqualitate, ostendi etiam similitudinem, & identitatem: & ideò in ea maximè insudabat; atque eò Magis, quia sub his terminis impugnabatur sanctissima Trinitas ab Arrianis.

QVÆSTIO I.

An inter diuinas Personas sit Æqualitas

D. Bonau. d. 19. quæst. 1.
D. Th. q. 42. art. 1.

Advertit Vasquez *disp. 166. c. 1.* ex D. Bonau. *d. 19. dub. 1. litt.* & *in quæstionibus*, quem sequitur Durandus *d. 19. q. 1.* Scotus *q. 1.* tres relationes primi generis explicitas *tract. 1. disp. 12. q. 6.* quæ in creaturis ex variis resultant fundamentis; in Deo esse coniunctas. Nam in creaturis, prima est relatio æqualitatis, fundata in vnitate quantitatis, puta cubitalis in duobus: secunda, relatio similitudinis, quæ fundatur in qualitatis vnitate; puta albedinis, in duobus Oloribus. Tertia est relatio identitatis fundata in vnitate naturæ substantialis, puta inter duos homines. Quæ omnes enumerantur in primo genere relationum ab Aristot. *5. Metaph. cap. 15.* In his fundamentum remotum est res illa; puta quantitas, qualitas, vel substantia: proximum verò est vnitas, in ea re, nempe quantitate, &c. Quod quo pacto verum sit, ostendam *quæst. 10.* In essentia igitur diuina nostro modo consideramus primo rationem substantiæ dantis esse, & inde nascitur inter personas communicantes in eadem essentia diuina relatio consubstantialitatis. Deinde consideramus eandem per modum qualitatis, videlicet, sapientiæ, &c. Et inde oritur relatio similitudinis. Postremò consideramus in essentia rationem quandam quantitatis, quatenus dicimus, *Deum magnum*, quæ est quantitas virtutis, vt notat S. Bonau. *in corpore*, & in hac fundatur relatio æqualitatis: nam æqualitas, & inæqualitas est propria passio quantitatis; quantitas verò propriè est molis; translatè verò virtutis: & quia æqualitas est propria 1 2

propria passio quantitatis: ideò vtranque quantitatem consequitur. Vbicunque igitur est quantitas virtutis, ibi est æqualitas vel inæqualitas. Hæc verò quantitas ponitur in spiritualibus, maximè in diuinis, quia non repugnat simplicitati, sed consonat: vnde neque repugnat æqualitas, quæ consequitur hanc quantitatem. De hac S. August. 6. *de Trin.* ait: *In his, quæ non sunt magna mole: idem est melius esse, quod maius esse*, vt notat D. Bonau. *d.19. quæst.2. in corpore*, & post eum Scotus apud Fabrum *disp.45. num.2.* Quoniam verò altera pars, nempè, æqualitas est prior, & perfectior; ideò est Deo attribuenda æqualitas inter diuinas Personas. De his Macedo *collat.8. diff.4.*

3 Assero ponendam in diuinis Personis æqualitatem.

Probatvr à D. Bonau. primò ex Symbolo Athanasij: *Tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Eodem medio probatur à D.Thoma.

Probatvr secundò à S. Doct. Omnis multitudo reducitur ad vnitatem. Ergo omnis inæqualitas ad æqualitatem: sed vnitas, ad quam reducitur omnis multitudo, est increata: ergo, & æqualitas, ad quam reducitur omnis inæqualitas, est increata.

Probatvr tertiò à S. Doctore. Omne, quod est perfectionis, Deo est attribuendum: æqualitas dicit perfectionem: ergo.

4 Probatvr quartò à Seraphico. Vnum in substantia facit identitatem: vnum in quantitate æqualitatem: vnum in qualitate similitudinem: sed in diuinis non tantùm est vnitas in substantia, sed in quantitate perfectionis infinita; alioqui non esset ibi perfecta vnitas: ergo. Idem habet *in corpore.* Hac ratione vtitur Scotus apud Fabrum *n.4.* Quòd verò ibi sit perfecta magnitudo virtutis, probatur à S.Doctore *hic*, & *dist.45. art.2. q.1. in corpore*, quia diuina essentia est pelagus infinitum, vt docet Damascenus. Idem repetit Faber.

5 Probatvr quintò *in corpore*, ex D. Aug. *lib.3. contra Maximinum, c.10.* & *lib.7. de Trin. c.6.* Probatur secundò. Vbi est ens perfectissimum, simplicissimum, ibi potest esse æqualitas secundùm quantitatem virtutis: nam, cùm sit quantitas virtutis, vt docet D.Aug. *lib. de quantitate animæ, c.5.* neque repugnat æqualitas consequens: sed in diuinis Personis est quantitas virtutis: ergo. Eodem medio vtitur D.Thomas, & Concilium Tolet. sextum, quod ait: *In hac Trinitate tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat: nec minor in singulis, quàm in omnibus; nec maior in omnibus, quàm in singulis manet.* Eodem argumento vtuntur Magister, & Theologi communiter: & nititur etiam Aristot. *5. Metaph.* Illa est summa æqualitas, vbi vnum æquatur vni, & vnum pluribus, & vnum omnibus: sed sic se habent diuinæ personæ: ergo. Quod habet S.Bonau. *dist.19. q.2. fundam.2.* vt dicam *q. seq.*

6 Probatvr adhuc à Seraphico *ad c. 6. Ioannis*, vbi dicitur. *Propterea magis quærebant eum interficere; quia non solùm soluebat Sabbathum, sed Patrem suum dicebat Deum: æqualem se faciens Deo.* Quæ verba non modo ex Iudæorum opinione; sed ex proprio sensu asserit Euangelista; vt notat S.Athanas. *oratione contra Gregales Sabellij.* Hilar. 7. *de Trin.* Ambros. *lib.2. de fide, c.4.* & ipsi Iudæi optimè hanc consequentiam deducebant ex antecedenti, quo se Filium Dei prædicabat, vt obseruant D. Basil. *lib.1. contra Eunom.* D.Cyrill. *lib.2. in Ioan. c.74.* D. Aug. *tract.17. in Ioan.* Quod si malè deduxissent illationem, profectò eos Christus arguisset, vt se iustificaret, vti obseruat D.Chrysost. *hom.37. in Ioannem.*

Tandem id definitum est in Concilio Later. *cap. firmiter*; & omnes SS. Patres, præcipuè contra Arium disceptantes, hoc confitentur.

Obiicies primò. Æqualitas est inter plura distincta: nil enim est sibi æquale; at Personæ diuinæ habent eandem essentiam; sunt enim vnus Deus: ergo. 7

Respondet S.Doct. *ad vltimum*, sufficere pluralitatem suppositorum. Idem docet *dist.31. q.2.* ex professò: de quo infrà *q. 6.* sunt enim diuinæ Personæ vnum neutrè; & plures masculinè, vt dicitur Ioan.8. *Ego, & Pater vnum sumus*, quod acutè perpendit S.August. *tract.36. in Ioannem.*

Obiicies secundò. Vbi est æqualitas, ibi finitas, quia ibi est coæquatio commensuratiua: sed in diuinis est infinitas: ergo.

Respondet primò S. Bonau. *ad 3.* quod æqualitas in creaturis duo importat, idest, conterminationem, & excessus priuationem. Primum est imperfectionis ratione terminationis: secundum perfectionis. Ideò transfertur ad Deum ratione secundi; non primi. 8

Respondet secundò ibi, infinitum alteri infinito commensurari; neque tamen infiniti diminutionem induci.

Obiicies tertiò ex D. Aug. 7. *de Trin.* Magnitudo transit in substantiam: ergo non est ibi æqualitas, cùm non sit ibi quantitas.

Respondet S.Doct. *dist.19. dub.3.* magnitudinem transire in substantiam, tamen ratione ratiocinatâ differre.

Reliqua probant, non dari æqualitatem quantitatis prædicamentalis; sed solùm transcendentalis; idest perfectionis.

QVÆSTIO II.

An æqualitas inter diuinas Personas sit summa.

Assero, in diuinis summam inter personas æqualitatem. 9

Probatvr à S. Bonau. primò. Æqualitas est passio quantitatis; cùm autem quantitas, alia sit continua; alia discreta. Rursus continua, alia permanens: alia successiua: similiter & in quantitate virtutis, vel dicit magnitudinem entitatis, quæ respondet quantitati continuæ permanenti: vel dicit permanentiam, quæ aliquo modo respondet quantitati successiuæ; Vel dicit multitudinem graduum perfectionis, quæ quantitati discretæ respondet (licet discretio in diuinis non sit, nisi in Trinitate personarum.) Vnde ait D.Fulgen. *lib. de fide ad Petrum, c.1.* inter opera D.August. *tom.3.* *Non dicitur aliquis maior alio; nisi quia aut præcedit æternitate; aut excedit magnitudine; aut superat potestate.* Sed nullus talis excessus est in diuinis, ex D.August. *6. de Trin. cap.4.* & *lib.8. c.1.* ergo.

Probatvr secundò à Seraphico, illo argumento, quo vtitur Concilium Toletanum sextum suprà allatum *q. 1.* Non potest maior æqualitas excogitari, quàm vbi vnum æquatur vni: & vnum pluribus: & vnum omnibus: sed in diuinis tantus est Filius: quantus est Pater: & quantus est Pater, & Spiritus sanctus, & vicibus mutatis: ergo. Maior est etiam Aristotelis 5. *Metaph. cap. de simili.* 10

Probatvr tertiò à S. Doct. Vnitas in quantitate facit æqualitatem: ergo vbi summa vnitas: ibi

ibi summa æqualitas: sed hoc est in diuinis: ergo.

Probatur quartò à S.Doct. Vbi est status, ibi est summum: sed in illa æqualitate est status per reductionem omnium ad illam. Ergo est summa.

11 Probatur quintò in corpore, & declaratur. Potest aliquid considerari in ordine ad suam originem: & sic vnum est maius alio, quando eius origo est prior; & contra hoc est æqualitas æternitatis. Potest secundò considerari in se, & sic dicitur vnum maius altero, quia maioris extensionis, & maioris valoris. Contra hoc, est in diuinis æqualitas magnitudinis, non solùm ratione immensitatis, sed etiam sapientiæ, bonitatis; & contra omne, quod facit aliquid maius; vel melius. Vnde D. August. & Magister probant æqualitatem magnitudinis per æqualitatem virtutis. Potest tertiò considerari in ordine ad effectum: & sic dicitur maius, quia potentius: & iuxta hoc est æqualitas potentiæ. Quoniam ergo non datur ratio æqualitatis pluribus modis; & in his est summa; sequitur id, quod intendimus. Hæc verò singulatim discutiam quæstionibus sequentibus.

12 Obiicies primò. Maior est æqualitas in quantitate continua, & discreta, quàm in continua tantùm: sed in diuinis non est æqualitas discreta; quia ibi est Trinitas, atque adeò imparilitas: ergo.

Respondet S. Doct. summam æqualitatem non esse in quantitate continua, vel discreta, quia ibi vnum non æquatur pluribus, sed in quantitate virtutis tantùm.

Obiicies secundò. Filius, est magis diffusiuus, quàm Spiritus sanctus, & Pater, magis quàm vterque: ergo non sunt æquales in bonitate, quæ est diffusiua.

13 Respondet S. Doct. emanationem personæ non attendi secundùm rationem bonitatis essentiæ; sed ratione fœcunditatis personæ. Vnde non sequitur, quod si Spiritus sanctus non producit; ob id minus habeat de bonitate. Vnde notat S.Doct. quod duplex est diffusio, idest intra, & extra. Diffusio intra est quando persona procedit à persona vnitate naturæ, & hæc non est propriè diffusio; & hoc non consequitur bonum, quia bonum; sed bonum in hypostasi, quæ aliam producere nata est: & ideò secundùm istam diffusionem non dicitur vna persona melior altera: est verò alia diffusio extra in ordine ad effectus: & secundùm hanc rationem attenditur diffusio propriè, & ratio boni: & quia in hac vna persona, non excedit aliam, quia indiuisa sunt opera Trinitatis; ideò in hâc, vna non est altera melior.

Obiecta verò hæreticorum contra æqualitatem diuinarum Personarum soluimus *disput*.1. *quæst*.7.8. & 9. oppositiones verò ex hoc textu S. Bonau. vide solutas *d*.3.*q*.10.

QVÆSTIO III.

An Personæ diuinæ sint Æternitate æquales, & quomodo.

D.Bonau.d.9. q.3. & 4.
D.Th.art.1.

14 SVPPONO ex *tract*.1. *disp*.9. quid sit *Æternitas*. Eam verò esse diuinam existentiam, & dicere modum, quo permanet apprehensum sub ratione mensuræ. De his D. Bonau. loci *ibi* adductis & Suarez *disp*.50. *Metaph.sect*.1. Valent. 1.*p*. *d*.1.*q*.10. *p*.1. Bañes 1.*p*.*q*.3. *art*.4. *dub*.1. & alij.

Notat S.Doct. *dist.citata*, *quæst*.4. omnes modos modos essendi rerum. Aliqua enim dicuntur esse, quando facta sunt; facta verò non pendent à suo principio; & tamen permanent; vt substantia, & accidentia innata. In his differt esse, & factum esse: alia sunt, quorum non solùm produci, sed & durare pendet à principio, actu operante, vt successiua per motus, & mutationes: & in his differt *esse*, & *factum esse*; idem tamen *fieri*, & *esse*. Quædam sunt, in quibus idem est *fieri*, *esse*, & *factum esse*: vt sunt illa, quæ habent esse permanens, & pendent totaliter à principio producente, existente in sua actualitate per eundem modum, per quem sunt à principio, non tantùm in se, sed etiam respectu producti, ita vt consimilis modus actualitatis attendatur quantùm ad vtrumque: & tales sunt influentiæ, siue corporales, siue spirituales. Vnde D. Augustinus *lib. 6. de Genes. ad litt.* ait, quod *Lumen semper nascitur*; *& dum nascitur*, *est*. *Vnde aër semper est illuminatus*, *& semper illuminatur.* Similiter omninò dicendum de lumine spirituali, quod est gratia. Cùm ergo Filius Dei habeat esse coniunctissimum, permanentissimum cum principio productiuo, quia ipse est purus actus, omninò est idem in ipso *nasci*, & *natum esse*: & ideò semper nascitur, & semper est natus; & semper 16 est, & nunquam desinit generari: & sicut principium generans est æternum, & per naturam generat, & natura illa est perfectissima, non egens (vt inter nos euenit) tempore ad generandum, vel aliquo instanti creato. Ideo ab æterno est genitus, & coæternus Patri. Idem dic de Spiritu sancto, qui licèt ex voluntate procedat; illa tamen voluntas est immutabilis, & necessaria: & ideò ab æterno voluit, quod semper vult: & Spiritus sanctus, cùm sit Deus, debet ab æterno habere esse necessarium.

Vbi aduerte, D. Bonauenturam, dum concedit 17 quibusdam rebus, non pendere à sua causa, postquam in lucem prodière, non loqui de causa prima, sed de secunda: nam à prima causa semper pendere, fatetur S. Doctor vbique *in* 1. *d*.38. *q*.1. *in secundo d*.7.*p*.1. *art*.2. *quæst*.1. & aliis locis; cum D.Thom. 3.*contra Gentes*, *cap*.69. & 1.*p*.*quæst*.105.*art*.5. & *prima secundæ q*.79. *art*.2. & 3.

Igitur, & diuinæ emanationes eadem duratione Æternitatis cum diuina essentia durant (sunt enim ipse Deus.) Ideo semper sunt, exeunt, & perfectæ sunt: & hæc omnia in illis sunt idem indiuisibile, alioqui mutationis nota Diuinis Personis inureretur.

Assero, diuinas Personas æquales in Æternitate.

Probatvr primò ex dictis de Filij Deitate 18 *disp*.1. *q*. 7. & de Spiritus sancti deitate *q*. 9. & de Generatione Filij *disp*.9.*sect*.2.*q*.3. Quod SS. Patres deducunt præcipuè ex illo Ioan.1. *In Principio erat Verbum*, adducto à D.Bonau. etiam *hic*, *q*. 3. Ideò definitum in Concilio Niczno. In Lateranensi sub Innocentio III. *c. firmiter*. In Lugdunensi *c. fatemur*. Florentino *in litteris vnionis*; & *Symbolo Athan.*

Probatvr ratione prima D.Bonauent. quam sumpsit Scotus, quæ fundatur in axiomate illo. *Operari sequitur ad esse.* Et in illo. *Omne agens secundum eam perfectionem, quam habet, operatur.* Tunc sic: De perfectione agentis est, vt citissimè possit operari ea, quæ non implicant in sed: se productio Filij à Patre est per naturam ab agente perfectissimo. Ergo Pater Filium genuit ab æterno. Idem argumentum currit de Spiritu sancto.

Ad obstruenda verò hæreticorum ora, potius dicitur

citur *natus*; vt ait S. Bonau. *d. 9. dub. 8. litt.* quàm *nascitur.* Ita & D. August. *lib. 83. qq. quæst. 9. & 77.* D. Gregorius 29. *Moral. cap. 1.*

20 PROBATVR etiam alia ratione, quam sumpsit Scotus *quæst. 6. quodl.* & Faber *disp. 45. num. 6.* Quia est ibi vnitas durationis, & actualitatis, vt ait S. Bonau. *in corpore, quæst. 3.*

Argumenta in oppositum probant solùm, productiones imperfectas habere initium.

QVÆSTIO IV.

An inter diuinas Personas detur aliquis ordo prioris, & posterioris.

D. Bonau. d. 20. art. 1. q. 1. & 2. D. Thom. q. 42. art. 3.

DVAS difficultates continet hæc quæstio: altera est. An inter diuinas personas detur ordo à parte rei; altera; an hic ordo secum ferat prioritatem, & posterioritatem à parte rei, & quamnam.

Quoad primam. Ordo est distinctorum habitudo secundùm priùs, & posterius. Ità D. Bonau. *his quæstionibus* cum D. Thom. 1. *sent. d. 20. q. 1. art. 3. quæstiuncula* 1. Richardo *ibi, q. 3.* quos adducit Forestus *fol. 600.* vbi aduertit ex Auerroë 1. *Phys. com. 41.* & 5. *Metaph. com. 16.* ordinem diuidi per differentias contrarias, hoc est per prius, & posterius.

21 QVINQVE autem ordinis species colligit Forestus è D. Bonau. *hic.* Prima est durationis: sic antiquiora sunt priora. Secunda est generationis. Partes enim toto sunt priores in generatione. Inter Filios primus generatione præcedit, qui & tempore, vt plurimum est prior. Tertia est perfectionis. In vnoquoque enim genere, quod maximè est tale, & perfectissimum, cæteris in eodem genere est prius: sic inter naturam, & suppositũ: dependens, & independens: causam, & effectum: magis perfectum, & minus perfectum inuenitur. Hic est ordo, quem alij vocant naturæ. Quarta est rationis: sic commune (ait D. Bonau.) est prius singulari: absolutum relatiuo: naturale voluntario. Quinta est situs: sic punctum est prius linea; linea plano; lapis fundamento; & fundamentum tota domo. Sexta est originis, quam vterque S. Doctor describit. *Habitudo vnius personæ ad aliam, sicuti ad principium.*

HVNC sanè ordinem probat S. Doct. *quæst. 1.* Primò ex D. Augustino *lib. 3. contra maximin. c. 14.* & authoritate Ecclesiæ, quæ semper hoc ordine ponit diuinas Personas secundùm originem: Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

22 PROBATVR tertiò à S. Doct. quia ordo dicit rationem completi, & boni ex Boëtio *lib. de consol. prosa 2. Esse enim est; quod ordinem retinet, seruatque naturam similiter, & bonum.* Sed in diuinis est perfectissimè ratio boni, & esse: ergo est ordo.

PROBATVR quartò à S. Doct. Vbi est pluralitas sine ordine, ibi confusio, quæ à Deo absit.

QVÆSTIONE verò sequenti probat, esse ordinem naturæ. Primò ex D. Augustino *lib. 3. contra maximin. cap. 14.* & *super Genes. ad litt. cap. 34. & 35.* & *oratione de quinque hæresibus, à medio cap. 8.*

PROBAT secundò. Vbi est naturalis origo vnius ab alio; ibi est ordo: sed in diuinis est talis origo: ergo.

23 PROBAT tertiò. Vbi est habitudo plurium ad vnum primum principium, ibi est ordo naturæ: sed in diuinis est origo talis, atque habitudo Filij ad Patrem: & Spiritus sancti ad Patrem, & Filium: ergo. Hoc argumentum sumpsit Durandus 1. *d. 20. quæst. 2.* Vasquez *num. 1. disp. 47.* & omnes Scholastici ordinem naturæ, & realem inter diuinas Personas admittunt.

QVÆSTIO igitur est: an hic ordo naturæ, seu originis secum ferat prioritatem, & posterioritatem inter diuinas Personas, & quamnam.

Scotus *in 1. distinct. 28. quæst. 3. §. ad quæstionem istam,* & *quodl. 4. art. 1.* asserit, Patrem & Filium, etiam vt mutuò referuntur ad inuicem, habere ordinem prioris, & posterioris secundùm originem; quod genus prioris dicit, esse reale: eandem doctrinam tradit 1. *d. 5. quæst. 2. O. §. tertia difficultas,* & *d. 7. quæst. 1.* & *in 2. d. 1. quæst. 1. H. §. quantum ad hoc igitur;* vbi ponit duos ordines: alterum originis; alterum naturæ. In ordine naturæ ponit tria signa, siue instantia. In primo instanti naturæ occurrit essentia diuina, vt habet esse de se, & per se; quod nulli naturæ creatæ conuenit, nulla enim habet esse priùs naturaliter, quam in supposito. In secundo instanti naturæ pullulant in essentia relationes diuinæ, & supposita diuina. In tertio signo personæ diuinæ, vt productrices creaturarum in esse ideali: In ordine originis, quem explicat *in 2. d. 1.* 24
q. 1. & *in 1. d. 12. q. 2. in corpore,* & *d. 1. q. 2.* & *quodl. 4. art. 1.* & *d. 28. q. 3. citata,* & alibi, vt refert Fauentinus *disput. 35. num. 5.* ponit Scotus duos ordines: alterum verum originis: alterum similem ordini vero: Primus ordo originis est in primo signo naturæ: secundus verò est in tertio signo naturæ. Ordo verò originis veræ est, secundùm Scotum, non modo secundùm personas; sed etiam secundùm origines, & principia, ita vt priùs realiter sit emanatio Verbi ex intellectu; & postea voluntas: & emanatio Spiritus sancti: ita *in 1. d. 12. q. 2.* Hunc verò ordinem includere priùs, & posteriùs, patet ex Scoto *in 1. d. 2.* & *d. 1. q. 2.* cum sequuntur Scotistæ passim Bassolis, & Tartaretus 2. *d. 1. q. 2.* Mairo 1. *d. 12. quæst. 2. art. 1. & 2.* Sirectus, Trombetta, Vallonius, & alij formalistæ *in tract. de formalitatibus.* Rada 1. *p. controu. 5.* Faber 1. *disput. 25.* Brancasius *tomo 2. de Deo Trino, lib. 1. d. 4. quæst. 2.* Scherius *de Deo Trino, d. 6 quæst. 12.* Mastrius *d. 2. quæst. 3.* Macedo *Coll. 8. diff. 4.* Exteri; Suarez *disput. 12. Metaph. sect. 1.* Vasquez 1. *p. d. 167. cap. 2.* Zumel. 1. *p. q. 42. art. 3.* Amicus *in suo cursu, tom. 1. disput. 22. sect. 1.* Ægid. Lusitanus *de beat. lib. 5. quæst. 14. art. 4. §. 6.* Tanner. *d. 4. quæst. 1. dub 8.* vna cum Mastrio *art. 1.* & aliis, existimans, quæstionem esse ferè de nomine; profectò enim (aiunt) concedentes ordinem realem originis, concedunt etiam prioritatem, & posterioritatem in eo ordine: nam ordo est series plurium cum habitudine ad vnum primum. Idem aiunt Vasquez *loc. cit.* Suarez *lib. 4. c. 15. n. 6.*

ADVERTE autem, multos Scotistas distinguere 25
signa; vt alia sint, *in quibus,* & alia *à quibus:* signa *à quibus* sunt, secundùm quæ vnum est ab alio: signa *in quibus* sunt, in quibus vnum est post aliud. Dicunt autem, Scotum admittere signa (*à quibus*) non signa (*in quibus.*) Hoc tamen non est ad mentem Scoti, qui realia instantia priora, & posteriora ponit, *in quibus,* &c. vt obseruat Faber, *n. 21.*

HINC deceptus etiam Coriolanus *q. 2. art. 4.* trahit Seraphicum ad Scotum, quasi eodem modo fateatur prioritatem originis. Cum Scoto sentit ipse, & allegat omnes Scotistas, ac Marsilium, Gregorium, Gabrielem, & Canariensem, cum aliis, quos adducunt etiam Mastrius, & alij.

26 SECVNDA sententia negat omninò prioritatem, & posterioritatem realem diuinarum Personarum secundùm instantia, *in quibus*, prioribus, & posterioribus; sed solùm originum, *à quibus*, ita S. Bonauent. *hic*, vt testantur Forestus *fol.* 604. Macedo *sect.*1. Mastrius *loc. cit.* Vasquez *cap.*1. Morandus *quæst.*37. Auersa *sect.*2. Arrubal *disp.* 146. Alarcon *disput.*6. *cap.* 7. Præposit. *quæst.* 42. cum Tannero *quæst.*1. *disput.*12. vbi quæstionem ait cum aliis esse de nomine. Idem sentit D. Thomas *hic* communiter allegatus, quos sequuntur Molina *quæst.*42. *art.*3. Nazar. *ibi controu. vnica*, vbi cum Iauello, & Molina aduertit, Scotum admisisse, non modò priùs, *à quo*; sed etiam priùs, *in quo*. Sic allegatur Scotus etiam à Gregorio, Gabriele, Baccono, & aliis. Quare non rectè Caietanus, & Fauentinus trahunt Scotum, vt cum D. Thoma consentiat: neque rectè Valentia *disp.* 2. *quæst.*16. *p.*4. & Suarez *lib.*4. *cap.*15. *num.*6. idem conantur, nullam inter eos controuersiam inuenientes; cùm Scotus ponat aliam prioritatem à D. Thoma, vt dixi, quem sequuntur communiter Thomistæ, & alij, inter quos Baudunius *quæst.*41. *art.*2.

27 EODEM ordine incedunt origines passiuæ, vt sicut generatio actiua est prior origine, quam Filius, & quam spiratio actiua; ita & origines passiuæ ita se habeant, vt prior sit generatio passiua, & Filius, quàm spiratio passiua, & quàm Spiritus sanctus; non, vt vult Scotus; sed vt docet D. Bonau. *d.*12. *quæst.*4. vbi vult, processionem Verbi esse priorem secundùm intellectum processione Spiritus sancti: nam secundùm naturam esse vnam altera priorem negat *quæst.*2. & ordinem realem admittit sine priori, & posteriori, sicut inter personas concessit, vt autumat Vasquez *disput.*168. *num.*1. hunc verò ordinem admittit, esse per se, contra Durandum, non minùs, quàm inter personas.

28 NOTA ex Aristot. *in post prædicam. cap. de priori*; & 5. *Metaph. cap.*11. plures modos prioritatis afferri, è quibus tot ordines rerum nascuntur: nam singuli modi prioritatis suum ordinem habent. Primus modus prioritatis est priùs tempore, qui vocatur à D. Bonau. hic, *ordo antecessionis* secundum durationem temporis. Secundus est priùs secundùm loci propinquitatem, quam S. Bonau. vocat *prius, & ordinem secundùm positionem loci*. Sic in cælo Chorus Cherubim est prior Choro Thronorum; & Chorus Thronorum, Choro Dominationum, quia est vicinior primo, idest Choro Seraphim. Huic affinis est modus prioris secundùm dignitatem, quem S. Bonau. vocat *positionis secundùm dignitatem*: sic Cardinalis est prior Episcopo, quia est vicinior Papæ. Illum Aristoteles vocat ordinem *ad primum*. Clariùs eum distingues, si appelles *priùs secundùm habitudinem ad primum*, qui modus plures species continet, vt dixi. Quartus est prioris secundùm motum, iuxta quem modum ea sunt priora, quæ propinquiora sunt mouenti: qui modus inuoluitur à D. Bonau. cum illo, secundùm aliquam positionem: similis est modus prioris secundùm potentiam, idest, quod est validiùs, qui modus inuoluitur à S. Doct. cum priori, secundùm aliquam præcellentiam. Sextus est prioris, à

29 quo non conuertitur subsistendi consequentia: quod Aristoteles 5. *Metap. t.*16. vocat *prius secundùm substantiam, & naturam*; & hoc modo priora sunt illa, quæ sunt sine aliis; & illa non sine istis: sic rationalitas est prior risibilitate: & principium principiato: & causa effectu: hunc autem modum S. Bonau. vocat *originis*, & in hoc arbitratur includi emanationes diuinas, non quidem propriè eum modum accipiendo: non enim Aristoteles modum hunc originum agnouit, vt rectè aduertit Vasquez *num.* 10. Debent ergo segregari imperfectiones, quæ sunt inter causam, & effectum. Quomodo rectè admittetur Græcorum proloquium, *Pater est causa Filij. Pater, & Filius sunt causa Spiritus sancti*; quod habetur in Concilio Florentino *sess. vltima*: & in multis Patribus Græcis, qui idem censent causam, & principium: at verò Latini, qui cognoscunt in causato dependentiam & distinctionem naturæ, ac prioritatem, *in qua*; in principio autem nequaquam; ideò in diuinis emanationibus principium admittunt; causam excludunt.

Hic aduerte, non solùm priùs tempore includere antecessionem durationis apud Aristotelem: sed etiam priùs secundùm motum, quod scilicet priùs exit à generante: sic, priùs puer generatur, postea vir, qui modus etiam *originis* vocatur à Bonau. 30

Non igitur benè quidam arguunt, nullam dari proprietatem inter diuinas Personas, quia non inuenitur apud Aristotelem: non enim origines diuinas ipse cognouit. Vnde modum aliquem possunt excogitare ignotum Aristot. non officientem coæternitati: nam solus ille modus videtur excludi absolutè in Symbolo Athanasij, dum dicitur: *Nihil prius, aut posterius, sed tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*. Neque verò nos ex prioritate Scotica deducimus, induci prioritatem noxiam æternitati; vt frustrà Fauentinus, & alij Scotistæ conentur Scotum ab hac labe seruare; sed deducimus imperfectionem contra æqualitatem perfectionis: nam posterioritas naturæ dicit imperfectionem, vt docet Scotus *in quodlibet*, *quæst.*4. *art.*1. neque loquitur de prioritate naturæ, quæ est inter diuersas essentias, vt respondet Faber *cap.*4. nam de prioritate naturæ, 31 quæ est in diuinis, profitetur, se agere. Deinde cùm distinctionem formalem inter essentiam, & personas afferat; & essentiam in primo signo reali naturæ ponat: relationes autem in secundo signo, & in hoc alias prioritates originis (*in quibus*) includat; profectò videtur de ea prioritate loqui, quæ est inter diuersas res formaliter, seu essentialiter; & consequenter dicit imperfectionem. His vides frustrà Macedum congerere PP. Græcos, dicentes in diuinis causam, & effectum, quibus Ioannes in Conc. Florentiæ se aptat: idem & Latini Patres næuis detractis: Vide *d.*8. *q.*3.

ASSERO, nullam dari in diuinis realem prioritatem, *in qua*.

PROBATVR primò à D. Bonau. *quæst.*1. *arg.*3. 32 *ad opp. addita resol. in corpore*. Id, quod aufert æqualitatem à diuinis Personis, est à Deo arcendum: at prioritas realis, *in qua*, tollit æqualitatem: ergo. Maior est certa ex Athanasij Symbolo, & aliis auctoritatibus indicatis *quæst.* 1. Minor probatur. Id, quod in vna persona ponit maiorem perfectionem; & in alia minorem; imò ponit imperfectionem, tollit æqualitatem: sed ea prioritas hæc ponit: ergo. Maior est euidens. Minor probatur è Scoti *loco adducto*: ergo. Probatur adhuc minor. Certum est, esse simpliciter entis, esse perfectionem; & non esse tale, inducere imperfectionem: sed per vos ista prioritas facit, vt in aliquo instanti reali sit vna persona, in quo non est alia: ergo illa persona, quæ est in illo primo instanti, est perfectior; cùm alioqui semper coexistat postea etiam posteriori.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *quæst.* 2. *fundamento* 1. ex D. Augustino *lib.*3. *cont. maximinum*, 33

cap.

*cap.*14. vbi docet; inter diuinas Personas esse ordinem naturæ, non quo vnus sit prior altero; sed quo vnus sit ab altero. Hinc vide nos ordines esse diuersos.

Idem docet Nazianzenus *oratione de statu Episcoporum, quæ est vigesima nona*, dicens: *Ita essentia prius concurrit cum Vnigeniti generatione, quæ ex ipso quidem est; non tamen post ipsum. Est autem sola principij cogitatione.*

Respondet Vasquez *num.*7. esse posteriorem sola principij cogitatione, idest, non posteriorem duratione; sed tantùm naturâ, & cogitatione principij, qua id, quod est à principio, dicitur posterius ipso principio.

Contrà, quia non dicit sola principij prioritate, sed cogitatione.

34 Idipsum docet S. Basilius *lib.*1. *contra Eunomium*, dicens: *Nam in his priorem esse causam dicimus, posterius verò, quod ab ipsa est, non interuallo, sed cognitione, priusquam causatum intelligentes causam. Quomodo igitur rationi consentaneum est in his negare ordinem, in quibus est prius, & posterius, non nostra positione, sed ex naturali in ipsis existente consequentia.*

Hic S. Basilius distinguit prius, & posterius in diuinis, sola cognitione. Itaque non solam prioritatem interualli, sed omnem aliam excludit. Itaque arguit postea à minori ad maius. Si in diuinis, vbi non est prius, & posterius à parte rei; sed solùm per nostram intellectionem, admittimus ordinem, cur negabimus in his apud nos, in quibus est vera naturalis prioritas? Et eodem modo de prioritate, vt *à quo* loquitur Basilius, explicans id Ioannis 10. *Pater maior me est.* Ex quo patet, malè Vasquez *cap.* 2. Macedum, & Fabrum *cap.*3. hunc locum vrgere ad inducendam prioritatis originis maioritatem in Patre. Credendum Basilio (ait Macedo) at si eum Scoto statet, inter quatuor lineas sibi contradiceret.

35 Probatur tertiò à D. Bonau. *quæst.*2. *argumento* 3. ad oppositum, quod S. Doct. concedit quoad hoc. Relatiua sunt simul naturà ex Aristot. *cap. ad aliquid.* Sed Pater, & Filius in diuinis sunt relatiua. Secundùm quod Pater, & Filius: ergo sunt simul naturâ.

Respondet Scotus, relatiua, vt relatiua, esse simul; attamen Patrem ratione originis esse ante Filium. Sic respondit etiam supra, vt vidi *d.*12. *quæst.*1.

Contrà ad hominem arguit S. Doctor. Relatiua, quæ non sunt ratio referendi solùm, sed etiam existendi, simul omninò sunt; sed sic se habet per vos relatio Patris, & aliæ relationes secundùm suum esse hypostaticum: ergo. Eadem est ratio D. Thomæ *ad secundum.* Ex quo ruit etiam responsio Fabri *ad* 10. qui eadem Scoti distinctione respondet.

36 Probatur quartò à D. Bonauent. *argumento* 4. Causa illa, & principium illud est perfectissimum inter creaturas, quod citiùs (cæteris paribus) habet suum effectum. Et quidem etiam inter causas finitas aliquæ sunt, quæ statim eodem instanti temporis habent suos effectus, qui solo instanti naturæ sunt posteriores, vt Sol statim illuminat; at Pater est principium perfectissimum, infinitè excedens principia creata: ergo simul natura habet Filium, cùm illum ab æterno gignat necessariò virtute infinita, communicando suam essentiam.

37 Probatur quintò *argumento* 5. Ens perfectissimum, quale est Pater, habet in primo signo naturæ omne suum esse absolutum, & relatiuum, atque adeò cognitionem; sed inter hæc continetur etiam actus dictionis, seu generationis Verbi: ergò Verbum est simul naturâ cum Patre. Maior à Scoto conceditur 1. *d.*12. *quæst.*1. & probatur à D. Bonau. si enim inter creaturas cognoscitiuas sunt aliquæ habentes cognitionem simul tempore: & solùm naturâ post, vt Angeli: ergo Deus Pater, qui est infinitè perfectior habet simul naturâ cognitionem, atque adeò dictionem, & Verbum.

Respondet Faber *ad* 5. Patrem in primo signo habere omnia, quæ pertinent ad actum primum eius; scilicet omnia essentialia, & omnem fœcunditatem in actu primo, non tamen actus secundos in eodem signo.

Contra vrget argumentum S. Bonau. quod miris modis torquet Scotistas. Actus secundus generationis, & spirationis dicit perfectionem, vt fatetur Scotus *in* 1. *d.*2. *quæst.*7. & alibi, & Faber, *disp.*22. vt vidimus, *disp.*3. *quæst.*10. sed in primo signo naturæ Pater est perfectissimus, nec vllam perfectionem acquirit per generationem, vt clamant Scotistæ; & ideò Faber *ad secundum* concedit, Patrem in primo signo originis esse intelligentem, quia beatus est: ergo in eo signo est Verbum. 38

Obiiciunt primò Mastrius, Faber, Rada. D. Augustinum, *lib. de triplici habitaculo, ad finem, tom.*9. vbi ait: *Tunc manifestum erit iustis, quid intersit inter nasci, quod ad Filium pertinet; & procedere, quod ad Spiritum sanctum: & quomodo Pater non præcessit Filium tempore, sed origine.*

Respondetur primò, illud opusculum non esse D. Augustini, licèt inter opera eius excusum, vt multi sustinent. Imò D. Augustinus oppositum tenet, vt vidimus; nec iota pro Scoto reperit, vel pro se in D. Aug. Macedo. 39

Respondetur secundò, sensum esse, Patrem esse priorem origine, quia Filius est à Patre; non è contra: Ideò asserimus prioritatem *à qua*, non *in qua*.

Obiiciunt secundò Richardum de Sancto Vict. *lib.*6. *cap.*7. vbi probat, in Trinitate habere condignum prius esse, quàm habere condilectum. Ratio est, quia habere condignum potest consistere in dualitate; at habere condilectum non stat sine Trinitate, & *lib.*1. *c.*7. admittit prius causaliter. Et Hug. *lib.*6. ordinem naturæ.

Respondetur, illum loqui nostro modo intelligendi. Hunc dari ordinem. *Ex qua.*

Obiiciunt tertiò. Basilius *lib.*3. *contra Eunomium*; initio concedit primam, secundam, & tertiam Personam in Trinitate dignitate, seu authoritate principij, & origine. Et hoc ex Basilio recitat Ioannes Theologus in Concilio Florentino, *sess.* 20. post mediam. Idem habet Epiphanius, quem allegat D. Thom. *lib. de errore Græcorum*, *c.*2. & Nazianzenus, quem adducit *cap.*9. Idem habent Damascenus, & Hilarius.

Respondet S. Bonau. dari quidem secundùm Sanctos, & Ecclesiam, Ordinem primæ, secundæ, & tertiæ Personæ in diuinis secundùm ordinem realem; sed non per aliquam realem prioritatem instantium, *in quibus*. Ita *fundamento* 2. & *in corpore.* Itaque Ecclesia, & Scriptura semper hoc ordine enumerant primò *Patrem*: secundò *Filium*: tertiò *Spiritum sanctum*, ad exprimendum ordinem originis, vt *à quo*. 40

Vrget Vasquez cum Fabro. Hic ordo diuinarum Personarum est immutabilis, vt primò recenseatur Pater: secundò Filius: tertiò Spiritus sanctus. Quod si hic ordo esset per intellectum; ita possemus à Spiritu sancto auspicari; sicuti cùm multos aureos numeramus. Tunc sic. Ordo est habitudo ad vnum primum; & ita includit prius, & posterius. Hæc est demonstratio, qua fuit coactus Vasquez ad S. Thomam defendendum; eam vrget authoritatibus Macedo.

41 Respondet D. Bonauent. *loc.cit.& quæst.2.* ad argumenta, quod ordo in his inferioribus originibus naturalibus, duo dicit, nempè, emanationem, & antecessionem. Et ratio est, quia emanatio in his inferioribus dicit diuersitatem substantialem; vnde omne, quod emanat in his, est effectus; & quod producit, est causa. Et quia aliud in naturâ; ideò naturâ posterius est. In diuinis autem est emanatio, ad quam non consequitur essentiæ diuersitas; ideo nec prius, aut posterius naturâ, sed simul naturâ; & ideò in diuinis non est ratio causæ, vel effectus secundùm Latinos; sed nomen principij; quamvis Græci, extenso nomine, vtantur nomine causæ, pro nomine principij; & ideò non sunt existimandi, asserere in diuinis illam prioritatem, quæ est inter causam, & effectum; in diuinis enim est ordo naturæ, non quo alter sit posterior altero; sed quo alter ex altero. Et hoc vult D. Augustinus

42 adductus à Magistro *d.20.* Itaque, licèt inter nos ordo indicet posterioritatem, non tamen in Deo. Quare aduertit S. Doctor *quæst.1. ad vlt.* quod sicut in diuinis numerus detrahit à ratione numeri, quia ibi est discretio hypostasum, non autem distinctio totalis in natura; ita ordo ibi à ratione ordinis in natura recedit, quia non est ibi antecessio; sed sola originum emanatio; vnde ait, non esse ibi ordinem, tanquam in subiecto, & re ordinata, vt cùm dico *albedo parietis*; sed emanationis, vt cùm dico *albedo lucis*. Itaque *quæst.2. in corpore*, sic respondet etiam Nazarius; & alij, & tandem ita asserit Suarez *lib.4.c.15.n.7.*

43 Addit vltimò, quòd non semper ordo præsupponit distinctionem secundùm numerum, nisi intelligatur de ordine locali, & secundùm positionem; nam ordo secundùm naturam, & secundùm naturalem intelligentiam attenditur inter superius, & inferius, inter quæ non cadit numerus.

Obiiciunt quintò. Omnis causa est prior effectu; sed in diuinis Pater est causa producens, & Filius effectus, vt asserunt Patres Græci, Chrysostomus *in cap.1. ad Heb.* Damascenus *lib.1. de fide*, & alij, atque conceditur in Concilio Florentino ab ipso Eugenio Pontifice: ergo.

Respondet D. Bonauent. *quæst.2. in appendice ad secundum fundamentum*, quod Patres Græci extenso nomine vtuntur nomine causæ; & hoc sensu admittitur in Concilio Florentino, vt testatur ibi Eugenius Pontifex.

Instat Faber. Omne producens est prius producto.

44 Respondet D. Bonauent. *dist.21. citato fundamento 3.* addita expositione *in corpore*. Omne producens esse prius, vt *à quo*, non vt *in quo*, nisi nostro conceptu.

Instat Faber. Sicut constitutiuum, & distinctiuum non sufficit ad productionem, ne idem seipsum producat; ita ad productionem non sufficit prioritas rationis, *in qua*.

Respondetur, non esse simile: nam distinctio inter producens, & productum in terminis intrinsecè includitur, non sic prioritas. Itaque licèt nihil possit seipsum producere; potest tamen producere aliquid, quod secum simul sit, saltem in diuinis, quò malè attolluntur maculosæ productiones creatæ.

Instat Faber. Conceptus noster debet esse conformis rei; sed producens, & productum sunt simul per vos. Ergo malè concipitur prioritas.

Respondetur, conceptum cum aliquo virtuali fundamento non esse falsum. Quia igitur nos concipimus res diuinas pro nostro captu, & non valemus adæquatè concipere; sed vt productiones inter nos sunt. Ideò concipimus aliquid, quod quidem habet aliquod virtuale fundamentum, quatenus scilicet est, *qui ab alio*, & *ex quo alius*; tametsi ex diuina perfectione simul sint, quæ tamen absque conceptu prioritatis realis vix apprehendi possunt. 45

Obiiciunt vltimò. Quod ex alio est, non est ens simpliciter. Si ergo datur in diuinis, *qui ex alio*; non erit ens simpliciter; neque Deus.

Respondet Valentia; Deum esse ens primum primitate durationis, & causalitatis; & ita vt Deus, à nullo est; at verò hic Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ita vt à prima Persona aliæ fluant; non tamen producuntur secundùm essentiam Diuinam; sed solùm secundùm Personam; at secundùm hanc rationem ita necesse est, quia Diuina essentia est dupliciter fœcunda; neque potest producere aliquid à se diuersum; & cùm hæc fœcunditas sit essentiæ, vt in prima Persona, ideò producere valet. Hæc responsio est D. Bonauent. *d.2. q.1. & 2.* Hoc argumentum æquè; imò magis, vrget Scotistas. 46

Ex his sequitur, neque inter diuinas emanationes dari prius, & posterius tametsi altera sit ratione prior, vt vidimus, *disp.2. quæst.vlt.* dari tamen ordinem naturæ, vt rationes S. Bonau. ibi demonstrant. Ille igitur ordo est realis sine prioritate Vtrumque rationibus suprà liquet.

QVÆSTIO V.

Vtrum Filius sit Patri æqualis in magnitudine.

D.Bonau.d.19. q.1.& 2.
D.Thom.q.42. art.4.

NOTA ex D. Bonauentura *quæst.1. & 2.* & D.Thom. *hic*, quod magnitudo in diuinis est perfectio naturæ Diuinæ, vt dixi *quæst.1. & sequenti.*

Assero, esse æquales secundùm magnitudinem, Patrem, & Filium.

Probatvr ab vtroque S. Doctore, quia magnitudo est perfectio naturæ eius; sed in diuinis est eadem natura omninò: ergo. Minor probatur à Seraphico ex fide, sunt enim vnus Deus. Hæc ratio ad probandam æqualitatem Personarum secundùm perfectionem adhibetur à Concilio Toletano sexto, *in confessione fidei*, vbi ait: *Ideò personæ sunt æquales; natura enim illa non respicit magis, & minus.* Idem colligitur ex Lateran. sub Innocentio III. *cap. Damnamus*, ex D. Augustino 9. *de Trinit.cap.1.* Anselmo 47

Anselmo *in Monol. cap.* 53. Athanasio *in Decretis de Synodo Nicana*, & refert Ruffinus *lib.* 1. *hist.* & testatur Pamphilus Martyr *in sua Apologia*. Eam verò rationem omnes Theologi adhibent; seruatis tamen dictis, *disp.* 3. *q.* 10.

48 PROBATVR secundò à D. Thoma *in corpore*, & D. Bonauent. *d.* 19. *in dubiis littera*, præcipuè *nono*, & *vndecimo*. De ratione Patris perfectissimè generantis est, vt producat Filium æqualem. Probatur assumptum: est enim Generatio productio Viuentis ex Viuentis substantiâ similis secundùm naturam saltem specificam.

Hic Scotistæ quærunt nodum in scirpo, & arguunt. Si relationes dicunt perfectionem: ergo ab eis sumenda perfectio; at Filius non habet paternitatem: ergo non est ita perfectus. Vrgent: nam SS. Patres sumunt perfectionis æqualitatem inter diuinas Personas ex essentia, non ex relationibus.

49 Respondetur ex dictis *d.* 3. *q.* 10. in Filio esse perfectionem Patris, non modò, quia identificantur relationes in essentia; sed etiam, quia ipse terminat perfectionem generationis, quæ est paternitas, quam exhaurit; & personæ sunt in se inuicem totæ per circumincessionem, altera in alterâ, non solum ratione essentiæ, sed etiam ratione personæ; tametsi maneat distinctio personarum, vt dicam *quæstione sequenti*. Itaque Patres præcipuè ab essentia sumunt æqualitatem; tum quia agebant contra hæreticos negantes consubstantialitatem; tum quia essentia includit formaliter relationes identificatas. Tandem quia hinc pullulant relationes, & totus Deus accipitur, vt vnus, & Trinus, constans ex absolutis, & relationibus: vnde sunt relationes, & essentia, *ille Deus*, de quo disputant Patres. Itaque à personis etiam sumebant æqualitatem: & hoc vult Concilium Toletanum vndecimum, dicens:

50 *Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet, cum vnaquæque persona Deus singulariter dicitur; nec amplius, cum tota tres Personæ vnus Deus enunciantur.* Ecce non è sola essentia sumit æqualitatem, sed includit etiam relationes; attamen ab essentia radicaliter sumitur. In quo deceptus est Meldula *disp.* 7. *quæst.* 1. *num.* 19. Idem argumentum est Concilij Toletani sexti, & Patrum suprà, & D. Augustini *lib.* 3. *contra Maximinum*, *c.* 10. & *sermone* 38. *de tempore*, & *lib.* 6. *de Trinitate*, *cap.* 8. & 10. & *lib.* 8. *cap.* 1. Cætera vide *disp.* 3. *q.* 10.

QVÆSTIO VI.

An vna persona sit in alia per circumincessionem, & quomodo.

D. Bonau. d. 19. q. 4.
D. Thom. q. 2. art. 5.

51 MVTVA diuinarum Personarum inexistentia, quam Theologi *circumincessionem* appellant ad æqualitatem personarum confirmandam mirificè confert: Si enim Pater non esset in Filio, & Spiritu sancto: & Filius in Patre, & Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in Patre, & Filio, neque producerent, aut producerentur per actus immanentes; neque essent consubstantiales, seu eiusdem naturæ: si enim existerent extrà, iam vna persona extra substantiam alterius staret; & ita essent inæquales: sic enim sola prima Persona esset Deus; aliæ verò duæ, inferioris naturæ.

HANC verò mutuam ad inuicem personarum inexistentiam *circumincessionem* vocant ex Damasceno, quod significat mutuam personarum incessionem, & commeationem, vt extra aliam vna inueniri non possit; quia vnaquæque immensa est, & connexione substantiæ vnita, manente personarum distinctione. Quæ omnia obseruat S. Bonauentura ad ea verba Prouerb. 8. *Gyrum cæli circuiui*: in Tractatulo de his verbis (qui habetur *tom.* 6.) cui titulus. *Compendiosum principium*, dicitur ab aliis *circuminsessio*, eò quòd vna persona in alia insideat, vt ait Morand. *q.* 37.

OMNES igitur Theologi concedunt mutuam inter diuinas Personas circumincessionem. Sic habetur Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*, quem locum, tanquam primum fundamentum iacit S. Bonau. *hic*. Ex quo SS. Patres consubstantialitatem Patris, & Filij collegère. Athanasius *oratione* 1. & 2. & *serm.* 1. & 2. *contra Arrianos*. Cyrillus referens longam disputationem Arrianorum. Irenæus *lib.* 5. *cap.* 7. Chrysostomus ad hunc locum. August. *tract.* 46. & 70. *in Ioannem*. Basilius *lib. de Spiritu sancto*, *cap.* 8. Ambrosius *lib.* 5. *de fide*, *cap.* 5. Beda, Theophylactus, Euthymius *hic*. Victorinus *lib.* 4. *contra Arrianos*. Hilarius *lib.* 3. & 7. *de Trinitate*. 52

Ex quo habemus apud omnes confessum; hanc circumincessionem diuinis personis conuenire, non solum quatenus sunt quidem plures personæ; sed formaliter quatenus sunt vnum in substantia. 53

EST autem controuersia: an circumincessio conueniat diuinis Personis; etiam secundùm relationes ita, vt totæ inuicem inexistant.

PRIMA opinio est Henrici in summa apud Scotum *in* 1. *d.* 19. *q.* 2. §. *de primo*, vnam personam non esse in aliâ secundùm totam; sed solùm secundùm essentiam. Eam multis probat Durand. *d.* 19. *p.* 1. *q.* 1.

VERA tamen sententia est, personas secundùm se totas per circumincessionem esse in se mutuò. 54
Ita D. Bonau. *hic*, quem sequuntur D. Thom. *q.* 42. *art.* 5. vbi Caietanus, Torres, Nazar. & alij Thomistæ, Capreolus 1. *d.* 19. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Ferrariensis 4. *contra Gent. cap.* 9. Marsil. 1. *quæst.* 21. *art.* 2. Gabriel. *d.* 19. *quæst.* 2. *art.* 1. Scotus *loc. cit.* quem imitantur discipuli; Faber *disp.* 44. Rada *controu.* 20. Mastrius *disput.* 7. *quæst.* 1. Fasolus 1. *p. quæst.* 28. *art.* 2. *dub.* 5. Amicus *disput.* 19. *sect.* 8. Suarez *tract.* 3. *lib.* 4. *cap. vlt.* Vasquez *disput.* 169. Tanner. *disput.* 4. *q.* 1. *dub.* 1. Coriolanus *quæst.* 42. *art.* 6. Forestus *fol.* 612. Attamen Fasolus, Mastrius, Faber, Rada, & alij dicunt rationem præcisam, solamquè esse in essentia vnitatem: subscribunt Morandus, *q.* 37. Auersa *hic sect.* 3. Alarconius *disp.* 3. *cap.* 5.

CIRCVMINCESSIO describitur à Scoto *dist.* 19. *quæst.* 2. *Circumincessio est alicuius subsistentis in subsistente realiter distincto mutua, & intima præsentialitas in eadem natura numero.* Eam collegit ex D. Bonau. *in corpore*. 55

Ex hac definitione primò colligit D. Bonauentura, vnam naturam esse debere omnium circumincedentium. Quare si Deus poneret duo corpora penetrata, vnum non esset in alio per circumincessionem, quia haberent duas naturas *numero distinctas*. Secundò requiritur, vt quodlibet sit subsistens. Ex quo fit, vt attributa diuina non sint in essentia per circumincessionem, nec essentia in personis.

TERTIÒ requiritur, vt illa sint realiter distincta. Ex quo sequitur, nec essentiam in Personis 55

sonis; nec personas in essentia per circuminceßionem existere.

QVARTÒ requiritur mutua præsentialitas. Vnde, licèt Deus sit in nobis intimè præsens, non tamen est in nobis per circuminceßionem, quia nos non sumus sic præsentes Deo in eadem natura numero; sicut Personæ diuinæ ad inuicem.

Hæc circuminceßionis descriptio à S. Bonauent. colligitur ex Hilario 7. *de Trinitate*, *cap*. 6. vbi loquens de inexistentia personarum ait: *Inesse, non vt aliud in alio; vt corpus in corpore; sed sic inesse, ac subsistere, vt in subsistente insit, vt sit ita inesse, vt ipse subsistat.*

57 Dicunt aliqui, hanc inexistentiam personarum non esse secundùm relationem, vt est originis, quia illa non est eiusdem rationis in extremis. Paternitas enim in Patre alterius rationis est à filiatione in Filio: Personæ verò vniformiter sunt in se inuicem: sed hoc non placet, vt infrà dicam.

PORRÒ hanc reciprocam inexistentiam Græci Theologi *Perichoresin* vocant, & Latini vertunt *Circuminceßionem*. Cuius possunt aliquæ vmbræ in creatis inueniri; vt in pluribus Luminibus se penetrantibus. Vide Coriolanum.

58 SVPPONO hic, plures modos scripturis innixos, quibus sancti Patres proloquuntur, vnam Personam diuinam esse in alia. Primus, *sicut cognitus in cognoscente*. Ioan. 10. *Sicut nouit me Pater; & ego agnosco Patrem*, vt notat S. Bonau. Secundus, *vt principium in principiato*; vt notat D.Thom. *ad primum* ex D. Athanasio *serm*. 4. *contra Arrianos* Cyrillo *lib*.3. *Thesauri*, *cap*.1. Hilario *lib*.3. *de Trinitate*. Tertius, *vt simile in simili*, quod probat S.August. *tract*. 70. *in Ioannem* ex illo Ioan. 14. *Qui videt me, videt, & Patrem meum.* Solemus enim de duobus similibus dicere. Qui vnum videt; cognoscet & alterum. Quartus *vt æqualis in æquali*. Ioan.14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Ita Athanasius *serm. contra Gregales Sabellij*. D. Augustin. *tract*. 48. *in Ioannem*.

59 CVM autem in personis sit solùm relatio, & essentia, tunc probatum erit inexistere mutuò inter se secundùm totas; si secundùm vtrunque circumeant.

ASSERO, Personas diuinas, sibi mutuo coincedere, non solùm essentia, sed etiam relationibus.

60 PROBATVR primò à D. Bonau. *fundamento* 1. *ex* 14. *Ioannis*, vbi Christus, cùm dixisset: *Qui videt me, videt & Patrem meum*; subdit rationem: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Ergo Pater est in Filio, & Filius in Patre: etiam ratione relationum. Hanc authoritatem vrgent Suarez *num* 9. Faber *num*.5. Tannerus *num*. 14. Vasquez, & alij cum D. Thoma, atque hinc de fide statuunt circuminceßionem; at mihi videtur certissimè statuere, etiam quoad relationes coincedere: si discursum Christi attendamus.

QVOD dicitur de Patre, & Filio, idem sequitur de Spiritu sancto ob eandem rationem. Ideò D.Fulgentius de fide ad Petrum *cap*.1. inter opera D.August. relatus à D.Bonau. & Magistro, ait: *Propter hanc vnitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu sancto est. Totus Filius in Patre, & Spiritu sancto, & totus Spiritus sanctus in Patre, & Filio.* Id notat D. Bonau. *fundamento* 2. & D. Athanasius in expositione fidei, ait: *Spiritus sanctus semper in manibus Patris, & Filij*, & Damascenus *lib*. 1. *de fide*, *cap*.10. vocat Spiritum sanctum ingreßibilem à Patre: & hanc mutuam immanentiam ibi eleganter exponit.

PROBATVR secundò à D. Bonau. ex D. Hilario *de Trinitate*, vt suprà, vbi ait: *Inesse autem, non aliud in alio, vt corpus in corpore; sed ita esse, ac subsistere, vt subsistens in subsistenti insit; ita verò inesse, vt ipse subsistat.* Cùm igitur persona, vt subsistens, sit in alia persona, vt subsistente; profectò est secundùm esse personale: nam personæ primò conuenit subsistere. 61

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura eleganter *dub*.1. *litt*. ex illo Hymno Ambrosij, quem canit Ecclesia, feria secunda in Laudibus. *In Patre totus Filius: & totus in Filio Pater.*

PROBATVR quartò à D. Bonau. *fundamento* 4. & D. Thoma. Omne cognitum est in cognoscente vel per veritatem, vel per similitudinem: sed Pater cognoscit Filium, quantùm ad hypostasim; imò illum dicendo generat. Ergo Filius est in Patre alterutro modo. Non quantùm ad similitudinem, quia tunc esset in Patre, sicut creaturæ: ergo quantùm ad veritatem: ergo est circuminceßio etiam secundùm personalitatem.

CONTRA hanc rationem arguit Aureolus apud Capreolum, & Caietanum primò, quia modus essendi in alio, sicut in principio, est imperfectior, vt docet *Auer*.4. *Phys. com*.14. & non est reciprocus; at circuminceßio in diuinis est reciproca perfectissimè. 62

RESPONDETVR ex D. Bonau. *loc. cit*. esse in principio extraneo secundùm operationem transeuntem, dicere imperfectionem; non autem secundùm immanentem.

ARGVIT secundò: quia sic esset in Filio ipse Pater, sicut res dicta in Verbo.

RESPONDETVR ex D. Bonau. *eodem fundamento*, res dictas esse diuerso modo in dicente: aliquæ enim sunt essentialiter, aliquæ repræsentatiuè. Pater ergo est in Filio, vt res essentialiter dicta Verbo; at verò creaturæ dicuntur repræsentatiuè, in quantum scilicet repræsentantur in Deo, quarum essentialiter est Verbum; vt *dicti*, & *dicentis*.

CONTRA arguit Faber, quia relatio originis est diuersa in extremis, quo fit, vt, licèt Filius sit in Patre, non tamen Pater sit in Filio: & ita non erit circuminceßio, cùm non sit mutua. 63

At non intellexit vim rationis: putat enim, hanc inexistentiam esse, sicut amphoræ & vini; est autem circuminceßio veluti circummeatio, secundùm quam Filius quidem est in sinu Patris; & Pater in amplexibus Filij. Ideò Ecclesia canit: *In Patre totus Filius; & totus in Verbo Pater.* Vbi sancta Ecclesia nominat Verbum, In quo est Pater, idest, quatenus est conceptus Filius; at verò si vt personæ tantùm in genere circumincederent inuicem, vt putat Faber; quomodò mutuò circumincederent? nam mutua relatio est tantùm ratione originis; & hæc non est æquiparantiæ; sed disquiparantiæ.

HANC impugnationem aduertit S. Bonauentura *fundamento* 5.

PROBATVR quintò à S. Doct. *fundamento* 6. Maior est conuenientia Personarum diuinarum, quàm sit generis ad species; & totius ad partes: sed ob id, genus est in speciebus: & totum in partibus: ergo. 64

Probatur etiam à Scoto. Quando aliquid est in aliquo secundùm partem, eo modo est in eo, quo & pars est in illo. Ergo si vna persona est in alia secundùm partem, idest: secundùm essentiam; persona erit in persona secundùm essentiam: sed essentia est in persona formaliter. Ergo vna persona esset in alia formaliter; at verò persona non est in alia

alia formaliter; sed per circuminceſſionem. Maior probatur: ſi homo eſt in terra per pedem; ſicut pes in terra localiter eſt; ita homo erit in terra localiter per partem.

65 Hæc tamen ratio friuola eſt, vt ex D. Bonau. *in corpore, & ad vltimum* colligo. Quamvis enim concedatur de partibus, & toto; tamen eſſentia, & relatio non ſe habent, vt partes ad totum componendum. Itaque non eo modo una perſona erit in alia, quo ad inuicem conueniunt in eſſentia, ſed vt etiam differunt in Perſona. Sic enim docent SS.Patres ſuprà; & ita vera circuminceſſione, quæ ponit diſtinctionem cum vnitate. Et cùm in Diuinis vnitas ſit indiſtincta, vt diſtinctio inconfuſa, ideò eſt ibi circuminceſſio, & inexiſtentia vera, vt docet D. Bonau. quem laudat Vaſquez, *numero* 8.

66 Deinde id, quod eſt in aliquo ſecundùm partem, non eſt in illo eodem modo ſecundùm totum, v. g. ſi auis ſecundùm pedem eſt in laqueo, non eſt in eo,eodem modo ſecundùmtotum;quia ſecundùm pedem eſt ibi formaliter proximè; at ſecundùm totum remotè, & denominatiuè tantùm.

Alivd argumentum habet Scotus. Proprietas eſſentiæ, vt exiſtentia eſt, non competit perſonæ; ſed repugnat; vt conſtat, quia perſona eſt incommunicabilis: eſſentia communicabilis. At eſſe vnum in tribus,eſt proprietas eſſentiæ. Ergo hæc proprietas non poteſt competere perſonæ, & ſic non poteſt dici, quod perſona ſit in tribus eo modo, quo eſſentia eſt in tribus: Si autem vna perſona non eſſet in alia perſona, niſi quia eſſentia eſt in tribus, modus eſſendi proprius eſſentiæ, vt contràdiſtinguitur à Perſona, competeret perſonæ, vt perſona eſt.

67 Hæc tamen ratio infirma eſt, vt colligitur ex D.Bonau. *hic*. Negatur enim ſequela, quod ſi perſona non eſſet in alia per circuminceſſionem, niſi quia eſſentia eſt in tribus; modus eſſendi proprius eſſentiæ, vt eſſentia eſt, competeret perſonæ, vtperſona eſt. Atque adeò perſona eſſet communicabilis. Miror autem; Doctorem ſubtilem hæc inducere: non enim circuminceſſio fit per formalem conuenientiam; ſed per commeationem, ſeu inexiſtentiam vnius in alio per communicationem in eodem centro. Dabo obſcuram ſimilitudinem huius arcani. Si tres aues trigeminæ,eodem netuo pedibus vnitæ,circumuolitarent ſe inuicem. Vel ſi Trigeminus, puta Gerion, fingatur, tunc ratione animæ illa tria corpora circumincederent inuicem. Itaque circuminceſſio in eſſentia ſolum dicit tres perſonas eàdem eſſentiâ ſubſiſtere. Hinc Damaſcenus ſuprà; ideò vocat perſonas inuicem indigreſſibiles; & *lib.*1. *de fide*, *cap.*15. ait. Per hanc circuminceſſionem excludi multitudinem Deorum,ſeu Deitatum; & Hilarius ſuprà, hoc ſenſu locutus cenſetur.

68 Probatvr tandem à Scoto *loc. cit.* & Fabro; *num.*8.è D.Bonau. *in corpore*. Id,quod eſt ratio circuminceſſionis ſecum fert diſtinctionem realem: nam circuminceſſio vnius in alio eſt plurium. Ideò Chriſtus Ioan. 14. ait: *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. At diſtinctio eſt à perſona, non ab eſſentia: ergo.

Obiicies primò cum Henrico. Si vna Perſona eſſet in alia ſecundùm totum; ſequeretur, Patrem eſſe in Filio etiam ſecundùm paternitatem; & ita Filius eſſet talis etiam paternitate, atque adeò eſſet Pater: & è contra.

69 Respondet D. Bonau. circuminceſſionem dicere inexiſtentiam, non formalem relationem, ſed mutuam inexiſtentiam ſecundùm habitudinem præſentialitatis intimæ.

Obiicies ſecundò cum Durando. Si Pater continetur in Filio. Ergo impoſſibile eſt, Filium in Patre contineri. Sic vinum, quod eſt in amphora, non continet amphoram. Confirmatur: nam eodem modo opponuntur id, in quo aliud: & id, quod in alio; ſicuti id, quod ab alio; & à quò aliud. Sed id, quod ab alio,non poteſt eſſe id,à quo aliud: ergo.

Respondet D.Bonau. *ad vltimum*, circuminceſſionem non dicere eſſe (*in*) ſicut contentum in continente. Sed aliud, cui non eſt ſimilis inter nos, per communicationem in eſſentia, & inexiſtentiam ſubſiſtentis in ſubſiſtente. Ita reſpondet etiam Scotus *loc.cit.* & Faber in fine diſputationis. Vnde ruit etiam confirmatio. Obſecro arguentem, vt à creatis modis eleuetur, in quibus non eſt Trinitas.

Obiicies tertiò. Vbi eſt fundamentum relationis alicuius, ibi eſt relatio fundata in eo;at relatio originis fundatur in eſſentia.Ergo vbi eſt eſſentia, ibi eſt relatio originis. Sed eſſentia eſt in vnaquaque perſona. Ergo vnaquæque perſona eſt in alia ratione eſſentiæ. Confirmatur, nam ſancti Patres dicunt, totam rationem huius circuminceſſionis eſſe vnitatem eſſentiæ. 70

Respondet ex D. Bonau. eſſentiam eſſe principale fundamentum circuminceſſionis; non tamen adæquatum. Sed & originem, & correlationem; & hoc tantùm volunt SS. Patres. Nam ratione etiam relationum admittunt circuminceſſionem, vt vidimus.

Obiicies quartò Pater, & Filius opponuntur. Ergo vnus non eſt in alio. Probatur antecedens nam ex oppoſitione fit, vt ſint (*ad*) non autem (*in*.) 71

Respondetvr ex D.Bonau.ex eo quòd opponuntur relatiuè in eadem eſſentia, non tolli circuminceſſionem, vt canit Eccleſia. Non enim, vt ſunt (*ad*) dicuntur eſſe formaliter, vna in alia; ſed ſecundum hoc vna eſt in alia per intellectionem;quia relatiua ſunt ſimul cognitione; at quia cognitio Diuinarum mutua eſt per realem præſentiam; non per ſimilitudinem, & in immenſa comprehenſione præſentiali vna eſt in alia.

Obiicit ſibi etiam S. Bonau. primò ſi Pater eſt in Filio. Ergo & Pater eſt in Patre. Probatur conſequentia. Ita res ſe habet ad eſſe; ſicut ad prædicari. Sed in prædicatione quicquid prædicatur de aliquo,prædicabitur etiam de omni eo, quod eſt ſub illo. Ergo ſi aliquid eſt in aliquo, neceſſe eſt, vt in eodem ſit omne, quod eſt in eo. Ergo ſi Filius eſt in Patre, omne quod eſt in Filio eſt in Patre;ſed Pater eſt in Filio: ergo Pater eſt in Patre. 72

Respondet D. Bonau. in argumento eſſe fallaciam; dum ſignificatio particulæ (*in*) adulteratur. Hæc enim ſignificat diſtinctionem, & ideo non benè deducitur ad ſignificandam identitatem; ſicut ſi diceres: Petrus eſt ſimilis Paulo: & Paulus Petro. Ergo Petrus eſt ſimilis Petro. Ita in propoſito, cùm dico, Patrem eſſe in Filio per circuminceſſionem, notatur identitas quidem naturæ; ſed diſtinctio etiam perſonarum. Regula verò illa Ariſtotelica prædicandi,valet de his, quæ verè ſub alio ſunt, v. g. ſi ſenſibilitas prædicatur de animali; prædicabitur de omni ſpecie, quæ eſt ſub animali, & de omni indiuiduo: at cum dico. Pater eſt in Filio; non eſt, vt in continente aliquid ſub ſe, ſed

vt

vt subsistente eadem essentia formaliter, & inuicem præsentialiter, in quo distinctio simul cum identitate includitur; non autem solum, vt essentia Patris dat esse etiam Filio, vt aduertit Caietanus post D. Bonauenturam. Opto autem, considerent sanctissimam Trinitatem à regulis Aristotelis abstractam.

73 Obiicit secundò. Quando duo simplicia ita se habent, vt vnum sit in alio; non distinguuntur ab inuicem; sicut punctus est in puncto: sed Pater, & Filius sunt omnino simplices: ergo si Pater est in Filio; & Filius in Patre: non distinguuntur.

Respondet D. Bonau. veram esse maiorem; quando illa duo simplicia distinguuntur penes subiectum, vt punctus; at verò quando se ipsis distinguuntur, atque subsistunt; non confunduntur, quamuis sint simul, & tales sunt diuinæ hypostases. Dat simile S. Dionysius *c.2. de diuin. nominibus.* Multa lumina sunt in eodem aëre inconfusa, cuius signum est, quòd, quando vnum luminare aufertur; remouet lumen suum, nil detrahens de aliis: ratio est, quia lumina in aëre non distinguuntur penes id, in quo sunt.

74 Obiicit tertiò. Si essent duæ essentiæ diuinæ, vna non posset illabi alteri, quia vtraque esset æquè summè spiritualis: sed & duæ personæ sunt æquè spirituales: ergo non potest vna esse in altera, quin ei illabatur.

Respondet S. Bonau. negando paritatem: nam vna natura non potest esse in alia, nisi vna habeat rationem materiæ: altera formæ; at personæ communicantes in eadem essentia possunt esse in alia per communicationem eiusdem essentiæ. Itaque non est illapsus vnius in aliam.

75 Obiicit quartò. Filium esse in Patre, aut dicit aliquid secundùm substantiam, aut secundùm relationem: si secundùm relationem: contrà est D. Fulgentius *lib.1. de fide ad Petrum, cap.1.* qui ait, quòd, *propter vnitatem naturæ totus Pater est in Filio, & Spiritu sancto.* Si secundùm substantiam: Contrà. Quæ secundùm substantiam dicuntur, conueniunt tribus communiter. Ergo hoc, quod est esse in Patre, conuenit Filio, & Spiritui sancto, & ipsi Patri; & sic Pater est in Patre.

Respondet S. Bonau. quem sequitur Scotus *loc. cit.* & Faber *num. 5. & 8.* quod dicit vnitatem plurium personarum in substantia; sicut simile dicit vnitatem plurium in qualitate; & æquale vnitatem plurium in quantitate: vnde sicut æquale importat substantiam simul cum relationibus; ita & hoc, quod est esse (*in:*) & sicut dico, æqualis Patri, conuenit tantùm aliis personis; non Patri; ita & hic; non tamen benè inducit Faber, relationem non esse rationem saltem secundariam fundandi circuminceßionem.

76 Obiicit quintò. Cùm dicitur: Pater est in Filio: è contrà Filius in Patre; vel importatur mutua, eademque habitudo, aut diuersa: si eadem: Contrà, Filius est in Patre, vt in principio: Ergo, & Pater erit in Filio, vt in principio: si diuersa est habitudo. Contrà: nam sicuti non est circuminceßio, cùm dicitur species est in genere; quia è contrà, genus non est in specie. Ergo pariter nec in diuinis erit circuminceßio.

77 Respondet D. Bonau. esse eandem habitudinem; sicuti cùm dicitur Pater est similis Filio: & Filius Patri, est habitudo æquiparantiæ: ita & in hoc: nam importatur relatio identitatis in substantia, siue consubstantialitatis: cùm dicitur: Pater est in Filio, &c. alioqui non erit circuminceßio; sicut cùm dico: creatura est in Deo, non est eadem habitudo cum illa, qua Deus est in creatura: Seraphicum sequitur Scotus *loc. cit.* & Faber *n.5.* excipe id, quod addit, origines, nullo pacto esse rationem circuminceßionis.

Obiicit sextò. Filius est *de* Patre, & *apud* Patrem: non è contrà: ergo pariter non conuertuntur Filius in Patre: & Pater in Filio.

Respondet S. Bonau. negando paritatem: 78 nam præpositio (apud) significat originem Verbi in mente Patris; sicuti etiam (*de*) & (*ex*) ideò Tertullianus, aduersus Praxeam, ait: *Sermo, idest, Verbum in principio apud Patrem. Ioan.1. dicitur; non Pater apud Verbum: nam, etsi Deus Verbum; apud tamen Deum est, qui ex Deo, &c.* Ideò ergo particula (*apud*) non dicitur ad conuertentiam; sicut particula (*in*) & (*cum*) quæ dicunt relationem æquiparantiæ.

Obiicit septimò. Octo modi essendi inueniuntur in Aristotele, *in Antepradic.* & *4. Phys. t.23.* Primus modus: sicut pars in toto: secundus sicut totum in partibus. Tertius sicut species in genere. Quartus sicut genus in speciebus. Quintus sicut forma in materia. Sextus sicut rectum, & motum in regente, seu mouente. Septimus sicut res in suo fine. Octauus sicut contentum in continente. Boëtius addit nonum: sicut accidens in subiecto: sed nullo istorum modorum, Pater est in Filio: vel è contrà: ergo nullo modo. 79

Respondet S. Doct. illos modos inexistendi 80 esse solùm creaturarum; at modus diuinæ circuminceßionis non habet simile in terris; sicut nec modus existendi in Augustissimâ Eucharistiâ, vt aduertit D. Bonau. *num.* 4. Scotus *loc. cit.* & Faber *num.9.* Rationem reddit S. Bonau. *in corpore*: nam circuminceßio dicit inexistentiam plurium subsistentium in vna numero essentia; at in creaturis, est distinctio naturarum in suppositis: ita vt, si vna aliam continet, non possit mutuò eadem habitudine æquiparantiæ contineri; atque semper vnum habet rationem actus respectu alterius: & alterum aliquid potentiæ, & imperfectionis; non potest autem idem esse actus, & potentia. Idem docet *ad tertium.*

Scotus tamen affert exemplum de illapsu Dei 81 in creaturam, vel vnius corporis gloriosi in aliud: at verò, vt benè notat D. Bonauent. *ad quintum,* hoc exemplum non est aptum: nam diuerso modo est Deus in creatura; & creatura in Deo, & ideò est ibi habitudo disquiparantiæ; at circuminceßio est mutua consimilis æquiparantiæ: similitudo verò corporum gloriosorum se inuicem penetrantium non est ad rem: nullatenus enim explicat vnitatem illam essentiæ, quæ secundùm etiam Scotum, est fundamentum primarium circuminceßionis. Requiritur ergo vtrunque, quod declaratur à D. Bonau. *ad quintum*, exemplo similitudinis; similitudo enim ex Aristotele *5. Metaph. t.20. cap. de Ad aliquid,* fundatur in vnitate qualitatis, & tamen dicitur ad alterum, vnde requirit vnitatem, & distinctionem in suppositis, quæ similia sunt: ita in proposito nec vnitas essentiæ sola: nec distinctio personarum sola, est sufficiens ratio huius inexistentiæ; sed vtrumque est causa completa, principalior tamen ratio, est essentia: distinctio verò personarum minùs principalis. Ità sancti Doctores.

Collige primò, Personas diuinas circumincedere ex immensitate principaliter, quam habent ratione essentiæ: secundariò in personis distinctis, vt relatiuæ sunt; neque tamen hæc est relatio realis 82

realis noua, quia relatio non fundat aliam relationem; hæc autem circumincessio fundatur in relatione mutua personarum.

83 Collige secundò, hunc modum inexistendi non conuenire primò essentiæ; sed toti supposito, licèt primum fundamentum sit essentia. In hoc deceptus est Henricus. Rectè igitur S.Bonau.quem laudat Vasquez *num.* 5. ait: hoc modo inexistendi per circumincessionem ita denotari vnitatem cum distinctione; vt vnitas sit indistincta, & distinctio inconfusa.

QVÆSTIO VIII.

An Personæ diuinæ sint æquales secundùm potentiam.

D.Bonau. d.20. quæst.1.& 2.
D.Thom. q.42. art. 6.

84 Iam vidimus *disput.* 13. *quæst. vltima*, potentiam notionalem non includi in omnipotentia, prout sumitur communiter; ideò remanet soluta maior difficultas, quia in potentia sola notionali, apparet maior potentia in Patre; quapropter facilè quæstio soluetur.

85 Notandvm, omnipotentiam esse potentiam actiuam propriè, de qua 5. *Metaph. cap.9.* Aristoteles agit, quæ adæquatè respicit omne possibile; non solum subiectiuum, quia possibile subiectiuum non conuertitur cum potentia actiua simpliciter; sed cum sola potentia actiua transmutatiua; qualis est potentia actiua naturalis, quidquid enim potentia naturalis producit, erat in potentia alicui subiecta. Respicit ergo omne possibile obiectiuum, idest, omne id, quod potest transire de non esse ad esse; & hoc ei opponitur etiam necessariò, vt ait Auicenna 6. *Metaph.* quia quod necessarium simpliciter est, & habet necessarium esse, non potest transire de non esse ad esse, sed habet semper esse. Alioqui dicunt, sumi aliquando possibile omne id, quod non habet esse à se; & opponitur necessario à se: & potentia ad hoc esset potentia; quo sensu etiam Filius in diuinis esset possibilis: sed hic est abusus Verborum, licèt enim in diuinis detur potentia in Patre ad generandum; non tamen in Filio est possibilitas; quia possibilitas, respondens potentiæ actiuæ agentis, dicit imperfectionem; & ideò non est ad Deum rapienda; quia in diuinis productionibus simul sunt actus, & potentia; ex opposito, quàm in creaturis; vt notat D.Bonau. *d.9. quæst.*3. Scotus *d.*20. *quæst.vn.* Faber *disp.*47. *num.*8.

86 Assero, omnes Personas diuinas æquales esse in omnipotentia, quo ad numerum possibilium. Ità S.Bonau. *quæst.* 1.

Probatvr à Seraphico primò. Quæ habent eandem naturam, habent eandem potentiam, & possunt æqualiter secundùm eam. Pater, Filius, & Spiritus sanctus habent eandem naturam: ergo, &c. Hanc rationem desumpsit Scotus *distinct.* 20. *q. vn.* & Faber suprà. Vbi aduertit, hoc argumentum probare in diuinis æqualem potentiam; non modò extensiuam; sed etiam intensiuam. Confirmatur: certum est enim ex fide, essentiam communicari Filio, & Spiritui sancto cum omnibus perfectionibus.

Probatvr à Seraphico secundò. Quæ necessariò habent eandem operationem, ita operantur vt vnum sine alio non operetur, aùt valeat operari: sed Pater, & Filius habent eandem operationem. Ioan.6. *Quæcumque Pater facit; hæc & Filius similiter facit*: ergo. Idem infertur de Spiritu sancto. 87

Probatvr tertiò. Nullus potest plura, quàm potest omnipotens: sed Verbum est omnipotens, vt dicitur Sap. 18. *Omnipotens sermo tuus*: ergo,&c.

Assero secundò, etiam quoad intensionem æquales esse personas in potentia. Ità S.Bonau. *q.*2.

Probatvr à D. Bonau. primò. Nihil est potentius sua virtute: sed Christus est Dei virtus, vt habetur 1. *Corinth.* ergo.

Probatvr secundò à S.Doct. substantiæ æquè nobilis, æquè nobilis est potentia: sed substantia est æquè nobilis, & excellentissima in Trinitate: ergo. 88

Contra primum assertum Obiicies primò. Quantò producta sunt magis distantia; tantò potentia producens est latior: sed potentia Patris se extendit ad creatum, & increatum; at potentia Spiritus sancti ad solum creatum producendum: ergo.

Respondet S. Doct. essentialem, & notionalem non esse eandem potentiam, vt vidimus *disp.* 13. *quæst.vlt.*& quidem essentialis æquè extenditur; notionalis verò Patris æquatur à terminatiua Filij, &c. vt ibi dictum: & potentia Patris, & Filij à terminatiua Spiritûs sancti exhaurientibus virtutem suorum principiorum.

Obiicies secundò. Potentia plura producens, est maior extensiuè; at Patris potentia potest producere Filium, & Spiritum sanctum, ac creaturas; potentia Filij Spiritum sanctum & creabile; at potentia Spiritus sancti solas creaturas: ergo.

Nec valet dicere, producere Filium, & creaturas non esse plura producere, eò quòd non producatur natura; sed persona.

Contra enim: nam producere plures dicentes perfectionem, est maioris potentiæ. Confirmatur: nam producere personam infinitò æqualem,est maioris potentiæ, quàm producere aliud, & aliud creatum. 89

Respondetvr ex dictis *disp.* 13. *q.vlt.* omnipotentiam esse essentialem, & in hac esse comparationem hic; at verò potentiam notionalem variam esse; sicut sunt diuersæ personæ,ita tamen,vt æquiualens in omnibus sit personis,vt ibi dictum est.

Contra secundùm assertum obiicit S. Bonauentura. Potentia merè actiua est intensior, quàm potentia etiam passiuè: at potentia Patris est merè actiua; sed Filij etiam passiua: ergo.

Respondet S.Bonau. Filium potuisse pati solùm quoad naturam humanam: recipere verò est imperfectionis in diuinis. 90

Obiicit secundò. Primum principium, & prima causa est maioris potentiæ: Pater est primum principium, &c. ergo. Maior patet; nam prima causa est à qua omnes causæ.

Respondet S. Doct. Principium, quod est primum substantialiter, esse potentius; illud autem, quod ordine solo primum est, eiusdem tamen naturæ, non est potentius.

Obiicit tertiò. Potentior est, qui habet potentiam à se, quàm qui ab alio: Pater habet potentiam à se: Filius, & Spiritus ab alio: ergo.

Respondet S.Doct. eum, qui habet ab alio naturâ distincto, esse impotentius; quia habet esse per participationem; at qui habet ab alio per communicationem naturæ, atque adeò totius virtutis

virtutis eiusdem, non est minùs potens suo principio. Talis est Filius, & Spiritus Sanctus. Ex hoc habes, quòd, etiamsi Filius sit omnipotens, non potest reddere Patrem nullipotentem, quia recipit eandem potentiam, & eandem voluntatem, vt aduertit Coriolanus *quæst.42. art.15.*

91 Objicit quartò. Qui potest, & per se, & per alium, plus potest. Sed Pater operatur per se, & per Verbum, vt dicitur *Ioan.* 1. non sic Spiritus sanctus: ergo.

Respondet S. Doct. posse per aliam personam consubstantialem, non esse magis posse; quia non dicit dominium: at posse per alium, vt causam inferiorem simul agentem, est magis posse, quàm per se solùm, quia dicit dominium. Pater potest per Filium consubstantialem, quod non dicit dominium; sed solam authoritatem originis, quæ non continet maioritatem.

QVÆSTIO IX.

An inter Personas Diuinas sit similitudo.

D. Bonau. d. 31.
D. Thom. q.42. art.1.& 4.

NOTANDVM primò, magis propriè admitti in Deo nomina exprimentia qualitatem, verbi gratia, Sapientiam, Bonitatem, &c. quàm quæ sonant quantitatem. Hæc enim magis decent corporea. Ita D. Thom. *in* 1. *d.* 19. *art.1. ad tertium.*

92 NOTANDVM secundò, temporibus Arrianæ hæresis sanctos Patres horruisse hoc nomen *similitudinis* inter diuinas Personas; non quia reuera similes non sint; sed quia hæretici, vt negarent consubstantialem Patri Filium; *Homousion*, idest, consubstantialem negabant; & *Homousion*, idest, similis substantiæ asserebant. Ideò Athanasius *de Synodis Arimini, & Seleucia*, ait: *Cur natura talis sit Filius non participata; nunquàm propriè similis substantia dici poterit, sed consubstantialis; quod de aliis dici non conuenit; demonstratum est enim, simile de substantiis dici non posse; sed de figuris, & qualitatibus dicitur; siquidem in substantiis, non similitudo, sed identitas esse pronunciatur.* Idem habet Diuus Basilius, *ep.* 81. *&* 141. & Epiphanius, *hæresi* 73. Theodoretus *lib.1. hist.c.6.* Vide Forestum, *folio* 616.

93 Expulsis ergo Anomæis, idest, dissimilibus hæreticis, negantibus similitudinem consubstantialitatis; Catholici canunt. *Qualis Pater, talis Filius: talis Spiritus sanctus.* Sanè inter nos est quid simile non æquale, vt olor homini albo, vt habet D. Bon. *q.3.* sed in Deo non sic.

NOTANDVM tertiò, fundamentum similitudinis remotum, esse qualitatem, vel formalem differentiam, quæ solet prædicari in quale quid: proximum verò vnitatem in ea qualitate, vel formali differentia. Ita D. Bonau. *d.31. q.2. in corpore*: vbi & Scotus *q.1. §. Quo ad tertiam conditionem.*

ASSERO, Personas diuinas esse similes.

94 PROBATVR primò à D. Bonau. *d.* 19. 1. *p. q. vlt. ad quintum*: quia similitudo in diuinis idem est cum æqualitate, & identitate, siue substantialitate: sed Personæ diuinæ sunt consubstantiales, & coæquales: ergo & similes. Hæc ratio est D. Hilarij de Synodis circa finem, vbi ait: *Ex sensu, & diuinis authoritatibus inter similitudinem, & æqualitatem nihil differre intelligitur*: & infrà, *cùm similitudo nulla sit, nisi ex æqualitate naturæ, &c.*

Confirmatur à D. Bonau. *d.31. q.2. fundamento* 1. 95
ex eodem D. Hilario 3. *de Trin.* vbi ait. *Similitudo est indifferens essentia.* Si ergo eadem est essentia: ergo sunt Personæ inter similes.

PROBATVR secundò singulariter de Filio; Coloss.1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Heb.1. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, & cæteris authoritatibus, quibus *disp.9. sect. vlt.* ostendimus, Filium esse imaginem. Hanc rationem habet D. Bonau. opusc. cui titulus. *Explicatio terminorum Theologiæ.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *q.2. in corpore*, 96
ratione, quam desumpsit Scotus *d.31. q.1. §. Quo ad tertiam conditionem*, & Faber *disp.45. n.8.* nam similitudo desumitur è qualitate, vel è differentia formali, habente faciem qualitatis; seu ex essentia, quatenus est forma, qua Personæ diuinæ sunt Deus; sed inter diuinas Personas est conuenientia in essentia: ergo.

QVÆSTIO X.

An æqualitas, & similitudo in Diuinis sit quid positiuum.

D. Bonau. d. 31. q.1.
D. Thom. q.42. art.1.

FVIT opinio Magistri, ea omnia, quæ in Diuinis non dicunt essentiam, vel personalem proprietatem, nil positiuum dicere; sed priuatiuum. Inter hæc ponit æqualitatis, & similitudinis relationem. Hanc opinionem refellit Diu. Bonau.

PRIMO, quia. Id, quod est in Deo, & inde in 97
creaturis, dicit positionem; atque adeò perfectionem: talis est relatio æqualitatis, & similitudinis, ex D. Augustino: ergo.

SECVNDO. Omne negatiuum, quod non est mera negatio, fundatur positione. Sed æqualitas, & similitudo importat remotionem excessus, & non importat meram negationem: ergo.

TERTIO. Hæc est falsa: Pater, & Filius sunt inæquales: ergo inæquale priuat aliquid in Filio, vt inferunt hæretici, qui ob id damnati sunt; quia Filium, & Spiritum sanctum ponebant minùs perfectos Patre. Ex quo necessariò sequitur inæqualitas: ergo æqualitas aliquid ponit, quia si oppositum eius priuat: ergo ipsum ponit.

Objicit S. Doct. primò. Magistri authoritatem. Secundò ex Euclide. Æquale est, quod alterius suppositum non excedit, nec exceditur. Cùm ergo definitio æqualis detur per negationem; sequitur, &c.

Respondet S. Doct. tradi definitionem per id, 98
quod est notius, cui substernitur positio. Ideò in axiomatibus, *aximoate octauo* ait: *Quæ sibi mutuo congruunt, sunt æqualia.*

Objicit tertiò. Æquale non solùm dicit vnitatem; sed etiam diuersitatem. Sed in diuinis non est diuersitas: ergo.

Respondet S. Doct. importare diuersitatem suppositi, non naturæ.

Objicit quartò. Æquale dicit commensurationem, quæ non potest esse in diuinis.

Respondet S. Doct. in diuinis non esse com- 99
mensurationem; sicuti apud nos inter finita; vbi commensuratio est, quia quantitas illa est mensurata.

rata. Quoniam ergo in diuinis est conuenientia in quantitate virtutis, non molis; & illa est infinita; ideò non adeò propriè reperitur commensuratio.

QVÆSTIO XI.

An æqualitas, & similitudo dicantur in diuinis Personis secundùm essentiam; an secundùm relationem.

D.Bonau. d.31. q.2. D.Thom.q.42. art.4.

ÆQVALITAS, & similitudo dicit conuenientiam, & vnitatem plurium in vno, & quia in diuinis plures sunt ratione relationum; & vnitas ratione essentiæ. Ideò vtrumque debet interuenire: quæro ergo. Vtrum sit principale.

ASSERO primò, æquale dicere principaliter relationem.

100 PROBATVR à Diu. Bonau. 1. ex Diu. Hilario de Trin. *Similitudo sibi non est; sed ad alterum.*

SECVNDO, quia dicitur pluraliter: ergo non secundùm substantiam. Antecedens patet, dicuntur enim Personæ æquales, similes, &c.

TERTIO; æqualitate refertur Filius ad Patrem, dicitur enim similis, & æqualis Patri: ergo non secundùm substantiam principaliter dicitur; sed secundùm relationem.

PROBATVR quartò *in corpore*, quia ibi dicitur respectus multorum in vno: ergo formaliter similitudo, & æqualitas est respectus.

ASSERO secundò, interuenire etiam substantiam.

101 PROBATVR à D. Bonau. primò, ex D. Hilario 3. *de Trin.* vbi ait: *Similitudo est indifferens essentia.*

SECVNDO, æqualitas dicitur secundùm quantitatem; similitudo secundùm qualitatem, quæ in diuinis transeunt in substantiam.

Addit tamen S.Doct. quantitatem, & qualitatem esse causaliter æqualitatem, & similitudinem, non formaliter. Sunt enim fundamenta vtriusque relationis.

DVO vltima argumenta discutienda sunt quæstione sequenti.

QVÆSTIO XII.

An Relationes æqualitatis, & similitudinis in Diuinis sint reales.

PRIMA opinio est Scoti 1. *distinct.* 10. *quæst. vnica*, quem sequuntur Pauent. *disput.* 47. Maced. *coll.* 8. *diff.* 4. *sect.* 3. Bad. *controu.* 6. cum Schola, & Baccon. 1. *d.* 31. *q.* 1. *art.* 2. & 3. has relationes in Diuinis esse reales.

E regione tamen, relationes istas reales esse, negant Diu. Thom. *q.* 42. *art.* 1. vbi Caiet. Salmaticenses, Canar. Bannez, Nazar. Vasquez *disp.* 166. Molina *d.* 2. Valentia, *disp.* 2. *q.* 16. *p.* 1. Suarez *lib.* 4. *de Trin.* c. 15. Tannerus *disput.* 4. *q.* 1. *dub.* 8. *n.* 7. qui ait esse communem sententiam, præcipuè Thomistarum. Idem docet S. Thom. *in* 1. *d.* 31. *art.* 1. vbi Capreolus *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. Richardus *d.* 31. *art.* 1. *q.* 2. Ægid. & Argent. *art.* 2. & 3. Durand. *q.* 1. Marsil. *d.* 33. *art.* 2. *concl.* 2. Henricus 1. *p. q.* 35. *art.* 8.

Omitto Gabrielem *d.* 31. *quæst.* 1. Nominales enim, Relationes omnes nominibus inuoluunt.

QVID senserit D. Bonauentura, arduum existimant multi, iudicare. Marginis ita Seraphici *d.* 31. *q.* 2. *ad* 3. cum Scoto eum componit. Ex eodem loco idem colligit Didacus Ruitz *d.* 103. *sect.* 3. & alius Semiscotista *in tract. disput. Theol. q.* 3. *art. vnico*, Coriolanus verò, *q.* 42. *art.* 8. asserit, Seraphicum pro secunda sententia. Idem dicit Forestus Magister meus, qui Seraphicam Theologiam supra quinquaginta annos euoluit, & edocuit. Imò & Bassolis *d.* 31. fatetur ingenuè, nihil pro Scoti sententia, loco allegato à Ruitz, haberi. 102

IBI obiecerat sibi ad probandum, relationes æqualitatis, & similitudinis dici secundùm substantiam; non secundùm relationem: sic. Quæcumque in Diuinis dicunt distinctionem; dicuntur secundùm relationem (nam in essentialibus Personæ conueniunt omninò:) at simile, & æquale dicunt, non distinctionem, sed conuenientiam: ergo.

Respondet S. Doct. sic: *In diuinis aliqua dicuntur secundùm relationem, quæ sunt distinctiua relatorum, vt paternitas, & Filiatio, & hæc important respectum distinguentem, & talia important distinctionem, vt exercitam: quædam verò dicuntur secundùm relationem, quæ sunt relatiua iam distinctorum; vt similis, & æqualis: & talia important respectum; sed ille respectus non est notio distinguens; sed consequens distinctionem: importat enim distinctionem, non vt exercitam, sed vt conceptam. Nam respectus distinguens, &c.* vt infrà. 103

ITAQVE S. Doctor est potiùs cum D.Thoma: nam relationem hanc non distinguentem, sed distinctorum, appellat, eamque vocat conceptam, non ad phrasim Caietani, & aliorum Thomistarum, quos recensui, *disp.* 12. *q.* 2. illi enim conceptam vocant relationem, vt subsistentem; atque adeò antecedentem esse ad exercitium referendi actu secundo; *hic* verò S. Doct. vocat relationem conceptam, quæ sequitur exercitium referendi, & distinguendi, atque adeò existimat esse per intellectum. Confirmatur, nam pergit S. Doct. *Respectus enim distinguens, est vnius Personæ ad aliam, secundùm quod ab alia; in huiusmodi verò nominibus importatur respectus vnius Personæ ad aliam, secundùm quod communicant vnam naturam; & quia respectus est relatio; ideò plurificatur; quia verò respectus vnius essentiæ; ideò dicitur de pluribus.* Hæc D. Bonau. 104

HIS verbis reddit rationem, cur relationes istæ sint conceptæ, idest, *rationis.* Est autem ratio solida, vt ait Tannerus, secundæ sententiæ, qua vtuntur omnes. Vt enim relationes æqualitatis, & similitudines sint reales, debet & fundamentum, quo nituntur esse in ipsis subiectis, quæ denominantur æqualia, aut similia: distinctum quandoquidem fundamentum, est id, quod per se primò dici debet simile, & æquale; vt appatet in albedine, & quantitate, secundùm quas, duæ substantiæ dicuntur similes; vel æquales. In proposito autem hæ relationes fundantur in vna numero essentia, nullo pacto distincta in personis relatis. Neque verò relationes personales esse possunt fundamentum relationum æqualitatis, & similitudinis, vt docet S.B. 4. *d.* 3. *q.* 2. & in 1. *d.* 30. *dub.* 4. *litt.* & D.Th. *ad* 4. cum Arist. 5. *Physi.* & D.August. 7. *de Trinit.* quòd aduertit Tannerus *n.* 7. & Faber *eodem numero*: daretur enim processus in infinitum.

105 Præterea si relationes personales essent fundamentum, vt sic æqualitatis, & similitudinis; deberent esse æquiparantiæ; at sunt disquiparantiæ; atque adeò resultare debet potiùs relatio dissimilitudinis: non enim relatio Patris est similis relationi Filij, vt arguit S. Doctor *d.30. q.vlt. in corpore.*

Ex aliis etiam locis S.Bonau. habeo, illum stare pro secunda sententia: nam *d.9.art.2.* tradens eandem doctrinam, quam habet *ad tertium*, suprà citatum, ait: *Ratione relationis est distinctio; quia alioqui res ad se referretur; debet autem esse distinctio in fundamento, puta plurium albedinum numero ad similitudinem.*

106 Fvndamentvm igitur, quo tota nititur resolutio; est Bonau. *d.30. q.vlt.* & *d.31.q.2. ad 3.* cui omnes authores nostræ secundæ sententiæ applaudunt; illud tamen Caietano adscribentes. Triplex est genus relationis realis. Primum est earum, quæ fundantur in vnitate conuenientiæ, quæ dicitur relatio quantitatis, quia vnitas ad quantitatem spectat. Hæc autem vel est conuenientia in substantia, & dicitur relatio identitatis. Vel in qualitate, & dicitur similitudinis. Vel in quantitate, & dicitur æqualitas. Aliæ fundantur in actione, & passione. Aliæ in mensura; sicut relatio potentiæ ad obiectum; scientiæ ad scibile. In primo genere relationum fundamenta primò referuntur, & ratione eorum substantia; ideò necesse est fundamenta realiter distingui, quia non tantum sunt fundamenta; sed sunt extrema primaria relationum: extrema autem debent primò referri in omnium sententia, sic; quantitas est, quæ primò dicitur alteri æqualis: qualitas similis; substantia alteri eadem. Quare hæc fundamenta debent esse distincta, vt realis exurgat relatio; alioqui idem referetur ad se.

107 Quo sensu Aristoteles 5. *Metaph. cap. ad aliquid*, ait: *Æqualia dicuntur, quorum quantitas est vna specie*, puta palmaris; non indiuidua, vt putat Macedo, alioqui agnouisset vnam numero formam esse posse in pluribus; quod suprà negauit. Itaque sensus est extrema, puta ligna esse debere palmaria. Hinc sequitur, Personas diuinas, quia æquales in essentia simplici, non referri realiter. Id colligit S.Doct. ex Aristotele 1. *Phys. t.60.* & 11. *Metaph. t.14.* Idem docuit *tract.1.d.12. quæst.6.* cum S.Doct. 2.*d.2. art.2. quæst.2.* Igitur ad relationem realem exigitur distinctio in extremis; per extrema accipe ea, quæ primò referuntur, vt duæ albedines, duæ quantitates palmares, quæ sunt fundamenta, per quæ referuntur secundariò: puta duo Olores simi-

108 les, duo claui æquales palmares. Quod si esset vna numero albedo, quantitas referretur ad se, & faceret supposita, esse inepta extrema. Adde nec posse fieri vnam numero albedinem, &c. In pluribus Oloribus. Vnde admiror Macedum, id apud Aristotelem exigere, qui dum relationem vnitate, seu conuenientia fundari docet, non exigit in suppositis eandem numero formam, quod implicat naturaliter; vt ait Macedo; sed vnitatem in specie, vel genere, quæ distinctionem in fundamentis non destruit. Idem malè arguit Macedo: Fundatur hæc relatio identitate: ergo summa identitate numerica optimè fundatur. En idem ad se referetur, quod cauet Aristoteles *loc.cit.* Vbi ergo non sint fundamenta numero distincta, nequit exurgere relatio realis, sed erit rationis; quatenus idem numero, puta essentia diuina, modò in vna persona, modò in alia ex diuinis, concipitur distinctè. Hoc autem cum ex relationis oriatur essentiâ, quæ extrema exigit in eo, quod est ratio referendi, distincta, ne cogatur relationis violare naturam, quæ est plurium ad inuicem mutuus respectus, neque liceat nouas rerum essentias excogitare, ipsas res suâ priuatas essentiâ seruare præsumendo; non est cur sapiens Macedo admiretur, nos ad identitatiuam in natura relationem exigere, naturæ distinctionem, satisque dicat esse, personas, in quibus est natura, esse distinctas, idque ipsum Aristotelem iudicaturum fuisse, si fides huius Mysterij ei irradiasset. Sanè relationis essentiâ stante possunt diuinæ Personæ in ratione consubstantialis inuicem comparari, cùm ita doceant Patres contra hæreticos, Trinitatem euertentes; neque tamen æqualitatis relationem astruebant realem, vt clamant incassum Scoti Asseclæ, Rada, Faber; atque Macedo

Scotvs in *quodl. quæst.6.* §. *Istarum quatuor rationum*, instat: nam etiam relationes personales propriè sunt reales; & tamen non requirunt fundamentum distinctum: ergo multò minùs relationes communes id requirunt. Antecedens est manifestum, nam relationes originis fundantur in essentia diuina, quæ est omninò vna, & indistincta realiter. 109

Hvic oppositoni præcucurrit S. Bonau. *ad tertium citatum*, quem sequuntur alij: primò, quia relationes personales non fundantur in nuda essentia; sed in actibus notionalibus, qui sunt virtute distincti, atque adeò possunt fundare distinctas relationes reales; & relationes similitudinis, & æqualitatis principaliter fundantur in nuda essentia, quæ simpliciter vnissima est.

Instat Faber. Actus notionales sunt ipsæ relationes originis: hi igitur actus, quatenus sunt idem cum relationibus, fundantur in essentia immediatè, quia in ipsa pullulant, & cum ipsa constituunt supposita; constituens autem non fundatur in constituto, quod posterius naturâ esse debet: Ita & Macedo, vrget actus istos non distingui realiter.

At friuola est oppositio: nam actus notionales sunt veluti viæ ad relationes personales: & ideo supponuntur ipsis relationibus; atque adeò possunt esse fundamentum earum; & cùm sint actus, seu origines distinctæ, possunt esse fundamentum distinctionis: sequitur Valentia *ad tertium.*

Respondet D.Bonau. ei argumento, & cum eo Caietanus, quod relationes originis sunt distinctiuæ: secum enim ferunt fundamentum, & supposita; at relationes communes supponunt distinctas personas. 110

Instat Faber primò. Nulla relatio facit suum fundamentum: nullus enim effectus producit suam causam: hoc enim implicat.

Enim verò non dixi, relationes reales producere suos actus notionales; sed dico, ex eo, quod originibus veluti exeunt, producunt non meras relationes; sed personas ipsas, inter quas est relatio, quod singulare est in diuinis.

Vrget Scotus. In tantùm in Essentia Diuina sunt distinctæ relationes reales originis, quia ipsa est infinita; at eadem essentia, vt quanta, est infinita formaliter. Ergo potest fundare relationem æqualitatis.

Respondet D. Bonau. non esse hanc rationem, quæ fundat relationes personales, sed diuersas origines: nam infinitas essentiæ diuinæ facit solùm vt commensuratio non sit, qualis est in creaturis, vt dixi *q.9. ad vltimum.* 111

Instat Faber. Si relationes originis sunt reales, quia secum ferunt, & constituunt supposita distincta,

distincta, quæ supposita sunt fundamentum relationum originis, & sunt in eadem numero essentia: ergo & relationes communes æqualitatis, &c. quia prærequirunt supposita distincta in eadem natura, possunt esse relationes realis. Hoc vrget Macedo.

Respondetur non esse simile: nam ibi fundamenta assignabilia sunt ipsis relationibus originum; at verò hic distinctio non est applicabilis istis relationibus.

112 Mihi negotium facessit, quod cùm etiam actus notionales sint relatiui; (sunt enim proprij) non videntur iuxta prædicata esse posse fundamentum relationum. Hanc difficultatem odoratur Valentia.

Respondet ipse, etiam relationes inclusas in originibus, vt origines sunt, supponere rationem communem originum.

Hoc tamen, etsi probet supponere; non soluit difficultatem: nam adhuc sequitur, aliquid relatiuum esse fundamentum relationis; & tunc quæro de illo communi relatiuo incluso in originibus: estne aliquid distinctum? & vbi fundatur? Dicere non potes aliud, quam in essentia, alioqui abibis in infinitum: ergo essentia potest esse fundamentum relationum realium.

113 Respondetur tamen, essentiam esse nostro modo fundamentum inchoatiuum; neque simpliciter formaliter relatiuum inclusum in actibus notionalibus esse fundamentum relationum; sed illud quod dicit fœcunditatem, & quidem in primò supposito est fontale illud commune principium fœcunditatis præsuppositum, quod ab absoluto quidem essentiæ scatutit; sed vt in tali supposito, atque adeò non est simplex relatio, contra regulas nostras, fundans relationes originis; in Filio autem, & Spiritu sancto ipsæ Personæ substantiales in emanando, & accipiendo suppositum, relatiuum quidem, sed substantiale distinctum, accipiunt fundamentum relationis realis mutuæ.

114 Respondet Diu. Bonau. *d.26. q.3. ad primum*, relationes originis reduci ad hypostasim Patris, quæ dicit, non esse ab alio, & negat relationem, & dicit fontalem originem ratione Innascibilitatis; Hypostasis verò Filij, & Spiritus sancti secum fert esse substantiale subsistens, quod est terminus productionis, & fundamentum relationis.

Alterum, quod mihi facessit negotium, est, quia relatio æqualitatis est etiam inter diuinas Personas, etiam ratione relationum, quæ sunt perfectiones æquales, vt diximus *disput.3. quæst. decima.*

115 Respondet Valentia, inter relationes non esse comparationem, æqualitatis commensuratiuæ genericam, vel speeificam, sed habere quasi disparatas perfectiones, quæ sonant æquiualentiam, qualis est etiam inter res emptas, vt inter vnciam auri; & libram argenti: Sic & Paternitas cum filiatione comparatur. Hoc fundamento ruunt omnia argumenta Scoti, vt ait Vasquez, *cap. tertio.*

Vnum adhuc oppones. Si actus notionales, vt virtute distincti possunt esse fundamentum relationum realium originis: ergo, & essentia cùm attributis, quæ differunt virtute.

Respondetur ex Diu. Bonau. *d.19. dub.3 litt.* Maiorem distinctionem reperiri inter origines, quàm inter attributa, & essentiam.

Assero, has relationes æqualitatis, & similitudinis in diuinis non esse reales; sed rationis.

116 Probatvr à Diu. Bonau. *d. 31. q.1. ad 3.* In relationibus, in quibus fundamenta primò referuntur, debet esse distinctio fundamentorum, ne idem referatur ad seipsum, sed fundamentum æqualitatis, & similitudinis diuinæ est substantia indiuisa, in quam transit quantitas, & qualitas: ergo. Maior probatur à Diu. Bonau. in argumentis ex Diuo Hilario 3. *de Trin.* vbi ait: *Similitudo est indifferens essentia*, quod intelligit causaliter. Totum patet ex *fundamento.*

Probatvr secundò à D. Bon. allegato *d.3. q.2.* nam relationes reales in Diuinis sunt tantùm quatuor. Si autem etiam istæ essent reales, iam multò plures essent.

Respondet Fauentinus ex Scoto *d. 31. §. Quantum ad tertiam conditionem*, tot in Deo esse æqualitates reales, quot sunt perfectiones, quæ tamen sunt vna res pluralitate sola formali. Rada etiam ait, Scoto hæc non ineutere metum. 117

Contrà est, quia hæc est nouitas inducens compositionem, & alia absurda.

Probatvr tertiò. Vna relatio non potest esse fundamentum relationis realis, ex Aristotele 5. *Phys.* & Diuo Augustino 7. *de Trin.* relatis, & concessis à Fabro, *disp. 46. n. 7.* & Scoto allegato ibi. Sed æqualitas in diuinis fundatur etiam in relationibus, ex Scoto apud Fabrum *disp.44. num.4.* Ergo non sunt relationes reales. Ratio verò, ob quam ad relationem non fit relatio, est, quia relatio se habet vt actus medius inter relatum, & terminum: ideo non potest esse terminus.

Probatvr ab Henrico, *quodl. 5. q.1.* quia in diuinis non datur quantitas, vel qualitas. Ergo nec relatio realis æqualitatis, & similitudinis. Hæc tamen ratio probat solùm, non dari tales relationes, quales inter nos; vbi nituntur accidentibus, vt notat Diu. Bonau. *d.30. q.3. in corpore*, & Vasquez *hic c.1.* non tamen impedit, quin sit ibi quantitas virtutis, vt docet Diu. Bonau. *d.19. q.1. & 2.* & cum eo Scotus *hic*, & Faber *n.3.* 118

Objicies cum Scoto. Illa relatio est realis, quæ habet omnes conditiones relationis realis. sed relationes æqualitatis, & similitudinis, & identitatis in Diuinis habent omnes conditiones requisitas: ergo. Minor Probatur. Tres sunt conditiones relationis secundùm omnes. Prima est, vt fundamentum sit reale, & termini reales. Secunda, quòd extrema sint realiter distincta. Tertia, vt ex natura extremorum, scilicet fundamenti, & termini, sequatur ipsa relatio absque opere intellectus. Sed omnes istæ conditiones sunt in his relationibus: ergo. Prima quidem; nam fundamentum æqualitatis diuinarum Personarum est infinitas diuinæ perfectionis. Secunda etiam adest, quia Personæ, quæ dicuntur æquales, sunt distinctæ. Ideò Ioan.5. *Patrem suum faciebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Tertia quoque conditio adest, quia Filius ex vi generationis est æqualis Patri realiter, vt habetur *Ioan.5.* adducto. Chrysostomo ibi, Augustino *lib.3.* contra maximinum. Idem probat ex Ioan.10. *Quod dedit mihi Pater, maius omnibus est.* Idem confirmatur ex secundo ad Philipp. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*; vult dicere, ex vi generationis realis; non rapina, vt exponit S. August. *serm. 17.* ad eum locum. Hæc eadem currunt de similitudine. Hanc esse demonstrationem Macedo acclamat. 119 120

Respondetvr ex Diu. Bonau. ad illud tertium argumentum, quem sequuntur alij, deesse secundam conditionem, idest, distinctionem in extremis fundamentis, vt sæpiùs suprà dictum. Quâ doctrinâ corruunt quæcunque Scoti argumenta, vt ait Vasquez

QVÆSTIO XIII.

An relationes Æqualitatis, & Similitudinis in diuinis sint mutuæ.

D. Bonau. d.19. 1.p. quæst.3. & d.31. p.1. quæst.3.

VIDEBITVR superuacaneum inquirere hoc loco de relationibus rationis: an sint mutuæ; neque tamen superfluum est; nam eo sensu est quæstio, quo potest quæri de relationibus rationis.

121 OBSERVAT S.Doct. *dist.*19. duobus modis accipi relationes istas. Primò, vt dicunt æquiparantiam personarum in perfectionibus infinitis: secundò, vt dicunt etiam æquationem cum ordine originis, quæ est disquiparantiæ, veluti actiui in æquante; & veluti passiui in eo, qui æquatur. Priori sensu profectò est mutua, vt claret: at posteriori modo non est mutua: quia licèt Filius dicatur coæquari Patri, cuius est imago, eique similis; attamen Pater non dicitur coæquari Filio, quia non est imago Filij. Hoc sensu D. Aug. *6. de Trin. cap. vlt.* ait: *Si imago perfecta est, æquatur ei, cuius est imago; non illud suæ imagini.* Hanc doctrinam sumpsit Scotus *dist.*19. *q.*1. & Faber *disp.*42. *numero vndecimo.*

122 ASSERO primò, relationes has, priori sensu, esse mutuas modo dicto *quæst.*11. Ita S. Bonauentura *dist.*19. *q.*3

PROBATVR à D. Bonau. primò, omne relatiuum æquiparantiæ denominat extremum secundùm modum consimilem: sed æqualitas est relatio æquiparantiæ: ergo.

SECVNDÒ. Vnum in quantitate perfectionis facit æqualitatem: sed Pater est vnum cum Filio in perfectione, sicut Filius cum Patre: ergo.

TERTIÒ. Æqualitas mutua est maior, quàm non mutua: sed in diuinis est summa æqualitas: ergo mutua.

QVARTÒ. Omne quantum, comparatum quanto, aut est maius, aut minus, aut æquale: sed Pater est infinitus virtute, & similiter Filius, nec maior, nec minor: ergo æquè.

ASSERO secundò. Intellecta æqualitate pro coæquatione originis, non se mutuò Personæ diuinæ æquiparanter respiciunt. Patet, nam altera est producens: altera producta.

123 PROBATVR à D. Bonau. primò ex D. Aug. *6. de Trin. c.*10 & Chrysostomo, ad illud Heb.1. *Qui cum sit splendor gloriæ*, vbi ait: *Filius est æqualis Patri; non Pater Filio.*

SECVNDÒ ex D. Hilatio suprà, qui ait: *Imago, si perfectè implet illud, cuius est ipsa, coæquatur ei, non illud sua imagini.*

TERTIÒ ex D. August. 1. *de doctrina Christiana*, cap.5. *In Patre vnitas; in Filio æqualitas:* ergo verum, quod Pater non sit hoc sensu æqualis Filio, idest, imitans Filium.

VASQVEZ *disp.*166. *num.* 14. carpit rationem, qua S. Bonau. probat, Filium similari Patri: non è contrà, nempè, quia est a Patre, vt imago eius, quaque inde deducit, omnem personam productam assimilari ei, à qua procedit; non è contra: vnde non esse inter inter eas æqualitatem, modo, & phrasi sanctorum Patrum suprà. Hæc ratio (ait Vasq.) non videtur de Spiritu sancto probare, quia ille non est imago Patris, & Filij.

Sed non perpendit responsionem S. Bonauenturæ: non enim solam imitationem imaginis excludit; sed etiam subauctoritatem, idest, esse ab alio, vt patet in textu, & sequitur Scotus. Itaque per quamuis originem excludit mutuam coæquationem, hoc sensu. 124

OPPONIT S. Doct. testimonium D. Dionysij *c.9. de Diu. nominibus*, vbi videtur omninò negare æqualitatem Filij ad Patrem, ait enim: *In causis, & causatis non recipimus reciprocationem.*

Respondet, esse verum de veris causis, ad quas sequitur aliud naturâ distinctum: tales enim effectus conantur imitari causam, sed non adæquant. Ex quo deducit S. Doct. *dist.* 30. *q.*3. creaturam referri ad Deum, vt similem, relatione reali, non Deum ad creaturam; vt vidimus *tract.*1. *disp.*12. *q.*6. Idem docent, atque obseruant D. Thom. *quæst.*4. *art.*3. *ad* 4. & *primo contra Gentes c.*19. & Ferrar. *ibi*, & Vasquez *disp. citata, n.*12.

EANDEM doctrinam refricat S. Doct. *dist.*31. *q.*3. vbi rursus quærit: An æquale, & simile dicantur in diuinis secundùm mutuam relationem. Vult autem idem, quod de æqualite docuerat, definire de altera similitudinis relatione: renouat verò propterea titulum de æqualitate simul, vt ostendat pari modo definiendum de vtraque. Insuper agit de modo dicendi, vt patet in titulo, cùm de relatione æqualitatis quoad rem egisset *dist.* 19. *quæst. citata* suprà, vbi idipsum de similitudine inferebatur. 125

ASSERIT ergo primò, simile sicuti & æquale dici in diuinis mutuò, provt dicit conuenientiam in quantitate perfectionis. 126

PROBATVR à S. Doctore primò, quia tam simile, quam æquale sunt relationes æquiparantiæ, quæ eodem modo denominant vtrunque extremum.

DEINDE, quia sunt æquales, & similes. Ergo vtrinque pariter, quoad perfectionem.

ASSERIT secundò, sumpta similitudine provt dicit expressionem ex origine, non referuntur mutuò diuinæ Personæ. 127

PROBATVR à D. Bonau. primò, quia similis alij dicitur, qui aliud supponit. Ideò dici solet Filius similis Patri; non è contrà.

PROBATVR secundò à S. Doct. argumento, quo vtitur Scotus *d.*19. *q.*1. *ad* 3. æquare, & assimilare significat actionem assimilantis, & æquantis; assimilari autem, & æquari significat veluti passionem, cumque Filius non producat, sed producatur: contrà verò Pater producat; rectè dicitur; Pater æquat, & similat sibi Filium; sed Filius æquatur, & assimilatur Patri.

HANC rationem impugnant Aureolus apud Capreolum *d.*19. *q.*2. *art.*1. & Vasq. *n.*14. quia æquare, & assimilare non magis significat actionem, quàm lucere.

Sed non aduertunt, quod S. Bonau. subdidit, tunc aliquis alteri similatur, quoties fit ei similis aliqua productione in se receptâ, qua veluti tendat ad similitudinem producentis; cumque Filius sui productione tendat ad similitudinem Patris, dicitur ei assimilari: contrà verò, Pater, quia non tendit, nec est quasi in via, cùm non producatur, non dicetur assimilari Filio, aut adæquari. Eadem est ratio D. Thomæ. 128

VVLT igitur S. Doctor dicere, Patrem non esse dicendum æquari, & assimilari Filio, quia hæc significant actionem, vel saltem motum, & viam tendendi ad similitudinem, quæ soli personæ, quæ producitur, conuenire potest. Ex quo deducunt Capreolus suprà, & Vasquez, rationem hanc esse 129

aliam

aliam à superiore, qua vsus est Scotus; at S. Bonau. vtramque composuit, vt si non concedatur actio interuenire cum Scoto; saltem motum aliquem interuenire non negent cum Diuo Thoma. Ego arbitror vtrumque interuenire, nempe veram productionem, quæ non est motus, qua Pater assimilat sibi Filium, & veluti tendentiam Filij geniti in *facto esse* ad imitandum Patrem; & hoc sensu aptari similitudinem Aureoli, qua significatur Lux, lucere splendore genito.

QVÆSTIO XIV.

An in diuinis Personis sit æqualitas, vt partium integrantium.

ADVERTIT Coriolanus, *quæst.* 42. *art.* 11. sex modos *Totius* reperiri. Primum est Totum essentiale, quod continet plura essentialiter constituentia per modum actus, & potentiæ, vt homo constitutus ex anima, & corpore. Secundum est Totum integrale, quod continet plura constituentia per modum actus continuantis, vt homo constat
130 ex manibus, pedibus, &c. Tertium est Totum perfectionale, seu totalitas perfectionis, & consistit in complimento perfectionis substantiæ indiuidualis. Sic dicitur Totus Deus. Totus Angelus. Totus punctus. Quartum est Totum potentiale, seu potestatiuum, quod habet diuersas potentias à parte rei distinctas à sua substantia. Tales sunt potentiæ animæ, quæ integram constituunt. Quintum est Totum vniuersale, quod continet plures partes subiectiuas Sub se, de quibus prædicatur; & hæc constituunt vnum totum; non secundum rem, sed secundum rationem, vt genus, v. g. animali, & species, puta Homo, Leo. Sextum est Totum numerale, quod continet plura numerata, vt duodecim. His omnibus Totis respondent partes. Sic Toti essentiali partes essentiales; integrali integrales; & sic de reliquis, quas recenset D. Bonau. quarto *dist.* 14.
131 1. *p. quæst. vltima ad secundum.*

NOTAT secundò P. Galitius 1. *p. Phil. lib.* 1. *tract.* 6. *q.* 9. ex D. Bonau. *hic*; *& in* 3. *d.* 3. *p.* 2. *dub. vltimo litt.* Totum perfectionis distingui ab aliis totis, quod ea habent partes: at Totum perfectionis solùm dicit esse vnum aliquod perfectum. Quamvis autem de omnibus Totis dicatur esse perfectum; tamen præcisè non dicit partes reales habere.

QVODCVNQVE autem Totum ex partibus constat, plus continet, quam singulæ partes. Quo fit, vt inæqualitas sit, quia plus est in toto, quam in singulis partibus. Hinc fit, vt, si in diuinis esset ratio totius ex partibus; iam imperfectio inæqualitatis inueniretur, vt docet D. Bonau. *hic.* Et D. Th, *q.* 42. *art.* 4. *ad tertium.*

132 ASSERO, in diuinis non esse Totum integrale.

PROBATVR à S. Doctore primò ex D. Ambrosio *lib.* 1. *de fide cap. secundo.*

SECVNDO, quia omne totum ex partibus est compositum. At Deus est simplex: ergo.

TERTIO, quia pars omnis habet rationem imperfecti respectu totius; at in Deo nihil est imperfectum: ergo.

QVARTO. Omne totum est maius sua parte; at vbi est infinitum simpliciter non est maius, aut minus.

ARGVMENTA ad oppositum solùm probant, in Deo esse totum perfectionis, cui nihil deest. Vnde S. August. 6. *de Trin. cap.* 10. ait. *Tota diuinitas est in singulis.*

QVÆSTIO XV.

An in Diuinis sit Totum vniuersale.

D. Bonau. d. 19. p. 2. q. 2.
D. Thom. q. 42. art. 4. ad tertium.

ASSERO non reperiri.

PROBATVR à D. Bonau. 1. *ex Boëtio in Libris de Trinitate.*

SECVNDO. Vbi est vnum vniuersale, ibi est vna forma multiplicabilis; vel multiplicata. Ideo particula (*omnis*,) quæ significat vniuersaliter, potest apponi vniuersaliter. Sic dicitur omnis homo; Omnis Angelus *ex primo Perhierm. cap.* 5. sed in Deo 133
non est vna formæ multiplicabilis, nec potest poni particula, *omnis*, vt dicatur: *omnis Deus*: ergo.

TERTIO. Vbi est particulare, & natura, hîc & nunc determinata, ibi non est vniuersale, atqui in Diuinis natura est hîc, & nunc determinata: ergo.

QVARTO. Vniuersale est simplicius particulari: At in Diuinis non est persona simplicior, quam natura, vel è contrà: ergo.

QVINTO. Vbi est vniuersale, ibi est determinatio ad aliquod genus; at Deus non alligatur generi: ergo.

PROBATVR sextò in *corpore*, quia vniuersale 134
est commune pluribus vnum secundùm rationem; non enim vnitas generica, vel specifica est à parte rei formaliter, sed solùm fundamentaliter. Ideo ait Aristoteles: 1. *de anima, text.* 8. Vniuersale non esse extra animam; at essentia Diuina est communis tribus personis, vna æqualiter: ergo.

Obiicies. Essentia Diuina prædicatur de pluribus personis: ergo

Respondet S. Bonau. cum D. Thoma, non adesse vniuersale, quia essentia non multiplicabitur in pluribus, & ob alias rationes suprà allatas.

QVÆSTIO XVI.

An in diuinis ponendum sit Totum numerale.

D. Bonau. d. 19. p. 2. q. 4.

IAm *disp.* 7. ostendi quo pacto numerus in Diuinis reperiatur. Ideò pauca remanent.

NOTANDVM è D. Bonau. 1. *dist.* 2. *dub.* 7. numerum esse distinctionem, & compositionem plurium vnitatum. Tripliciter autem fit hæc distinctio. Primò continui diuisione. Secundò formarum disparatione: tertiò gradibus, siue ordine. Idem ferè docet Scotus *d.* 19. *&* 4. *& Metaph. q.* 2. distinguens triplicem numerum. Primus est formalis essentialis. Secundus Mathematicus, & accidentalis, scilicet ex diuisione continui. Tertius sensibilis rerum in mundo existente. 135

NVMERVS definitur ab Aristotele 10. *Metaph. text.* 4. *Est vnitatum multitudo vno mensurabilis.*

136 Pro quo scias, ad numerum constituendum requiri necessariò vnitates distinctas, vt notat Caietanus *p.p.q.53.art.3.*post D.Bonau. *hic.* Hæc autem distinctio vnitatum est realis, & substantialis, sicut inter indiuidua speciei substantiæ; accidentia enim non numerantur, nisi numerato subiecto, vt duo alba, &c. In vnitatibus verò seiunctis non inuenitur numerus; sed vt plures sunt, & vna vnitas ad aliam refertur, vt docet D. Bonau.*d.37. q.3.*

137 Scias secundò, has vnitates differre inuicem additione, & compositione suppositi, naturæ, ac formæ; vt multiplicato supposito multiplicetur & forma, & repugnet formæ finitæ reperiri in pluribus indiuiduis. Hoc enim solius naturæ simpliciter infinitæ est priuilegium, vt docet D.Bonau. *in 2. d.3.p.1. q.2. & 3.* Ergo vt sint partes numeri (Philosophicè loquor cum D. Bonau.) debent propriâ formâ, & proprio supposito constare. Accidentia vero consequuntur ad constitutum indiuiduum substantiale.

138 Scito tertiò ex D.Bonau. *hic*; Vt vnitates sint partes numeri, debent in aliquo conuenire vel specie, vel genere. Et ita in aliquo differre; omnia autem, quæ in aliquo differunt, seu genere differunt, seu specie, seu numero, ex Arist. *1.Top. cap.4. & 5. Metaphs.t.16.* Itaque si quis Bouem, Aquilam, stellam, ignem colligeret, & numerum ex his quaternarium conficeret; congeriem potiùs, quàm numerum inueniret, vt ait Forestus, *fol.634.* Ego verò potiùs existimo, fieri numerum formaliter quaternarium, licèt materialiter sit ex diuersis. Non enim numerus conflatur ex vnitatibus, quia Bos, Aquila, vel Stella; sed quia vnitates; numerus enim in discretione consistit. Et ita Arithmetici de numeris differunt siue corporeis, siue spiritualibus, ex eisdem Arithmeticis, vt notat Vasquez *disp.129. cap.3.*

139 Scito quartò, qòud cùm numerus sit in omnibus vnitatibus, & in singulis, non per se; sed in ordine ad alias, possit autem incipi numeratio ab ea, qua libeat vnitate, dicunt aliqui, numerum intellectus operatione compleri. Licèt enim vnitates alio ex capite, puta originis, ordinatæ sint; vt in diuinis semper à Patre incipiendum, tamen, vt vnitates sunt, possunt habere principium vndecumque; & ita potest etiam à Spiritu Sancto; numerus incipi. Sic *vna* persona, *dua*, *tres*; non tamen dicitur prima, quia origine est vltima: Hæc libuit de numeris indicare, de quorum mystica ratione agit S. Bonau. *in Itinerario mentis in Deum, cap.2.* & *in 1. d.3. art.3. ad 3.* Et *in 4. d.47. q.1. ad vltimum.* Et Bongus Bergomensis in suo libro.

140 Assero primò Totum numerale in Diuinis asserendum.

Probatvr 1. ex prima Ioan.5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*

Probatvr secundò ex Concilio Tolet. vndecimo. *Hæc sancta Trinitas nec recedit à numero, nec capitur numero, in relatione enim Personarum numerus cernitur: in Diuinitatis verò substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur.*

Sophronivs in sexta Synodo Generali, *act.11.* ait. *Numeretur beata Trinitas.* Idem habet Boëtius *de Trin.* D. Anastasius Synaita, *lib. de fidei dogmatibus.* Damascenus, 3. *de fide, cap.6.* Bernardus *lib.5. de consider.* & alij cum S. Bonau. *d.2. q.4. & d.19. q.4.* D.Thom. *in quæstionibus disputatis.* Probatur à D. Bonau. dicuntur enim Tres personæ in scripturis, & Conciliis.

His tamen conditionibus numerus in Diuinis conceditur. Prima est, vt non numeretur essentia cum relationibus, ne fiat quaternitas. Hæc enim damnata est in Concilio Later. sub Innocentio III, *cap. Damnamus.* Et in Rhemensi. Secunda est, vt omnis imperfectio finitatis, & compositionis à Diuinis eliminetur. Tertia est, vt personæ Diuinæ non numerentur nominibus sonantibus totalem distinctionem, vt si diceretur: *Deus triplex*; sed nominibus, quæ vnitatem includant essentiæ, vt *Trinitas*, idest, *trium vnitas*; neque dicatur *trina deitas*; nisi illicò addatur *vnitas*, vt in Hymno Sanctissimi Corporis Christi. Vel dic cum Morando, *quæst. vlt.* apponi *comam* particulæ *Trina*, & subintelligi *Persona*, & addi *Vnaque essentia.* 141

Assero secundò in Diuinis non esse numeri differentias. 142

Probatvr à D.Bonau. primò ex Ambrosio *ad secundam epistolam Corinth.* apud Magistrum, *dist.19.* & ex Boëtio *de Trinitate, cap.6.*

Probatvr secundò à S.Bonau. Omnis distinctio numerica venit à materia. Sed in Deo non est materia: ergo. Maior probatur ex Arist. *1.de cælo, cap.9. textu 92.* & *5. Metaph. cap.6.t.12.* & *5. Metaph. cap.8. in fine.* Clarissime verò *duodecimo Metaph. cap.8. textu 49.*

Respondet Scotus *2. d.3. q.7.* Aristotelem intelligere nomine materiæ non alteram partem Physicam compositi, sed conceptum illum indiuidui, qui dicitur *hæcceitas*, quæ contrahit speciem ad esse indiuidui, quia est veluti materiale, respectu speciei.

Contra est expositio Commentatoris, & ipse textus: nam *textu 30.* ostendit, motorem cœli non habere materiam, & loquitur de materia ad *vbi*, & ad *esse*. Et *primo cæli citato* ait. *Cùm dico cœlum, dico materiam.* Et *5. Metaph. t.12.* vbi ait. *Vnum numero, cuius materia est vna: diuersa numero, quorum materia diuersa.* Et *7. Metaph. t.28.* ait. Quod *generans generat aliud propter materiam: & Socrates, & Callias diuersi sunt propter materiam.* Declarat autem, se intelligere materiam partis, dicens. *Iam verò talis species in iis carnibus, & ossibus. At caro, & ossa sunt materia, ex qua, & partes.* Et *7. Metaph. t.35.* ait. *Quod constat ex vltima materia singulare est; sicut ex anima, & corpore in communi fit homo; ita ex hac anima, & ex hoc corpore fit hic homo.* Et *1. cæli, textu 94.* declarans id, quod dixerat *textu 93.* ideò mundum esse vnum tantùm numero, quia constat ex tota materia; ait. *Vt si ex omnibus carnibus, & ossibus vna tantùm fieret caro, & vnum os, vna tantùm esset numero forma, & vnus numero homo, quia vna esset tantùm materia.* 143 144

Respondet Faber *Theor.90.* concedendo materiam esse causam minùs principalem indiuiduationis. Hoc mihi satis in via D. Bonau. & vt ex eius argumento habeamus intentum, ex negatione materiæ in Deo negandam indiuidualem distinctionem.

Probatvr tertio à D. Bonau. Quæ differunt numero, numerant omnia, quæ in ipsis, saltem ex parte principij formalis, sunt. Quia enim Petrus, & Paulus sunt duo; ideo duo homines, duo animalia. Ergo si tres Personæ diuinæ sunt tria indiuidua: ergo tres Essentiæ, tres Dij, quod est hæreticum. 145

Probatvr quartò à S. Bonau. quæ sunt distincta numero, sunt separabilia intellectu, & imaginatione. Sed Pater, & Filius nulla ratione sunt separabiles: ergo.

Probatvr

PROBATVR quintò Quod non est multiplicabile, est vnum numero. Essentia Diuina non est multiplicabilis: ergo est vna numero: ergo non multiplex.

146 PROBATVR sextò à S. Bonau. *in corpore*; ea, quæ distincta sunt numero, sequitur, vt propria passio, numerus, qui est aggregatio multitudinis, in qua plus est in toto, quàm in parte. Hæc autem aggregatio est ex his solùm, quæ habent vnitatem limitatam, quæ est plus cum alio, quàm per se solam; limitatio autem venit per additionem; additio autem perducit ad compositionem cum materia, quæ facit esse hìc, & nunc, tantum, & non plus: Sed hæc non cadunt in Deo: ergo.

147 PROBATVR septimò à S. Bonau. in omnibus distinctis indiuiduè numeratur: *Quod est*; *& quo est*. Sed in diuinis id, *quo est*, nempe, essentia est immultiplicabilis: ergo.

DICES. Sicut vnitas secundùm numerum dicit vnitatem suppositi, non formæ; nam hoc album, & hoc rationale, demonstrato *Petro*, est vnum numero, licèt plures sint formæ: ergo ab opposito diuersitas secundùm numerum non respicit diuersitatem naturarum; sed suppositorum. Cùm autem in Diuinis sint plura supposita, erunt plura indiuidua.

Respondet S. Doct. diuersitatem secundùm indiuiduum sequi ipsum. *Quo est*; non, *qui est* præcisè.



DISPVTATIO XV.

De Missione Personarum Diuinarum.

HACTENVS ea, quæ Diuinis Personis simpliciter intrinsecè ab æterno cõueniunt, disseruimus; nunc remanet prædicatum notionale Missionis, quod æternitate quidem innititur, sed in tempore habet effectum in creatura, ideoque ex immutatione creaturæ, vel simpliciter ad esse, vel ad melius, aliquam denominationem trans-
1 fert in Deum, more aliarum productionum diuinarum, puta *creationis, conseruationis*, quę cum ex essentia, & communibus attributis procedant; sunt communes, vt habetur in Concilio Lateran. *c. firmiter*, & *c. Damnamus.* Et in sexta Synodo, *act.* 4. & *epistola Agathonis.* Et suggestione synodica centum vigintiquinque Episcoporum ibi relata, & confirmata *act.* 17. & in Concil. Tolet. sexto, & vndecimo. Vnde erupit dogma illud Catholicum; *opera Dei ad extra sunt indiuisa*, quod latè explicatur à S. Dionys. *c. 2. de Diu. nominibus.* Nam producuntur ab eodem intellectu, eadem voluntate, & potentia, vt differit S. August. *lib. 6 de Trin.* Missio igitur sola est quid notionale, conueniens diuinis Personis ex tempore ob effectus aliquos in creaturis; vt notat S. Bonau. *dist.* 15. præcipuè *q.* 4. & post eum Suarez *lib* 12. *de Trinitate*, initio. De his agit S. Thomas *q.* 43. & Sententiarij *dist.* 14. *&* 15. Enim verò essentiam in Missione connotari, docet D. Bonau. *d.* 15. *q.* 2. *ad vlt.* & *q.* 3. *ad* 3. *&* *q.* 4.

QVÆSTIO I.

An vna Persona diuina mittatur ab alia.

D. Bonau. d. 15. quæst. 1. D. Th. q. 43. art. 1.

NOTANDVM primò, Missionem apud nos significare motionem ab aliquo mouente, aut mittente alium ad aliquem effectum. Igitur Missio potest considerari primò ex parte mittentis. Se- 2
cundò ex parte missi. Tertiò ex parte termini ad quem mittitur iste ab illo. Mittens igitur est principium Missionis, vel dando esse, vt sol mittit radios, vel dando virtutem, vt proiiciens lapidem, imprimit impulsum; vel dando authoritatem, sicuti Rex mittit gubernatorem; ex his capitibus in diuinis est Missio. Sic Spiritus sanctus mittitur à Patre, & Filio, à quibus habet esse, & virtutem, & authoritatem, ad operandum; neque enim vna Persona recipit authoritatem, nisi ab ea, à qua habet virtutem; neque recipit virtutem, nisi vnde habet esse. Sic innuitur ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum.* Et Ioan. 14. & seq. *Spiritus, quem mittam vobis à Patre. Spiritus, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

QVO ad terminum Missionis, scito, esse tripli- 3
cem. Primus est locus, vbi quiescit res missa. Sic scopus est terminus sagittæ proiectæ. Secundus est ille, cui donatur aliquid. Sic sponsa est terminus arrhæ, Missæ à sponso. Tertius est operatio personæ Missæ. Sic prædicatio est terminus Missionis Apostolorum. Hoc etiam ex capite in diuinis est Missio; sic mittitur Filius, & Spiritus sanctus ad inhabitandum. Matth. 10. *Qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Apud vos manebit, &c.* Secundò mittitur ad donum, Act. 1. *Accipietis virtutem Spiritus sancti in vos.* De hoc dixerat Lucæ vltimo, *Sedete in ciuitate, quo ad vsque induamini virtute ex alto.* Tertiò mittitur persona ad aliquem effectum. Sic dicitur Galat.. *Misit Deus Filium suum, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem Filiorum reciperemus.*

TANDEM, si consideretur Missio in ordine ad 4
missum, inter nos scatet imperfectionibus mutationum: nam ponit separationem missi à mittente finito: transitum de loco ad locum; dicit subiectionem, & subordinationem ad virtutem mittentis: & in diuinis, quia persona Missa est Deus immutabilis, immensus, non admittit hos næuos; adest tamen harum vice emanatio; vnde authoritas sine tamen superioritate resultat cum nouitate effectus. Hæc D. Bonau. *in corpore*; & cum eo Suarez *cap.* 1. qui aduertit, perperam hæreticos ex Missione Filij a Patre deduxisse subiectionem Filij, vt obseruat Athanas. *in oratione* ad illud. *Deus de Deo*, Augustinus 2. *d. Trinit. à cap.* 5. & alij Patres.

OBSERVA adhuc, dupliciter denominari per- 5
sonam Filij Missam. Primò per communicationem idiomatum, ratione naturæ assumptæ. Et hoc modo denominatur Verbum missum ad mortem, vt dicitur *Philip.* 2. *Rom.* 8. *Galat.* 4. & tota ferè epistola ad

ad Heb. Hinc Augustinus 5. *de Trinitate*, *cap.*20. ait: *Non tantùm dicitur Filius Missus, quia Verbum caro factum est; sed etiam Verbum est Missum, vt caro fieret.* Et Cyrillus *lib.*4. *in Ioan. cap.* 41. exprimit tres considerationes, Missionis allatas à Seraphico, dicens: *Non seruilis hæc Missio est, quamuis ità dici possit, quia formam serui accepit; sed mittitur etiam Verbum ex mente; vt splendor ex sole: dum ait, mittitur vt splendor è sole, affert originem, quæ est fundamentum Missionis. Dum ait, mittitur, quia formam serui accepit; exprimit terminum, vt nobis inseruiret. Tandem cum ait: mittitur Verbum; exprimit, Filium absque imperfectione fungi suo munere in Missione.* Ideò eodem honore prosequendum Filium Missum, ac Patrem mittentem, colligit acutè Hilarius 9. *de Trinitate*, ex illis verbis Ioan. 5. *Vt omnes honorificent Filium, qui honorificant Patrem, &c.*

6 ASSERO, in diuinis missionem. Patet ex dictis, per quæ ruunt argumenta opposita.

Confirmatur ex Sap. 9. *Mitte illam (idest sapientiam) de sede &c. Sensum autem tuum quis sciet; nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum, &c.*

PROBATVR etiam à S. Bonau. *fundamento* 4. Missio est ex se emissio ad aliquid: sed Filius, & Spiritus sanctus procedunt à Patre, & ad effectus creatos destinati applicantur, vt patet ex antiquo, & nouo Testamento: ergo.

QVÆSTIO II.

Quid sit Missio in Diuinis.

D. Bonau. d. 15. q. 13. & 4. D. Thom. loco citato.

PRIMA opinio fuit dicentium, Missionem nil aliud esse, quàm processionem vnius personæ ab alia; sicut Florum emissio è trunco. Refertur à Magistro *dist.* 15.

SECVNDA opinio est Magistri, Missionem nihil aliud esse, quàm externam operationem alicuius temporalis effectus, atque singulas personas posse ab alia, vel à seipsis mitti: subdit tamen, ex Patrum sententia, nusquam legi Patrem Missum ab alia persona, vel à seipsa: sed huius nullam reddit rationem.

7 TERTIA sententia similis est, Missionem duo dicere; idest, processionem ab aliqua persona; & manifestationem alicuius personæ, ità vt dummodo sit procedens ab alia, mitti possit, siue à Persona, à qua procedit, siue ab alia, si ab eadem manifestetur. Cúmque Pater à nullo procedat, etiam si ab alia persona manifestetur, non dicitur mitti à se, vel ab alio. Huius sententiæ est D. Thom. 1. *d.* 15. *quæst.* 3. *artic.* 1. & Fauet 1. *part. quæst.* 43. *artic.* 8. Scotus 1. *d.* 14. *quæst.* 1. §. *Licet autem.* Gabriel *quæst.* 1. Marsil. 1. *quæst.* 18. *per quatuor articulos.* Adducitur etiam D. Bonauent. *distinct.* 15. *quæst.* 3. & 4. à Vasquez *disputat.* 170. *cap.* 1. à Suarez *lib.* 12. *de Trinitate*, *cap.* 1. *num.* 5. à Tannero *d.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 9. *num.* 4. & 9. Coriolano *quæst.* 43. *artic.* 4. Foresto *fol.* 646. & à Valentia *d.* 2. *quæst.* 17. *p.* 2. & verè S. Doct. *quæst.* 4. sententiam hanc, motus reuerentiâ in Magistrum, & S. Augustinum, asserit probabiliorem. Eandem tenet Richardus *d.* 15. *quæst.* 2. *artic.* 2. & *quæst.* 1. *art.* 3. Petrus Tarantasiensis Cardinalis, & Papa, *d.* 15. *quæst.* 5. & 8.

8 QVARTA sententia est, Missionem duo requirere: alterum, vt Persona Missa à mittente procedat: alterum, vt ex vi personæ mittentis nouo modo alicubi esse, vel operari incipiat. Ità D. Thomas *quæst.* 43. *art.* 1. Durandus 1. *d.* 15. *quæst.* 3. Valentia *loc. cit.* Suarez *lib.* 12. per tria capita; Vasquez *disputat.* 170. *cap.* 2. Molina, Nazar. *ad art. citatum* D. Thomæ, Arriaga *disputat.* 55. *sect.* 2. Ruitz *disputat.* 108. & 109. Caspensis *disput.* 9. *sect.* 3. Baudun. *quæst.* 43. *art.* 1. *d.* 1. Præposit. *quæst.* 43. *d.* 1. Auersa *eadem quæst. sect.* 1. Morandus *quæst.* 38. *num.* 655.

Hanc sententiam tuetur D. Bonauent. *lib.* 1. *Breuil. cap.* 5. vbi infert, impropriè dici personam mitti ab ea, à qua non procedit; vnde hanc esse impropriam: *Spiritus sanctus mittit Filium.* Hoc sensu locutus est etiam in quæstionibus his; nempe, Missionem propriè esse à persona producente; at verò impropriè dici mitti ab ea, à qua non procedit; vel à se ipsa, vt obseruat Gregorius de Valentia *loc. cit.* & eodem modo loquitur D. Thom. *quæst.* 43. *art.* 8. & cum eo Caietanus *quæst.* 43. *art.* 1. Ferrariensis 4. *contra Gentes*, *cap.* 23. vt obseruat etiam Tannerus.

ASSERO primò, Missionem non dicere solam æternam emanationem. 9

PROBATVR à D. Bonau. *q.* 2. *in fundamentis primò* ex Ioan. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Hoc autem dicit fieri in tempore.

DEINDE ex D. Augustino 4. *de Trinitate*, *cap.* 20. vbi ait: *Mittitur Filius, vel Spiritus sanctus, cum ex tempore cuiusquam mente percipitur.*

TERTIO probatur à S. Doct. *fundamento vltimo, & in corpore.* In omni Missione producitur aliquis effectus extra, vt constat testimoniis allatis *quæst.* 1. hoc autem non potest esse, nisi in tempore: ergo.

ASSERO secundò, Missionem non dicere merum effectum temporalem. 10

PROBATVR à S. Doct. primò ex D. Gregorio *homil.* 26. *in Euang.* Eo ipso mittitur Filius, quo generatur ab æterno: ergo æterna emanatio supponitur Missioni formaliter ad effectus creatos.

PROBATVR secundò à S. Doct. ex Beda *lib.* 2. *homiliarum*, *homil.* 2. *Spiritus sancti Missio est processio*, supple, prout, ad aliquid operandum, in creaturas mittitur.

ASSERO tertiò, ad Missionem requiri, vt illa persona procedat, quæ mittitur.

PROBATVR à D. Bonau. *q.* 3. primò ex D. Augustino 2. *de Trinitate*, *cap.* 5. vbi ait: *Pater nusquam Missus.* Tunc sic: ea, quæ pendent ex diuina voluntate, temerè asseruntur, nisi sint nobis reuelata: sed Missio pendet ex libera Dei voluntate; neque habemus vsquam traditum ex reuelatione, personam non procedentem mitti: ergo. 11

PROBATVR secundò à D. Bonauent. ex eodem S. Augustino 4. *de Trin. cap.* 20. vbi asserit: *Patrem non posse dici Missum, quia à nullo est.* Et addit: *Mitti, esse cognosci emanare ab alio.*

ASSERO quartò, non esse necessarium ad quamlibet Missionem, Personam missam procedere à mittente.

PROBATVR

PROBATVR primò ex Concilio Toletano vndecimo *in confess. fidei*, vbi dicitur, *Missus Filius non solùm à Patre, sed etiam à Spiritu sancto, credendum est*, ex eo quòd per Prophetam dicitur. *Et nunc Deus misit me, & spiritus eius.*

Hoc de Christo intelligitur, qui *Lucæ* 4. id sibi applicat, vt obseruat D. Bonau. ad eum locum Lucæ. *Et vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat. Spiritus Domini super me, Euangelizare pauperibus misit me.* Ita 61. Isaiæ. Propterea etiam Isaiæ 48. dicitur, *Dominus meus misit me, & Spiritus eius.*

Hunc locum de Christo intelligunt Patres Hieronymus *ibi*, Ambros. *lib.* 2. *de Spiritu sancto, cap.* 1. Chrysostomus, *homil. de sancto, & adorando spiritu.* Augustinus 2. *de Trin. cap.* 5. & 15. Eusebius *lib.* 5. *demonstr. cap.* 6. Anast. Synaita, *lib.* 2. *de fidei dogmatibus.*

13 Respondent Suarez *cap.* 3. *n.* 7. Arriaga *d.* 55. *sect.* 3. loqui Prophetam de Christo, ratione humanitatis, vt ibi exponit Hieronymus. Idem asserit Forestus, *fol.* 651. absque dubio asserendum, iuxta id Isaiæ 61. *Ad annunciandum misit me, &c.*

Equidem non abnuo, ita exponi à nonnullis; attamen obseruo in aliquibus Patribus, eos explicare de Missione Verbi ad carnem suscipiendam, ex quo habeo, eos loqui de Filio Dei formaliter, vt acutè obseruat S. Bonauent. *quest.* 4. id asseritur ab Hygino Papa, *epistola prima decretal.*

D. AMBROSIVS loco citato. *Quis est, qui dicit. Misit me Dominus, & spiritus eius; nisi, qui venit à Patre, vt saluos faceret peccatores, idest, Christus? quem cum audis, & spiritus misit; ne cum legis; Filius misit spiritum, inferioris esse crederes spiritum potestatis. Ergo & Pater Filium misit; & Spiritus sanctus: Spiritum quoque, & Pater, & Filius mittit. Si ergo se inuicem Filius, & Spiritus mittunt; sicut Pater mittit; non subiectionis iniuria, sed communitas potestatis est.* Iam verò, si de Christo secundùm humanitatem loqueretur, non insisteret S. Ambrosius, ne Filius credatur inæqualis Spiritui sancto, tametsi ab hoc Missus.

14 Idem colligit S. Bonauent. ex D. Augustino 2. *de Trinitate, cap.* 5. vnde Concilium Toletanum vndecimum suprà allegatum collegit suam confessionem. Ait igitur S. Augustinus. *Misit Deus Filium suum factum, ex muliere. Quod de Maria natus est, in hunc mundum Missus aduenit. Proinde mitti à Patre sine Spiritu sancto non potuit, non solùm quia intelligitur Pater; cùm eum misit, idest, fecit ex fœmina, non vtique sine Spiritu sancto fecisse, verum & in Euangelio manifestissimè dicitur Maria quærenti. Quomodo fiet, &c. Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Quanquam, & apud Isaiam Prophetam ipse Christus intelligitur de aduentu suo futuro dicere cap.* 48. *& nunc Deus misit me, & spiritus eius, &c.* Idem colligit ex D. Augustino Valentia: & *tract.* 26. *in Ioan.* vbi ait. *Missio quippè eius, est exinanitio ipsius, & forma seruilis acceptio. Missum autem dixerat etiam à Spiritu sancto eadem ratione ad Incarnationem.*

15 PROBATVR etiam ratione Magistri apud D. Bonauent. Ad ea, quæ extrà effectum aliquem afferunt, æqualis est potentia in diuinis Personis, vt omnes fatentur, sed Missio dicit aliquem effectum in creaturis: ergo. Minor probatur, Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat; sed habeat vitam æternam.* Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, &c.* Venit autem Filius Dei ad nostram salutem operandam, vt habent scripturæ passim. Missus est Spiritus sanctus, vt doceret, consolaretur, confirmaret, vt dicitur *Lucæ vltimò, Ioan.* 14. *& sequent. Actorum primo.* Quod si Spiritus sanctus non potest mittere, sequitur, minùs aliquid agere, quàm Pater.

DICES. Hinc sequitur, posse mitti etiam Patrem. 16

Respondetur, negando sequelam, quia hæc conditio non sufficit; sed requiritur, vt sit ab alia persona, ea, quæ mittitur.

Respondent aduersi apud D. Bonauent. *in corpore*; *Missionem*, vt dicit effectum, esse à tota Trinitate; at *mittere*, dicit respectum non modò ad effectum, sed etiam ad aliquem mittentem, vt principium; atque adeò dicit aliquid notionale, vt concedit etiam D. Bonau. *d.* 15. *q.* 3. *ad* 3. & ideo S. Doctor rationem Magistri refellit.

Probari etiam potest ex D. Bonauent. *in corpore.* Missio dicit manifestationem originis; at quælibet Persona potest aliam emanantem manifestare: ergo. Maior est Augustini 4. *de Trinitate*, *loc. cit. Mittitur Filius, vel Spiritus sanctus, cum ex tempore cuiuscumque mente percipitur.* Minor probatur ex Ioan. 16. *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos; ille me clarificabit, &c.*

PRÆCIPVVM Seraphici argumentum est authoritas S. Augustini suprà allata: & *lib.* 4. *de Trinitate, cap.* 20. Cùm enim suprà *cap.* 5. admonuisset, ex Missione non inferri inæqualitatem, pergit ostendere, solùm inferri emanationem personæ Missæ ex alia: neque tamen nominat, à mittente debere emanare, vt patet legenti, in quo decepti sunt Suarez, Vasquez, Arriaga, & alij. 17

ASSERO quintò; Missionem propriissimam probabiliùs exigere originem Missi à mittente.

Colligitur primò à Suarez, & aliis ratione allata, *disput.* 10. *sect.* 1. *quæst.* 1. vbi probaui ex Missione emanationem. Præclarus est locus, ibi relatus, ex Ioan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Quid clarius? Hoc autem infertur, de propriissima tantùm emanatione, vt obseruat Nazarius *ad* 2. cum D. Thom. *quæst.* 10. *de potentia art.* 4. *ad quartum decimum.* Multos Patres allegant Suarez, Vasquez, Tanner. Arriaga, & alij dicentes, euidentissimè hanc assertionem astruere. 18

Primus est Hilarius 9. *de Trinitate*, vbi ait de Filio. *A Patre in hunc mundum venerat, quia à Deo exierat: nam, vt natiuitatem suam in exitione significasse intelligeret, subiecit se à Patre venisse; & cùm per id à Patre venerit; quia à Deo exierit, exitio eius à Deo absoluta natiuitas est, quam paterni nominis professio est consecuta.* Nil clariùs dici posse pro hac sententia, clamat Vasquez, *capite secundo.*

Secundus est D. Gregorius, *homil.* 26. *in Euangelia*, ad ea verba. *Sicut misit me viuens Pater.* Vbi postquam ostendit, verba hæc intelligi posse de Christo secundùm humanitatem, subdit. *Quamuis mitti etiam iuxtà naturam diuinitatis possit intelligi; eò enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quò à Patre generatur; nam spiritum quoque sanctum, qui* 19

qui cùm sit aequalis Patri, & Filio, non tamen incarnatus est, eisdem se Filius mittere perhibet, dicens: Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre; si enim mitti solùm incarnari deberet intelligi, sanctus proculdubio Spiritus non diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est, sed eius Missio ipsa processio est, qua de Patre procedit, & Filio.

20 Idem asserunt D. Cyrillus, *lib.2.Thes.cap.5.* Beda, *lib.2.homiliarum homilia secunda.*

Afferunt etiam D. Augustinum; sed suprà ostendi, eum aliter sentire. Ob id enim S. Bonau. eam sententiam Magistri probabilem censet.

Probatur autem validiùs ex D. Athanasio *epistola ad Serapionem*, & aliis Patribus Graecis, qui negant, Personam mitti ab ea, à qua non procedit, vt refert S. Thomas *opusc. cont. errores Graecorum*, & Gregorius Valentia. Et hoc est nostrum argumentum, *disp.1. decima, sect.1. quaest.1.*

Probatur secundò validissimè scripturis: nam cùm de Missionibus loquuntur, referunt, Filium à solo Patre mitti: & spiritum sanctum ab vtroque. Patrem verò à nullo, vt ait Tannerus. De Filio sunt haec testimonia. Psal.106. *Misit*
21 *Verbum suum, & sanauit eos.* Idem habetur *Psal.* 147. *Isa.19. & 61. Zachariae 2.* quibus locis mittens dicitur Deus à Iudaeis cognitus, qui est prima Persona: Lucae 20. *Mittam Filium meum.* Ioan.3. *Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur, &c.* Ioan.4. *Veni facere voluntatem eius, qui misit me Patris.* Ioan. 6. *Sicut misit me viuens Pater.* Idem habet *cap.5. 7. 8. 12. 13.* & *cap.20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Rom.8. Galat.4. *& alibi.*

De Spiritu sancto Misso à Patre, & Filio, loquitur Lucas, cap.24. *Mittam promissum Patris mei in vos.* Ioan.14. *Rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Et infrà. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Ioan.15.16. Galat.4. & aliis locis.

Ex his arguo cum D. Bonau. allato pro tertia assertione. Ea, quae sunt à Dei voluntate liberâ, non sunt asserenda, nisi ductu reuelationis. At Missio, quae pendet ex liberâ Dei voluntate semper asseritur, esse propriè à Persona producente in Personam productam: ergo. Locus verò *Isaiae* 48. exponitur de Christo homine.

Probatur tertiò à Suarez *num.6.* Vasquez *num.7.* Tannero *num.6.* Missio dicit egressum Missi
22 à mittente ad effectum creatum, vt dictum est à Patribus suprà; at in diuinis non est egressio, nisi per originem. Maior probatur; quia Missio dicit authoritatem mittentis in Missum.

Huic tamen rationi respondet S. Bonau. *q.4.* negari posse, necessariam emanationem à mittente, aut mittentis authoritatem; sed satis esse manifestationem; Quia ratio emanationis, non est ratio Missionis principalis; esto Persona mittens specialiter, & propriissimè mittat ob authoritatem. Itaque potest esse Missio aliqua absque origine Missi à mittente; propria verò Missio eam requirit.

23 Probatur quartò à Vasquez *num.5.* Vbi est Missio, ibi est distinctio, quae non est inter Personas diuinas, nisi ex origine, vt ostendi *disp.10. sect.1. quaest.2.* Hoc est quartum argumentum S. Bonauent. *ad opp.* at Spiritus sanctus non procedit à se ipso.

Aduertit autem S. Bonauent. *ad quartum*, assumptum esse verum solùm in Missione propriissima: nam potest esse aliqualis Missio inter distincta virtualiter, rationéque ratiocinata, vt cùm dicitur voluntas mouere seipsam sua libertate; ita Spiritus sanctus mittit se, vt Donum; multò magis vna Persona potest mittere aliam, quae à se non procedat; vt Spiritus sanctus Filium, à quo distinguitur realiter, quia ab eo spiratur.

Probatur quintò. Omnis actus, secundùm quem persona reflectitur supra se, est essentialis, atque adeo omnibus Personis diuinis communis; at Spiritum sanctum mittere se ipsum, est reflecti supra se, quia non distinguitur à seipso: ergo hoc est commune, etiam Patri; atque adeò Pater mittit se ipsum.

Hoc tamen argumentum deficit; quia Pater à 24
nullo est. Ideò nullo modo mitti potest. Missio verò à se est impropriissima; & de solis personis procedentibus legitur; nusquam verò de Patre ob rationem allatam, neque enim sola reflexio supra se facit Missionem; sed requiritur manifestatio personae emanantis. Itaque reflexio supra se, vt personam, dum se mittit, est essentialis primò, & per se (personales enim actus relatiui sunt ad aliam personam;) connotat tamen haec reflexio personam, ratione cuius est missio, quae non potest competere Patri, quia à nullo est.

Dices, etiam si aliquis à nullo homine procederet, vt Adam, potuisset tamen mitti à successoribus per imperium. Ergo, & Pater ab aliis Personis, atque adeò non satis probatur, Patrem non posse mitti, quia à nullo est. 25

Respondet S. Bonau. haec pendere ex dictis Scripturae, & Patrum, vbi non reperitur, Patrem mitti, requiritur enim authoritas ad Missionem, quae non potest esse in Patrem, sicuti nec nepotes habent imperium in Adam; esto habeant per accidens, vel tyrannicè; aut saltem ad Missionem imperfectam requiritur, vt emanet ab alia, & emanatio manifestetur personae Missae, quae manifestatio potest fieri etiam à persona, à qua non procedit.

Ex dictis colligitur primò definitio Missionis. 26
Est emanatio Personae diuinae ad aliquem effectum in creaturam. Ita D. Bonauent. *in Breuiloquio citato;* quod est Seraphici testamentum Theologicum.

Colliges secundò, Patrem, etiam si non mittatur, venire, tamen ad aliquem effectum in creaturas, vt ait Christus Ioan.14. *Ad eum veniemus, &c.* ratio est D. Bonau. *quaest.3.* quem sequuntur D. Thom. *art.8.* Suarez *cap.2.* Tanner. *loc. cit.* quia effectus ad extrà sunt indiuisi, & communes omnibus Personis diuinis.

Colliges tertiò, cur, & quomodo Missio dicatur temporalis. De quo S. Bonau. *d.15. quaest.2.* & D.Thom. *art.2. q.43.* Ex nominibus enim, quae significant originem diuinarum Personarum, quaedam in sui significatione important habitudinem solùm ad principium, vt processio, & exitus: quaedam verò determinant processionis exitum, & terminum, & haec sunt in duplici differentia. Nam quaedam determinant terminum aeternum, vt generatio, & spiratio; quaedam verò important terminum temporalem. Sic mittitur persona ad creaturam, vt habeatur ab ea, vel in ea sit nouo modo; & hoc, cùm temporale sit; Ideo Missio, & datio, quae haec significant, sunt aliquid temporale. Ita communiter Theologi apud Morandum *num.654.* Hinc D. Augustinus 4. *de Trinitate, cap.20.* ait. *Non ergo eo ipso, quo de Patre natus est, Missus dicitur* 27

Filius

Filius: sed vel eò quòd apparuit huic mundo, Verbum caro factum.

Dices. Denominatio fieri debet à digniori; sed in Missione interuenit processio æterna; Personáque ipsa æterna, & terminus creatus temporalis: ergo à nobiliori debet denominari æterna.

28 Respondetur cum D. Bonau. *quæst.* 2. & D. Thom. 1. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 5. coniunctum aliquod non posse affirmari, nisi adsint omnes partes coniunctionis: hoc enim ad veritatem necesse est. Cùm igitur temporale dicat, quod est, & ab æterno non fuit, non potest semper affirmari: æternum verò, quia semper est, potest semper affirmari. Itáque cùm in Missione coniunctim interueniat Persona æterna, & terminus temporalis, potest quidem Missio in tempore asseri; non ab æterno, licèt ab æterno fuerit pars præcipua.

Ex his soluit S. Bonau. omnia argumenta opposita, vt quia Missio est actio Dei: ergo Deus: ergo æterna.

29 Respondet, Missionem non dicere Deum, aut actionem Dei in se; sed ad terminum creatum. Ideò, licèt Missio quasi materialiter dicat actionem Dei; tamen formaliter terminatur ad temporale. Vnde malè infertur æterna: sicuti malè argueres, dicens. Omne æs est naturale. Statua est æs: Ergo naturalis; negatur consequentia, quia quod erat materiæ, attribuitur statuæ ratione artificij. Similiter & hìc, quod erat essentiæ attribuitur Missioni, ratione connotati.

30 Collige quartò, Missionem principaliùs dicere aliquid essentiale, id est, effectum in creatura, & minùs principaliter notionale, id est, personæ habitudinem. Ita D. Bonau. *quæst.* 4. & D. Thom. 1. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 2. Ratio est, quia Missio non dicit exitum ab aliquo, tanquam à principio, à quo habet esse; sed solùm in ordine ad effectum ponitur auctoritas originis in Missione propriissima; in impropria verò neque origo ponitur. Neque molestiam facit id, quod D. Bonau. *quæst.* 2. *ad vltimum eiusdem dist.* ait: *In Missione connotari essentiam*, non enim vult dicere, connotari, si comparetur cum notione, tanquam principaliori; sed connotari ratione effectus. Ita etiam loquitur D. Dionysius, *cap.* 2. *de Diu. nominibus. Cùm nomen* (ait,) *quod connotat effectum aliquem in creatura dictum de Deo inuenitur, pertinet ad communitatem essentiæ. Hæc autem est Missio.* Vnde D. Augustinus 2. *de Trin. Mitti à Patre Filius non potest sine Spiritu sancto.* Hoc verò patet ex dictis, dum Pater misisse dicitur Filium ad Incarnationem vniendo suum suppositum cum natura humana, ad quod tres personæ conuenerunt: & dum Filius, & Spiritus sanctus dicuntur misisse seipsos: hoc enim nullam originem dicit; sed essentiam, vt ait, D. Bonau. *quæst.* 2. *ad vltimum.* Hæc verò est impropria Missio.

31 Collige quintò, processionem æternam, & temporalem non esse duas; sed vnam, & eandem sola diuersitate constituta penes effectum, quem temporalis connotat: æterna enim processio est de ratione temporalis propriæ. Ità D. Bonau. *dist.* 14. *quæst.* 2. Durandus *ibi.* De quo frustra miratur Vasquez *num.* 9. putans; Seraphicum negare; de ratione temporalis processionis esse originem æternam.

Collige sextò, Patrem non mittere seipsum, vt videri potest apud scripturam, & Patres. Imò hoc repugnare, asserunt Vasquez, & Suarez *cap.* 2. Quoad Filium est sententia D. Augustini, vt notat D. Bonau. 4. Filium se mittere. Addit Suarez *num.* 4. Augustinum vocare talem missionem, provt dicit effectum in creaturâ, per Incarnationem; atque adeò magis propriè dici posse, Filium dedisse se. Quo sensu colligit S. Bonauent. *quæst.* 4. totam Trinitatem mittere se ad effectus extra; & habetur in Concilio Toletano vndecimo *in fidei confess.* sed hæc Missio est impropria, vt docent Valentia, Nazarius Ruitz, & alij cum D. Bonauentura in Breuiloquio. 32

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit Missio.

D.Bon. d.14.q.2. & d.15.& 16. passim. D. Th. 1. d. 14. art.2. & 1.p.q. 43.passim.

Non ago hìc de diuisione Missionis in ordine ad Personas mittentes, vel ad Missas; iam enim vidimus, quæ Personæ mittant, & quæ mittantur; neque cum Durando diuidimus Missiones ex effectibus, vt alia sit ad bona naturæ; alia ad dona gratiæ: nam in ordine ad bona naturæ non datur Missio; hæc est enim quando vna Persona incipit nouo modo esse ex aliqua re præexistente. Hinc fit, vt non sit Missio ad creationem; quia nulla res præexistit: neque ad conseruationem, quæ rei creatæ quodammodo debetur ex vi prioris actionis. Remanet ergo sola Missio in ordine ad gratiam, vel gloriam, quæ est gratia consummata: Hæc enim duo dantur absque vllo debito, & ex mera gratia, supponuntque rem præexistentem; in qua possunt recipi, & denotant personas, nouo modo, inhabitantes; Filium scilicet in intellectu eum sempiternis splendoribus illustrando, & Spiritum sanctum in voluntate, eam supernis ardoribus inflammando. De hoc verò agam, *quæstione sequenti.*

Hoc idem colligit D. Bonau. *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 1. quia Missio est ad aliquid dandum perfectum: datur autem vel ad vtendum, vel ad fruendum; vtimur autem gratia, & fruimur Deo in gloria. Ideò Missio est tantùm ad dona gratiæ, & gloriæ, quæ sunt Duo vltima membra effectuum Missionis, assignata à Durando *in primo dist.* 14. *quæst.* 3. Hinc fallitur Arriaga *disp.* 55. *sect.* 4. apud Morandum, ponens Missionem ad bona naturæ; est enim contra communem vsum Patrum, & Theologorum, vt fatetur Morandus. 33

Dividimus ergo Missionem ex modo, vt alia sit inuisibilis, alia visibilis; & quidem inuisibilem testatur Apostolus Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum,* qui

qui datus est nobis : eam verò ex hoc loco colligit S. Bonau. *dist.*14. *art.*2. *quaest.*1. *fundamento* 1. & *eadem dist. dub.*6.

34 VISIBILIS verò habetur Galat. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere* ; vt probat D. Bonau. *ad* 15. *quaest.*1. & similibus locis describentibus aduentum Filij Dei ad redemptionem mundi. Et quidem Valentia, *disp.*2. *quaest.*17. *p.*4. docet semper visioni visibili iunctam esse inuisibilem. Id sentit D. Thom. *quaest.*43. *art.*3. Videtur D. Bonau. *d.*16. *quaest.*1. oppositum censet Suarez, *lib.*12. *cap.*4. *n.*6. quod probat cum D. Bonau. *d.*14. *dub.*2. nam Spiritus sanctus descendit super Christum in Iordane, & tamen nullum gratiæ effectum operatus est in eo, qui nullum capere poterat gratiæ augmentum.

35 IGITVR S. Doct. *loc. cit.* concludit, non semper Missionem visibilem esse coniunctam cum sanctificatione ; nisi extendatur sanctificationis nomen ad augmentum gratiæ, vel ad gratiæ manifestationem, vel ad exprimendam sanctificationem iam pridem factam, vt de columba super Christum illapsâ, docet D. Bonau. *loc. cit.* & *dist.*16. *quaest.*1. *ad vltimum.*

D. THOMAS docet, tunc significatam sanctificationem Christi redundantem, factam in conceptione Christi. Ideò dicitur. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Ita etiam Valentia *loc. cit.* cum D. Bonauent. *loco nuper allegato.*

QVÆSTIO IV.

De Missionibus inuisibilibus.

D. Bonauent. d. 14. q. 1. d. 17. q. 1. D. Th. 1. d. 14. q. 1. art. 2.

NATVRA Missionis inuisibilis ex effectibus, ad quos ordinatur, pendet.

CERTVM est vt dixi *quaest.*3. effectus Missionis esse gratias. Hæc verò, quomodo se habeant, variè asseritur.

PRIMÒ aliqui dixère, per dona gratiæ non dari reuerà personam diuinam ; sed sola dona creata ; & ideò tantùm dici Deum venire ad homines, quia datur gratia, quæ est participatio diuinæ naturæ : Hanc opinionem Suarez, & Ruitz vocant errorem in fide ; Arriaga verò iudicat, esse quæstionem de solo nomine.

Alij dixère, dari solam Personam Spiritus sancti. Eos confutat D. Bonau. *dist.*17. vbi Magister, videtur id dicere.

36 Alij dicunt, fieri hanc Missionem secundùm dona gratiæ, de absoluta verò Dei potentia non esse necessaria talia dona ad hanc Missionem. Ita Gregorius 1. *d.*14. *q.*1. Arriaga *d.*55. *sect.*5. Ruitz *d.*109. *sect.*5.

VERA tamen sententia est, mitti Personam cum infusione gratiæ. Ita Capr. 1. *d.*14. *q. vn.* Valentia *d.*2. *q.*17. *p.*4. Suar. *lib.*12. *c.*5. Arriaga *sect.*4. Zumel *d.*1. *ad art.*3. *q.*43. vbi Syluest. Nazar. Torres 3. *p. comment.* Bañez *d. vn.* vbi D. Thom. idipsum sentit ; Vasq. *ad eum art.* Tan. *d.*4. *q.*4. *d.*9. Moran. *q. vlt.*

HÆC est sententia D. Bonau. *hîc*, & *d.*17. *loco cit.* nempè *q.*1. vbi sententiam Magistri refellit. Itaque consentit Forestus, *fol.*663. Baudun. *q.*43. *art.*1. *d.*1. Casp. *d.*9. *sect.*2.

ASSERO primò, dari non modò dona gratiæ ; sed & Personam diuinam, contra primum modum.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *quaest.*1. *dist.*14. ex Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

SECVNDÒ ex D. Augustino *lib.*5. *de Trinitate, cap.*15. vbi ait : *Spiritus sanctus est donum, & eò donum, quia datur.* Idem habet serm. 53. de verbis Domini : *A quo datur ? ab illo, qui dedit dona hominibus ; quæ dona ? Spiritum sanctum. Qui tale donum dat, qualis est ipse. Magna est misericordia eius. Donum dat sibi æquale, quia donum eius Spiritus sanctus est.* Vbi aduerte, D. Augustinum id colligere ex verbis Apostoli allatis, è quibus idem colligit Ambrosius, *lib.*1. *de Spiritu sancto, cap.*5.

TERTIÒ. Non est dare posterius sine priori ; at Spiritus sanctus est amor primus, & primum donum, in quo omnia donantur. Ergo dum dantur dona, datur & id, quod est ratio donorum. 37

QVARTÒ. Dona Dei perfectissima sunt ad vnienda membra corporis Mystici perfectissimo modo, quo potest creatura rationalis, sicuti flagitauit Christus Ioan. 17. *Vt sint consummati in vnum* ; sed hæc vnio perfectissima non potest fieri aliquo solo creato bono ; sed debet fieri bono simplicissimo infinito. Ergo aliqua Persona diuina. Hæc ratio à Foresto, *fol.*663. cæteras complecti acclamatur. Hæc rursus confirmatur etiam magis *in corpore.* Dona Dei ad vtendum non modò, sed etiam ad fruendum ordinantur, vt homo summum bonum perfectè possideat ; at perfecta boni summi possessio, quo solo frui possumus, sunt Personæ diuinæ. Ergo non solæ gratiæ dantur, quibus vtamur ; sed etiam ipse Deus, vt perfectè eum possideamus, non solùm in gloria, sed etiam in via, vt donum sit optimum, iuxta *caput primum Iacobi.*

PROBATVR quintò à D. Bonau. *ad* 14. *Ioan.* 38
ex illis verbis : *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* & ex aliis verbis : *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

IDEM colligitur ex prima Corinth. 6. *Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est.* Et prima Ioan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

ASSERO secundò, non mitti tantùm personam ad sanctificandum homines ; sed etiam dari gratiam creatam.

PROBATVR à D. Bonau. *dist.*17. *quaest.*1. primò ex illo *Rom.*5. iuxta expositionem D. August. 15. de Trinit. cap. 17. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* 39

nobis, quem locum declarat Concilium Tridentinum *sess.6. de iustificatione*, id clarè asserere, vt ab Ecclesia vniuersali definiatur assertiuè, donum creatum inhærens infundi in sanctificatione.

Ratio verò à priori est, quia sanctificatio est reformatio animæ, & renouatio, atque adeò denominatio noua ex aliqua mutatione nostra; (non enim in Deo esse potest) neque sufficit voluntas Dei, vt putat Arriaga; nam diuina voluntas immutabilis est eadem semper. Quare nulla noua etiam moralis mutatio concipi potest in creatura, qua de non grata, fiat grata; sed de his latiùs *tract.5. disp.3.q.1.*

Oritvr verò dubitatio. An sit propria Missio personarum sine gratia sanctificante: Loquor autem de Missione inuisibili; nam visibilis ex dictis *quæst.3.* non semper est coniuncta cum inuisibili gratia sanctificationis. Arriaga libenter se expedit, *disp.55.* dicens, esse quæstionem de nomine.

40 Commvnis sententia Theologorum est, Missionem inuisibilem propriam diuinæ Personæ semper esse cum sanctificatione; eam verò minùs propriam, qua dantur gratiæ tantùm gratis datæ. Ita D. Bonauent. *dist.15. part.2. art.2. quæst.1.* Durand. *d.14. quæst.3.* Caietanus *quæst.43. art.3.* vbi etiam Vasquez, Alarcon. *d.9. cap.8.* Morandus *quæst.38.* Tannerus *disp.4. quæst.4. n.14.* qui aduertunt, eundem esse D. Thom. sensum *quæst.8. art.3.* & *quæst.43. art.3.* Sic Alensis *1. part. quæst.73. memb.4. art.2. & 4.* & communiter Theologi, vt adnotauit eruditè Suarez, *lib.12. cap.5. num.7.* Idem volunt Richard. *d.15. art.5. quæst.2. ad 2.* Ægidius *ibi, quæst.2.* & alij, vt notat Forestus, *fol. 470.* Auersa *hic, sect.2.* Præpositus *q.43. d.1.*

Assero primò, Missionem propriam esse cum sanctificatione.

41 Probatvr à D. Bonauent. primò ex illo Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*; iuxta expositionem D. Augustini 15. *de Trinit. cap.17.* vbi ait: *Tunc datur Spiritus sanctus alicui, cum sic datur; vt eum faciat Dei, & proximi dilectorem.* Vult dicere: quando datur charitas, quæ non est idem cum gratia, vt ostendam *tract.5. disp.2. q.3.* semper tamen eam comitatur.

Probatvr secundò à Seraphico de Missione Filij: *In animas sanctas se transfert, & amicos Dei constituit.* Sapientiæ 7.

42 Probatvr tertiò à S. Doctore. Tunc datur Spiritus sanctus, quando habitat in nobis, vt dicitur *Ioan.14.* & sequenti; sed non dicitur habitare in homine sine gratia gratum faciente: ergo.

Probatvr quartò à S. Doctore. Cum mittitur Filius, vel Spiritus sanctus ad aliquem; mittitur, vt sit nouo modo supernaturali perfectus, vt dixi *quæst.1.* Talis autem non est, nisi per gratiam sanctificantem.

Idem conuincitur argumentis suprà allatis ad probandum, perfectionem Missionis exigere aduentum Personæ. Ergo multò magis infusionem gratiæ perfectissimæ, quæ est sanctificans.

43 Assero secundò, mitti personam impropriè ad gratias gratis datas.

Probatvr à D. Bonauent. primò ex Rabbano, qui ait, Spiritum sanctum esse datum Apostolis, & primò ad miraculorum operationem.

Secvndò ex 1. *Reg.11.* Vbi Spiritus sanctus dicitur insiliisse in Saül.

Tertiò, quia tunc dicitur Filius mitti, cùm fit reuelatio occultorum; sed hæc potest fieri sine dono gratiæ sanctificantis: ergo. Confirmatur ex D. Augustino 4. de Trinitate, cap.20. *Tunc sapientia mittitur, cùm a cuiusquam mente percipitur*; percipitur autem etiam per dona gratiæ gratis datæ, vt per fidem informem. Itaque frustra Nazarius *controu. vnica*, nititur ab hac sententia eripere Caietanum, quem allegant Suarez, Tannerus, Vasquez, 44 & alij.

45 Est autem difficultas in explicando, quinam modus nouus sit iste, quo Spiritus sanctus in infusione gratiæ veniat personaliter in animam simul cum gratia creata; quia Persona diuina iam præexistit in anima immutabiliter, vnde non video, quo nouo modo ingrediatur personaliter simul cum effectu. Neque profectò extenditur in anima, quia ipse est immutabilis; ea verò indiuisibilis.

D. Thom. *quæst.8. art.3.* & *quæst.43. art.3.* ait, esse nouum modum obiecti cogniti, & amati in cognoscente simul, & amante; nam creatura rationalis attingit Deum per hanc operationem cognitionis, & amoris; & ideò dicitur Deus esse in ipsa, tanquam in templo suo. Idem docet D. Bonauent. *d.15. part.1. quæst.1.* qui in fundamentis sic explicat difficultatem; talia esse dona gratiæ, vt ex vi sua connaturali postulent, Deum esse in illa anima; & ideò, etiamsi per impossi- 46 bile, Deus non esset ibi per præsentiam, tamen per hæc dona inciperet ibi esse sicuti etiam in humanitate Christi, & in sanctissima Eucharistia. Fundamentum D. Bonauenturæ est, quia per gratiam initur amicitia singularis cum Deo; amicitia autem perfecta petit vnionem inter amicos, non solùm per conformationem affectus, sed etiam per inseparabilem vnionem, quoad fieri potest, vt docet D. Dionysius *cap.4. de diu. nom.* & D. August. 6. *de Trinit. cap.19.* vbi ait: *Amor enim veluti iunctura aliqua copulans, vel copulare appetens.* Vnde amicitia spiritualis perfecta cum Deo, requirit intimam Dei præsentiam in anima. Et quia hæc amicitia est cum Deo superiori, ideò manet ibi Deus, vt in templo colendus. Ita etiam Suarez, ex quo habetur, Spiritum sanctum non dari perfectè personaliter, nisi in sanctificatione.

Insvrgit tamen Arriaga *sect. 5.* intimam amicitiam esse etiam inter absentes, & ita datur amicitia Dei cum viatore homine, siue Angelo, sine visione, quæ magis spectat ad rationem amicitiæ, quam præsentia localis. Deinde id, quod dicebatis: si Deus non esset hîc per præsentiam; adhuc esset hîc ratione Missionis; non facit, vt actu sit ratione Missionis. Concludit igitur, eam intimam præsentiam esse moralem amoris, & per protectionem.

47 Hæc tamen friuola sunt, quia perfecta amicitia dicit coniunctionem, & præsentiam intimam; quantum potest, & decet statum extre-

morum: & quia viatori non repugnat Deum habere intimè præsentem, at repugnat visio; quia amicitia hæc ad meritum est; ideo non benè infert ex negatione visionis, negationem præsentiæ. Illa verò hypothesis est recta, quia præsentia ex Missione facit, vt formaliter ex vi amicitiæ adsit nouo titulo, distincto à titulo præsentiæ generalis. Illa verò præsentia moralis, Arriagæ, non sufficit ad modum exprimendum præsentiæ Dei, ex Missione expressum à scriptura, & Patribus.

Ex dictis videtur sequi, quòd si Spiritus sanctus mittitur, vt iure amicitiæ nouo modo incipiat esse in nobis; non possit dici missus, quando augetur gratia, tunc enim non initur amicitia cum Deo, sed iam præsupponitur Deus præsens, hac ratione.

48 Attamen opinio est in omni gratiæ augmento mitti Spiritum sanctum. Ità D. Thom. *quæst.* 43. *artic.*6. *ad secundum.* Addit verò *ad tertium,* hoc verum etiam in augmento alicuius gratiæ gratis datæ: de his latè differit idem S. Thom. 1. *distinct.* 15. *quæst.* 5. *artic.* 1. Eum sequuntur Tannerus *loc. cit. num.*16. Caietanus *hic*, Nazarius, Ripa, Iauellus, & alij Thomistæ, quibus adde Suarez *lib.*12. *cap.*5. *num.*17. vbi tamen in eo dissentit, negans, fieri Missionem noua reuelatione, aut alia gratia gratis data ad sanctitatem non ordinata. Adde Caspensem *disput.*9. *sect.*2.

SECVNDA sententia videtur D. Bonauent. *distinct.* 15. *p.*2. *quæst. vltim.* non fieri Missionem propriè in omni augmento gratiæ intensiuo; sed benè in extensiuo, quando gratia noua additur ad nouum vsum, & effectum, verbi gratia, donum linguarum ad Apostolatum, vel ad nouum auxilium, quale confertur in Sacramento Confirmationis. Idem videtur sentire Alensis *quæst.* 73. *memb.* 4. *artic.* 3. licèt *ad secundum* non videatur in ea persistere: eandem credit probabilem Corduba *lib.* 1. *quæstionum, quæst.*41. in fine. At Coriolanus *quæst.* 43. *artic.* 14. videtur problematicus. Forestus verò *fol.* 470. non renuit sententiam D.Thomæ; sed exponit, D.Bonauenturam negare in mero augmento intensiuo gratiæ esse Missionem propriam. Cum D.Bonau. est Vasquez *ad hunc art. D.Thomæ*, & Baudunius *quæst.*43. *art.*2.

49 ADVERTIT Coriolanus, in eo differre dari Deum in se, & dari in donis: quòd dari in donis tantùm, est communicari tali aliquo dono, nullum acceptando ob id ad gloriam, vt cùm dat fidem informem; dari verò in se, cùm acceptat ad gloriam, quod sanè non fit sine infusione gratiæ sanctificantis, acceptando ad amicitiam, & adoptionem. Vnde Rom. 8. dicitur: *Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater.* Quo fit, vt Spiritus sanctus propriè detur in adoptione, seu sanctificatione, quia tunc nouo modo Spiritus sanctus mittitur in nos, vt obseruat Vasquez ex D. Bonauentura. Quare inferunt, non incipere Spiritum sanctum propriè nouo modo esse in nobis, cùm sit solùm intensio gratiæ: quam rationem ineptè Nazarius vocat leuem, & puerilem. Imò grauis, & virilis ostenditur.

50 Primò quidem vtor testimonio D. Augustini 3. *de Trinitate, cap.* 4. & *lib.*15. *cap.*2. vbi dicit, Missionem inuisibilem fieri ad sanctificandam creaturam: quo testimonio infert D. Thomas. Omnis autem creatura habens gratiam sanctificatur. Ergo ad omnem creaturam huiusmodi fit Missio. Ego autem subsumo. Gratia sanctificationis à D. Augustino dicitur gratia remissionis peccatorum, vt constat *epistola* 105. Sed in augmento gratiæ intensiuo non fit remissio peccatorum, & iustificatio impij. Ergo tunc non fit propria sanctificatio.

Deinde S. Augustinus *lib* 4. *cap.*20. describens Missiones ad gratiam sanctificantem, & ad gratias gratis datas, quibus Missionibus adæquatur finis mittendi Filium Dei, iam Missum ad Incarnationem, atque adeò omnes Missiones præter Incarnationem, comprehendens, ait: *In animas enim sanctas se transfert atque amicos Dei, & prophetas constituit.* Igitur si Missio ad gratiam sanctificantem completur in faciendo homine ex inimico sanè amicum, sequitur, ad augmentum gratiæ propriè non mitti. Per prophetiam verò intelligit, tanquam per illustriorem, alias gratias datas. 51

Confirmatur ex dictis *quæst.* 3. & suprà in *hac quæstione*, vbi ex D. Augustino 15. *Trinit. cap.*17. tradita est Missio ad sanctificationem, iuxta id Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est, &c.* Ergo per iustificationem; non per augmentum.

CONFIRMATVR ex *septimo sapientiæ*, vbi dicitur: *Cùm sit vna, omnia potest: & in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert: & amicos Dei constituit.* Vocat autem sanctas antecedenter, non enim sanctæ sunt animæ, nisi postquam ad amicitiam Dei admissæ. 52

Solidè probatur ergo à D.Bonauent. non mitti Spiritum sanctum ad quamcunque intensionem gratiæ, quia nouus modus non inuenitur propriè dictus, quo incipiat esse in nobis; tametsi argumentum soluat.

Ex quo ponderatur etiam Nazarij, & Suaresij responsio, Spiritum sanctum in intensione gratiæ incipere inesse nouo modo, idest magis perfecto. Hanc responsionem habet etiam S.Doctor *ad primum,* quoad augmentum extensiuum: quoad intensiuum verò non adeò propriè potest dici nouus modus. Vel dic, S. Bonauent. vtramque partem censere probabilem, vt exponit Forestus, & Coriolanus indicauit: nam respondet ad argumenta pro hac sententia.

ARGVIT secundò Seraphicus mitti est procedere. Ergo abundantiùs mitti, est abundantiùs procedere.

Respondet tamen, esse abundantiùs procedere in terminum, non à principio producente.

ARGVIT tertiò D.Bonau. Cùm gratia omnibus diebus, & horis, in iusto augeatur; sequitur mitti Personas diuinas singulis horis. 53

Respondet S. Doct. tamen, continuò augeri, quoad feruorem; non quoad nouorum donorum collationem.

ARGVIT quartò D. Bonauent. *oppositorum eadem est ratio*: sed per te in omni intensione Charitatis mittitur Spirius sanctus: ergo in omni remissione recedit.

Respondet S. Doctor, gratiam intendi secundùm gradus; sed remitti solùm quo ad feruorem: Spiritus autem sanctus non mittitur in augmento

augmento feruoris; sed solùm substantiæ Charitatis.

Ex hoc responso colligitur clarè, S. Bonauenturam admittere Missionem Spiritus sancti ad intensionem gratiæ, & charitatis. Et ità non dissentire ab aliis, & hoc sensu intelligitur in *corpore*.

54 ASSERO secundò, in augmento donorum mitti Spiritum sanctum.

PROBATVR à D. Bonau. primò, quia in die Pentecostes Missus est Spiritus sanctus visibiliter, & inuisibiliter super Apostolos, qui iam erant iusti.

SECVNDO ex Rabbano. In Confirmationis Sacramento mittitur Spiritus sanctus, & tamen confirmatus præsupponitur in gratia: non enim est Sacramentum mortuorum.

55 TERTIO Datur Spiritus sanctus, cùm dantur gratiæ, vt dicunt Beda, *lib. Homil.* D. Augustinus *suprà allegatus.* Sed in augmento datur gradus aliquis gratiæ: ergo.

QVARTO. Non minùs donum est perseuerare in gratia eam conseruando, quàm eam acquirere, seu obtinere. Sed in prima iustificatioue mittitur Spiritus sanctus: ergo.

QVÆRES: an in animam priùs veniat gratia: an Spiritus sanctus.

Respondetur, in ratione efficientis esse priorem gratiam, qua initur amicitia cum Deo: at in ratione finis esse Spiritum sanctum.

Ex dictis habes, in his missionibus nunquam mitti vnam Personam, quin mittatur & alia, ex his, quæ mitti possunt. D. Thom. *quæst.* 43. *art.* 5. & 7. D. Bonauen. *dist.* 15. *part.* 2. *quæst.* 2. quos sequuntur Thomistæ, & Suarez *num.* 19. & alij Theologi.

56 PROBATVR à S. Doctore, *in fundamentis.* Primò, quia omnis donorum distributio attribuitur Spiritui sancto: ex *prima Corinth.* 12. Ad hæc autem mitti etiam Filium, habetur Ioan. 14. *Ad eum veniemus, &c.* Sic Ioan. 16. dicitur *Paraclitus docebit vos omnia*, & idem de Filio dicitur, Sapientiæ septimo: *Mitte eam de sede magnitudinis tua.* Sic datur Spiritus sanctus, quando datur charitas Rom. *Charitas Dei, &c.* Sed in hoc dono datur etiam Filius: *In animas sanctas se transfert, & amicos Dei constituit*, vt exponit Diuus Augustinus 4. *de Trinitate, cap.* 20.

PROBATVR à S. Doctore *in corpore*, quia non mittuntur ad ea dona, nisi, vt connexa sunt in eadem radice gratiæ sanctificantis; Et ità non separantur.

VERVM tamen est, dona, quæ ad intellectum spectant, appropriari Filio, qui cùm sit Sapientia, docet, illuminat, &c. dona verò ad amorem spectantia appropriari Spiritui sancto, qui est amor, vt docet S. Doctor, *in corpore* ex D. Augustino 4. *de Trinitate, cap.* 20. & 21. & hoc vult etiam Alensis *quæst.* 73. *memb.* 2. *art.* 3. & alij Theologi.

QVÆSTIO V.

Quid sit Missio visibilis.

D. Bonauent. d. 16.
D. Thomæ, quæst. 43. art. 7.

DE Missione visibili latiùs agit S. Bonau. quam de inuisibili, de qua concisè hìc agendum. Plurima enim de hoc *secunda secunda*, *quæstione* 23. D. Thom. aguntur quoad Missionem Spiritus sancti; de Missione verò Filij *tertia parte*, atque adeò per accidens *hic* ea tractarentur, vt notat D. Bonauent. *dist.* 15. *dub.* 1. *litt.*

DEFINITVR Missio visibilis D. Bonau. *est manifestatio cum apparitione*, seu *apparitio manifestans Personæ emanantis inhabitationem*, vel *Personæ inhabitantis emanationem.* Eodem ferè modo definitur ab Alensi *quæst.* 74. *m.* 1. Richardo, *dist.* 16. *quæst.* 1. 57

PRIMO dicitur *apparitio*, quia debet esse facta sensibus externis; non autem phantasiæ, vt fiebant Prophetis reuelationes. Sic Missiones Spiritus sancti, nobis descriptæ in nouo Testamento factæ sunt: & quidem apparuit in columbæ specie. Ioan. 1. *Quia vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cœlo, & mansit super eum.* Idem habetur *Luca* 3. eamque vidit etiam Christus, vt dicitur *Matth.* 3. Secundo apparuit in nube lucida in apice Thabor. *Math.* 17. vt ait etiam D. Augustinus *epistola* 102. Tertio in flatu expirato a Christo, *Ioan.* 20. Id obseruat D. Augustinus 2. *de Trinitate, cap.* 11. Tandem apparuit in vento, sono, & linguis igneis super Apostolos *Actorum primo.* Vbi nota, dubitasse de linguis igneis: an visæ sint oculis D. Augustinum 2. *de Trinitate*, *cap.* 6. quia in editione Bibliorum, quam ipse præ manibus habebat, dicitur: *Visa sunt lingua ignis*, non autem videbant; quod diuersum credit; attamen, cum vulgata dicat: *Apparuerunt illis dispertita lingua*, videntur corporeæ censendæ; sicut cùm dicitur: *Dominus Iesus, qui apparuit tibi in via*, de visione corporea intelligitur; in apparitionibus enim spiritualibus non vtitur hac phrasi scriptura. 58

An verò columba apparens super Iordanem fuerit vera; sentiunt multi eam confictam. Ità D. Bonauent. *dist.* 16. *quæst.* 3. *ad* 4. D. Thom. *primo dist.* 16. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 3. cum D. Augustino *epistola* 102. Ratio D. Bonauent. est à posteriori. Cùm enim Columba illa statim euanuerit, non autem aduolauerit, signum est eam confictam fuisse. Idem sentiunt Ambrosius *lib. de Sacram. cap.* 8. Mileuitanus, *lib.* 4. *contra Parmen*: quod probant, quia dicitur apparuisse in specie columbæ & quasi Columbam. Idem tenet Suarez *Tom.* 2. *in* 3. *part. disputat.* 27. & *disputat.* 14. *sect.* 5. & *lib.* 12. *de Trinitate*, *cap* 6. *numero* 17. 59

ALII censent, fuisse veram Columbam. Ità Tertullianus, *lib. de carne Christi.* Chrysostomus, 60

homil. 11. *in Matth.* & *homil.* 4. *in Acta* Anselmus *super Matth.* Hugo Cardin. *in primum Ioannis*, Vvaldensis *de Sacram. cap.* 86. & ipse D. Augustinus *lib. de agone Christiano*, & inclinat Forestus *fol.* 676. qui soluit rationem D. Bonauent. eam euanuisse consumptam a Deo, ne res Sacerrima inter prophanos palumbos versaretur.

At hoc est nouum miraculum absque necessitate; at verò, quod ex aëre crasso confecta desierit, non est nouum miraculum, sed desitio miraculosæ conseruationis.

61 Dicitvr secundò in definitione Missionis. *Apparitio manifestans Personam.* Ideò verè tenemur dicere, eò Missam Personam, vt docet D. Bonauentura *hic*, & *in Breuil.* 1. *p. cap.* 5. D. Thom. *art.* 7. sic verè reuelata est Persona Verbi in Incarnatione, vt dicitur *Ioan.* 1. & Spiritus sanctus promissus *Ioan.* 14. *& sequentibus.* Et *Lucæ* 24. *atque Actorum* 1. Missus verè fuit Spiritus sanctus, qui cùm sit persona distincta, potest signis distinctis manifestari, vt notat D. Bonau. *loc. cit. Breuil. contra Cordubam, quæst.* 41.

Ratio D. Bonauent. suprà, quam adhibent Forestus *fol.* 674. Vasquez *disput.* 170. *num.* 11. Suarez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 22. est, quia in Missione sunt duo effectus, internus, & externus productus, vt manifestatio personæ: hoc verò, secundùm quod est proprium, est principale, vt innotescant Personæ Missiones fiunt: effectus verò est communis Trinitati. Idem ferè habet *in* 3. *dist.* 5. *dubio* 4.

62 Per hanc particulam, ait S. Doct. excludi Missiones veteris testamenti, in quibus non personæ; sed Angeli mittebantur, & manifestabantur, vt dicitur Galat. 3. *Lex ordinata per Angelos.* Heb. 1. *Si enim, qui per Angelos dictus est sermo.* Idem censuit D. Augustinus 3. *de Trinitate, cap. vndecimo.*

Fateor, etiam in nouo Testamento vocem, sonum, motum Columbæ, facta esse ab Angelis, ex D. Augustino *loc. cit.* & *lib.* 2. *cap.* 6.

Dicitvr tertiò Missio, *apparitio personæ emanantis*; vnde excluditur *Pater*, qui venire quidem dicitur; nusquam verò mitti.

63 In veteri quidem Testamento apparuêre personæ (secundùm plurimorum Patrum sententiam) vt *Genes.* 18. cùm Abraham tres vidit personas, & vnam adorauit, quod accinit Ecclesia in officio sanctissimæ Trinitatis: vbi tamen nullus ordo manifestatus est, ideò non fuit Missio: sic dicunt, Filium venisse *Genes.* 32. luctantem cum Iacob, vt testatur Concilium Syrmiense, quâ parte Catholicum, apud D. Hilarium *lib.* 2. *de Synod.* & refert summa Conciliorum, & Palatius in *Oseæ, cap.* 11. Beda *in Genes.* Ibi tamen neque origo personæ, neque inhabitatio per gratiam significatur. Idem dic de Visione *Isaiæ* 6. & *Danielis septimo.* At hæc differam *tractat.* 4. *d.* 11. *quæst.* 11. *&* 12.

Dicitvr quartò in definitione Missionis *apparitio manifestans personam emanantem inhabitare per gratiam*, per quam particulam supra relatæ apparitiones à Missione excluduntur.

QVÆSTIO VI.

Propter quid facta sint Missiones visibiles.

{ D. Bonau. d. 16. quæst. 2. D. Thom. q. 43. art. 7.

IAm vidimus ad manifestationem personæ, & inhabitationis per gratiam factas Missiones, præcipuè Spiritus sancti. Nunc verò, qui sint fines, specialiter videndum restat.

Primò quidem Missionem Filij ad Redemptionem mundi factam, supponit sanctus Bonauentura. 64

Qvoad Spiritum sanctum; apparuit in nube, vt in officio dicitur Transfigvrationis, tametsi id scriptura non referat: & hæc à D. Augustino *in secundo, tertio, & quarto de Trinitate*, vbi de Missionibus vberrimè agit, non numeratur inter Missiones. Nubes autem significat plenitudinem gratiæ Christi imbriferæ.

Apparvit in Columba ad manifestandam fœcunditatem Christi ad Filios spirituales progignendos ex Ecclesiæ castis amplexibus per Baptismum. Ita D. Bonauent. *distinct.* 16. *quæst. vltim.* Suarez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 3. Addit S. Bonauent. aliam rationem, quia Columba erat in Sacrificium pro redimendis primogenitis, & est animal perfectum, vt ostenderet redemptionem per Christum. 65

Apparvit in flatu Christi *Ioan.* 20. Cùm insufflauit, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis*; Vt ostenderet viuificandas animas per Sacramentum Confessionis, sicuti Deus initio *Genes.* 1. Insufflauit inspirans spiraculum vitæ. *Et factus est homo in animam viuentem.* Ità D. Bonauent. *distinctione* 16. *quæst. vltim. ad tertium, & quintum.*

Apparvit in spiritu vehementi, & in linguis igneis ad viuificationis Ecclesiæ corporis præsagium, ad charitatem Martyrum; facundiam, & sapientiam Doctorum, &c. præmonstranda. Ita S. Bonauent. *loc. cit.* & communiter moderni cum Patribus. 66

Tandem apparuit in *Actis* passim, vt sanctificaret aliquos.

Filivm Saulo apparuisse, *Actorum* 9. certum est; omnesque ibi Missionis conditiones reperiuntur: Ibi enim manifestatur persona emanans; dum ait: *Ego sum Iesus.* Ibi infunditur gratia. *Domine quid me vis facere.* Fuitque visibilis, vt ait Ananias: *Dominus Iesus, qui apparuit tibi in via, misit me, vt videas, & implearis Spiritu sancto.*

Deinde ad Virginem ad cœlos euehendam Filium esse Missum, multi Patres asseuerant. 67

Ad Beatum Patrem Franciscum in montem Aluerniæ Christum Missum, canit officium Minorum. *Ad quem venit Rex è cælo amictu Seraphico*: & mox: *Cernit seruus Redemptorem.* At verò *tract.* 4. *d.* 11. *quæst.* 11. *&* 12. ostendam,

dam, omnes apparitiones (excipe Saulô) factas Angelorum ministerio.

Qværit autem S. Bonauent. *quæst. vlt.* cur Spiritus sanctus in creatura irrationali: at Filius in natura rationali apparuerit? Similiter, cur Filius vno modo; at Spiritus sanctus multiplici?

68 Respondet, Spiritum sanctum apparuisse in rebus irrationabilibus, quia ad significandum venerat, & ideò eas naturas non assumpsit hypostaticè; at Filius, quia ad operandum in natura meritoriè; ideò in natura rationali venit, eamque assumpsit hypostaticè. Similiter Filius venit, vt Mediator, cuius officium est extrema vnire: ideò in vna natura apparuit; at Spiritus sanctus ad multa significanda rationabiliter multa signa ostendit, vt omnem ostenderet veritatem, iuxta id: *Docebit vos omnem veritatem.*

69 Hinc habes, *Columbam*, *Ignem*, *Nubem*, non fuisse hypostaticè vnita Spiritui sancto, ut docet Diuus Augustinus 2. *de Trinitate*, *cap.* 6. & *epistola* 102. & Diu. Bonauent. *hic*, aliique communiter contra Tertullianum *lib. de carne Christi*, *cap.* 3. At Filius vnitus fuit humanitati hypostaticè. Ratio diuersitatis est, quia Filius venit, vt esset author gratiæ per meritum, & satisfactionem veram, & ideò in natura rationali hypostaticè vnitum venire necesse erat. Spiritus verò sanctus solùm mittitur ad testandam sanctificationem, quam impertit. Ità Diu. Bonauent. *hic*. Diu. Thom. cum Diuo Augustino, & aliis, quos refert, & sequitur Suarez, *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 20.

QVÆSTIO VII.

An Spiritus sanctus detur ab Hominibus.

{ D. Bonauent. distinct. 14. artic. 2. quæst. 2.

70 Conclvdit S. Doctor *hic*, *quæst.* 2. Spiritum sanctum dari ab aliquo, nihil aliud esse, quàm ipsius gratiam alicui elargiri; quod potest tripliciter fieri: Primò à præparante, & administrante Sacramenta, quæ sunt veluti aquæductus gratiæ in animam: Hoc modo potest dari gratia ministerialiter ab hominibus tam bonis, quàm malis. Secundò, Gratia dari potest merito, orationis, bonorumque operum: & sic datur tantùm à bonis impetratiuè. Tertiò denique, Gratia infunditur ab aliquo eam producente: Quo modo, datur solùm à Deo effectiuè.

71 Qvod à Deo solo detur Gratia effectiuè, probat primò S. Bonauentura: *in fundamentis*, è Diuo Augustino 15. *de Ciuitate Dei*, *cap.* 26. vbi ait: *Non aliquis discipulorum dabat Spiritum sanctum; sed orabant, vt veniret in hominem.*

Probatvr secundò à S. Doctore, *in fundamento quinto*: Maxima gloria Dei est impij iustificatio; iuxta illud Psalm. 144. *Miserationes eius super omnia opera eius*: sed maxima gloria Dei non est alteri communicabilis; Isaiæ 48. *Gloriam meam alteri non dabo*: ergo non potest ab homine dari gratia, per quàm fit talis iustificatio.

Probatvr tertiò, à Seraphico Doctore *ibidem*, qui dat, vel donat aliquid, potest aliquid actiuè supra illud, quod tribuit; sed nullus homo habet posse actiuè supra Spiritum sanctum: ergo. 72

Probatvr quartò, à Diu. Bonauentura ex Diuo Augustino, *tract.* 72. *in Ioannem*: vbi habetur: *magis est de impio facere pium, quàm creare cælum, &c.* Sed creatura non potest creare: ergo nec gratiam dare.

Probatvr quintò, à Seraphico Doctore, *fundamento vltimò*. Gratia est immediatè vnitiua animæ cum Deo: ergo à Deo solo immediatè potest communicari: ergo non potest dari ab homine, aliàs, vt ait Seraphicus *fundamento tertiò*, creatura mediaret inter Deum, & animam; sed quandocumque aliquid cadit medium inter Deum, & animam; anima peruertitur; quia Deo immediatè non vnitur.

Argumenta in oppositum prostrata iacent, apud Diuum Bonauenturam in explicatione conclusionis. 73

Obiicit sibi primò S. Doctor. Maioris est virtutis producere formam substantialem, quàm accidentalem: sed creatura potest producere formam substantialem: ergo multò potiùs potest producere gratiam, quæ est forma accidentalis.

Respondet Seraphicus Doctor *in Conclusione*: Creaturam non posse producere omnem formam substantialem: Non enim potest creare animam rationalem quia est Deiformis; Gratia autem est etiam Deiformis: ergo nequit à creatura produci. De aliis verò formis non valet argumentum; cùm probet à minori ad maius.

Obicies cum D. Bonauentura *eodem art. & quæst.* Ideò creatura sibi simile potest producere, quia est corruptibilis, & perfecta, ex Aristotele 2. *de Gener. animal. cap.* 7. Perfectum enim dicitur vnumquodque, quod potest generare tale, quale ipsum est: sed gratia citissimè corrumpitur, & est forma perfectissima: ergo potest producere aliam gratiam sibi similem. 74

Respondet S. Bonauentura *in respons. tertia ad argumenta*. Maiorem veram esse de Creatura corruptibili ex sua natura, qualis non est gratia, quæ nunquam senescit.

Deinde respondit totam rationem producendi simile non esse corruptibilitatem, & perfectionem; maximè in his, quæ non dicunt substantiam completam, sed magis dispositionem: Gratia autem est dispositio ad gloriam, ad quam corruptibilis homo, eâ dispositus, aspirat. 75

Obiicies vltimò, cum Seraphico Doctore *eadem quæstione*. Sicut à Deo est esse; ita & benè esse; sed in nullo derogatur Dei potentiæ; eò quòd creatura possit dare esse ergo ei non derogatur si potest elargiri benè esse; Sed benè esse est per gratiam: ergo.

Res

RESPONDET Seraphicus Doctor, dari aliquas creaturas ita nobiles, vt non deceat eas, nisi à nobilissimo agente produci; talis est anima, quæ nequit ab homine creari, quia est ad Dei imagiuem. Gratia autem est forma nobilissima, quæ reformat in homine Dei imaginem à peccato deturpatam.

CONCLVDIT S. Doctor; reliqua, quæ obiiciuntur, facilè, iuxta trimembrem productionis naturam suprà datam, soluta iacere.

HÆC de Altissimo SACROSANCTÆ TRINITATIS Mysterio blæsus balbutiui; & ex ore Seraphici pendulus (vt in limine mihi proposueram) arcana verba, quæ non nisi Seraphim decent loqui, tremula voce deprompsi, timidoque calamo descripsi, quæ, cum cæteris in lucem prodituris, infallibili sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, inconcussæ veritatis columnæ, & firmamento, pronus humillimè subiicio.



INDEX

30



INDEX RERVM, ET VERBORVM magis Notabilium, quæ in hoc Tomo secundo de Augustissima Trinitate continentur.

Prior Numerus Paginam, posterior Numerum denotat Marginalem.

B

Bonitas, Bonum.

C

Causa.

Circumin

D

De.

Actus

Relatio

V

Verbum.

Vnitas.

Vniuocum.

Voluntas.

Vsus.

FINIS.

R. P.
GAUDENTIJ
BONTEMPI
ORDINIS CAPVCINORVM,

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

Tomi Secundi, Pars Secunda, in qua de Creatione & Angelis.

INDEX
TRACTATVS SECVNDI.
DE CREATIONE IN GENERE.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura Creationis.

DISPVTATIO II.

De rerum distinctione.

INDEX
DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM
TRACTATVS TERTIJ.
DE ANGELIS.

DISPVTATIO PRIMA.

De substantia Angelorum.

DISPVTATIO II.

De intellectu Angelorum.

DISPVTATIO III.

De voluntate Angelorum.

DISPVTATIO IV.

De creatione Angelorum.

DISPVTATIO V.

De gratia Angelorum.

DISPVTATIO VI.

De gloria Angelorum.

DISPVTATIO VII.

De malitia Angelorum.

DISPVTATIO VIII.

De pœna Dæmonum.

VIII. An

DISPVTATIO IX.

De loco Angelorum.

DISPVTATIO X.

De motu Angelorum.

DISPVTATIO XI.

De potentia Angeli in creaturas.

DISPVTATIO XII.

De Missionibus Sanctorum Angelorum.

DISPVTATIO XIII.

De Custodia Angelorum.

DISPVTATIO XIV.

De infestatione Dæmonum.

DISPVTATIO XV.

De mensura durationis, & operum Angelorum.


TRACTA



TRACTATVS III.
PRIMÆ PARTIS THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ:
DE CREATIONE IN GENERE, ET ANGELIS.

APPARATVS.


INTIMA Diuinæ Essentiæ, Diuinarumque Personarum perscrutati, prodeamus extrà, diuinorum operum mirabilia perlustrantes, vt inde ad Creatoris Bonitatem contemplandam reuertamur. Quapropter de Creatione primùm vniuersim agam; deinde verò de singulis operibus disputationes instituam.



DISPVTATIO I.

De Natura Creationis.

CREATIONEM è nihilo insipienter nonnulli Philosophi negarunt; vt refert S. Doctor passim *in sermonibus*.



QVÆSTIO I.

An CREATIO *sit productio ex nihilo.*

D.Bonau.in 2. d.1.q.1.
D.Thom. p.1. q.45. art.1.

FVIT error quorundam Philosophantium, creationem esse productionem rerum ex Dei substantia. Eos refert Seraphicus Bonauentura *hic*.

Hos secuti sunt Manichæi, contra quos disputat S. August. *lib.* 1. *de Genes. contra Manichaeos.* Sectarius Manichæorum fuit Vviclephus, qui aiebat, creaturas, non ex nihilo, sed ex esse intelligibili earum, esse productas.

Quapropter cùm esse intelligibile Dei sit ipse 1
Deus; sequitur eas ex Diuina Essentia productas, vt rectè argumentatur Vvaldensis *tom.* 1. *cap.* 17. post D. Bonauent. *ad* 3. nisi vellet, Ideas earum esse formas aliquas separatas, quales Platoni Aristoteles inussit 1. & 7. *Metaph.* vt aduertit Seraphicus *loco cit.* Quod si Plato voluerit, Ideas esse formas intelligibiles in mente, easque in Deo esse ipsum Deum, sicuti interpretatur D. Augustin. *lib.* 83. *qq. quæst.* 46. & *lib.* 7. *de ciuit. cap.* 18. vt verè res se habet, atque vt ait S. Bonauent. iam Vviclephus Manichæus est.

ENIM verò non est, cur eis intermisceamus Scotum, qui *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. docet, res creari ex nihilo sui, tamen supponi earum esse cognitum in mente Dei; neque enim Scotus, Doctor Catholicus, atque subtilis, voluit *illud esse cognitum*, esse aliquam entitatem creaturæ, quod sanè volebat Vviclephus, vt patet ex damnatione articulorum eius in Concilio Constantiæ; imò verò id reprobat *in* 1. *dist.* 36. *& hic*, vt aduertit Fauentinus *in* 2. *disp.* 3. *à num.* 4.

2 Fallitur verò Scotus in modo dicendi, *illud esse Ideale*, esse aliquid, secundùm quid creaturæ productum, vt ostendi *tract.1. disp. 13. q.5.* nisi dicas *esse obiectiuum.* Refert autem Scotus Henricum *in Sum. quæst.23. art.2.* asserere, creaturas produci ex nihilo quidem existentiæ, non tamen ex nihilo essentiæ; quia esse essentiæ præsupponebatur in esse possibili; atque adeò non esse omninò nihil.

3 Et quidem in rationibus seminalibus materiæ rerum essentias præexistere; vt docet D. August. *lib.3. de Trinitate, cap.7. & 8.* ita vt in generationibus producatur essentia eadem, quæ in potentia existebat, vt eadem sit rosa in Vere producta, hieme præexistens in ratione seminali potentiali materiæ, docet D. Bonau. *in 2. dist.7.p.2. art.2. quæst.1.* Quo sensu, & Aristoteles 6.*Metaph. t.29.* docet, in materia præexistere aliquid formæ. Quod quidem Suarez *disput.15. Metaph. sect.2.* ait, esse vim aliquam actiuam in materia cooperantem generationi; attamen potest ampliùs addi, quòd sit quædam virtus formalis inchoatiua, sicut in seminibus; hæc autem non est ipsa forma; alioqui præexistentibus formis nulla foret generatio; vt rectè argumentatur Scotus *in 2. dist.12. quæst. vn.* & Lichetus *ibidem*, post D. Bonau. *hic.* Itaque agens nil produceret, sed tantùm detegeret formas; vt dicebat Anaxagoras, & infert Seraphicus *in corpore.* Neque potest dici quòd præexistat pars formæ; vt rectè arguit S.Doctor, quia illa pars non fieret, & consequenter non generaretur forma, & in eius virtute etiam compositum; cùm enim illa pars præexistat, non produceretur; imò cùm sit imperfecta, non esset productrix formalis entis perfecti, idest compositi, quod in virtute formæ constituitur; vt benè infert S. Bonau. *in corpore, & ad 4.* & post eum Scotus, suprà.

4 Omnes igitur benè sentientes asseuerant, creationem propriè esse productionem entis ex nihilo. Ita S.Bonauent. *in 2. tota dist. prima, passim*; & *distinct.7. art.2. quæst.1.* & *in 1. dist.13. quæst.1.* & *in Breuil. p.2. cap.1.* D.Thom. *hic*; Scotus *loco cit.* & alij; vt aduertit Valentia *disp.3. quæst.2. p.1.* Vasq. *disp.172.* Suar. *disp.20. Metaph.*

Assero primò, Creationem non esse productionem rerum è substantiâ Dei.

5 Probatur à D. Bonau. *in corpore.* Si creaturæ ex essentia Dei generarentur, iam diuina essentia esset variabilis: Sed hoc dicere est impium: ergo. Probatur sequela; quia sic haberet rationem materiæ, quæ modò esset informata, modò non; modò hâc, modò illâ formâ, certè creaturæ essent Deus; vt arguit *ibi* D. Bonau. & cum eo Vasquez *cap. 2.*

Hinc secundam eruit rationem; sequeretur enim diuinam essentiam esse imperfectam: esset enim materia, ex qua producerentur creaturæ etiam viliores. Deinde argumento secundo probat sequelam; quia esset pars rerum.

Ex his habes, creaturas non produci ex esse Dei intelligibili, quod habent in Deo; cùm enim esse illud intelligibile sint Ideæ diuinæ, quæ sunt ipse Deus; iam sequeretur illas ex Deo ipso generari, esseque ipsum Deum.

Assero secundò, Creationem esse productionem ex nihilo.

6 Probatur primò à Seraphico *in 1. distinct.42. dub. 2. litt.* ex illo Ecclesiastici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Idem habet *in 2. distinct. 12. quæst. 2. ad 2.* vbi acutè obseruat id Genes.1. *Requieuit ab omnibus operibus suis, quæ creauit, vt faceret*; distinguit enim ibi inter creare, & facere; vt creare, sit ex nihilo producere; sicuti omnia simul initio produxisse dicitur in materia, vt deinceps ex materia cætera faceret.

Probatur secundò à D. Bonauent. ex illo Sap.11. *Quomodo aliquid posset permanere, nisi tu voluisses? aut, quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* His addit id Rom. 4. *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Ex quo deducit Chrysost. Deum ea facilitate vocare ad esse ea quæ non sunt, qua aliquis vocat suum vicinum.

Tandem *hic*, in fine *corporis*, id, tanquam notum è scriptura, relinquit. Loca sunt *Genes. 1. Psal.131. Isa.41. secundo Machab.7.*

Aduertit verò S. Doctor, *eodem cap. Sap.* creationem nonnunquam latiùs sumi pro formatione. 7
Ideò ibi dicitur, creauit orbem terrarum ex materia, idest formauit, cui Hebraïca vox ברא, & Græca ποιῶ, respondent; vt obseruant Valentia, & Vasquez.

Probatur tertiò à Seraphico, & D. Thom. *hic.* Omnis productio alicuius rei fit ex non esse illius rei; alioqui non esset productio. Tunc sic: sicut productio ex non tali ente, est productio talis entis, verbi gratia, hominis ex non homine; ita productio totius entis est ex non ente absolutè ex nihilo: at Deus produxit totum ens extrà: ergo. Minor probatur à Seraphico rationibus, quas referam *quæstione quinta.*

Ex allata creationis definitione sequitur primò, 8
id, quod infert S. Bonau. *ad vlt.* quando dicitur (creatio *productio ex nihilo*, particulam (*ex*) non habere vim materialem, veluti cùm dicitur: *Ex ære fit statua*; neque causalem, veluti cùm dicitur: *Ex patre filius*, sed vim ordinis, sicuti ex mane fit meridies, hunc verò ordinem non esse in nihilo, sed tantùm in re producta, quæ cùm non esset, nunc est, quo fit, vt non sit ordo realis ex parte nihili, vt est terminus à *Quo*; ita vt nihilum sit re ipsâ quid ordinatum ad esse; in quo deceptus Durandus *in 2. dist.1. q.1.* carpit D.Thomam, idem cum Seraphico dicentem; vt rectè adnotat Valentia. Itaque rem produci ex nihilo, nil est aliud quàm rem totam produci, nullo præsupposito; vt notauit cum D. Bonau. Scotus *2. dist. 1. quæst.2.* Faber *disp.3. cap.1.* Vasq. suprà. Hinc Verbum non est creatum; quia supponitur essentia; neque factum, quia illa non est producta; vt ait Arriaga *disp. 28. sect.1.*

Sequitur secundò, non ideò dici posse res 9
creatas ex esse intelligibili, quod habebant in Deo, quatenus earum Ideæ erant in mente diuina; vt rectè aduertit S. Bonau. *ad tertium*, tametsi dici possint creatæ per ideas, vel secundùm ideas, quæ erant in mente diuina; vt docuit etiam D.Anselm. *in Monolog. cap. 8.* vbi ait, loquens de creaturis. *Erant tamen aliquid, quantum ad rationem faciendi, per quam, & secundùm quam fierent.* Idem dicit Vasq. *num.8.*

Enim verò difficultas est; an particula (*ex nihilo*) necessariò dicat antecessionem realis durationis temporariæ ante esse, ita vt res, quæ ex nihilo erumpunt, in aliquo tempore præexistenti fuerint nihil.

Illi, qui arbitrantur, mundum potuisse creari ab 10
æterno, docent, per accidens esse, quòd duratione aliqua temporaria ei supponatur nihil. Ita explicitè Vasquez *num.11.* Valentia *disp.3. quæst.3. punct.2.*

Scotus

Scotus 2. *distinct.* 1. *quæst.* 2. §. *Respondeo*, quos sequitur Faber 2. *disput.* 5. *num.* 24.

AT verò Seraphicus, præcipuus inter negantes potuisse res ab æterno creari, hanc vrget implicantiam, quod ex nihilo est, in aliqua duratione præcedente debuisset non existere. Ita *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *& art.* 3. *quæst.* 2. & nos infra *quæst.* 12.

QVÆSTIO II.

Quid sit Creatio actiuè sumpta.

D. Bonau. d. 1. art. 3. q. 1. & 2. & art. 2. q. 1. ad vlt.
D. Th. q. 45. art. 3. & q. 46. art. 2.

PRIMA opinio est Vasq. *disp.* 173. *cap.* 4. creationem sumptam actiuè, esse solam relationem in rem creatam, à qua relatione Deus nominatur agens, denominatione extrinsecâ.

SECVNDA opinio est Valentiæ *disput.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 1. creationem actiuè esse ipsam Dei intellectionem, & volitionem, quâ Deus creat, quæ tametsi quoad entitatem suam non possit non esse, atque adeò sit necessaria, sicuti necessarius est Deus; tamen, cùm sit infinita, habet virtutem, & perfectionem, vt ex ipsâ immutatâ possit creatura procedere, & non procedere, & eatenus productionem creaturarum esse liberam. Deinde esse ipsum effectum
11 creatum, vt à Deo procedentem, quo pacto creatio est etiam operatio transiens. Nec tamen sic creatio est aliquid consideratum in creatura, sed vt aliquid à Deo existens.

TERTIA opinio est Fauentini 2. *disp.* 4. *post numerum quartum decimum*, creationem actiuè esse relationem rationis formaliter, atque adeò ens rationis; sicut creatio passiua est relatio realis non extrinsecùs, sed intrinsecùs adueniens; & ita de prædicamento relationis. Itaque infert, non esse actionem immanentem aut transeuntem propriè, sed tantùm impropriè. At iste Doctor, sui immemor, non recordabatur, se *n.* 8. cum Scoto, asseruisse, creationem non esse relationem intrinsecus aduenientem; quia hæc constituit quartum prædicamentum: actio autem, & passio constituunt duo prædicamenta: ergo est relatio extrinsecus adueniens, & est relatio agentis ad passum.

12 QVARTA opinio est Bañes *q.* 45. *art.* 3. *dub.* 1. creationem esse formaliter actionem immanentem; habere tamen modum actionis transeuntis, & posse vocari transeuntem virtualiter. Idem sentit Zumel *disp.* 65. *ad eundem art.* 3. Adducunt etiam Capreolum, & Ferrariensem.

QVINTA opinio creationem asserit actionem transeuntem. Ita Molina *ad articulum cit.* Tanner. *disp.* 6. *q.* 1. *dub.* 1. Nazar. *q.* 45. *eodem art. contro.* 1. tametsi sententiam Bañes probabilem dicat.

CAPREOLVS 2. *d.* 1. *q.* 2. *art.* 3. dicit, nullam actionem diuinam dici transeuntem in passum ad extrà, cùm nihil aliud sit, quàm eius velle, & intelligere, nec eius aliquam actionem exteriorem ponendam, qua dicatur formaliter agens; nisi dicatur respectus eius ad creaturam, quo pacto tantùm potest dici actio Dei esse transiens. Et hoc ferè modo loquitur Ferrar. 2. *cont. Gent. c.* 16. *ratione sexta.*

13 SENTENTIA D. Bonauenturæ est primò, creationem esse veram actionem. Id docet *art.* 3. *q.* 1. *fundam.* 2. & *q.* 2. *in corpore*; hanc verò actionem esse ipsam substantiam Dei, ait *locis adductis*. In *responsione ad* 1. addit, actionem hanc esse immediatam in virtute diuina, qui creat, volendo rem esse.

Rursùs, cùm suprà *q.* 1. dixerit, creationem esse actionem, quæ est substantia Dei; sequitur non esse transeuntem, sed immanentem formaliter; at virtualiter transeuntem, quia est actus volitionis producens extrà. Cumque voluntas diuina sit infinita, sanè liberè producit, licèt actus eius immanens sit necessarius, etsi quoad connotatum transit extra liberè.

Cùm igitur doceat etiam interuenire rei mutationem, debet esse actio virtute transiens. Quamuis autem motus, vt est actus entis in potentia, non sit formaliter actio; nam actio constituit prædicamentum; at motus est in postprædicamentis, tamen semper est cum actione transeunte, & idem cum ea realiter.

ASSERO primò, creationem esse veram actionem, eamque operationem formaliter. 14

PROBATVR primò à D. Bonau. *locis adductis.* Ea, quæ est deductiua entis è potentia ad actum, atque adeò productiua est actio: sed creatio est productiua entis, vt constat: ergo est vera actio. Ma: est Scoti *in* 1. *d.* 3. *q.* 6. *in fine*, & *quodl.* 13. §. *de tertio articulo principali.* Ex quo sequitur creationem non esse relationem, quia relatio non est actiua, vt omnes Philosophi clamant. Confirmatur: nam ex Scoto *in* 3. *loco cit.* actio est in passo: ergo non est relatio agentis ad passum, quia hæc est in agente, non in passo.

RESPONDET Faber *n.* 12. actionem secundùm se esse productiuam, ex Scoto *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. §. *Ad huius difficultatis intellectum.* Est enim transmutatio alterius, in quantum alterum; non tamen sequitur eam esse principium aliquod productiuum, vt *Quod*, aut *vt Quo*; sed esse tantùm relationem agentis ad passum, qua agens transmutat passum de vnâ formâ in aliam. Igitur actio est merus respectus agentis transmutantis passum, qui dicitur formaliter actio, siue transmutatio; connotat tamen agens, & formam ab agente inductam; vtrumque autem est absolutum; & ratione horum potest actio forma absoluta dici, & productiua. Igitur actio est productiua solùm denominatiuè. Cùm verò Scotus ait, actionem esse in passo, intelligit actionem pro forma connotata, quæ est forma producta ab agente: actionem verò esse denominationem, & relationem extrinsecùs aduenientem. Ita respondet etiam Arretinus 3. *Phys. quæst.* 8. 15

HÆC tamen chimæra est, vt ait Toletus *in prædicamentis, cap. de actione.* Et primò quidem abstrahamus actionem ab agente, num transmutabit? signum est ergo, actionem non merè denominatiuè, sed vt principium *Quo*, esse productiuam. Agens enim constituitur in esse per motum; nam ex 3. *Phys. c.* 1. & 2. & 2. *Moral. cap.* 5. actio est motus; relatio autem neque est motus, neque cum motu intrinsecè.

RESPONDET, actionem esse eam, secundùm quam agens agere dicitur, idest denominatur; non autem est id, secundùm quod propriè agit. 16

AT hoc vanum est. Nam vt docet auctor *sex principiorum*, actio mouet, & sanè denominatio est ab eo, quod res est in se, vt ait Scotus 3. *Phys. quæst.* 8.

RESPONDET Faber, decipi nos, putantes, agens agere mediâ actione, cum agat immediatè.

CONTRA est Aristoteles 3. *Phys. text.* 13. vbi 17 docet

docet, motum esse actionem. Idem docet *text.* 18. & 22. vbi etiam ait, mouens esse, eò quòd agit: ergo actio est fundamentum motus, & non relatio, quæ consequens esse debet. Confirmatur; nam ibi docet, actionem esse tendentiam in actum; quo fit, vt per actionem non sumat rem actam. Deinde *loco cit.* refricat, mouens esse, eò quòd agit: ergo agens, actione agit. Postea *text.* 22. ait, quòd: *Neque doctio cum disciplina, neque actio cum passione idem propriè est; sed cui insunt hæc, motus*; vbi per actionem non intelligi rem actam, luce clariùs est meridianâ. Quòd si per rem actam intelligit operationem: ergo operatio est terminus, contra Fabrum. Ergo per aliquam actionem producitur; vt arguit D. Bonau. *q.* 2. *argum.* 5. *addita responsione.* Tandem *in prædicamentis* docet, actioni contrariam esse actionem. Sic calefactio contraria est frigefactioni. Ecce actionem effectiuam astruit. Idem habet 5. *Metaph. cap.* 21. durum autem est, nunquam has relationes Scoticas Aristoteli illuxisse. Quòd si sex vltima prædicamenta sunt relationes extrinsecæ Scoticæ; iam erunt vnum genus; neque dicant esse plures formalitates; Nam Faber reprehendit dicentes, actionem, & passionem esse duas formalitates; quia decem prædicamenta secundùm Aristotelem, quem omnes Philosophi sequuntur, sunt decem res distinctæ.

18 VRGEO ex D. Bonau. *in* 1. *dist.* 40. *q.* 1. *ad* 1. Termini in potentia constituunt relationem in potentia; sicut termini in actu respectum in actu: Ergo positis terminis actu, necessariò consurgit relatio: at posito igne transmutante, & ligno transmutato, per te non datur ista relatio: ergo. Quòd si sumere velis terminos remotè, idest ignem, vt sic, & lignum; neque inter prædicamentalia relata, erit relatio. Deinde, si hæc relatio ex intrinseca transmutatione resultat, cur eam vocabis extrinsecam? Quòd enim extrinseca eatenus sit, quatenus agens applicat ignem, remotum est; hoc enim modo etiam relationes intrinsecùs aduenientes erunt extrinsecæ; quia non semper potest producens producere; nisi ab alio applicetur.

19 Propiùs verò accedens, creationem esse actionem, non sumptam pro re acta, sed formaliter, ostendo ex Patribus.

PRIMÒ S. August. subtilis rerum disputator, passim id astruit *lib.* 11. *confess. c.* 5. dicens: *In principio creauit Deus, &c. Quomodo autem fecisti cælum, & terram, & quæ machina tam grandis operationis tuæ?* Et prosequitur asserere, creationem, pro vt à rebus conditis distinctam, esse operationem rerum. Idem prosequitur *lib.* 13. *Confess.*

D. AMBROSIVS lib. 1. in Lucam, cap. 3. *In principio creauit Deus, &c. docuit, quòd hominem opere suo fecerit. Finxit Deus hominem, &c.*

D. HIERONYMVS *in cap.* 4. *ad Ephes.* ad ea verba: *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est*, notat, quòd creatio apud nos generatio, vel natiuitas dicitur: apud Græcos verò, nomine creationis, verbum facturæ, & conditionis, accipitur. Idem astruunt alij Patres ad primum Genes. in Glossa magna.

20 PROBATVR secundò. Si creatio est relatio, aut est relatio realis in Deo, aut rationis. Si realis: ergo aliquid de nouo additur Deo per creationem. Si rationis: ergo creare, est à nobis concipi creationem.

RESPONDET Faber, creationem ad relationem rationis reduci, non enim creatio est, quâ Deus creat formaliter.

CONTRA primò, nam respectus rationis insurgit ex creatione: ergo non est creatio, cùm sit posterior, vt arguit Seraphicus, *art.* 3. *quæst.* 2. *fundamento* 3.

CONTRA secundò, esto enim Deus voluntate creet; tamen realiter operatur, vt clamant SS. PP. cùm antea non operaretur. Ideò dicitur, In principio creasse; alioqui ab æterno creasset. Ergo aliqua factio noua realis est, cùm habeat effectum nouum; tametsi ex infinita virtute immutabili, idem Deus manens idem operetur; vt notat D. Bonau. *dist.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *ad* 1.

ASSERO secundò, creationem esse actionem formaliter immanentem; sed virtualiter transeuntem, veluti si visio haberet virtutem producendi ignem. 21

PRIOR pars probatur à D. Bonau. *quæst.* 2. *in corpore.* Actio, quæ est ipsa substantia agentis, est immanens. Sed actio Dei est ipsa voluntas, quæ est substantia Dei: ergo. Maior probatur; nam actio immanens ideò dicitur, quia manet in agente, ex Aristot. 9. *Metaph. text.* 16. Minor est de fide, & probatur à Seraphico; quia Deus est summè simplex: ergo est sua actio.

PROBATVR secundò à D. Bonau. Si creatio esset actio transiens, esset medium quid inter creaturam, & Creatorem realiter. Sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequela; quia actio, quæ subiectatur in passo, est media inter agens, & passum: sed creatio non est, actio in passo, cùm sit ipse Deus: Ergo. Probatur Minor à Seraphico fundamentis quinque *art.* 3. *quæst.* 2. Primò ex authore de causis *prop.* 4. vbi dicit: *Prima rerum creatarum est esse*: Ergo nihil creaturæ est ante creari. Ergo creari non est aliud, quàm esse: ergo nec creatio est aliud quàm essentia: ergo creatio passiuè est creatura ipsa. 22

Deinde, inter ens ab alio, & ens non ab alio, non est medium: sed omne, quod non est ab alio est Creator: omne autem, quod est ab alio essentialiter est creatura: ergo inter ea nil est medium. 23

TERTIÒ, Creatura refertur ad Creatorem. Aut ergo se ipsâ, aut per aliud. Si per aliud, quæro de illo alio; & sic in infinitum: si verò refertur se ipsâ: tunc sic: at refertur per creationem: ergo creatio est passiuè ipsa creatura. Hoc argumento vtitur Scotus 2. *d.* 1. apud Valentiam, & discutitur *quæst.* 4

QVARTÒ. Si creatio est quid medium inter Creatorem, & creaturam, aut est aliquid æternum, aut temporale. Si æternum: ergo aliquid æternum fuit, quod non est Deus; si temporale: ergo ante omnem creaturam est aliquid temporale. Vtrumque autem est hæreticum, reprobatum in Concilio Senonensi *de Ideis*, quæ ponebantur à quibusdam mediæ inter Deum, & creaturam. 24

QVINTÒ, sicut se habet Creator ad creaturam; ita creatio actio ad creationem passionem: ergo à permutata proportione: sicut se habet Creator ad creationem actiuam; ita creatura ad creationem passiuam. Sed Creator non differt secundùm rem à creatione actione: Ergo neque creatura à creatione passione. 25

PROBATVR tertiò à S. Doctore assertio *in corpore*; quia creatio actiuè est ipsa actio Dei, quæ est ipse Deus; alioqui, si actio Dei differret à Deo, componeret. Passiuè autem sumpta, est aliquid à Deo: ergo est creatura. Probatur antecedens

tecedens. Nam creari, est produci de non esse ad esse, quod sanè conuenit intrinsecè creaturæ.

26 PROBATVR quartò assertio ex *fundamento quarto*. Si creatio esset actio transiens; sequeretur, Deum priùs creare actionem illam transeuntem; deinde creaturam, quod est absonum; quia Deus non vtitur alio medio in creando. Consequens probatur: quia actio illa esset media inter Deum, & creaturam: & tunc vel se teneret ex parte causæ, & sic aliquid reciperetur de nouo in voluntate diuina, causante in tempore: vel aliquid se teneret ex parte effectus producti, & in ipso receptum; vt ait Fasolus *quæst. 25. artic. 1. num. 119.* & tunc non posset dici actio diuina, sed potiùs aliquis effectus à Deo creatus, & causatus per aliam actionem præcedentem; de qua rursum quæreretur; an sit aliquid realiter; vel modaliter, à causa, & effectu distinctum, & inter vtrumque medians; & argueretur vt priùs, procedendo in

27 infinitum. Quare ad euitandum processum in infinitum, dicendum est, in Deo non dari actionem transeuntem formaliter, sed tantùm virtualiter, & similitudinariè, quatenus ad virtutem absolutam diuinæ voluntatis applicitam ad agendum per suum *velle* efficax, sequitur immediatè in tempore effectus. Vnde & creatio passiuè dicit creaturam, cum essentiali dependentia à Deo, quæ est ipsa creatura; vt arguebat S. Bonauent. & cum eo Mastrius *tom. 1. disp. 4. quæst. 6. num. 126.*

28 His ferè argumentis probant, ex D. Bonau. creationem esse actionem immanentem, Zumellus *1. p. quæst. 25. art. 1. disputat. vnic. concl. 5.* cum D. Thom. *2. contra Gentes, cap. 16. ratione sexta*, Bañes suprà, Capreolus, Ferrar. Vulpes *tom. 1. p. 2. disputat. 1. art. vltim. concl. 3.* Mastrius suprà, & alij etiam Scotistæ de mente Scoti *2. d. 1. q. 2.*

Respondet verò Nazarius primò, actionem Dei essentialiter sumptam, non transire formaliter in effectum ad extrà; ac ideò quoad id, quod ponit formaliter in agente esse, antequam actu producatur effectus ad extrà.

AT verò, vel incidit in nostram sententiam confitens, creationem esse transeuntem solùm virtualiter (quod probabile asserit, *concl. 6.*) vel argumentum Seraphici non soluit, vt patet; quia si est actio transiens, debet transire ad extrà essentialiter; etenim, dicere, actionem transeuntem esse in ipso agente formaliter, vt indicat Nazarius cum D. Thom. & Caietano; est improbabile in philosophia; vt aduertit Tanner. *n. 13.* & communiter Philosophi, ac Theologi apud Galitium *1. p. Philos. lib. 1. tract. 1. q. 12. n. 2.* Et sanè Philosophus re-

29 clamat illo suo proloquio: *Actus actiuorum esse in patiente* 2. de anima *text. 139.* Idem docet *9. Metaph. text. 16.* vnde, & colligitur ratio: nam si actio omnis est in agente: ergo omnis actio est immanens, & nulla transiens; de quo latiùs agam *tract. 5. d. 7. quæst. 9.*

DISTINCTIO autem Fabri *Theor. 41.* quâ conatur respondēre, volens accipi ab Aristot. actionem impropriè; est violenta, vt ostendam *loco citato*.

Respondet secundò Nazarius, naturam actionis transeuntis Metaphysicè, esse, vt transeat in effectum extrà, iuxta modum formæ, quæ est principium operationis. Et ideò in agentibus per voluntatem, non sequitur effectus, nisi secundùm præfinitionem agentis.

CONTRA arguit Zumellus. Non potest percipi esse actio transiens, & non dari extrà terminum eius, & quod agens operetur, & nihil agat, aut producat.

PROBATVR vltimò à D. Bonau. *in 1. dist. 7. q. 3. ad 2.* Si creatio esset actio transiens, agens compleretur ab obiecto; at Deus à nullo completur: ergo. 30

Respondet Faber, actionem transeuntem esse perfectionem agentis ex indigentiâ, qualis non est Deus.

AT hoc est ipsum Seraphici argumentum. Quia enim Deus nullo eget, cùm sit infinitus, non exit ad obiecta.

ASSERO tertiò, creationem habere modum virtualem actionis transeuntis.

PROBATVR primò à D. Bonau. *hîc, art. 3. quæst. 1. fund. 6.* Si esset actio merè immanens, esset necessaria, atque adeò æterna, ne in tempore mutari Deus asseratur, ac proinde creaturæ essent æternæ.

PROBATVR secundò à S. Doctore *1. dist. 7. q. 3. & vltimâ.* In hoc differunt emanationes diuinæ à creatione, quòd illæ habent terminum intrà; at creatio extrà, quod conuenit actioni transeunti, ex *9. Metaph. text. 16.* Hæc sanè est proprietas actionum finitarum; at creatio est actio infinita, vt aduertit S. Bonauent. *2. d. 1. p. 2. ad primum, quæst. prima.* 31

OMNIA argumenta, quæ probant, creationem non habere aliquid transeuntis; vel è contrà, esse merè transeuntem, probant de actionibus finitis; de quibus Philosophi loquuti sunt.

Responsiones Fabri *d. 4. c. 4.* ruunt ex dictis. Supponunt enim, creationem esse relationem illam commentitiam extrinsecùs aduenientem.

QVÆSTIO III.

Quid sit creatio passiuè sumpta.

SS. DD. vt suprà.

PRIMA opinio celebris est, creationem passiuè, esse relationem dependentiæ Creaturæ à Creatore. Ità D. Thom. *q. 45. art. 3. in corpore*, & *ad 1.* quem sequuntur discipuli nonnulli, vt Caietanus, Bañes, Zumellus *q. 65. art. 3.* Capreolus *2. d. 1. q. 2.* Ferrar. *2. contra Gent. c. 18.* Richard. *in 2. d. 1. art. 1. q. 2. & 3.* Durand. *q. 2. num. 19.* Gregor. Arim. *ea dist. q. 6. concl. 2. & 3.* Scotus *q. 5.* ac Valentia *disp. 5. q. 2. punct. 5.* parum videtur abscedere. Eam verò sustinet Vasq. *disp. 173.*

SECVNDA sententia est, creationem quidem non esse propriè motum, vel mutationem, vt cum D. Thom. suprà fatentur alij; esse tamen in creaturâ modum quemdam, absolutum modaliter distinctum à creatura, cum respectu ad Deum creantem, quo creaturæ, à Deo manant, quique habeat veram rationem dependentiæ. Ità post Ægidium, Ochamum, Gabrielem, Argentinam, Aureolum, docent Molina *q. 45. art. 3.* Suarez *disp. 20. Metaph. sect. 25.* Tanner. *disp. 6. q. 1. dub. 1. num. 11.* Fauet D. Thom. *1. d. 40. art. 1. ad 1.* Valentia *loco cit.* & ex parte Nazatius *q. 45. art. 3. controu. 1. conclusione 5.* 32

SENTENTIA D. Bonau. est, creationem passiuam non esse mutationem quidem Aristotelicam, quæ exigit, vt subiectum sub vtroque termino sit; sed aliter in termino *à Quo*; aliter in termino *ad Quem*, iuxta Aristot. *6. Phys. text. 32. & 73.* 33

Hæc enim est ratio mutationum tantùm naturalium; vt aduertit S. Doctor *dist. 1. art. 3. q. 1. ad 2.* attamen creatio dicit passiuè mutationem aliquam, veramque passionem, provt dicit esse receptum, non

FINIS.

R. P.
GAUDENTIJ
BONTEMPI
ORDINIS CAPVCINORVM,
THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
Tomi Secundi, Pars Secunda, in qua
de Creatione & Angelis.

INDEX
TRACTATVS SECVNDI.
DE CREATIONE IN GENERE.

DISPVTATIO PRIMA.
De Natura Creationis.

DISPVTATIO II.
De rerum distinctione.

INDEX
DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM
TRACTATVS TERTIJ.
DE ANGELIS.

DISPVTATIO PRIMA.
De substantia Angelorum.

DISPVTATIO II.
De intellectu Angelorum.

DISPVTATIO III.

De voluntate Angelorum.

DISPVTATIO IV.

De creatione Angelorum.

DISPVTATIO V.

De gratia Angelorum.

DISPVTATIO VI.

De gloria Angelorum.

DISPVTATIO VII.

De malitia Angelorum.

DISPVTATIO VIII.

De pœna Dæmonum.

VIII. An

DISPVTATIO IX.

De loco Angelorum.

DISPVTATIO X.

De motu Angelorum.

DISPVTATIO XI.

De potentia Angeli in creaturas.

DISPVTATIO XII.

De Missionibus Sanctorum Angelorum.

DISPVTATIO XIII.

De Custodia Angelorum.

DISPVTATIO XIV.

De infestatione Dæmonum.

DISPVTATIO XV.

De mensura durationis, & operum Angelorum.

TRACTA



TRACTATVS III.

PRIMÆ PARTIS THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ:

DE CREATIONE IN GENERE, ET ANGELIS.

APPARATVS.

INTIMA Diuinæ Essentiæ, Diuinarumque Personarum perscrutati, prodeamus extrà, diuinorum operum mirabilia perlustrantes, vt inde ad Creatoris Bonitatem contemplandam reuertamur. Quapropter de Creatione primùm vniuersim agam; deinde verò de singulis operibus disputationes instituam.

DISPVTATIO I.

De Natura Creationis.

CREATIONEM è nihilo insipienter nonnulli Philosophi negarunt; vt refert S. Doctor passim *in sermonibus*.

QVÆSTIO I.

An CREATIO *sit productio ex nihilo.*

D.Bonau.in 2. d.1.q.1.
D.Thom. p.1. q.45. art.1.

FVIT error quorundam Philosophantium, creationem esse productionem rerum ex Dei substantia. Eos refert Seraphicus Bonauentura *hic*.

Hos secuti sunt Manichæi, contra quos disputat S. August. *lib.* 1. *de Genes. contra Manichæos.* Sectarius Manichæorum fuit Vviclephus, qui aiebat, creaturas, non ex nihilo, sed ex esse intelligibili earum, esse productas.

Quapropter cùm esse intelligibile Dei sit ipse 1
Deus; sequitur eas ex Diuina Essentia productas, vt rectè argumentatur Vvaldensis *tom.* 1. *cap.* 17. post D. Bonauent. *ad* 3. nisi vellet, Ideas earum esse formas aliquas separatas, quales Platoni Aristoteles inussit 1. & 7. *Metaph.* vt aduertit Seraphicus *loco cit.* Quod si Plato voluerit, Ideas esse formas intelligibiles in mente, easque in Deo esse ipsum Deum, sicuti interpretatur D. Augustin. *lib.* 83. *qq. quæst.* 46. & *lib.* 7. *de ciuit. cap.* 28. vt verè res se habet, atque vt ait S. Bonauent. iam Vviclephus Manichæus est.

ENIM verò non est, cur eis intermisceamus Scotum, qui *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. docet, res creari ex nihilo sui, tamen supponi earum esse cognitum in mente Dei; neque enim Scotus, Doctor Catholicus, atque subtilis, voluit *illud esse cognitum*, esse aliquam entitatem creaturæ, quod sanè volebat Vviclephus, vt patet ex damnatione articulorum eius in Concilio Constantiæ; imò verò id reprobat *in* 1. *dist.* 36. *& hic*, vt aduertit Fauentinus *in* 2. *disp.* 3. *à num.* 4.

2 Fallitur verò Scotus in modo dicendi, *illud esse Ideale*, esse aliquid, secundùm quid creaturæ productum, vt ostendi *tract.1. disp. 13. q.5.* nisi dicas *esse obiectiuum*. Refert autem Scotus Henricum *in Sum. quæst.23. art.2.* asserere, creaturas produci ex nihilo quidem existentiæ, non tamen ex nihilo essentiæ; quia esse essentiæ præsupponebatur in esse possibili; atque adeò non esse omninò nihil.

3 Et quidem in rationibus seminalibus materiæ rerum essentias præexistere; vt docet D. August. *lib.3. de Trinitate, cap.7. & 8.* ita vt in generationibus producatur essentia eadem, quæ in potentia existebat, vt eadem sit rosa in Vere producta, hieme præexistens in ratione seminali potentiali materiæ, docet D. Bonau. *in 2. dist.7.p.2. art.2. quæst.1.* Quo sensu, & Aristoteles *6.Metaph.t.29.* docet, in materia præexistere aliquid formæ. Quod quidem Suarez *disput.15. Metaph. sect.2.* ait, esse vim aliquam actiuam in materia cooperantem generationi; attamen potest ampliùs addi, quòd sit quædam virtus formalis inchoatiua, sicut in seminibus; hæc autem non est ipsa forma; alioqui præexistentibus formis nulla foret generatio; vt rectè argumentatur Scotus *in 2. dist.12. quæst. vn.* & Lichetus *ibidem*, post D. Bonau. *hic*. Itaque agens nil produceret, sed tantùm detegeret formas; vt dicebat Anaxagoras, & infert Seraphicus *in corpore*. Neque potest dici quòd præexistat pars formæ; vt rectè arguit S.Doctor, quia illa pars non fieret, & consequenter non generaretur forma, & in eius virtute etiam compositum; cùm enim illa pars præexistat, non producetur; imò cùm sit imperfecta, non esset productrix formalis entis perfecti, idest compositi, quod in virtute formæ constituitur; vt benè infert S. Bonau. *in corpore, & ad 4.* & post eum Scotus, suprà.

4 Omnes igitur benè sentientes asseuerant, creationem propriè esse productionem entis ex nihilo. Ita S.Bonauent. *in 2. tota dist. prima, passim*; & *distinct.7. art.2. quæst.1.* & *in 1. dist.13. quæst.1.* & *in Breuil.p.2. cap.1.* D.Thom. *hic*; Scotus *loco cit.* & alij; vt aduertit Valentia *disp.3. quæst.2. p.1.* Vasq. *disp.171.* Suar. *disp.20. Metaph.*

Assero primò, Creationem non esse productionem rerum è substantiâ Dei.

5 Probatvr à D. Bonau. *in corpore.* Si creaturæ ex essentia Dei generarentur, iam diuina essentia esset variabilis: Sed hoc dicere est impium: ergo. Probatur sequela; quia sic haberet rationem materiæ, quæ modò esset informata, modò non; modò hâc, modò illâ formâ, certè creaturæ essent Deus; vt arguit *ibi* D. Bonau. & cum eo Vasquez *cap. 2.*

Hinc secundam eruit rationem; sequeretur enim diuinam essentiam esse imperfectam: esset enim materia, ex qua producerentur creaturæ etiam viliores. Deinde argumento secundo probat sequelam; quia esset pars rerum.

Ex his habes, creaturas non produci ex esse Dei intelligibili, quod habent in Deo; cùm enim esse illud intelligibile sint Ideæ diuinæ, quæ sunt ipse Deus; iam sequeretur illas ex Deo ipso generari, esseque ipsum Deum.

Assero secundò, Creationem esse productionem ex nihilo.

6 Probatvr primò à Seraphico *in 1. distinct.42. dub. 2. litt.* ex illo Ecclesiastici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Idem habet *in 2. distinct. 12. quæst. 2. ad 2.* vbi acutè obseruat id Genes.1. *Requieuit ab omnibus operibus suis, quæ creauit, vt faceret*; distinguit enim ibi inter creare, & facere; vt creare, sit ex nihilo producere; sicuti omnia simul initio produxisse dicitur in materia, vt deinceps ex materia cætera faceret.

Probatvr secundò à D. Bonauent. ex illo Sap.11. *Quomodo aliquid posset permanere, nisi tu voluisses? aut, quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* His addit id Rom. 4. *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Ex quo deducit Chrysost. Deum ea facilitate vocare ad esse ea quæ non sunt, qua aliquis vocat suum vicinum.

Tandem *hic*, in fine *corporis*, id, tanquam notum è scriptura, relinquit. Loca sunt *Genes.* 1. *Psal.*131. *Isa.*41. *secundo Machab.*7.

7 Aduertit verò S. Doctor, *eodem cap. Sap.* creationem nonnunquam latiùs sumi pro formatione. Ideò ibi dicitur, creauit orbem terrarum ex materia, idest formauit, cui Hebraïca vox ברא, & Græca ποιῶ, respondent; vt obseruant Valentia, & Vasquez.

Probatvr tertiò à Seraphico, & D. Thom. *hic*. Omnis productio alicuius rei fit ex non esse illius rei; alioqui non esset productio. Tunc sic: sicut productio ex non tali ente, est productio talis entis, verbi gratia, hominis ex non homine; ita productio totius entis est ex non ente absolutè ex nihilo: at Deus produxit totum ens extrà: ergo. Minor probatur à Seraphico rationibus, quas referam *quæstione quinta*.

Ex allata creationis definitione sequitur primò, 8 id, quod infert S. Bonau. *ad vlt.* quando dicitur creatio *productio ex nihilo*, particulam (*ex*) non habere vim materialem, veluti cùm dicitur: *Ex ære fit statua*; neque causalem, veluti cùm dicitur: *Ex patre filius*, sed vim ordinis, sicuti ex mane fit meridies, hunc verò ordinem non esse in nihilo, sed tantùm in re producta, quæ cùm non esset, nunc est, quo fit, vt non sit ordo realis ex parte nihili, vt est terminus à *Quo*; ita vt nihilum sit re ipsâ quid ordinatum ad esse; in quo deceptus Durandus *in 2. dist.1. q.1.* carpit D.Thomam, idem cum Seraphico dicentem; vt rectè adnotat Valentia. Itaque rem produci ex nihilo, nil est aliud quàm rem totam produci, nullo præsupposito; vt notauit cum D. Bonau. Scotus *2. dist. 1. quæst.2.* Faber *disp.3. cap.1.* Vasq. suprà. Hinc Verbum non est creatum; quia supponitur essentia; neque factum, quia illa non est producta; vt ait Arriaga *disp. 28. sect.1.*

Seqvitvr secundò, non ideò dici posse res 9 creatas ex esse intelligibili, quod habebant in Deo, quatenus earum Ideæ erant in mente diuina; vt rectè aduertit S. Bonau. *ad tertium*, tametsi dici possint creatæ per ideas, vel secundùm ideas, quæ erant in mente diuina; vt docuit etiam D.Anselm. *in Monolog. cap.* 8. vbi ait, loquens de creaturis. *Erant tamen aliquid, quantum ad rationem faciendi, per quam, & secundùm quam fierent.* Idem dicit Vasq. *num.*8.

Enim verò difficultas est; an particula (*ex nihilo*) necessariò dicat antecessionem realis durationis temporariæ ante esse, ita vt res, quæ ex nihilo erumpunt, in aliquo tempore præexistenti fuerint nihil.

Illi, qui arbitrantur, mundum potuisse creari ab 10 æterno, docent, per accidens esse, quòd duratione aliqua temporaria ei supponatur nihil. Ita explicitè Vasquez *num.*11. Valentia *disp.3. quæst.3. punct.2.*

Scotus

Scotus 2. *distinct.* 1. *quæst.* 2. §. *Respondeo*, quos sequitur Faber 2. *disput.* 5. *num.* 14.

At verò Seraphicus, præcipuus inter negantes potuisse res ab æterno creari, hanc vrget implicantiam, quod ex nihilo est, in aliqua duratione præcedente debuisset non existere. Ita *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. & *art.* 3. *quæst.* 2. & nos infrà *quæst.* 12.

QVÆSTIO II.

Quid sit Creatio actiuè sumpta.

D.Bonau. d.1.art. 3.q.1. & 2. & art.2.q.1.ad vlt. D.Th. q.45.art.3. & q. 46. art.2.

PRIMA opinio est Vasq. *disp.* 173. *cap.* 4. creationem sumptam actiuè, esse solam relationem in rem creatam, à qua relatione Deus nominatur agens, denominatione extrinsecâ.

SECVNDA opinio est Valentiæ *disput.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 1. creationem actiuè esse ipsam Dei intellectionem, & volitionem, quâ Deus creat, quæ tametsi quoad entitatem suam non possit non esse, atque adeò sit necessaria, sicuti necessarius est Deus; tamen, cùm sit infinita, habet virtutem, & perfectionem, vt ex ipsâ immutatâ possit creatura procedere, & non procedere, & eatenus productionem creaturarum esse liberam. Deinde esse ipsum effectum
11 creatum, vt à Deo procedentem, quo pacto creatio est etiam operatio transiens. Nec tamen sic creatio est aliquid consideratum in creatura, sed vt aliquid à Deo existens.

TERTIA opinio est Fauentini 2. *disp.* 4. *post numerum quartum de imum*, creationem actiuè esse relationem rationis formaliter, atque adeò ens rationis; sicut creatio passiua est relatio realis non extrinsecùs, sed intrinsecùs adueniens; & ita de prædicamento relationis. Itaque infert, non esse actionem immanentem aut transeuntem propriè, sed tantùm impropriè. At iste Doctor, sui immemor, non recordabatur, se *n.* 8. cum Scoto, asseruisse, creationem non esse relationem intrinsecus aduenientem; quia hæc constituit quartum prædicamentum: actio autem, & passio constituunt duo prædicamenta: ergo est relatio extrinsecus adueniens, & est relatio agentis ad passum.

12 QVARTA opinio est Bañes *q.* 45. *art.* 3. *dub.* 1. creationem esse formaliter actionem immanentem; habere tamen modum actionis transeuntis, & posse vocari transeuntem virtualiter. Idem sentit Zumel *disp.* 65. *ad eundem art.* 3. Adducunt etiam Capreolum, & Ferrariensem.

QVINTA opinio creationem asserit actionem transeuntem. Ita Molina *ad articulum cit.* Tanner. *disp.* 6. *q.* 1. *dub.* 1. Nazar. *q.* 45. *eodem art. contro.* 1. tametsi sententiam Bañes probabilem dicat.

CAPREOLVS 2. *d.* 1. *q.* 2. *art.* 3. dicit, nullam actionem diuinam dici transeuntem in passum ad extrà, cùm nihil aliud sit, quàm eius velle, & intelligere, nec eius aliquam actionem exteriorem ponendam, qua dicatur formaliter agens; nisi dicatur respectus eius ad creaturam, quo pacto tantùm potest dici actio Dei esse transiens. Et hoc ferè modo loquitur Ferrar. 2. *cont. Gent. c.* 16. *ratione sexta.*

13 SENTENTIA D. Bonauenturæ est primò, creationem esse veram actionem. Id docet *art.* 3. *q.* 1. *fundam.* 2. & *q.* 2. *in corpore*; hanc verò actionem esse ipsam substantiam Dei, ait *locis adductis.* In *responsione ad* 1. addit, actionem hanc esse immediatam in virtute diuina, qui creat, volendo rem esse.

Rursùs, cùm suprà *q.* 1. dixerit, creationem esse actionem, quæ est substantia Dei; sequitur non esse transeuntem, sed immanentem formaliter; at virtualiter transeuntem, quia est actus volitionis producens extrà. Cumque voluntas diuina sit infinita, sanè liberè producit, licèt actus eius immanens sit necessarius, etsi quoad connotatum transit extra liberè.

Cùm igitur doceat etiam interuenire rei mutationem, debet esse actio virtute transiens. Quamuis autem motus, vt est actus entis in potentia, non sit formaliter actio; nam actio constituit prædicamentum; at motus est in postprædicamentis, tamen semper est cum actione transeunte, & idem cum ea realiter.

ASSERO primò, creationem esse veram actionem, eamque operationem formaliter. 14

PROBATVR primò à D. Bonau. *locis adductis.* Ea, quæ est deductiua entis è potentia ad actum, atque adeò productiua est actio: sed creatio est productiua entis, vt constat: ergo est vera actio. Ma: est Scoti *in* 1. *d.* 3. *q.* 6. *in fine*, & *quodl.* 13. §. *de tertio articulo principali.* Ex quo sequitur creationem non esse relationem, quia relatio non est actiua, vt omnes Philosophi clamant. Confirmatur: nam ex Scoto *in* 3. *loco cit.* actio est in passo: ergo non est relatio agentis ad passum, quia hæc est in agente, non in passo.

RESPONDET Faber *n.* 12. actionem secundùm se esse productiuam, ex Scoto *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. §. *Ad huius difficultatis intellectum.* Est enim transmutatio alterius, in quantum alterum; non tamen sequitur eam esse principium aliquod productiuum, vt *Quod*, aut vt *Quo*; sed esse tantùm relationem agentis ad passum, qua agens transmutat passum de vnâ formâ in aliam. Igitur actio est motus respectus agentis transmutantis passum, qui dicitur formaliter actio, siue transmutatio; connotat tamen agens, & formam ab agente inductam; vtrumque autem est absolutum; & ratione horum potest actio forma absoluta dici, & productiua. Igitur actio est productiua solùm denominatiuè. Cùm verò Scotus ait, actionem esse in passo, intelligit actionem pro forma connotata, quæ est forma producta ab agente: actionem verò esse denominationem, & relationem extrinsecùs aduenientem. Ita respondet etiam Arretinus 3. *Phys. quæst.* 8. 15

HÆC tamen chimæra est, vt ait Toletus *in prædicamentis, cap. de actione.* Et primò quidem abstrahamus actionem ab agente, num transmutabit? signum est ergo, actionem non merè denominatiuè, sed vt principium *Quo*, esse productiuam. Agens enim constituitur in esse per motum; nam ex 3. *Phys. c.* 1. & 2. & 2. *Moral. cap.* 5. actio est motus; relatio autem neque est motus, neque cum motu intrinsecè.

RESPONDET, actionem esse eam, secundùm quam agens agere dicitur, id est denominatur; non autem est id, secundùm quod propriè agit. 16

AT hoc vanum est. Nam vt docet auctor *sex principiorum*, actio mouet, & sanè denominatio est ab eo, quod res est in se, vt ait Scotus 3. *Phys. quæst.* 8.

RESPONDET Faber, decipi nos, putantes, agens agere mediâ actione, cum agat immediatè.

CONTRA est Aristoteles 3. *Phys. text.* 13. vbi 17 docet

docet, motum esse actionem. Idem docet *text.* 18. & 22. vbi etiam ait, mouens esse, eò quòd agit: ergo actio est fundamentum motus, & non relatio, quæ consequens esse debet. Confirmatur; nam ibi docet, actionem esse tendentiam in actum; quo fit, vt per actionem non sumat rem actam. Deinde *loco cit.* refricat, mouens esse, eò quòd agit: ergo agens, actione agit. Posteà *text.* 22. ait, quòd: *Neque doctio cum disciplina, neque actio cum passione idem propriè est; sed cui insunt hæc, motus*; vbi per actionem non intelligi rem actam, luce clariùs est meridianâ. Quòd si per rem actam intelligit operationem: ergo operatio est terminus, contra Fabrum. Ergo per aliquam actionem producitur; vt arguit D. Bonau. *q. 2. argum. 5. addita responsione.* Tandem *in prædicamentis* docet, actioni contrariam esse actionem. Sic calefactio contraria est frigefactioni. Ecce actionem effectiuam astruit. Idem habet 5. *Metaph. cap.* 21. durum autem est, nunquam has relationes Scoticas Aristoteli illuxisse. Quòd si sex vltima prædicamenta sunt relationes extrinsecæ Scoticæ; iam erunt vnum genus; neque dicant esse plures formalitates; Nam Faber reprehendit dicentes, actionem, & passionem esse duas formalitates; quia decem prædicamenta secundùm Aristotelem, quem omnes Philosophi sequuntur, sunt decem res distinctæ.

18 VRGEO ex D. Bonau. *in* 1. *dist.* 40. *q.* 1. *ad* 1. Termini in potentia constituunt relationem in potentia; sicut termini in actu respectum in actu: Ergo positis terminis actu, necessariò consurgit relatio: at posito igne transmutante, & ligno transmutato, per te non datur ista relatio: ergo. Quòd si sumere velis terminos remotè, idest ignem, vt sic, & lignum; neque inter prædicamentalia relata, erit relatio. Deinde, si hæc relatio ex intrinseca transmutatione resultat, cur eam vocabis extrinsecam? Quòd enim extrinseca eatenus sit, quatenus agens applicat ignem, remotum est; hoc enim modo etiam relationes intrinsecùs aduenientes erunt extrinsecæ; quia non semper potest producens producere; nisi ab alio applicetur.

19 Propiùs verò accedens, creationem esse actionem, non sumptam pro re acta, sed formaliter, ostendo ex Patribus.

PRIMÒ S. August. subtilis rerum disputator, passim id astruit *lib.* 11. *confess. c.* 5. dicens: *In principio creauit Deus*, &c. *Quomodo autem fecisti cælum, & terram, & quæ machina tam grandis operationis tuæ?* Et prosequitur asserere, creationem, pro vt à rebus conditis distinctam, esse operationem rerum. Idem prosequitur *lib.* 13. *Confess.*

D. AMBROSIVS lib. 1. in Lucam, cap. 3. *In principio creauit Deus, &c. docuit, quòd hominem opere suo fecerit. Finxit Deus hominem, &c.*

D. HIERONYMVS *in cap.* 4. *ad Ephes.* ad ea verba: *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est*, notat, quòd creatio apud nos generatio, vel natiuitas dicitur: apud Græcos verò, nomine creationis, verbum facturæ, & conditionis, accipitur. Idem astruunt alij Patres ad primum Genes. in Glossa magna.

20 PROBATVR secundò. Si creatio est relatio, aut est relatio realis in Deo, aut rationis. Si realis: ergo aliquid de nouo additur Deo per creationem. Si rationis: ergo creare, est à nobis concipi creationem.

RESPONDET Faber, creationem ad relationem rationis reduci, non enim creatio est, quâ Deus creat formaliter.

CONTRA primò, nam respectus rationis insurgit ex creatione: ergo non est creatio, cùm sit posterior, vt arguit Seraphicus, *art.* 3. *quæst.* 2. *fundamento* 3.

CONTRA secundò, esto enim Deus voluntate creet; tamen realiter operatur, vt clamant SS. PP. cùm antea non operaretur. Ideò dicitur, In principio creasse; alioqui ab æterno creasset. Ergo aliqua factio noua realis est, cùm habeat effectum nouum; tametsi ex infinita virtute immutabili, idem Deus manens idem operetur; vt notat D. Bonau. *dist.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *ad* 3.

ASSERO secundò, creationem esse actionem formaliter immanentem; sed virtualiter transeuntem, veluti si visio haberet virtutem producendi ignem. 21

PRIOR pars probatur à D. Bonau. *quæst.* 2. *in corpore.* Actio, quæ est ipsa substantia agentis, est immanens. Sed actio Dei est ipsa voluntas, quæ est substantia Dei: ergo. Maior probatur; nam actio immanens ideò dicitur, quia manet in agente, ex Aristot. 9. *Metaph. text.* 16. Minor est de fide, & probatur à Seraphico; quia Deus est summè simplex: ergo est sua actio.

PROBATVR secundò à D. Bonau. Si creatio esset actio transiens, esset medium quid inter creaturam, & Creatorem realiter. Sed hoc est falsum; ergo. Probatur sequela; quia actio, quæ subiectatur in passo, est media inter agens, & passum: sed creatio non est, actio in passo, cùm sit ipse Deus: Ergo. Probatur Minor à Seraphico fundamentis quinque *art.* 3. *quæst.* 2. Primò ex authore de causis *prop.* 4. vbi dicit: *Prima rerum creatarum est esse*: Ergo nihil creaturæ est ante creari. Ergo creari non est aliud, quàm esse: ergo nec creatio est aliud quàm essentia: ergo creatio passiuè est creatura ipsa. 22

Deinde, inter ens ab alio, & ens non ab alio, non est medium: sed omne, quod non est ab alio est Creator: omne autem, quod est [illegible] alio essentialiter est creatura: ergo inter ea nil est medium. 23

TERTIÒ, Creatura refertur ad Creatorem. Aut ergo se ipsâ, aut per aliud. Si per aliud, quæro de illo alio; & sic in infinitum: si verò refertur se ipsâ: tunc sic: at refertur per creationem: ergo creatio est passiuè ipsa creatura. Hoc argumento vtitur Scotus 2. *d.* 1. apud Valentiam, & discutitur *quæst.* 4

QVARTÒ. Si creatio est quid medium inter Creatorem, & creaturam, aut est aliquid æternum, aut temporale. Si æternum: ergo aliquid æternum fuit, quod non est Deus; si temporale: ergo ante omnem creaturam est aliquid temporale. Vtrumque autem est hæreticum, reprobatum in Concilio Senonensi *de Ideis*, quæ ponebantur à quibusdam mediæ inter Deum, & creaturam. 24

QVINTÒ, sicut se habet Creator ad creaturam; ita creatio actio ad creationem passionem: ergo à permutata proportione: sicut se habet Creator ad creationem actiuam; ita creatura ad creationem passiuam. Sed Creator non differt secundùm rem à creatione actione: Ergo neque creatura à creatione passione. 25

PROBATVR tertiò à S. Doctore assertio *in corpore*; quia creatio actiuè est ipsa actio Dei, quæ est ipse Deus; alioqui, si actio Dei differret à Deo, componeret. Passiuè autem sumpta, est aliquid à Deo: ergo est creatura. Probatur antecedens

tecedens. Nam creari, est produci de non esse ad esse, quod sanè conuenit intrinsecè creaturæ.

26 PROBATVR quartò assertio ex *fundamento quarto*. Si creatio esset actio transiens; sequeretur, Deum priùs creare actionem illam transeuntem; deinde creaturam, quod est absonum; quia Deus non vtitur alio medio in creando. Consequens probatur: quia actio illa esset media inter Deum, & creaturam: & tunc vel se teneret ex parte causæ, & sic aliquid reciperetur de nouo in voluntate diuina, causante in tempore: vel aliquid se teneret ex parte effectus producti, & in ipso receptum; vt ait Fasolus *quæst*. 25. *artic*. 1. *num*. 119. & tunc non posset dici actio diuina, sed potiùs aliquis effectus à Deo creatus, & causatus per aliam actionem præcedentem; de qua rursum quæreretur; an sit aliquid realiter; vel modaliter, à causa, & effectu distinctum, & inter vtrumque medians; & argueretur vt priùs, procedendo in

27 infinitum. Quare ad euitandum processum in infinitum, dicendum est, in Deo non dari actionem transeuntem formaliter, sed tantùm virtualiter, & similitudinariè, quatenus ad virtutem absolutam diuinæ voluntatis applicitam ad agendum per suum *velle* efficax, sequitur immediatè in tempore effectus. Vnde & creatio passiuè dicit creaturam, cum essentiali dependentia à Deo, quæ est ipsa creatura; vt arguebat S. Bonauent. & cum eo Mastrius *tom*. 1. *disp*. 4. *quæst*. 6. *num*. 126.

28 His ferè argumentis probant, ex D. Bonau. creationem esse actionem immanentem, Zumellus 1. *p. quæst*. 25. *art*. 1. *disputat. vnic. concl*. 5. cum D. Thom. 2. *contra Gentes*, *cap*. 16. *ratione sexta*, Bañes suprà, Capreolus, Ferrar. Vulpes *tom*. 1. *p*. 2. *disputat*. 1. *art. vltim. concl*. 3. Mastrius suprà, & alij etiam Scoristæ de mente Scoti 2. *d*. 1. *q*. 2.

Respondet verò Nazarius primò, actionem Dei essentialiter sumptam, non transire formaliter in effectum ad extrà; ac ideò quoad id, quod ponit formaliter in agente esse, antequam actu producatur effectus ad extrà.

AT verò, vel incidit in nostram sententiam consitens, creationem esse transeuntem solùm virtualiter (quod probabile asserit, *concl*. 6.) vel argumentum Seraphici non soluit, vt patet; quia si est actio transiens, debet transire ad extrà essentialiter; etenim, dicere, actionem transeuntem esse in ipso agente formaliter, vt indicat Nazarius cum D. Thom. & Caietano; est improbabile in philosophia; vt aduertit Tanner. *n*. 13. & communiter Philosophi, ac Theologi apud Galitium 1. *p. Philos. lib*. 1. *tract*. 1. *q*. 12. *n*. 2. Et sanè Philosophus re-

29 clamat illo suo proloquio: *Actus actiuorum esse in patiente* 2. de anima *text*. 139. Idem docet 9. *Metaph. text*. 16. vnde, & colligitur ratio: nam si actio omnis est in agente: ergo omnis actio est immanens, & nulla transiens; de quo latiùs agam *tract*. 5. *d*. 7. *quæst*. 9.

DISTINCTIO autem Fabri *Theor*. 41. quâ conatur respondêre, volens accipi ab Aristot. actionem impropriè; est violenta, vt ostendam *loco citato*.

Respondet secundò Nazarius, naturam actionis transeuntis Metaphysicè, esse, vt transeat in effectum extrà, iuxta modum formæ, quæ est principium operationis. Et ideò in agentibus per voluntatem, non sequitur effectus, nisi secundùm præfinitionem agentis.

CONTRA arguit Zumellus. Non potest percipi esse actio transiens, & non dari extrà terminum eius, & quod agens operetur, & nihil agat, aut producat.

PROBATVR vltimò à D. Bonau. *in* 1. *dist*. 7. *q*. 3. *ad* 2. Si creatio esset actio transiens, agens compleretur ab obiecto; at Deus à nullo completur: ergo. 30

Respondet Faber, actionem transeuntem esse perfectionem agentis ex indigentiâ, qualis non est Deus.

AT hoc est ipsum Seraphici argumentum. Quia enim Deus nullo eget, cùm sit infinitus, non exit ad obiecta.

ASSERO tertiò, creationem habere modum virtualem actionis transeuntis.

PROBATVR primò à D. Bonau. *hic*, *art*. 3. *quæst*. 1. *fund*. 6. Si esset actio merè immanens, esset necessaria, atque adeò æterna, ne in tempore mutari Deus asseratur, ac proinde creaturæ essent æternæ.

PROBATVR secundò à S. Doctore 1. *dist*. 7. *q*. 3. *& vltimâ*. In hoc differunt emanationes diuinæ à creatione, quòd illæ habent terminum intrà; at creatio extrà, quod conuenit actioni transeunti, ex 9. *Metaph. text*. 16. Hæc sanè est proprietas actionum finitarum; at creatio est actio infinita, vt aduertit S. Bonauent. 2. *d*. 1. *p*. 2. *ad primum*, *quæst. prima*. 31

OMNIA argumenta, quæ probant, creationem non habere aliquid transeuntis; vel è contrà, esse merè transeuntem, probant de actionibus finitis; de quibus Philosophi loquuti sunt.

Responsiones Fabri *d*. 4. *c*. 4. ruunt ex dictis. Supponunt enim, creationem esse relationem illam commentitiam extrinsecùs aduenientem.

QVÆSTIO III.

Quid sit creatio passiuè sumpta.

SS. DD. vt supra.

PRIMA opinio celebris est, creationem passiuè, esse relationem dependentiæ Creaturæ à Creatore. Ità D. Thom. *q*. 45. *art*. 3. *in corpore*, & *ad* 1. quem sequuntur discipuli nonnulli, vt Caietanus, Bañes, Zumellus *q*. 61. *art*. 3. Capreolus 2. *d*. 1. *q*. 2. Ferrar. 2. *contra Gent*. *c*. 18. Richard. *in* 2. *d*. 1. *art*. 1. *q*. 2. & 3. Durand. *q*. 2. *num*. 19. Gregor. Arim. *ea dist*. *q*. 6. *concl*. 2. & 3. Scotus *q*. 5. ac Valentia *disp*. 3. *q*. 2. *punct*. 5. parum videtur abscedere. Eam verò sustinet Vasq. *disp*. 173.

SECVNDA sententia est, creationem quidem non esse propriè motum, vel mutationem, vt cum D. Thom. suprà fatentur alij; esse tamen in creaturâ modum quemdam, absolutum modaliter distinctum à creatura, cum respectu ad Deum creantem, quo creaturæ, à Deo manant, quique habeat veram rationem dependentiæ. Ità post Ægidium, Ochamum, Gabrielem, Argentinam, Aureolum, docent Molina *q*. 45. *art*. 3. Suarez *disp*. 20. *Metaph. sect*. 25. Tanner. *disp*. 6. *q*. 1. *dub*. 1. *num*. 11. Fauet D. Thom. 1. *d*. 40. *art*. 1. *ad* 1. Valentia *loco cit*. & ex parte Nazarius *q*. 45. *art*. 1. *controu*. 2. *conclusione* 5. 32

SENTENTIA D. Bonau. est, creationem passiuam non esse mutationem quidem Aristotelicam, quæ exigit, vt subiectum sub vtroque termino sit; sed aliter in termino *à Quo*; aliter in termino *ad Quem*, iuxta Aristot. 6. *Phys. text*. 32. & 73. 33

Hæc enim est ratio mutationum tantùm naturalium; vt aduertit S. Doctor *dist*. 1. *art*. 3. *q*. 1. *ad* 2. attamen creatio dicit passiuè mutationem aliquam, veramque passionem, provt dicit esse receptum,

non distinctum formaliter à creatura, estque veluti quid concreatum: (ita docet *q.2.in corpore*) dicere autem dependentiam essentialem à Deo, ait: Vide Matthæum Ferchium *tom.1.de Angel.q.20.& 25.*

34 Assero primò, creationem passiuè dicere aliquam mutationem creaturæ, non ratione subiecti, quod in mutatione naturali semper adest, aliter se habens in termino *à Quo*; & aliter in termino *ad Quem*; at in termino *à Quo*, creationis nihil est: est igitur mutatio ratione termini, quia creatio dicit productionem entis, quod respicit Deum, *à Quo*, de non esse, deductum est ad esse, & respicit illud nihil, ex quo deductum est.

35 Probatvr à D. Bonau. *q.1.art.3.*primò. Non minùs deest subiectum in transitu creaturæ per annihilationem ab esse ad non esse, quàm in transitu per creationem de non ad esse; at transitus creaturæ ab esse ad non esse, est mutatio: ergo & transitus à non esse ad esse. Maior probatur: nam sicuti in transitu creaturæ ad esse, deest subiectum in termino *à Quo*; ita in transitu ad non esse, deest subiectum in termino *ad Quem*, qui est principalior. Mi-
36 nor probatur ex D. August. 12. de Ciuit.c.1. *Omnia quæcumque creata sunt* (ait) *mutabilia sunt, quia de nihilo facta sunt.* Clariùs *epist.56.* vbi ait: *Ideò Deum summè esse, quia summa immutabilitate stans nunquam proficit vel deficit, sibi autem* (idest creaturæ) *illam commutationem expedire, qua proficit, vt perfectè illi cohæreat, eam verò mutationem, quæ in defectu est, esse vitiosam, omnem autem defectum ad interitum vergere: quò vtrum aliqua res perueniat, tametsi non appareat, tamen apparere omnibus eò ducere interitum, vt non sit, quod erat: Vnde colligitur non ob aliud res deficere, nisi quod ex nihilo facta sunt.* Ibi S. Augustinus clarè per antithesim ostendit, Deum esse immutabilem; at creaturam mutabilem, quia ex nihilo facta, potest ad nihilum tendere.

37 Confirmatvr à Seraphico ex Damasceno, *lib.1. de fide, c.3.* vbi ait: *Omne quod à versione incipit, ad versionem tendit*, vbi creationem, & annihilationem appellat versiones, seu mutationes.

Probatvr secundò à D. Bonau. Omnis actio in aliquid, est motus, vel mutatio; sed creatio est actio Dei in creaturam producendam: ergo. Maior probatur ex Arist. *3.Phys.c.1.& 2.* vbi ait: *Actio, & passio est motus.* Et 2.Moral.cap.5. ait: *Actio verò est motus.*

Falsvm est autem, quod respondet Faber *Theor.41.* ibi intelligi actionem pro re acta, non pro vera actione, & passione, quam Scotus asserit esse relationem extrinsecam. Nam motus non dicit rem actam, sed actum mobilis, seu actum existentis in potentia, prout in potentia. Relationes verò illæ extrinsecùs venientes, sunt apud Aristotelem nouæ; vt dixi *quæst.2.*

38 Probatvr tertiò à S.Doctore *fundam.4.* Quò magis termini distant, eò est maior ab vno ad alterum mutatio. Ideò enim Aristoteles sæpè docet, maiorem esse mutationem substantialem, quæ ab eo dicitur: *De non subiecto in subiectum, vel de subiecto in non subiectum*; quam accidentalem, quæ vocatur: *De subiecto in subiectum.* Cùm igitur termini creationis sint ens, & non ens, quæ maximè distant, sequitur maximam interuenire mutationem; vt arguit Seraphicus, *fundam.5.*

Probatvr quartò, *fundam.vlt.* Si creatio dicit actionem absque mutatione: ergo independenter ab omni tempore, & talia insunt Deo ab æterno: ergo Deus produxit res ab æterno. Eadem refricat Seraphicus Doctor *in corpore.*

Assero secundò, creationem passiuè dicere aliquid absolutum receptum in creatura. 39

Probatvr à D. Bonau. *q.1.fundam.2.* actio transiens est influxus absolutus receptus in passo, tanquam in subiecto; sed creatio est actio virtualiter transiens: ergo. Maior probatur ex Aristotele *3. Phys.* suprà allegato.

Confirmatur: nam apud Aristotelem actio non est relatio, sed prædicamentum distinctum subsequens. Minor probatur ex 1.Ioan. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et ex Concilio Niceno: *Confitemur Deum, factorem cœli.* Factio autem est actio eminenter transiens.

Respondet Faber *in 2. loco cit.* quòd actio ibi sumitur pro re acta, non pro actione, & forma quidem producta recipitur in passo, non autem actio.

Contra: motus distinguitur realiter à termino, idest ab ipsa re acta, quæ est forma per te, *Theor. 45.* Et verè; vt docet etiam D.Bonau. *1.dist.9.q.vlt. & in 2. dist. 1.p.1.q. vlt.* aut saltem formaliter; vt concedunt Scotistæ, & Suarez in Metaph. *disp.49. sect.2.* Colleg. *3. Phys.cap.2.q.3.* & alij. Ratio verò est, quia motus se habet vt via, & medium; forma verò producta, & acta, vt finis, & terminus, ac bonum per se appetendum. Hinc Aristotel. *5. Metaph. cap.10.* & *lib.11.summa 4. cap.3.* negat, calefactionem esse calorem. Confirmatur, quia signum distinctionis realis est, quando vnum potest manere sine altero, ex Scoto *in 2.d.1.quæst.5.* & *in 3.d.8.q.1.* & *quodl. 3. art.3.* nullum enim indicium habemus distinctionis realis inter duas res, quas implicat separari; vt notat Vasquez *n. 7.* at terminus manet, desinente motu: ergo. 40

Respondet Aresius *1.de Gener.disp.de actione, q.27.sect.5.* perire motum remanente termino: quia de ratione motus, est non solùm terminus *ad quem*; sed etiam terminus *à Quo*, & subiectum; & consequentur ad illius desitionem sufficere, si desit terminus *à Quo*, vel idem subiectum, *in Quo.* 41

Contrà, quia sequeretur, motum esse idem cum subiecto, & termino *à Quo.*

Respondet Aresius, quòd aliqua ratione potest dici esse magis idem cum subiecto, quia non est calor, qui mouetur, sed subiectum, quod à frigore transit ad calorem. Contra: motus est magis idem cum subiecto, quàm cum termino per te: sed à subiecto differt realiter, vt tu fateris: ergo & à termino.

Respondet Peterius *lib.13.cap.2. & 10.* formam actam stare, vt est permanens; non quando, aut quatenus fluens.

Contra: nam forma producitur per suos gradus permanentes, quòd enim fluere videatur, quatenus nouus gradus aduenit, nihil refert; sufficit quòd quilibet gradus productus non fluat cum motu, sed producatur permanens; maximè verò hoc apparet in forma substantiali, quæ in instanti habet esse per mutationem subiecti; non per aliquem fluxum formæ. 42

Probatvr secundò Maior principalis: si motus localis non differret realiter à terminis; sequeretur nullum discrimen esse inter motum, quo mobile pertransit ab vno termino ad alium; & motum, quo termini ipsi subiecto; alioqui immobili permanente sibi succedunt. Ita erit idem, hominem transire à loco A, ad locum B, & interuariari locum A, B, immobili permanente homine, sicut variatur aër circa turrim. Consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatur sequens, quia vtrobique est successio inter ipsos terminos in eodem subiecto. Si ergo motus præter hanc 43

successionem

successionem nihil significat in ipso mobili, nil refert, quod ipsum subiectum moueatur ad terminum; vel terminus ipse in mobili varietur. Absurditas autem consequentis patet; quia in priori euentu homo ipse moueri: nam calefit, & alias paritur alterationes; in secundo autem nequaquam; non enim mutatur turris, dum aër circa ipsam variatur.

44 Tandem per motum producitur terminus: ergo differunt realiter, nihil enim producit seipsum. Vnde arguit S. August. *in primum Ioan.* Verbum non esse factum, quia esset factum per seipsum: *Omnia enim per ipsum facta sunt.* Hæc ratio infrà refricabitur.

Stat igitur maior illa. Motus distinguitur re à termino, seu forma, quæ est res acta. Tunc sic; sed actio, & passio est, motus ex Aristot. 3. *Physs. c.1.& 2.* & 2. *Moral.c.5.* Ergo actio, & passio differunt à forma, seu re acta secundùm Aristotelem: ergo altera cum altera non confunditur. Porrò distinctionem motus realem modalem à termino, ostendam *tract.5.disp.10.q.3.*

45 Addit secundò Fauentinus, quòd neque creatio pro re acta est forma absoluta media, vt aduersarij prætendunt; quia in creatione productum non mediat inter creantem, & rem creatam, sed est res ipsa creata. Et ideò ex hac authoritate non habetur, quòd creatio actiuè sit influxus absolutus medians inter Deum, & creaturam; vt aduersarij vellent.

At non dicimus nos, creationem esse mediam inter Deum, & creaturam. Imò D.Bonau. *art.3.q.2.* oppositum sustinet, nempè non esse quid medium, vt vidimus *quæst.2.* Ex quo validum eruit argumentum. Creatio passiuè sumpta pro re acta, non est quid medium inter creantem, & creaturam; sed est ipsa formaliter creatura per se; at creatura non est mera relatio, & multò minùs extrinsecùs adueniens: ergo est aliquid absolutum. Minor probatur à Seraphico; nam creatio passiuè dicit esse, ac substantiam creaturæ; esto cum dependentiâ à Deo.

46 Respondet Vasquez, illum influxum in creatura receptum nil afferre, quàm relationem realem creaturæ ad Deum, atque eodem modo philosophandum de creatione, atque emanatione personarum: nam sicuti in hac, origo præintelligitur personæ, & deinde relatio, & persona, quæ per relationem constituitur, licèt in re sint idem relatio, & origo; sic, & in creatione priùs intelligimus creaturam, quasi *in fieri*, & hæc est creatio respectu Dei, & passio respectu creaturæ productæ; deinde intelligimus ipsam rem productam, & tandem relationem productæ creaturæ *in facto esse*. Hic autem est ordo rationis.

47 Hoc effugium præclusit S.Bonau. *q.1. ad vlt. & fundamento 2. & vlt.* alio enim longè diuerso modo philosophandum de emanationibus ad intrà, quàm de productione ad extrà creaturarum, vt omnes Theologi clamant: nam in productionibus ad intrà, productio actiuè, & passiuè sumpta, est ipsa substantiæ diuinæ communicatio facta ad personam distinctam per solam relationem; quod in Diuinis singulare est; attamen loco productionis rei absolutæ interuenit communicatio ipsius essentiæ, quæ absoluta est, & productio personæ subsistentis in eadem essentia; vnde fit, vt cùm in absolutis non possit esse distinctio, sed solùm in relatiuis oppositis, nempè producente, & producta persona; nil mirum, si totum, quod passiuè est productio, sit relatio, & in fieri, & in facto esse; at in casu nostro producitur creatura extrà realiter distincta in naturâ, per nouam contingentem productionem. Itaque producitur substantia absoluta per actionem, seu productionem, quæ potest non esse, & secundùm quam res transit de non esse ad esse, per mutationem termini temporalem, ex nihilo obtinens esse post non esse: è regione verò se habet generatio Filij, & spiratio Spiritus sancti, vt constat. Vide D.Bonau. etiam *in corpore.*

Probatvr secundò à D.Bonau. *q.1.in corpore.* 48
Omnis relatio realis habet reale fundamentum ex assignatis, ab Aristot. 5. *Metaph.cap.15.* sed hoc fundamentum est influxus Dei receptus in creatura: ergo. Minor probatur; quia hæc relatio est dependentia essentialis effectûs à causa.

Respondet Vasquez, non omnem relationem realem differre à fundamento; neque ideò esse realem, quia differt à fundamento; sed quia vnum per eam realiter refertur ad aliud, quod in Diuinis emanationibus apparet.

Contra, quia Aristoteles *loc.cit.* venatur diuersitatem relationum ab iis rebus, quæ apud Philosophos dicuntur fundamenta, vt concedit etiam Vasquez, ratio autem distinctionis debet aliquo modo differre à re distinctâ; esto non differat realiter realiter. Quod autem dicit Vasquez, relationem interdum non distingui realiter à substantia, vel potentia, quibus innititur, quando scilicet non potest ab eis separari, non est efficax pro ipso: sufficit enim distingui formaliter inadæquatè, ex quo posteà sequitur, non posse separari realiter, neque verò inseparabilitas est ratio, sed signum indistinctionis realis: Quòd verò aliquo modo differant probatur; quia sunt diuersa prædicamenta; prædicamenta autem sunt entia distincta ad minimum aliqua realitate; alioqui inanis esset diuisio entis in decem prædicamenta secundùm totum genus; si aliqua confunderentur, v. g. relatio cum substantia: in nostro verò casu, relatio creationis, quæ est relatio effectus ad causam etiam apud Scotum, cum creatura esset vna realitas. 49

Respondet Faber *n.14.* non esse necesse, vt relatio creationis habeat aliud fundamentum proximum in quo fundetur, sed sufficere creaturam, quæ realiter identificatur cum passiua creatione. 50

Contra: nam si relatio creaturæ est ipsa creatura producta: ergo habet aliquid absolutum, nempè substantiam, seu esse substantiale.

Respondet Faber negando consequens, quia neque generatio, qua Pater gignit Filium, est aliqua forma absoluta, quæ sit fundamentum relationis filiationis; sufficit enim, quòd Filius realiter sit productus: Attamen hoc non est ad rem; nam vt aduertit D. Bonau. *locis adductis pro primo argumento*, non est eadem ratio de generatione æterna, & creatione. Ratio enim, cur non detur in Personis diuinis distinctio relationis à fundamento, est diuina simplicitas, quæ non inuenitur in creaturâ. Ideò diuersa inter nos statuunt prædicamenta impermixta, quorum alterum non venit ad alterum componendum, aut perficiendum in ratione prædicamenti. 51

Respondet Faber, creationem passiuam esse relationem realem intrinsecus aduenientem: & ideò esse de prædicamento relationis propriè.

Contra: ergo remanet illam esse distinctam à substantia creaturæ; sed per te creatio passiua est substantia creaturæ: ergo differt à creationis relatione.

52 PROBATVR tertiò à D. Bonau. *quæst.* 2. *in corpore.* Ea, quæ se habent vt prius, & posterius, non sunt omninò idem: Sed relatio ad Deum est respectus sequens ex creatione, quæ sanè præcedit creaturas relatas. Si ergo creatio est prior creatura relata (est enim eius fieri) multò magis erit prior ipsa relatione consequente.

RESPONDET Faber, nos supponere falsum, quòd Deus creet mediante creatione: creat enim immediatè per se ipsum.

53 AT fugam præcludit S. Doctor *q.* 1. *fundam.* 2. Quamuis enim actio creationis non dicat aliquod accidens distinctum; quia actio Dei est substantia ipsius Dei; attamen recipitur in creatura ad modum creaturæ, quæ mutationem patitur. Neque mihi ampliùs obstrepant, conantes inducere adæquatam prope modum comparationem inter producentes, & productas personas diuinas, & inter Deum creantem, & creaturam: altior enim est cælo hæc dissimilitudo.

54 OBIICIVNT primò contra primum assertum Scotus, Faber, Valentia, Vasq. & alij: mutari est aliter se habere nunc, & priùs; ex Aristotele 5. *Physs. text.* 7. sed quod creatur, non se habet aliter nunc, & priùs, cùm priùs nullum esse haberet: ergo. Maior probatur, quia oppositorum eadem est ratio: at immutabile, quod opponitur mutabili, est quod se habet semper eodem modo: ergo mutabile est, quod non semper eodem modo se habet.

55 RESPONDET D. Bonau. *q.* 1. *ad* 2. eam non esse generalem rationem mutationis; sed solius mutationis naturalis; vnde negatur maior. Ad probationem respondet *in corpore*, dari aliquam in terminis mutationem, quantum necesse est ad oppositionem sartamtectam seruandam. Nam sicuti immutabile est, quod non potest variari, vel mutari; ita mutabile, quod potest mutari, & aliter se habere, aut à suo esse deficere. Sicuti autem oppositio est positiua, ita verificatur inter mutabile existens, & immutabile; non autem inter mutabile, non adhuc productum; quod per creationem quidem mutatur in terminis à negatione ad positionem; atque adeò non adhuc est subiectum mutationis, neque mutatur mutatione Aristotelicâ, & propriâ; vt ingenuè fatetur S. Doctor, qui ideò infert, esse errorem in consequenti, dum arguis ex natura oppositi positiui ad priuatiuum, & eodem modo prætenditur oppositio in vtroque extremo.

56 OBIICIVNT secundò, omnis motus, & mutatio est perfectio entis in potentia. Sed creatio nullo modo est perfectio talis entis: ergo. Maior est Aristotelis 2. *Physs. text.* 6. Minor est Magistri *in* 2. *dist.* 1. Præterea mutatio fundatur super aliquod subiectum mobile, ex Aristot. 8. *Physs. text.* 4. at creatio non supponit aliquod subiectum mobile, cùm ex nihilo fit: ergo. Confirmatur; quia ex Aristot. 5. *Physs. text.* 7. Omnis motus, & mutatio est ad formam. Et idem habet D. August. sed creatio est ad materiam: ergo.

RESPONDET D. Bonau. *ad* 3. hæc sequi de mutatione naturali; at creatio est mutatio supernaturalis ad totam substantiam.

57 OBIICIVNT tertiò, eâdem potentiâ Deus creat, quâ generat; sed generat sine mutatione generantis, vel geniti, absque nouo absoluto, sed addita sola relatione: ergo.

RESPONDET S. Doctor negando penitùs similitudinem, quamuis enim vtraque productio sit ab eadem potentiâ reali; tamen creatio est productio rei ex nihilo; sed (*ex*) non potest dicere identitatem, vel causalitatem; sed ordinem tantùm: & ita habere *esse* ex nihilo, est habere *esse* post *non esse*. Et sic debet aliqua ratione se habere alio modo nunc, & priùs; cùm priùs esset in sola potentia obedientiali Dei, & postea in esse actu extrà. At Filius est de Patris substantia per identitatem, & non habet ordinem ad non esse; & ideò absque sui mutatione producitur, sicut & absque principio.

OBIICIVNT Scotus, Fauentinus, & alij contra secundum assertum. Si creatio esset forma absoluta, sequeretur, quòd ad actionem esset actio. Consequens est falsum: ergo. Falsitas consequentis patet; quia est contra Aristotelem 5. *Physs. text.* 13. & inde, vbi probat ad actionem non esse actionem; quia daretur processus in infinitum; si enim actio fieret per aliam actionem, & hæc fieret per aliam, & sic in infinitum. Sequela vero probatur, quia si creatio est forma absoluta: ergo est producta; alioqui esset Deus. 58

Responderat iam D. Bonauent. *q.* 2. *argum.* 5. creationem egredi, vt quid creaturæ immediatè à Deo. Quare sicut vnitas, quæ facit subiectum vnum, non est alia vnitate vna; sic neque Creatio, qua substantia creatur.

OBIICIVNT secundò. Si creatio est actio absoluta, vel est in agente, vel in passo. Si in agente: ergo agens agendo patitur, seu mutatur priusquàm agat in passum, hoc autem est contra rationem agentis, cuius est agere, non autem pati. Sequela probatur, quia non potest mutare passum, nisi mediante actione: ergo si actio est forma absoluta, agens primò eam recipit, & sic mutatur ad illam formam. Si autem est in passo; sequitur illud mutari priùs actione, & posteà formâ, ad quam ab agente promouetur, hoc autem est absonum. 59

RESPONDET D. Bonau. *in* 2. *dist.* 38. *q. vlt. ad* 2. quem sequuntur Suarez *disp.* 48. *Metaph. sect.* 4. Ruuius *q.* 4. *secundi de anima*, actionem, atque adeò etiam creationem esse in agente, vt *à Quo*; & in passo, vt *in Quo*. Ad instantiam respondet S. Doctor *hic*, *art.* 3. *q.* 1. *fundam.* 2. *& q.* 2. *in corpore*, non esse duas mutationes in passo; sed per creationem in aliquo priori naturæ intelligi mutatum; attamen mutari ad formam per creationem, vt *Quo*, & per formam, vt *Quod* recipitur: est autem prior creatio, atque adeò priùs est creari; deinde sequitur creatura secundùm naturam. 60

IN sententia verò Scoti apud Fabrum *Theor.* 41. docentis, actionem esse in agente; sequitur, quod agens sit prius, & posterius ipsa actione: prius quidem, quia producit actionem: posterius verò, quia secundùm ipsum agens est formaliter agens per actionem ipsi inhærentem.

RESPONDET Faber, agens esse prius actione, idest operatione; non autem actione vera, quæ insurgit extrinsecùs in ipso agente, dum se accingit.

CONTRA: ergo est agens actu, antequam actu agat. De his tract. 5. disp. mox indicanda.

ADDO, quod si actio est relatio, erit simpliciter posterior. Actionem verò non esse respectum, ostendi *quæst. præcedenti.*

ALIQVA verò argumenta Scoti, & Fabri ostendunt, actionem quidem esse ab agente; non verò in agente. De quo subtilissimè P. Galitius 1. *p. Phil. lib.* 3. *tract.* 1. *q.* 12. *& nos infrà, tract.* 5 *disp.* 7. *q.* 9.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An RELATIO *creaturæ ad Creatorem sit prædicamentalis, vel transcendentalis.*

D.Bonau.d.1. art.3.q.2. D.Thom.loc. citato.

QVÆRITVR; an relatio, quâ creatura refertur ad Creatorem, sit transcendentalis, quæ nihil aliud est, quàm creaturæ dependentia essentialis: an verò sit accidens à creatura realiter distinctum, & de prædicamento relationis.

PRIMA opinio est, eam relationem esse de prædicamento *ad aliquid.* Ita Capreol. *in 2.d.1.q.2.* Ferrar.2.*contra Gent. c.*18. Caiet.*hîc q.*45. *art.*3. ex doctrina D.Thom.*q.*3.*de potentia*, *art.*3. *ad* 3. Valentia *disp.*3.*q.*2.*p.*1. Tanner.*disp.*6.*q.*1.*dub.*1.

61 SECVNDA sententia est, eam esse transcendentalem. Ita D.Bonau.*hîc,& 4.serm.Hexaëmer.*Scotus 2.*d.*1.*quæst.*4. *&* 5. cum suis. Vasquez *disp.*173. *cap.*3.

NAZARIVS verò *q.*45. *art.*3. *controu.*2. *concl.*4. ait, creaturam duplici relatione referri ad Deum, transcendentali, & prædicamentali, & hanc in priori esse fundatam.

ASSERO eam relationem esse transcendentalem, non verò prædicamentalem.

PROBATVR à D.Bonau.*in fine corporis*. Id quod essentiale est alicui substantiæ, est substantia, non accidens: relatio creaturæ ad Deum,est ei essentialis, & inseparabilis: ergo. Hoc argumento vtuntur Scotus, Vasquez, & alij.

RESPONDENT Caietanus, & alij, relationem hanc, tametsi realiter distinctam, habere connexionem inseparabilem cum creatura; sicuti risibilitas non potest separari ab homine, licèt ab homine distinguatur.

62 CONTRA tamen, quia non habemus maius signum indistinctionis, quàm inseparabilitatem per quamcunque potentiam. Risibilitas verò, quæ distinguitur ab homine, potest à Deo separari.

RESPONDET Valentia, relationem illam posse per Dei potentiam separari, tametsi nequeat separari fundamentum, nempè dependentia.

AT quis non videt, admissâ essentiali dependentiâ, admitti relationem? dependentia enim est relatiua; vt notat D.Bonau.*in corpore*.

63 PROBATVR secundò à Seraphico. Id quod dicit intrinsecè substantiam est prius omni accidente, & consequenter non est accidens. Sed dependentia creaturæ est de intrinseco substantiæ creaturæ, alioqui non esset creatura: ergo. Sed dependentia est intrinsecè relatiua: ergo. Per hoc subsumptum, ruit Valentiæ responsio, vt suprà. Hoc argumento vtitur Scotus.

PROBATVR tertiò à Scoto. Si relatio creaturæ est res distincta à creatura, procedemus in infinitum, cùm enim illa relatio debeat esse creatura à Deo pendens; similiter fundaret aliam relationem ad Deum, & sic in infinitum.

64 HÆC ratio sumpta est ex D. Bonau. *argum.*5. *ad oppositum*. Cui responder, non concludere; ait autem relationem istam concreari, quippè est ipsa dependentia, quâ refertur creatura; vnde sicut vnitas, quæ facit subiectum vnum, non est aliâ vnitate vna; ita creatio, quâ creatura exit in esse, non exit aliâ creatione, neque relatio per aliam relationem refertur; sed sistitur in primâ: nam illa relatio seipsa respicit Deum, cùm sit ipsa relatio ad Deum. Sic resoluitur etiam à Valentia.

QVÆSTIO V.

An CREATIO *sit à Deo efficiente.*

D.Bonau.in 2. dist.1. q.1.& art.2.q.1. D.Thom.q.1.

ATHEISTÆ mundum esse à seipso, æternum iurant: eos refellit Bouerius *dem.*1.

Paganorum multitudo cæcutiens in tot dicteria impinxit, vt paginæ ipsæ, & atramenta in eis referendis erubescant. Eorum insanias, simulque hæreticorum, hac in re passim refellit Seraphicus Doctor.

Aliqui dixêre, mundum non à Deo, sed ab Angelis conditum; Angelos verò à Deo ex meretrice genitos: eos refert D. Irenæus, *lib.*1. *aduersus hæres. cap.*20. D.Bonauent. 2.*part. Breuil.cap.*1. & *in* 2. *d.*1.*dub.*2. *litt.* Inter eos fuit Simon Magus, & eius discipulus Mænander. 65

Alij dixêre, Deum produxisse primam intelligentiam; hanc verò erupisse ad producendam secundam cum orbe sibi demandato, & secundam ad producendam tertiam, & sic de aliis vsque ad orbem Lunæ cum eius intelligentiâ, à qua per irradiationem productas esse animas rationales, dixit Basilides Mænandri auditor, & alij, quos refert S.Bonau.*in* 2.*d.*1.*art.*2.*q.*2. Valentia *disp* 3. *quæst.*1. *punct.*1. & ante eos Irenæus, *lib.*1.*c.*23.

Alij, duo principia statuêre: alterum rerum spiritualium, quod Deum bonum vocabant; alterum corporalium, quod Deum malum inclamabant. Ita Manichæi apud D.August.*hæresi* 46. & Epiphanium *hæresi* 66. ac D.Bonauent. *in* 2.*dist.*1.*art.*2.*q.*1. Idem sensêre Albigenses apud D. Antonin.3.*p.hist. tit.*19.*c.*1. Reliquos legito apud Valentiam *suprà*, & Vasquez *ad art.*2.*q.*44. 66

Alij verò Pagani dixêre, mundum factum è principiis præexistentibus, materia nempè, & forma; sed formas latuisse in materia antequam intellectus eas distingueret. Ita Anaxagoras apud S. Bonau.*in* 2.*dist.*1.*q.*1.

Alij dixêre, mundum factum ex principiis præexistentibus, sed formas separatas à materia. Ita Platonici aliqui: sic Platonem criminatur Aristoteles 1.*Metaph.text.*32. & 7.*Metaph.text.*28. Auer. 1.*Metaph.com.*45. & 7. *Metaph. com.*22. Enim verò D.Augustinus *lib.*83.*qq. quæst.*46. & *lib.*7. *de ciuit. c.*28.explicat Platonem loquutum de ideis in mente conditoris; vt refert D.Bonau. *dist.*1.*q.*1. 67

Alij dixêre, mundum quidem factum, non ex principiis præexistentibus, ab æterno. Sic Aristot. *lib.*2. *de Plantis*, vbi ait: *Mundus semper fuit plantis, & animalibus plenus.* An verò posuerit materiam de nihilo, subdit Seraphicus, se arbitrari Aristotelem tanto lumine non fuisse perfusum.

GABRIEL Biel *in* 4. *dist.*1. *quæst.*1. dixit, nil à causis secundis nunc produci, sed à solo Deo; & ita ad præsentiam ignis producere ignem è ligno.

DVRANDVS è regione in 2. *d.*1. *quæst.*5. dixit, Deum

Deum solùm, mediatè, esse causam rerum, quæ nunc producuntur, quatenus ab initio dedit causis virtutem.

Assero primò, mundum non ab Angelis, sed à Deo fuisse productum.

68 Probatur primò à Seraphico, locis contra hunc errorem allegatis, & *in 2. dist. 1. q. 1.* è Scripturis, quarum aliquas recenset, alias innuit.

Primus locus est Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Ergo non per Angelos. Id legit coætaneus Moysi Trimeg. cum aliis, & credidit; vt dixi *tract. 1. d. 1. q. 5.*

Secundus est Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Ibi Deum alloquitur.

Tertius est Sap. 11. *Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti.*

Quartus locus Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* De quo latè D. Bonau. *in commentario.*

69 Pro rationum soliditate supponit S. Doctor *dist. 1. q. 1.* res habere principium aliquod. Multitudo enim ortum habet ab vnitate, & mutabile ab immutabili, & ordo rerum ad vnum primum necessariò tendit; & imperfectum reducitur ad perfectum.

Arguit ergo ad probandum hoc principium esse Deum.

Primò. Quantò agens est prius, & perfectius; tantò magis influit ad effectus: ergo primum, & perfectissimum principium influit in totum; sed Deus est tale agens: ergo. Maior probatur: Nam quod est prius, & perfectius, plus habet de entitate, & virtute, perfectiúsque agit. Ergo agens perfectissimum, quod est ens per se, tale est, vt cætera ab eo entitatem participent, perfectissimo modo agendi. Ideò Aristot. 2. *Metaph. text* 4. docet: Illud quod maximè ens est, & maximè verum ac bonum, esse causam omnis entis modo perfectissimo. Hæc ratio est etiam D. Thomæ *q. 44. art. 1.* si attentè legatur; atque adeò probat, Deum agere immediatè, qui est perfectissimus agendi modus; vt dicam rursus *n* 88. Non enim Doctor Angelicus assumit medium terminum ex eo præcisè, quòd Deus est primum ens, vt malè ait Vasquez *disp. 171. cap. 2.* & Valentia *loco citato.*

70 Secundò. Quantò nobilius, & perfectius est agens, tantò perfectius agit indigens paucioribus. Sed Deus est infinitè perfectus: ergo nullo subiecto indiget, nullo eget auxiliante: ergo omnia producit, sed non ex se; vt dixi *q. 1.* ergo ex nihilo: ergo totum producit.

Tertiò. Omne agens secundùm id, quod operatur, producit: sic agens naturale secundùm formam producit formam. Sed Deus se toto agit, cùm sit omninò simplex: ergo totum ens producit. Hanc rationem hinc sumpsit Scotus; vt dicam *q. 6.*

Quartò. Quod non est ab alio, est à seipso nullius indigens. Sed prima rerum principia intrinseca egent alio: nam materia, quæ est prima entitas naturalis, eget formâ, & forma materiâ: ergo ab alio primo principio vtraque est. Tale autem non potest esse agens naturale, tum quia eget materiâ, vt subiecto ad agendum; tum quia sustentatur materiâ: ergo.

71 Quintò. Efficiens, & finis sunt causæ correlatiuæ, ex Aristot. 2. *Phys. text. 22. & 23.* ergo quod non est ab alio, non est ad aliud. Sed omnia sunt ad aliud, nam omnia appetunt bonum, & non sistitur, nisi in summo bono: ergo. Confirmatur. Ens, & bonum conuertuntur: ergo quod est seipso ens, est seipso bonum, & è conuerso; sed quod est seipso bonum, non est propter aliud: ergo quod non est ab alio, non est propter aliud, & consequenter erit summum bonum. Si ergo materia, vel forma non est ab alio: ergo est summum bonum. Hoc autem esse falsum, constat; nam materia est propter formam, & vtraque propter compositum. Hanc rationem vsurpat Vasquez, eamque optimam acclamat, & conuincentem: sic *art. 2. q. 44. D. Thom.*

Sextò. Si res non sunt totaliter ab alio, vel hoc est ratione materiæ, vel ratione formæ. Si ratione formæ: contrà, quia videmus formas produci. Si ratione materiæ: contrà etiam, quia actus est ante potentiam passiuam, ex Aristot. 9 *Metaph. text. 19.* ergo cum actus rei sit ab alio, similiter & materia ab alio esse, necesse est.

Assero secundò, Deum solum, non autem cum intelligentiâ aliquâ, aut Deo alio malo simul, esse principium omnium rerum. 72

Probatur à Seraphico Doctore *art. 2. q. 1.* ex professo.

Primò ex illo Ioan. *Omnia per ipsum facta sunt. Mundus per ipsum factus est.* Mundus autem includit etiam corporea. Hic verò, de quo loquitur, est bonus Deus; nam dicit: *Deus erat Verbum. Quod factum est in ipso vita erat. Lux vera, &c.* Quod multi Philosophi legentes asseruère, ab vno omnia fieri.

Secundò ex illo Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Et quidem supponitur iustè data à Deo bono: ergo hic habet omnem potestatem ad omnia producenda.

Tertiò. Idem est Conditor mundi, qui dedit legem, *Act. 13.* Sed hic est Deus bonus: ergo.

Aduerte, Seraphicum non inferre absolutè ex dominio creationem, vt indicat *ad* 1. alioqui inferretur Lvdovicvs XIV. est Rex Franciæ: ergo condidit Gallias; sed arguit: Si Filius à Patre omnem habet potestatem in cœlo, & in terra: ergo & potestatem habet creandi, annihilandi, &c. Similiter cùm inducit Legislatorem veteris Testamenti esse Creatorem, hoc deducit ex ipso testamento, vbi se Deus Creatorem protestatur, non ex legislatione sola: nam Rex fert leges Regno, quod tamen non creauit.

Quartò. Omne bonum, & pulchrum est à Deo bono. Sed omnia visibilia sunt bona, & pulchra: ergo. Probatur minor. Si essent mala: ergo corruptio eorum esset bona, atque adeò à Deo bono; quia omne bonum est ab ipso. ergo, &c. 73

Quintò. Quæcumque inuicem naturaliter coniunguntur, necesse est coniungi per aliquid, in quo communicant; sed anima, & corpus coniunguntur naturaliter: ergo animæ, per aliquid bonum, corpus vnitur: ergo hæc vnio est aliquid bonum: ergo à Deo bono. Confirmatur. Quæ differunt in principiis primis, in nullo communicant: si ergo anima, & corpus essent à diuersis primis principiis, in nullo communicarent.

Sextò. Isti duo Dij vel bellantur, vel fœdere sunt iuncti. Si bellantur: ergo Deus bonus, cùm sit infinitus, destruxit malũ. Neque dicas fœdere iunctos, quia *bonum contra malum semper*; vt ait Sapiens *Ecclesiastici* 33. Deinde, Deus bonus est pacificus, quietus, beatus, at dæmon inquietus, pacis incapax.

Septimò probatur *in corpore.* Ordo enim destruitur rerum, dum ad vnum primum principium non reducuntur. 74

Octavò sequitur, Diuinam potentiam limitari, dum non habet potestatem in omne ens etiam corporeum, quod profectò est bonum conuertibiliter. Et, si limitata est potentia, erit limitata etiã essentia.

Assero

Assero tertiò. Deum produxisse omnia immediatè. Ita S.Bonau. *art.2.q.2.*

75 Probatvr à S.Doctore, primò ex Psal. 148. *Ipse dixit; & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.*

Secvndo. Ille est Conditor immediatus, ad quem solum tanquam ad finem, omnis res condita tendit. Sed *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, Prou.16. Et in Deuter. & Exodo præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, &c.*

Tertio. Si enim Deus creasset res mediantibus aliis, & non immediatè: ergo & his mediis conseruaret: ergo res non essent ordinatæ ad Deum modo perfecto, neque eo tanquam perfectissimo agente, & influente, vt creaturæ tenentur, egerent; sed ordinarentur ad aliud, quod cùm neque possit esse immediatum, cùm non sit supremum, ipsum per aliud produxisset; & sic in causis efficientibus, & finalibus abibitur in infinitum.

Qvarto. Creatio est productio totius entis; at creatura non potest totum producere, cùm agat secundùm formam tantùm: ergo. Idem habet *in corpore* S. Doctor.

Tandem concludunt id esse de fide assertum.

76 Plvra Scripturarum testimonia afferunt Valentia, *disp.3. quæst.1. punct.1.* & alij, quæ referam. Ex his aliqua in genere asserunt, Deum rerum omnium esse solum productorem. Genes. primo: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, & prosequitur probando eundem Deum singula seipso produxisse, nempè firmamentum cœlorum, luminaria, aues, bestias, pisces singularum specierum. Hunc locum vrget S. Doctor *in 2.dist.1.dub.2.* ponderans dici: *in principio, &c.* nempe ante omnium existentiam Deum immediatè creasse omnia. Ibi enim per Terram intelligitur materia ex qua debebant omnia produci corporea. Ita D. Augustinus *primo de Genes. contra Manichæos*: per cœlum intelligitur natura spiritualis, sic S. Augustinus, *lib.12. Confess. cap.7.* Vel per cœlum, intelligitur cœlum Empyreum; per terram materia. Ita Beda, Alcuinus, Rabbanus, Magister *dist.12.* & Scholastici. Itidem Lyranus, Magister hist. Eccl. Tostat: Catherinus, Abraham Hispanus, & Isaac apud Picum Mirandul. *in Heptaplo, cap.1. secundæ expositionis*, Diodorus Tarsensis Magister D.Chry-

77 sostomi apud Lippomanum *in Catena.* Similia habet Basilius, *homil.2. & 3. in Genes.* Theodoretus *in quæstionibus super Genes. quæst.11. & 14.* Nomine autem terræ explicant materiam. Vel tandem totus modus exprimitur, cuius partes singulares recenset, vt docet Chrysostomus; nec improbatur à D. Augustino *lib.2. contra Manich. c.3.* & *lib.11. de Ciuitate cap.3.* & D. Basil. *homil. 3. in Genes.* ait, esse sententiam à maioribus traditam. Eos modos refert Perer. *lib.1. cap.1.* Martinengus *hic*, post D. Bonau. *in 2. dist.12. dub. 1. litt.* vbi etiam addit sententiam Hugonis, per terram accipientis elementum terræ, quod placuit etiam Basilio, Ambrosio, Theodoreto, Chrysostomo, Bedæ, & cæteris Patribus Græcis, & Latinis, ante D.Augustinum. Per cœlum autem accipit alia elementa superiora. Cùm igitur dicitur, Deum in principio creasse cœlum, & terram, exprimitur mundus immediatè à Deo prodiisse ex non esse ad esse.

78 Idem colligit S. Bonau. *dist. 13. dub.3.* ex illis verbis, quibus exprimitur creatio: *Dixit Deus fiat Lux, & facta est Lux. Dixit Deus fiat firmamentum, &c.* & *dist.14. p.2. dub.1.* idem colligit ex illis verbis: *Congregentur aquæ in locum vnum: & appareat arida.* Vbi adunatio hæc aquarum, & separatio à terræ superficie, & à reliquis elementis, ostendit immediatam Dei actionem.

Acutè idem colligit S. Doctor *dub.2.* ibi ex illis verbis: *Germinet terra herbam virentem.* Hoc sanè fecit ante Solis creationem, qui potuisset credi causa, per quam Deus terræ nascentia produxisset, si priùs fuisset Sol, qui est causa vniuersalis.

Idem colligit *dub.3.* ex illis verbis: *Fiant Luminaria in firmamento cœli*, vbi causæ vniuersales à Deo recepisse formam, & virtutem referuntur. Idem accinit *dub.4.* vbi munera, & officia eis præscripta sunt ad omnes operationes. Idipsum colligit *dist.15. dub.1. & 2. litt.* ex illis verbis: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*, vbi ex materia aquarum dicitur eduxisse omnia animalia, & minutula, vt vermes, quoad formam agentem animæ; Et ideò obseruat *d.2.* dixisse: *Producat terra animam viuentem, iumenta, & reptilia.* 79

Idipsum colligit S.Doctor *primo, dist.2. dub.5.* & *in 3. dist. 16. dub. 1. & 3.* & *dist.19. art.2 q.2.* ex illis verbis: *Faciamus hominem, &c.* quod est alloquium Patris ad alias Personas diuinas. Ideò subditur: *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*; vt obseruat Seraphicus *2. d. 18. q. 1. ad argumenta.* Idem colligit *in eadem dist. q.2.* ex illis verbis. Genes.2. *Compleuit die septimo opus suum, & tulit vnam de costis eius: & ædificauit eam in mulierem*, vbi describitur Deus manus applicans; sicut & cum dicitur ibi: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, &c.* 80

Id colligit S. Doctor *in 2. dist.17. q.3.* inspiratio enim immediata est, & formatio pariter ad modum figuli. Ideò in originali dicitur. Finxit וַיִּיצֶר *Dominus* יְהוָה hominem. Cui alludit *Iob.10.* dicens: *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? pelle, & carnibus vestisti me; ossibus, & neruis compegisti me. Manus tuæ fecerunt me; & plasmauerunt me totum in circuitu*, vt indicat S. Bonau. *serm. primo in Decalogum.* Et ideò dicitur Psalm. 145. *Qui fecit Cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt*, & Act.4. eadem verba iustificantur.

Idem præclarè ostendit S.Doctor *ad 1.Ioan.* ex illis verbis: *Omnia per ipsum facta sunt*, & obseruat comprehendi omnia, ab Angelo ad vermiculum, vsque quæcumque in Genesi condita dicuntur: neque Pater per medium, sed per Filium, cui communicauit esse, & virtutem, & qui immediatè operatus est, omnia creauit, vt dicitur *Psalm.101.* & Heb.1. *Tu in principio terram fundasti; & opera manuum suarum sunt cœli*, & Psalm.103. *Omnia in Sapientia fecisti*, & Rom.11. *Omnia per ipsum, ex ipso, & in ipso sunt omnia*, & Psalm.32. *Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* His, & aliis vrget D.Bonauentura *ibi.* 81

Svnt verò alia testimonia, quæ adeò exactè asseuerant, Deum immediatè producere omnia, vt grauiter percellant Durandum.

Talis est locus Ioan.5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, quem locum confirmat ex D.Augustino *tract.17. in Ioan.* & *ep.146.* cuius verba recitabo: *Quod autem quæris, vtrum sigillatim à Creatore Deo corporum lineamenta formentur: non te mouebit, si quantum potest humana mens, potentiam diuinæ operationis intelligat. Quomodò enim negare poterimus Deum etiam nunc opera cuncta, quæ creantur, cùm Dominus dicat; Pater meus vsque nunc operatur? Vnde illa cessatio septimi diei ab ipsis naturis* 82

cor-

condendis intelligenda est facta, non ab earum administratione, qua condita referuntur. Cùm ergo natura rerum à Creatore administraretur, & per ordines præfinitis locis, & temporibus suis cuncta & nascantur, Deus vsque nunc operatur. Nam, si Deus nunc ista non format, quomodo legitur: Priusquam te formarem in
83 *vtero, noui te. Quomodò etiam accipi potest: quod si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittetur, Deus sic vestit: nisi fortè credendum est, fœnum à Deo vestiri, & à Deo corpora non formari? Cùm enim dixit, VESTIT: non de præterita ordinatione, sed de præsenti operatione, se loqui satis indicat. Vnde est etiam illud Apostoli de seminibus, quod suprà commemoraui: Non, inquit, corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt, puta tritici aut alicuius cæterorum; Deus autem illi dat corpus, quomodo voluerit. Non dixit, dedit, aut disposuit, sed dat: vt Creatorem intelligas efficaciam Sapientiæ suæ rebus, quæ quotidie suis temporibus oriuntur, condendis adhibere. De qua Sapientia dictum est, Pertendit à fine vsque ad finem fortiter: & non dixit. disposuit, sed disponit omnia suauiter.* Eadem ferè verba ex Chrysostomo, *homil.* 17. in Ioannem, recenset D. Bonauentura.

84 OBSERVAT autem S. Doctor argumentum Christi: arguit enim, non violari Sabbathum aliis operibus Dei, dum mouet flumina, nutrit semina, alit animalia, & omnia operatur adhuc Pater secum ad regimen mundi necessarium, atque inde inducit, neque violari Sabbathum à paralytico sanato, ferente lectum. Illud autem argumentum esset inane, si Deus nunc immediatè ea opera non faceret. Eodem neruo id probatur, loco supra allegato *Genes.* 2. cum *Iob.* 10. composito. Et Psalm. 146. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum. Qui operit cælum nubibus: & parat terræ pluuiam. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Ibi obseruat S. Doctor *in Comment. Psalm.* Coruulos derelictos confugere ad Deum crocitando, vt demittat è Cœlis escam. Quod præclarè ostendit Deum immediatè operari.

85 Idem colligitur ex 26. Isaiæ *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*; vt indicat *Seraph.* 4. *p. Breuil. c.* 8.

PRÆCLARVS est etiam locus *Act.* 17. quo vtitur S. Bonau. in primo d. 36. art. 2. q. 1. ad 1. *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Nam ex actionibus Dei, quibus influit vitam, & motum, argumentatur præsentiam eius secundùm suppositum, vt ostendi *tract.* 1. *disp.* 7. *q.* 2. Hoc verò esset inane, si Deus immediatè non operaretur in nobis vitam, &c. Idipsum colligitur è Psalm. 138. *Si ascendero in Cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.* Vbi apertè docet, immediatum Dei concursum ad motum localem. Hæc loca vrgent Moderni contra Durandum, præcipuè Valentia *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 1. Molina 1. *p. disp.* 5. *ad quæst.* 14. *art.* 13.

86 PROBATVR deinde rationibus falsitas opinionis Durandi, quam Theologi erroneam, temerariam, & fatuam proclamant.

PRIMVM argumentum est D. Bonauen. *fund.* 1. Si Deus non esset principium immediatum omnium rerum; sequeretur, Deum non esse finem omnium vltimum; sed hoc est absonum: ergo. Probatur sequela ex dictis *argumento* 5. *pro primo asserto.* Confirmatur, quia si agens, & finis coincidunt; vt ait Aristoteles, 2. *Phys. t.* 22. ergo & agens vltimum, & finis vltimus, atque adeò agens immediatum, & finis immediatus. Debere autem Deum esse finem immediatum, ostendo. Si esset finis mediatus, deberet creatura immediatè terminari ad aliam creaturam, & non referri ad Deum, nisi mediante alia creatura: Deinde sequeretur, actionis malæ non posse esse aliquem finem bonum: ergo mala euenient absque vllo fine, quod derogat Prouidentiæ Dei, vt ostendit D. Augustinus *in Enchir. cap.* 90. & legitur ab Ecclesia, *Dominica Septuagesima.* Probatur sequela. Si Deus haberet finem mediatum malorum (nam immediatus nobis negatus est) non alius esset, quàm intentus à creatura peccante, atque adeò finis illicitus.

SECVNDVM argumentum D. Bonauent. est. Si 87
Deus non concurreret immediatè ad omnia opera, daretur aliqua vilior creatura, non indigens Deo, nec pendens ab illo immediatè: sed hoc est absonum: ergo. Probatur Minor; mirum enim est, Angelum pendere immediatè à Deo, & creaturam viliorem, puta actionem, independenter à Deo immediatè exire in lucem, vt arguit Molina, si enim Deus conseruaret substantiam ignis, & vellet impedire actionem eius, cogeretur pugnaci actione ignem retundere, sicuti Babylone impediuit ignem, ne tres pueros vreret, debuisset resistere igni, quod derogat alto Dei dominio in creaturas, & earum subiectioni.

TERTIVM argumentum Seraphici est. Ad per- 88
fectissimam causam spectat perfectissimus operandi modus. Deus est causa perfectissima prima vniuersalis: ergo perfectissimo agit modo; sed agere immediatum est nobilius: ergo. Confirmatur: nam productio, & conseruatio immediatè sunt à Deo: ergo & actio, & illius creaturæ agentis productio. Quod si Deus non agit immediatè cum igne ad producendum ignem è ligno; sed solùm quatenus dedit ab initio igni agenti actiuitatem, seu virtutem: ergo neque conseruat immediatè. Plus enim est producere ens, quàm conseruare; imò conseruatio est continuata productio. Confirmatur: nam non minùs sufficiens est ignis, verbi gratia, ad seipsum conseruandum, quàm ad alium ignem producendum; sed ex Durando, ignis potest seipso alium procreare: ergo & seipsum per se conseruare. Maior probatur: plus enim potest res intrinsecè ad sui conseruationem, cui summè inclinatur, atque adeò habet appetitum naturalem, & consequenter à natura virtutem appetitui proportionatam.

Confirmatur adhuc; quia cùm conseruatio sit 89
continuatio productionis, insanum est dicere, ignem produci à solo igne; & postea conseruari à solo Deo. Has, & alias rationes è D. Bonau. acutè eiaculatur Galitius noster 1. *p. Phil. lib.* 2. *Tract.* 3. *q.* 1. Ideò Psal. 148. dicitur: *Statuit ea in æternum, & in sæculum*, ea, quæ creata sunt; quia scilicet Deus creaturas omnes immediatè producit, & indicant verba illa. *Ipse dixit & facta sunt, &c.* easque etiam & conseruat, & cum eis agit; vt indicat D. Bonauentura *in corpore.* Hæc tamen prosequar *tract.* 5. *disp.* 7. *quæst.* 2. contra Dolanum.

ASSERO tertiò: non tamen Deum solum omnia operari, vt volebat Gabr. sed multa cum causis secundis. Ità D. Bonau. *in* 2. *dist.* 7. *p.* 2. *q.* 2. D. Thom. 3. *contra Gent. cap.* 69. & 1. *part. quæst.* 105. *art.* 5. & cæteri.

PROBATVR primò à Seraphico è Scripturis, 60
& aliis auctoritatibus, quæ testantur, creaturas habere

habere proprias virtutes, & productiones. Sic Genes. 1. dedit terræ virtutem: *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.* Deinde creatis animalibus præcepit. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Et piscibus: *Replete aquas.* Frustra verò hæc dicerentur, si Deus solus ageret ad eorum præsentiam, neque ipsæ creaturæ producerent. Frustra etiam data esset illis virtus productiua. Deinde Scripturæ passim testantur, causas secundas generare, producere. Sic bruta, plantæ, homines asseruntur generare sibi similes. Ignis comburere, aqua madefacere; & Sol, Luna, & stellæ illuminare, influere. Ideò D. August. 7. *de ciuit. cap.* 30. ait: *Deus sic administrat omnia, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat,* vt obseruat Valentia.

91 Idem docent alij Patres, præcipuè Damascenus *in libris de fide ortod.* & Aristoteles 1. *Phys.* vbi rerum principia tradit, & sequentibus libris. Et *lib.* 1. *de Gener. &* 2. *ac* 6. *Metaph.* vt refert Seraphicus Doctor.

Probatvr secundò à S. Doctore. Corruptio vnius, est alterius generatio, ex Aristot. 1. *de Gener. text* 17. & 2. *Metaph. text.* 10. Nunquam enim pellitur frigus sine introductione caloris: sed agens creatum pellit contrarium: ergo aliud producit.

Probatvr tertiò à Seraphico experientia. Qui enim negat, ignem calefacere, eget trahi ad sentiendum: similiter quis negabit ignem, aut solem lucere? vt arguunt Suarez *disput.* 18. *Metaph. sect.* 1. Molina *loco cit.* Perer. *lib.* 8. *c.* 8. & alij.

92 Respondet Gabriel ex Ochamo; sensu id haberi ad præsentiam ignis, ita calefieri lignum; at verò quòd ignis ipse calefaciat, nos non experiri.

Contra primò, quia occluditur via demonstrandi causas physicas per effectus; vt aduertit Suarez, post D. Bonauent. *fundamento* 1. *& in corpore.*

93 Contra secundò, si sola ignis præsentia exigitur, cur vnum calidum generat remissum calorem; & aliud intensiorem calorem vsque ad inductionem formæ ignis? vt acutè instat P. Galitius cum D. Bonau. *fundamento* 3.

Contra tertiò, quia cùm in scripturis actiones, atque productiones adscribantur creaturis viderentur falsum dicere, & à Deo decipi nos in rerum productione; vt aduertunt Molina, & P. Galitius.

Addo cum P. Galitio, causas vniuersales, in quibus error Gabrielis euidentiùs aspicitur. Cur enim tot effectus à Sole, Luna, stellis? ad cuiusnam præsentiam gignuntur muscæ, formicæ? Omitto actus mutationis, augmentationis, intellectionis, & alia opera, quæ sine fundamento propriis negantur agentibus, cùm sint actus vitales, qui naturaliter, ac necessariò debent esse à principio vitæ.

Obiicies primò, contrà primum assertum. Omnis effectus assimilatur aliquo modo causæ: sed Deus est actus purus; materia est pura potentia: ergo.

94 Respondet S. Doctor *quæst.* 1. materiam factam non propter se; sed propter formam; ideò effectum in composito perfici. Adde materiam habere actum entitatiuum; vt docet D. Bonau. 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. *partis secundæ ad* 3. & *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. & *distinct.* 3. *p.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2. vt latè ostendit P. Galatius 1. *p. Phil. lib.* 1. *tract.* 2. *quæst.* 8. solùm verò actum formalem vbique negat materiæ, vt dicam *tract.* 5. *d.* 1. *quæst.* 12.

Obiicies secundò, materia est informis: ergo non est producta à Deo agente perfectissimo.

Respondet S. Doctor, materiam habere modum, speciem, & ordinem aliquem ex D. Augustino *lib.* 5. *de Genes. ad litt. cap.* 5.

Obiicies primò, contra secundùm assertum. 95 Genes. 1. dicitur: *Faciamus hominem:* Ergo Deus cum Angelis colloquebatur.

Respondet Seraphicus *dist.* 1. *dub.* 2. *litt.* errorem esse id dicere ex Concilio Syrmiensis, qua parte Catholico.

Obiicies secundò, oppositorum opposita est ratio: sed corporalia, & spiritualia sunt opposita: ergo opposita est ratio productionis: ergo si spiritualia à Deo; corporalia sunt ab opposito.

Respondet S. Doctor, maiorem veram esse de principiis intrinsecis formalibus; non de efficientibus; ab eodem enim sole producitur effectus alteri contrarius; alioqui dabitur duplex etiam primum principium caloris, & frigoris, & sic de reliquis.

Obiicies primò, contra tertium assertum. 96 Agens perfectum communicat virtutem agendi: Deus est agens perfectissimum: ergo communicauit creaturis virtutem agendi absque suo alio immediato concursu. Vrget: Si Deus immediatè concurrit, vel per actionem eandem, vel per diuersam. Si primum, cùm non sit eadem virtus vtriusque, neque est eadem actio. Si secundum, cùm actio Dei tangat perfectè totum effectum, iam causa secunda est superflua.

Respondet Valentia, & Galitius ex D. Bonau. diuersa actione produci eundem effectum; neque sunt superfluæ, cùm sint diuersi ordinis, & altera alteri subordinata: & quamuis posset effectus à solo Deo produci; tamen sinit etiam causas secundas secum suos motus agere, & ipse cum eis operatur, quia sic decet ordinem vniuersi, vt causæ particulares agant dependenter ab vniuersali summa. Hæc latè soluam *tract.* 5. *loc. cit.*

Obiicies secundò, ordo agentium pendet ab ordine finium: sed vnius rei nequeunt esse duo fines immediati: ergo. Argumentum est nostrum suprà. 97

Respondetvr, negando Minorem; possunt enim esse plures fines immediati, sed ordine diuersi: sic medecinæ fines immediati sunt sanitas, & Dei gloria: sed hæc latiùs refellam *loco citato.*

Obiicies cum Gabriele citato & Arriaga 1. *de Gener. d.* 2. *quæst.* 20. *sect.* 4. *concl.* 5. Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora: sed Deus se solo potest omnia: ergo.

Respondetvr cum D. Bonau. ex dictis, non esse frustra, creaturas exercere suas actiones; vt ostendit ex D. Augustino, ex Aristotele, & ex Scripturis. Porrò mundum à superno Fabro ostendunt mundi opera, ordo, &c. Vide Bouer. *d.* 1. Glielmum *de Trinitate.*

QVÆSTIO VI.

An VIRTVS *creandi possit communicari creaturæ, vt causæ principali.*

98 IAM vidimus, Deum solùm creasse omnia, atque adeò de lege ordinaria nulli creaturæ virtutem creandi posse communicari, quod enim lege ordinaria statutum est, aliquando fit, vt aduertit Mastrius *infrà*, & Nazarius *ad art.5.q.45. controuers.1.* Iam quæritur; an absoluta potentia possit Deus communicare virtutem creatiuam alicui creaturæ, tanquam causæ principali. Est autem causa principalis ea, quæ virtute sibi intrinsecè formali operatur, siue illa virtus naturalis sit, qualis est in Leone ad gignendum similem, siue supernaturalis qualis est in gratia ad operandum meritoriè; sicuti illa est causa instrumentalis, quæ solâ Physicâ motione, applicatione, vel vsu principalis agentis operatur; de quo erit *quæst.7.* disputandum.

99 PRIMA igitur opinio est Durandi *in 2. d.1. quæst.4.* asserens, posse creaturæ, vt agenti principali, virtutem communicari creatiuam. Idem tuetur Gabriel *ibi, art.2.* quibus adhærent Malonius *disp.1.cap.5.* Arriaga *disp.11. Phys. sect.5. subsect.2.*

SECVNDA sententia est D. Bonauent. *in 2. distinct.1. quæst.4.* & alibi passim, negans, creaturam per aliquam Dei potentiam posse accipere virtutem creandi principalem. Eum sequuntur D. Thom. *quæst.45. art.5.* vbi discipuli, Caietanus, Bañes, Nazarius. Et *2. cont. Gentes, cap.21.* vbi Ferrariensis, Ægid. *quodl.5. quæst.1.* Henric. *quodl.4. quæst. vlt.* Scotus cum suis *in 4. dist.1. quæst.1.* quem sequuntur Bassolis *2. d.1. quæst.2. art.3.* Rada *p.2. controu.2.* Aretinus *4. d.1.* Faber *in 2. disput. 4.* Mastrius *tom. 2. disput.1. quæst.1.* Nominales etiam, Ocham *2. d.1.* Gabr. *quæst.4. art.2.* Varro *in 2. d.1. quæst.6.* sequuntur Recentes, Gregorius de Valentia *prima parte, disput.3. quæst.2. punct. 4.* Molina *quæst. 45. art. 5. dub.1.* Suarez *disp.20. Metaph. sect.3.* Vasquez *disp.175.* Auersa *prima parte, quæst.45. sect.5.* vbi Ruirz, Fasolus, Quied. *controu.13. Phys. p.4.* Morizan. *disp.3. Phys. quæst.18.* Hurtad. *disp.12. Phys. sect.6.* Albertinus *tom.1.q.1. Theol. corol.1.* Lezana *tract.7. disp.1.q.3.* Amicus *tom.2.disp.2.sect.4.* Tanner. *disp.6. q.1.dub.2.* & alij.

100 Ex his quidem plurimi id asserunt; sed dicunt solis auctoritatibus Scripturæ, & Patrum nos, inniti. Ita Varro, Valentia, & alij. Nonnulli dicunt è Scriptura sanè non probari; sed ex Patribus, & quibusdam rationibus tantùm. Ita Vasquez. Alij rationes D. Thomæ inefficaces conclamant. Ita Scotistæ, & plurimi Iesuitarum. Alij rationes D. Thomæ, & D. Bonau. solidissimas acclamant. Ita Dominicani, præsertim Nazar. suprà adductus, Caietanus, Bañes, & è reliquis Tanner. *num.5.* Amicus *num.34.* Fasolus *num.25.*

ASSERO, virtutem creatiuam non posse communicari creaturæ, vt causæ principali.

PROBATVR à D. Bonauent. primò *ad 1. Ioan.* ex illis verbis: *Deus erat Verbum, &c. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Vbi arguit Euangelista diuinitatem Verbi ex creatione omnium rerum, adeò vt nulla res sit creata, quæ non est à Verbo: & affert S. Doctor etiam id Sapient.13. *A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit horum Creator videri*; vt exponit etiam Hugo *de Sacram. lib.1. part.3. cap.28.* Hoc sanè textu vsi sunt Sancti PP. contra Arrium, ad comprobandam Filij Dei diuinitatem.

ATHANAS. serm.3. cont. Arrianos: *Quomodo si secundùm vos, ex non entibus extitit, potens est non entia, vt entia sint, condere, atque architectari? neque enim vel Angeli quidquam creare possunt, cùm & ipsi sint creaturæ.* Tandem concludit: *Condere, & creare, solius Dei est, eiusque Verbi, & Sapientiæ.* 101

EODEM prorsus medio Cyrillus Arrianam hæresim impugnat *lib.2. Thesaur. cap.2.* ex eo scilicet, quòd virtutem creatiuam creatura recipere non potest. Vnde *lib.5. cap.3.* arguit: *Non est officium artis ex nihilo creaturas producere, sed ineffabilis; atque creatiuæ virtutis; artis enim est, ea, quæ sunt quasi per subiectam materiam solummodò immutare; creandi autem virtus ipsam rerum substantiam à nihilo ad esse producit.* Hanc rationem latiùs prosequitur *lib.6. cap.2.* his verbis: *Nulla creatura vnquam substantiam à nihilo producere poterit; finitæ namque virtutis id esse non potest.* Et concludit: *Potestas creandi diuinæ solummodò inest naturæ.* Quod rursum confirmat *lib. 2. contra Iulianum*, dicens: *Inaccessa naturæ sunt ea, quæ propria sunt solius, & omnium summæ substantiæ, quorum vnum esse dicimus efficaciter producere posse, vt Creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant.*

SIC etiam loquuntur alij SS. Patres. Hugo Victor. *lib.1. de Sacram. cap.6.* Damascen. *lib.2. de fid. cap.3.* Inter omnes Augustinus *lib.9. de Genes. ad litt. cap.15.* & *lib.12. de Ciuit. cap.24.* & *lib.3. de Trinitate, cap.8.* Basil. *lib.4. contra Eunomium*, & alij inde probantes, Verbum esse verum Deum; quia *Omnia per ipsum facta sunt*; vt aduertunt Mastrius, Valentia, &c. Hoc autem fuisse in mente Ioan. ita eum argumentari, ostendit S. Doctor. Cùm enim iam dixisset: *Deus erat Verbum. In principio erat Verbum*, rursus redit: *Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum, &c.* vt non replicet, ad ostendendum solùm assertiuè Deitatem Verbi; sed ad eam ex operatione conuincendam. Ideò ait Glossa: *Postquam dixit de natura filij, de operatione eius, supponit: Omnia, &c.* 102

IDEM deducit S.Doctor *collat.1. in Ioan.* & addit locum illum *Act.17.* vbi Paulus argumentatur Dei naturam, illis verbis: *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Ex hoc eodem loco idem argumentatur Seraphicus *ad cap.13. Sap.* allegatum, vbi Spiritus sanctus se totum profundit ad conuincendam Deitatem, ob creationem, esse latriâ adorabilem: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex, &c. A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* 103

Addit Seraphicus, Quam falsa opinione Deos putauerunt, cùm non sit nisi vnus Deus; *sciant quantò dominator eorum, &c.* scilicet Creator eorum sit speciosior secundùm illud Iudith 9. *Deus*

Deus cælorum, Creator aquarum, Rex vniuersæ creaturæ; Et Act. 17. *Fecit ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam superficiem terræ, quærere Deum, si fortè attrectent eum, cùm non sit longè ab vnoquoque nost. um. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Ibi affert etiam D. Hieronymum, qui *ep. ad Damasum*, idipsum colligit ex Psal. 103. *Benedi anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer, &c.* vt infert & ex Psal. 101. *Initio tu Domine terram*
104 *fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & sicut opertorium mutabis eos: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Addit id Iob. 12. *Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Eum vide alia afferentem. Idem colligit *in Comment. allegati Psal.* 101. *&* 118. in ea verba: *Manus tuæ Domine fecerunt me.* Et ad Psal. 103. vbi obseruat ex operibus enarratis creationis, inferri à Spiritu sancto Deitatem. *Benedic anima mea Domino: Deus meus magnificatus es. Extendens cælum, &c. Qui facit Angelos suos Spiritus, &c. Qui fundasti terram, &c.* Igitur cæteris enarratis concludit: *Sit gloria Domini in sæculum, &c.* Hæc, & similia Scripturæ loca non probant solùm de lege ordinaria, Deum tantùm creare, vt putat Vasquez; sed inferunt necessariò Deum esse, nec alium esse posse, qui potest creare; alioqui non rectè inferretur necessariò. Is creat: ergo est Deus; & sicuti non potest esse alius Deus absolutè simpliciter; ita infertur, non posse alium, præter Deum creare, & hoc argumentum est D. Augustini 3. *de Trinitate, cap.* 8. vt refert S. Bonauent. *in* 2. *d.* 7. *p.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 2. quem locum vrgent Valentia, & Vasquez, idem habet argumentum *de fide, & Symb.* & D. Fulgentinus *lib. de fide ad Petrum, cap.* 3.

MVLTAS congerunt rationes Theologi qui, vt proprias extollant; alienas deiiciunt. Equidem quas habent validiores è Seraphico eruam.

105 PRIMA ratio habetur *in* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *fundam.* 3. qua vtuntur Scotus, *loc. cit.* & Scotistæ. Hi tamen assumunt argumentum hoc ad excludendas solas creaturas corporeas: at D. Bonauent. qui asserit etiam spirituales substantias constare ex materia, & forma, eas omnes hoc argumento excludit. Et quidem Angelos, è materia constare, ostendam *tract.* 4. *disputat.* 1. *quæst.* 2. Animas verò nostras, ostendam *tract.* 9. *d.* 1. *quæst.* 7. Omne agens producere potest tantùm secundùm id, secundùm quod agit: sed nullum agens potest creare secundùm materiam agendo, cùm hæc sit imperfectissima; sed solùm secundùm formam: ergo solam formam producere potest, quæ cum habeat esse connaturale in materia, sitque materialis, non potest produci, quin vel in materia producatur, si est forma corporea; vel cum materia, si est anima rationalis, vel Angelus.

106 SECVNDA ratio est D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 1. *p.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 2. *fundam.* 8. *& in corpore*, qua nititur Scotus suprà cum asseclis, eamque optimam acclamat Vasquez *cap.* 2. Si creatura aliqua creare valeret, ea maximè, quæ est nobilissima omnium, eò quòd creatio est actio perfectissima; atque adeò naturæ perfectissimæ, nempè spirituali concederetur: sed hæc non potest creare: ergo.

Probatur subsumptum. Natura spiritualis non est apta agere per naturam primò, quia necessariò ageret; at creatio debet exire liberè per modum artis, ac proinde per intellectum, & voluntatem: quæ potentiæ non possent producere substantiam naturalem; quia ars supponit naturam: neque rem ex nihilo, quia ars supponit naturam, & natura creationem. Neque ex parte agentis esset alius modus operandi, quam per intellectum, & voluntatem, intellectione, & volitione, quæ sunt accidentia; atque adeò nequeunt vt causæ, saltem principales, producere substantiam. Esto autem detur & potentia distincta, ea tamen accidentalem habet operationem.

RESPONDET Durandus, & Suarez, intellectum, & voluntatem non esse in Angelo principia formalia, sed vt actuum directiua, & applicantia virtutem productiuam.

INSTANT Scotistæ. In spiritibus virtutem exequentem, atque producentem non esse à voluntate distinctam, & cum neque in diuinis detur aliud principium agendi, quàm intellectus, & voluntas; multò minùs dabitur in creatura. 107

AT *tract.* 1. *disputat.* 24. *quæst.* 1. ostendi, Deum ad extrà operari virtute, distinctâ virtualiter à voluntate.

CONTRA igitur primò: quia talis operatio erit accidentalis, atque adeò non potest esse causa principalis substantiæ. Hæc responsio est doctrina D. Bonau. 2. *dist.* 7. *art.* 2. *q.* 2. *cit. ea.*

DEINDE intelligere, & velle pertinent ad rationem formalem agendi in agente per cognitionem, vt notant Faber, & Vasquez post D. Bonauenturam 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3.

CONFIRMATVR primò argumentum à Seraphico *in corpore.* Omne agens producit principio proportionato; at verò agens per intellectum, & voluntatem, atque potentiam agit per artem, qui est vltimus agendi modus, supponens duos alios. Nam ars supponit naturam; & natura, quæ ex supposito subiecto operatur, supponit creationem ex nihilo. Iam verò agens secundùm artem, producit simile secundùm Ideam; sicuti agens secundùm naturam, producit sibi simile secundùm naturam, & producit ens secundùm naturam; non potest autem aliquis producere aliud, nisi sit actu respectu eius; atque adeò is, qui producit formas naturales, debet esse actu, respectu agibilium secundùm formam; & creans debet consequenter esse actu ad creabile secundùm totum; non est autem actu secundùm totum creatura, quia agit secundùm formam tantùm naturaliter, & secundùm artem idealiter; non autem secundùm materiam. Porrò agens per intellectum, agit solùm secundùm artem, ideò nec aliquid naturale potest seipso producere: multò minùs aliquod corpus, cùm non sit in actu, etiam secundùm naturam, ad corpus; sed spiritus sit. Igitur multò minùs poterit creare. Vide Seraphicum etiam in argumentis. 108

PROBATVR tertiò à S. Doctore 2. *distinct.* 1. *p.* 2. *quæst.* 1. *in fundam.* & *in corpore.* Id, quod est principium creationis respicit totam latitudinem entis vniuersalis, quod potest ex nihilo consurgere; sed hoc est proprium solius Dei: ergo. Probatur maior, quia producere ex nihilo nullum subiectum potentiæ substernit, & multò minùs determinat formam; atque adeò habet pro obiecto totum ens. Nam facere ens tale, puta ignem, vel aquã, non est simpliciter facere ens, neque est verum, 109

idem esse facere ens, & tale ens, vt putat Scotus. Nam ens dicit totum ens; at hoc ens dicit solùm constitutum per hanc formam: per accidens verò dicit id, quod substernitur actioni; per accidens inquam, non quod possit esse sine illo, sed in quantum *Esse* non est productum per se, aut per accidens per productionem huius *esse*.

110 PROBATVR secundò maior à D. Bonauent. *fundament*. 1. & à Capreolo, & Nazario post D. Thom. 3. *contra Gentes*, *cap.66*. Quando diuersa agentia sub vno agente ordinantur, necesse est vt effectus, qui ab eis communiter fit, fiat secundùm quod vniuntur in participando virtutem, & motum illius primi agentis. Non enim plura faciunt vnum, nisi in quantum sunt vnum: sic omnes in exercitu operàntur ad causandam victoriam, quatenus sunt sub vno duce, cuius proprius effectus est victoria. Primum autem agens est Deus. Cùm ergo *Esse* sit communis effectus agentium, quatenus omne agens facit actu esse, oportet, vt hunc effectum producant, in quantum sunt sub primo agente, & operantur virtute illius.

Ex quo colligit Seraphicus *hic*, *& distinctione* 7. *loco suprà cit*. Solum Deum dare esse primum cuilibet rei: alia verò agentia solùm secundùm partem, vt habetur 5. *Phys*. Ratio Seraphici est. Quantò agens est prius, & perfectius; tantò plus influit in rem ipsam. Ergo primum, & perfectissimum solùm potest influere totum, & in totum.

Ex quo oritur alia probatio. Oportet vniuersaliores effectus in causas vniuersaliores reducere, ex Aristot. 2. *Phys*. *&* 5. *Met. cap. de causa*. Esse, est vniuersalissimus effectus: ergo.

111 INTELLIGITVR autem causa vniuersalior in perfectione: & effectus in prædicatione; vt colligitur hinc ex D. Bonauent. vbi interrogationem Scoti præuenerat.

CONTRA arguit Scotus: quia effectus vniuersalissimus prædicatione, potest esse à causa imperfecta; quia saluatur in pluribus effectibus imperfectis: ergo.

RESPONDETVR falsum esse antecedens, vt aduertit Nazarius: non enim per se primò potest esse effectus vniuersalissimus à causa secunda: Nam si *Esse* est effectus per se primò vniuersalissimæ causæ; sequitur nullam aliam causam posse producere *Esse* primò, quod necessarium est vt causa dicatur creare: *Esse* enim primò est obiectum creationis formale; ex quo ruunt oppositiones Radæ, Fabri, Meldulæ, Valentiæ, Suarez, Vasquez & aliorum, qui hanc rationem concederent quidem efficacem ad probandum, non posse communicari à Deo creaturæ virtutem creatiuam vniuersalem; attamen negant probare implicantiam, ne communicet vim creandi hoc, vel illud.

FALLVNTVR tamen, quia, vt obseruant Caietanus, & Nazarius effectus dicitur fieri per se primò secundùm eam rationem, quæ non præcessit ex parte effectus, nam si præcessit; iam non per se, sed per accidens fieri dicetur; vt cùm ignis generatur ex aëre, non fit per se corpus, sed fit per se ignis; sic igitur in creatione fit per se *ens*, seu *Esse*; non autem tale, sed simpliciter; quia nulla ratio entis supponitur creationi, cùm sit è nihilo. Quam rationem latè prosequitur Amicus *num*. 34. vbi ostendit, implicare contradictionem, esse virtutem creatiuam, & non se extendere ad omne creabile. Idem vrget Fasolus *quæst*. 45. *art*. 5. *dub*. 3. *n*. 25.

INSTANT Suarez, Meldula suprà, & Arretin. 4. *d*. 1. *quæst*. 1. *art*. 1. Equus generat equum, non solùm ex non equo; sed etiam ex non animali, idest ex semine; & tamen non benè hinc infertur, posse generare omne animal: ergo neque benè infertur: potentia creatiua nullum supponit ens, & producit ex non ente: Ergo debet extendi ad omne ens. 112

RESPONDETVR ex D. Bonauent. *hic*, *& distinctione* 7. suprà, quem sequitur Amicus, disparem esse rationem: nam licèt equus gignat ex semine, quod non est animal actu, est tamen animal potentiâ naturali; at creatio est ex non ente simpliciter, nullâ accedente dispositione; atque adeò respicit non modò non ens absque subiecto; sed totum ens, quod sanè est in eadem indispositione, & distantiâ. Quare argumentum probat, non modò virtutem creatiuam non posse limitari ex parte subiecti, quia ex illo non pendet; sed etiam non posse limitari ex parte termini; in quo valdè Meldula decipitur.

INSTAT cum Arriaga: terminus creationis solùm differt à termino generationis, quod hic producitur concurrente subiecto: ille verò sine subiecto; non tamen efficitur, vt ambo termini sint ens, in quantùm ens, producti ex nihilo sui.

AT quis non videt differentiam ex parte termini? nam creationis terminus, cùm sit è nihilo simpliciter, quod dicit negationem omnis entis, est etiam ens primò: at verò terminus generationis primò est tale ens, puta equus, productus non simpliciter ex nihilo sui, sed ex potentia naturali, & seminali subiecti. Et hoc est, quod ait S. Bonau. at nil ferè dicit de ente vniuersali, sed semper vrget fieri *ens totum*, & *ens primò*: ex quo deducitur creantem, habere vtpotè causam primam, intrinsecè potestatem super omne ens, super quod habere debet creans potestatem. Vide Seraphicum etiam *d*. 1. *p*. 1. *quæst*. 1. *fund*. 1. & *p*. 2. *quæst*. 1. *fund*. 4. vbi hanc rationem inuenies. 113

QVARTA ratio D. Bonauent. habetur nuper *adductis quæstionibus in fundamentis*, præcipuè 1. *p*. *quæst*. 1. *fundam*. 2. *&* 3. qua vtitur Scotus apud Vulpem, Mastrium, & alios. Sumitur autem ex finitate intrinseca creaturæ: & virtute infinita necessaria ad creationem. Et quia hic medius terminus infinitæ virtutis necessariæ, non videtur Scoto 4. *d*. 1. *quæst*. 1. §. *ad quæstionem*, conclusione euidentior, ideò eam is pertransit: Nobis ex S. Bonauent. præclara exhibenda est. In causis præcisis, & adæquatis alicuius effectus, sicut affirmatio est causa affirmationis; ita negatio est causa negationis, ex *primo Post*. Sed causa præcisa, & adæquata, cur agens creatum agit dependenter à subiecto, non est nisi finitas, seu limitatio, & imperfectio suæ virtutis, ratione cuius nequit eminenter continere causalitatem subiecti, atque ideò solas formas potest producere: ergo causa præcisa, & adæquata, cur agens increatum independenter à subiecto agit, erit summa, & infinita perfectio virtutis, per quam potest causalitatem 114

falitatem subiecti supplere efficienter. Quantò enim nobilius est agens: tantò paucioribus indiget ad agendum: atque adeò agens nobilissimum infinitum, se solo potest omnia; & totum ens. Et quia infinitus est, & simplex, potest totum producere è nihilo, sicuti creatura è contra, quia limitata, & composita, producere potest solùm è subiecto. Hanc magni facit Meldula.

115 INSVRGIT tamen Arriaga. Concursus subiecti est finitus: ergo potest suppleri virtute finita: ergo creatio non supponit virtutem infinitam, quatenus supplet causalitatem subiecti.

NEGAT Mastrius, & meritò, omnem concursum finitum suppleri posse à causa finita; sic concursus subiecti ad sustentationem accidentis est finitus; & tamen nullus, præter Deum, potest conseruare accidens sine subiecto. Secundò conseruatio, & concursus Dei ad effectus naturales est finitus, & tamen non potest à creatura suppleri. Effectus formalis subsistentiæ creatæ est finitus, & tamen nequit suppleri à creaturà; sed sola subsistentia increata potest eius vices supplere, terminando dependentiam naturæ creatæ. Quibus, aliisque instantiis eneruatur Achilles aduersariorum. Nec pariter refert, quod terminus huius concursus materialis, nempè forma producenda, sit finitus; sufficit enim modum includere quandam infinitatem. Et hoc est, quod dicebat S. Thom. *ad* 3. & innuit D. Bonauent. *allegatis qq.* & 1. *p. distinctionis, art.* 2. *quæst.* 2. modum agendi indicare virtutem agentis. Vide ibi in argumentis eandem rationem. Ex quo etiam deducit Mastrius *num.* 18. quòd etsi influxus Dei ad creationem sit finitus, exigit tamen virtutem infinitam.

116 QVINTA ratio, quam Meldula *num.* 25. omnium validissimam acclamat, quam à solo Auersa indicatam dicit, est D. Bonauenturæ *dist.* 1. *p.* 1. *quæst.* 1. *fundamento* 4. & 5. & *art.* 2. *quæst.* 2. *in fundamentis.* Pressiùs verò *art.* 3. *quæst.* 2. *in fundamentis, addita resolutione.* Id quod est intrinsecum, non potest auferri, salua rei entitate; sed dependentia creaturæ à Deo, & relatio ad illum, est intrinseca, & essentialis creaturæ, ipsaque creatura; vt dixi *quæst.* 3. & 4. ergo. Confirmatur, quia in genere causæ efficientis non datur essentialis dependentia in creatura, nisi in ordine ad primam causam Deum; quia, vt ibi ostendi, prima causa, & vltimus finis essentialiter sunt vnum: ergo implicat creaturam essentialiter esse creaturam, & non esse à Deo; ac proinde implicat, ipsam ab alio, quàm à Deo creari.

117 SEXTA ratio. Quantò substantia producens est melior in se, tantò ampliùs, & perfectiùs est productiua. Sed solus Deus est primum efficiens essentialiter incommunicabiliter: ergo solus potest perfectissimos producere effectus. Sed hi sunt, qui è nihilo exeunt, & qui producuntur secundùm totum: ergo.

SEPTIMA ratio. Quantò causa est spiritualior; tantò plurium est cognoscitiua practicè. Sed solus Deus est spiritualissimus: ergo solus est omnium practicus cognitor: ergo ad aliquem effectum debet solus habere potentiam, tales autem sunt difficiliores qui ex nihilo: ergo. Minor est Aristotelis 12. *Metaph. text.* 53. Maior est, ex *lib. de causis, prop.* 24.

118 OCTAVA ratio. Principium potens omnia, debet esse in actu ad omnia: Nulla creatura est simplex actus, sed composita ex actu, & potentia; solus verò Deus est simplicissimus: ergo solus potest omnia; sed inter hæc maxima est creatio: ergo repugnat creaturæ. Hæ tres rationes sunt D. Bonauent. *dist.* 1. *p.* 2. *quæst.* 1. *fundamentis.* Hæc postrema est fundamentum tertium. Eadem habetur 1. *p. distinctionis, art.* 2. *q.* 2. *fundamento* 3. Ea verò vtuntur Ægidius *quodl.* 5. *quæst.* 1. Hurtadus *disp.* 12. *Phys. sect.* 6. Ouied. *loc. cit.* Amicus *disp.* 2. mutatis solummodò verbis. Eam porrò sibi non displicere, ait Suarez.

AB Ægidio sic formatur. Nullum agens creatum est purus actus, seu purum esse: ergo nec actio eius est purus actus, sed aliquid potentialitatis habens; sed talis actio non est sine motu, & mutatione: ergo nullum agens creatum potest agere sine motu, & mutatione: ergo neque creare, quia creare est de nihilo; motus autem est in subiecto.

RESPONDET Mastrius *num.* 14. è Scoto *loco citato*; hanc rationem repugnantiæ, ex potentialitate creaturæ deductam, non concludere, neque ex eo, quòd actio creaturæ est potentialis, necessariò inferri, quòd esse debeat cum motu, & mutatione; nam aliis etiam ex capitibus diceretur potentialis actio creaturæ, etiam præcisà dependentià à præsupposito subiecto, in quo exerceatur; nam esset potentialis, quia fundaret dependentiam ab agente creato, à quo emanaret, & in eo reciperetur, vel in termino producto. Ex eo igitur, quòd actio creaturæ esse debeat potentialis, non necessariò infertur, esse debere cum motu, & mutatione, quæ excludat creationem. 119

AT non rectè impugnatur ratio D. Bonauent. mutatio enim, orta è potentialitate est, quæ fit circa aliquod subiectum præsuppositum; quia creatura cùm sit ex parte potentialis, non potest aliter agere, quàm in præsupposito subiecto; hoc autem repugnat creationi, quæ est ex nihilo, & hoc indicat S. Doctor *locis adductis*, & post eum Ouiedus. Et per hæc, instantiæ Mastrij ruunt. 120

NONA ratio sumitur ex infinitate potentiæ requisità ad creationem, ob terminorum distantiam. Ea verò vrgetur passim à D. Bonauent. *dist.* 1. 1. *p. art.* 2. *quæst.* 1. *argum. vlt.* & *art.* 3. *quæst.* 1. *fundamento* 4. Et *in* 1. *distinct.* 20. *quæst.* 2. *fundamento* 3.

EA ratione vsus est D. Thom. *ad* 3. & omnes Thomistæ, & aliqui Iesuitarum. Ad creationem requiritur potentia infinita; sed hæc repugnat creaturæ: ergo. Maior probatur: Inter ens, & non ens, est distantia infinita, & consequenter inter nullam potentiam, & aliquam potentiam; sed creatio est deductio simpliciter ex non ente, & ex nulla potentia: ergo. Vide D. Thomam etiam 2. *contra Gentes, cap.* 20. Eadem vtuntur Henricus, Richardus apud Scotum, & alij.

RESPONDET Scotus, inter ens & nihil, non esse distantiam infinitam; quia quando extrema sunt immediata, tanta est distantia inter illa, quantus est excessus vnius extremi super alterum. Iam verò ens creatum consurgit super nihil, quantum est proprium ens, quod est finitum. Idem habet Faber *post num.* 13. & alij Scotistæ. Confirmatur à Valentia, Vasquez, Rada, Suarez, & aliis. Nihilum distat ab ente solùm deficiendo: at nihilum non plus deficit, quàm ens creatum ponat in re. Hoc verò est finitum. 121

Confirmatur à Suarez, Meldula, & aliis; quia creatio est ex nullo subiecto, etsi adsit subiectum, patebit aditus creaturæ ad productionem; at caussalitas subiecti est finita. Igitur potest virtute finitâ suppleri.

122 Respondetur ex Seraphico, falli aduersarios putantes, tantùm distare nihil ab ente, quantum tollitur ens super nihil. Distat enim ens à nihilo, quantum nihil distat ab ente, distat autem tota latitudine entis creabilis, quod est infinitum. Igitur debet computari quantum distet ens totum creabile à nihilo, & tunc infinita distantia inuenietur.

Ex his sequitur, quòd virtus agens ex nullâ passiuâ potentiâ; & virtus agens ex aliquâ potentiâ passiuâ, distant infinitè: quòd si essent improportionatæ finitâ improportione tantùm; eueniret vt virtus potens ex aliqua potentia, & virtus potens ex nulla potentia essent æquales, vt arguit Caietanus.

123 Probatur sequela, arguendo more Aristotelico. Sumo vnam virtutem producentem ex nulla potentia: sit autem virtus illa A. Sumo aliam virtutem producentem ex aliqua potentia: sit autem illa virtus dicta B, & potentia illa vocetur C, & inter vtriusque operationem ponatur proportio finita, & sit decupla. Arguo sic; sumo aliam potentiam elongatam ab actu in decuplo, quam sit C, & hæc potentia vocetur D. Tunc virtus faciens ex ista potentia in decuplo excedit B: ergo erit æqualis ipsi A, quod in decuplo tantùm excedit: ergo virtus agens ex aliqua potentia, erit æqualis virtuti agenti ex nulla potentia; quia virtus A, operans ex nulla potentia, excedit virtutem B, solùm in decupla proportione. Similiter & virtus D, agens ex aliqua potentia excedit decuplo virtutem B, eadem mensurâ, quâ virtus A, ex nulla potentia superat virtutem: ergo virtus A, & virtus D, sunt æquales; nam ambæ excedunt B, solùm in decupla proportione.

124 Respondet Fauentinus à n. 18. Quod virtus agens ex non subiecta materia, vincit potentiam agentem ex subiecta materia, non secundùm numerationem indiuiduam graduum, sed tantùm secundùm speciem, quia illa est altioris ordinis, & sub hac ratione excedit quodammodò infinitè; sicut vna species nobilior excedit aliam. Vnde non sequitur, quod D, sit æqualis A, tametsi æqualis sit B.

Eodem responso vtitur Mastrius *num.* 8. dicens, ordinis diuersitatem effici improportionem inattingibilem, esto finitam; sic potentia intellectiua finitè excedit sensitiuam, & tamen cum puncto nullam habet proportionem.

125 Hæc tamen nil iuuant: nam diuersitas, seu excessus secundùm speciem habet sui gradus excessûs. Vnde homo excedit lapidem tres gradus, idest, vegetabili, sensibili, & rationali. Iam verò si talis est etiam excessus potentiarum agentium ex non subiecto, super potentias agentes ex subiecto, erit certè absolutè finitus, non infinitus (exulet illud Fabri *Quodammodo.*) Igitur potest poni in decupla proportione, & inducetur Caietani sequela. Vel concedatur excessus infinitus; & talis est etiam lineæ super punctum in ratione diuisibilis; non enim excedit punctum, vt bipalmaris; sed vt diuisibilis indiuisibile: sed neque planè est adæquata comparatio. Nam punctum est principium lineæ; at nihil non est principium entis. Porrò Scotistæ in gradibus entis pugnant.

Hoc apparet in responso Caietani, qui obseruat cum Seraphico *primo dist.* 37. *p.* 2. *q. vlt. fundamento* 3. argumentum Aristotelis 4. *Phy. t.* 71. Quoties duo extrema sic se habent, quòd quantò vnum minuitur; alterum crescit; si vnum minuitur vsque ad non gradum sui, idest, vsque ad nihil; oppositum crescit super omnem gradum, idest, in infinitum. Ex quo infert Aristoteles, quod cum velocitas motus, & plenitudo spatij sic se habeant, vt, quantò minuitur spatium, & resistentia; tantò velocior fiat motus; sanè si spatium, & resistentia minuatur vsque ad non gradum sui; iam motus erit velocior infinitè, & fiet in instanti. Cùm igitur tantò maior potentia exigatur, quantò potentia est elongatior ab actu; & potentia non entis in infinitum elongetur à potentia producente ex aliqua potentia passiua; sequitur, quòd actiua potentia, producens ex nulla passiua potentia, erit infinitè maior. Hoc sumpsit Caietanus ex D. Bonau. *loco citato*, & *in* 3. *dist.* 5. 126

Respondent Scotistæ, eam Maiorem sic veram solùm esse, quòd si vnum minuitur vsque ad non gradum; crescat oppositum vsque ad summum; quod familiari constat exemplo, si enim frigus in aqua redeunte ad suum statum post calefactionem tantum crescit, quantum pellitur de calore; si calor minuitur vsque ad non gradum, non propterea frigus crescit super omnem gradum; sed solùm vsque ad summum gradum, idest, octauum; neque verum esse, motum in vacuo futurum in instanti, ac infinitæ velocitatis; sed solùm futurum velocissimum in summo, quantum capax est ratione medij. Ità ex diminutione potentiæ passiuæ vsque ad nihil, non sequitur necessariam esse virtutem simpliciter infinitam ad producendum ex nihilo; sed tantùm debere esse maiorem, & altioris ordinis, quàm sit virtus productiua ex aliqua potentia passiua, nempè è subiecto. 127

Respondet Nazarius ex D. Bonau. regulam illam supponere latitudinem graduum formaliter, aut virtualiter infinitam ex parte vtriusque extremi, scilicet aucti, & diminuti, vt patet ex discursu Aristotelis 4. *Phys.* à *text.* 71. vsque *ad* 76. vt obseruat etiam D. Thom. *text.* 75. & *ex* 7. & 8. *Phys.* vbi à proportione diminutionis temporis in motu, & augmenti virtutis in mouente, & aliis similibus, probat Aristoteles, idem mobile velociùs moueri ab agente maioris virtutis; sic autem est in proposito: Quoniam tota latitudo elongationis ab actu continet infinitos gradus, saltem virtualiter: quoniam nullius potentiæ ad aliquam potentiam nulla est proportio; ideò nulla potentia, idest nihil, distat infinitis gradibus virtualiter ab aliqua potentia. Vnde exemplum caloris, & frigoris non est simile, quia neutrum habet latitudinem graduum infinitam formaliter, aut virtualiter, quia remanet semper alterum in potentia, quæ non distat infinitè ab actu. 128

Nec expositio illa infinitatis in velocitate motûs consonat menti Aristotelis, qui probare conatur *ibi*, non dari vacuum deducendo ad impossibile, nimirum futurum in eo motum in instanti, ex hoc eorum falso principio, quod scilicet tota caussa successionis in motu, sit plenitudo medij. 129

Quod verò ait Vasquez, inter motum in tempore, & motum in instanti, non fore distantiam infinitam, nec excessum infinitum; sed tantùm specificam differentiam, manifestè falsum est; vt obseruat Nazarius ex D. Bonau. suprà: nam si consideretur motus in ratione velocitatis, cuius est infinita

finita latitudo, necesse est, vt motus in instanti, qui in altero extremo est, distet infinitè ab altero extremo, scilicet à motu, qui fit in tempore; si verò considerentur secundùm rationes specificas, certum est, eos specie differre, cùm motus in tempore sit propriè motus; ille verò, qui fit in instanti non sit motus; sed instantanea mutatio. Alia eiusdem authoris obiecta ex dictis iacent. Et eiusdem farinæ sunt argumenta, quæ profert Albertinus in suprà *alleg. coroll.*

130 QVOD verò Mastrius cum aliis addit, ante *numerum nonum*, ex nostro argumento sequi solùm, quòd deficiente causa materiali, debeat efficiens supplere virtutem, & influxum, quem illa præstaret; hinc autem non ritè inferri, virtutem causæ efficientis debere esse infinitam: nam concursus materiæ quid finitum est. Cur ergo suppleri non poterit per virtutem agentis superioris ordinis; esto finita sit?

MELDVLAM euoco ad eius *numerum* 18. vbi responsum dedit, quod quamuis effectus productus sit finitus, & concursus materiæ pariter finitus; tamen non potest ab agente finito suppleri, ratione modi. Quare infert necessarium agens infinitum, quod in aliis casibus à nobis enarratis *in quarta ratione*, differit euenire. Vnde aduersariorum Achillem eneruatum acclamat.

131 DECIMA ratio est D. Bonau. *in 2. dist. 1. p. 1. q. 1. fundamento* 3. & *art. 2. q. 2. fundamento* 3. & *dist.* 7. *p. 2. art. 2. q. 1.* præsertim *ad* 2. qua vtitur Rubion 2. *d.* 1. *q.* 3. *art.* 2. eamque à nullo alio allatam dicit Mastrius *numero* 15. Nullum agens potest creare, cuius effectus præsupponit subiectum, seu educitur è subiecto: sed omne agens creatum est huiusmodi: ergo. Maior constat. Minor probatur: nam causa secunda non potest, nisi in formam substantialem, materialem, & accidentalem: sed omnes eæ formæ exigunt subiectum: ergo. Hucusque Rubion; at S. Bonau. videns, non esse probatam satis Minorem; sed petitum principium (vt ait Mastrius) reddit rationem: quia cùm omne agens creatum, aptum producere substantiam, agat secundùm formam tantùm, non secundùm materiam, non potest subiectum producere, sed illud præsupponit. Vnumquodque enim agens producit secundùm id, secundùm quod agit. Confirmatur, quia agens debet esse actu respectu effectus: vnumquodque enim agit, in quantum est actu; at creatum agens non est in actu secundùm se totum, sed compositum potentia, atque adeò non potest totum ens è nihilo educere.

132 VNDECIMA ratio, qua nititur Fonseca 5. *Metaph. c. 2. q. 8. sect. 3.* Perer. *lib. 5. Phys. c. 6.* est D. Bonau. *in 2. d. 1. p. 1. q. 1. fundamento 2. & sequentibus*, & *art. 2. q. 2. fundamento* 2. & *p. 2. q. 1. in fundamentis*, & in *primo d. 3. p. 1. q. 2. & seq.* & *ad* 13. *Sap.* Omnis causa intrinsecè cognoscitur ex proprio effectu. Sed Deus est prima causa: ergo ex primo effectu debet cognosci, qui est creatio. Quod si creatio conuenire posset, tanquàm causæ principali operanti propria, & intrinseca virtute, frustra conquereretur Deus, *Sap.* 13. homines ex creatione non collegisse euidenter vnum Deum, vnum primum principium, cui non potest assimilari creatura in producendo. Quamuis autem ex independentia etiam Dei creantis colligatur Deus; creatura verò creatiuam virtutem haberet limitatam, & dependentem, in quo differentia perciperetur inter Deum, & creaturam, creantes; vt respondet Mastrius *numero* 17. tamen eò ipso, quòd aliqua creatura crearet, non censeretur dependens, & 133
limitata; quia posset in totum ens, cum possit in esse; vt aduertit D. Bonau. *in 2. dist. 1. p. 1. art. 3. q. 1. fundamento primo* sumpto ex *libro de causis, prop.* 24. vbi dicitur: *Prima rerum creatarum est ipsum esse*, atque adeò independentiam infert. Quare Apostolus *Act.* 17. ex creatione singulari, & esse nostro Deitatem, dicens: *Quærere Deum si fortè attrectent, &c. cùm non longè sit ab vnoquoque nostrum: In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*, vt obseruat S. Doctor *ad* 13. *Sap.* vbi propterea acutè aduertit, Spiritum sanctum grauiter conqueri, gentes adorare plures Deos, cùm ex creaturis hisce visibiliter possent Deum vnum cognoscere. Profectò non ex creatione omnium creabilium, quasi ex potestate indeterminata, & extensa ad omnia, non enim omnia singulis occurrunt; sed ex creatione rerum finitarum, quas numeramus, ac videmus, infert grauiter primitatem, independentiam, Deitatem, vt ibi S. Doctor, & 1. *p. Breuil. c. 2. & seq.* & *in sermonibus Hexaëmer:* sæpissimè & in Opusculis, quibus titulus *Principium sacræ Scripturæ*, & de reductione artium ad Theologiam, & aliis passim asserit.

Ex his manet ratio solidissima, quam antea valdè friuolam mussitabat Mastrius, *numero decimoseptimo.*

QVÆSTIO VII.

An VIRTVS *saltem instrumentalis* CREATIVA *communicari possit creaturæ.*

D. Bon. in 4. d. 1. p. 1. q. 4.
D. Thom. q. 45. art. 5.

IN hoc sensu, quæstio est difficilior. Multi enim asserunt, posse virtutem instrumentalem creandi communicari creaturæ. Ità Magister *in 4. dist. 5. c. vlt.* & ibi D. Thom. *q. 1. art. 3.* tametsi eam in summa retractet *hic.* Eandem tuentur Suarez *disput.* 20. *Metaph. sect.* 3. Hurtad. *disp.* 12. *Phys. sect.* 6. Albertinus *tom. 1. q. 1. Theol. corol.* 1. Lezana *tract.* 7. *dist. 1. q.* 3. Amicus *tom. 2. disp. 2. sect.* 4. Tanner. *disp. 6. q. 1. dub. 2. numero* 8. qui eam aliorum complurium Recentiorum esse, asserit.

CÆTERI tamen *quæstione* 6. allegati negantes, 134
posse eleuari creaturam, vt causam principalem ad creationem, negant etiam posse assumi, vt instrumentum, non modò naturale, quale est calor ad producendum ignem, sed etiam supernaturale per potentiam obedientialem; vt vult prior sententia. Ità D. Bonau. *in 4. dist. 1. 1. part. q.* 4. & *in 3. dist. 40. dub. 3. litt.* D. Thom. 1. *part. q. 45. art.* 5. vbi omnes Thomistæ, Caietanus, Sannez, Zumellus *quæst. 65. art. 3. sua quæst.* 5. Nazar. *cont. ou. 2 hîc.* Idem docet D. Thom. 2. *contra Gent. c.* 21. vbi Ferrar. Capreolus verò 2. *dist. 1. q.* 3. Valentia *disp.* 3. *quæst. 2. punct.* 4. Molina *quæst. 45. art. 5. disp.* 2. Fonseca 5. *Metaph. c.* 2. Vasquez *disp.* 176. *c. 2. & 3* & alij suprà. Scotus allegatus *quæst.* 6. cum suis ibi adductus.

SVPPONO, duplex genus causæ ex Aristotele 2. *Phys. &* 5. *Metaph.* aliæ enim sunt realiter influentes, quas Physicas nominamus; vt sunt naturalia omnia agentia naturaliter; aliæ solùm agunt

offerendo agenti per intellectum, & voluntatem obiectum expetendum sub ratione boni, vt ex appetitu moueatur intelligens ad agendum. Tales dicuntur causæ morales; vt consilium præbens, & similes.

135 DISTINGVVNTVR verò illæ causæ in *Principalem*, & *Instrumentalem*. Principalis est, quæ virtute sua intrinseca producit effectum. Instrumentalis verò habet virtutem, sed dependentem à principali. Instrumentum enim etiam ipsum agit suâ virtute, cuius signum est, quia idem artifex meliori instrumento, puta dolabro, serra, aut ascia meliori, meliùs operatur; attamen illa virtus pendet à principali agente in suo effectu; alioqui desineret esse causa instrumentalis, & fieret principalis; nec ampliùs ad principalem referretur, quod est contra naturam instrumenti.

ASSERO non posse creaturam assumi à Deo, vt instrumentum creationis.

136 PROBATVR à D.Thom. Omne instrumentum, vt operetur cum causa principali ad effectum, debet ex se præuiam aliquam operationem habere; sed nulla creatura potest habere operationem præuiam ad creandum aliquid: ergo. Maior probatur exemplis instrumentorum artis: nam serra agit dispositiuè in lignum, ad scamnum formandum. Minor probatur; quia creatio est productio ex nihilo; atque adeò non est inuenire subiectum disponendum.

HÆC ratio pluribus impugnatur à Suarez, *loco citato*, & 3. *part. disp.* 31. *sect.* 8. & aliis authoribus primæ sententiæ; imò carpitur à quibusdam etiam nostræ sententiæ, præcipuè Vasquez *cap.* 2. Molina *loco citato*. Scoto, atque discipulis. Præsertim verò, quia non est vniuersale omnibus instrumentis agere aliquid dispositiuè: sic Monetarius per instrumentum inducit formam in monetam, & sigillator in ceram, absque aliquo præuio. Verè quidem instrumentum habet operationem præuiam, quando ad opus faciendum plures actiones exiguntur: sic, quia ad faciendum scamnum requiritur scissio lignorum; & posteà eorum compositio; rectè instrumentum, imò & causa principalis agit aliquid præuium. Cùm ergo hoc non sit verum de omnibus instrumentis, non benè hac ratione colligitur, non posse creaturam assumi, vt instrumentum creationis.

137 PROBATVR ergo ratione ductâ ex D. Bonau. *locis quæstione præcedenti allegatis*, & *hic*, quam sumpsit Scotus *loco citato*, §. *Ideò dici potest*, Fauentinus *numero* 46. Vasquez *cap.* 3. qui eam optimam acclamat, & elicitur etiam ex Seraphico *in* 4. *dist.* 47. *art.* 2. *quæst.* 2. Omne instrumentum agit vel dispositiuè ad terminum principalis agentis, vel attingit actiuè terminum ipsius: at nulla creatura potest agere dispositiuè ad terminum creationis; nec valet attingere ipsum terminum creationis: ergo nulla creatura potest creare instrumentaliter. Maior probatur; nam instrumentum habet aliquam virtutem, & actionem; alioqui posset quodlibet esse instrumentum, ad quodlibet: sic serra ad incudendas monetas, securis ad vasa vitrea componenda, & ornanda. Ex his aliqua se habent dispositiuè ad effectum; vt docet etiam D. Thom. Ea verò instrumenta, quæ non agunt dispositiuè debent tangere ipsum effectum, si verè actiua sint.

138 Minor probatur, quoad priorem partem à D.Bonau. *loco citato in* 4. *q.* 1. *laterali, argumento* 2. *ad oppositum*, *additò responso*, & *resolutione*, & à D. Thom. quia, quod agit dispositiuè, producit terminum, præuium ad terminum principalis agentis; at in creatione nihil præcedit capax dispositionis, cùm ipsa creatio sit productio totius, ex nihilo. Neque potest agere attingendo terminum creationis, quia instrumentum omne agit per aliquid sibi proprium; at nihil est in creatura proprium, per quod valeat vllatenus attingere terminum creationis, vt vidistis *quæst. præcedenti*: ergo.

OBICIVNT primò. Non minor virtus exigitur ad Incarnationem faciendam: at Beata Virgo cooperata est Incarnationi: ergo.

RESPONDET D.Bonau. *in* 3. *dist.* 4. *art.* 3. B. Virginem non interuenisse ad vnionem hypostaticam, sed solùm ad generandam humanitatem. Sic respondet & Faber *numero* 41. Vasquez *c.* 6. 139

OBICIVNT secundò. Sacerdos producit Corpus Christi, ac si non esset; ideò hanc productionem vocat creationem S.Ambrosius, *lib.* 4. *de Sacramentis*, *cap.* 4.

RESPONDET Seraphicus *locis adductis in margine*, Sacerdotem moraliter solùm operari ad Transubstantiationem. Ità & Faber, *loco citato*, Vasquez *numero* 3. & alij. Idem docet S. Doctor, *de Sacramentis* ad conferendam gratiam. De quo 3. *part. tractat.* 2. *disp.* 1.

Obiiciunt tertiò. Non minùs est supra naturam creatam creare, quam supra naturam corporis agere in spiritum: at ignis inferni agit in spiritus torquendo demones: ergo.

RESPONDET D.Bonau. *in* 4. *dist.* 44. *c. vlt.* ignem inferni non inducere qualitatem aliquam corpoream in spiritus; sed solùm detinere, & colligare in illo sordido centro. Ex quo spiritus nobilis cruciatur. Ità soluunt Vasquez etiam, & Faber.

QVÆSTIO VIII.

An CREARI *solis conueniat subsistentibus.*

D. Thom. q. 45. art. 4.

140 SVBSISTENTIA propriè creari suppono; quia creare, est producere ens, de non esse ad esse simpliciter. Igitur, quæ habent esse simpliciter, creantur. Talia autem sunt Subsistentia, ex quo inferunt, accidentia non creari, cùm sint entis entia *ex* 7. *Metaph. text.* 2. materiam verò in creatione subsistentium concreari cum forma. Quæstio autem est de formis supernaturalibus, præcipuè de gratia sanctificante, & aliis habitibus infusis.

OPINIO omnium antiquorum calculis sancita fuit, hos habitus creari. Ita S. Bonau. *in* 2. *dist.* 26. *quæst.* 4. & *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 4. & 5. *part. Breuil. cap.* 1. Alens. 2. *part. quæst.* 9. *memb.* 8. Richard. 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 2. & *in* 4. *dist.* 1. *art.* 4. *quæst.* 2. Scotus *in* 4 *dist.* 1. *quæst.* 1. & 4. *ac.* 5. & *dist.* 16. *quæst.* 2. quem omnes ferè sequuntur Scotistæ, qui proptereà obstrepentes insurrexerunt in Mastrium, innuentem è mente Scoti etiam oppositam probabilem: è quibus Poncius *in Appendice Appologetica*, & alter, *in Controuersiis Scotistarum*, *controuers.* 26. contra Mastrium exclamant. Eandem sequuntur Gabriel 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. Videtur Capreoli *ea dist. quæst.* 1. *art.* 3. *ad argumenta* Scoti *contra tertiam conclusionem*. Plaudunt Aliacensis *in* 4. *quæst.* 1. *art.* 2. Maior *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1.

in

in quarto argumento. Videtur Sotus *lib.de natura, & gratia*, *cap.* 9. Vega in Concilium Tridentinum *cap.*13. Ledesma *part.*4. *quaest.*3.*art.*1. Ferrar. 4.*cont. Gent. cap.*57. Conradus *in part.*1. *D.Thom. q.* 112. *art.* 1. tametsi *quaest.* 110. *art.*2. modum loquendi, Caietano adscriptum, sequi aduertitur, qui videtur dicere, gratiam non creari; sed concreari, quo etiam dicendi modo vtitur Paludanus 4. *dist.*1. *q.*1. *numero* 18. Latè verò pugnat pro hac sententia Fauentinus *in* 2. *disp.* 6. & *in* 4. *disp.*2. *cap.*3. Vulpes *tomo* 1. *part.*2. *disp.*3. *art.*1. Pasqualigo *disp.* 8. *sect.*2. Rabesanus *primo Phys.dist.*4.*q.*3.

141 QVO ad D.Thomam; asserit quidem, *creari* propriè esse subsistentium. Quoad gratiam verò, & alias formas supernaturales asserit passim concreari. Ita *hic* in fine articuli, *& de potentia, q.* 3. *art.*8. *ad arg.* Ideò *in* 2. *dist.*26. *art.*1. *ad* 5. asserit, gratiam annihilari, cùm destruitur. Quem modum dicendi sequuti sunt multi Thomistæ. Capreolus 4. *dist.*1. *quaest.*3. & idem Sotus *quaest.* 3. *art.*1. & *loco citato de natura, & gratia*. Ripa ad *hunc articulum D.Thomæ*.

MODERNI tamen intentarunt persuadere, gratiam non creari, vel concreari; sed educi è potentia obedientiali subiecti. Ita Valentia *disp.*3.*quaest.*2. *part.*4. & *tom.*2. *disp.*8. *quaest.*4. *puncto* 2. Suarez 1. *part. tract.*3. *disp.*9. & *Tom.*3. *in* 3. *part. quaest.*62. *art.*4. *disp.*6. *sect.*1. Vasquez 1.*part.disp.*174. Nazar. *ad art.*4. *quaest.*45. Ibi Molina *art.*1. Medina *part.*2. *quaest.* 112. *art.*1. Hieronymus de Rua *in sua vltima Controu. Schol.* in fine. Albertinus *in suis Corol. fol.* 407. Didacus Nungus 3. *part. quaest.*62. *art.*2. *difficultate* 7. *ad* 3. Coninch. *disp.*5. *de habitibus supernaturalibus, dub.*3. Turrianus *tract.de gratia, disput.*1. *de natura gratiæ habitualis*, *dub.* 12. Zumell. 1.*part. quaest.* 65. *art.*3. *quaest.* 5. è Scotistis Mairo 2. *dist.*1. *quaest.*9. Poncius *in Cursu Theologico, disp.* 25. etiamsi *disput.*26. *quaest.*3. sit pro opposita sententia. Mastrius verò latè *disput.* 3. *Phys. quaest* 5. *art.*2. & *disp.* 12. *Metaph. quaest.* 9. & *primo sent. d.*6. *quaest.*2. *art.*3. & *in* 2. *dist.*1. *quaest.* 2. Morand. *tract.*1. *quaest.* 10. Tanner. *quaest* 4. *dist.*2. Amicus *tract.*6. *Phys. quaest.*5. *dist.*4. Fuliensis *De Gratia l.*4.*cap.*9. Bassæus V. *Sacrament.*4. *n.*9.

Nituntur verò in hanc sententiam trahere D. Thomam, vt grauissimum struant auctoritatis ex antiquo, & præclaro Theologorum Luminari, suæ nouitati fundamentum.

142 FVNDANTVR maximè *prima secunda q.* 110. *art.* 2. *ad* 3. Vbi, cùm sibi obiecisset ad probandum, gratiam non esse qualitatem; quia nulla qualitas remanet, postquam desinit esse in subiecto; sed gratia remanet, non enim corrumpitur, quia sic in nihilum redigeretur, sicut ex nihilo creatur; vnde etiam dicitur noua creatura ad *Galat.vlt.* ergo gratia non est qualitas.

143 RESPONDET secundùm Boëtium accidentis ESSE, est inesse; vnde magis dicitur esse ENTIS, quàm ENS; vt dicitur 7. *Metaph. text.* 2. & quia eius est fieri, & corrumpi, cuius est esse; ideò propriè loquendo, nullum accidens fit, vel corrumpitur, sed dicitur fieri, vel corrumpi, secundùm quod subiectum incipit, vel desinit esse in actu, secundùm illud accidens, & secundùm hoc, etiam gratia dicitur creari ex eo, quòd homines secundùm ipsam creantur, idest, ex nihilo meriti constituuntur in esse nouo; secundùm illud Ephes.2. *Creati in Christo Iesu.* Hinc eruunt Vasquez, Nazar. & alij, non creari gratiam; sed tantùm iustificatum, & hunc valdè metaphoricè in sensu D.Thomæ.

AT D. Thomas in suo sistens fundamento vult gratiam concreari: sanctificatum verò creari propriè ad esse sanctum, nullo supposito fundamento subiecti. Quòd verò gratia educatur è subiecto, non habetur; imò ex nihilo educi concedit, argumentum dissimulans; non tamen dici proprissimè creari, quia non est ens completum, & in eius creatione non educitur ex nihilo totum subsistens. Idem sentit hic, vt videntur innuere Thomistæ, ac Tanner. *d.*6. *q.*1. *dub.*1. *numero* 6.

ASSERO, gratiam, & alios habitus supernaturales creari.

PROBATVR à D. Bonau. primò *loco allegato Breuil.* Id quod à Deo infunditur independenter à subiecto formaliter, id non educitur de potentia subiecti: sed gratia, & alij habitus infunduntur: ergo. Maior est euidens: nam infundi, est extra subiecti rationem produci, & in illud immitti, & influi. Minor est de fide Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Concilium Vienense *de Summa Trinitate, & fide Cathol.* sic definit: *In Baptismo culpa remittitur; virtutes, ac informans gratia infunditur.* Concilium Trident. sess.6. de Iustif.c.7. *In ipsa iustificatione simul cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa, accipit homo Fidem, Spem, Charitatem, &c.* Concilium Later. sub Leone X. ad explicandam animæ creationem independenter à subiecto, & consequenter immortalitatem, docet, eam infundi. Eadem docent SS PP. communiter. 144


RESPONDENT Bannez, Nazarius, & alij, catenus asseri infusam gratiam, quatenus non educitur è naturali potentia subiecti.

VIM tamen inferunt modo loquendi dogmatico, qui proprius esse debet; alioqui posset dici etiam anima educi è potentia obedientiali subiecti. Profectò Patres asserunt, gratiam creari. Nituntur autem Scripturis etiam, in quibus iustificationi adscribitur creatio. Psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Ephes.2.& 4. Neque obstat dici quoque regenerationem. *Ioan.* 3. & in Concilio Trident. *sess. de Iustificatione, cap.* 3. *&* 4. Hoc enim dicitur alia sub ratione, quatenus efficimur Filij Dei; seu ratione termini vltimi, qui est adoptio. Itaque frustra hæc Mastrius opponit, *numero* 44. 145

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in* 2. *allegato* ratione, quam assumit Faber *in* 4. *loco citato, numero* 22. Id, quod in sui destructione annihilatur, id in sui productione creatur: sed gratia annihilatur, cùm cessat: ergo. Maior probatur à Seraphico. Vnumquodque in id cedit, vnde productum est. Minor probatur: quia, quando peccator amittit gratiam, vel illa gratia mutatur in aliud, vel migrat in aliud subiectum, vel annihilatur. Non mutatur, aut resoluitur in aliam rem, quia non est huiusmodi res assignabilis: ergo non corrumpitur; quia corruptio, vt distinguitur ab annihilatione, est mutatio in aliam entitatem; vt patet in continua rerum corruptione, in qua vnius generatio, est alterius corruptio. Neque manet, neque migrat; hoc enim nouum, & inauditum esset: ergo. 146

RESPONDEBIT aliquis, gratiam desinere in se, sicuti lumen in aëre, species in sensu desinunt; atque adeò quodammodò annihilantur, quam tamen S. Bonau. impropriè annihilationem vocat, quia non annihilatur, nisi quod habuit esse per creationem, quæ solis entibus perfectis conuenit; at lumen in aëre, species in sensu sunt entitatulæ, quæ non pendent à subiecto, in quo sunt; puta lumen ab aëre, & ideò in illud non resoluuntur, aut 147

in



in aliud, nisi fortè in suum principium; vt ait S. Doctor *ad 6.* De his dicere libet, quantulum habent de entitate, id omninò destrui, sed impropriè. Ita etiam Faber *in 4. citato, num. 12.* At gratia non sic se habet, quæ est forma perfectissima creata.

148 PROBATVR hinc tertiò à D. Bonau. *loco cit.* ratione, quam desumit Faber *in 2. loco cit. num. 5.* Si gratia è subiecto educeretur, non produceretur à solo Deo. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Probatur sequela. Quod pendet in esse essentiali ab aliquo, non potest pendêre, nisi in aliquo genere causæ: si ergo per aduersarios gratia pendet à subiecto: ergo non à solo Deo.

FALSITAS consequentis probatur ex D.Thom. *part.2.quæst.112.art.1.* vbi ex professo probat, gratiam produci à solo Deo, & nullam creaturam posse habere causalitatem circa eam, & vtitur anthoritate Psal.83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Idem habet Seraphicus *in speculo B. Virginis, lect.5.* & *in Breuil. loco citato*; vbi id confirmat ex primo Iacobi: *Descendens a patre luminum.* Et Apocal.22. vbi fluuius aquæ gratiæ à sede Agni erumpens, & ad ima defluens visus est.

Ex quibus ruit etiam solutio Mastrij *num.62.* vbi ait, non probari intentum, gratiam non pendêre in genere causæ materialis; sed solum in genere causæ efficientis à creaturâ: Imò addit, gloriam, quæ est visio, pendêre à creatura etiam efficienter.

CONTRA enim est, quia dum gratia dicitur descendere, & vt fluuius, è cœlo deriuari, iam excluditur causalitas subiecti creati. Quòd verò actus visionis pendeat à vidente, nil obest. Loquendum enim est de gloriâ, sicuti de gratiâ, vt dicit principium habituale luminis ad gloriam, quod à solo Deo est. Sanè etiam actus, qui oriuntur è gratiâ, sunt pariter à libero arbitrio.

149 PROBATVR quartò à D.Bonau. *in Breuil. loc. cit.* ratione valida, quâ vtitur etiam D.Thom. *part.2. quæst.112.* eamque Faber pro Achille sibi stantem constituit. Nihil agit vltra suam speciem, quia causa est semper potior effectu: at donum gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ: ergo impossibile est, virtutem creatam attingere productionem gratiæ. Minor probatur, quia gratia est participatio quædam Diuinæ naturæ, faciens Filios Dei hæredes beatitudinis, quæ est summum bonum super omnem ordinem naturæ. Et sicut anima, quæ est Dei imago est à solo Deo per creationem; ita hæc, quæ reddit in ordine superiori deiformem.

RESPONDET Valentia, animam esse tantùm causam materialem; at materia non debet esse perfectior effectu.

150 CONTRA; quia vis repugnantiæ non stat in hoc, vel illo genere causæ: scio è materia educi actum; sed stat in improportione ordinis, vt quod est supra ordinem naturalem toto genere, non possit à causa ordinis inferioris attingi. Talis est gratia.

Ex quo ruit etiam responsio Meldulæ, *loco cit.* qui ait, etiam gloriam esse supernaturalem; & tamen ad eam habere causalitatem intellectum creatum.

Hoc enim non est simile: nam actus gloriæ non est toto genere totaliter supernaturalis, sed habet admixtum vitalem actum, qui tamen solus non potest dici aliquo modo concausa, cùm egeat eleuari. Propterea *tract.1. disp.11. quæst.17.* ostendi, præclariorem intellectum, dato pari lumine gloriæ, non videre clariùs Deum, quàm videat intellectus obtusior.

PROBATVR quintò à D. Bonau. *in Breuil. cit.* ratione, qua vtitur Vulpes *disput.3. art.1. num.8.* sumpta è spiritualitate gratiæ, & aliorum habituum supernaturalium, sunt enim formæ spiritualissimæ recedentes, & eleuatæ super rerum creatarum massam, & accedentes super omnia ad Diuinam spiritualitatem, cuius signum est, quòd per hos habitus Deus condescendens creaturis, tametsi nobilissimis, eas eleuat ad Deiformitatem.

CONFIRMATVR à D.Bonau. *ibi*, & *in 2. dist. 26. quæst.4.* ratione, qua vtitur Fuentes *1. Phys. q 4. diff.2. art.4.* nam gratia, & cæteri habitus ita excellunt in ordine gratiæ, sicut anima rationalis in serie naturæ; sed hæc ob suam perfectionem petit à Deo creari: ergo. In hoc tamen cedunt animæ, quòd licèt ordinentur ad reformandam, & perficiendam Dei imaginem in anima, eamque eleuandam; attamen, quia dantur iuxta statum viæ, in quo potest homo peccare, non creantur incorruptibiles, etsi ab intrinseco sint supernaturales secundùm substantiam, atque adeò ab intrinseco exigant esse supra vires cuiuscumque causæ creatæ: eleuant enim animam ipsam supra totum naturæ statum. 151

Confirmatur à Rabesano. Sicut spiritus è corpore non educitur; sic nec supernaturale è naturâ.

RESPONSIO, quâ hæc omnia retundere arbitratur Mastrius *art.2.* sumitur ex actibus supernaturalibus, qui tamen sunt in causalitate animæ, vel Angeli eleuati per gratiam, & auxilium Dei.

AT hæc similitudo non est proportionata; nam actus non sunt toti supernaturales, vt dixi, sed habent esse etiam vitale; & ideò mixti sunt: at principium status supernaturalis, qui est habitus gratiæ, non est mixtum, sed est aliquid merum supernaturale; alioqui si libet hæc inter se comparare; iam liceat etiam dicere, posse gratiam, & lumen gloriæ efficienter quoque prodire à creatura, quod aduersarij non audent concedere. 152

Similiter concedant, non minùs habitus supernaturales educi de potentiâ naturæ subiecti, idest animæ, quàm actus. Quod sanè ad mentem Scoti asseruisse Mastrium *disp.3. Phys. quæst.5. art.2.* asseuerat Vacarius, olim in Patauinâ Vniuersitate Metaphysicus *1. p. disput. Phil. disput.4. concl.1.* Hoc verò impugnat, quia supernaturale à nulla causa naturali potest attingi: sed gratia, & alij habitus infusi sunt supernaturales: ergo. Neque est idem de actibus, qui non sunt mere supernaturales, sed solùm ratione habitus supernaturalis concurrentis ad eorum productionem. Neque verò ob id desinunt illi actus esse supernaturales secundùm substantiam, eò quòd ad eos concurrat etiam potentia naturalis cum habitu gratiæ, vel luminis gloriæ: nam supernaturale secundùm substantiam non est id solùm, quod solus Deus supra naturam operatur; sed id, quod est supra vires nudas totius naturæ, vt sponte Mastrio concedo; sed dico non esse tales actus secundùm omnes causas, sed solùm ex parte habitus eleuantis, vt dixi. In hoc autem absque causâ dicit Mastrius nos impingere, quasi negemus actus illos supernaturales substantialiter; eò quòd etiam natura concurrat partialiter.

Obiicies primò. Omnis forma accidentalis, cùm sit nata inhærêre subiecto, nata est quoque 153

que

que fieri, & conseruari dependenter à subiecto; sed habitus supernaturales sunt ac identia: ergo &c.

Respondet Poncius in Appendice, maiorem petere principium, cùm ab omnibus negata sit. At si doctrinæ eius *disp.37. numero* 26. insistamus, eodem discursu vtitur, qui est bonus: Nam forma, quæ subiecto inhæret, ab eoque pender, vt extra illud esse nequeat, indicat suam à subiecto dependentiam etiam in fieri; aut saltem indicat, posse è subiecto educi; atque adeò saltem infert superfluam esse Creationem. Confirmatur: nam anima rationalis ex opposito hinc colligitur creata, non educta è subiecto, quia est ab eo independens, apta separari, & per se subsistere; Ideò geminas actiones in eius productione discernimus, nempè productionem è nihilo, & vnionem cum corpore, has autem non possumus in formis accidentalibus, quæ suum habent esse inhærendo, distinguere.

154 Vrget Mastrius. In causis adæquatis, si affirmatio est causa affirmationis; etiam negatio est causa negationis; sed causa, cur anima rationalis non educatur è subiecto, sed creetur, est eius independentia à subiecto, quam in separatione agnoscimus: ergo dependentia formarum accidentalium, etiam supernaturalium à subiecto, est causa vt producantur è subiecto; non creentur.

Hoc mihi in mentem induxit vulgatum illud. *Nimis premere, est vires vnire presso*: Ex hoc enim mihi suggeritur responsum. Nego igitur, causam adæquatam conuenientiæ talis productionis in formis supernaturalibus sumendam ex inhærentia earum in subiecto; sed sumenda est ex genere proprio entis; nam inhæsio est ratio communis entibus: quæ sunt accidentia, etiam naturalia. Cùm igitur gratia sit ens substantialiter supernaturale, transcendit ordinem totum naturæ; atque adeò nulla virtus, etiam suprema efficiens, ne dum inferior subiectiua materialis, potest eius productionem attingere, ac proinde oportet, vt è nihilo producatur. Neque verò animæ adæquatè opponitur, vt regula oppositorum vigeat; sed opponitur tantùm in inhærentia oppositâ subsistentiæ animæ, atque adeò, licèt anima hinc colligatur creata; non tamen infertur educta gratia è subiecto; id sanè sequeretur, si esset eiusdem ordinis. Ex quo fit, vt hoc argumentum procederet benè in formis naturalibus dependentibus à subiecto, vt educantur è subiecto; sicuti anima ob independentiam exigit creari; at gratia, quippè ordinis superioris, alias habet rationes, ob quas nequeat è subiecto educi, quas in argumentis assignatas (vt reor) supponens Poncius, non refricat. Quare immeritò Mastrius *numero* 51. eum irridet; quia talem nullam assignauerit causam diuersitatis.

155 Obiicies secundò cum eodem Mastrio: actus supernaturales educuntur, & non creantur: ergo idem dici potest de habitibus; nulla enim ratio assignari potest de habitibus, quæ non elidatur in actibus.

Respondet Poncius, negando consequentiam, nam actus pendent à concursu causæ creatæ; at verò habitus non sic. Deus enim solus eos infundit, vt aduertit S. Bonau. *in 4.d.1.p.1.q.4. fundamento* 4. latiùs verò *in 2. d.26. q.2. & quæstionibus sequentibus*. Deus enim sicut solus creat animam; anima verò creata, etiam homo operatur; ità solus creat gratiam, quâ postea informata anima operatur.

Instat Mastrius *disp.12. Metaph.numero* 291. & *in 2. disp. cit. numero* 55. hanc disparitatem ad rem non facere. Non enim ideò Deus dicitur creare habitus supernaturales, quia immediatè illos producat absque interuentu causæ secundæ efficientis: nam se solo producit alias formas, quæ educuntur; vt dicunt, de vegetatiua, & sensitiua. Deinde vrget, esse petitionem principij, & reddimus rationem, ob quam actus non creentur; quia potentia etiam nostra ad illos concurrit. Multa his agglomerat.

Respondetur facilè, nos præcisè non dicere, habitus illos creari, quia à solo Deo producuntur: actus verò non creari, quia nos quoque concurrimus. Sed responsio nostra est, Mastrium non benè colligere, habitus educi è subiecto; eò quòd etiam actus educantur, ratio disparitatis est: quia actus nostri, vt ordinati ad meritum, & exercitium multiplex liberi arbitrij, debent connaturali modo prodire etiam à nobis efficienter, & quia nostra actio est creaturæ, eget subiecto; at verò habitus, quia sunt qualitates supra ordinem omnem creatum, non possunt habere à creatura suum esse, ac proinde neque anima potest concurrere, vt subiectum, ob rationes suprà collatas, atque adeò debet eos de nihilo Deus solus condere. Hoc responso, plurima, quæ Mastrius extruxit, funditùs corruunt. 156

Vrget adhuc *disp.1.quæst.5. art.2.* Formæ accidentali conuenit inhærere, non quatenus naturalis forma est, sed quatenus est accidens. At hoc commune est quoque habitibus supernaturalibus: ergo commune est illis pendere à subiecto in *esse*: ergo & in *fieri*.

Respondetur, accidentia omnia pendêre in esse à subiecto, magis, quam animam à corpore. Vnde sicuti anima non creatur extra corpus, sed in corpore; multò magis accidentia etiam supernaturalia creantur in subiecto; vt docet D. Bonau. *in 4. d.1. p.1. q.3. fundamento* 3. attamen talia accidentia, vt gratia, priùs respiciunt esse ab efficiente, seù creante, quàm subiectum inhærentiæ, atque adeò productio non est formaliter idem cum inhæsione, & ideò sustentatio non includit, aut infert eductionem; quia accidentia supernaturalia in hoc sanè communicant cum naturalibus, vt egeant sustentari, & hoc datur eis, vt modo conuenienti perficiant subiectum; vt docet Seraphicus *in 2. d.26. q.3.* attamen, quia eorum ordo est superior, inattingibilis à creatura, debentque reddere deiformem, vel singulariter vnire Deo, ideò non possunt educi è subiecto, esto producantur in subiecto. Quare negandum est etiam, causam adæquatam eductionis accidentium naturalium esse indigentiam inhæsionis; sed addenda naturalis subiecti proportionata potentia; quo fit, vt Deus cum natura agens, aptè producat è subiecto: Quoad oppositum verò, nempè quod ideò anima inferatur creata; quia independens, atque adeò oppositum inferatur de formis dependentibus, iam suprà satisfeci. Idem ferè respondet Vacarius *d.4. de forma, concl.2. cap.2.* nempè, tametsi concessero, animam ideò præcisè non educi, quia est independens; tamen in formis supernaturalibus esse aliam rationem, quam etiam Poncius supponebat, scilicet supernaturalitatem; neque anima opponitur formis supernaturalibus, vt currat in eis illatio opposita, cùm sint ordinis diuersi; opposita autem sunt contraria sub eodem genere. Vnde rursus instantia Meldulæ ruit, cum illâ de actibus, ob suprà allatam diuersitatem. 157 158

Instat Mastrius: quia inhæsio, & receptio formæ

formæ in materia arguunt dependentiam in conseruari. Iam verò gratia etiam recipitur in subiecto, eique inhæret.

RESPONDET Seraphicus *in 2. distinct. 26. quæst.4.* gratiam habere rationem accidentis, non naturalis; sed altioris ordinis: & sicuti non pendet *in fieri*, ità neque in *conseruari*; quia non habet solùm rationem accidentis; sed aliam altiorem, quæ à subiecto naturali non potest recipere influxum. Conseruatur igitur à Deo, ita vt non mutato physicè subiecto; sed tantùm moraliter per culpam, desinat esse gratia, non resoluta in subiectum; sed annihilata, quod est signum independentiæ physicæ secundùm esse supernaturale à natura subiecti.

OBIICIVNT alij. Creatio est productio entis, vt ens est; hoc est totius esse rei, non talis, aut talis esse particularis. Vnde si non sit productio totius esse, quamvis à solo Deo fiat, non est creatio, vt patet in Resurrectione: sed productio gratiæ est talis entis, cùm formæ postulent inesse tali subiecto.

RESPONDET Seraphicus *In 2. loco cit.* ad creationem sufficere produci rem ex nihilo, neque vllo modo præexistere in potentia subiecti: talis est gratia; & proinde sicuti ex nihilo educitur; ita cessat per annihilationem.

Caietanus 3. *p. quæst.62. art.1.* dicit, se non credere gratiam annihilari, & ideò hac ratione negat creari; vt notat Faber *loco citato*.

DICES, accidentia sunt entis entia: ergo non creantur.

RESPONDETVR, accidentia esse perfectiones entis, & à substantia pendêre in sustentatione, & etiam in eductione, (si sunt naturalia:) at verò de supernaturalibus diuersa est ratio; vt dixi.

QVÆSTIO IX.

Vtrum CREARE *sit proprium alicuius Personæ Diuinæ.*

D.Bon. in 1.d.7. quæst. penult. & vltim.
D. Thom. q.45. art.6.

ASSERO primò, creare non esse proprium alicuius Personæ Diuinæ.

PROBATVR à D. Bonau. *hic*. Quod est naturæ, est commune omnibus Personis Diuinis. Creare est naturæ: ergo. Maior patet, quia in tribus est natura: ergo in omnibus sunt ea, quæ sunt naturæ. Minor probatur; quia creare est omnipotentiæ per intellectum, & voluntatem. Hæc verò sunt naturæ. Eadem ratione vtitur D.Thom. Definitum est hoc in Concilio Later. sub Innocentio III. *cap. firmiter*, vbi tres personæ dicuntur consubstantiales, coæquales, coomnipotentes; & ita essentiam, quæ est in omnibus, esse principium rerum omnium. Eadem conclusio habetur in Concilio Tolet. 6. *cap.1. & 11. in confess. fidei*, & *in epistola Agathonis*, quæ est in sexta Synodo *act.4. & act.17.* recepta à toto Concilio.

Est etiam doctrina Patrum Dionysij *cap. 2. de Diu. nominib.* August. 1. *de Trin. cap.4. & 5.* & alibi. Ex qua erupit axioma Theologicum. *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.* Eadem ratione, quæ est D.Bonau. & Concilij Later. vtuntur Valent. *tom.1. disp.3. quæst.2. punct.3.* Vasq. *ad art. cit. D.Thomæ*, & reliqui.

162 ASSERO secundò, diuinas personas ipsas creare simul.

PROBATVR à Seraphico ad *Ioan.5.* illis verbis: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.*

PROBATVR secundò à S.Doctore *in 1. d. 36. in dubiis lit.* ex illo Rom. vlt. *ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.*

PROBATVR tertiò à D.Bonau. in Psal.32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quibus authoritatibus vtuntur Moderni.

PROBATVR ratione ab eodem S.Doctore in ea verba Ioan. *Omnia per ipsum facta sunt*, qua vtitur etiam D.Thom. Ita fiunt creaturæ à Deo, sicut artefacta ab artifice: sed opus artis fit ab artifice per Verbum intellectûs, quo rem faciendam cogitat, & per amorem, quo impellitur ad rem efficiendam: ergo & creaturæ fiunt à Deo per Verbum genitum repræsentatiuum creaturarum; & per amorem spiratum.

163 Non benè tamen Henricus *quodl.6.q.2.* asserens, diuinas Personas creare solùm per Verbum productum, & Spiritum sanctum spiratum; non autem per essentialem notitiam, & amorem creaturarum, vt notat Valentia; tametsi eum Vasq. excuset, quasi velit solum per appropriationem attribui Personis, Verbo scilicet rationem Ideæ; Patri potentiam, &c. at iste non videtur sensus Henrici.

SIMILE quid ex Patribus aliqui deducunt dicentibus, Patrem creasse per Filium id, quod habetur etiam in Symbolo Nicæno: At nil tale hinc eruitur; sed tantùm habetur, Verbum esse, cui appropriantur Ideæ, quibus Deus creat omnia.

164 NEQVE rectè alij hinc deducunt, Filium fuisse Patri instrumentum ad creationem. Quod si Apostoli *in constit. lib.5. cap.19.* aiunt, Verbum ministrasse Patri in creatione, quod idem ait Iustinus *in Dialogo cum Tryphone*, Clemens Alex. *oratione hortatoria ad gentes*: hæc sanè, per similitudinem nostro captui aptam, intelliguntur. Quia enim apud nos verbum artificis habet rationem instrumenti, & ministerij, similem concipimus modum in Filio, in quo tamen alia est longè ratio; quia est subsistens consubstantialis Patri; eadem virtute operans principaliter. Sic etiam exponendi Patres, qui Patri adscribunt *iubere*; & Filio *facere*; vt Nyssenus *lib. de Trinitate*, *aduersus Iudæos*. Hieron. in id Amos 6. *Quia ecce Dominus mandauit*. Cyrill. Hierosol. *Catech.6. & 11.*

QVÆ omnia spurio sensu adulterauit Concilium Syrmiense, quod constat, fuisse Arrianum, quando in *can.2.* damnat negantes, Filium obsecutum Patri in creatione; vt notat Vasquez *loco cit.*

QVÆSTIO X.

Vtrum in creaturis sit vestigium Trinitatis.

D. Bonau. 1. d. 3. p.1. per 4. quæstiones.
D.Th. q.47. art.7.

165 EX dictis colligitur, Deum in creaturis imprimere aliquid, quo eum referant: nam omnis effectus aliquo modo suæ causæ assimilatur.

TRIPLICITER autem aliquid aliud repræsentat, vt habes in D. Bonauent. *quæst. 2. ad vltim.*

Primò

Primò, vt vmbra corpus. Secundò, vt vestigium pedem. Tertiò, vt imago vultum repræsentat. Quæ similitudo ad rem nostram deducta, est excutienda. Quia enim Deus est simplicissimus spiritus, non habet pedem, vultum, aut corpus. Dicuntur verò creaturæ imitari Deum, vt vmbra corpus imitatur, quatenus indicant, se in genere à causa nobilissima productas. Exprimunt vt vestigium pedem perfectiùs, quatenus indicant, se à Deo efficiente ad eum finem tendere, & formalem Dei rationem exprimunt, idest essentiam, & appropriata. Potentiam à qua producuntur. Sapientiam, per quam producuntur, & bonitatem, ex qua productæ ad eam tendunt.

166 Aliquæ verò creaturæ Deum exprimunt in ratione imaginis, quia respiciunt Deum, vt obiectum, cuius factæ sunt capaces per cognitionem, & amorem, & per vnam Essentiam, & tres Potentias, actusque earum exprimunt diuinas emanationes; atque Trinitatem augustam inde resultantem; de quibus agam *tract.4.& 10. de Angelis, & anima.*

Cvm autem omnes creaturæ sint à Deo, tanquam causa, omnes Deum referunt, saltem per modum vestigij, quatenus in numero, pondere, & mensura factæ sunt; vt dicitur *Sap.11.* & habent modum, speciem, & ordinem, vt ait D.August. *lib.de natura boni, c.3.* Vide D.Bonau. hic, & ad locum adductum *Sap.* & *dist.3.cit.dub.6.* & *3.p. Centil. sect.8.* quæ ad litteram ferè hausit Valentia *disp. 3. q. 2. puncto.3.* Hæc verò latiùs declarabo *tract. 3. p.2.* vbi ostendam: an, & quomodo peccata destruant modum, speciem, & ordinem, à Deo rebus præscriptum.

Assero ergo, creaturas omnes repræsentare Deum in ratione, quasi vestigij. Patet ex dictis.

QVÆSTIO XI.

An Mvndvs *fuerit creatus ab æterno.*

D.Bon.in 2. d.2. p.1.q.2.
D.Thom. q.46. art.2.

Aristoteles 8.*Phys.& 1.cœli, & 2 de gener. & 12. Metaph.* censuit (si multis credas) mundum, cœlique motum esse æternum. Cum eo sentiunt alij apud Seraphicum Doctorem, Valentiam *disp.3.q.3. punct.1.* Colleg.8.*Phys.c.2.q.3.* Amicum *tract.2.q.2. d.3.* Ferchium *de cæli ortu, l.1.*

Omnes penè Philosophi, ante Aristotelem, censuere, mundum in tempore factum. Eos recensent Conimbricenses *loco cit.* qui tamen certis rationibus, seclusa fide, id probari posse negant cum D.Thom.2. *cont.Gent.cap.*38. Adducunt D.Gregorium *homil. 1. in Ezech.* sed falsò; nam ait solùm, Moysi nudè narranti, præteritam creationem credi, quia & futura diuinauit.

Assero, mundum in tempore conditum.

167 Probatvr primò à D.Bonau. *in 2.d.1. dub.2.* ex 1.Genes. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Principii autem voce intelligitur principium temporis, ante quod non erat mundus; vt definit Concilium Later. sub Innoc.III. *c.firmiter.* Sic exponunt etiam Patres, Ambrosius *lib.1. Hexaem. c. 3. & 4.* Nissenus *in Hexaëm.* Basil. *ibi, homil. 1.* Athan. in id: *Omnia mihi tradita sunt* Matth.11. Chrysostomus *homil. prima Genes.*

Aliis quidem modis nomen *Principij* accipitur. In principio, idest Filio, de quo ad Coloss.1. *In quo vniuersa sunt condita.* Et Ioan.8. *Ego Principium.* Ita exponunt SS.Aug. *lib.11.de ciuit. c.32.* & *lib.12. Confess.c.28.* & *lib.1. de Genes.ad litt. c.2.* Hilar. in id Psal.39. *In capite libri.* Hieron. *initio qq. Hebraic.* Ambros. *loco cit.* & alij apud Suarez *lib.1. de vniuerso c.2.à n.24.* Ascanium in Glossa magna, & refertur à D.Bonau. *loco cit.* & *in 1.d.2. dub.8.* & *in 2.d.1. p.1. dub.2.* & *dist.12. d b.1.* & *art.1.q.3. ad 3.* vbi ponit etiam alium sensum. *In principio*, antequam alia conderet. Idem indicat D.Thom. *q.46.art.3.* Valent. *loco cit.* Vasq. *disp.177.c.1.* Vide alias expositiones in Seraphico, & Martinengo. Enim verò non detrahunt sensui historico, qui facit rem de fide certam; vt statuit Concilium Later. & notat cum D. Bonau. Suar. *n.26.* Hoc enim sensu ab omnibus Patribus admittitur.

Probatvr secundò à Doctore Seraphico *ad 17. Ioan.* ex iis verbis: *Clarifica me Pater claritate, quam habui, antequam mundus esset.* 168

Probatvr tertiò à S.Doct. *serm.6. Hexaëmer.* ex PP. Nazianz. Nyss. Basilio, & aliis Aristotelem reprobantibus; & cum Platone *in Timeo Critia,* & de *Republ.* sentientibus, quorum argumenta validissima cum D.Bonauentura afferam, *quæst. sequenti.*

Probatvr quartò à Seraphico *opusc. Reductio artium ad Theologiam* ex eo Prou.8. *Antequam quidquam faceret a principio. Nondum erant abyssi, &c.* His nituntur cæteri.

Aristoteles quidem 1 *Top.c.9.* fatetur ingenuè, non haberi de mundi æternitate solidas rationes & 1. *Metaph. sum.2. c.2.* secutus Anaxagoram, docet, quòd materia nunquam se transmutat, nunquam reducit se ad actum, nunquam ex se facit compositum, inductione probans; quia æs non facit statuam; neque lignum ex se facit lectum; sed necessarium est agens actu præexistens, transmutans materiam, &c. Quare sibi non constat Cremoninus apud Ferchium *lib. 1. de cæli ortu, cap.5.* dum ait, cælum constare ex materiâ, & formâ, neque tamen vllum efficiens vniuisse materiam cum forma.

Plvrimis rationibus Ferchius in suo lib. ostendit cælos esse factos. Ipsum vide.

Solvit quoque rationes Aristotelis, contendentes mundi æternitatem. Eundem vide cum Bouer. *dem.1.* si libet, nimis prolixè hac de re disserentem. Interim *quæst. sequenti*, ostendere aggredior implicare, mundum fuisse ab æterno.

QVÆSTIO XII

An Mvndvs *potuerit esse ab æterno.*

SS. Doctores supra.

Non est quæstio; an possit aliqua creatura esse æterna, intrinsecè mensurata æternitate, tota simul necessariò, indefectibilis; hoc enim Dei est proprium. Sed; an posset aliqua creatura ex libera voluntatis Dei conditione, seu productione, extrinsecè coexistere æternitati.

Prima opinio est, mundum quoad omnes sui partes potuisse creari ab æterno. Ita Gregor. Arim. *in 2. dist.1.q.3.* Gabr. *eadem dist. & quæst.* Ocham *in 2.q.8.* & *quodl.2. q.5.* aliique Nominales. In hac classe referuntur à Tanneto *disp. 6. q.1. dub.3.* Conimbricenses 8.*Phys.c.2.q.6. & 7.* quod asseruerint absolutè, mundum quoad res permanentes potuisse esse æternum; quoad successiuas verò stent pro- 169

blematici. At hi de omnibus generationibus negant, vt vidit Nazar. *q.* 46. *art.* 2. *controu. vn.* & de omnibus successiuis, vt monet Poncius *d.*21. *Phys.* *q.* 4. qui vniuersali assertioni inclinat ad condicta *d.*14. Arriaga 8. *Phys.* Complutenses *hic* plures allegant cum Amico *tr.*2.*q.*3. Illi tamen ad secundam abeunt sententiam. In hac verò quoad permanentes sistens Scotus 2.*d.*1.*q.*3. successiua sub iudice relinquit. Subscribit Eustachius, Cisterc. *p.*2. *Phys. tr.*1. *q.*3. Ioan. à S.Thom. *q.*24. *art.* 2. dicens secundam sententiam non esse veritati consonam.

SECVNDA opinio solam excludit hominum seriem, ne infinitas concedat animas, cætera dans eodem ordine in vniuerso existente potuisse fieri ab æterno. Ità D.Thom. *hic*, vbi Caietanus, Nazar. & alij Thomistæ. Idem docet S. Thom. 2. *contra Gentes*, *c.*38. vbi Ferrar. Capreolus verò *in* 2. *dist.*1. *q.*1. Heruæus ibidem, Soncinas 12. *Metaph.q.*31.

170 TERTIA sententia est Durandi *in* 2.*d.*1.*q.*3. nec motum, nec generationes potuisse esse æternas, tametsi res permanentes concesserit potuisse esse æternas. Idem sentit Suarez *in Metaph. disp.*20. *sec.*6. & *lib.*1. *de vniuerso*, *c.*2. Malonius *in* 2. *d.*1. *disp.*7. & quidem quoad entia permanentia subscribunt tres Scholæ celebres Thomistarum, Scotistarum, & Nominalium: vt refert Mastrius *in secundum*, *d.*2.*q.*6. *art.* 3. *numero* 160. Ruuius 8. *Phys. q.*2. & 3.

QVARTA sententia est Soto 8. *Phys. q.*2. potuisse Deum condere ab æterno mundum, quoad partes incorruptibiles, videlicet Angelos, Animas rationales, & cœlos: non autem hæc sublunaria relicta in earum naturâ. Addit, neque speciem humanam potuisse esse æternam. Parum recedit Bannez *q.*46. *art.* 2. dicens, non potuisse mundum quoad corruptibilia, atque incorruptibilia, relicta in suâ naturâ, esse æternum, si etiam in eadem remanerent dispositione, quâ nunc extant; potuisse tamen, mutato rerum ordine naturali.

171 QVINTA opinio est totum hoc vniuersum ab æterno esse potuisse, non solum quoad substantias, & res permanentes sine corruptione per infinitam durationem; sed etiam quoad motum; non autem quoad generationem formarum tam substãtialium, quàm accidentalium. Ità Vasquez *disp.*177. qui addit, generationem hominũ non ideò repugnare æternam esse, quod ex ea sequatur infinitas animarum.

SEXTA opinio asserit, perpensis rationibus, potuisse res, saltem permanentes, esse ab æterno, vt communiter edocent tres Scholæ; attamen ponderatis Patrum auctoritatibus omninò negandum, potuisse creaturam aliquam esse ab æterno; coniiciendumque aliquam subesse grauem rationem, nondum nobis satis compertam. Ità Gregorius de Valentia *disp.*3.*q.*3. *punc.*2. Arriaga in Physicis, vbi affirmatiuam sententiam probabilem censuit; & 1. *p. tract. de operibus sex dierum*, *disp.*28. *sec.*2. *subsec.*3.

172 SEPTIMA sententia prorsus negat, creaturam aliquam potuisse fieri ab æterno. Ità Albertus 2. *p. summæ, tract.*1. *q.*4. *m.*2. & 2. *d.*1. *art.*10. Henricus *quodlib.*1. *q.*7. & 8. Marsil. *in* 2. *q.*1. *art.*2. *in* 4. *p.* eius, Clictouæus in *c.*8. *lib. primi de fide S. Damasceni.* Toletus 8. *Phys. q.*2. Eugubinus in *Cosmopœam*, Trigos. *q.* 22. *in expositione textus S. Bonauenturæ.* Picolominus, *lib.*1. *de motu*, *c.*13. Aresius *primo de Gener. d.*5. *q.*44. Murcia *lib.*8. *Phys. disp.*1. Guiliel. Parisiensis *primæ partis de vniuerso*, *p.*1. *c.*8. Tanner. *disp.*6. *q.*1. *dub.*3. Camerar. *d.*2. Faber verò 2. *disp.*5. problema canit, ad nutum Scoti. Quoad Seraphicum, allegatur à Tannero, Nazario, & aliis in classe distincta, accedente tamen ad hanc sententiam, quia asserit, non potuisse mundum esse ab æterno, si ex nihilo: at verò potuisse, si ex materia fieret ingenita; vt dicebant Plato apud Plutarchum *lib.*1. *de placitis Phil.* & apud Ambrosium *lib.* 1. *Hexaëmer.* & Stoïci, & post eos Hermogenes, vt refert Tertullianus contra eum, *lib.*5. & *lib. de præscript. heret. c.*7. & 33. Quo errore scatuere alij apud Vasquez *q.* 44. *art.*2. D. Thom. Sensus tamen D. Bonau. absque ambage est; quod si verum esset, quod illi dixêre, materiam increatam fuisse, ac coæternam Creatori, & ex ea deducendas formas; potuisse esse mundum coæternum; at quia, etiam materiam grauiter astruit è nihilo necessariò esse secundùm fidem, quæ omnia ex nihilo definit; vt cum eo ostendi *q.*1. & *q.*11. infert S. Doctor, se cum vltimâ sententiâ stare, negando penitùs, creaturam aliquam potuisse esse ab æterno; vt agnouit Vasquez *hic*, *c.*1. & Valentia. Idem docet *serm.*4. *Hexaëmeronis.*

FVNDAMENTVM D. Bonau. est Dupliciter aliquid ab alio potest per productionem deriuari. Primò per emanationẽ. Secundò per transmutationem: & quidem quod per emanationem egreditur, fluit ab ipsâ substantiâ sui principij: sic lumen à Sole; risibilitas à rationalitate. Sic in Diuinis fluit Filius à Patre: Emanantia hoc pacto præhabent esse in suo principio, vnde non habent esse post non esse; sed eodem modo se habent, quoad durationem cum suo principio. At verò, quæ per trànsmutationem producuntur, vel ex nihilo, vel aliter de non esse ad esse, hæc post suum principium sunt. Talia sunt omnia, quæ creata sunt (nam dicere aliqua esse extra Deum, & non creata à Deo, insanum est, vt clamat D. August. 11. *de ciuit. c.*4.) Itaque id, quod habet esse per creationem ex nihilo, includit esse post non esse in aliqua duratione; vt notat D. Bonau. *in* 2. *d.*1 *art.* 3. *q.*1. *ad vlt.* & *in primo, dist.*9. *dub.*15. *litt.* Ratio est nam intrinsecus creationis terminus *à Quo*, est nihil; & terminus *ad Quem* est aliquid; non potest autem in eodem indiuisibili instanti durationis res esse; & non esse, vt benè arguit Tannerus cum D. Bonau. qui eadem habet 2. *p. Breuil. c.*1. vbi addit, creaturas esse necessariò à Deo efficienter; & cùm non possint produci è Dei substantia, quæ est immultiplicabilis, necessariò producuntur è nihilo; & cùm sint finitæ, debent in aliquo instanti primo finito habere *esse*; atque adeò repugnat eas esse absque initio. Ex quo sequitur etiam, materiam debere tali modo esse productam, quare infert S. Doctor absolutè repugnare, materiam increatam, quæ cum sit potentialis, magis est vicina nihilo, & indigens agente productore. Ex quo tandem agnouit Tannerus, Seraphicum absolutè negare, creaturam aliquam posse esse æternam. 173

Ex quibus apparet disparitas creationis, cum emanationibus ad intrà: Nam Personæ emanantes, cùm sint ipsa essentia, de cuius ratione intrinseca est existentia, nequeunt transitum habere à non esse ad esse. Quare hoc nitebantur SS. Patres; Verbum non esse ex non ente; sed ex Patris essentiâ, non tanquam ex termino *à Quo*; sed ex esse intrinseco, non tempore, non naturâ, sed solâ origine præexistente in Patre, & per emanationem in Filio communicato. Hæc autem communicatio, & hoc ESSE non habet primum instans, à quo mensuretur; quia Persona diuina producta, est infinita immutabilis per se, necessariò existens per emanationem, æternitati adæquatam; ideò emanat absque mutatione per actum immanentem in Patre infinitum, adæquantem ipsum Genitorem, ac intrinsecè adæquantem 174

quantem æternitatis durationem, quæ est tota simul immutabilis. E regione, creatura contingens, atque adeò potens non esse, finita, transiens per transmutationem è nihilo sui ad esse ens finitum, habet vnum primum instans, quo fit transitus à nihilo præcedenti, tanquam à termino *à Quo*, ad esse successiuè duraturum, egens continuâ sustentatione entitatis defectibilis; proinde illi repugnat infinitas entitatis, ne dum immutabilitas tota simul. Hoc fundamentum est doctrina SS. Patrum, quos referam. Hinc malè infert Rocchus: Ab æterno potuit generare: ergo & creare.

Assero, nullâ creaturâ potuisse fieri ab æterno.

176 Probatur à D. Bonau. primò ex SS. Patribus, qui acriter iniungunt, creaturam non posse esse coæternam Creatori, aut productam ab æterno; vt inde argumententur contra Arrium, Filium Dei non posse esse creaturam, cùm sit æternus; vel vt ostendant differentiam inter naturam Diuinam, & creatam. Cùm verò hæc differentia adeò sit essentialiter diuersa, vt in vnam, nullâ vnquam potentiâ valeat conuenire; optimè sequitur, sanctos Patres asserere, non posse mundum esse æternum, eadem necessitate, quâ creatura non potest esse Deus.

Hæc notaui, quia Vasq. hoc fundamentum, vel dissimulans, vel non percipiés, putat, se satis respondisse auctoritatibus SS. Patrum, dicendo, eos non loqui de absolutâ potentiâ Dei, sed solùm de facto. Quamuis enim, etiam de facto loquantur; tamen hîc non sistit argumentum: nam ratio eorum omnium solidissima, ob quam negant creaturæ posse esse æternam, est, ne sit æqualis Creatori; ac proinde eâ necessitate repugnat, creaturam esse æternam, quâ repugnat eam esse Deum, quod secundùm omnem potentiam implicat.

177 Primo refert S. Doctor D. August. 12. *de ciuit.* c. 15. vbi refricat, omnia esse ex nihilo producta & ideò non esse æterna, ne sint coæterna Creatori, hoc enim dicere, ait, ne dum fidei, sed rationi repugnare. Ex quo infero, non loqui eum tantùm de facto, sed etiam de possibili, dum asserit esse contra rationem, creaturam esse coæternam Creatori, quod inferretur, si creatura aliqua esset facta ab æterno. Hæc sunt verba S. Augustini: *Si dixero, semper fuisse creaturam, cuius Dominus esset, qui Dominus semper est, nec Dominus vnquam non fuit: sed nunc illam, nunc aliam per alia, atque alia temporum spatia, ne aliquam Creatori coæternam esse dicamus, quod fides, ratioque sana condemnat*; & infrà, loquens de Angelis, ait: *Ne immortales, si semper fuisse dicantur, Deo coæterni esse credantur. Quomodo ergo non sunt coæterni Creatori, si semper ille, semper illi fuerunt? Quomodo etiam creati dicendi sunt, si semper fuisse intelliguntur?* Hæc S. Augustinus: & *lib. contra Feli cianum Arrianum, cap. 7.* creaturam sic definit. *Creatura namque est, ex eo quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis, quantum in se est, per omnipotentis Dei voluntatem facta substantia*, & subdit: *Hæc definitio, vtrum in Dei cadat Filium videamus.*

178 Respondet Vasquez, Augustinum solùm insistere de facto, Angelos creatos in tempore, iuxta Genesim; alioqui si semper fuissent, non essent creati: quia omne creatum incepit. Præterea ait, hæc non loqui è proprio sensu, & dubitando vtrinque, vt quæstionem reddat difficilem, & solùm concludere, semper fuisse, quia omni tempore fuerunt. Subscribit Amicus *numero* 22. sic alios Patres deuitans.

At Scopus Augustini est inuestigare, quomodo semper Deus fuerit Dominus, si creatura semper non fuit; & ità pergit quærere: An aliqua creatura fuerit æterna. Et hoc esse contra rationem infert: *Nam absurdum est, creaturam dicere Creatori coæternam*; & concludit; *Angelos eo sensu semper fuisse, idest toto tempore, ac propterea non impediri, quin fuerint creati. Ac per hoc (ait) etsi semper fuerunt, creati sunt: nec si semper fuerunt; ideò Creatori coæterni sunt. Ille enim semper fuit æternitate immutabili, isti autem facti sunt; sed ideò semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt.* Itaque redit ad suum intentum, inferens, quòd si semper Angeli fuissent ante tempora, non essent creati ex nihilo, cùm repugnet rationi, creaturam esse ex nihilo, & esse æternam; vt infertur in definitione creationis ab eo allatâ, quæ sanè cùm sit definitio; vt ait S. Augustinus, astruit non solùm de facto, creationem esse ex nihilo (vt putat Vasquez) & in tempore, sed essentialiter ità esse. Id verò tandem in conclusione statuit S. Doctor, quod suprà retulimus. Quod si Angeli fuissent semper eo sensu, etiam ante tempora ab æterno, essent coæterni Creatori, quod credit rationi dissonum, & non tantùm fidei, ex *Genesi*; vt putat Vasquez.

Ex hoc textu ruit etiam responsio Meldulæ *n.* 261. ex Fasolo 1. *p. q.* 10. *art.* 3. qui nituntur ostendere, D. August. eam solam æternitatem repugnantem creaturæ asserere, quæ est tota simul; idque conatur Fasolus indicari à D. Augustino, dum negat Angelis æternitatem immutabilem; sed apertè falluntur: nam D. Augustinus in prioribus verbis inducit pro absurdo, & contra rationé, creaturas per varias durationes fuisse ante tempora ab æterno, atque inducit, tali ordine, futuras fuisse coæternas, si semper eo sensu relato fuissent. De Angelis autem infert antithesim, Angelos non æternos, quia facti sunt: Deum verò immutabili duratione fuisse, inferens, fore, vt etiam Angeli esse deberent, non per mutationem producti, sed semper fuisse immutati, atque immutabiles, si ab æterno fuissent, vt constat legenti. Per hæc nostrum solidatur fundamentum, & eluditur Poncius *n.* 36. iactans, omnia Patrum dicta negare creaturis solùm esse æternum necessarium, quo productum est Verbum, vt Philosophi contendebant. Quod ex aliis Patribus confirmabitur. Illi enim contra Arrium vrgebant, Verbum non esse creaturam, quia ab æterno; etsi ab æterno, esse necessarium; atque adeò non factum. 179

Secundo refert D. Bonau. S. Fulgentium *lib. de fide ad Petrum*, c. 3. vbi ait: *Et hic Deus qui initio semper est, quia summè est, dedit rebus à se creatis, vt sint; non tamen sine initio, quia nulla creatura eiusdem naturæ est, cuius est Trinitas vnus, verus, & bonus Deus, à quo creata sunt omnia.* 180

Hic S. Pater infert pro absurdo, quod si creatura aliqua esset sine principio, esset eiusdem naturæ cum Deo, quod sicuti per omnem potentiam repugnat; ita repugnat, creaturam aliquam esse sine initio, seu ab æterno. Hinc igitur eliditur responsio Vasquez, Capreoli, & aliorum. Ruit etiam responsio Mastrij, & Fasoli: Nam S. Fulgentius non vult dicere, solam eam æternitatem, quæ est tota simul, repugnare creaturis; imò infert, quòd si essent creatæ ab æterno, idest sine initio temporis, sequeretur, debere eas esse Deum eiusdem naturæ, ac proinde mensurari eâdem æternitate. Corruit *hic* etiam Amicus, & Poncius.

Eliditur quoque responsio Peretij, SS. Patres loqui de facto, supposito quod omnis creatura habet initium. Deinde non posse, idest, non esse conueniens; Loquuntur enim de possibili, vt constat. 181

D. Athanasivs *oratione 2. contra Arrianos*, ostendit, creaturam non posse esse æternam, quia est alterius naturæ à Creatore; & ideò infert contra Arrium, non posse Filium esse in tempore, quia est talis, qualis est Pater: *Iam si ille, scilicet Filius, unus non est è reliquorum catu, nefariè de eo dicitur Fuit, quando non erat, antequam fieret; si quidem istius modi voces in rebus conditis congruentiam suam habent; cùm contrà Filius talis sit, qualis est Pater.* Vbi non solum dicit, non conuenire; sed reddit rationem ea natura, quæ intrinsecè est diuersa in Deo, & creaturis; atque adeò; sicuti Filius intrinsecè talis est, qualis Pater; ità intrinsecè, nullâ potentiâ valente immutare, est sine initio; è regione creaturæ, quæ ex intrinseco naturæ diuersæ sunt, necessariò à Diuina debent habere initium. In quo deceptus est Vasquez. Hoc è sequentibus verbis etiam colligitur: *Reliqua enim omnia, vt quæ facta sint, nihil simile habent, ratione substantiæ cum suo Creatore; sed extra eum sunt, gratiâ, & voluntate per Verbum eius condita à Deo, vt rursus possint desinere, vbi ille, qui fecit, voluerit.* Vbi iterum idem premit argumentum, & aliud adiungit, quod Creatura defectibilis est; & sicut potest habere finem & ad nihilum labi; ità è nihilo in tempore est: addit, si sunt factæ: ergo liberè. Ideò hoc non erat probandum, vt Poncius putat.

182 D. Basilivs *lib. 2. cont. Eunomium*, ait: *Nos eiusdem dementiæ esse putamus, & creaturæ æternitatis testimonium præbere; & creaturæ Dominum hac confessione priuare.*

Vbi non loquitur solùm de facto; sed contra Eunomium arguit, Spiritum sanctum non posse esse in tempore, sicut nec creaturam æternam, quia repugnat. Ex quo infert, repugnare Spiritum sanctum, esse creaturam. Hoc autem argumentum, cùm è naturâ Diuinâ, & creatâ desumatur, quæ intrinsecè in hoc pugnant; non verò ex productione extrinsecâ, profectè inducit, repugnare simpliciter aliter esse; vt benè notauit Valentia; & in hoc rursus deceptus est Vasquez.

S. Damascenvs lib. 2. de fide, c. 8. *At creatio in Deo cùm à voluntate proficiscatur, Deo profectò coæterna non est, quandoquidem hoc naturâ minimè comparatum est, vt quod ex nihilo in ortum producitur, eandem cum eo, quod principij expers, ac sempiternum est, æternitatem habeat.*

183 Hic Damascenus colligit, creaturam non posse esse ab æterno, tum quia contingenter producitur, & potuit non esse; tum quia ex nihilo est. Vbi aduerto etiam contra Fasolum, & Mastrium, negari creaturis sempiternitatem, quæ non est æternitas illa tota simul; sed ea, quæ creaturis conueniret, si ab æterno essent creatæ; vt notat Mastrius initio quæstionis. Rursus vide contra Poncium, eas liberè condi, si conduntur.

Respondet Vasquez, id solùm intendere Damascenum, quòd Filius Dei, cùm de substantia Patris gignatur, necesse est illi coæternum esse: at creationem non necessariò facere rem coæternam Creatori, quia non ex substantia Diuina prodeunt creaturæ.

At rationem dissimulat Vasquez, nempè creationem, quia est ex nihilo, debere esse in tempore, è regione generationis Filij; esseque contra naturam creationis, esse æternam.

D. Ambrosivs lib. 1. Hexaëm. c. 3. *Quomodo ergo coæternum Deo mundum asserunt, & Creatori omnium sociant, atque æqualem esse disputant creaturam?*

184 Respondet Vasquez, Ambrosium solùm probare de facto mundum habuisse initium, nec quicquam de potentia dixisse.

At cum ratio eius sit, non posse creaturam esse æqualem Creatori; sanè loquitur de possibili. Gregorius de Valentia Theologus ingenuus fatetur, eam esse sanctorum Patrum sententiam. Idipsum censent Arriaga, & ferè Amicus, nostram proinde sententiam probabilem fassus.

Faventinvs *in calce disput.* respondet, Patres solùm niti, creaturas non posse æternas ex se esse.

Contra, quia ex natura creaturæ arguunt, ei repugnare esse ante tempora, etiam à Deo creatam, vt constat legenti. Id innuitur *Deuter. 32.* vbi Deus ait: *Videte quod ego sim solus, & non sit alius præter me.* Et subdit: *Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.* Sic adnotant multi, qui fatentur hunc esse PP. sensum, quibus non rectè satisfacit Vasquez, vt vidit Tannet. *numero 27.* neque Amicus *numero 22.*

Tandem hoc est argumentum SS. Patrum disputantium contra Arrium. Nulla creatura est coæterna suo Creatori; sed Verbum est coæternum Patri, vt habes Ioan. *primo*; *Prou. 8.* ergo, quæ ratio nil valeret, si per Dei potentiam posset creatura esse ab æterno; iam enim non concluderetur natura Verbi necessariò intrinsecè æterna; atque adeò non posse à creatura adæquari. Ideò D. Basilius *loco citato*: ait, esse blasphæmiam dicere, creaturam esse posse ab æterno: & Hugo de S. V. *lib. 1. de Sacram.* ait, hoc fugere Diuinam virtutem. Ita Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Hilarius, Augustinus, & alij. Frustrà igitur Poncius ait, non illicò probatum à PP. creaturas, eo ipso, quòd sunt factæ, non necessariò esse conditas.

Respondet Pererius, ideò conuenire Patres, Verbum non esse creaturam, quia esset, quod priùs non erat ex ipso. 185

Contra si volunt, creaturam non posse esse cum Verbo; sed omnia ex ipso, iam deducunt, per nullam potentiam posse creaturam esse coæternam Verbo; vt ostendi.

Respondet Mastrius *disp. 14. Phys. q. 1. art. 1. & in primo, disp. 2. numero 261.* primò, Patres nolle inferre ex æternitate creaturarum Diuinam in eis indefectibilitatem, quia adhuc à Deo penderent: eos vero ait dicere creaturam necessariò ex nihilo esse, & ideò non potuisse esse ab æterno, quia talis est creaturæ formalitas, vt creatura, non vt ens causatum; quo pacto connotat respectum ad non esse immediatè præcedens, qui respectus non adesset in æterna causatione. Vel loqui de facto, non de possibili, & secundùm id quod magis conuenit creaturæ, quæ magis petit fieri in tempore, quàm ab æterno. Quo supposito rectè arguebant Patres contra Arrium, Verbum est æternum: ergo non est creatura, quia omnis creatura in tempore facta est. Vel tandem negant Patres creaturæ æternitatem propriè dictam, quæ est tota simul propria Dei, non verò sempiternitatem durationis; vt probat ex pluribus Patribus Fasolus suprà.

His confluunt etiam responsa Patris Liuij Rabesani *7. Phys. disp. 1. q. 2.* Hæc responsa ex dictis collisa iacent: nam Patres constanter inferunt, creaturam fore Deum, si ab æterno edita fuisset, vt vidimus; Et omnem creaturam, eo ipso, quòd creaturam; esse ex nihilo; & habere esse post non esse; & hoc non de facto solùm; sed aliter esse non posse, & hanc creaturæ definitionē vocat D. Aug. *ad Optatum c. 7.* sicuti repugnat, creaturam esse Deum. Tandem præclarè asserunt, creaturam non posse esse factam 186

ab

ab æterno, ideſt, ante omnem durationem etiamſi maneret dependens à Deo, mutationibus obnoxia, &c. vt patet legenti præcipuè D. Auguſtinum.

Ex Patribus igitur deducit S. Doctor primam rationem, quam ferè ſolitariam ei adſcribunt aduerſarij. Quidquid exit per mutationem de non eſſe ſimpliciter ad eſſe, non poteſt eſſe æternum. Omnis creatura exit hoc pacto: ergo. Hac ratione vtitur Scotus *in 1. diſt. 9. q. vn. §. Ad quæſtionem*, vbi ait. Ea, quæ per mutationem producuntur, vt creaturæ, non poſſe eſſe coæterna ſuæ cauſæ; at verò non ſic Filius. Vnde repugnat mutationi æternitas, quia oportet, vnum eſſe ante alterum. Infert verò, ſolum Filium, & Spiritum ſanctum eſſe æternos, quia procedunt per modum naturæ, non per mutationem. Hinc Scotus cum aſſeclis problematicus eſſe, tenetur, ſicut & noſtram laudare ſententiam.

187 RESPONDENT aduerſarij, non eſſe neceſſe ad hoc, vt res exeat de nihilo ad eſſe, vt in aliquo priori durationis præceſſerit non eſſe; ſed ſufficere, in aliquo priori naturæ ipſam non extitiſſe: ſic veſtigium impreſſum à pede in æternitate, eſſet naturâ tantùm pede ipſo poſterius. Et lumen à Sole æterno manans, eſſet natura ſolùm poſterius, ait Euſtachius.

CONTRA arguit Toletus cum D. Bonau. Mundus non potuit eſſe niſi productus à Deo; at eſſe factum, & æternum, implicat: ergo. Maior eſt de fide. Minor probatur. Si mundus factus eſt: ergo in aliquo inſtanti poſitiuo, & determinato, ſaltem à Deo cognito. At nullum eſt inſtans, in quo Deus primò ſit; cùm ſit ſine principio: ergo non poteſt mundus cum Deo eſſe coæternus. Exempla ſub hoc fundamento iacent attrita.

RESPONDET Faber *loco cit.* Arriaga *n.* 34. Nazarius *ad primum*, non eſſe imaginandum aliquod primum inſtans, in quo res primò ſit creata; quia eſt falſa imaginatio. Nam in infinito, & in æternitate non datur primum, vel ſecundum. Sufficit ergo dari aliquam prioritatem naturæ innumerabilem, in qua nihilum ſit, & ex nihilo fuerit creatura, non verò inſtans determinatum; ſicuti nec eſt aſſignare ſitum, in quo res creata ſit; neque motum, quia nunquam fuit primum inſtans, in quo dici poterat *iam res eſt creata*.

188 AT iſti non percipiunt, quid ſit productio ex nihilo; cùm enim productio ex nihilo ſit à Deo, & non ex propria ſubſtantia, ſed extrà; oportet ſupponere in aliqua duratione Deum, & nihilum creaturæ. Si enim ſecundùm Scotum & aſſeclas admittitur ordo naturæ in generatione æterna, quæ eſt è ſubſtantia Patris per emanationem naturalem, neceſſariò dandus eſt ordo temporis in productione extra ſe; ſic enim arguunt SS. Patres adducti, vt inde Verbum æternum aſtruant, & non creaturam. Debet enim Sanctiſſima Trinitas præexiſtere, vt efficienter extrà producat, cùm ex Trinitate non manet creatura naturaliter; & debet creatura non eſſe, vt tranſeat de non eſſe ad eſſe per tranſmutationem, quæ ſanè hîc inuenitur, cùm noua relatio conſurgat creaturæ ad Creatorem; & hæc actio non eſt per mutationem Dei: ergo per mutationem creaturæ. Non enim aduenit noua relatio realis abſque mutatione, ſaltem alterius extremi. Neque eſt ſimile de veſtigio impreſſo à pede exiſtente in æternitate, quia tale veſtigium educeretur ex materia pulueris æterna, è cuius potentiâ educeretur: ſeu dicam, veſtigium fieret à creante pedem ſimul cum ipſo pede, qui in puluere crearetur. Cogantur igitur primum inſtans aſſignare: atque adeò hæc implicare, ad Solis lumen claret, *è fundamento*.

DEINDE oſtendo repugnare: quia ſucceſſio generationum neceſſariò debet venire ad vnum primum, non naturaliter genitum; ſed à Deo creatum. Itaque illud primum, ſi eſt æternum, quantùm diſtat ab alio genito à ſe? Certè finitè; & illud ſi ab alio genito; & illud ab alio ſucceſſiuè, vſque ad hoc, diſtat finitè: ergo non fuit ab æterno; quia deberet eſſe diſtantia infinita. Si infinitè: ergo non potuit huc perueniri. Et hoc eſt ſecundum fundamentum D. Bonauenturæ, quod demonſtratiuum acclamat Suarez *lib. 1. de vniuerſo, cap. 2. num. 11.* 189

CONFIRMATVR, ſi mutatio rei, productæ ex nihilo, æternitati non præiudicaret; ſequeretur, potuiſſe Deum ab æterno producere ignem; & ille in ligno æterno alium produxiſſet ignem, & ita ille alium, & vſque ad nunc infinitos, quos potuiſſet Deus conſeruare, & ita eſſent infiniti, cùm infinitum tempus pertranſierit. 190

SCOTVS, Faber, & aſſeclæ dicunt, elapſum in tempus infinitum; at non futuros fuiſſe infinitos ignes, quia non potuiſſet ille primus ignis producere ab æterno; quia generatio includit mutationem inter terminos oppoſitos; & ideò non poteſt eſſe ſempiterna, ſed interrupta: ideò ignes eſſent finiti, licèt tempus elapſum infinitum eſſet.

CONTRA. Quid obſtat, quin ſtatim ignis productus, habens lignum coæternum, produceret ignem? Nihil: ergo produxit. Quæro; an inſtans productionis diſtaret infinitè ab inſtanti ſuæ creationis: vel finitè. Si infinitè: ergo coactus eſt expectare infinitum tempus ad comburendum, etiam approximato ligno diſpoſito, & Deo coagente: ſi verò poſt finitum tempus incepit agere, & ſemper egit, atque combuſtiones ſunt finitæ; ergo addamus etiam illud finitum tempus, in quo non egit, iam additum finito facit finitum; atque adeò ſequitur infinitum tempus non fuiſſe ab æternitate huc uſque, ſed finitum: ergo æternitas eſt finita à parte ante, & talis erit etiam à parte poſt. Ergo finito tempori adæquabitur. Hoc argumentum infrà vrgebo; eſt enim demonſtratio; vt ait Toletus. 191

PROBATVR ergo à D. Bonau. *in fundamentis.* Primò, ſi mundus fuiſſet ab æterno, non poſſet aliud tempus aduenire, & ita non poſſent tempora, dies, & horæ nouæ addi. Probatur ſequela. Infinito non poteſt addi, ex 3. *Phyſ.* & *primo celi, text.* 130. & patet; quia omne, quod recipit additionem, fit maius: infinito autem nihil eſt maius. Minor probatur: nam poſſet Deus diem addere diei vſque in infinitum, non minùs, quàm antè. 192

GREGORIVS Ariminenſis 1. *d.* 44. *art.* 2. & *diſt.* 1. *q.* 3. Vaſq. *c.* 5. reſpondet, ſucceſſiuam durationem æternam à parte ante eſſe infinitam; non tamen remanere ſemper aliquid accipiendum; ſed totam eſſe acceptam, ac proinde poſſe ei fieri additionem.

Contrà: quia, quomodo poteſt eſſe duratio infinita; & tamen ei aliquid addi; & augeri? ſi dicas, quod infinitum eſt quoad præteritum, tamen quantum ad præſens eſt finitum, & poteſt ei fieri additio, & ex ea parte quâ finitum eſt, actu fieri maius, & augeri.

CONTRA, probat S. Doctor: hanc eſſe fugam inanem; & idem admiſſum inconueniens, ſequi in præterito. Ponamus mundum hoc eodem ordine conditum ab æterno; iam pertranſiêre infinitæ circulationes naturales ſolis per Zodiacum motu annuo excentro: at pertranſiêre etiam infinitæ circulationes Lunæ per Zodiacum menſtruæ; & hæ ſunt plures 193

plures: nam pro singulis circulationibus annuis Solis, transeunt duodecim circulationes Lunæ. Similiter pro singulis circulationibus Lunaribus menstruis, fiunt triginta diurnæ circulationes orbium per Æquinoctialem: ergo circulationibus solaribus infinitis Solis, sunt plures circulationes infinitæ Lunæ; & his addunt infinitæ circulationes primi mobilis diurnæ.

194 RESPONDENT, non esse absonum concedere in multitudinibus infinitis vnam multitudinem aliâ numerosiorem: sic infinitæ cogitationes erunt cuiusque hominis, & Angeli in æternitate, & tamen multò plures erunt cogitationes omnium simul hominum, & Angelorum: non enim de ratione infiniti in quantitate est, vt à nullo excedatur: sed vt non habeat terminum, seù vltimum; potest autem carere termino, quamuis plura includat, quàm alterum: & sicut plures erunt per æuum cogitationes in tempore, seù duratione, vel morulâ adæquatâ diei, & plures in morulâ adæquatâ horæ: ità de præterito dicendum. Addunt, durationem hanc esse finitam ab æternitate hucusque; etsi infinita conceditur, nil absonum inter illas diuersi generis circulationes, dari vnum infinitum maius alio. Addunt, in infinito non esse maius, & minus: hæ enim sunt quantitatis finitæ passiones. His aliam nectit Faber responsionem, quam acclamat propriam solutionem, hoc absurdum esse de infinito actu; at illæ circulationes non essent actu. Addit Rocchus exemplum continuorum, in quibus infinitæ partes, & inæquales sunt.

Hæc omnia exsufflantur. Et primò suppono, illas circulationes non ideò finitas, quia à nullo sint numeratæ. Sufficit enim numero infinito esse numerabilem.

195 DEINDE suppono, orbes creatos in motu; ac proinde infiniti profectò dies debent pertransisse, alioqui si finiti tantùm, iam possemus tempore finito deuenire ad principium generationis Filij Dei. Miror verò Caietanum, & Nazarium dicentes, dies infinitos præteriisse; sed non pertransisse adhuc infinitos. Infinitum verò discretum esse eiusdem rationis, & generis, quis ignorat? Esto materialiter diuersum in numeratis, puta aureis, vel argenteis, vel in circulationibus Solis annuis, vel Lunæ menstruis.

Implicantia verò à Philosophis inuenta, ne admittatur inter infinita vnum maius alio, oritur ex eo, quòd infinito non potest addi; quâ ratione est infinitum. Itaque si infinitis circulationibus Solis annuis plures essent Lunæ; iam illæ plures possent addi numero infinito, quâ numerus est.

DEINDE dicere, infinitum non capere maius, quia maius, & minus sunt passiones quantitatis finitæ; est petere principium. Nam ego ostendo, etiam hoc inconueniens, vt id, quod est proprium finito, conueniat infinito. Neque est simile de cogitationibus futuris, quæ non erunt comparandæ, cum tamen futuræ sint syncategorematicè in infinitum; at circulationes istæ omnes iam sunt reductæ ad actum. Nec valet, eas non extare actu: 196 nam sunt omnes ad actum perductæ. Deinde arguo sic: Ponamus solem singulis annis produxisse millionem adamantum: Lunam singulis mensibus carbunculos triginta, omnes circulationes sunt infinitæ, & similiter effectus producti, quos supponamus à Deo conseruatos omnes; iam plures erunt adamantes producti à Sole; quam carbunculi: vel si maius, quàm adamantes producti à Luna, & omnes isti numeri infiniti actu extarent. Idem argumentum currit, si Sol singulis circulationibus annuis produxisset adamantem: Luna singulis mensibus; & Primum mobile singulis diebus, & omnes à Deo essent conseruati. Vel si Deus singulis 197
annis creasset Angelum; singulis mensibus animam rationalem, quæ omnia simul extarent actu: ergo daretur vnum infinitum maius alio, eiusdem generis actu. Esse verò infinitos probatur. Si enim finitæ essent horæ ab æternitate hucusque: ergo finito tempore adæquatur duratio infinita æternitatis. Quòd verò de ratione infiniti sit, vt non excedatur ab alio in eo genere, probatur: Nam res mensurans, quæ mensuratum excedit, adæquat, & finit addens: ergo id, quod exceditur ab alio eiusdem generis est finitum non infinitum. Sic linea lineæ superposita, eam adæquans, & excedens, longior est, atque adeò altera non est infinita. Hæc insolubilia credit Fasolus 1. *part. tract.* 3. *quæst.*46. ac *disput.*5. His Rocchi exemplum ruit.

PROBATVR secundò à D. Bonau. Impossibile 198
est infinita ordinari. Omnis enim ordo fluit à principio in medium: si ergo non est principium, neque est ordo. At si mundus esset ab æterno, essent reuolutiones orbium, & creaturæ aliæ infinitæ: ergo non esset ordo.

RESPONDET Vasquez, in serie infinita, satis esse ad ordinem, si ante quamlibet sit alia, vt in ea multitudine sit ordo, & hoc intelligendum de iis rebus, quæ solo ordine durationis, & successionis ordinatæ sunt; nam si causalitatis ordinem habeant, cùm in causis non sit processus in infinitum, ad vnam primam causam deueniendum est necessariò.

IAM verò si necesse est, vnam esse ante aliam, 199
oportebit tandem deuenire ad eam, quæ primò creata est à Deo, quæque primò genuit alias: & ità inuenitur ordo, non solum extrinsecùs ratione causarum inueniendo primam; sed intrinsecùs in rebus, & prima reuolutio, prima lux, primus Leo, primus homo inuenietur, vt arguit S. Doctor.

SIC igitur in generationibus ostendit ordinem ad vnum primum, quâ ratione vtitur Vasquez *numero* 17. Nunquam fuisset reuolutio cœli, quin fuisset generatio mixtorum, puta lapidum, metallorum, gemmarum, plantarum, bestiarum, hominum: tunc autem res genita esset ordinata ad generantem, non modò æquiuocum; sed vniuocum, puta ad Leonem, Quercum, &c. Cùm ergo secundùm Aristotelem deueniendum sit ad primam causam, ne abeatur in infinitum; atque adeò ne infinitè distet; vnde nec peruenire possit ad hunc effectum attingendum, oportebit inuenire primum Leonem, & primum hominem creatum à Deo, qui genuit alium: ergo hi erunt finiti.

PONAMVS enim mundum ipsum, qui creatus 200
est ab initio, fuisse creatum ab æterno: tunc omnia vegetabilia fuissent creata fœcunda, & surculis pregnantia: similiter animalia, & homines in statu perfecto apta ad generationem. Tunc vel primus partus distaret à creatione infinitè; vel finitè, si infinitè: ergo vnum indiuiduum infinitè distans erit distantius alio infinito à nobis; & quælibet causa coacta est expectare infinitum tempus ad generandum, tametsi omnes causæ essent sufficienter applicitæ. Si finitè, puta mensem, annum, vel nouem menses distat fœtus: ergo vel vtraque causa, puta primus homo, & secundus distabunt à nobis finitè; vel infinitè: non infinitè, alioqui magis distabit infinitè primus homo,

homo, puta Adam, quàm filiûs Cain infinitè distans, & dabitur vnum infinitum alio maius. Deinde cùm filius minùs distet, quàm Pater Adam, qui solùm nouem menses præit generationi, & fœtui; quæ est duratio finita, & Cain distet à nobis finitè, distabit pariter Adam, qui non est illo antiquior, quàm nouem menses.

201 RESPONDET Nazarius, tunc non posse designari vnam determinatam causam puta primam mulierem; & primum hominem generantes; sed alias, & alias in infinitum.

AT hoc inane est, vt arguunt Sotus, & Bañes. Species enim humana, vel equina debuit produci de nihilo. Ergo aliquis determinatus equus transisset per creationem de non esse ad esse. Supponamus creatam equam grauidam: redit solidè factum argumentum. Vel supponamus creatos tantùm duos homines, sicuti nunc.

RESPONDET Nazarius, tunc fuisse productam speciem in aliquo indiuiduo intrinsecè designâto; non autem extrinsecè, & determinato. Est autem determinatum indiuiduum intrinsecè apud Nazarium per propria principia constituentia; extrinsecè verò, seu accidentaliter, vt sit primum indiuiduum, secundum, aut tertium, cum omnibus circumstantiis, quibus indiuiduum substat.

202 CONTRA. Si in æternitate nullum indiuiduum crearetur, nisi secundùm intrinseca. Ergo erit determinatus homo, equus, &c. cum suis etiam accidentibus, nisi velis, posse Deum creare ab æterno animam, & corpus hominis; non quantitatem, &c. Profectò determinatio intrinseca est vera determinatio. Propter hæc, distinctionem hanc suam fatetur Nazarius incertam, §. *obseruandum*, versus finem.

CONFIRMATVR à Vasquez ex doctrina Seraphici, duabus sequentibus quæstionibus. Deus est primum ens per essentiam, atque adeò causa omnium, quæ sunt per participationem. Ergo ita debemus philosophari, aliqua procedere ab eo, mediis secundis causis, vt tandem omne esse ad ipsum, vt ad primam causam, & proximam referatur. Ergo necesse est deuenire ad aliquod primum ens à solo Deo productum, & ex quo cætera deriuentur: ergo generationes ab æterno esse non possunt, quia non essent illi producti à Deo, in infinitum abeuntes; sed deueniretur ad primum creatum immediatè.

203 NAZARIVS respondet, tunc non posse deueniri ad duos, v.g. coniuges primos, puta Adam, & Euam, à Deo proximè productos, quia tunc quælibet species esset creata in vno aliquo, vel duobus indiuiduis, intrinsecâ tantùm, non autem extrinsecâ determinatione determinatis.

AT mihi sanè videtur more Leporum fugere ad nidum, vnde primò exiuit, recurrendo in ora canum. Profectò petit principium, vt iam ostendi: cur enim non potuit determinatos duos Leones è nihilo condere completos; sed solam eorum animam, & corpus? Certè hoc est verè, & propriè singulare, ad quod descendere prohibemur à termino confusè supponente. Quare respondet, doctrinam suam esse incertam. Hæc ratio ex D. Bonau. vrget etiam de circulationibus, in quibus ad vnam primam, à Deo primò productam, est deuenire. Fauentinus *n.* 21. huic rationi succumbit.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. Si mundus fuisset ab æterno, nunquam deuentum esset ad hodiernam diem. Probatur sequens ex 1. *Poster.* & 3. *cœli* 19. & 6. *Phys.* Infinita nequeunt pertransiri. Minor probatur: Non minùs distat hæc dies ab æterna, à parte ante, quàm ab æuiterna, à parte post; sed nunquam deuenitur ad vltimum punctum durationis à parte post: ergo nec potest perueniri ad vltimam à parte ante. Hanc dicit Toletus esse demonstrationem. Neque hæc absurda inferri valent de futuris syncategorematicis, vt putat Liuius Rabesanus.

Efficacissimum hoc fatetur Rocchus; ait tamen transiri, sed non totum: ergo cedit.

Ex quo ruit responsio Valentiæ, & aliorum ex D. Thom. *art.* 2. *ad* 6. totam illam elapsam successionem esse finitam: quia nulla in toto illo tractu fuisset infinita distantia: Nam distantia non est, nisi à termino ad terminum, quo ipso omnem distantiam oportet esse finitam, & sic etiam in illo tractu infinitarum partium motus omnes distantiæ à termino ad terminum assignabiles, fuissent finitæ, quæ proinde omnes potuissent pertransiri. 204

CONTRA hoc arguit Seraphicus ratione, quam Soto 8. *Phys. quæst.* 2. vsurpat, & Faber difficilem experitur, atque insolutam relinquit. Quæro igitur, num aliqua reuolutio, vel generatio infinitè præcesserit hodiernam: an nulla? Si nulla: ergo omnes finite distabunt ab hac: ergo sunt omnes finitæ: ergo omnes habent principium. Si aliqua infinitè distat. Quæro de reuolutione, vel generatione, quæ immediatè sequitur illam; vtrum distet in infinitum? Si non. Ergo nec illa prior; quia finita distantia est inter vtramque. Si distat in infinitum, similiter quæro de tertia, & quarta, & sic in infinitum: ergo non magis distat ab ea, vna quàm alia: ergo vna non est ante aliam; sed omnes simul, nam prima illa dies, & dies præsens æque distant.

AD hanc reducitur ratio Suarez. Si cœlum creatum esset ab æterno, debuisset in aliquo situ determinato creari: ergo in illo debuit manere per æternitatem; & ita huc vsque: si enim immediatè post, vel post finitum tempus, amisit illum situm, & alium accepit. Quæritur: an in secundo loco fuerit ab æterno; vel non. Ab æterno esse non potuit, quia ante fuit in alio. Si autem non ab æterno fuit ibi, cùm ab eo ad creationem intercesserit duratio finita, sequitur creatum fuisse non ab æterno; nam æternum à temporali debet in infinitum distare. 205

RESPONDET Arriaga *subsect.* 4. & Nazarius, argumentum supponere datum esse cœlo vnum primum situm, quod tamen est falsum; sed ideò motum, & situm illum esse æternum, quia ante eum fuit alius in infinitum. Itaque dicunt cum Fabro, esse chimæricam imaginationem. Rocchus mitior concedit primum tempus in æternitate: sed quo pacto ad hanc diem ventum sit, ignorat.

CONTRA probo, eorum potiùs esse chimætica responsa. Omnis productio determinata realis, est ad terminum realem: talis esset creatio cœli: ergo determinata. Ponamus ergo, Deum creasse cœlos Planetarum, vt nunc sunt; profectò aliqui planetæ vel opponerentur, vel coïrent, vel extarent in sextili, vel trino, vel quadrato, & mouerentur, ita vt qui sunt oppositi tenderent ad coëundum, &c. Similiter & cœlum, cùm sit corpus illicò creatum, haberet suum Vbi, Situm, &c. & tunc orbes, si mouerentur, relinquerent illud punctum, & tunc redit allatum argumentum. Vel ab oppositione ad quadratum, moti sunt planetæ finito temoore, vel infinito? Si infinito, nunquam deuenissent ad quadratum; si finito: 206

ergo cum finitè distet punctus creationis ab hoc, qui est in tempore, iam non fuit ab æterno, sed paulò ante, & ita finitè distans.

107 PROBATVR quartò à S. Doctore: quia, si orbes fuissent ab æterno moti ab intelligentiis, hæ cognoscerent omnes circulationes, quæ fuerunt, omnesque effectus, infinitos flores, infinitas arbores, & plura in his infinita folia, &c. quæ virtuti intellectiuæ actu repugnant: ergo. Sequela probatur, quia intelligentiæ coëxistentes rebus initio hæc vidissent, nec oblitæ essent. Minor probatur argumento calculatorio. Si tanta virtus exigitur ad intelligenda tot, & maior virtus ad plura, & sic in infinitum: ergo ad infinita actu percipienda exigeretur virtus infinita.

108 PROBATVR quintò à D. Bonauenr. Si mundus fuisset ab æterno, daretur infinitum actu, contra Aristotelem *primo cœli, text.* 124. & 2. *Physi. text.* 24. Probatur sequela, quia ab æterno fuissent homines, & hi genuissent per infinita tempora; & cùm homines habeant animas immortales, iam omnes actu essent.

D. THOMAS, & discipuli, propter hoc argumentum, excipiunt æternam hominum creationem, ne detur infinitum actu.

Hoc tamen, vt ait Toletus, non benè dicitur negando generationes hominum, ob hanc sequelam. Cur enim ab æterno potuit Leo generare, & non homo? Profectò, ex tunc, nullum erat inconueniens.

Vrget Arriaga *disp.* 17. *Phys.* Si repugnant successiua: ergo & permanentia ab æterno durasse; nam duratio est successiua, vt dixi *tract.* 1. *disp.* 9. *quæst.* 4.

Vasquez dicit, se ostendisse non implicare infinitum numerum; sed nos eum confutauimus, *tract.* 1. *disp.* 6. *q.* 2.

PROBATVR sextò ab Arriaga. Sit linea ab æterno tracta, debuit assignari primum punctum, vnde incepit, & Deus vidit illud, atque spatium immensum anterius. Hoc argumentum formidat iste Doctor. Potest verò fieri etiam de permanentibus.

RESPONDENT, nullum esse, aut videri spatium, in quo non fuerit linea illa, ideò nullum dari initium eius.

CONTRA; ponamus eam non fuisse infinitam ab initio creatam, sed palmarem, ac continuè auctam, oportet assignare punctum primum, vnde incepit; atque adeò primum instans durationis respondentis: ergo inuenitur initium. Debuit enim vnico instanti linea condi.

VRGET Arriaga; etiam Verbum sic gigni debuisse perfectum. Sed fallitur; nam fuit generatio, & hæc, mensurata æternitate, quæ non præterit; instantia verò omnia inadæquatè eam mensurant, & non vnigeneè.

NOTA pro solutione obiectionum, nos non assignare implicantiam è defectu Diuinæ potentiæ; vt monet grauiter D. Bonauent. sed ex incapacitate creaturæ, cui implicat æternitas. Quare flocida est ratio Rocchi, quam 8. *Phys. quæst.* 2. acclamat demonstrationem. Posita causa sufficientissima non implicat effectus. Deus ab æterno est talis causa: ergo. Neque dicas (ait) repugnare ex parte creaturæ, quia potentia ad possibile refertur. Quare, si creatura ab æterno esse non potuit, neque Deus potuit creare, sicut dicimus non posse contradictoria. Sanè his vltimis verbis soluit suum argumentum, quia hæc non sunt agentis obiectum. Ineptè etiam arguit, durationem maiorem non mutare rerum essentias. Ideò, &c.

OBIICIES primò D. Augustinus 21. *de Ciuit. cap.* 12. ait: *Si pes fuisset ab æterno, ei semper subfuisset vestigium*, quod tamen impressum fuisset à pede in puluere.

RESPONDET Faber è Scoto, implicare vestigium coæternum, quia fuisset impressum per motum localem, per aliquam moram. Vnde D. Augustinus infert, se loqui è sententia quorumdam.

RESPONDET D. Bonau. *in corpore*, non posse vestigium esse productum à calcante, iam producto ab æterno, ob rationem allatam; sed debuisse creari pedem in puluere, ac proinde concreari uestigium; sic pulueris materia creata esset figurata vestigio, non autem creatus pes ab æterno potuisset vestigium coæternum imprimere; quia necessaria foret mutatio localis. 209

OBIICIES secundò ex D. Augustino, 6. *de Trin. c.* 1. Si ignis esset æternus; etiam splendor eius esset æternus. Quo exemplo vtitur ad probandum Filium, qui est splendor Patris, fuisse coæternum suo principio. 210

RESPONDET S. Doctor, splendorem emanare à corpore luminoso, non produci per efficientiam extrinsecam, & quia Sol, v. g. intrinsecè semper effundit splendorem, ideò potest esse coæuus; at mundus fuisset creatus per mutationem extrinsecam.

OBIICIES tertiò. Si Deus non ab æterno creasset, sed in tempore; mutatus esset, exeundo de otio ad opus.

RESPONDET S. Bonau. Deum non agere aliquo nouo accidente, & ideò non mutari; agit enim seipso, non per aliquod additum.

Vide alia argumenta in Seraphico soluta; maximè antiquorum, qui eo nitebantur, Deum esse causam necessariam; cùm tamen sit liber, vt notat S. Doctor *ad* 4. Faber *num.* 7. & alij.



DISPVTATIO II.

De Rerum Distinctione.



QVÆSTIO I.

An RERVM *multitudo, & distinctio sit à Deo.*

D. Bon. in 2. d. 1. q. 1. & art. 2. q. 1. & 2. & 1. p. q. 1.
D. Th. q. 47. art. 1.


REFERT vterque S. Doctor errores antiquorum philosophantium iam sepultos.

ASSERVNT verò, multitudinem, & distinctionem rerum esse à Deo.

PROBATVR primò ab vtroque S. Doctore, è sacra pagina. Sic *Genes.* 1. habetur rerum distinctio. 1

PRO

PROBATVR secundò à D. Thoma *in corpore*, & D. Bonauent. *fundamento primo*, & *in fine corporis*, & *ad* 3. & 4. quia Deus produxit res ex sua bonitate, & propter eam. Et quia bonitas est infinita, & non potest ab vna creatura exprimi, & participari, ideò in multis diffudit, vt meliùs participata exprimatur.

2 PROBATVR tertiò à D. Bonau. ex infinita sapientiâ, potentiâque Dei, & ex causalitate eius, qui est vniuersalissima causa.

ADVERTIT Vasquez in commentario D. Thomæ ex D. Bonau. *distinct.* 1. *p.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, Deum quidem esse totam causam distinctionis aliquarum rerum, proximè ab eo productarum, in aliis verò, ipsum esse causam efficientem primam, tamen naturam ipsarum id adeò postulare, vt aliter fieri nequeat. In primo ordine distinctiones sunt Homogeneorum, diuisio cœlorum, marium, &c. quæ aliter poterant fieri, & similia: in altero ordine sunt diuisiones rerum, specie distinctarum, puta Leonis ab homine; imò & non distinctorum, quæ non fiunt diuisione continui: vt Petri, à Paulo. Vide Seraphicum.

QVÆSTIO II.

Vtrum inæqualitas RERVM *sit à Deo.*

D. Bonau. d. 1. loco cit. & d. 18. art. 1. q. 1. D. Thom. q. 47. art. 2.

3 IN limine quidem D. Thomas refert errorem dicentium, initio creatas fuisse tantùm substantias rationales, gratiâ æquales; at verò malitiâ deprauatas, carceribus corporum fuisse obtrusas: & sic redditæ sunt inæquales, tum inter se; tum magis ab illis, quæ non sunt deprauatæ, quæ inter Angelos sunt euectæ. Hunc errorem confutat S. Bonauent. *distinct.* 18. *citata*, ex fide; quia nulla anima fuit peccatrix, antequam corpori vniretur. Vnde *Rom.* 9. testatur Apostolus, Esaü peccasse non ab initio; sed postquam adultus: *Antequam quidquam boni vel mali fecissent*, &c.

Refellit etiam, quia formæ fiunt in propria materia: non transmigrant, &c. Alias rationes habet, de quibus *tract.* 9. *disp.* 1. *q.* 19.

4 ASSERO, inæqualitatem rerum esse à Deo.

PROBATVR à D. Thoma; quia distinctio specierum est à formis; formæ autem sunt sicut numeri, ex Aristot. 8. *Metaph. text.* 10. Quare si distinctio rerum est à Deo, idem dicendum de inæqualitate.

PROBATVR à D. Bonau. *dist.* 1. *art.* 2. *q.* 1. ex infinitate scientiæ, potentiæ, & bonitatis Dei: quia cùm sit infinitè potens, producit plurimos gradus, quos nouit, eisque suam elargitur bonitatem, vt quod in vna creatura non relucet, in aliis resplendeat, vt infert etiam *ad vltimum.*

QVÆSTIO III.

Vtrum sit vnicus MVNDVS; *an plures.*

D. Bonau. d. 1. cit. ad 3. D. Thom. art. 3.

ASSERO, esse vnum Mundum, non plures. 5

PROBATVR à D. Thoma. Quæcunque sunt à Deo, ordinem habent ad inuicem, & ad ipsum Deum. Sed mundus est ordinatus: ergo debet habere cum multitudine vnitatem, & cum vnitate multitudinem. Est ratio D. Bonauent. *ad* 3. Confirmatur à S. Doctore: Mundus assimilatur mundo archetypo, quantum potest; ille autem vnus est omninò simplicissimus. Cùm autem mundus fabrefactus nequeat simplicitatem illius Ideastici adæquare, debuit saltem in multitudine aliquam seruare vnitatem. Idem habetur in Seraphico, quæstione mox adducenda. Hæ tamen sunt congruitates; potuit enim Deus mundorum seriem ordinare, vt monet S. Doct.

QVÆSTIO IV.

An MVNDVS *creaturis spiritualibus corporeis, & mediis componatur, & distinguatur.*

D. Bonau. d. 1. art. 2. q. 2.

ASSERO componi mundum ex hoc triplici creaturarum genere.

PROBATVR à D. Bonau. primò. Decuit vt Deus 6 in creaturis ostenderet suam omnipotentiam: hæc autem elucet in productione summè distantium, & coniunctione eorum. Iam verò inter res, corporeæ, & incorporeæ maximè distant: sunt enim differentiæ primò diuidentes substantiam: ergo mundus constat ex corporeis; & incorporeis.

Porrò elucet potentia in colligatione horum extremorum in vnam naturam mediam hominis, qui continet & animam incorpoream naturæ Angelorum spirituali connaturalem, & corpus commune cum corporeis.

PROBATVR secundò, decuit in mundo elucere Dei sapientiam. Hæc verò enitet in ordine, in quo debuit esse supremum, medium, & infimum. Infima autem sunt corporea; suprema incorporea: medium verò, inter hæc, homo collocatus est.

PROBATVR tertiò à Seraphico. Ex bonitate 7 Dei, quæ in communicatione, & diffusione elucet; communicatio verò perfectissima est viuere, & intelligere: ergo debuit communicare actum nobilissimum intellectus, & voluntatis, & aliorum graduum vitæ, & dare virtutem communicandi; atque adeò creare corpora, & spiritus, eaque vnire, vt spiritus corpori vitam communicaret.

PROBATVR quartò à S. Doctore ratione Philosophica. Si datur vna differentia entis opposita, datur necessariò & altera. Ergo si datur corporeum;

reum; datur & spirituale. Debemus autem concedere extrema componibilia. Ergo datur & medium participans extrema. Eadem habet in corpore.

Mvlta præclara habet Seraphicus in solutionibus argumentorum, quæ facilia sunt. Ea vide *loco citato*.

QVÆSTIO V.

An MALVM *inter rerum multitudinem sit enumerandum.*

D.Bonau. in 2. d.34.q.vlt.
D.Thom.q.48. art.1.

Dicendvm negatiuè.

Probatvr à D.Bonau. primò ex D. Augustino in Enchir.cap.11. & 12. *Malum non est natura aliqua, sed defectus circa naturam, mali nomen accepit.* Idem ferè habet Anselmus *de Concept. Virginis, cap.* 5. adductus à S. Doctore *fundamento* 3. & D.Dionysius *cap.4.de Diuinis nominibus*, apud D.Thomam.

8 Probatvr *fundamento* 4. à Seraphico. Ens, & bonum conuertuntur. Malum non est bonum: ergo neque ens. Ita arguit etiam D. Thomas.

Deinde probatur *in corpore*. Vnum oppositorum non est alterum: malum opponitur bono: ergo.

Qvamvis *hic* sit disputatio præcipuè de malo, non vt opponitur, tum bono naturali, tum morali; sed de malo opposito bono naturæ; & consequenter, vt opponitur enti, & passioni eius; tamen S. Doctor ibi agit etiam de malo culpæ; de quo etiam D. Thom. *art.2.* Sed de hoc *prima secunda tract.de Peccato, disp.1.q.2.*

Scias, aliquam naturam dici malam relatiuè, vt serpens homini; tamen omnes naturæ sunt bonæ; vt ait Seraphicus *dist.34.q.2. fundamento* 5. & Vasquez *ad art.D.Thomæ.*

QVÆSTIO VI.

Vtrum MALVM *inueniatur in rebus.*

D.Bonau.d.34. art.1. q.2.
D.Thom.q.48. art.2.

Ita asserendum.

Probatvr ab vtroque S.Doctore, ex D.Augustino *cap.12.Enchir.*

9 Probatvr à D. Thoma argumento, *sed contra*: quia alioqui remouerentur omnes prohibitiones, & pœnæ, quæ non sunt nisi malorum. Hinc habes, D. Thom. agere etiam de malo morali, quod negat Vasquez *in commentario.*

QVÆSTIO VII.

Vtrum MALVM *sit in bono, tanquam in subiecto.*

D.Bonau.loc. cit.& art.1. q.1.
D.Th.art.3.

Assero, sic se rem habere.

Probatvr ab vtroque S. Doctore, primò ex D. Augustino *in Enchir. cap.*13. *&* 14. Anselmo *de Concept.Virginis, cap.*5. vt refert S.Doctor *d.34.q.vlt. in argumentis.*

Probatvr à Seraphico ratione horum Patrum. Malum est priuatio boni; priuatio autem 10
est in subiecto apto. Hinc sequitur, negationem meram non esse malam, quia non est debitum ei tale bonum; sic cæcitas est mala in homine; non in saxo.

Aduertit D. Bonauent. malum non posse esse in quolibet subiecto bono, non enim potest in subiecto esse, cuius bonitas est sibi formaliter opposita; sic peccatum non potest esse in subiecto moraliter recto; nam rectitudo moralis est formaliter opposita culpæ. Ita nec vitium potest stare in subiecto, in quo est Virtus contraria: ex quo ruunt argumenta opposita. Vide Seraphicum Doctorem.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum MALVM *corrumpat totum bonum.*

D. Bonau. suprà.
D.Th.art.4.

Asserendvm negatiuè. Neque enim aut malo pœnæ, aut culpæ tollitur Deus, vel natura.

Pro quo aduertunt SS. Doctores *in corpore*, 11
triplex esse bonum. Quoddam per malum totaliter tollitur, & est illud, quod formaliter opponitur; sic lumen per tenebras. Quoddam, quod minuitur, sed non omninò tollitur; vt habilitas subiecti ad actum: v.g. voluntatis ad actus liberos. Quoddam verò, quod nec tollitur nec minuitur; vt subiectum, non enim per tenebras aliquid de substantia aëris tollitur. Vide SS.Doctores.

QVÆSTIO IX.

Vtrum MALVM *sufficienter diuidatur in pœnam, & culpam.*

D.Bonau.d.36. art.3.q.1.
D.Th. art.5.

Assero, hanc sufficientem esse diuisionem.

Probatvr à D. Thoma *hic*, & D. Bonauent. *Opusc.*

Opusc. declaratoria terminorum Theolog. Malum est priuatio boni, atque adeò modi, speciei, & ordinis. Et quidem res carentes in suâ naturâ debito sibi bono, carent modo, specie, & ordine. Verùm cùm creatura rationalis habeat specialem ordinem ad Deum, vt finem supernaturalem, ad quem liberè tendit, quoties declinat per voluntatem à debita rectitudine, incurrit malum præcipuum, quod ei iure, ac merito culpæ adscribitur.

12 EANDEM diuisionem mali habet S. Doctor *in 2.dist.36. in dubiis litt. & quæstionibus.* Alias verò diuisiones vtriusque membri habet *Opusc. cit.* & *1. p. Centiloq. sect.1.* vbi eandem rationem refert.

QVÆSTIO X.

An inter mala, MALVM CVLPÆ *sit maximum.*

D.Bonau. in 2. d.36.
D.Thom. art. 6.

13 ASSERENDVM ita esse.

PROBATVR à D. Bonauent. *1. p. Centil. sect.1.* geminis rationibus, quibus vtitur D. Thomas.

PRIOR ratio est, quia creatura rationalis non solùm ordinatur ad Deum, vt finem, per modum naturæ; sicuti reliquæ inferiores creaturæ; sed per modum liberum voluntatis. Tunc autem bona est voluntas, quando actus eius boni sunt, quia bonum consistit in actu. Tunc autem est bonus actus voluntatis, quando conformatur Deo, vt principio mouenti, vt regulæ dirigenti; vnitur ei, vt fini quietanti: In primo est modus; in secundo species; in tertio attenditur ordo secundùm triplex genus causæ: Quandocumque verò quis peccat mortaliter, discontinuatur à Deo principio mouente: quia Deus nunquam mouet ad peccatum. Discordat à Deo tanquam regula dirigente. Declinat à Deo vt fine, ponens finem in creatura. Vnde sequitur, malum culpæ esse longè essentialiter maius, quia à Deo auertit, qui est summum Bonum.

14 SECVNDA ratio elicitur ex dictis: quia malum pœnæ priuat bonum creaturæ, siue sit naturale, vt cæcitas; siue supernaturale, vt visio Dei. At malum culpæ priuat bono increato, idest Deo, eique opponitur propriè: contrariatur enim Diuinæ voluntati, & Diuino amori, quo bonum Diuinum in seipso amatur, & non solùm secundùm quod participatur à creatura. Vnde etiam ipse Deus est author mali pœnæ, etiamsi sit summa Bonitas: At non potest esse author culpæ. Idem accinit sæpè Seraphicus *distinct. 36. in quæstionibus.*

QVÆSTIO XI.

Vtrum MALVM *sit à bono tanquam causa.*

D.Bonau. d.34. q.1. & 2.
D.Thom. q.49. art.1.

D.BONAVENTVRA agit ibi de malo culpæ. At incidenter etiam de malo pœnæ, seu naturæ.

SVPPONIT primò S. Doctor, malum habere aliquam causam: malum enim est defectus boni; quod autem aliquid deficiat à bono, non potest venire, nisi ex aliqua causa, trahente rem extra bonum; sic aër non dissoluitur, vel corrumpitur, nisi ab aliquo agente: nec agens naturale deficit à sua operatione, nisi ab aliquo impediatur. 15

SVPPONIT secundò, nihil posse esse causam, nisi sit ens: & consequenter bonum. Iam verò bonum esse causam mali per modum subiecti, diximus *quæst.7.* causa verò formalis non potest conuenire malo, cùm imò opponatur formæ; vt notat Seraphicus Doctor, *distinct.34. quæst. vlt. argumento 4.* Similiter nec finis; cùm imò decliner ab ordine debito; vt latiùs explicat *tota distinct. 34. & 36.* Potest verò malum, & debet habere causam efficientem, siue propriè, sicut serpens mordens est causa mortis; siue impropriè, quæ consistit in deficiendo, sicut defectus tibiæ, est causa claudicationis: & in moralibus deordinatio, & defectus voluntatis est causa peccati, quod latè prosequitur S.Bonauent. *dist.34.q.2.*

ASSERO, malum efficienter esse ab aliquo bono. 16

PROBATVR à Sanctis Doctoribus ex D. Augustino, & rationibus suprà adductis.

ADVERTIT S.Doctor ex D. Dionysio *cap.4. de Diuin. nominibus*, malum culpæ esse à causa solùm deficiente. Idem habet D.August. *cap.3. Enchir.* vt aduertit S.Bonau.

QVÆSTIO XII.

Vtrum summum BONVM *sit causa mali.*

ASSERO primò, malum culpæ non esse à Deo.

PROBATVR à D. Bonauent. quia est deordinatio voluntatis à recto fine, nempè à Deo. Idem repetit sæpè. 17

ASSERO secundò. Malum naturæ, quod ex defectu causæ venit, non est à Deo efficienter.

PROBATVR à Seraphico Doctore *dist.34.q.2.* quia deficere, est imperfectio, quæ non potest esse in Deo. Idem habet D. Thomas.

ASSERO tertiò, malum, quod in corruptione rerum consistit, reduci in Deum, vt causam.

PROBATVR à D. Thoma; quia corruptiones sunt de complemento vniuersi, quod est volitum à Deo. Idem habet D.Bonau. addens, corruptiones esse per accidens naturæ, *in 2. dist.34. art.2. q.3. in fundamentis.*

QVÆSTIO



QVÆSTIO XIII.

Vtrum sit vnum summum MALVM *causa omnis mali.*

18 ASSERO, non dari aliquod summum malum, contra Manichæos.

19 PROBATVR à D. Bonauent. si datur aliquod summum malum sine bono; sequitur illud malum non esse, quia *esse*, est bonum; & ita implicat, malum summum existere. Idem habet D. Thomas.

PROBATVR secundò à S. Doctore: Sicuti malum potest aliquid destruere; ita summum malum posset omnia delere: Sed hoc est impossibile: quia potentia est de genere bonorum, ex Aristotele 1. *Magn. Mor. cap.* 2. & *lib.* 2. *cap.* 8. ergo malum summum erit summum bonum.

PROBATVR tertiò à Seraphico: Si datur summum malum; sequitur non habere scientiam boni, vel mali, quia scientia est de genere bonorum; & ita nesciet lædere, quod est de ratione summi mali.

PROBATVR quartò. Si datur summum malum: ergo est per essentiam malum, & per naturam: ergo natura malè facit; sed hæc est bona: ergo dum malè agit, benè agit.

PROBATVR quintò. Si est summum malum: ergo infimum est, omnique ente deterius: ergo non potest destruere bonum, & causare omne malum.

PROBATVR sextò. Si datur summum malum: ergo potest destruere omne bonum: ergo non datur summum bonum; quia de ratione eius est, vt nequeat deficere.

NOTAT S. Bonauent. dari summum malum inter mala, quæ sunt; sic Lucifer inter peccatores: 20
at non dari malum, quo nequeat esse maius. Ideò S. Dionysius *cap.* 4. *de Diuinis nominibus*, ait, malum, esse infinitum, quia potest semper augeri. Per hæc soluuntur obiecta à SS. Doctoribus.



TRACTA



TRACTATVS IV.

DE ANGELIS.

POSTQVAM de creatione rerum in genere, atque de distinctione generica earum in Corporeas, Incorporeas, & Mixtas, actum est. Iam de singulis agendum. Et primò de spiritibus Angelis differemus. Deinde verò de Creaturis corporeis. Mox de homine, qui ex spiritu, & corpore instat. Tandem de actibus eius bonis, & malis, ac de cæteris Dei operibus, & actibus hominum specificè, differendum.

DISPVTATIO I.

De Substantia Angelorum.

QVÆSTIO I.

An existant ANGELI, *& an sint incorporei.*

D. Bonau. in 2. d.8. q.1.
D.Thom. q. 50. art.1.

ETHYMOLOGIAM nominis Angelorum, ex Græco desumptam, tradunt Moderni ex D. Bonauentura, *ad Psalmum centesimum tertium.*

1 NOMEN Angelorum Græcè ἄγγελος, est nomen officij, non naturæ: significat enim nuncium; vt docent D.August. ad ea verba Psal. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus*, & 5. *de Genes. ad litt. cap.*19. Tertullianus *lib. de carne Christi.* Commentarius Ambrosij *in cap.*1. *ad Heb.* & Paulus ipse idem innuit dicens, allegato eo loco psalmi: *Omnes sunt administratorij spiritus*, & obseruat S.Bonau. 3.*p. de Ecclesiast. Hierarch. cap.*3. Vasquez *disp.*4. *quæst.*1. *punct.*1. Hinc & Messias dictus est Angelus; vt probat è Scripturis Seraphicus, initio opusculi citati, vbi varias causas adducit, ob quas vocantur Angeli. Vide & Vasquez *loco cit.* Ferchium *quæst.*1.

IGITVR Angelorum nomine significantur quædam substantiæ intellectuales naturâ suâ hominibus præstantiores; vt docuit etiam S. Dionysius *cap.*4. *de cælesti Hierarch.* & D.Bonau. *opusculo adducto*, & omnes Theologi *in* 2. vbi latè S. Bonau. *dist.* 9.

2 EXISTENTIAM horum spiritum negant soli Athei, qui etiam Deum negant, & Saducæi, qui dixerunt, non esse Resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum, vt refertur *Act.*23. & notauit D.Thom. *quæst.*50. *art.*1. Eos negarunt etiam aliqui philosophi; vt refert Aristoteles 4. *Phys. text.*52. *&* 57. & D. Bonau. 2. *d.*1. *quæst.*8. & cum eo Ferchius *de Angelis, q.*2.

ASSERO autem primò, Angelos existere.

PROBATVR primò à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 11. *quæst.* 3. & *in serm. primo de S. Michaële* ex Psal.90. *Angelis suis mandauit de te.* Ibi plurima congerit testimonia. *Numer.* 22. *Dan.* 6. *&* 7. *Iudith.* 13. *Tobiæ* 3. *Genes.* 16. *Act.*12. *Zach.* 1. *Tertio Reg.* 19. *Galat.*3. *Apoc.*4.7. *& seq. Psal.*103. *Luc.* 2. *Matthæi vlt.* & alia plurima, quibus adde innumera, refert *in opusc.* & *in* 2. *sent.* in quibus semper mentio est de Angelis, tanquam de substantiis quibusdam eximiis à Deo, hominibusque distinctis. Huc spectat quoque decretum Concilij Later. sub Innocentio III. *cap. firmiter.* Idem fatentur omnes Patres; vt dicam, quos recitat passim Seraphicus Doctor, maximè *in Pharetra, lib.*1. *cap.*6. 3

PROBATVR secundò à S.Doctore *ibi*, & *ad S. Lucæ*, & cum eo à Vasquez, & Ferchio *q.*3. 13. ex mirabilibus, quæ in Energumenis experimur, vt Idiotæ linguis eloquantur omnibus, differant de altissimis naturæ, & Deitatis arcanis, pondera grauissima circumferant, &c.quibus Atheistæ multi permoti conuersi sunt (vt ait Vasquez) in Galliis, & Anglia. Hoc argumentum moraliter euidens fatentur Vasquez *loco cit.* Suarez *disp.*33. *Metap.* & *lib.*1. *de Angelis*, *cap.* 1. Tanner. *disputat.*5. *quæst.*1. *dub.*1. *num.*10. tametsi Valentia illud suprà probabile tantùm iudicet. Ea sanè à Deo mouente non possunt esse; quia sæpè mala sunt, quæ dicunt, & operantur Energumeni, neque in eorum sunt potestate. His adde, quæ magi præstant incantationibus. Neque possunt huiusmodi animabus separatis attribui, quia iuxta veram philosophiam anima separata non plus potest circa materiam externam, quàm posset coniuncta; imò minùs, quippè non est illi a leò proportionata. Quare etiam infideles, & gentiles omnes iam olim pro comperto habebant, esse aliquas substantiás inuisibiles, homine superiores, quæ & hominibus malè, & benefacere possent, à quibus proinde, & oracula expectabant, & beneficiá petebant; vt referunt Cyprianus *lib. de Idolorum vanitate.* Lactantius *lib.*2. *diu. instit, cap.*15. Theodoretus *lib.*3. 4

Gracan.affect. & discurrit Tannerus *n.*11. Morand. *tract.*7.*q.*1. Vnde ruit oppositio Becani, & Arriagæ.

PROBATVR tertiò, aliis etiam rationibus allatis *tract.praced.disp.*2.*quaest.*4. à Seraphico *in* 2.*dist.*1. *p.*2. *art.*1. *quaest.* 2. Eis vtuntur Suarez *disputat.*35. *Metaph.* & de Angelis *lib.*1. *cap.*1. Vasq. *disp.*178. D.Thom. 2.*contra Gent. cap.* 46. & *quaest.*1. Ferrar. *ibi*, Tannerus *disp.*5. *quaest.*1. *dub.* 1. præcipuè vltima ratione Seraphici *loco citato*, quam videtur
5 sumpsisse è Concilio Later. *cap.firmiter.* Perfectissimus conditor, si vnam naturam oppositam condidit, profectò condidit & alteram. Deus est potentissimus, sapientissimus, optimus conditor, & creauit naturam merè corpoream: ergo & oppositam merè spiritualem Angelicam. Maior quoque roboratur è philosophia. Si datur vnum oppositum: datur & alterum. Est D. Bonau. etiam 2. *d.* 1. *q.*8. *fund.*4. & *in* 4.*d.*44.*q.*7.*fund.*3. vt refert Ferchius.

SVPPONO autem Angelos creatos à Deo contra antiquos Valentinianos, apud Irenæum *lib.* 1. *contra heres.cap.*1. & apud D.Bonauenturam 2.*dist.* 1. *art.*2. *quaest.*2. Et contra Manichæos, & Priscillianistas, qui Angelos è Dei substantia productos dicebant, quos damnauit Concilium Brachar. 1. *Si quis animas hominum, vel Angelos ex Dei substantia extitisse credit, sicut Manichaus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Eos refellit Seraphicus 2. *dist.*18. *art.*2. & *distinct.*2. *loco cit.* Primò *ad cap.* 1. *Ioan.* id probat S.Bonau. ex illis verbis: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, atque hoc testimonio vtitur etiam D. August. *tract.* 1. *in Ioannem.*

6 DEINDE *in* 2. *dist.*12.*q.*2. & *dist.*18. *art.*2. *q.*1. illo Iob.40. *Ecce Behemot, quem feci tecum.* Intelligit verò Luciferum, qui factus est nobiscum intellectualis simul, simultate naturæ; vt exponunt D. Gregorius, & Hieronymus *ibi.*

IDEÒ addidit Concilium Nicænum: *Credo in vnum Deum, &c. Creatorem visibilium omnium, & inuisibilium*; vt aduertit S.Doctor *in* 3. *dist.*25. *q.*1. *ad* 5. & Tanner. *loco cit.*

PROBATVR à D. Bonau. ratione, qua vtuntur Tanner. *n.*13. & alij. In causis deueniendum est ad primam causam omnium; neque ex essentia primæ causæ, quæ est inuariabilis, & immultiplicabilis res afferendæ sunt. Ità *in* 2. *d.*1. *q.*1. argumentatur, & aliis sequentibus quæstionibus. Neque aliqui Angeli potuere alios producere, vt ostendi *tractat.*3. *disp.*1. *quaest.*6.

SVPPONO secundò, Angelos non extitisse ab æterno; sed creatos in tempore. Id probatum manet *tract.*3.*disp.*1.*q.*11. & latiùs ostendam *disp.*4.

SVPPONO tertiò, Angelos non fuisse productos ante mundum corporeum, sed simul. Ita Scholastici cum Magistro *in* 2.*dist.*2. vbi D.Bonau. & *dist.*1.*p.*1. *dub.*2. & *dist.*2.*art.*2.*q.*3. D.Thom. 1.*p.q.*61.*art.*3. vbi Thomistæ: Ferrar. 2.*contra Gent.c.*83. Valentia *hic*, *q.*12.*punct.*2. Molina *q.*61.*art.*1. Vasq.*disp.*224. Suar. *lib.*1.*c.*3. Tanner.*disp.*5.*q.*1.*dub.*1. Sed de his *disp.*4.

FVIT opinio quorundam, Angelos esse corporeos. Hos referunt Suarez *lib.*1.*c.*5. Tanner. *disp.*5. *q.*1.*dub.*2. Molina *disp.*50. Vasq.*disp.*178. Numerantur multi Patres, qui verè id non senserunt.

7 FATEOR me stomachatum, dum in Tannero, Vasq. & aliis, omnes ferè Patres falsò pro hac ab eis damnata sententia vidi adductos: & pro opposita vera perpauciores expositos.

REFERTVR primus Origenes *lib.* 1. *Periarchon*, circa finem *proœm*: Ibi dæmonibus corpora aërea dat.

AT loquitur de corporibus assumptis. Ideò, eò libro, cap.7. dicit: *Omnia per Christum creata, siue corporeas, siue incorporeas, spiritualesque virtutes*, vbi creaturas diuidit cum Paulo *Coloss.* 1. in corporeas, & spirituales: sic refricat *cap.*8. & vocat eos dæmones, & spiritus malignos.

INSTAT Vasquez, Origenem *cap.*6. dicere, solius Dei esse proprium, sine corpore subsistere.

RESPONDETVR, eum dicere ex antithesi, creaturas non intelligi sine materiali substantia, & sine adiectione corporeæ societatis, quia aliquæ sunt corporeæ; omnes verò ex materia; vt dicam *quaest.*2. & societate etiam corporea, vt suarum funguntur officiis missionum.

CÆSARIVS etiam *Dialogo* 1. refertur: sed loquitur de corporibus assumptis, vt habetur in scripturis simul cum S. Gregorio Nazianzeno, suo fratre, *oratione* 34. 8

ELIAS Cretensis in primam orationem Nazianzeni, §. *Nihil enim mihi*: negat solùm, Angelos esse spiritus, si Deo comparentur; attamen spiritualiores nobis. Quare miror Suarez *lib.*1.*c.*5. adscribere huic Patri, Angelos non modo corporeos asseruisse, sed etiam corpora.

Citatur pariter Ioannes Episcopus Thessal. in *septima Synodo* idem dixisse, quod Eliæ inuritur, quia dixit, Angelos pingendos; quia corporei: similiter & animam.

Sed ibi se loqui testatur ad mentem DD. Athanasij, Basilij, & Metodij; at in sessione præcedenti, circa finem, asseruntur ex doctrina Athanasij esse incorporei. Solùm verò in corporibus assumptis corporeos, sicque pingi posse. Idem vult Metodius, dæmones in corporibus assumptis deferre semen, & esse incubos. Idem vult Basilius *concion. Quod Deus non est author malorum.* Nec laudo dicentes, in Concilio acceptatum, Angelos pingendos; sed, non quia corporei: nam ibi disserebatur: an, & cur sub specie humana pingendi; & declaratur, ita pingendos, quia corpora humana sæpe assumpserant. Ideò vocantur corpora illa *Symbolica*, & 9
Imagines Angelorum Symbolica à Germano Patriarcha Constantinopolitano ad Thomam Episcopum ex sententia Athanasij, quæ epistola in Concilio Nicæno secundo, *act.*4. refertur. Ideò autem imagines Angelorum *Symbolicas* vocat; quia Angeli sunt spiritus ab omni corporea figuratione alieni.

Totum igitur Concilium Ioanni acclamat: *Etiam Domine*, Angelos in specie humana pingendos, quia sic apparent; sicuti mox conceditur pingere Patrem æternum in figura grandæui, quia sic Danieli apparuit: Filium in forma iuuenis, quia naturam assumpsit humanam; & Spiritum sanctum in specie Columbæ, quia sic visus est. Itaque asseritur id, quod disceptabatur, Angelos pingendos aliquo fundamento rationabili, quia sic visi sunt in corporibus humanis, apparentibus extrinsecùs compositis.

Ex Latinis, primus affertur Tertullianus, contra Marcionem *cap.* 8. vbi solum ait, ex materiali spiritu Angelos constare, idest compositos ex materia; vt dicam *quaest. sequenti.*

INSTAT Vasquez Tertullianum *lib. de carne Christi, cap.* 6. asserere, Angelos egêre corpore sui generis, nempè subtili.

AT verba Tertulliani aliter sonant, ait enim: 10
Constat, Angelos carnem non propriam gestasse, vtpote natura substantia spiritualis, & si corporis alicuius, sui tamen generis. Præclarè igitur asserit, Angelos

gelos non habere corpora formaliter vnita, quia sunt spiritus; at si egent aliquando assumere, accipiunt conuenientia suo generi, tenuia, velocissima ad operationes, vel in figuris aptatis suis legationibus, ob quas dicuntur Angeli.

QVOD me grauiter commouet, inter alios allegatur S.Augustinus, qui est instar plurium & plura ex eo loca à Suarez, Vasq. Tannero, Valentia, & aliis adducuntur. Video *lib.* 10. *Genes. ad litt. cap. penult.* reprehendere erroris Tertullianum, eò quòd videatur corporeas facere animas.

Deinde in *Enchir. cap.* 59. profitetur, se nolle affirmare, Angelos corporeos.

Idem profitetur *lib.* 21. *de ciuit. cap.* 10. Quare frustrà allegatur 11. *de ciuit. cap.* 23. & *lib.* 2. *de Genes. ad litt. cap.* 17. & *lib.* 3. *c.* 10. quasi in hanc propendeat sententiam.

11 Falsò autem Vasquez *n.* 6. ait, *in Enchiridio* supponere D. August. Angelos esse corporeos, & solùm dubitare: An eorum corpora sint tractabilia: nam sic eloquitur: *Itemque Angeli cum qualibus corporibus hominibus apparuerint, quis explicet, vt non solùm cernerentur, sed & tangerentur, & rursus, quasdam visiones oculis spiritualibus ingerant vel mentibus, & dicant aliquid, non forinsecùs, sed intus in animo hominis, &c.* Vbi præclarè loquitur de corporibus assumptis ad apparitiones. Supponit verò alioqui, eos esse sine corpore, vt repræsententur mentibus in somnis, & vigiliâ, quod profectò facere non possent, si essent corporei.

12 DEINDE aduerto, illum *lib.* 1. *retract. cap.* 24. admittere Angelica corpora, Ætherea, & lucidissima, eo quidem sensu, quo illa concesserat *lib.* 83. 99. *quæst.* 47. Ibi quærit, quo pacto cogitationes nostras videre poterimus post resurrectionem. Et respondet plurimas apparituras per oculos, & totum corpus lucidissimum; sicuti per corpora Angelica, idest ab Angelis assumpta, reuelantur, in quibus exprimuntur legationes, puta Zelus transparens, & alia similia: & hoc vult *in Enchir.* & Tertullianus suprà. Corpora verò vnita formaliter, retractat *lib.* 1. *cap.* 11. & 13. & *lib.* 2. *cap.* 14. si quid calamo excidisset. Itaque de corporibus assumptis loquitur sæpè in libris *de Genes. ad litt. lib.* 9. *de ciuit. cap.* 12 & 13. & *lib.* 11. *cap.* 23. & *lib.* 13. *cap.* 16. quibus locis agit de dæmonibus, qui multa operantur in corporibus assumptis. Ideò *lib.* 21. *cap.* 10. instituit quæstionem: quo pacto ignis inferni torqueat dæmones, cùm sint spiritus. Et resoluit, torquêre veris, sed miris modis. Profectò hæc quæstio, & resolutio esset inanis; si dæmones constarent corpore. Et si dicas *ibi* alio modo, esto minùs accepto, resoluere; nempè ignem illum vrere corpora dæmonum, si extant. Respondeo, ibi fateri, talia corpora, si concedantur, non esse vnita dæmonibus, sicuti in animalibus, sed assumpta; vel loco ergastuli circumposita.

13 PRÆCLARE id quoque astruit, *lib.* 3. *de Trinitate, cap.* 10. quem allegant contrà; ibi enim ait, corpora ab Angelis suscipi, assumi ad legationes, eaque non esse quid Angeli, sed peracta legatione absumi. Ideò infert: *Illas etiam nubes, & ignes quomodo fecerint, & assumpserint Angeli ad significandum, quod annunciabant, quis nouit hominum?* Idem vult *lib.* 3. *de lib. arb.*

Quia verò Vasquez premit, hoc asseri à D. Augustino *ep.* 111. dico, eam non esse D. Augustini sed alicuius illiterati; vt habetur *in titulo.* In *ep.* verò 115 loquitur euidenter de corporibus assumptis: sic ad *Psal.* 85.

VLTIMVS locus adducitur à Vasquez *disputat.* 193. *cap.* 2. ex D. Fulgentio *de fide, cap.* 3. inter opera D. Augustini, vbi tamen nihil de hoc dicitur; vt aduertit etiam Suarez *n.* 3.

ADDVNT quoque aliqua inditia è D. Augustino 8. *de ciuit. cap.* 16. *lib.* 9. *cap.* 16. *lib.* 10. *cap.* 11. vbi ait, Angelos delectari odoribus, & similia, quæ corpora supponunt. 14

RESPONDETVR, eum se explicare, Angelos delectari odoribus, non vt sensibilibus; sed vt signis alicuius rei bonæ.

ADDVCITVR etiam D. Bernardus *serm.* 5. *in Cant.* vbi videtur dubius: & *lib.* 5. *de consider. c.* 4. vbi ait: *Si quis dixerit id inter opinabilia, non contendo.*

RESPONDETVR, in priori loco dicere, se id nescire, vt aufugiat à lite hac, quæ videtur esse inter Patres. At in *serm.* 5. se explicat, Angelos egêre corporibus assumptis ad ministeria; & corporeo etiam solatio indigêre, non propter se, sed propter alios (ait S.Bonau. *ad* 2.)

AFFERVNT quoque eos Patres dicentes, dæmones congressos cum mulieribus, *sæculo Noë.* Tertullianum, Clementem Alex. Metodium, Cyprianum. Nituntur Genes. 6. *Videntes Filij Dei Filias hominum.* Vbi LXX. *Videntes Angeli Dei.* Multos Patres refert etiam Arriaga *disp.* 3.

RESPONDETVR ex Hæbreo habeti בְּנֵי הָאֱלֹהִים, Bene *haelohim*, Filij Dei. Hi erant nepotes Seth, è semine iustorum, qui solent vocari Filij, & Angeli Dei; vt probat S. Bonauent. 1. *part. de Eccl. Hierarchia, cap.* 1. Hi dicuntur accepisse vxores, è semine Caïn, quæ ideò dicuntur filiæ hominum; vt notat Vasquez Suarez, Tannerus, & alij. Sic D. Bonauent. post sanctos Athanasium *quæst.* 19. & 98. ad Antiochum, Cyrillum *lib.* 9. *contra Iulianum*, & *lib.* 3. *in Genes.* Augustinum 15. *de ciuit. cap.* 23. Ambrosium *lib. de Noë, & Arca, cap.* 4. & aliis, & eo sensu locuti sunt illi, qui opponuntur. 15

CÆTERI verò, dæmones fuisse, aiunt, in corporibus assumptis incubos, vt testatur Seraphicus 4. *dist.* 44. *p.* 2. *dub.* 1. *litt.*

SECVNDA sententia omninò negat Angelis corpora. Ita S. Bonau. *in* 2. *d.* 1. *quæst.* 2. & *dist.* 2. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. & *dist.* 8. vbi cæteri Scholastici cum Magistro. Eum sequuntur D. Thomas 1. *p. quæst.* 50. *art.* 1. vbi omnes Thomistæ, etiam Caietanus, tametsi in epistolam ad Ephes. declinat. Idem sentit Scotus 2. *d.* 2. *quæst.* 6. & 7. & discipuli.

E recentibus, Molina 1. *p. quæst.* 50. *art.* 1. Valentia *quæst.* 1. *punct.* 2. & *quæst.* 2. *puncto* 1. Vasquez *disputat.* 178. Suarez *disputat.* 35. *Metaph.* & *lib.* 1. *de Angelis, cap.* 6. Tanner. *disput.* 5. *quæst.* 1. *dub.* 2. Marcus à Baudunio *quæst.* 44. *art.* 1. Morand. *tract.* 7. *quæst.* 2. Arriaga *d.* 3. *sect.* 2. Auersa *sect.* 2. Arrubal *disputat.* 148. & alij, qui hanc sententiam dicunt; & si non de fide sit definita, tamen adeò certam; vt opposita sit erronea, vel temeraria.

ASSERO cum hac sententiâ, Angelos non esse corporeos.

PROBATVR primò à D. Bonau. *in corpore* ex Scriptura *Marci* 5. vbi habetur legio integra dæmonum fuisse in vno corpore humano, est autem legio 6666. Non possent profectò tot Angeli in tam angusto loco, si essent corporei, restringi, vt arguit S. Doctor ex *Richardo de S. Vict.* nisi pediculis eos minutiores confingas. 16

Deinde *in sermone de sancto Michaële*, affert S. Doctor id Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes, & potestates, aduersus spiritualia nequitiæ, in cælestibus.* Et id Psal. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus*; & adnotat Seraphicus Doctor, *in commentario huius psalmi*, inuerti propositionem, quæ sonat: *Qui spiritus suos facit Angelos, idest nuncios.* Ideò *Hebr.* 1. dicuntur: *Omnes sunt administratorij spiritus*; vt ait D. Bonau. 2. *dist.* 10. *q.* 2.

17 Ad sextum Lucæ ad ea verba: *Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur*; obseruat S. Doctor, dæmones esse istos putos spiritus nuncupatos; vt sæpè dicitur in Euangelio. Idem obseruat ad id Lucæ 10. *Domine, etiam spiritus subiiciuntur nobis*; & eos esse de quibus *Ephes.* 6. *allegato.* Idem obseruat ad id cap. 11. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *hîc* è SS. Patribus. D. Dionysius *cap.* 4. *de Diuin. nominibus*, ait: *Dei gratia subsistunt intelligibiles omnes, spiritualesque substantiæ.* Et infrà, vocat Incorporales omninò; & paulò post: *sine corpore, malitia potest irrepere, sicut in dæmonibus.* Hic Pater in hoc plurimi faciendus; vt notat Arriaga, & meritò; testatur enim, se ab Apostolo hæc didicisse.

Neque moueat, quod idem eo cap. dixit: *In dæmonibus est furor irrationalis, amens concupiscentia, phantasia proterua*, hæc enim metaphoricè Angelis attribuit; vt obseruat S. Bonauent. *dist.* 7. *part.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Vnde phantasia non est in eis quidditatiuè, vt est virtus sensitiua; sed secundùm nomen *phanos*, idest *apparitio*, quatenus apparentibus præstigiis decipiunt. Idem aduertit Tannerus *num.* 8. cum D. Thom. *quæst.* 16. *de malo, art.* 1. *ad* 3. Hinc S. Dionysius *cap.* 2. *cælestis Hierarchiæ* obseruat, has sensationes eodem modo adscribi Angelis, & Deo, (cui tamen non adscribitur proteruitas, & similia, quæ dicunt malum.)

18 Affert Seraphicus etiam Damascenum *lib.* 2. *de fide, cap.* 3. vbi Angelum definit: *Angelus est substantia nobilis, incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans, gratiâ non natura immortalitatem suscipiens.* Vide S. Doctorem *in* 2. *dist.* 9. *num.* 2. & *in opusc. declaratorio terminorum Theolog.* & 3. *part. centil. sect.* 16. eodem ferè modo describuntur ab aliis Sanctis Patribus, Ignatio *epist. ad Trallianos*, Athanasio relato in sexta Synodo, *act.* 4. Nazianzeno *oratione* 2. *de Theologia*; Nysseno *lib. de orat.* Basilio homil. 9. *Quod Deus non sit auctor mali.* Epiphanio *hæres.* 26. Chrysostomo *homil.* 22. *in cap.* 6. *Genes.* & *homil.* 44. *in Matth.* & alibi: Cyrillo *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 10. & *lib.* 3. *in Genes.* Theodoreto *quæst.* 20. & 47. *in Genes.* Dydimo *lib.* 1. & 3. *de Spiritu sancto.* Athanasio *hîc, quæst.* 20. qui singuli constanter, Angelos incorporeos asseuerant, atque definiunt. Idem dixêre è Patribus Latinis, Ambros. *ad Hebr.* 1. Hieronymus *epist. ad Auit.* Leo *epist.* 93. Gregor. *lib.* 4. *Dial. cap.* 29. Richardus *lib.* 4. *de Trin. cap.* 11.

Idem declaratur in Concilio Lateran. sub Innoc. III. cap. firmiter: *Simul ab initio Deus vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam. Deinde humanam, quasi communem ex corpore, & spiritu constitutam.* Hoc sanè videtur definitum; attamen hoc non intendebat ex instituto definire, sed solùm; creaturas omnes conditas initio à Deo. Propterea S. Doctor, cui notum fuit Lateranense Concilium, oppositam sententiam hæresi non damnat. Idem dicunt D. Thomas, *loco cit. de malo.* 19
Caranza *adnot. ad* 7. *Synodum, act.* 5. Cano *lib.* 5. *locorum, cap.* 5. Sixtus *lib.* 5. *Bibliot. adnot.* 8. Caiet. Bañes, & alij Thomistæ *ad quæst.* 51. Molina *q.* 50. *art.* 1. Vasquez, Suarez, Valentia, Tannerus, & alij, qui tamen eam erroris, vel temeritatis condemnant, ob vnanimem nunc Theologorum consensum, & Patrum testimonia; vt indicat etiam S. Bonau.

Neque S. Augustinus, vt vidimus, dissentit, quî corpora Angelis assumpta sola concedit, vel si vnita formaliter, loquitur ex aliorum sententia; vt aduertit S. Bonauent. *ad* 1. Cæterùm ipse nobis dat manus: nam *lib.* 1. *Retract. cap.* 11. & 13. & *lib.* 2. *c.* 14. retractat, Angelos esse animas, vel habere animas; & statuit, dicendos creaturas spirituales, ac spiritus. Et *lib.* 15. *de Ciuit. c.* 23. asserit, Angelos natura sua spiritus esse, vt notat Suarez *n.* 28.

Seraphicus *in Compend. Theolog. lib.* 2. *cap.* 11. affert Damascenum *lib.* 2. *cap.* 11. *cap. etiam* 3. & 11. Isidorum *lib.* 1. *de summo bono, cap.* 12. quibus addit 3. *part. Centil. sect.* 16. Gregorium *homil.* 34. *in Euang.* Dionysium *de cælesti Hierarchia, cap.* 3. quibus alia adiungit testimonia, *lib.* 1. *Pharetræ, c.* 6.

PROBATVR tertiò rationibus S. Doctoris. Prima est, qua vtitur etiam D. Thom. & discipuli, 20
ac Tanner. *num.* 12. Valentia, & alij. Quod ad perfectionem pertinet vniuersi, debet concedi productum à perfectissimo Conditore, qui laudauit vniuersum valde bonum; sed natura merè spiritualis spectat ad perfectionem vniuersi: ergo. Minor probatur à Suarez *suprà*, ex D. Bonau. *hîc*. Perfectio vniuersi exigit, vt dentur omnes rerum gradus; maximè verò vnus, qui Conditorem imitetur, quantum licet; Vnus autem rerum gradus est substantia spiritualis perfectè subsistens completa, & hæc maximè Deum imitatur, qui est substantia merè spiritualis, perfecta, subsistens: ergo. Attentè legenti, eruta videtur hæc ratio è Concilio Lateran. *suprà citato.* Morandus cum Valentia *d.* 4. *q.* 1. *p.* 2. respondet ad perfectionem vniuersi sufficere dari substantiam spiritualem in corpore, quæ satis erit Deo similis; nec debere vniuersum esse omni modo perfectum.

AT cùm Vniuersum acclametur valdè bonum, debet etiam hunc modum perfectionis non repugnantem continere.

SECVNDA ratio est. Si datur vnum oppositum, 21
datur & alterum. Datur natura merè corporea: ergo & opposita merè incorporea, idest Angelus (Homo enim compositus est ex his extremis.) Vnde magis infertur, dari etiam extrema.

TERTIA ratio. Si Angeli essent corporei, essent vegetatiui, indigerent cibo, fatigarentur ad motum; imò cùm corpuscula habeant tenuia, atque ex peccato dissolubilia, sicut & nos, imbelles admodum, tardi essent dæmones, ac mortales, contra experientiam.

QVARTA ratio *in corpore* sumitur ex penetratione; si enim dæmones haberent corpora, quo pacto legiones dæmonum integræ singulas partes, & ossa nostra peruaderent, ac penetrarent, etiamsi culices essent volantes? (quod nobilem formam dedecet) & tamen *Marci* 5. *Lucæ* 8. Legio dæmonum erat in vno homine, idest 6666. vel secundùm Hieronymum ibi erant 10000. Hac ratione vtuntur Richardus *supra*, Clictouæus *ad lib.* 1. *c.* 3. *de fide S. Damasceni* Vasquez, Suarez, Arriaga, Morandus, Tanner. & *alij cit.* atque Faber *disp.* 10.

Ex

Ex hoc fundamento etiam vrgetur difficultas, quo pacto dæmones è cœlis elapsi penetrarunt. Admitteretur verò miraculum penetrationis gratis, vt notant Vasquez, & alij.

22 Hinc colligit Suarez *disp*.35. *Metaph. sect.* 3. *numero* 10. etiam dæmones esse incorporeos, vt arguit S. Doctor; atque adeò id eis malè à quibusdam negari, sunt enim eiusdem naturæ cum bonis.

PROBATVR etiam à Seraphico *dist*.8. *part.q*.2. ratione, quam adhibet Scotus in *quodlibet, quæst*.9. *art*.2. Quod est per se subsistens vltimata causalitate, non potest esse forma alicuius corporis. Angelus est talis: ergo. Maior est euidens: Minor probatur; quia Angelus est inter creaturas perfectimus. Iam verò datur species materialis, puta lapidis, non ordinata ad aliud: ergo multò minùs Angelus, qui est alterum extremum. Videte Fabrum.

QVOAD ea, quæ ex Scriptura opponuntur satisfeci; Angelos non genuisse, & hoc dicere hæresim vocat S. Philastrius *in Catalogo hæres. c*.108. & Eutym. *in Panoplia, tit*.13. *hæres*.9. vocat hæreticos, qui dixêre, Angelos accepisse vxores. Patres verò, qui iuxta Septuaginta legerunt, *Angeli*, intelligunt iustos, qui sic vocantur, vel filios potentum; vt legit Symmachus. Vel dæmones, qui rapto humano semine abutuntur. Patres verò suprà explicui.

Addo cum D.Bonau. *ad* 2. Angelos vocari à Patribus nonnunquam animalia, vel ratione apparentiæ, vel ratione operationis extrinsecæ animali debitæ, non ratione formæ.

23 OBIICIES primò. Quantò substantia est nobilior, tantò plures habet operationes. Angelus est nobilissimus: ergo habet operationem viuificando corpus vnitum magis, quàm anima.

RESPONDET S. Doctor, maiorem veram de operationibus simpliciter perfectis: at informare corpus dicit imperfectionem partis, indigentiam subiecti, &c. Ideò substantiæ nobilissimæ non datur.

OBIICIES secundò. Perfectius est habens vitam, & influens vitam, quàm habens solùm, & non influens.

RESPONDET Seraphicus, influentem efficienter esse nobiliorem; non formaliter, ob latas rationes; esse enim formam, dicit partem, & ens imperfectum.

OBIICIES tertiò. Angeli mali cruciantur igne corporeo: ergo sunt corporei. Antecedens probatur Matt. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Consequens probatur: nam agens, & passum debent esse proportionata.

24 RESPONDET S. Doctor *in corpore*, dæmones cruciari igne per alligationem, vt promittit definire *in* 4. *d*. 44. *part*.2. *art*.3. *q*.2. & vt nos latiùs, *disp*.8. *quæst*.14. discutiemus.

OBIICIES quartò: non potest spiritus esse in loco corporeo, quia est ei impropottionatus. Angeli sunt in loco corporeo: ergo.

RESPONDET Vasquez *numero* 16. ex D. Bonau. *dist*.2. *part*.2. *art*. 2. *q*. 3. maiorem veram secundùm omnes regulas loci corporei, qui continet, adæquat, conseruat; potest tamen diffinitiuè esse in spatio corporeo, sicut scimus, animam esse in corpore nostro.

QVÆSTIO II.

Vtrum ANGELI *componantur ex materia, & forma.*

{ D.Bonau. in 2.d.3. p.1.q.2. D.Th. q.50. art.2.

MVLTI existimant, idem esse corporeum, & materiale, atque adeò superuacaneum quærere de Angelis: An sint ex materia; cum probati sint incorporei: at non superfluit.

PRIMA opinio est, Angelos non constare ex materia. Ita D.Thom. *hic*; & omnes discipuli, & sententiarij communiter cum Magistro, *dist*. 8. & 3. Et inter recentiores Suarez *lib*.1. *de anima, cap*.7. & *disp*.15. *Metaph. sec*.14. Valentia *q*.1. *punc*.4 Molina, & Vasquez *ad art*. 2. *q*. 50. Tanner. *disp*. 5. *q*.1. *dub*.2. *numero* 15. Morandus *Tract*.7.*q*.3. Arrubal *disp*.149.*cap*.1. Auersa *hic, sec*.2. Præposit. *art*.2. Caspens. *disp*.1. *sec*.3. Posnaniensis *lib*.2. *cap*.2. *q*.2. Marcus à Baudunio *q*. 44. *art*.2. Is dicit, nihil de hoc Scotum definire; attamen *in* 2. *dist*.1. *q*.6. & *in quodlibet, q*.9. *art*.2. stat pro ista sententia. Eum sequti sunt discipuli, præcipuè Faber *disp*. 10. Mastrius *in* 2. *disp*.2. *quæst. numero* 70. Rabesanus *lib*.3. *disp*.6. *quæst*.2. & cæteri Scotistæ, iuxta sua principia de incorruptibilitate Angelorum, quam cum materia stare non concedunt. 25

Idem sentiunt Granado *contron*.7. *tract*.1. *disp*.2. multos referens. Arriaga *disp*. 4. *sec. vlt.* & alij moderni, & olim Henricus *quodlibet* 4. *q*. 16. & Brulifer *disp*.3. vbi Seraphicum sibi aduersum clamat, & alij apud Amicum *Phys. tract*.5.*q.vlt. d*.4. Sic & Petrus à S.Ioseph Fuliensis *l*.3.*de Ang.c*.1.

SECVNDA sententia admittit Angelos è materia compositos. Sic D.Bonau. *hic* Alensis 2.*p.q*.20. *memb*.2. Richard. 2.*d*.3.*q*.1.*art*.1. Aureolus apud Capreolum, *eadem dist. q*.1. *art*.2. ac olim Auicebron apud D. Thom. Hanc sententiam non posse confutari, fatetur Arriaga *disp*.4. *de Angelis, sec*.5. 26

Defendunt Scotus *q*.15. *de anima*. Cauel. *ibi*, Guliel. de la mare, apud Ægidium *art*.10. Capul. 2.*d*.3. *q*.1. & 2. Vorilo *q*. 1. Scotel. *q*.1. *eius dist.* Nicol. Nyse. *tract*.2. *part*. 2. *q*. 3. Matthæus Ferchius *de Angelis, q*.17. Dionys. Petau, *tom*.3. *c*.4. P.Galitius *primo Phys. tract*.2.*q*.6.

VT autem sententia D. Bonau. ab æquiuocis arceatur; oportet eius doctrinam integram adnotare, in qua non est obscurus; vt Faber obmurmurat.

PRIMO quidem in hac quæstione distinguit compositionem ex materia, & forma Metaphysica, quæ ex potentia, & actu constat; & compositionem Logicam ex genere, & differentia, in qua genus se habet vt potentia; & differentia vt actus, has compositiones admittunt omnes etiam prioris sententiæ. Apponit compositionem ex materia, & forma Physica: & hanc asserit etiam in Angelis, in quo priorem sententiam oppugnat. Aduertit autem, hanc non esse materiam, & formam corporeas, sed spirituales.

SEQVENTI quæstione presè quæritat: an eadem sit materia Angelorum cum materia corporalium. Et soluit dicens, non esse secundùm essentiam materiæ præcisæ, quia omnis differentia est à forma; & materia nuda non habet formas: dicit verò esse diuersam secundùm esse diuersum sub formis; nam quæ iacet sub forma spirituali, est spiritualis;

ritualis; quæ verò sub forma corporea, est corporalis. Et prior consideratio est Metaphysica; hæc verò Physica. Rursus, sub formis spiritualibus minùs est obnoxia mutationibus; quia magis perfectè actuata; atque adeò sæpè Doctores aiunt, carêre spiritualia potentialitate, atque materiâ.

27 QVÆSTIONE tertia ostendit, materiam secundùm essentiam esse vnam, non vnitate generis, speciei, aut indiuidui; quæ omnes à formis hauriuntur; sed vnam vnitate homogeneitatis, admodum quo esset massa, ex qua plura fierent. Addit, esse vnam numero negatiuè, sine numero, sicuti ouis non signata differt à signatis, & vocatur signata.

Ex quibus habes, non rectè Bubalum 1. *part. quæst.* 50. *art.* 2. Fabrum *loco cit.* & nostrum Marcum à Baudunio, trahere S. Bonauenturam ad sensum primæ sententiæ, quæ solam materiam concedit Logicam, & Metaphysicam. Nam Seraphicus apertè etiam Physicam admittit. Hanc porrò sententiam ait, *serm.* 4. *Hexaëmer.* se sequutum, ob suam in Deum pietatem, cuius alia addit loca Ferchius *cap.* 2. refellens Trigosium *quæst.* 3. *art.* 2. & Coriolanum *q.* 42. *art.* 11. deuios.

28 ASSERO, Angelos compositos ex materia, & forma Physica.

PROBATVR primò à D. Bonau. Cuicunque inest mutatio, inest principium mutabilitatis. Sed Angeli mutantur: ergo. Subsumo; at principium mutationum est materia: ergo. Syllogismus est euidens vsque ad subsumptum; hoc verò est Aristotelis 12. *Metaph.* 6. *&* 43. & 1. *cæli* 100. & D. Augustini *lib.* 12. *cap.* 19. *confess. repetitum*, & Boëtij *lib.* 3. *de Trinit. circa finem*, vbi ait: *Nihil, quod est merè forma, accidentibus potest subiici, quia hæc non suscipit, nisi materia subiecta.* Clarum est etiam, Angelos subire mutationes recipiendo habitus supernaturales, notitias, intellectiones; hisque & aliis substare accidentibus. Ideò dicuntur *Iob* 4. Mutabiles; & in eis inuentam esse prauitatem concluditur; & Ioannes in suo Euang. cap. 8. *In veritate non stetit.* Præclara Boëtij testimonia *de vnitate, & vno*, vrget Ferchius, *loc. cit.*

29 RESPONDENT Valentia, Faber, Morandus, & reliqui; formas substantiales, & secundùm illas mutari, supponere materiam; at mutationes secundùm formas accidentales, supponere tantùm formas finitas.

• Ad Boëtium ait Faber, loqui in priori loco de materia impropriè dicta; in posteriori verò de forma, quæ sit purus actus.

CONTRA: nam D. Augustinus *lib.* 12. *Confess. cap.* 19. ait: *Omne mutabile insinuat notitiæ nostræ quandam informitatem, qua formam capit, vel qua mutatur, & vertitur*, includit verò etiam mutationes cœlorum, quæ sunt tantùm accidentales; imò mutationes etiam Angelorum. Ideò *cap.* 20. inducit multas explicationes illorum verborum. Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, idest in Verbo suo coæterno fecit Deus informem materiam creaturæ spiritualis, & corporalis. Deinde *cap.* 21. refert expositiones varias eorum verborum:

30 *Terra autem erat inanis, &c.* & explicat sic: *Aliud sibi tollit, qui dicit: Terra autem, &c. & tenebræ super faciem abyssi; idest hoc totum, quod cælum, & terra est appellatum, adhuc informis, & tenebrosa materia erat, vnde fieret cælum intelligibile, quod alibi dicitur cælum cæli, & terra, idest omnis natura corporea, sub quo nomine intelligatur etiam hoc cælum corporeum, idest vnde fieret omnis inuisibilis visibilisque creatura.* Iam verò suprà *cap.* 9. dixerat, *cælum cæli*, esse creaturam intellectualem, idest Angelos. Neque dicat Faber, S. August. infra retractare: nam concludit. *Sic sentio.* Itaque & conclusio, & ratio D. Bonauent. est D. Augustini. Quod autem de Boëtio aiebat, inane est; nam, vt notat Seraphicus, ibi Boëtius reddit rationem, dicens: *Forma non suscipit accidentia, nisi sit in materia, vt in subiecto.* Adde S. Cyrillum *lib.* 2. *contra Iulianum*, vbi Angelos solubiles, ob id natura facit; sed gratiâ immortales.

PROBATVR secundò à S. Bonau. Nihil idem, secundùm idem agit, & patitur; sed idem Angelus agit, & patitur: ergo habet principia distincta vtriusque; at principium agendi est forma: & patiendi materia: ergo. Maior est euidens ex Aristot. 9. *Metaph. cap.* 1. vbi primò distinguit potentias in actiuam, & passiuam, & 5. *Metaph.* 17. alioqui idem, secundùm idem moueret, & moueretur; atque adeò esset simul actu, & potentia, contra Aristotelem 1. *de Gener. text.* 48. & 3. *Physic. text.* 8. Minor probatur; quia Angeli illuminant, & illuminantur: docent, & discunt. Eodem medio vtitur Richardus. 31

RESPONDET Faber, repugnare, idem secundùm idem agere, & pati actione vniuoca, verbi gratia, idem docere, & doceri eandem scientiam; alioqui eandem scientiam haberet, & non haberet; at non repugnat actione æquiuoca: Sic potest habens Philosophiam addiscere Theologiam. Itaque Angelus potest ea accidentia inducere, quibus carebat.

Eo ferè modo soluit Valentia; non repugnare, eundem secundùm idem agere, & pati actionibus vitalibus, quales sunt Intellectio, & Motus Angeli; non enim sequitur, idem esse in actu, & potentia formali, sed in actu quodam virtuali, & in potentia formali.

CONTRA Fabrum. Actio vniuoca est secundùm quam idem agit, & patitur: & secundùm hanc dicis non posse idem agere, & pati: At potest Angelus eadem latione moueri, & mouêre corpus assumptum. Hæc verò per te est actio, & passio vniuoca. Profectò abuteris ratione vniuocationis, quæ non stat in numerica identitate, sed specifica, vel generica. Præterea distinctio non est ad rem; quia argumentum radicem tangit, non actum, vt detur ipsius actus principium agens, & receptionis principium passiuum, quod sola materia est, per hoc, formæ opposita. 32

CONTRA Valentiam etiam, quia actu formaliter Angelus illuminatur, & illuminat de eodem arcano: ergo debet dari principium vtriusque actu quidditatiuum existens: & si virtute fit, debet habere naturam, vnde talis virtus prodeat: Prima autem potentia passiua est materia; & prima actiua forma, *ex* 1. *de Gener. t.* 55. & *secundo, t.* 53. Quare extra chorum euolant, vt clariùs *num.* 33. dicam cum Aristotele.

ARGVO tertiò ex D. Bonau. *distinct.* 24. *artic.* 2. *quæst.* 4. *in fundamentis.* Ita se habet compositio materiæ ad formam, sicuti se habet intellectus possibilis ad agentem, ex 2. *Phys. t.* 70. & *sequentibus.* Sed in Angelo sunt intellectus agens, & possibilis distincti: ergo & materia, & forma. Minor probatur primò ex Scoto *in* 2. *dist.* 3. *quæst. vltim.* vbi docet, Angelos recipere nouas species singularium. De quo latè Mastrius *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 5. Et nos *disput.* 2. *quæst.* 3.

PROBATVR secundò ex ipso Valentia *disp.* 4. *quæst.* 5. *princ.* 2. Vbi intelligens aliquando est in actu, aliquando in potentia, ibi debet dari intellectus 33

lectus agens, & possibilis per te. Sed Angelus sic aliquando est in actu; aliquando in potentia, respectu intelligibilium: ergò. Minor probatur, quia cùm non habeat species indiuiduorum omnium, sed eas vel recipiat, vt docet Scotus: vel componat ex pluribus, vt dicam *disp.2.quaest.5.* sequitur, ipsius intellectum modò agere; modò pati.

CONFIRMATVR adhuc ex Aristotele 1. *Phys.* & 1. *de Gener. text.53.* & *in Metaph.* vbi probat dari materiam, quia debet dari aliquid per modum receptiui, atque potentiae. Et 2. *Metaph.text.12.* ait: *Sed & materiam in eo, quod mouetur, necesse est intelligere.* Sed Angelus mouetur, & recipit impressiones ab igne. *Matth.25.* & 2. *Petri 4.* Ergo est in eo primum receptiuum, quod est materia, ex Aristot. 1. *de Gener.53.* & *lib.2.54.& 55.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore. Omnis distinctio indiuidualis venit à principio intrinseco substantiali materiali. Sed Angeli in eadem specie differunt numero: ergo. Maior est Aristotelis 1. *cæli, text.95.* vbi ait: *Cùm dico cælum, dico formam; cùm dico hoc cælum, dico materiam.* Et passim docet, quòd materia numerabiliter se habet. Confirmatur verò, esse debere principium substantiale; quia omnibus accidentibus abstractis, plura indiuidua sunt diuersa. Confirmatur secundò; quia ex non substantiis non potest consurgere substantia, ex Aristotele *in Præd.*

Respondet Faber, indiuiduationem fieri non per materiam, sed per vltimam realitatem specificam.

34 CONTRA; quia vltima realitas specifica est illa, qua vltimò constituitur species, ac proinde est indiuiduis communis; vltimum enim formæ specificæ est, in quo stat maximè eius formalitas, & essentia, quæ omnibus eiusdem speciei communis est; cæteri verò gradus habent potiùs rationem materiæ, vt docet Aristoteles *in libris de anima.*

Hinc arguit D. Bonauent. singuli Angeli sunt personæ, *hæc*, & *hæc*: ergo per aliquid constituens, & faciens hanc numero personam; sed hoc non potest facere sola forma, cùm ex se sit communis: ergo vt recepta in materiâ. De principio Indiuiduationis, vide *tract.5.d.5.q.4.*

PROBATVR quartò à Seraphico. Vbi est compositio ex genere, & differentia, ibi est compositio ex materia, & forma. In Angelis est compositio ex genere, & differentia: ergo. Minor conceditur ab omnibus: nam Angelus definitur. Ergo habet aliquid, quo conuenit cum cæteris definitis; & aliquid, quo differt; hæc autem sunt genus, & differentia. Hinc probatur maior. In quolibet definito debet inueniri realitas respondens definitioni; sed in Angelo est genus, & differentia: ergo debet in eo inueniri aliquid potentiale respondens generi; & aliquis actus respondens differentiæ. Ex duabus enim potentiis non fit ens actu; & ex duobus entibus actu non fit vnum per se, sed per accidens.

Dices, accidentia constant ex genere & differentia; neque tamen componuntur ex materiâ, & formâ.

35 RESPONDETVR ex D.Bonau. disparem esse rationem: nam accidentia ortum habent è substantiali subiecto, & eius principiis, à quibus vnificantur, & diuersificantur; at substantiæ non vnificantur, aut diuersificantur ab alienis principiis. Vide Ferchium *cap.4. & sequenti*, huius rei rationes dilatantem.

Respondet Faber, Angelum non conuenire cum aliis substantiis in genere Physico, idest in entitate potentiali ad formam, quâ cum faciat vnum per se; sed in genere Metaphysico, idest ex entitate solùm, quatenus est potentialis ad recipiendas perfectiones, quibus caret. Et talia sunt etiam accidentia, quæ carent compositione Physicâ; neque necesse est, vt omne compositum Metaphysicum proueniat ex aliis naturis diuersis, vel quod constet ex materiâ, & formâ.

CONTRA: quia Aristoteles 8. *Metaph. cap.2.* & 3. & Porphyrius *cap. de propriis generis, & differentia*, asserunt, genus sumi à materia; & speciem à forma.

RESPONDET Vasquez *cap.3. disp.179.* negando, dari aliquid reale respondens generi; & aliud respondens differentiæ, sed sufficere sic concipi. Ad Aristotelem, & Porphyrium ait, eos solùm velle rationem generis esse, vt *materiam*: & rationem differentiæ, vt *formam*. Idem respondet Suarez *in Metaph.disp.6.sect.11.*& *disp.35.sect.3.* & *hic*, dicens in hoc verificari, quatenus genus est quid potentiale, sicut *materia*; & differentia quid actuale, vt *forma*. 36

AT verò, vt arguit Seraphicus, conceptus sine fundamento est chimæricus: Aristoteles verò, & Porphyrius dicunt quidem genus esse potentiale; sed rationem esse, quia est à materia ei simili. Ait sanè Aristoteles in calce, sensibilem substantiam esse, vt materiam, formam, & ex his, idest ratione accidentium, in quorum definitione est actus, vt forma; & potentia, vt materia, vt notat Auer. At nil hoc obest. 37

PROBATVR quintò à D. Bonauent. *in corpore* ad hominem, contra D. Thomam 1. *part. quæst.3. art.3. in corpore*, ex doctrina Aristotelis 8. *Metaph. text.16.* In his, quæ non sunt composita ex materia, & forma, non differunt suppositum, & natura; sed in Angelo differunt natura, & suppositum: ergo in eis est materia, & forma. Maior est D.Thomæ *ibi.* Minor est eiusdem, vbi probat, Dei esse proprium, esse idem suppositum, & naturam. Est ferè argumentum D. Nazianzeni *de fide*, & recitatur in officio *Sanctissimæ Trinitatis*, vbi arguit in Deo Trinitatem Personarum in vna essentia, quia caret materiâ, vt refert Ferchius *n.16.*

RESPONDERET Caietanus, in omni eo, quod est sine materia, esse idem naturam, & suppositum intrinsecè, quia caret compositione, non autem extrinsecè; sic Angelus est intrinsecè simplex; at extrinsecè differt id, *quod est*: & id, *quo est*, quia à Deo potest destrui: & sic non est sua essentia; vt docet etiam Seraphicus *in corpore.* Ita respondet etiam Arriaga *sect. 5.* Morandus *num.667.*

CONTRA: nam ex eo, quòd Deus caret materia, quæ est intrinsecum principium, D. Thom. infert, Deum esse suam Deitatem: ergo carentia materiæ, vtpotè potentialis, est ratio essentialis, vt Deus sit sua Deitas. Confirmatur ex Aristotele 3. *Phys. text.32.* dicente: *Vbi est potentia, ibi est aliqua pars distincta*, aliter sequeretur, actum illum esse infinitum; essetque sua potentia, solùm autem in simplicissimis, idem est esse, & posse.

EAM verò compositionem extrinsecam agnouit quoque D. Bonau. *in corpore*, eam porrò Suarez *n.6.* & Arriaga dicunt, sufficere. 38

Profectò hæc non sufficit, vt essentia Angeli, quæ non est purus actus, ex supposito composita sit, sunt enim duo separabilia, vt patet in Incar-

natione. Compositio etiam ex existentia, & essentia, non sufficit; sunt enim vnum intrinsecè.

Dices, hoc argumento nimis probari, nempè partes quoque debere esse compositas ex materia, & forma, & sic in infinitum.

39 Respondetur, negando consequens: nam sufficit esse ordinatas ad compositionem; vt notat Arriaga *sect*.5.

Tandem probatur ex Patribus, qui praecedenti quaestione dixêre, Angelos esse corporeos. Idem velle Ioannem illum in Concilio Nicaeno laudatum, docet Bouetius noster, contra Atheistas, *demonstr*.2.*art*.6. corporeum enim apud illos significat materiale, quod fatetur etiam Arriaga probabile esse.

Ex dictis habes, falsum esse quod ait Arriaga, Angeli naturam sine hac compositione posse saluari, ac proinde superfluam, quam fatetur esse solam rationem, quae potest Seraphico opponi. Qua ratione vtitur Morandus. Magis verò refellitur id, quod conatur Suarez, Arrubal, & Praepositus ostendere, talem compositionem ex materia, & forma in spiritu repugnare. Imò Seraphicus *serm*.4. *Hexaëmer*. hanc compositionem ait, se in Angelis admittere, ne adeò ad purum actum Dei accedant, atque vt potentiam intrinsecam habeant; quoniam pura forma, purus actus erit; non passiuus, iuxta Boëtij effatum. Alias rationes affert 2.*dist*.17.*quaest*.2. vbi idipsum de anima ostendit, & nos *tract*.9.*Hexaëmer*.*d*.1.*q*.7.

Assero secundò, materiam, ex qua componitur Angelus esse eiusdem rationis secundùm essentiam, cum materia corporeorum; diuersam tamen secundùm esse. Ita D.Bonau.*q*.2.

40 Probatur primò à S. Doctore ex D.August. lib.1. de mirabilibus Scripturae, cap.1. *Omnipotens Deus ex informi materia, quam ipse prius de nihilo condidit, cunctarum rerum, hoc est sensibilium, & insensibilium; intellectualium, & intellectu carentium, species multiformes diuisit.* Quid expressius? (ait Seraphicus.) Hinc falsò ait Morandus, Sanctos Patres nunquam meminisse materiae spiritualis.

Respondet Faber, illum librum non esse D. Augustini: Vel per materiam, ipsum intelligere substantiam, sine accidentibus creatam, puta sine gratia, &c. Addit, authorem credere Angelos corporeos.

41 At nullius momenti haec sunt. Et primò, liber ille est D. Augustini, vt graues testantur Doctores. Confirmatur: nam idem docet D. August. *lib.de Genes.imperfecto*, *cap*.3. qui procul dubio est S. Augustini, vt aduertit Marginista Seraphici. Ibi explicans id Genes.1. *In principio*, *&c.* ait: *Potest caelum, & terra pro vniuersa creatura positum videri, vt & hoc aethereum visibile firmamentum, caelum appellatum sit, & terra creatura inuisibilis supereminentium potestatum; rursumque terra, omnis inferior pars mundi. An caelum omnis creatura sublimis inuisibilis dicta est, terra verò omne visibile, sic possit hoc, quod dictum est.* In principio, &c. *sed quaeri potest, vtrum iam distincta, & composita natura dixerit caelum, & terram; an ipsam primò informem vniuersitatis materiam, quae in has formatas, & speciosas naturas, Deo ineffabiliter iubente, digesta est, caeli, & terrae nomine nuncupauerit.* Et concludit: *Nihil horum temerè affirmari potest.* Igitur etiam inuisibiles creaturas, idest Angelos, è materia credit. Idem docet S. Augustinus *lib*.12. *Confess*. *cap*.3. 17. 20. 21. 26. 28. vt notat Ferchius *cap*.2.

Secunda responsio: an solida sit, legenti relinquo iudicandum. Tertia iam refutata est *q*.1.

Probatur secundò à Seraphico. In quouis genere est vnum primum, quo mensurantur omnia, quae in eo sunt genere; vt docet Aristoteles 10.*Metaph.text*.3.*&* 10.& *lib*.11.*cap*.4. sed substantia est vnum genus Metaphysicum: ergo in genere substantiae est vnum aliquod, quo mensurantur omnia in illo genere; sed hoc primum non potest esse principium extrinsecum; quia secundùm tale principium, res habent, vt vna sit magis, alia minùs, hoc enim prouenit ab agente: ergo erit intrinsecum: ergo vel materia, vel forma; quia haec duo sola sunt intrinseca principia rerum; at non potest esse forma; quia vnitas formae supponit vnitatem materiae, à qua forma indiuiduatur: ergo erit materia: ergo haec erit mensura, & mater omnium substantiarum, quae in ea vniri debeant; atque adeò omnium vna est, secundùm essentiam, materia. Ex quo fit, nullum receptiuum esse sine hoc primo; sicuti nullum agens est sine primo agente; vt ait Ferchius *cap*.7. Angelus verò recipit accidentia, & patitur ab igne; vimque suffert, vt daemon ieiectus à Raphaele, vti patet *Tobiae* 8. 42

Respondet Faber, Aristotelem intelligi de speciebus entis perfectis, in vnoquoque enim genere est vna species, caeteris perfectior; vt in genere animalis, homo, qui est mensura perfectionum omnium animalium; quia animalia, quae sunt propinquiora homini, sunt perfectiora in genere animalis; materia autem est ens imperfectum, de quo non loquitur Aristoteles.

Contra; quia ibi Aristoteles loquitur de ente positiuo, quod potest causari è principiis positiuis, quodcumque sit, magis, vel minùs participabile, vt docet D. Bonauent. *in* 2.*dist*.36. *art*.2. *quaest*.1.*ad* 6. Addit verò S. Doctor *hac quaest. ad* 6. illud debere esse perfectum, vt sit propriè Regula perfectionis. Non ponimus verò, materiam esse 43
mensuram entium in genere perfectionis substantialis; sed in genere vnitatis indiuiduae, secundùm quam ipsa est prima radix indiuiduationis. Quod si materia non est vna; neque erit vna forma, vel compositum; materia verò diuersificatur secundùm esse, pro varietate formarum specificè.

Probatur tertiò à Seraphico. Vnus est tan- 44
tùm numerus in vniuerso, in eo autem omnes continentur, vt ait Aristoteles 7. *Metaph. text*.49. Neque verò numerus creaturarum spiritualium extollendus est suprà praedicamenta transcendens. Omnia enim creata sunt in determinato genere, & praedicamento: Et quidem numerus est quid positiuum quantitatis discretae; etsi repugnet D.Thomas 1.*part. quaest*.11. *art*.2. *& quaest*.30. *art*.1. & ibi Nazarius cum condiscipulis. Itaque oportet dare aliquid commune spiritualibus, & corporalibus, secundùm quae numerus eiusdem rationis sit, sicuti verè est; quia numerus Angelorum supplebitur; numero hominum in gloria. Hoc autem non potest esse, nisi materia, quâ negatâ, S.Thomas negat in Angelis etiam indiuiduorum multitudinem. Cùm igitur in eis ostenderim esse materiam, oportet vt sit vna. Ex quo apparet, Seraphicum non petere principium in hoc, vel sequenti argumento simili; vt putat Faber: non enim *hic* supponit sine probationibus antelatis, *quaestione praecedenti*, vbi materiam in Angelo probatam reliquit.

Probatur quartò. Abstrahatur materia om- 45
nium rerum ab omni forma: tunc, vel adhuc erunt res

res distinctæ, vel non. Si secundum, habeo intentum: ergo est vna materia omnium. Si primum: Contrà: omnis distinctio est à forma.

RESPONDET Faber, peti principium dum supponitur Angelus habere materiam eiusdem rationis, cum his inferioribus.

AT fallitur: nam suppositâ in vtrisque materiâ, probat esse eiusdem rationis, medio abstractionis, apud Scotum, & omnes, vsitato. Arguit igitur sic: si non esset vna materia, erunt plures. Tunc sic. Vbi est distinctio, ibi est ratio distinctionis; sed materia abstracta non est ratio distinctionis: ergo neque distinctio. Maior est euidens. Minor probatur. Omnis distinctio actualis est ab actu: actus autem est forma; sed in materiâ abstracta non est forma: ergo neque distinctio. En argumentum Seraphici, non petens principium.

46 PROBATVR quintò. Id, quod est genericum, potest considerari abstractum à differentiis; sed substantia prædicamentalis est genus: ergo potest abstrahi seorsim à differentiis corporei, & incorporei. At in substantia, vt est genus, debet dari aliquid commune omni substantiæ creatæ. Hoc non est forma, quia est ratio distinctionis: ergo materia: ergo cum ostenderim in omnibus esse materiam; erit vna. Maior patet: nam genus est prius, verbi gratia, animal; quam rationale, ex Aristotele *in postprædic. cap.* 13. Confirmatur, quia si materia est vna solùm nomine, iam admittetur æquiuocatio in primo principio, quâ admissâ, nulla erit posteà vniuocatio.

ADDIT S. Doctor *in corpore*, vario modo id definiri, secundùm varias scientias: nam Physicus, qui considerat materiam, vt sustentat formas ad mutationes, dicit esse diuersas materias; quia secundùm esse diuersum consideratur: nam sub corruptibilibus subiectatur alterationibus corruptiuis, ac corruptionibus: sub formis verò incorruptibilibus, non subiicitur his mutationibus; minimis verò est obnoxia sub formis spiritualibus. Ideò Aristoteles 12. *Metaph.* 1, ait: *Æterno, & corruptibili non est materia vna.* Æterni autem sub nomine includit spiritualia, vt ex textu obseruat S. Doctor. Ex quo habes, Aristotelem in spiritualibus admittere materiam. At Metaphysicus, qui omninò abstrahit essentias rerum, considerans materiam secundùm essentiam, dicit, esse vnam, quia caret omni forma, quæ est ratio distinctionis. Porrò Theologus magis cum Metaphysico iungitur.

OBIICIVNT primò. D.Thomas, & alij D.Dionysium *cap.4. de Diu. nom.* vbi ait: *Angeli sunt diuinæ mentes, immateriales, & incorporei.* Eodem modo loquuntur alij PP. qui dixêre, Angelos incorporeos; & quidam dicentes, Angelos, non compositos, sed simplices.

47 Hoc testimonium Dionysij affert S.Bonau. *dist.* 8. 1. *part. q.* 1. *fundamento* 2. ad probandum, Angelos incorporeos, nec aliquid replicat *quæstione ista*, supponens ex *quæstione præsenti*, pro eodem, ibi accipi materiale pro concreto à materia corporea, quo sensu id intelligunt Patres obiecti, vt testatur Bouerius, *loco citato*, & concedit Arriaga *numero* 15. contra Suarez, Motandum, & alios. Eodem sensu loquitur Aristoteles, à Vasquez appositus, dum Angelos vocat Intelligentias à materia separatas. Itaque solam compositionem materiæ cum forma corporea, illi excludunt, in quâ materialitas maximè apparet ob mutationes; quo fit, vt spirituales substantiæ, in quibus non sunt corruptiuæ mutationes, dicantur immateriales, quippè quæ multum habent de actu, & parum de potentia, quæ est materiæ, vt aduertit Seraphicus Doctor *q.* 2. *corpore*; nullus tamen Angelum simplicem omninò dixit; in quo decipitur Granado. Quæ cum ità sint, aduersariorum argumentum æquiuoco scatet, vt fatetur ingenuè Arriaga, & probat Ferchius *numero* 22. vbi monet loqui de Angelis beatis, qui à fæcibus absunt; sic & homines immateriales in gloria, ait, *cap.* 1. *eius libri*, explicans id *Matth.* 22. Lucæ 20. *Erunt sicut Angeli Dei in cælo*, sanè post resumpta corpora. Porrò & Damascen. 2. *fidei, c.* 3. Athanasius *de naturali comm. tit. de Angelis*, vocant Angelos immateriales, comparatos nobis, vt ait Ferchius, *n.* 23.

DICES, eos vocat incorporeos, & immateriales: ergo duo illa excludit.

RESPONDETVR, hoc esse declaratiuum illius; vt notat Gulielmus cit. discipulus S. Bonau.

Obiiciunt secundò. D. Thomas *hic.* Scotus *in quodlibet, q.9. art.* 2. Fauentinus *disp.* 10. *numero* 4. qui licèt præsumat diuersam esse Scoti rationem; tamen cogetur fateri, esse eandem cum D. Thomæ argumento, quod est: Illa substantia, cuius operatio independens est à materia, est immaterialis; operatio propria Angeli est intelligere, quæ est operatio independens à materia: ergo; sic vrgetur ratio D. Thomæ à Valentia.

FAVENTINVS verò Scoti rationem sic format, eumque imitatur Suarez *numero* 3. Angelici Doctoris vestigia premere credens; atque adeò ratio Scoti est D. Thom. Quod si id immeritò neget Faber; saltem fateatur sumptam è D. Bonau. *dist.* 3. *quæst.* 2. *arg.* 3. *ad opp.* & *quæst.* 1. *argumento* 2. *ad opp.*

Illa operatio, quæ requirit subiectum immateriale, quod sit proximè receptiuum eius, est immaterialis: Talis est intellectio, quæ est operatio Angeli propria, & animæ rationalis, ergo. 48

HÆC ratio, vt refertur à D. Thom. soluitur, negatâ Minori. Nam intellectio exigit quidem subiectum inextensum, vt docet Aristoteles 3. *de anima, t.* 4. scilicet incorporeum; non obnoxium mutationibus corporum; non tamen requirit esse immateriale omninò: nam cùm intellectio sit accidens, debet recipi in materia; vt aduertit S. Doctor *hic ad primum*, ex Boëtio *primo de Trinitate*, quod Arriaga *numero* 14. laudat.

QVOD verò addit Faber, vt rationem D. Thomæ corrigens (vti ait Marginista Scoti) suo consulat Magistro, trahit argumentum ad petendum leniter principium. Assumit enim, quod controuertitur: An substantiæ intellectiuæ compatiantur materiam, quod enim ex operatione assumit, friuolum est, neque enim operatio, quæ est effectus, spiritualior est, quàm substantia; vt vidit etiam Scotus *ibi*, & refert Faber.

Debuit ergo priùs ostendere, substantiam materiæ incapacem, vt idem priuilegium operationi concederet. Potest autem Angelus habere operationem incorpoream, tametsi materialem, sicut materialis est etiam ipsa potentia, licèt incorporea, atque adeò tenebatur probare, intellectionem esse immaterialem, ne dum incorpoream; vt inde argueret, non posse esse immaterialem, quin talis sit etiam potentia, ne effectus sit suâ causâ nobilior.

CÆTERVM ex immaterialitate, etiam operationis simpliciter, non deducitur spiritualitas immaterialis potentiæ, vt ostendit Durandus *dist.* 3. *q.* 1. Valentia *loco citato*, Arriaga, aliique, quos frustrà redarguit Nazarius *hic, controu. cit.* sicut non valet: Operatio hominis est immaterialis: ergo homo 49

homo est immaterialis. Idem concedit Faber *supra*. Potest enim operatio immaterialis esse, seu spiritualis, & exigere subiectum materiale spirituale. Itaque laborant in æquiuoco, sumentes materiam corpoream, vt ait Arriaga.

RESPONDET Caietanus, benè arguere D. Thom. Operatio Angeli est intellectualis: ergo Angelus est immaterialis: nec est simile de homine; nam est discrimen, supponit enim, Angelum esse substantiam completam in sua specie. Itaque non permixtum corpori, sicut est homo.

INSTAT Valentia, hoc etiam supposito, non adhuc liquet; cur, si operatio Angeli est spiritualis, consequatur Angelum esse immaterialem.

50 RESPONDET ipse Valentia, valere D. Thom. consequentiam, quia sumit ipse operationem Angeli esse intellectualem, non quomodocumque, ita vt nullo modo pendeat à corpore, ne obiectiuè quidem. Rectè autem sequitur, illam substantiam esse immaterialem, cuius operatio, isto modo est intellectualis, & immaterialis.

AT esto intellectio non pendeat à corpore, pendet tamen à subiecto, quod non potest esse, quàm materia; vt ait Boëtius, *loco cit.* Vide Ferchium *cap.8. integro.*

Obiiciunt tertiò Suarez, & alij. Anima rationalis est immaterialis: ergo & Angelus.

RESPONDET S.Bonau. negando antecedens, vt ostendam *tract.9.disp.1.q.7.* Hoc diruto, ruunt ea, quæ Caspensis cum Suarez aggerat.

51 Obiiciunt quartò Scotistæ. Vbi est materia, ibi potentia ad alias formas, ac proinde corruptibilitas. Angelus est incorruptibilis: ergo. Probatur maior: Vbi appetitus non est satiatus, semper est ad alias formas; sed appetitus materiæ sub forma Angeli non satiatur: ergo. Minor ista probatur; quia, vt satiaretur appetitus materiæ à forma Angeli, deberet hæc continere omnes formas formaliter, vel eminenter; at non continet: ergo. Quod non formaliter contineat, constat: non est enim vegetabilis, vel sensibilis. Quòd neque eminenter probatur, quia deberet habere virtutem eas producendi; sicuti Deus potest formas corporeas producere, quia eas habet eminenter: ergo materia violenter manet sub forma Angeli; atque adeò is est intrinsecè corruptibilis.

52 RESPONDETVR ex D.Bonau. *quæst.2.* in materia, vbicumque sit, esse potentiam ad transmutationes, sed remotam; at proxima non adest, quia adæquatè satiatur formâ Angelicâ, continente alias formas, etsi non virtualiter effectiuè; tamen eminenter intrinsecè subiectiuè; est enim creaturarum perfectissima, vt omnes concedunt, nec appetitus materiæ fertur in formas, extrà ordinatas in vniuerso; alioqui esset frustra; appetitus autem magis ad bonum præsens inclinatur, quàm ad absens.

Adde materiam, & formam diuinitùs colligatas inseparabiliter, vt omnis potentia propinqua ad separationem arceatur. Vnumquodque autem magis dicitur tale, cùm est actu, quàm cùm est potentiâ, ex *2.Phys.text.12.*

OBIICIVNT quintò ex Boëtio *in fine libri de duabus naturis, & vna persona Christi, cap.4. & 5.* Omnis natura incorporeæ substantiæ, nullo materiæ fundamento innititur. Idem de animâ astruit Aristot.*lib.3.text.4.*

53 RESPONDET S. Doctor, Boëtium loqui de materia secundùm esse, vt est appropriata formis corporeis, cum potentiâ ad transmutationes. Idem intendit Aristoteles; loquitur enim de materia, vt est causa permixtionis secundùm esse, sub talibus formis.

OBIICIVNT sextò. Mundus est perfectus, ex 1. *Genes.* & Damasceno 2. *de fide, cap.29.* ad perfectionem autem orbis spectat, vt, si datur vnum extremum, detur & alterum. Ergo cùm dentur formæ spirituales, pendentes actu in sustentari à subiecto, debet dari & spiritus independens completus.

RESPONDET S.Doctor non posse dari creaturam, quæ sit actus purus, atque adeò egere potentialitate materiæ. Ideò Ferchius 18. procumbens, fatetur cum D. Bonauent. *serm.4. Hexaëmer.* hanc sententiam esse tutiorem.

DICES. Deus sustentat formas sine materia in Sanctissima Eucharistia.

D. BONAV. respondet, sustentare, supplendo efficienter defectum materiæ; non posse tamen supplere inclinationem ad subiectum, quæ est accidentibus essentialis.

CONTRA secundam assertionem obiiciunt primò. Quæ directè diuiduntur, ita se habent, vt vnum non intret in compositionem alterius; vt si animal diuiditur in rationale, & irrationale, nunquam rationale erit irrationale; sed angelica natura diuiditur contra naturam corpoream, & materiam ipsam, ex D.Augustino 12. *Confess. cap.12.* ergo materia non ingreditur naturam angelicam. 54

Si dicas, *ibi* distingui naturam angelicam ab esse materiali, prout habet esse corporeum.

CONTRA: nam D.Augustinus, ait: *Duo fecisti Domine: vnum propè te, idest naturam angelicam: alterum propè nihil, idest materiam informem.* Idem habet infrà.

Confirmatur: nam *eo libro*, & *lib. de Genes. ad litt.* exponit ea Genesis verba: *In principio creauit Deus cælum, & terram*, per cœlum intelligit Angelos: per terram materiam informem. Idem sentiunt Beda, & alij Patres.

RESPONDET D. Bonauent. sententiam D. Augustini, qui fuit altissimus Metaphysicus, esse; vnam esse materiam omnium secundùm essentiam, quia in se non habet entitatiuam distinctionem, quæ est à forma, & in hac omnia visibilia, & inuisibilia condita, vt suprà vidimus. Ibi verò in Confessionibus mediatur extremam entitatum, idest materiam, quæ est, propè nihil. Et ideò etiam ab Aristotele definitur: *Esse nec quid, nec quale, nec quantum*, cùm sit potentialis: ex altera verò parte actualitatem angelicam, quæ, licèt ex materia constet, tamen est quoad suam formam in altero creaturarum extremo, quæ mutationibus obnoxiæ plurimum potentialitatis habent; atque adeò & materiæ. Igitur D. Augustinus ex vna parte nudam considerat materiam; ex altera formalem quidditatem Angeli. Considerat quoque materiam primam, vt Angelum constituit, & vocat cœlum; & vt est principium corporeorum, & vocat terram; vt suprà exaraui. 55

OBIICIVNT secundò. Quæ communicant in materia, sunt inuicem transmutabilia, ex Boëtio *lib. de duabus naturis, cap.5.* sed Angeli nequeunt mutari in corpora, vel è contra: ergo. Similia cum Boëtio habet D.Augustinus, cui S.Bonau. tenebatur respondêre. 56

RESPONDET S.Doctor, Ea, quæ communicant in materia secundùm esse, idest in eodem genere formarum corporearum, esse ad inuicem transmutabilia.

OBIICIVNT

Obiiciunt tertiò. Sicut potentia agendi essentialiter consequitur formam, ita potentia suscipiendi essentialiter consequitur materiam, ex Aristot. 2. *Phys.* & 2. *de anima, text.* 24. & 2. *de Gener. text.* 53. sed quando sunt duæ potentiæ primæ, & essentiales formarum tales, vt vna ordinetur ad aliquem effectum producendum, ad quem non ordinatur alia; sanè conuincuntur differentes. Cùm ergo materia formis corporalibus subiecta, nullo modo capere queat formas spirituales, nec è conuerso: ergo differunt essentialiter.

57 Respondet S. Doctor, capacitatem materiæ essentialem esse ad formas spirituales, & corporeas: at, quia materia nunquam expoliatur omni esse, vt, quæ erat sub forma corporea, induat dispositiones spirituales, exuens corporeas; hinc est, vt secundùm esse, perpetuò differant, etiamsi secundùm essentiam sint vna.

Obiiciunt tertiò D. Thom. Valentia, Suarez, & alij. Partibilitas inest rebus corporalibus. Aut hoc prouenit à forma, aut à materia, non à forma, quia omnis forma est simplicis essentiæ: ergo oritur à materia; sed materia omnis est partibilis, & propria rerum ob quantitatem, quæ in Angelis non habet locum: ergo vbi non est quantitas; non est materia eadem cum hac inferiorum: ergo vel Angeli habentes materiam habebunt quoque quantitatem; vel erunt sine materia.

58 Respondet D. Bonauent. res inferiores diuidi per quantitatem, quæ comitatur materiam existentem sub formis corporeis, neque extensio est à materia secundùm eius essentiam, sed secundùm esse, prout suscipit formam corpoream, quæ requirit extensionem: at secundùm essentiam, materia non est primò diuisa per quantitatem: sed per varias formas, quibus supponitur. Vnde materia spiritualium diuiditur à materia corporeorum per varias formas, quibus varia esse acquirit.

In his verò inferioribus diuiditur materia etiam per quantitatem, quæ posterior quidem est formâ substantiali: nam esse substantiale est priùs accidentali; attamen simul cum ea oritur.

59 Ex his habes primò, Angelos componi etiam ex substantia, & accidentibus. Ità D. Bonauent. *quæst. cit.* D. Thom. *q.* 54. *art.* 1. *& seq.* & *primâ* 2. *q.* 50. *art.* 6. contra Auer. 12. *Metaph. com.* 25. *Simplicium, in cap. de qual.* & Maxim. *lib. de cælesti Hier. S. Dionys.*

Probatur à Suarez ratione D. Bonauent. & D. Thomæ; quia non sunt puri actus; sed ad multas perfectiones sunt tantùm in potentia; & ideò per actus accidentales perfici possunt.

Habes etiam, Angelos esse finitæ essentiæ, & perfectionis. Probatur à Suarez *lib.* 1. *cap.* 8. ratione Seraphici, *quæst. hac* 1. *in corpore.* Quia Angeli sunt creaturæ, quæ non habent esse à se; sed participatum, & dependens à Deo, atque adeò componuntur, ex eo, *quod* sunt, & eo, *quo* sunt. Non igitur habent esse infinitum, sed finitum, egens sustentari.

Alia obiiciunt Arrubal, Præpositus, Auersa, & alij, quæ non cogunt; vt fatetur Arriaga.

QVÆSTIO III.

Vtrum Angelorvm *magnus sit numerus.*

D. Bonau. d. 3. p. 1. art. 2. per tres qq.
D. Th. q. 50. art. 3.

Aristoteles sensit, Intelligentias esse tantùm quadraginta septem, iuxta numerum motuum orbium cœlestium. Sic 12. *Metaph. cap.* 7. *&* 8. Idem sensit Rabbi Moyses apud D. Thom. At Eugubinus, *lib.* 4. *de perenni Philosophia, cap.* 2. notat, Aristotelem 1. *cæli, cap.* 9. ad finem concessisse, extra cœlos, alias intelligentias, beatam vitam agentes, quod forsan ab Hebræis didicit; vt notat Morandus *q.* 5.

Enim verò ex fide constat, magnum esse Angelorum numerum.

Probatvr à D. Bonauent. *quæst.* 1. ex Daniel. 7. *Millia millium ministrabant, & decies millies centena millia assistebant ei.* Eodem modo id probat Seraphicus, *de septem Donis. De dono Sapientiæ, cap.* 10. vbi id probat etiam aliis Scripturis. Apoc. 5. *Numerus eorum erat millia millium.* Iob 25. *Nunquid est numerus militum eius?* Idemque ex ipsis locis colligi, ait D. Gregor. *lib.* 17. *Moral. cap.* 9. à Dionysio *de cælesti Hier. cap.* 14. Quibus vtuntur Valentia, *disp.* 4 *quæst.* 1. *punct.* 3. Vasquez *disp.* 180. Suarez *lib.* 1. *cap.* 11. Faber *disp.* 23. *& alij.* Addit S. Bonauent. Haymonem dicentem, ideò *Apocal.* 5. non poni numerum aliquem, quia innumerabiles sunt. Idem probat S. Doct. *lib.* 1. *Pharetræ, cap.* 6. ex aliis Patribus, præcipuè Gregorio *homil.* 34. *in Euang.* & de dæmonibus idem ostendit, *lib.* 1. *Pharetræ, cap.* 50. 60

Neqve de numero Angelorum definitiuè possumus aliquid certi dicere, vt notat Seraphicus, *loco cit. de septem Donis,* ex D. Gregor. 17. *Moral. cap.* 9. Anselmo *Apoc.* 5. Irenæo *lib.* 2. *c.* 6. apud Suarez *lib.* 1. *c.* 11.

Congruentias aliquas numeri penè infiniti Angelorum afferunt S. Bonauent. & cum eo, Moderni, præsertim Suarez. Prima est gloria summi Imperatoris, in cuius femore splendet. *Rex Regum.* Apoc. 19. & 1. Timoth. 6. Deinde amplitudo Regiæ cœlestis, quæ est patria beatorum; in qua omne pulchrum, omne bonum esse debet; vt ait D. Augustinus 22. *de Ciuit. cap.* 30. Chrysost. *epist.* 5. Prosper. *lib.* 1. *de vita contempl. c.* 2. Gregor. *homil.* 17. *in Euang.* Cyprian. *in epist.* quæ habetur in Breuiario, *octaua omnium Sanctorum.* Tandem nobilitas harum creaturarum, in quibus, quia non capitur quantitas molis; debet excellere quantitas discreta, atque virtutis. 61

Has, & alias rationes affert quoque Seraphicus Doctor, *dist.* 3 *art.* 2. *q.* 1.

Ratio potissima, quam affert Suarez ex D. Bonauent. *quæst. cit.* est Diuinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis declaratio, & collaudatio, vt deficientibus multis; imò ferè innumeris ex peccato, plurimi alij diuino incumberent famulatui.

Multa verò multi intentant, vt numerum aliquem Angelis præscribant.

Aliqui apud B. Athanasium *in qq. ad Antiochum, quæst.* 2. dicunt, numerum Angelorum nonagies nouies excedere numerum hominum, forsan 62

ea

ea pixi parabola, *Luca 15. de nonaginta nouem ouibus, & centesima perdita*, quæ dicitur homo. De hoc vide Seraphicum *in Commentario*, qui eam sic exponit cum Hilario, Theophylact. *ibi*, Gregorio *homil. 34. in Euang. in prima Apol. Dauidis, cap. 5.* & *lib. 10. in Lucam, cap. 15.* vbi Glossa Interlinearis, & Ordinaria. Cyrillus Hierosol. *catech. 5. in catena aurea* relatus, Beda, Haymo, Emissenus *ibi*, & D.Thom. *in catena*. Irenæus *cap. 21. & 39. lib. 3.* Origen. *homil. 2. in Genes. & 7. in Iosuè*, Tostatus *ad* 18. *Matth. quæst. 76.* & iterum D.Bonau. *serm. 2. Dom. primæ post octauam Pentec.*

63 Ex quo habes, non benè Maldonatum, ad *c. 18. Matth.* Suarez *lib. 1. de Ang. cap. 11. num. 10.* asserere, hanc explicationem friuolam esse; Est enim Patrum plurium; vt monet Morandus.

Instat Suarez, ex D. Augustino *lib. 83. qq. quæst. 65.* vbi per oues nonaginta nouem, accipit homines superbos; sed D. Augustinus potiùs pro nobis loquitur, ait enim: *Accipiamus animam, peccatis obrutam, idest omne hominum genus: quam alio loco Dominus per ouem perditam significat, propter quam liberandam relictis nonaginta nouem in montibus, descendisse se dicit.* Et *lib. 1. Medit. c. 15.* dicit, *Ouem perditam esse homines omnes, & quod nusquam Angelos apprehendit; vt habetur Hebr. 2.* Idem habet *c. 8. eiusdem libri.*

Rursus instat Suarez, idem exprimi parabola decem drachmarum, & tamen diuersus est numerus; vt vidit etiam D. Bonau. *dist. 9. q. 7.* ergo non est ponendus numerus Angelorum in ea proportione vnius, ad nonaginta nouem.

64 Respondetur, ex D. Augustino *lib. 10. Confess. cap. 18.* in ea parabola drachmarum, intendere potiùs Saluatorem effectum suum in sollicitè quærenda drachma, suâ imagine insignita: vel numero illo exprimit numerum vniuersalem, est enim denarius numerus vniuersitatis.

Fatetur sanè D Bonau *loc. cit. de septem Donis*, hæc, & alia non conuincere ad præfixum Angelorum numerum statuendum, quem soli Deo notum concludit. Idem ait Suarez *loc. cit.*

Alij numerum ingentem colligunt horum spirituum, ex eo: quia, ex infimo choro tantùm, singuli Angeli eliguntur pro singulis hominibus custodes; imò regnorum, prouinciarum, & vrbium, vt supersint octo alij chori, quantò nobiliores, tantò numerosiores. Vide Seraphicum, *dist. 10. quæst. 1. & 2.* Refert verò Dionysius Carthusianus *ad cap. 14. Eccles. Hierarchiæ S. Dionysij*, reuelatum S. Brigittæ, tot esse Angelos, vt singulis hominibus possent decem Angeli ad custodiam destinari.

65 Aliqui dicunt, tot homines saluandos, quot Angeli perierunt. Sic D. Augustinus *in Enchir. cap. 29.* & *22. de ciuit. Dei, cap. 1.* & D. Gregor. qui rectè id collegit ex eo Deuteron. 32. *Constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel.* Vbi Septuaginta: *Angelorum Dei*; vt notat D. Bonauent. *serm. 1. in Natiu.* Alij verò apud Athanas. *quæst. 2. ad Antiochum*: hinc collegêre, tot esse Angelos; quot sunt homines. Imo plures numero Angelos, quàm species rerum corporearum. Ita D.Thom. *q. 113. art. 4. & quarto contra Gentes, c. 92.* Estque communis; vt ait Morandus.

QVÆSTIO IV.

An omnes Angeli *sint specie distincti.*

D.Bonau. d. 3. p. 1. art. 1. q. 1. & d. 9. q. 1.
D.Th. q. 50. art. 4.

Prima opinio est D. Thomæ *hic*, & *2. contra Gentes, cap. 93.* singulos Angelos esse specie distinctos. Eum sequuntur Thomistæ, qui tamen duobus modis eam defendunt, inter se diuisi. Aliqui enim dicunt, non modò de facto ita esse; sed neque absolutâ Dei potentiâ, posse esse plures Angelos eiusdem speciei. Ita Caietanus, Nazarius *hic*, & rursus Caietan. *de ente, & essentia, c. 4. q. 9.* Petrus Bergomas *in concord. dub. 115.* & alij seueriores Thomistæ. Sic & Granado *p. 1. controu. 7. d. 4.* Serra *q. 50. art. 4.* Soncinas 12. *Metaph. q. 49.* Flandria 5. *Metaph. q. 9. art. 8. & q. 29. art. 4.* Heruæus *2. d. 3. q. 2. art. 2.* Allegatur etiam Ægid. auditor Angelici, *quodl. 2. q. 7.* 66

Alij verò concedunt, posse à Deo condi Angelos, solo numero distinctos. Ita Capreol. *2. d. 3. quæst. 1. art. 3.* Ferrara *lib. 2. cont. Gent. cap. 93.* Bannes, Zumel. Ripa *ad art. cit. D. Thomæ*; idemque Ripa *ad cap. 5. de ente, & essentia, cap. 4.* Ægidius, & alij, qui hoc sensu interpretantur Angelicum. Et quidem, id posse esse, communis est Theologorum sententia, extrà scholam D. Thomæ. Ita D. Thom. *loco allegato, & opusculo 16. contra Auerroistas ad argumenta.* Alens. *2. part. quæst. 20. memb. 6. art. 1. & 2.* D.Bonau. *locis adductis*, Albertus *in sum. p. 2. tract. 2. q. 8.* Henricus *quodl. 2. q. 8.* & *quodl. 11. q. 1.* Gabriel *in 2. d. 3. q. 1. art. 2. concl. 2. & 3.* Durand. *eadem dist. q. 3.* Richard. *art. 5. q. 1.* Argentina *q. 2. art. 2.* Rubion. *quæst. 4.* Marsil. *quæst. 3. art. 1.* Aureol. *2. d. 9. q. 3. ar. 4.* Baccon. *d. 11. art. 2.* Stephanus Episcopus, & Doctores Sorbonæ, qui oppositam damnarunt; vt referunt Richard. & Henricus. Idem asserit Scotus cum suis *in 2. d. 3. q. 7.* Bassol. *quæst. 1. art. 2.* Mairo *q. 2.* Rada *2. p. controu. 5. art. 3.* Faber *in 2. disp. 23.* Poncius *disp. 11. q. 3.* Brancasius de Angelis, *disput. 3. quæst. 2.* Vulpes *tom. 1. p. 2. d. 8. art. 11.* Mastrius *tom. 2. disput. 2. q. 1.* & Recentiores passim, Suarez *lib. 1. de Angel. cap. 12. & 15.* Molina *ad art. 4. quæst. 50.* Vasquez *disp. 181.* Hurtad. *disp. 12. Metaph. sect. 3.* Lezana *tract. 6. d. 1. q. 7.* Amicus *tom. 2. d. 3. sect. 6.* Auersa *p. 1. q. 50. sect. 7.* Arriaga *tom. 2. disp. 4. sect. 1.* Tannerus *disp. 5. quæst. 1. dub. 5.* Morand. *tract. 7. quæst. 6.* Marcus à Baudunio *q. 44. art. 3.* Abulensis *paradoxo 4. cap. 34.* & *q. 19. in c. 21. Numer.* & *in 21. cap. Matthæi, q. 19.* tametsi cum rigidis Thomistis à nonnullis recenseatur. Hi omnes videntur loqui de lege Dei ordinaria.

Ex his omnibus, aliqui ad aliud extremum declinantes referuntur; vt velint, Angelos solo numero multiplicari posse. Referuntur à Suarez *lib. 1. cap. 12. num. 3.* D Bonau. Albertus, & Gulielmus Parisiensis. Et quidem S.Doctor ab aliis citatur, sed malè: nam *dist. 3. p. 2. art. 2. q. 1.* ait, esse positionem sobriam, quæ ponit, aut in omnibus, aut in aliquibus solam distinctionem numericam: & distinctionem specificam in singulis ponere, non esse fundatum; vt notat Mastrius. Itaque probabile iudicat, aliquos esse specie distinctos, quæ est sententia 67

tentia Magistri *dist.9.* Richardi, Gabrielis, Alensis, Scoti, Durandi, Suarez, Tanneri, & aliorum, qui eam distinctionem non solùm inter Hierarchias, sed etiam inter choros asseuerant, licet non omninò constanter. Omnes verò esse eiusdem speciei atomæ, videtur multorum Patrum sententia. Cæterùm alij censent, hos Patres voluisse, non in omnibus, sed in aliquibus; saltem ex his, qui eiusdem sunt ordinis, vnitatem specificam constituere. Et hæc est communior sententia, extra Thomistarum Scholam, quam Pesantius *ad art. cit. D. Thom.* probabilem dicit, & dubitat ipse Ferrar. Cæterùm eam astruunt Alensis, Albertus, D. Bonauent. Scotus, Gabriel, Durand. Marsil. Aureol. Valentia, Molina, Suarez, Tannerus, neque renuit Vasquez, etsi rem dubiam relinquat. Quare non rectè à Nazario, Arriaga *supra cit.* Ferchio *de Angel. quæst.5. cap.2.* & aliis fertur S. Bonau. absolutè voluisse, omnes esse eiusdem infimæ speciei.

ASSERO primò, non implicare, plures Angelos esse eiusdem speciei atomæ.

68 PROBATVR primò à Seraphico auctoritatibus Scripturæ, & Patrum, quæ indicant ita esse de facto. quas afferam *assert.2.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *dist.3. loco adducto ad argumenta*, & *dist.9. cit. argum.3. addito responso.* Omnis quidditas, quantum est ex se, est communicabilis. Natura Angelica est quidditas: ergo communicabilis. At nulla quidditas est communicabilis in identitate numerali, nisi Diuina; quia est infinita: ergo quælibet alia quidditas creata est communicabilis cum distinctione numerali, per multiplicationem: ergo quidditas naturæ Angelicæ est multiplicabilis numero. Omnia assumpta in argumento patent Tota difficultas est in maiori propositione. Hæc probatur à D. Bonauent. si quidditati repugnat communicari, vel oritur hoc ex perfectione, vel ex imperfectione. Non primum; quia communicari competit naturæ Diuinæ, quæ est ipsa perfectio; neque secundum, quia cæteræ creatæ quidditates multiplicatione communicantur, vt inductione ostenditur in omnibus speciebus, tam animatis, quàm inanimatis. Hæc ratio est principalis assumpta à Scoto, Fabro, & aliis.

69 RESPONDENT Capreolus *loc.cit.* & Caietanus, non omnem naturam esse communicabilem, vt vniuersale suis inferioribus: natura enim Diuina non est hoc modo communicabilis, ob sui perfectionem: similiter repugnat Angelis communicari eorum naturam cum diuisione, ob eorum perfectionem. Quare, si maior intelligitur de communicabilitate, vt abstrahit à communicabilitate per diuisionem, & multiplicationem, & à communicabilitate sine diuisione; iam negatur consequentia, quæ est fallax, inducens multiplicationem. Ita Nazarius, Ripa, & alij; sed falluntur, vt aduertunt Faber, & Meldula: nam argumentum est à toto, vt genus ad partes subiectiuas, affirmatiuè. Nititur autem eo axiomate: *Quidquid competit generi, siue prædicato, competit & subiecto, seu speciei.* Sequitur ergo, quod, si omni quidditati in vniuersum competit communicari, competat etiam singulis specificis quidditatibus. Hoc sanè probat, quidditatem Angelicam vniuersaliter communicabilem. Communicabilitas verò talis per multiplicationem numericam probatur alio fundamento è repugnantibus, vt si arguas. Omne animal est, aut rationale, aut irrationale. Leo est animal; & non rationale: ergo irrationale; sic: Omnis natura est communicabilis, vel per diuisionem in pluribus indiuiduis, vel per communicationem pluribus personis, absque diuisione. Natura Angelica est quidditas, ac proinde communicabilis, & non ad modum communicationum Diuinarum, per solam multiplicationem personalitatis: ergo à sufficienti per opposita, est communicabilis in pluribus numero, per diuisionem in plura indiuidua naturæ.

Quòd verò ex perfectione Angelica non veniat, vt sit incommunicabilis per diuisionem.

Probatur primò; quia deberet conuenire perfectiori, quàm imperfectiori, & tamen homo multiplicatur hoc pacto; at Sol imperfectior non potest sic communicari, ex *primo cœli, text.92.* Probatur secundò: quia incommunicabilitas per diuisionem, est perfectio Diuinæ naturæ: ergo nulli datur creaturæ. Antecedens probatur ex infinita illius essentiæ simplicitate. 70

Vrgeo: magis repugnat ex perfectione communicabilem esse, ad species diuersas; vt patet in Diuina essentia.

Probatur tertiò, nam communicabilitas est magna perfectio, vt patet in Diuina essentia: ergo Angelo non competit ex perfectione esse incommunicabilem. Ita Mastrius.

Addit Lichetus: Maior imperfectio est, esse ens annihilabile, quàm esse communicabile pluribus: si ergo imperfectio illa non repugnat Angelorum perfectioni; sequitur neque istam repugnare.

Probatur secundò à D. Bonauenr. ratione ei familiari, quam refricat, præcipuè *dist.3. art.1. per tres quæst.* Omnis quidditas, quæ potest intelligi sub ratione vniuersali, absque contradictione, est plurificabilis numero; si enim esset de se hæc, scilicet numero, repugnaret illam intelligi sub ratione vniuersalis; sed omnis quidditas creaturæ potest concipi sub ratione vniuersalis; quia nulla est de se hæc, quandoquidem tunc per absolutam Dei potentiam non posset multiplicari. Hanc rationem adhibent Scotus, & discipuli, eamque Faber efficacissimam acclamat; & Morandus extollit.

Respondent Caietanus, Ripa, Serra, & alij Thomistæ, in natura Angelica eandem esse differentiam specificam, & indiuidualem; eam tamen intellectu distingui, quatenus nobis repræsentatur res sine conditionibus indiuiduantibus, quasi in natura vniuersali; tametsi talis non sit. 71

CONTRA primò; quia solam differentiam rationis ponunt Thomistæ inter gradus Metaphysicos generum, & specierum. Quare si ad multiplicandas genere species sufficit, sufficiet etiam ad distinguenda indiuidua sub eadem specie. Quòd si hanc conceptionem sine fundamento esse admittant, erit ridicula, & chimærica, (vt ait Mastrius) Angelorum distinctio.

Deinde arguit Faber: quia, vt aliqua natura sit de se hæc, debet habere principium indiuiduationis; sed in quidditate Angeli non est per vos principium Indiuiduationis: ergo est vniuersalis.

PROBATVR verò à Seraphico *dist.3. art.2. q.3.* Entitas, quæ intrinsecè est perfectibilis per actum, habet de potentia, & de genere; talis est natura Angeli, quæ perfectionibus singulorum Angelorum perficitur, quibus singuli vltimò constituuntur in actu perfectissimo Gabrielis, Michaelis. Talis verò differentia, seu talis actus est indiuiduans. Ideò Aristoteles, *cap. de substantia*, vocat indiuidua primas substantias, atque his ablatis

ablatis, tolli omnem substantiam, ait: Confirmatur; nam Gabriel est vnus numero, similiter Michaël vnus numero: ergo numero distincti, quippè qui in aliquo vltimo immediato conceptu communi conueniunt: ergo ille conceptus est vltimæ speciei. Hanc vrget Morandus.

72 Dicunt aliqui Thomistæ; id, in quo communicant, esse genus, quod non communicatur totum, sicut species, indiuiduis; sed sicut genus speciebus.

Contra: Sumo illum vltimum conceptum, in quo conueniunt; vel adhuc est diuisibilis, & contrahibilis ad alia inferiora rursus communicabilia, vel solùm ad inferiora incommunicabilia. Si primum, deuenire cogemur ad vnum conceptum, qui solum possit in singulatia diuidi: & hic erit conceptus speciei infimæ, communis illis indiuiduis. Si secundum; adhuc ille conceptus communis erit, non genericus, sed speciei atomæ; siquidem ei additur sola differentia indiuidualis.

Confirmatur: nam definitur species à Porphyrio, esse, quæ est apta esse in pluribus numero, & de eis prædicari, quæ sunt speciei intrinseca. Quidquid dicat Ripa. Itaque sicuti inarctabile est genus ad vnam speciem; nam & ipsum definitur, esse in pluribus specie distinctis; ita repugnat, vnam speciem non habere plura indiuidua, vt acutè aduertit Bassolis, saltem in potentia educibilia.

73 Probatur tertiò à D. Bonau. *dist.3.cit.fundamento* 3. ratione, qua vtuntur Scotus cum asseclis, & Morandus. Animæ rationales multiplicantur numero: ergo & Angeli. Probatur consequentia ad hominem.

Ratio, ob quam Thomistæ negant distinctionem meram numericam inter Angelos, est; quia dicunt, eos non habere materiam, quæ est principium indiuiduationis: at per vos, etiam animæ rationales sunt sine materia: ergo. Directè igitur arguit S. Doct. *ad* 1. Si repugnat Angelis distinctio mera numerica, idest, quia carent materiâ, à qua est talis distinctio. Sed hoc est falsum: ergo. Maior est D. Thom. & asseclarum, qui ex hoc obsoleto principio inferunt; neque per Dei potentiam Angelos posse numero solo distingui. Minor probatur primò, quia constant ex materia, vt ostendi *q.2*. Vrgeo cum D. Bonau. *ad* 1. falsò assumi, materiam esse adæquatam rationem multiplicationis, & indiuiduationis; nam, tametsi in corporeis sit principium radicale, quatenùs generans producit communicando partem substantiæ; at diuersitas multiplicationis Angelorum non est per transfusionem seminis; sed à Deo. Prætereà ratio discretionis numericæ venit in corporeis ipsis etiam à forma, quod probat Seraphicus, *dist.3. art.2. q.3*. nam discretio primarum substantiarum est actualissima: ergo non potest esse à sola materia, quæ est potentia.

74 Respondent Thomistæ, disparem rationem de animabus, quia inclinantur ad materiam, & ideò possunt numero solo distingui; non sic Angeli.

Contra; quia, secundum Thomistas, non inclinantur ad materiam, vt componantur; sed vt informent, & componant; sicuti & accidentia spiritualia, puta habitus infusi; quæ tamen solo numero distinguuntur; vt aduertit Morandus qui addit, animas esse indiuiduas, antequam tendant ad corpora; quam responsionem subtilissimam Scoti acclamat, eâque vtuntur Scotistæ; at nos eam refellemus *tract.9. disp.1. quest.10*.

75 Probatur quartò à D. Bonau. In Angelis est discretio numerica personalis, ac proinde oportet oriatur ex natura indiuidua, v.g. Gabrielis, qui est vna persona. Eam autem naturam indiuiduam potuit Verbum assumere, (impedita naturali personalitate, ne emanaret) tametsi noluerit; vt innuitur Hebr.2. *Nusquam Angelos apprehendit*. Ergo potest dari in Angelo natura indiuidua perfecta assumptibilis à Verbo, distincta numero à cæteris, extra rationem specificam communem. Hac ratione, quæ est D. Bonau. *dist.3.q.1.& 2*. vtitur Valentia, qui addit, oppositam sententiam damnatam in Vniuersitate Theolog. Parisiensis Sorbonæ, quod est magni faciendum: nam *in c.ad abolendam, extra de hæret*. ea opinio hæresis suspecta declaratur, quæ in aliqua Vniuersitate est damnata Catholicorum Theologorum sententiâ. Id tamen intelligendum addit, quando ea opinio non habeat graues aliquos Catholicos patronos, qualis est hæc.

Probatur quintò à D. Bonau. *q.1. ad vlt*. Vbicumque est impossibilis multiplicatio indiuidualis, ibi impossibilia sunt principia indiuiduantia, sine quibus indiuiduum non potest constitui, etiam à Deo, qui non potest supplere principia intrinseca formalia constituentia; vt communi fertur axiomate, & notat Vasquez; quia Deus potest supplere causam efficientem quidem, sed non formalem: at principia indiuiduantia sunt satis probata *q.2*. ergo possunt esse plures Angeli solùm indiuidualiter distincti; imò & sunt. Hoc argumento vtitur Suarez, quoad possibilitatem. Idem ait Vasquez *c.vlt*. vbi aduertit, quod si repugnat id esse; repugnat etiam de potentia Dei absoluta; vt dicebat primus modus primæ sententiæ ob implicantiam diuini concursus ad informandum. Idem sequitur in opinione Ægidij, qui eam affert rationem: cur Angeli nequeant numero multiplicari? nempè, quia vnus Angelus continet omnem perfectionem possibilem in ea specie. 76

Hæc tamen ratio elidit ex D. Bonau. *d.3.q.1*. quia Angeli sunt finitæ virtutis, atque substantiæ; & ideò non possunt infinitorum indiuiduorum perfectiones claudere. Ea enim virtus supponitur actu, ac proinde categorematicè infinita. 77

Prætereà omnes indiuiduationes sunt eiusdem ordinis, vt dicitur 5. *Metaph*. Quod si etiam inter indiuidua substantialem aliquem excessum admittamus, veluti de animabus asserit Seraphicus, *in 2.dist.31.dub.6.litt*. adhuc tamen posset dici, solùm in vno indiuiduo esse totum excessum super alia; non tamen omnia alia.

Ex dictis etiam habes, non rectè Rubionem soluere nostra argumenta dicendo, ea supponere aliquam naturam communem dari à parte rei; nam eo modo admittimus aliquid commune fundamentaliter; formaliter verò omnia propria, hanc materiam, hanc formam, hanc quidditatem: ita tamen, vt adsit fundamentaliter natura communis, v.g. rationalitas, quæ reperitur in singulis.

Assero secundò, de facto dari plurimos Angelos, solo numero discretos, & probabiliter omnes.

Probatur à D. Bonau. *d.3. art.2.q.1*. Natura colligitur ex operationibus: nam operari sequitur ad esse; sed operationes Angelorum sunt in plurimis vniformes, scilicet operari intellectu, & voluntate ad diuinum ministerium idem; vt dicitur Dan.7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Non est autem probabile, tot fuisse ministeria specie distincta, quot erant Angeli: ergo è Scriptura colligitur vniformitas 78

mitas specifica, aut omnium, aut plurimorum Angelorum: Hanc rationem habet S.Doct. *dist.3.cit. fundam.1. & corpore*, & *dist.9.q.1.in corpore*.

EAM acceptam fert S. Dionysio, cui plurima fides habenda in materia Angelorum, vt docet Seraphicus *his quæstionib.*& cum eo Arriaga,Tanner.& alij, quippe qui hæc se didicisse gloriatur a Magistro Apostolo, qui raptus ad tertium cœlum, vidit cœlestes Hierarchias.Ille igitur diuidit nouem choros, iuxta diuersitatem quoque officiorum; vt velit in eodem ordine plurimos eadem opera habere.

79 Eadem ratio innuitur ab aliis Patribus S. Dionysij discipulis, qui distinctionem numericam ferè solam videntur in Angelis agnouisse. Ex quo infert Suarez *c.12.*post D.Bonau.*d.3.q.1.cit.in corpore*,sententiam Thomistarum, in Patrum auctoritate nullum habere fundamentum; neque testimonio aliquo, saltem apparente Scripturarum fulciri.

D.BASILIVS *lib.3.contra Eunomium*,ait: *Angeli omnes, sicut vnius appellationis, ita eiusdem naturæ sunt inter se*, sic igitur arguit. Omnes illi Spiritus vnius sunt appellationis: vocantur enim omnes Angeli; quia omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi, vt propterea dicatur Deus: *Qui facit Angelos suos spiritus*. Igitur, cum omnes ad easdem operationes conformes sint ordinati, eandem etiam habent naturam, ad quam sequitur operari. Et addit: *Licet sint dispares in dignitate,& principatu; non ideo naturam alteram habere.*

80 D.GREGORIVS Nyssen.*de opif.homin.s.c.17*.ait: *Angelos ad infinita prope millia sic esse diffusos, vt vna natura, & multi esse numero possint*. Et lib. de *oratione Dominica*, circa ea verba: *Fiat voluntas tua*; de natura Angelica, & Humana, tanquam de duabus essentiis, & speciebus loquitur.

D.ATHANASIVS in ea verba *Omnia mihi tradita sunt*; ad finem, ait: *Angeli quoque inter se generis ratione,& cætera omnia cognata sunt,& eiusdem naturæ*. Et in *q.7.ad Antiochum*,*q.5*.ait. *Dæmonem ab Angelo essentia non differre; sed voluntate, sicut boni, & mali hominis animus inter se differt*.Et q.8.alias 4. *Vna* (ait) *& eadem est essentia Angelorum; sicut etiam vna tantum est essentia hominum.*

DAMASCENVS, *lib.de decretis,& placit.c.1.*ait: *Vniuscuiusque speciei vna est natura, & omnium Angelorum vna est natura, & omnium hominum*. Et c 7. *Intelligendum est, ea, quæ sola indiuidua continent, species infimas vocari; cuiusmodi est Angelus, Homo, & equus*. Et eodem cap. ait: *Incorpoream essentiam appello Animum,Angelum, Dæmonem, vnumquodque enim istorum speciei est infima*. Videtur tamen,*lib.2. cap.3* hac de re dubitare.

81 D.ANSELMVS *lib.1 cur Deus homo,cap.21.* ait: *Angelos esse eiusdem naturæ,licet non sint eiusdem generis, sicut homines (idest propagati per generationem) nec enim sunt omnes Angeli de vno Angelo, sicut omnes homines de vno homine.*

D.AVGVSTINVS *in Enchir.c.58.* & *contra Priscillianistas ad Orosium, c.11.* videtur aneeps quæ ibi sint differentiæ personarum, vt cum omnes, tanquam generali nomine, Angeli nuncupentur, sint tamen & illic Archangeli. Et vtrum iidem Archangeli nominentur virtutes, atque ita dictum sit: *Laudate Deum omnes Angeli eius: Laudate eum omnes virtutes eius.* Videtur tamen de sola dignitate honorum dubitare: Attamen ipse cum cæteris Patribus, ex ministerio, ex quo Angeli nominantur, videtur colligere quicquid de spirituum illorum distinctione, valet humana mens concludere.

QVAMVIS autem differentiam officiorum,etiam ex gratia, eos habere non negauerim Vasquio; attamen cùm gratias mixta naturalia gratis obtinuerint, vt ostendam *disp.5.q.5.* & omnia ad operationes illius patriæ: magno sane fundamento cum Patribus colligimus ex operationibus, ac ministeriis naturam, cum aliunde nihil fere didicerimus. Itaque non adeò nos hac de re incertos Deus reliquit, vt putat Vasquez *in calce disputationis*.

Nonnullas alias pro nostro asserto rationes habet S. Doctor *dist.3. q.1.* quibus vtuntur allegati Moderni.

PRIMA sit, è summi Regis gloria: Nam ad ornatum Aulæ Principis pertinet, vt in omni ordine, seu gradu personarum sint plurimi æquales,vt eum maiori proportione valeant eisdem ministeriis inseruire. Plurimos autem eisdem ministeriis incumbere, testatur *Dan. cap.7.* Quo argumento vtitur Suarez, *num.16.*Tannerus, *n.21*. Hanc æqualitatem plurimorum ministrantium mirabilem acclamauit Regina Sabba in aula Salomonis, 3.Reg.10. *Et vidit Regina Sabba (iuxta LXX.) cathedram puerorum eius,& stationem ministrorum eius,& vestem,&c.* Vbi in eodem gradu, eisdem habitaculis, plurimos aulicos vidit. 82

SECVNDA ratio. Personalitas est in Deo, Angelis, & Hominibus, sed Angelica natura est similior Diuinæ, quam humana: ergo, sicut humana habet plura indiuidua eiusdem naturæ, distincta verò numero,personalitate,& naturæ indiuiduatione,multò magis Angeli, vt ad eam vnitatem naturæ Diuinæ in pluribus personis imitandam aliquo pacto accedant. Hanc rationem in fine resarciam, contra Mastrium. 83

TERTIA ratio. Angeli creati sunt ad perpetuam societatem in patria, vt notat etiam Vasq *disp.211*. ideò inter illos sunt collocutiones mutuæ; illuminationes,purgationes inferiorum in scientia,At societas optima est inter similes in natura.Ita arguunt etiam Suarez,Valentia & alij; & est ratio Damasc. *in Element. cap.12.*

ALIAS rationes habet *dist.9.q.1.*Prima est, Quantò aliqua vniuntur suo principio, tantò vniuntur inter se, sed Angeli inter creaturas maximè vniuntur suo Conditori: ergo maximè etiam inter se; at nequeunt vniri numero: ergo specie. Maior est clara in numeris. Quantò enim numeri accedunt ad vnitatem,tantò inter se vniuntur; & eò magis disperguntur, quò ab vnitate recedunt. 84

SECVNDA est: Animæ rationales,etiam separatæ, sunt eiusdem speciei: ergo & Angeli.

Respondet Tostatus *paradoxo 4 c.54.* hoc venire ex vnitate speciei corporum. Contrà arguit Seraphicus, quia anima non est propter corpus, sed è contra.

Rursus, quid impediret, corpora esse diuersarum specierum, si congrueret, spiritus rationales specie distingui?

TERTIA ratio; quia Angeli sunt electi conciues, domestici illius supernæ ciuitatis quæ est pacis visio,ad quam plurimum facit vniformitas in natura. Ideò enim & Patres dicunt,Deum voluisse homines naturæ consortes,&c. & ob id,Christum nostram carnem assumpsisse,vt fratribus assimilaretur.Confirmatur, quia natura Angelica est caput vniuersi; debuit ergo esse vnum: at non potuit esse vnum indiuiduo. Ergo specie,vt amicabili vnione vniantur. Est ratio Damasceni *in Elem.c.12.*

CONFIRMATVR adhuc a S. Doctore: quia homines sunt destinati ad reparandam Angelorum ruinam 85

ruinam, vt docet D.August.22.*de ciuit.cap.1.* & *in Enchir.c.*61.& 62.quem sequuntur Beda *ad primum cap. Ephes.* Anselmus, Bernardus, & alij relati à Suarez 1.*p.tom.*1.*lib.*1.& *de Angelis,lib.*1.*c.*11.& ostendi cum D.Bonau.*tr.Cl.*1.*disp.*21.*q.*10. Igitur, sicuti homines reparantes sunt eiusdem speciei; probabile est, tales fuisse etiam Angelos elapsos; at verò ex omnibus ordinibus lapsi sunt, vt dicam *disp.*7. *q.*5. Tandem *in corpore* ait, hanc sibi opinionem eò etiam probari: quia SS.Patres, præcipuè Dionysius, qui cœlesti spiritu afflati, Angelos contemplati, dicunt, ea, quæ in vno sunt; in aliis esse; tametsi excessu aliquo, sicuti etiam in animabus, alteram altera esse perspicatiorem, ostendit S. Doct. *dist.*31.*citato loco*, & notat Vasq.*n.*11.

86 Ex his. Assero tertiò, probabile esse, omnes Angelos esse eiusdem speciei. Patet ex iam dictis. Et hanc sententiam Seraphicus probabiliorem existimat, maximè *dist.*9.*citato loco.*

PROBATVR adhuc à S.Doct. *d.*9.*q.*1.*ad primum.* Quæ in vltimâ conueniunt differentiâ; solo differunt numero: Angeli sic conueniunt: ergo. Maior claret. Minor probatur. Quæ conueniunt in supremo, & optimo sui, conueniunt in atoma differentia. Angeli conueniunt in supremo sui, & optimo: ergo. Maior patet, quia vltima differentia dat esse formale, atque adeò actum vltimum optimum; vt rationalitas homini. Minor probatur. Angeli conueniunt in intellectualitate; hæc autem est optimum Angeli, nam eâ fit deiformis.

AT S. Doct. non adeò his nititur. Nam intellectualitas habet gradus substantiales, secundùm quos, creatura vna esse valet aliâ perfectior, prout magis participat de intellectualitate Dei infinitâ; ac proinde fit Deo similior. Id videmus in Angelo, qui specie præstantiorem habet intellectum, quàm nos, vt ait S.Doct.*d.*3.*loc.cit.fund.m.*3. Posset autem creare Deus alios spiritus specie, ac genere præstantiores intellectu; alioqui infinita perfectio Diuini intellectûs substantialiter participabilis, erit iam æquata ab Angelo. Ipse verò Deus est intellectiuus; & tamen essentialiter Angelum transcendit.

QVÒD verò Angeli omnes eodem modo accidentali generico per species; imò & substantialiter genericè intelligant; nil obest.

OMITTO, optimum Angeli apud S. Doct. esse Voluntatem, vt dicam *tract.*5. *d.*9. *cap.*5. *quæst.*2. Quare non omninò hæc tenet. Si tamen hoc medio vtar in arguendo; potest resolui, vt suprà, mutato termino *intellectualitatis.*

87 QVÆ cum ita sint, probabile etiam censet S. Bonau. multos esse specie distinctos: & sanè videtur probabile, nouem ordines constare nouem speciebus distinctis. Ita D.Thom. Magister, Richard. Gabriel. Alensis, Scotus, Durandus, Suarez, Tannerus. Est autem principiis Seraphici consonum, qui *eadem d.st.*9.*q.*3. docet, naturalia fuisse data à Deo dispositiuè ad gratiam, atque adeò, secundùm proportionem naturalium, Deum elargitum dona gratiæ, quod non facile declarari potest, si asserantur omnes eiusdem atomæ speciei, vt aduertit Tannerus *num.*28.

PROBATVR primò à S.Doct. *dist.*3. *loco cit.* & magis *dist.*9.*q.*1.*argumentis primo loco.*

PRIMVM est. Angeli conditi sunt, ad ostensionem maximæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis Dei; at hæ magis ostenduntur in multiplici Angelorum specie: nam multiplicantur opera, & perfectiones naturarum; quæ sunt, sicut numeri: ergo. Hoc autem magis dicendum, vbi sunt ordines distincti: nam ordo est dispositio superiorum, & inferiorum, vt sæpè D.Bonau. asserit ex D.August. 19.*de ciuit.cap.*13. vbi ait: *Ordo est parium, & imparium rerum, vnicuique loca sua distribuens congrua dispositio*, vbi, per res impares, videtur intelligere species, quæ sunt, vt numeri: per pares, indiuidua eiusdem speciei, in perfectione specificâ paria, vnde in his, quæ sunt æqualia, non est ordo perfectionis.

Affert Seraphicus *dist.*9.*dub.litt.* D.Gregorium, *homil.*34.*in Euang.* qui ordinem, provt de singulis ordinibus Angelorum dicitur, sic definit: *Multitudo cœlestium spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur, sicut in naturalium datorum munere conueniunt.* Igitur singuli ordines habent pro sua ordinatione Angelos eiusdem perfectionis, & ita diuersis ordinibus, diuersa naturalia, atque gratuita contingunt. Hac distributione Angelorum in nouem ordines, quæ sanctis Scripturis nititur, & PP. vt ostendam infrà; moti sunt Patres multi ad ponendam inter ordinem distinctorum diuersitatem specificam, quam secuta sit diuersitas gratiarum. Ita indicant præcipuè Dionysius, *c.*5. *cœlestis Hierar.* Nazianzenus, *orat.* 34. Chrysost. *homil.*2.*de Incomprehensibilitate Dei*, Isidorus, *lib.*1. *de summo bono, cap.*10. (Tametsi dubiè loquatur.) Nazianzen. *orat.*40. & Damasc. *lib.*2.*c.*3.

HÆC ratio eruta è SS.PP. roboratur secundò à D.Bonau. Plus differunt Angeli diuersorum ordinum, quàm eiusdem ordinis, in simplicitate, quæ est primum attributum, ergo & in personalitatis distinctione; sed Angeli eiusdem ordinis distinguuntur numero: ergo Angeli diuersorum ordinum differunt specie. 88

Si tu dicas, eos differre magis; sed accidentaliter, sicut aqua diuersorum fontium.

CONTRA instat: nam differunt in simplicitate essentiæ. Nam superiores sunt minùs in potentia, quàm inferiores, quos ideò illuminant, & purgant: ergo.

Hanc tamen rationem non omninò certam esse, addit Seraphicus Doctor: nam manifestari potentiam, sapientiam, & bonitatem, ait, saluo ordine prouido rerum, Angelos autem eiusdem naturæ condere decuit, ob rationes suprà allatas, quas reficiat: intensionem verò perfectionum esse posse absque specierum diuersitate, concludit.

SECVNDA ratio. Sicuti Angeli sunt conditi ad ornatum Empyrei: ita & astra ad ornatum firmamenti, & viuentia ad ornatum elementorum; at in viuentibus, qui sunt triplicis ordinis, res ita se habet, vt vegetabilium, & sensibilium sint plurimæ species: ergo & intelligibilium. Hic autem gradus maximè in patria debuit excellere, vbi est visio Dei. Similiter, & astra sunt specie diuersa, vt constat ex virtutibus diuersis. Angeli autem his similantur, Iob 38. *Vbi eras, cùm me laudarent astra matutina?* Vide S.Doctorem *in primo, dist.*7.*q.*2. 89

RESPONDET tamen S.Bonau. hæc non conuincere, tum quia eà omnia habent diuersas operationes specificas, non sic Angeli. Deinde ea ordinantur ad diuersa; at verò Angeli omnes ad vnum principale. Tandem in vita contemplatiua, cui Angeli incumbunt, est vnitas; de qua Lucæ 10. *Porrò vnum est necessarium.* In actiua, cui cætera destinantur, multiformitas. Ideò & Angelorum habitatio est vniformis; quos adumbrant aulici Salomonis; vt dictum est. 90

Attamen allatæ rationes sunt probabiles, quibus vtuntur Tanner. Marcus à Baudunio, Morand.

Suarez

Suarez, Molina, Vasquez, Arriaga, & cæteri huius sententiæ sectatores.

91 Obiicies primò contra primum assertum. Vbi est indiuiduatio; ibi principium eius: sed in Angelis non est materia, quæ est principium indiuiduationis: ergo. Maior claret. Minor est Aristotelis, qui ait, tale principium esse materiam, 12. *Metaph. text.*41.& 3.*de anima,text.*9. Probatur à Bañes *q.*50. *art.*4. Omnis distinctio substantialis numeralis sumenda est à substantia: ergo à materia, vel forma. Non sumitur à forma, quia distinctio à forma est formalis specifica: ergo à materia; sed in Angelis non esse materiam, docet Aristoteles in Metaph. passim: ergo.

Respondet S. Doctor duabus quæstionibus ex proposito *dist.*3.*art.*2.*q.*2.& 3. distinctionem indiuidualem esse substantialem; quia ex non substantiis non potest consurgere substantia; vt docet Aristoteles: at Indiuidua sunt primæ substantiæ, vt ait: *cap. de substantia*; quo fit, vt nec quantitas, nec aliud accidens possit esse principium eius. Oritur ergo indiuiduatio ex materia,& forma, prout inuicem appropriantur.

Fateor, formam abstractam esse specificam; at hæc forma in hac materia est numerica, vt notat etiam Valentia *ad* 3. post D.Bonau.*q.*3. qui pluribus rationibus id demonstrat. In Angelis autem esse materiam, & formam, ostendi *q.*2. Vnde in ea est principium Physicum indiuiduationis; atque inde etiam sumitur Metaphysicum.

Deinde quoque negantes Angelo materiam; pluribus hoc Thomistarum fundamentum concutiunt.

92 Obiicies secundò. Perfectissimis entibus debetur ordo per se. Angeli sunt perfectissima entia: ergo. At ordo per se est inter plura, specie distincta, sunt enim species, sicut numeri, ordinatæ, ex 8. *Metaph. text.* 10. Ordo enim per accidens est inter indiuidua eiusdem speciei; vt dicitur 3. *Metaph. text.*11. Maior probatur ex 12.*Met.text.*52.

Respondet D.Bonau. *d.*3.*q.*1.*ad* 4. Fauentinus *n.*23. Suarez *n.*17. Valentia *ad* 4.& alij, Angelos carere quidem aliquo ordine accidentali, puta causalitatis nonnullæ, qualis est, quòd Abraham pater Isaac; & hic genitor Iacobi, sint causa Iosephi: nam mortuis illis, adhuc potuit Iacob gignere Iosephum; sic carère etiam alio ordine quodam effectuum, qualis est inter Saül, & Dauid, qui non habent inter se ordinem originis; esto ambo ordinentur ad Adam. Hos ordines accidentales è propagatione oriundos, negat Aristoteles Intelligentiis; non tamen ordinem distinctionis indiuidualis. Neque verò semper ordo per se debetur entibus perfectissimis: nam inter Cherubim, & Seraphim est ordo per se; quia distincti sunt specie; & tamen nobiliores sunt Seraphim; neque talis ordo est aptior; sed ille, qui conuenit perfectissimæ vnioni cœlestis patriæ, Angelis debetur; qui ab Amico,& Mastrio dicitur *ordo Politicus*. Adde vtrumque ordinem esse necessarium ex paribus; & imparibus, vt dixi cum D.Augustino, vt notant Rada, & Mastrius.

Obiicies tertiò: Si plures Angeli essent eiusdem speciei, essent imperfecti: nam deesset eis perfectio, quæ est in aliis indiuiduis. Sic Leo hic est imperfectus; quia deest illi id, quod de specie obtinet alter Leo, egetque illo ad conuictum, &c. non sic Angeli. Ideò enim etiam in quibusdam perfectis non plurificantur indiuidua. Ita non dantur plures soles, &c.

93 Respondet S. Bonau. *ad* 1. & 2. negando sequelam: nam ideò in sole est tota ratio solis; quia non eget mundus pluribus, at superna illa aula plurimos exigit perfectissimos aulicos,& ministros ad nostram custodiam, quos probabile est eiusdem esse speciei; vt notat ex D.Bonau. Mastrius *n.*28. quos Deus condidit immediatè perfectissimos, ad quod non est necesse, vt singuli habeant perfectionem extensiuam omnium indiuiduorum; sed satis est, si habeant specificam; alioqui etiam homo esset creatus imperfectus, quia non habuit perfectiones omnium posterorum. Non habere igitur perfectiones omnium indiuiduorum, non est priuatio dicens carentiam perfectionis debitæ; sed negationem, quæ solam dicit debitam naturæ indiuiduæ finitatem. Ita respondent Valentia, Faber, *num.*24. Suarez, *n.*4. Morandus, & alij. Quod dicebant de necessitate conuictus ad generationem, non oritur ex multitudine indiuiduorum; sed ex deficientia eorum, vt conseruetur species. Ad id de Sole, iam dictum est satis. His soluuntur alia apud Fabrum *n.*26. & Mastrium *num.*22. & *seq.* 94

Obiicies quartò. In his, qui sunt eiusdem speciei, non est superius, & inferius: at in Angelis etiam eiusdem ordinis sunt superi, medij, & infimi, ex D.Dionysio, *cap.*10. *cœlestis Hierarchiæ*: ergo.

Respondet S.Bonau. *in corpore*, vtroque loco citato, in eodem ordine non esse superius, & inferius essentialiter; sed solùm secundùm aliquas indiuiduas perfectiones, secundùm D. Dionysium; esto sit inter diuersos ordines, quod probabile duxi. Ita ex parte Faber, *num.*25.

Obiicies quintò. Multiplicatio indiuiduorum non est per se intenta à natura; sed solum ob conseruationem speciei, ac proinde, vbi species potest conseruari in vnico indiuiduo, non sunt multiplicanda; vt constat in sole.

Respondet D. Bonau. *dist.*3. *citato loco ad* 2. multiplicitatem indiuiduorum non intendi ob conseruationem speciei, sed hoc solùm esse intentum in successiuè pereuntibus; imò, neque in hominibus est ad conseruationem speciei, alioqui sufficeret duos semper viuere: sed finis est communicatio bonitatis, ostensio sapientiæ, & distributio gratiarum ad gloriam Dei; maximè ad beatitudinem in patria, in qua plurimi etiam Angeli ideò creati, vbi magis Diuinæ Maiestatis gloria lucet, & laudari à pluribus debet: & sic plurimi aulici coram Rege Regum assistere debent. Ita etiam Faber *n.*25. Valentia *ad* 2. Suarez *n.*18. In illis autem aulicis vniformitas plurimorum conuenit, vt dixi suprà cum Damasceno, vt in societate connaturali amicabiliter consimiles viuant. Imò eadem multiplicatio in corruptibilibus à priori, ex eorum oritur fœcunditate, illis data à Deo ad ostensionem potentiæ, &c. alioqui, si ad solam speciei conseruationem, natura multiplicatur; cur innumeræ sunt bestiæ eiusdem speciei? 95

Obiicies sextò. Si dantur extrema datur & medium; sed datur multitudo personarum in vna natura in Diuinis; & pluralitas naturarum in vna persona in Christo; & pluralitas indiuidua naturarum in personis, apud nos: ergo datur pluralitas etiam specifica naturarum in singulis personis. 96

Respondet S. Doctor *dist.*9. *ad* 3. Angelum non esse hac in re medium, quia est in eo diuersitas naturarum.

Meritò igitur Seraphicus illorum sententiæ magis hæret, qui multitudinem Angelorum sub eadem specie atoma admittunt: quia authoritate Patrum fulcitur, quos longâ serie refert Malonius

2.*dist*.3.*disp*.3. Quibus pro coronide impono Concilium Florentiæ *sess*.20. vbi dicit: *Angeli omnes, vt appellationis vnius; sic etiam vnius naturæ sunt inter se.* Et infrà: *Quemadmodum Angelorum alius est princeps; alius subditus, & tamen omnes Angeli naturâ sunt, & in dignitate quadam diuersitas; in naturâ verò communitas est.*

97 RESPONDET sanè Malonius, ea esse verba D. Basilij, allata à Concilio non ad probandum, Angelos esse eiusdem naturæ; sed Spiritus sancti consubstantialitatem, & processionem à Patre, & Filio.

At hoc ipso approbat Basilij sententiam; esto non definiat (quod Nazario concedam) ne dicant, Concilium doctrinâ falsâ, vel saltem incertâ, sua probare dogmata. Vrgeo: nam & Basilius ipse, dum ita loquitur, intendit probare inter diuinas Personas esse ordinem, etiamsi sint eiusdem naturæ, exemplo Angelorum, qui inter se ordinem habent, cùm tamen eandem naturam habeant, ex quo habes, eum loqui de natura specifica atoma; alioqui nil probaret. Et Concilium, data opera ad id probandum, eadem vtitur doctrinâ.

98 HINC verò vrgentem illam rationem, Scripturâ, & Patribus nixam, collegit Seraphicus, primâ acie appositam *dist*.3. *cit. lo. o.* Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. At verò Angeli creati sunt ad Dei ministerium: hoc autem rectè saluatur & impletur in Angelis eiusdem speciei; vt videtur innui *Dan*.7. & à PP. & à Concilio Florentino, qui ex Angelorum nomine, sumpto à ministerio, argumentantur; Angelos esse eiusdem naturæ specificæ, sicuti & homines; non subalternæ, sed atomæ. Hanc esse vnicam vrgentem testatur Mastrius *n*.18. vbi tamen aliam Seraphici rationem suprà allatam carpit, quam à Theologo quodam nostri Ordinis Bonauenturista, nimis exaggeratam dicit, quæ est. Maior similitudo ad Deum esse debet in creaturis nobilioribus: sed inter perfectiones Dei est vnitas essentiæ: ergo hæc magis in natura creata nobilissima reperitur. Hæc autem est Angelica natura: ergo cùm nequeat possidere vnitatem illam numericam, quæ est Deo propria; saltem debet habere specificam in atomo; alioqui Angelus magis distaret à Deo, quàm homo, qui est vnius speciei.

99 RESPONDET, hanc rationem non esse solidam: nam ita Sol esset Deo similior, quàm Angelus, cùm sit vnus numero; & magis elementa, quàm mixta, Deum imitarentur; atque homo non esset minùs similis, quàm Angelus.

At non vidit, naturam Solis, esse multiplicabilem in indiuiduis à Deo, quòd patet, imo constat plures esse species luminarium creatas. Quoad elementa, cùm multiplices in species possint transmutari, non obsunt nostro argumento. Homines verò in hoc, æquè cum Angelis similes in vnitate, non ostendit: quia vnitas perfectior est in Angelis, ratione simplicitatis indiuiduorum, & componentium speciem.

Ex his etiam habes, ruere argumentum Thomistarum, qui maiorem in Angelo similitudinem cum Deo arguebant, eò quòd non potest secundùm numerum multiplicari. Contrà enim est: quia maior est multiplicatio secundùm speciem.

QVÆSTIO V.

Vtrum ANGELI *sint incorruptibiles.*

D. Bonau. 1. d.8. p.1. art.2. q.1.
D. Thom. q. 50. art.2. & 5.

ANGELOS esse incorruptibiles, certissimum est. 100

PROBATVR à D. Bonau. *in* 4.*d*.3.*p*.2.*art*.3.*q*.1. *ad* 1. ex Psal.148. *Statuit in æternum, &c.* Idipsum probat *in Diata, tit*.10.*cap*.1. ex Matth.25. *Discedite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo.* Et 33. Isai. *Quis habitabit cum ardoribus sempiternis?* Hic verò etiam dæmones includi aduertit, ex præallegato loco. Ibi refert loca *Apoc.* quæ testantur, Angelos daturos gloriam Deo in æternum. Et *lib*.1. *Compendij Theolog.ver. cap*.11. probat ex Damasceno, *lib*.2.*de fide, cap*.10. & 13. & D. Isidoro *lib*.1.*de summo bono, cap*.12. D. Bernardo *lib*.5.*de consider. cap*.4. His auctoritatibus vtuntur Moderni, qui omnes fateri tenentur, pendêre eos à Deo, atque adeò annihilabiles esse.

Controuertitur autem: An dicendi sint immortales ab intrinseco: An ab extrinseco. 101

PRIMA sententia asserit, Angelos esse incorruptibiles intrinsecè etiam respectu Dei, ita vt non nisi miraculosè, vel contra naturam, ab eo destrui queant. Ita D.Thom.*q*.9.*art* 2.& *q*.50.*art*.5. quem sequuntur ibi Thomistæ, Caietanus, Nazarius, Ripa, Serta, Ioannes à S. Thoma, Nauarer, Machinus, Salmaticenses, & alij eiusdem scholæ. Ferrara 3.*cont. Gent. cap*.55. Durand. *primo,d*.8.*p*.1. *q*.3. Scotus apud Fabrum 2.*d*.1. *q*.1. *disp*.10. *cap*.2. vbi hanc sequitur. Suarez *lib*.1. *de Angelis, cap*.9. Amicus *disp*.3. *sect*.5. Arriaga *disp*.2.*sect*.4. Lezana *tract*.6.*disp*.1.*q*.5. Præposit. *tract. de Angelis, q*.55. *art*.5. Auersa *sect*.5. Atrubal, *hic, q*.55. *art*.5. *cap*.3. Morand. *tract*.7. *q*.4. qui referunt Sotum, Medinam, & alios. Valentia *disp*.4.*q*.1.*punct*.4. Mastrius *tom*.2.*disp*.2.*q*.2. Fuliensis *lib*.3.*c*.1.

SECVNDA sententia est, Angelos comparatos ad Deum, dicendos intrinsecè corruptibiles. Ita D.Bonauent.*primo,d*.8. *p*.1. *art*.2.*q*.1. & *lib*.2.*Compend.Theolog. ver. cap*.11. & *in* 2. *dist*.9. *ad litteram Magistri.* in definitione Angeli latâ à Damasceno, & 3.*p.Centil.sect*.16. vbi ideò vocat incorruptibiles per gratiam. Idem sentiunt Alensis 1.*p.q*.4.*memb*.3. Richard.1. d.8. *art*.2. *q*.2. Scotus 1. *d*.8. *q*. 5. §.*Ad quæstionem*, & *in* 4.*d*.49. *q*.6. §.*Hic sunt duo*; quem sequuntur Vulpes *d*.8. *art*.10. qui ait, esse erroneum dicere, Angelos naturâ suâ indefectibiles. Sic loquitur etiam Brancas. *disp*.2. *de Angelis, q*.7. & 8. & alij Scotistæ (excipe Fabrum *disp*.9.*cap*.2.) præcipuè Poncius *disp*.9. Vasquez *disp*.182. Marcus à Baud.*q*.44.*art*.3. Alarcon.*de Angelis, disp*.1.*cap*.6. Est quoque sententia Nominalium. Ocham 2. *q*.7. Gabr.2.*d*.2.*q*.1.*art*.2.*concl*.6. 102

ADVERTIT autem Vasquez *num*.5. ex D. Bonauent. & Richard. dari triplicem immutabilitatem.

PRIMA dicitur Inuariabilitas, & hæc solius est Dei, qui nullam mutationem vllo modo capere potest. Secunda dicitur Incorruptibilitas, & hæc (ait) est per naturam in Angelis, & anima rationali; & per gratiam in corporibus gloriosis. 103

Accipit

Accipit autem incorruptionem, prout dicit negationem corruptionis à secunda causa, per separationem materiæ à forma. Tertia dicitur Inuertibilitas, quæ dicit impotentiam ad annihilationem: De hac est controuersia. Et quidem auctores primæ sententiæ dicunt, esse naturæ Angeli intrinsecam; secunda verò sententia id negat, vt ait Seraphicus.

Addit verò *in responsione ad argumenta*, præcipuè *ad* 4. Angelos esse incorruptibiles, non quidem eâ ratione, quia careant compositione, vt putant aduersarij, inter quos est Suarez *num*.4. neque enim omne compositum est naturâ suâ resolubile realiter; sed resolubile est vel realiter, vel per intellectum; vt docet D. Anselmus, *lib. de Incarnatione, cap*.3. sunt autem incorruptibiles; quia, licèt componantur ex materia, & forma; tamen sunt adeò connexa principia, vt nullo modo à contrariis dissolui queant; attamen in ordine ad Deum videntur potiùs corruptibiles intrinsecè. Quamvis; vt, quod sentio, liberiùs mussitem, videatur mihi de nudis syllabis contentio.

Assero, Angelos esse naturâ suâ defectibiles, comparatos ad Deum: incorruptibiles vero per gratiam.

104 Probatur primò à D. Bonauent. *loco adducto Compend. Theolog*. ex D. Damasc. 2. *de fide, cap*.3. vbi Angelum definit: *Est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, immortalitatem suscipiens, secundùm gratiam, non naturam*. Deinde id probat S. Doctor *lib*. 1. *Pharetra, cap*.6. ex D. Augustino 11. *de ciuit. cap*.31. vbi ait: *Sancti Angeli, quorum societati, & congregationi in hac peregrinatione suspiramus, sicut habent permanendi æternitatem; ita cognoscendi facilitatem, & requiescendi fœlicitatem*. Sed (subsumo) perfectionem in cognoscendo, & beatitudinem habent per gratiam: ergo, & æternitatem. Affert quoque D. Isidorum *lib*. 1. *de summo bono, cap*. 12. *sent*. 2. vbi ait: *Inest Angelis mutabilitas, sed facit eos incorruptos charitas sempiterna*. Videtur tamen hic loqui de mutatione morali ad culpam, vt colligitur ex antithesi, dum charitati adscribit incorruptibilitatis principium. Id sentit etiam Vasquez.

105 Probatur ab eodem S. Doctore *in primo loco cit*. ex prima Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem*. Videtur autem, Deum solum asserere immortalem intrinsecè, & independenter; vt docet S. Augustinus *lib. de natura boni, cap*.39. & *epist*.18. & D. Hieronymus *in magnis Commentariis*. Idipsum confirmat ex eodem D. Augustino lib. 3. cont. Maximinum, cap. 12. *In omni natura mutabili, nonnulla mors est ipsa mutatio*.

Valentia in fine respondet, immortalitatem ibi dici perfectam immutabilitatem, quæ solius est Dei: & de hac loquutum etiam Augustinum.

Fateor, eo sensu, *hic* afferri etiam à D. Bonau. vbi quærit: An solus Deus sit immutabilis; attamen multi Patres sic etiam exponunt, vt dixi.

106 Præclarum nostræ sententiæ exhibet Sophronius testimonium, in sua illa epistola recitata in sexta Synodo, *act*. 11. & approbata, *act*. 13. vbi loquitur de Angelis: *Nullatenus quidem moriuntur, aut corrumpuntur, iuxta quod sensibilia defluunt, atque pertranseunt; non tamen sunt immortales per naturam, neque in essentiam incorruptibilem transeunt; sed gratiam eis largitus est à corruptione, ea, & à morte coërcentem. Sic hominum anima permanent incorrupta. Sic Angeli immortales perseuerant, non naturam reuerâ (sicut asserui) propriévè immortalem habentes essentiam; sed gratiam à Deo sortiti sunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis prouidet*. Idem dicunt alij Patres.

Respondent Mastrius, & Valentia, Patres negare, Angelos immortales naturâ, idest ex vi suæ essentiæ independenter. Sic enim immortalitas est Deo propria, non tamen negare, quin immortales sint à natura accepta à Deo, ab eo sanè pendente, quæ cùm absque debito, sit eis data à Deo; asseritur esse per gratiam concessa, quo stylo vtuntur, vt explicent hanc phrasim, S. August. *in Psal*. 149. & Innoc. I. *epist*. 27. 107

Hoc idem aliis verbis respondent Caietanus, Suarez, & alij; Sanctos Patres loqui de potentiâ Logica, quatenus Angelis non repugnat annihilari, non de potentia naturali, prout dicit intrinsecum appetitum ex naturali constitutione. Itaque, licèt sint extrinsecè annihilabiles à Deo omnipotente, & hoc negandum à Catholicis non sit; tamen hoc est contra eorum naturam, sicuti lapidi proiici sursum, cui non ob id ille motus est naturalis. Fatentur verò, haberi per gratiam, idest ex libera Dei voluntate, eisque non repugnat destrui à Deo; & ita non accipitur gratia pro dono naturæ superaddito; sed creationis liberæ. Ita Morandus, & Fuliensis.

Hæc, vt ingenuè fatear, satis probabiliter distinguuntur, nec Seraphico repugnare videntur; attamen in hoc deficiunt, quòd non est solum id naturale alicui, quod est à naturâ rei totâ concupitum, aut à parte, pura materiâ appetente alias formas; sed etiam quod à defectu naturæ venit, vt defectibilem reddat virtutem naturalem, vt cum ex nihilo sit, tendat ad nihilum non appetendo, non enim natura appetit sui destructionem; sed deficiendo, & hoc sensu multi tribuunt naturæ Angelorum esse defectibile. Ex quo nonnulla colligit Seraphicus argumenta. 108

Primum argumentum sumitur à D. Bonauent. ex D. Damasceno *primo de fide, cap*. 3. vbi loquitur etiam de Angelis: *Omne, quod a versione incipit, ad versionem tendit*. Hinc arguit S. Doctor, & cum eo Brancasius. Quod ex nihilo est, & cuius esse est contingens; sicuti habuit ex nihilo esse indifferens ad esse, & non esse; ita nunc habet esse non necessarium, & ad esse non tendit appetitu naturali, cùm naturaliter nequeat id consequi; sed solum ex assistentiâ Dei extrinsecâ, ac proinde in se intrinsecè, esto esse appeteret, tamen ex infirmitate naturæ tendit ad non esse. Talis est Angelus: ergo. Argumentum est Damasceni.

Respondet Mastrius *num*. 80. Morand. *n*. 669. Arriaga *sect*. 5. eo sensu esse Angeli esse contingens, quatenus potest destrui à Deo; tamen esse necessarium, quia non habet intrinsecum principium suæ desitionis. Vnde, quantum ex se, exigit perpetuò durare, & ei repugnat naturaliter desinere; & licèt creatura sit ex nihilo; tamen, ex quo facta est, tendit ad sui conseruationem. 109

Contra primò. Omne quod habet principium intrinsecum suæ desitionis, est naturaliter intrinsecè defectibile. Talis est Angelus: ergo. Maior est tua responsio. Minor probatur, quia, Quidquid materiâ constat, habet in se principium suæ corruptionis. Talis est Angelus. Maior est Scoti 2. *dist*. 14. *quæst*. 1. vbi ideò enixè contendit, cœlum esse corpus simplex; non constans ex materia, vt contendit & Faber, *Theor*. 59. Minor est ostensa *quæst*. 2. eamque probabilem existimant Scotus *quæst*. 15. *de anima*, & multi alij post eum

discipuli; quos videto in P. Cauello *ibi*: nec renuit Mastrius *disp.2.q.1.* *ante numerum vigesimum secundum.*

110 Deinde. Omnis natura habens esse ex nihilo intrinsecè dependens, pendula est ex sua intrinseca infirmitate ad nihil, vt ait Damascenus *cit.* & D. Gregor. 16. *Moral.cap.*18, vbi ait: *Cuncta in nihilum ruerent, nisi manus Conditoris ea retineret.* Pondero hanc phrasim: *Cuncta in nihilum ruerent, &c.* quod obseruat Seraphicus Doctor. Confirmatur ex D.Hilario 7. *de Trin.* vbi ait: *Omni creaturæ esse accidere.* Et Rom.8. dicitur: *Vanitati subiecta est creatura non volens.* Quasi dicat, contra appetitum propriæ conseruationis, tendit creatura ex infirmitate ad vanitatem, & nihil: eo ferè modo, quo aquæ resistit ignis, appetens sui conseruationem; sed deficiente virtute naturali extinguitur, seu deficit. Itaque extinctio violenta est appetitui; sed naturalis infirmitati ignis.

111 Secundum argumentum est D. Bonauent. *in fundamentis, & corpore*, quo nititur Vulpes. Id, quod est intrinsecè tale, non potest amittere illud esse, eo ipso quod est talis essentiæ. Creatura spiritualis per vos intrinsecè essentialiter est incorruptibilis, in ratione creaturæ. Ergo implicat creaturæ, etiam per Dei potentiam destrui; sed esse hoc, est solius Dei: ergo.

Respondet Mastrius, Angelum ex se esse annihilabilem, idest non repugnare, quin destrui possit à Deo; non tamen habere potentiam passiuam, inclinantem positiuè ad non esse.

Contrà, quia hoc pacto, neque corruptibilia habent inclinationem positiuam ad non esse. Omnia enim esse appetunt.

Vrgeo cum D. Bonauent. *in fundamentis*, quæ vrgentur à Brancasio, & Vulpe. Angelus naturâ suâ potest creari: ergo & annihilari, sicut enim Deus habet potentiam annihilandi, & creandi actiuam; ita creatura habet potentiam passiuam, vt creetur, & annihiletur: nam cuilibet potentiæ actiuæ respondet passiua.

Confirmatur à Seraphico etiam ex allegatis, & SS. Patribus allatis: quia hæc non repugnantia ad nihilum, fundatur super aliquid positiuum, nempè supra finitatem, & infirmitatem creaturæ. Ergo ipsa finitas est reale fundamentum annihilationis; sed hæc finitas est realiter in Angelo: ergo in eo est natura tendens ad nihilum intrinsecè.

Respondet Mastrius, Angelum esse annihilabilem extrinsecè per solam non repugnantiam: vel si intrinsecè, per realem potentiam, hæc non est naturalis potentia; sed capacitas ad non esse: & hæc respondet actiuæ Dei potentiæ. Enim verò ex dictis hæc iacent contusa.

112 Obiicies primò Concilium Lateran. sub Leone X. *sess.*8. vbi definit animas immortales. Ergo multò magis Angeli.

Dico non declarare id naturâ animabus deberi; vt fatentur Præposit. & Motandus. Ideò id probat illo Matthæi: *Animam autem non possunt occidere*, vt notat Alarconius cum suo Vasquez, id enim infert solùm, non posse à causis secundis destrui.

Deinde S.Dionysius *cap.4. de Diu.nom.* non longè à principio, ait: *Animas nostras similes esse angelicis virtutibus, quod mentis sunt compotes, quòd vitam per se, essentiamque suam habeant, eamque ab interitu liberam.*

D.Basilius *in Psal.*44. ait: *Angelos non senescere, & natura eorum substantiam immutabilem esse.* Idem ait D.Iulianus Archiepisc. Tolet. *lib.*1. *de futuro saeculo, c.*2. qui habetur *tom.*3. *Bibliot. Patrum.* Et D. Athanas. *in lib. definitionum.*

S.Damascenus *lib. instit. c.*7. ait: Immortale *esse differentiam Angelicæ naturæ.*

S.Augustinus 14. *de Trin.cap.*4. ait: *Non esset anima Dei Imago, si mortis termino clauderetur.* Sed Angelus quoque est Dei Imago: ergo.

Respondet S. Doctor, D. Augustinum, & alios Patres dicere, Animas nostras, & Angelos immortales intrinsecè, quatenus eorum principia sunt adeò connexa, vt à causis naturalibus nequeant dissolui, vnde habent naturalem appetitum ad sui conseruationem, qui non est frustrà; attamen, sicuti Angelus appetit beatificari, nec potest à se intrinsecè: ita etiam nequit se conseruare; sed ex sua naturali infirmitate deficit, & in nihilum pender, Deo manum remouente, & ideò, ex infirmitate suæ intrinsecæ naturæ est defectibilis. Ita & Vasquez. 113

Instat: Si Angelis ideò non est naturale semper durare, quia ad hoc indigent Dei auxilio; dic neque igni esse naturale calefacere, quia eget Dei auxilio.

Respondet Vasquez ex D.Bonau. *ad* 6. disparem esse rationem. Ignis enim virtute positiua, & impetu virtutis fertur in talem effectum positiuum: at natura spiritualis ita existit, Deo conseruante, vt non habeat virtutem, quâ, cum Dei concursu seipsam conseruet indefectibilem; sicuti nec seipsam creauit, sicuti enim deficere, non est quid positiuum: ita posse deficere, est merus virtutis defectus, & finitas, quæ potest esse origo defectibilitatis in Angelo, qui non potest cum Deo positiuè concurrere ad sui conseruationem.

Hinc ruit assertio illa Suárez *cap.9. num.6.* Angelos non posse deficere per intrinsecam potentiam realem, & ideò perpetuitatem eis esse naturalem. 114

Ruit quoque ratio eius, quæ est talis. Omnis potentia intrinseca vel est actiua, vel passiua. Neutram verò habent Angeli ad non esse: ergo. Maior nota est apud Philosophos. Minor probatur de potentia actiua: quia cùm sit simplex non habet vnam partem agentem in aliam ad destructionem. Probatur de potentia passiua. Quia hæc non est ad *non esse* directè; sed ad aliquod *esse*, incompossibile alteri *esse* priori. Vnde in simplici entitate talis potentia intelligi nequit.

Respondet S.Bonau. frustra quæri principium actiuum, vel passiuum positiuum defectibilitatis in Angelo: nam annihilari est deficere: vnde ad eam sufficit defectus virtutis impotentis se conseruare: & quamvis suis principiis inclinet ad conseruationem naturalem, neque sit appetitus frustra; tamen subiacet suâ potentiâ obedientiali Deo, qui nullam infert creaturæ violentiam, non solùm dum suspendet ab ea suum concursum conseruationis; sed neque si ex quolibet, faciat quodlibet. Nam potentia obedientialis in creatura, est ad quidquid Deus velit de ea facere. Ex quibus ruunt argumenta Suarez, Valentiæ, Mastrij, & aliorum, qui eatenus ostendunt, Angelos esse immortales, quatenus habent inclinationem ad sui conseruationem, seu ad durandum; è regione verò non esse naturâ annihilabiles, quia non habent ad sui annihilationem aliquem appetitum, aut potentiam; nisi solam obedientialem: hæc enim non est violenta ad ea, quæ sunt naturæ contraria, puta lapidi ad volandum, vt putant Scotistæ, præcipuè Mastrius *num.*72. sed est secundans obedienter; vt notat 115

notat Brancasius ipse Scotista. His labitur etiam magna Morandi moles.

116 INSTAT Mastrius, argumentum prætendere, supra naturam saltem esse, miraculumque, omninò annihilari Angelum, quod gratis concedit Ioannes à S.Thoma.

At Seraphicus, suo hætens fundamento, id negat: nam virtuti naturali, vt finita, & deficiens est, non est supernaturale deficere: sed naturæ intrinsecum; vt ostendit ex Patribus; non potest quidem ab agente naturali destrui; sed id sufficit, vt natura Angeli dicatur immortalis.

INSTAT Mastrius. Quòd Angelus non valeat à creaturis destrui; non sufficit, vt dicatur natura sua immortalis, si adhuc à Deo potest naturaliter destrui, hoc est conformiter ad eorum naturam: sic, cùm dico: corpus non posse naturaliter esse in pluribus locis simul, non est tantùm sensus, quod nequeat hoc accipere ab aliquo creato agente, sed quod neque à Deo naturaliter agente: sic igitur dum dicitur Angelus esse naturâ immortalis; non est sensus, quòd ex vi alicuius agentis naturalis nequeat destrui; sed neque actione Dei naturaliter agentis.

At non ponimus cum Poncio *num.5.* in eo solo Angeli immortalitatem; sed in connexione componentium, & Dei conseruatione.

117 VRGET grauiter, defectibilitatem in Angelo esse ex intrinseco eius, quatenus creatura finita est; cum hoc tamen stat, vt ex constitutione suæ naturæ sit immortalis: sic lapis ex finitate suæ naturæ potest impedire ne descendat; per hoc tamen non stat, quin sit naturaliter grauis.

RESPONDETVR ex dictis, non esse par: nam lapis ad motum deorsum, tanquam actionem, habet virtutem positiuam enixu tendentem ad terminum positiuum, & ita, si à causa naturali impediatur; erit violenter detentus: at verò Angelus ad non esse habet naturalitatem, quatenus deficit, Deo auxilium suspendente à conseruatione; quia, vt ait S.Doctor, simplex *deficere*, non exigit causam positiuam; sed defectum. Est igitur natura defectibilis, vt natura in se imperfecta, & Deus sub obedientiali virtute omnia continet, vt omnia sint respectu eius indifferentia ad esse, & non esse; cùm naturâ suâ contingenter existant, atque à libera pendeant Dei voluntate; vt ait Brancasius. Ita Deus priuando creaturam existentiâ, nil ei debitum tollit.

118 Instat: nam adhuc habet appetitum ad esse naturaliter.

RESPONDETVR habere appetitum ad esse naturaliter, tamen non appetere sui indefectibilitatem, quæ est ei impossibilis; imò in suo intrinseco naturæ includere non meram Logicam repugnantiam, sed Physicam potentiam defectiuam ad non esse; non repugnantia autem Logica est etiam ad violenta: & in hoc, ingenuè fatetur Faber *n.11.* Mastrius *num.76.* decipi auctores primæ sententiæ, tametsi addant, cum hac finitate stare naturalem appetitum conseruationis, atque adeò destructionem fore violentam; at esto ita sit destructio naturæ comparatæ ad agentia naturalia, vim inferentia; non tamen concedo respectu Dei, ad quem est obediens potentia naturalis, non reluctans. Quare non rectè Faber opiniones, suâ confessione, conciliat.

119 Ex his habes secundam sententiam non velle Angelos esse corruptibiles; vt aliqui obmurmurant, sed solùm defectibiles suâ finitate, comparatos ad Dei conseruationem, vt notat Vasquez *cap.2.*

HABES quoque non ideò Angelos incorruptibiles, quia careant materiâ, quæ proclamatur principium corruptionis; vt putant Suarez, Vasquez, Faber, & alij; nam componuntur ex materia; vt vidimus *quæst.2.* vbi ostendi, quo pacto adhuc sint incorruptibiles.

Habes etiam, incorruptibilitatem Angelo esse gratiam, quatenus liberaliter conseruatur à Deo: & additur naturæ deficienti ad non esse, ad quod tamen non habet inclinationem; vt putat Faber, asseri à nostris.

Vereor ne æquo nimium in hac de nomine quæstione moratus sim: sed fateor diuersos dicendi modos, prolixiorem adhuc disputationem exigere.

QVÆSTIO VI.

Qua numerica, vel specifica DISTINCTIO *inter Angelicos Choros reperiatur.*

D.Bonau. 2.d.9.q.1.
D.Thom. q.108.

HANC quæstionem aptè hìc apponimus, vt appareat id, quod probabile iudicat S.Bonau. de substantiis Angelicis, quo pacto, diuersi ordines eiusdem esse valeant speciei.

IN tres Hierarchias diuiditur Angelorum multitudo; & Hierarchiæ in tres subdiuiduntur choros.

HIERARCHIÆ nomen oritur è HIERA, Sacrum, & ARCHOS Principatum exprimente, vt vidit S.Bonau. *dist.9 ad litt.* Itaque Sacrum ordinem sonat. Quare hac ethymologia non exprimitur subiectio aliquorum sub Principe, vt putat Suar. *lib. 1. cap.13.* sed ordinem principatus primi, secundi, tertij: sic enim aliquando dicitur aliquis Princeps, vt fatetur Suarez *num.10.* Ex quo deducit S.Doctor, etiam inter Diuinas Personas æquales, aliquem ordinem Hierarchiæ; quod magis confirmatum relinquit ex vna, è tribus definitionibus Hierarchiæ datis ab Areopagita, quas refert. 120

PRIMA definitio est: *Diuina Hierarchia est diuina pulchritudo, vt simpla, vt optima, vt consummatiua.* Dicitur *Diuina pulchritudo*, quæ ex pluribus, & æqualibus conflatur, vt ait D. August. *lib. de vera Relig. cap. 30.* Quare hîc significatur diuinarum pluralitas Personarum cum ordine, absque æqualitatis detrimento. Dicit *simpla*, vt ostendat Vnitatem, Trinitate non violati, simplicissimam. Dicitur *optima*, vt ostendat Vnitatem non præiudicare Trinitati, quæ ex Bonitate summè communicabili in Personis constituitur. Tandem, vt ostendat Vnitatem essentiæ spectare ad pluralitatem Personarum, & è contra, dicitur *Consummatiua.* Et sic concludit, summam veri Dei perfectionem in vnitate essentiæ, & Trinitate Personarum consummari. Hæc igitur definitio Hierarchiæ conuenit Diuinæ, vt ostendi cum S. Doctore, qui ideò non rectè à Suarez carpitur, negante Hierarchiam increatam, quam vnâ cum S. Doctore admittunt, Gabr. *d.9.* & alij. Fallitur autem Suarez, volens in Hierarchiæ ethymologia necessariò inueniri subiectionem, & superioritatem. Ibi enim non sumitur ARCHOS, vt dicit superiorem; sed vt dicit ordinem 121

dinem Sacrum primi, secundi, &c. Sic autem primus ordine est Pater, &c.

122 SECVNDA definitio Hierarchiæ ex Dionysio: *Est ordo diuinus, scientia, & actio, deiforme, quantum possibile est, similans, & ad indit as ei illuminationes proportionabiliter in Dei similitudinem ascendens.* Sic refert etiam D.Thomas *art.* 1.

Hic Hierarchiam creatam definit, vt à Deo egreditur ad eius imaginem, & similitudinem. Dicitur *ordo diuinus, scientia, & actio*, quasi dicat: est ordinata potestas, respondens Patri: scientia Filio: & actio Spiritui sancto secundùm memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Dicitur *deiformis*, vt ostendatur similitudo ad Deum habitualis, seu secundùm habitus gratiæ, & gloriæ. Additur verò; *& ad inditas*, &c. vbi assimilatio, secundùm actus, exprimitur, dum per actus Hierarchicos sursum ducitur diuina imago ad Prototypum.

123 TERTIA definitio Hierarchiæ: *Est ad Deum, quantum possibile est, similitudo, & vnitas, ipsum habens scientiæ sanctæ, & actionis ducem, & ad suum diuinissimum decorem immutabiliter definiens; quantum verò possibile est, reformat suos laudatores.* In hac definitione explicatur regressus in Deum per actus Hierarchicos; sicut per primam præcedentem indicatur egressus Prototypi Hierarchici à Deo in personarum emanationibus, quem nequit creatura perfectè imitari; eò quòd nequeat inter nos esse ordo sine subiectione: quia non est perfecta vnitas, & æqualitas, vt in Diuinis. Ideò restricat, Hierarchiam creatam, imitari increatam, quantùm potest, vt notat D. Bonau. *dist.* 9. *quæst.* 8. *ad* 4. & *in resolu*. Dicitur ergo Hierarchia, *similitudo, & vnitas ad Deum, quantum possibile est.* Quibus verbis significatur tendentia in Deum per habitus. Dicitur *ipsum habens scientiæ sanctæ, & actionis ducem.* Sic ascensus in Deum per actus exprimitur. Additur *ad suum diuinissimum decorem immutabiliter definiens.* Vbi ostenditur ordo fixus ad Diuinam imitationem. Addit. *Quantum possibile est, reformans suos laudatores.* Ex quo vbertas condescensionis plenitudinis diuinæ per gratias, quibus repleti in Deum feruntur, & insuper aliis etiam dispertiuntur dona purgando, &c. & hoc ex affluentia charitatis.

124 HAS geminas Hierarchiæ definitiones, ait S. Bonau. solis conuenire creatis, quæ ad similitudinem increatæ fiunt. Hinc definitionem optimam Hierarchiæ elicit: *Hierarchia est rerum Sacrarum, & rationabilium ordinata potestas, in subditis debitum retinens principatum.* Hanc definitionem ait conuenire Hierarchiæ Angelicæ, & Humanæ, quæ quantùm licèt, diuinam imitantur, & vltra quas Deus transcendit. Vnde ait D. Dionysius, Deum esse extra, & supra omnem Hierarchiam. Nam omnis Hierarchia ad illius existit imitationem. Ex quibus verbis miror, quo pacto arguat Suarez contra S. Doctorem ad probandum, non dari Hierarchiam increatam: si enim omnis Hierarchia creata est ad imitationem Diuinæ; sequitur, dari in diuinis Hierarchiam distinctam, quam imitentur, cuique assimilentur creatæ: nihil enim est sibi ipsi simile. Vult igitur, esse aliam Hierarchiam extrà transcendentem, ad cuius similitudinem creatæ componantur, quas postremis explicuit definitionibus. Eadem docet S.Doctor *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 12. *&* 3. *p. Centiloquij, sect.* 17.

125 Verùm enim verò antequàm S. Doctor accedat ad Angelicas Hierarchias scandendas, necessarium sibi videri prælibat, Angeli definitionem exerere.

Primò (ait) definitur à Damasceno lib. 1. cap. 3. *Angelus est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans; gratiâ non naturâ immortalitatem suscipiens.* In hac definitione (ait S.Bonau.) describitur Angelus quoad substantiam, virtutem, operationem, & durationem. Dicitur *substantia incorporea*; vt essentia Angeli aperiatur. Dicitur *intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera*, quibus ostenditur virtus triplex Angeli. Cognitiua: Operatiua: & Imperatiua. Exprimitur Cognitiua: cum dicitur *Intellectualis*. Operatiua: cum dicitur *semper mobilis*, quia infatigabilis ad opera. Imperatiua, cùm dicitur: *arbitrio libera.* Operatio tangitur, dum dicitur, *Deo ministrans*: Duratio, cùm subditur: *gratiâ, non naturâ immortalitatem suscipiens.* Vocatur autem gratia, non gratuitus aliquis habitus; sed gratiosa Dei voluntas, modo explicito *quæst. præcedenti*, vbi alia loca retuli, quibus eandem repetit definitionem.

Secundo loco affert definitionem S. Dionysij cap. 4. de Diu. nom. *Angelus est substantia, Imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum clarum lucidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, suscipiens, sicut conueniens est, totam speciositatem boniformitatis, & deiformitatis, & in se resplendêre faciens bonitatem silentij, quod est in abditis.* 126

IN hac definitione exponitur non modò essentia, & esse Angeli, sed etiam bonum esse. Dicitur *Imago Dei*, vbi natura Angeli tangitur, quæ vnam essentiam spiritualem cum tribus potentiis continet consubstantialibus. Dicitur *manifestatio occulti luminis*, quo exprimitur abundantia Diuinæ gratiæ, quam etiam inferioribus communicat actibus Hierarchicis. Dicitur *speculum clarum*, &c. vbi exprimitur decor gratiæ, naturam adornans, disponens ad deiformitatem. Dicitur *immaculatum*, quo remouet actualem fœditatem. Secundò *incontaminatum*, quo leuis etiam næuus remouetur. Arcet quoque fœditatem originariam, cum dicitur *incoinquinatum.* Tangitur & deiformitas perfecta, cui maculæ opponuntur, non quod venialis macula pellat gratiam; sed quia tepefacit gratiæ feruorem, & in patria tepiditas repugnat. Ideò S.Doctor ait, has fœditates repugnare gratiæ. Tertiò tangit deiformitatem in gloria, dum dicit *suscipiens*, &c. *totam speciositatem*: sicque comparatur ad Deum, cuius radios ebibit. Comparatur verò ad inferiora, dum dicit: *Resplendere faciens in se bonitatem silentij, &c.* hoc autem præstat, dum refulgentiam Diuinæ bonitatis acceptam aliis exponit. Hoc autem vocat silentium: quia nemo potest Deo intimè coniungi, quin in eo quietetur ab omni strepitu externo semotus; & ideò vocat *silentium in abditis.* 127

Pergit S.Bonau. exponere, quid sit ordo Angelicus, vt inde ordines Hierarchiæ eliciat: quia ex multis Angelis ordo: ex multis ordinibus Hierarchia consurgit; vt ait 3. *p. Centil. sect.* 16. 128

DEFINITVR ordo à D. Gregorio *homil.* 34. *in Euang.* vt habet Magister: *Ordo est multitudo cœlestium spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur; sicut, & in naturalium donorum participatione conueniunt.* Dicitur *ordo multitudo cœlestium spirituum*: Per hoc tangitur fundamentum ordinis. Ordo enim fundatur in natura. Dicitur: *qui inter se aliquo munere gratiæ similantur*: per quæ ordinis tangitur complementum: ordo enim complementum habet à gratia. Dicitur: *in naturalium donorum, &c.* per quæ tangitur dispositio. Nam perfectiora naturalia disponunt ex Dei benignâ, gratiosâque creatione ad maiora gratuita.

His

129 His suppositis, S. Doctor cælestes scandit Hierarchias: sunt autem tres; suprema: media: & infima. Suprema dicitur *Epiphania*, incalescens actionis incendio, altioris intellectus fastigio, iudiciisque libera resultatio distributa, vt refert S. Bonau. *eadem parte Centil. sect.* 17.

In hac sunt tres Chori. Supremus, Seraphim: Secundus, Cherubim: Tertius, Thronorum Media dicitur *Hyperphania*, idest diuina illuminatio: sui particeps interscalari reuerentiâ, vsum edocens dominandi, arcensque contrarium. In hac supremus Chorus est Dominationum: secundus Potestatum: tertius Virtutum. Infima Hierarchia dicitur *Hypophania*, idest diuinum participium, legibus naturæ occurrens, arcana referans, pro capacitate discreta. In ea sunt primò Principatus. Secundò Archangeli, vltimò Angeli. Hæc S.Bonau. *3.p. Centiloquij sect.* 16. & 17. vbi definitiones suprà allatas, & reliqua referat. E scriptura verò hos Choros aptè collegit Seraphicus Doctor. Angelos quidem locis innumeris nominari ostendit *in Bibliis pauperum, cap.* 30. & 31. vbi & dæmones exhibet.

130 Cæteros verò ostendit *dist.* 9. *passim* remittens ad D.Gregorium *homil.* 34. *in Euang.* Angeli, Archangeli, & Principatus recensentur, *Rom.* 8. Alios tres addit Apostolus *Coloss.* 1. numerans Thronos, Dominationes, Potestates, cum Principatibus. Quibus addit Virtutes, 1.*Cor.* 15. *Ephes.*1. & *Thessal.*4. nominat Archangelum: sic & Iudas *in epistola*, & Petrus *prima, cap.* 3. ait: *Subiectis sibi Angelis, Potestatibus, & Virtutibus.* De Cherubim loquitur *Genes.* 3. *Heb.*9. Seraphim *Isa.* 6. vt refert S. Bonau. *loc. cit. Bibl. cap.* 31. qui omnes refert *dist.* 9. *ad litt.* & 9.4.

131 Diuerso, hos Choros, ordine enumerant SS. Patres, quos refert Suarez *lib.*1.*cap.*13.& D.Bonau. *dist.*9. & alibi passim.

Primò S.Dionys. de Angelica Hierar. *cap.* 6. & *sequentibus*, sic recenset Angelos, Archangelos, Principatus, Potestates, Dominationes, Virtutes, Thronos, Cherubim, Seraphim. Cùm autem *c.* 6. Choros sic enumerasset Angelicos: iam *cap.*7. numerat in secunda Hierarchia. Primò Dominationes: secundò Virtutes: Tertiò Potestates. Atque hoc ordine in figuris impressis à latere in libris S.

132 Dionysij sculpti sunt. Vbi aduerte, in textu S. Bonau. *dist.* 9. haberi, quod secundùm Dionysium sunt in secunda Hierarchia; Primò Dominationes: secundò Potestates: tertiò Virtutes.

At *secunda parte Breuil.* hoc ordine enumerat Seraphim, Cherubim, Thronos. Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangelos, Angelos, Eundem ordinem seruat *opusc. de Eccl. Hierar.* Idemque asserit de D. Dionysio *in Compend. Theol. lib.* 2. *cap.* 12. Itaque textus ille *dist.*9. malè cusus est.

D.Gregorius etiam varius est: nam *lib.* 32. *Moral. cap.*18. aliàs 25. hoc ordine recenset. Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates. At *homil.*34. *in Euang.* Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, Seraphim. Hic secundus ordo est, quem ex proposito intendit S. Gregorius, vt colligitur ex D. Bonau. *lib.*2. *Compend. cap.*12. & *hic, dist.*9. *ad litt.*

Cum S. Gregorio est D. Bernardus *serm.* 27. aliàs 19. *in Cant.* & *lib.*5. *Consider. cap.* 4. apud D. Bonau. *locis adductis.* Innocent. III. *lib.* 2. *Myst. Myssæ, cap.* 62. B. Laurentius Iustinianus *serm. de Angelis.* Sedulius *in epistola ad Ephes. cap.* 7.

Seraphicum profitetri *dist.* 9. *ad litt.* ordinem S.Dionysij mutatur Suarez *cap.*13.*num.*15. eò quòd hac serie enumerat choros secundæ Hierarchiæ. Primò Dominationes: secundò Potestates: & infimas Virtutes: At S.Dionys. ponit Virtutes supra Potestates, iuxta versionem Ambrosij, Abbatis Camaldulensis *in cap.*8. *cælestis Hier.* Quem ordinem è S. Dionysio astruit etiam Damascenus 2. *de fide, cap.*3. & D.Thom. *quæst.*108. Idem verò Abbas *in cap.6.* sic disponit ascendendo, *Potestates, Dominationes, Virtutes.* Idemque habent Perionij, & aliorum versiones, apud Carthusianum, in Areopagitam Dionys. Fatetur tamen Suarez, nobis de Græcis exemplaribus nihil esse certi; attamen versionem Perionij certiorem: eam verò, quam præsumit S.Bonau. esse, ait absque fundamento. 133

At obsecro; si nihil exemplaria certum exhibent; quo pacto versionem Seraphici reiicis? maximè verò cum S. Bonau. fuerit Argolicæ linguæ peritissimus, vt ex illius operibus liquet. Præterea, cùm varij adeò sint textus S.Dionysij, vt ipse quoque vidi in perantiquis, dic, vidisse mutatas Virtutes; sicuti & videmus Dominationes. Vel error typis irrepsit; vt ostendi, *n.*132.

Ex his licet agnoscere, varios esse debere hos ordines, vt colligunt è Scripturis, & Patribus, Theologi cum Magistro *distinct.* 9. vt videre est apud Suarez *lib.*1. *cap.*14. 134

Horum autem inæqualitatem testatur S.Dionys. *cap.* 5. vbi ait: *Enunciant sanctorum voluminum traditiones, superiores substantias esse graduum inter se celsitudine differentes.* Et Nazianzenus *orat.* 34. *quæst.* 2. *de Theologia*, loquens de sanctis Angelis, ait: *Esse puras naturas, perpetuos choros, circa illam principem causam agitantes, purissimo splendore illius perfusas, aut pro natura ordinis, cuiusque proportione, alias alio modo collustratas.* Idem habent alij Patres apud Suarez.

Id probat S.Bonau. ex D. Dionys. *cap.*6.7. & 8. vbi ex diuersitate perfectionum distinguit ordines Angelorum.

Has autem diuersitates esse in ordinibus specificas, asserere non cogunt Patres, vt putat Suarez; tametsi probabilis sit distinctio eorum specifica, vt dixi *quæst. praced.* cum D.Bonau. 135

Arduum sanè videtur, quo pacto è sola indiuiduali differentia in gratiis, officiis, &c. sit tanta varietas, vt vidit Seraphicus ante Suarezium, attamen, admissa inæqualitate substantiali indiuiduali, potest sufficiens varietas, etiam in gratiis datis, iuxta naturalium dispositionem assignari.

An verò inter ordines eiusdem Hierarchiæ sit maior conuenientia, quàm inter Angelos diuersarum Hierarchiarum; nil certi posse asseri, ait Suarez *num.*7. aut discuti à Scholasticis: Vult autem distingui Hierarchias magis, quàm ordinem vnum ab alio, nempè genere subalterno. Hoc tamen non adeò certum est, vt notat D.Bonau. *d.9. quæst.* 1. *ad* 2. possunt enim variari magis, secundùm proprietates aliquas inseparabiles, non variantes speciem; vt dixi *quæst. præcedenti.*

In Hierarchiarum muneribus, & ordinum officiis assignandis laborant Theologi. Optimè verò Seraphicus Doctor id præstitit. 136

Primò quidem, Hierarchiam distribui conuenienter in Diuinam, Angelicam, & Humanam edisserit è S. Dionysio: quia Hierarchia est substantia Intellectualis cum ordine; hæc autem est triplex Diuina, Angelica, & Humana.

Angelum

Angelicam verò Hierarchiam triplicem rectè constitutam, probat primò ratione eorum, quæ Hierarchiam essentialiter respiciunt, quæ sunt Ordo, scientia, & Actio. Debent igitur tres esse Hierarchiæ. Prima penes scientiam Diuinam. Secunda penes potentiam. Tertia penes actionem. Cùm enim Hierarchia sit dispositio ad finem respiciens; sit autem primò necessaria cognitio finis. Secundò potentia ad finem consequendum. Tertiò actio tendens in finem, seù executio, vt constat in omni Republica ordinata. Hinc supernæ Hierarchiæ Angeli in summum Bonum vltimum finem, contemplatione perpetuò defixi, absque externo ministerio (saltem ordinariè, vt dicam *disput.* 12. *q.* 2.) alios purgant, illuminant, accendunt, qui sunt Potestates, Virtutes, & Dominationes; & isti in executores Angelos simile officium impendunt. Itaque scientia dirigit Potestatem; Potestas Actionem; Hæc è S. Dionysio *locis adductis*, refert S. Doctor.

137 Secundò potest Hierarchia ex officiis, & dignitatibus mensurari: atque ex hoc etiam capite tres esse debent Hierarchiæ: nam in optima intellectualium Hierarchia, aliqui debent contemplationi vacare: alij actioni: alij regimini destinari. Penes statum contemplationis est prima Hierarchia: penes actionem est infima; penes regimen est media, quæ in dignitate est minor contemplatiuis, licèt maior, actiuam vitam degentibus.

Hinc quoque nouem ordinum distinctionem venatur. Quia enim Hierarchia desumitur tum ex natura; tum ex officiis. Et suprema quidem attenditur in scientia, & statu contemplationis, quæ consistit in conuersione ad Deum. Ad conuersionem autem huiusmodi triplex requiritur actus, & triplex donum, idest Tentionis, Cognitionis, & Dilectionis, ideò in suprema Hierarchia tres ordines constituit. Primò Thronos, quantùm ad perfectam tentionem; ad Diuinam enim contemplationem primò requiritur sublimitas ab omni terrea fœce affectuum, & quies mentis, vt in mente Deus sedeat; hinc primò Throni: altiùs Cherubim contemplationi, mox altissimè Seraphim in Deum cognitum ardenter elati. Sic igitur Throni præclari sunt in constituenda sibi quiete ad contemplationem, altas Deo, virtutibus gemmatas, sedes constituentes. Cherubim verò altè Deum, ac quietè contemplantur. Seraphim verò in Deum cognitum, amore ardenter efferuntur. Itaque Seraphim habent eminentiam etiam scientiæ Cherubinorum; & hi Thronorum præstantiam. Ità D. Bonau. *dist.* 9. *quæst.* 4. & alij. Has sanè præcellentias sortiti sunt in via, vbi hæc nomina (vt ait S. Antonius Abbas *epistola* 2.) sunt Angelis indita pro eo, quod Conditoris custodière voluntatem.

138 Thronorum præcellentias testatur S. Dionysius *cap.* 7. dicens: Per Thronos significari, substantias illas ab omni terreni affectus demissione longissimè remotas esse. Et infrà. *Diuinum illius aduentum, absque illius perturbationis impedimento suscipiunt.* Et rursus: *Ad ipsius suscipiendos fulgores semper patent.* Eum sequitur S. Doctor. Præterea cùm Hierarchiæ cælestes, non modò in ordine ad Deum; sed etiam ad nos ordinentur: Throni non solùm, vt in eis Deus resideat, positi sunt; sed etiam, vt in eis Deus residens nobis suam maiestatem ostendat, & ad obedientiam reuocet. Idem testatur D. Gregorius *loco cit.* apud D. Bonau. & Suarez. Et hoc videtur innui Dan. 7. *Aspiciebam donec Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.*

Præterea idem præstant etiam in ordine ad inferiores Angelos, eos in Deum eleuando, & Diuinam eis maiestatem ostendendo.

Qvoniam verò ad contemplationem requiritur excellens quædam cognitio, lumine superno illustrata; ideò in secundo ordine nobilissimi Cherubim statuuntur, qui lumine præclaro Deum intueantur. Hinc S. Dionysius *cap.* 7. ait: *At verò Sanctorum Cherubim appellatione eorum eximia scientia, Deique speculatio, summaque exuberantis lucis capacitas, atque contemplatio, qua diuinam speciem, non per traduces; sed primariâ vi suâ intuentur, gratiæ quoque copiosa traditio, & communicatio, inuidia liuore carens, qua indultam sibi sapientiam in sequentia, & inferiora transfundunt, designantur.* 139

Qvoniam verò perfectio beatæ scientiæ, & contemplationis stat in amore, in quo habet beatitudo complementum, vt dicam *prima secunda disput.* 2. *quæst.* 6. ideò in supremo locantur Seraphim, vt non solùm Dei amore præclarè incensi; sed etiam, vt aliorum incensores; sic enim in Hæbreo Seraphim incendentes sonat. Ità S. Dionysius *cap.* 7. sicuti, & Cherubim sapientes exprimit. 140

Hinc multæ soluuntur difficultates, relatæ à Suarez *num.* 17. Prima est; quia maior, & intensior amor, saltem in patria, supponit maiorem cognitionem, ac proinde Seraphini debent sapientia præcellere Cherubinis. Hoc sanè ita se habere, fatetur S. Doctor, *distinct.* 9. *quæst.* 4. *ad* 6. Itaque non ideò Cherubim dicuntur, quia præcellunt omnes scientiâ; sed quia inferioribus ordinibus præeminent. 141

Dices, debere potiùs supremos denominari à præcellentia intellectûs, qui est suprema potentia, & à visione, quæ essentialis est beatitudo. 142

Respondet S. Doctor, *loco cit.* nobiliorem esse voluntatem; vt ostendam *disput.* 9. *cap.* 5. *quæst.* 2. *Tractatus* 9. In amore autem consistere beatitudinis complementum, demonstrabo *prima secunda*, *Tract.* 1. *d.* 2. *quæst.* 6. & in hac esse veram sapientiam, quæ est scientia sapida, ritè sæpiùs prædicat S. Doctor.

Secunda difficultas; quia esse Thronum Dei conuenit omnibus iustis. Ergo non est proprium alicuius ordinis: vel si proprium, debet conuenire supremo, in quo Deus quiescat. 143

Respondet S. Doctor *loco cit. ad* 2. Omnes iustos ex gratia esse Dei Thronos; attamen excellentiori quodam modo conuenire tertio ordini, non superioribus primæ Hierarchiæ, qui sunt præditi aliâ excellentiâ actualis in Deum tendentiæ per sublimem contemplationem, & amorem, ex habitu intensissimo gratiæ, & charitatis. Ita D. Thom. *art.* 5. *ad* 6. & D. Bonau. *ad* 6. quos sequitur Suarez *num.* 20.

Tertia difficultas est; quia illa inæqualitas in donis vniformiter inuenitur in omnibus Sanctis Angelis: ergo eadem proportione, quâ vltimus Seraph exceditur à penultimo, etiam excedet primum è Cherubim. Igitur non est maior ratio, cur non incipiatur sequens ordo ab vltimo Seraphino, quàm à supremo Cherubino.

Respondet Suarez *cap.* 23. *num.* 21. rem ita esse; atque adeò existimat, ordines supponi aliunde distinctos ex aliis proprietatibus nobis ignotis. Neque meliorem occurrere responsionem.

At S. Bonau. meliùs hac de re edisserit *quæst.* 4. Ait

Ait igitur: Angelos posse denominari primò per ea, quæ sunt naturalia: secundò per gratuita: tertiò per aliqua, quæ sunt quodammodo naturalia; quodammodo gratuita. Si denominentur per naturalia, cùm hæc solummodò in communi nobis elucescant; eos in communi appellabimus, vel spirituales essentias, vel spiritus, quod est genus magis propinquum. Si autem denominentur secundùm gratuita, sic; quia diuersa in eis sunt nota nobis, exhibent propria singulis nomina distinguentia tum à cæteris ordinibus: tum etiam à dæmonibus; sicut dicuntur Seraphim, & Throni. Si autem fiat denominatio ab his, quæ possunt esse gratuita,& naturalia; sic nomina possunt esse communia, & propria, communia quidem bonis, & malis: & propria bonis: sic Principatus, & Potestates, quæ, si dicantur à naturali proprietate, conueniunt quoque dæmonibus: si verò à dono gratuito, solis conueniunt sanctis spiritibus.

145 Vel possunt esse nomina communia omnibus ordinibus; propria verò aliquibus; sicut Angeli, & Virtutes: si enim dicantur à naturalibus bonis, vt à perspicuitate scientiæ, & fortitudine potentiæ; sic, quia hæc duo sunt in omnibus, possunt omnes dici *Angeli*, scilicet habiles ad reuelandum; omnes possunt dici etiam, *Virtutes*, idest fortes ad operandum. Si autem dicantur a dono gratiæ, secundùm quod ad hæc officia sunt a Deo specialiter deputati; scilicet ad mysteria reuelanda, & miracula facienda, sic sunt quorundam ordinum propria nomina.

Ex his colligitur, nomina Angelorum propria sumpta, esse à donis gratiarum, secundùm diuersos status. In modo autem accipiendi hæc nomina, tria sunt notanda. Primum, quod vnum donum est dignius altero; vt charitas inter cætera dona. Secundum est, quod ordo superior in omnibus donis excellit inferiores. Tertium est quod denominatio debet fieri a digniori.

146 Iam igitur, cùm nouem sint status, in quibus ordines Angelici disponuntur, secundùm differentiam gratuitorum; ordo supremus, à dono supremo, nomen sibi vendicat: ordo sequens à dono, & statu, magis ad supremum accedente: & hæc est plenitudo scientiæ: & sic de aliis descendendo. Vnde in denominatione consideratur duplex excescessus; à doni ad donum; & ordinis ad ordinem. Et hoc vult dicere S. Gregorius *homil. 34. in Euang.* quod vnusquisque ordo, eius rei censetur nomine, quam pleniùs accepit in munere; pleniùs inquam respectu inferiorum; nisi donum illud sit tantæ dignitatis, vt ab eo debet denominari aliquis ordinum superiorum, sicut patet: quia ordo Cherubim pleniùs accepit charitatem, quàm quiuis alius inferior; ab ipsa tamen non denominatur; quia cùm sit donum excellentissimum, debet denominare ordinem supremum.

147 Hinc soluitur difficultas, quæ Suarezio visa est *nodus Gordianus*.

Respondetur enim, ea proportione vnum excedere alium, vt vltimus Seraphim excedat supremum e Cherubim in charitate magis, quam excedatur à penultimo Seraphino. Ita, vt iste debeat in statu Seraphim manere; at verò Cherub excludi, ob donum longe inferius, & ob diuinam prouidentiam, quæ ei Seraphicum officium non demandauit, atque adeò non contulit ei tali qua dona; ad supremum ordinem spectantia.

Hinc etiam habemus, quomodo Angelorum ordines conuenienter nominentur; quia propria nomina erunt, designantia proprietates; vt ait etiam D.Thom. *art. 5.* post S. Dionysium *cap. 7. cit.* Itaque denominari debent ab eo, quod est eorum proprium per quandam proprietatem, non per participationem. Vide SS. Doctores.

Verum, vt vndè digressi sumus, eò noster reuertatur discursus, oportet aliorum ordinum secundæ, & tertiæ Hierarchiæ conuenientiam explicare. Igitur secunda Hierarchia disponitur ad opus ordinatæ potestatis præsidentis: nam substantia ordinatur mediante potentiâ; perfectio autem potentiæ in tribus consistit; scilicet in præsidendo; & penes hoc est ordo Dominationum. Secundò in resistendo cum victoria, & ob id est ordo Potestatum. Tertiò in operando; & ecce ordo Virtutum. Quoniam verò plus est præsidere, quàm repugnare; sicque repugnare, quàm per se operari posse, ideò rectè à S. Dionysio ordines hi disponuntur, vt primo loco sedeant Dominationes. Secundo potestates. Tertio Virtutes. Disponit enim S. Dionys. iuxta essentialia Hierarchiæ. 148

Si verò accipiatur secunda Hierarchia, iuxta statum medium, nempè prælatorem, vt sumitur à D. Gregorio. Sic tres sunt ritè ordines, iuxta triplicem prælationem Angelorum: præsunt enim Angeli Angelicis spiritibus,& hi dicuntur Dominationes. Præsunt etiam bonis hominibus, & dicuntur Principatus. Præsunt etiam dæmonibus, & hi dicuntur Potestates. Quia verò plùs est præsidere Angelis, quàm hominibus: & hominibus; quàm dæmonibus. Ideò primò Dominationes, secundò Principatus, vltimò præsident Potestates; iuxta sensum Gregorij, & Bernardi. Enumerandò verò ordine approbato à D. Bonau. *in opusculis* ad condictum S.Dionysij; in infimo Potestates locantur, ad quas pertinet ea omnia ordinare, quæ per totam Hierarchiam agenda sunt. Virtutes verò pro officio habent opera insignia Diuinæ Prouidentiæ. Ideò ait S. Dionysius *cap. 8.* appellationem Virtutum, virilem quandam fortitudinem significare, qua in omnibus diuinis suis actionibus ad imitationem Dei potenter assurgunt. In apice secundæ Hierarchiæ sunt Dominationes; de quibus ait S. Dionys. *c. 8.* quòd sunt Intelligentiæ quædam celsiores, inferiori submissione liberæ, & omni seruili etiam immunitioni obnoxio opere superiores. Hinc habes, spiritus istos non destinatos alicui operi Diuinæ Prouidentiæ per se exequendo; sed præcelsâ quâdam ratione præesse omnibus Diuinæ Prouidentiæ, & gratiæ inuisibilibus ministris, eorumque dominari, & in illo genere subiectionis; nemini subesse ex inferioribus, licet Deo, & superiori Hierarchiæ subiiciantur. 149 150

Tertia itidem Hierarchia, potest considerari, vel cum S. Dionysio penes essentialia, quæ sunt operationes vitæ actiuæ, & sic disponuntur; vt primò loco Principatus, qui destinantur ad regimen Principum: sub eis Archangeli ad custodiam populi; qui minor est Rege: vltimò Angeli, qui ad custodiam singulorum hominum laborant. Hic est ordo S.Dionysij, qui *c. 9.* ait: *Principatus præsidere simul Regibus, & Regnis, & de his fuisse eos, qui describuntur à Daniele c. 10. & dicuntur Principes Persarum & Græcorum.* In his collocatur à multis S. Michael. Hi igitur præsunt non modo Regibus, sed etiam Angelis Regnorum, ac singulorum hominum, dirigendo illuminando; singulariter verò dirigendo Reges, & Principes ad Regimen.

Sub Principatibus collocantur Archangeli, quasi Archos, idest excellentissimi inter Angelos; sicq; 151

ficuti dicitur Archidiaconus, inter Diacons. Poteſt etiam addere aliquam authoritatem imperandi cæteris inferioribus Angelis; ficuti Archipreſbyter Presbyteris præſidet, quod concedit S. Dionyſius *cap. 9.* dicens, eos præſidere cæteris illuminandis.

Angeli porrò nomen à miniſtrando ſumptum eſt. De his *Heb. 1.* dicitur: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus.* Et licèt aliis etiam id ſit commune; tamen, quia hoc miniſterium minimam excellentiam ſignificat, ideò infimis relinquitur eo modo, quo nomen generis aſſolet ſpeciei minùs perfectæ relinqui. Sic animalis nomen brutis adſcribitur.

152 Quod ſi veſtigiis D. Gregorij inſiſtamus, conſiderando miniſteria vitæ actiuæ; ſic triplex ordo alia ratione ſtatuitur. Miniſterium enim, aut conſiſtit in operando, & hoc eſt munus Virtutum; aut in docendo: Quod ſit annuntiando altiora, & hoc eſt munus Archangelorum. Ideò obſeruat, Gabrielem ex his ſelectum veniſſem ad magnum Incarnationis Myſterium annunciandum. Aut conſiſtit in docendo minora; & hoc eſt munus Angelorum; & quia maius eſt facere, quam docere, ideò primò ſunt Virtutes: ſecundò Archangeli, qui maiora edocent: vltimò Angeli, qui minora.

153 Enim verò S. Doctor magis adhæret ſententiæ S. Dionyſij: tum quia eam ex Apoſtolo hauſit, vt teſtatur *cap. 6.* tum quia ordinat Hierarchias, iuxta eſſentialia; at D. Gregorius miniſteria magis penſitauit. Hæc latiùs profundit Alarconius *tract. 6. de Angelis cap. 8.* cum Suarez.

Ex his habes, plures Angelos in eodem ordine collocari, vt docet D. Thomas *quæſt. 108. art. 3.* & D. Bonauent. *diſtinctione 9. quæſt. 4.* quod ſi eos diſtinctè non cognoſcimus, ratio eſt; quia notas diſtinctè non habemus eorum omnes excellentias, vt docent SS. Doctores cum D. Dionyſio. Ideò neque certò perſpectum habemus. An ordines ſpecie ſint diſtincti, &c. de quibus *quæſtione præcedenti*: actum eſt.

QVÆSTIO VII.

An diſtinctio Angelicorum Ordinum ex dotibus naturæ habeatur: An verò ex donis gratiæ.

D. Bonau. diſt. 9. q. 2. & 4.
D. Thom. q. 108. art. 4.

Assero, diſtinctionem huiuſmodi eſſe à natura inchoatiuè; completè verò à gratia. Ità SS. Doctores. Conſtat ferè ex dictis *quæſt. præcedenti.*

154 Probatvr primò à D. Bonau. in argumentis, & D. Thoma *argum. ſed contra* ex definitione ordinis, lata à D. Gregorio, & relata à Magiſtro, diſt. 9. *Ordo eſt multitudo cæleſtium ſpirituum, qui inter ſe aliquo munere gratiæ ſimilantur; ſicut & in naturalium donorum participatione conueniunt.* Vbi notat Seraphicus *diſt. 9. ad litteram §. tertiò reſtat*; hic ſignificari fundamentum ordinis, vt dixi *quæſt. præcedenti*, dum dicitur: *Ordo eſt multitudo cæleſtium ſpirituum*; ordo enim fundatur in natura.

Per hoc percipies reſponſionem S. Bonau. *ad 3.* vbi ſoluit hoc argumentum, probans, ordinem eſſe à natura: quia omnia Deus fecit ſecundùm ordinem, & menſuram.

155 Respondet autem, ibi loqui de ordine, vt dicit coordinationem creaturarum ad finem: *hic* verò de Angelorum ordine inter ſe: & hæc completa non eſt inter Angelos naturâ conſimiles; niſi per dona gratuita, capacitatem naturæ complentia. Itaque non negat; imò concedit, Angelos, vt naturâ ſuâ ordinatos ad finem ex creatione, habere aliquam coordinationem Hierarchicam; vt alij ſint aliis perſpicaciores. Idemque concedit *quæſt. 4.* cum D. Thom. *in corpore*, vbi cum Seraphico ſubdit, Angelos conſideratos, vt ſunt ordinati ad finem ſupernaturalem, ex gratia coordinari; nam ex fine attenditur coordinatio multitudinis, ſub Principe.

Probatvr ſecundò à D. Bonau. complementum ordinis eſſe à gratia, ex definitione ordinis, vbi dicitur: *Qui inter ſe aliquo munere gratiæ ſimilantur.* Ponitur verò ex parte naturæ diſpoſitio, dum dicitur: *Sicut & in naturalium participatione conueniunt.* 156

Probatvr tertiò à D. Bonau. quia ordo Seraphim à charitate denominatur, vt notat etiam S. Dionyſ. *c. 7.* & D. Thom. *argum. 2.* Noſter Seraphicus Doctor argumentum hoc refricat *in corpore*, quia efficax. Nam quod eſt primum in vnoquoque genere, eſt regula cæterorum. Itaque Seraphim, qui primi ſunt, ſicuti completè donis gratiæ ordinantur, indicant, idem de cæteris inferioribus eſſe proportionaliter verum.

Confirmatur à S. Doctore *fund. 4.* nam & Throni, ex D. Gregor. *homil. 34. in Euang.* denominantur; quia tantâ diuinitatis gratiâ replentur, vt in illis Deus reſideat. Confirmatur rurſus ab eodem, *diſt. 9. ad litt.* ex S. Dionyſ. *cap. 6. & ſequentibus, vſque ad decimum: de Diu. nominibus*, vbi ex naturâ, & gratiis, Angelorum Choros diſponit. Idem oſtendit ex D. Gregorio. Tandem *diſt. 9. q. 1. in corpore* idem roborat, ex vnanimi Patrum multorum conſenſu. Aliquos verò retuli *q. præced.* quibus adde Nazianzenum, *oratione quadrageſima de Bapitſmo*, vbi dubium inſtituit hac de re; at videtur anceps: ſic & in ancipiti verſari videtur Damaſcenus *lib. 2. de fide, cap. 3.* D. verò Chryſoſt. *de incomprehenſibili naturâ Dei*, naturæ omnem ordinis diuerſitatem adſcribit; at D. Iſidorus *lib. 1. de ſummo bono, c. 10.* dignitatibus, & gradibus ordinis, & miniſteria diſtribuit. 157

Nitvntvr Theologi, authoritate Apoſtoli, *Epheſ. 1.* vbi Chriſtum Angelis comparans, eum ſecundùm gratias ſuper omnes exaltat, dicens: *Super omnem Principatum, & Poteſtatem, Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, &c.* Vbi gratias Chriſti hominis ſupereffert Angelicis Choris. Et ad Coloſſ. 1. *In ipſo condita ſunt vniuerſa, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Ergo Angelici ordines ſunt à natura inchoati, vt numerat Apoſtolus, & aduertit S. Bonau. *diſt. 9. q. 4. ad primum.* 158

QVÆSTIO VIII.

An iſti Ordines ſint perpetuò duraturi.

D. Bonau. d. 9. q. 6. D. Thom. q. 108. art. 7.

Qvia ordines ſubordinantur, tum ex inæqualitate naturalium, & donorum gratiæ: tum ex miniſteriis: oportet cum SS. Doctoribus diſtinguere.

Assero primò, exceſſum, qui inuenitur in dotibus 159

dotibus naturæ, & donis gratiæ, perpetuò duraturum, ad ordines varios Angelicos distinguendos.

Probatvr à D. Bonauent. quia dona naturæ sunt inseparabilia à natura Angelica incorruptibili: dona verò gratiæ stabilia sunt in consummatione per beatitudinem. Eodem modo probatur à D.Thoma.

Assero secundò, prælationem Angelorum euacuandam in iudicio, quoad actualia ministeria, illuminationes, &c. Ita SS. Doctores, quos sequitur Suarez *cap.* 14. *num.* 17.

160 Probatvr à D. Bonauent. primò, *ex prima Corinth.* 15. vbi dicitur Christus euacuaturus omnem Principatum, & Potestatem, cùm tradiderit Deo, & Patri regnum. Dum enim tolletur ministerium, tolletur etiam prælatio, & subiectio. Idem habet Magister *distinctione* 6. & Diuus Thom. *hic.*

161 Probatvr secundò à S. Doctore. Prælatio ordinis est secundùm actum purgandi, illuminandi, & perficiendi: sed post iudicium erit status in perfectâ completione scientiæ, & gratiæ: ergo non erit vltrà illuminatio, purgatio, & perfectio: ergo neque prælatio. Minor probatur *in corpore.*

Addit S. Doctor *ad vlt.* & cum eo Suarez *num.* 17. mansuras denominationes, quasi habituales, vt Principatus nominentur, etiamsi ampliùs non principentur actu, eò quòd præsidentia non erit ampliùs necessaria, quæ ordinatur nunc ad reducendos homines ad vltimum finem. Igitur manebunt denominationes, vel ab vsu præterito, vel à capacitate ad tale ministerium; sicut manent tituli inter nos Prætoris, Ducis militiæ, &c.

QVÆSTIO IX.

An Ordines *Angelici admittant aliquos Homines.*

D.Bonau. d.9. q.c.
D.Thom.q.c.art.8.

Assero primò, nullum hominem Angelicis Choris intermiscendum, vt vnum secundùm naturam cum eis constituat.

162 Probatvr primò à D. Bonauent. Maior est vnitas Angelicæ, quàm Ecclesiasticæ Hierarchiæ: sed hæc non admittit alios naturæ diuersæ: ergo.

Probatvr secundò à S. Doctore. Ordo, sicuti dicit differentiam inter eos, qui sunt ordinum diuersorum; sic ponit quandam conuenientiam inter eos, qui sunt eiusdem ordinis; vt patet ex definitione ordinis, lata *quæst.* 6. sed plùs differt homo ab Angelo; quàm Angelus supremus ab infimo: ergo si Angeli ordinum supremi, & infimi nequeunt in eodem ordine poni; multò minùs homo cum Angelo.

163 Assero secundò. Homines, secundùm esse gratiæ, ad Angelicos ordines euehendos.

Probatvr à D. Bonau. primò ex Glossa ad id Psal. 44. *Constitues eos Principes, &c. Elegit pauperes, vt exaltaret ad ordines cæli, qui fiunt ex hominibus, & Angelis.*

Secvndò ex Glossa, ad Iosuè primum: *Si diabolum vincere potuero, locum eius in cælo habebo.*

Tertiò. Superna ciuitas restauranda est à ruinâ Angelorum (vt dicunt Patres allati, *quæst.* 3.) per homines.

Quartò. Distinctio ordinum venit è dignitate gratiarum: sed in terris multi sunt sicut Angeli: ergo. Minor est certa. Confirmatur à D. Bonau. ad id *Lucæ* 20. vbi dicitur. *Filij resurrectionis, æquales erunt Angelis Dei.* Eodem medio vtitur D.Thomas, Suarez *cap.* 14. *num.* 19.

Ex quo inferunt sancti Doctores, quod, cùm in ordinibus constituendis natura se habeat materialiter: gratia formaliter; possunt dici simpliciter homines inter Angelos numerandi, quia eis similes sunt in gratiis. 164

QVÆSTIO X.

An aliqui Sancti *sint constituturi decimum Chorum.*

D.Bonau.d.9.q.7.
D.Thom.q.108.art.8.

Divvs Thomas, & alij apud D. Bonauenturam aiunt, omnes homines sanctos adaliquem ordinem Angelorum euehendos. Attamen hoc impugnat ex D. Anselmo, *lib. de casu diaboli, cap.* 6. & ex *Lucæ* 15. vbi homo per decimam drachmam thesauri intelligitur; vt dicunt multi Patres. 165

Alii dicunt, solos Virgines euehendos inter Angelos.

Eos impugnant Seraphicus Doctor; tum quia etiam Virgines sub drachma decima sunt; tum quia multi non Virgines, erunt Virginibus perfectiores, vt B. Petrus, S. Magdalena, & alij.

Tertia opinio D. Bonauenturæ est, aliquos imperfectiores extra Angelicos ordines remansuros; vt aliqui tardè conuersi, & infantes solo Baptismo decedentes. Ità etiam Suarez *cap.* 14.

Probatvr à D. Bonau. quia non est credibile, hominem, actu simplici contritionis remisso, Angelos adæquaturum. Idem de infantibus, qui nil meruère. 166

Probatvr secundò *ex Lucæ quintodecimo*, de decima drachma: & ex perfectione numeri denatij, quem decet ciuitatem illam beatam efferre.

QVÆSTIO XI.

Vtrum omnes Angeli eiusdem Ordinis *sint æquales.*

D.Bonau.d.9.q.8.

Assero, dari aliquam inæqualitatem inter illos.

Probatvr à D. Bonau. Ordo est perfectior, qui in omnibus reperitur; hic autem inæqualitatem ponit: ergo. Confirmatur, tum ex ordinibus sanctorum; tum ex S. Dionysio, *cap.* 4. 167

QVÆSTIO XII.

An distingui per ORDINES *sit proprium Angelorum.*

D.Bonau.d.9.q.vlt.

ASSERO primò, Ordinem perfectum Angelis conuenire.

168 PROBATVR à S. Doctore ex definitione ordinis, & ex concurrentibus ad ordinem, quæ sunt, naturalium præcellentia, & gratuitorum correspondentia. Hæc autem sunt in Angelis magis, quàm in hominibus. Vide S.Doctorem.

DISPVTATIO II.

De Intellectu Angelorum.

DISPVTATIONEM de Angelorum substantiâ, sequuntur disputationes de Potentiis: & primò de Intellectu, qui est prima Potentia. Mox de Voluntate. Postmodum, cùm de Actibus immanentibus actum fuerit, Intellectione, & Volitione; agemus de Potentia ad actus externos, ad Motum, Locum, & similia.

QVÆSTIO I.

An, & quomodo INTELLECTIO *Angeli differat à* SVBSTANTIA *Angeli.*

D. Bonau. d.3. p.2. art.1.q.1.
D.Thom. quæst.54. art.1.

SVPPONO primò, omnes Angelos esse intellectiuos, nec sensibus scatere; vt patet *è disputatione prima.*

1 Aristoteles 12. *Metaph. cap.* 9. credidit, intellectionem Angelorum esse eorum essentiam, quod etiam de Deo asseuerat *cap.* 7. Eum secuti sunt Auer; Alexander, Philosopon. & Durandus *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 5. *ad* 1. qui admittit sanè, intellectionem, qua intelligunt alia à se, esse ab eis distinctam; eam tamen, quâ seipsos intelligunt, esse eorum essentiam.

VNANIMI verò consensu Theologi relatam opinionem reiiciunt cum Magistro *in* 2. *distinctione* 3. vbi D. Bonauent. & Diuus Thomas *hic*, vt referunt Vasquez *disputatione* 198. Suarez *lib.* 1. *cap.* 1. Valentia *disputat.* 4. *quæst.* 5. *puncto* 4.

ASSERO, intellectionem Angeli non esse illius substantiam.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *loco citato, in corpore*; quia sequeretur, Angelum esse suum intelligere, suum sapere, suamque sapientiam independenter. Sed hoc est proprium Dei: ergo. Totum argumentum est D. Leonis Papæ *epistola* 91. aliàs 93. *cap.* 5. vbi ait: *Sicut solius Dei proprium est increatum esse; sic etiam nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est; sed multi participes sunt veritatis, & sapientiæ, atque iustitiæ: solus autem Deus nullius participationis est indigens.* Quod sanè & de Angelo infertur, cùm solius Dei sit proprium, vt sapientia sit eius essentia. Hoc vtuntur Suarez, Vasq. suprà, Morandus *quæst.* 18. 2

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *loco citato*, & *in* 1. *distinctione* 32. *quæst.* 1. & 2. & *artic.* 2. *quæst.* 1. Si intelligere Angeli, est eius substantia; sequitur, Angelicum Intellectum esse purum actum, nunquam in potentia ad aliud percipiendum; intelligereque immobiliter absque actu intellectionis: sed hoc est falsum: ergo. Sequela liquet. Sicut enim essentia Angeli semper est actu, ita etiam intelligere esset secundùm omnia obiecta totum in actu perpetuo immobili: quia, quæ sunt vnum, eodem modo se habent. Minor probatur; quia hoc est proprium Dei, vt Patres clamant. Vnde S. Dionysius *de Ecclesiastica Hierarchia, cap.* 11. distinguit in Angelis, & cæteris creaturis substantiam, virtutem, & operationem. Diuus Anselmus *de casu diaboli, cap.* 8. & *de concordia gratiæ, & liberi arbitrij* paulò ante finem, distinguit Voluntatem, Potentiam, & vsum, seu actum. Idem de Intellectu docet, *lib. de Concept. Virginis, cap.* 4. Idem tradit Damascenus *lib.* 2. *de fide, cap.* 6. Similia habentur in Concilio *Tolet.* 15. non longè ab initio. 3

PROBATVR secundò minor, quia è Scriptura constat, multa fuisse Angelis temporum decursu reuelata. Hoc ratione vtitur Vasquez *cap.* 2. Suarez *num.* 4. at Valentia putans, hoc, quod infertur, nempè quòd esset purus actus, significare actum simpliciter in omnibus; eam non recipit; sed in Diuuo Thoma eam carpit. 4

Faber *disputat.* 24. Scotum, cæteris præferens Theologis, magnificat rationes illius, erutas *è secundo sent. dist.* 3. *quæst.* 7.

PRIMA ratio. Si intelligere Angeli, esset substantia Angeli; sequeretur, eum esse naturaliter beatum: sed hoc est absonum: ergo. Probatur sequela; quia beatitudo consistit in actibus intellectùs, & voluntatis, scilicet in cognitione, & volitione obiecti beatifici. Si ergo isti actus essent essentialiter cum substantiâ in Angelo, iam Angelus esset naturaliter beatus. Eandem rationem amplectitur Valentia *disputat.* 5. *quæst.* 5. *punct.* 4.

HÆC tamen ratio claudicat: cùm enim ad visionem beatificam non proportionetur natura Angeli, sed egeat subleuari Lumine gloriæ; dato etiam, quòd intelligere esset essentia Angeli, adhuc incapax esset ex hoc capite visionis beatæ: vnde, sicuti natura est inferioris ordinis, ita erit & actus; & quamuis natura esset sublimis, adhuc esset ordinis inferioris, egens subleuari ad visionem: neque actus visionis posset esse connaturalis naturæ nudæ intellectiuæ; vt ostendi *tract.* 1. *disputat.* 11. *quæst.* 12. & 13. Itaque, vt actus ille intellectionis 5

intellectionis esset ad visionem sufficiens, deberet esse natura, vel essentia independens ab obiecto; vt aduertit D.Bonau. 1. *distinct.* 39. *art.* 2. *quæst.*1. Hinc enim S.Bonauent. *loco citato*, post D. Augustinum 15. *de Trinitate*, *cap.*13. arguit, Dei cognitionem naturalem esse respectu omnium: quia omnia percipit independenter, non egrediendo extra se ad aliquod obiectum, quod sit extra Dei essentiam: & hoc infert maximè de illâ cognitione, ex qua genitum est Verbum: ex quo etiam deducit eius consubstantialitatem. Idem opponit Tannerus *disput.*4. *quæ* ... *dub* 1. *num.*6. vrgens rationes D. Bonau. passim.

6 SECVNDVM Scoti argumentum est. Si intellectio Angeli esset illius essentia, iam esset intellectio infinita. Probatur sequela, quia esset vna, sicut essentia vna, eaque infinitorum obiectorum.

Hoc argumentum erutum est è D. Bonau. 3. *distinct.*14. *art.* 2. *quæst.*2. vbi *fundamento primo* ponit doctrinam Aristotelis 2. *Top. cap.* 4. quod plura scimus; sed intelligimus vnum solum; hoc autem est, quia *scire*, denotat cognitionem in habitu; sed *intelligere* in actu: ergo, vbi idem esset essentia, potentia, habitus, & actus, omnia actu intelligerentur. Tunc arguit *fundamento* 4. Qui intelligit omnia intelligibilia, intelligit infinita; sed hoc repugnat finitæ virtuti. Repugnat quoque veritati: Tum quia Deus multa Sanctis Angelis reuelat de nouo, atque adeò actus est adueniens habitui, & essentiæ. Hoc infert S. Doctor *in* 1. *distinct.*3. *cit.* quia alioqui esset in actu, puro, perfectissimo, & exemplari omnium, respectu infinitorum. Idem argumentum assumit D.Thom. ad probandum differre ab existentia, *art.*2. *q.*54.

TERTIA ratio Scoti est. Quia tunc Intellectio Angeli à solo Deo penderet, à quo pendet essentia. Ergo penderet à solo Deo, vt obiecto. Ergo non posset intelligere aliud, quàm Deum.

7 VERVM hæc ratio est imbellis ad retundendos aduersarios, concedent enim fore, vt solum Deum intelligant, in quo tamen poterunt omnia videre, sicut Deus ipse videt. Deinde & si penderet intellectus, sicuti & essentia à solo Deo effectiuè, tamen quid prohibet ad alia obiecta extendi, ne dum ad se videndum? nam & Deus videt creaturas, à quibus non pendet.

Rationes Aristotelis futiles sunt, vt notat Vasquez *capite secundo*.

CIRCA alteram partem. Quomodo intellectio actualis differat à substantia Angeli Daniel Malonius *in* 2. *d.*3. *disput.*5. *sect.*2. dicit, differre solùm formaliter, & ità sentire etiam alios, quos tamen reticet. Ratio eius est: Quia non potest intellectio existere ab Angelo separata.

VNANIMI sensu reliqui distinctionem apponunt realem, tanquam accidentis à substantia. Ita D. Bonau. *locis adductis* D.Thom. *quæst.* 54. *art.* 1. vbi omnes Thomistæ. Scotus *in* 4. *distinct.*1. *quæst.*2. §. *secunda propositio.* Gregorius *in* 2. *d.* 7. *quæst.* 2. *art.*2. vbi tamen eam essentialem nominat. Marsil. *in* 2. *quæst.*7. *art.* 1. *in secunda parte*, Gabr. *in* 2. *d.*3. *quæst.*2. *art.* 2. *concl.* 1. & alij, quos refert, & sequitur Suarez, *disput.* 35. *Metaph. sect.*4. & *lib.* 2. *de Angelis*, *cap.*1. Morand. suprà, Caspensis *disp.*2.

ASSERO cum hac sententia, intellectionem Angeli actualem esse realiter, & per modum accidentis à subiecto, distinctam ab eius substantiâ.

8 PROBATVR à D. Bonau. *in* 3. *loco adducto*, ratione, quam sumpsit Scotus suprà. Id, quod potest adesse, & abesse, ac multiplicari, manente inuariatâ substantiâ, est accidens. Tales sunt intellectiones, quæ nouæ semper Angelis adduntur per reuelationes, suntque supernaturales, ideò à naturâ diuersæ.

Ex his habes, *intelligere* distingui realiter etiam ab existentia Angeli. Nam existentia Angeli est idem cum essentiâ, vt ostendam *tract.*5. *d.*5. *q.*6.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in* 3. *loco cit.* Id, quod non est, alio existente, differt ab eo realiter: sed existentia Angeli fuit, non existentibus intellectionibus multis: ergo. Maior patet: & quidem de actu intellectionis beato probatur. Nam fuere priùs viatores, vt omnes affirmant. De aliis etiam intellectionibus id probat S. Doctor, quia multa eis reuelata sunt. Eodem argumento viget S.Bonau. *in primo*, *dist.*3. *p.*2. *art.*2. *q.vlt.ad* 3.

QVÆSTIO II.

Vtrum & ipse INTELLECTVS *differat à substantia Angeli, & quomodo.*

D.Bonau. in 1.d.3.p.2. q.3. & in 2. d. 24. p.1.art.2.q.1. D.Thom.q.c.art.5.

DIVVS THOMAS *hic* cum omnibus discipulis asserunt, intellectum quemcunque creatum realiter differre, tanquam accidens à substantia. Eos sequuntur Patres, non pauci, societatis. Valentia *disput.*4. *quæst.*5. *punct.* 3. Suarez *lib.* 2. *de Angelis*, *cap.*1. Vasq. *in commentario articuli D. Thom.* & ibi Molina, Tanner. *disput.*4. *quæst.* 3. *dub.*1. Caspens. *disp.*2. *sect.* 1. vbi allegat etiam Alensem 2. *p.q.*1. *memb.*1. & omnes quicumque id de intellectu nostro ab anima asserunt. Attamen ex eis, Durandus 9
2.*d.*3.*q.*5. qui de anima id concedit; de Angelo negat, intellectum realiter distingui à substantia.

SECVNDA sententia est, Intellectum Angeli distingui formaliter ab eius essentia. Ità D. Bonau. *locis adductis*, quem sequitur Scotus cum omnibus discipulis 2.*d.*16.*q.vn.* & *in* 4. *d.*12.*q.*3. Idem videtur Morand. *tract.*7.*q.*18.

ASSERO primò, Intellectum Angeli, aliquo modo, distingui ab essentia illius.

PROBATVR primò à D.Bonau. *in primo loco cit.* ex D.Aug. 15. *de Trin.c.*22. & 23. vbi assignat differentiam inter Imaginem Dei, & Deum Prototypon; quod in illa differt *habens*; & *quod habetur*; non sic in Deo.

Deinde id probat ex D. Dionysio *cap.*11. *de cælesti Hier.* vbi in omnibus creatis distinguit Substantiam, Potentiam, & operationem. Id ipsum confirmat ex Anselmo *lib. de concept. Virg. cap.*4. & Boëtio *de hebd.* & *de Trinitate*, *cap. An omne*, *quod est*, *bonum sit*; vbi docet, in quolibet creato differre. *Quod est*; & *Quo est*; siue *Quid est*, & *esse*. Ergo multò magis *Quod potest*, & *Quo potest*.

PROBATVR deinde à S. Doctore. Id, quod egreditur ab aliquo, distinguitur ab eo. Intellectus manat ab essentia: ergo. Aduertit Seraphicus, egressum potentiæ oriri ex finitate creatâ, in qua aliud debet esse principium proximum essendi, & c. aliud operandi. Eandem doctrinam ebibêre Suarez, Valentia, & alij. Minor probatur à D. Bonau. quia potentia operatur extra substantiam in obiectum externum, v. g. intellectus circa ens cognoscibile vniendo illud sibi, nihil autem operatur, vbi non est.

PROBATVR adhuc à S. Doctore. Ex his quæ 10
sunt

sunt omninò idem, non multiplicatur vnum, quin multiplicetur & alterum: sed multiplicantur potentiæ, non multiplicata essentia; vt constat ex operationibus potentiatum: ergo. Hæc in argumentis. Ex quo patet, falsò dixisse Vasquez, non haberi rationem philosophicam ad hoc probandum.

Assero secundò, Intellectum Angeli non distingui, tanquam accidens à substantia eius.

11 Probatvr primò à D.Bonau. ex D.Augustino 10. *de Trinit. cap.* 11. vbi ait: *Hæc tria, memoria, Intelligentia, & Voluntas, sunt vna mens, vna vita, vna essentia, vna substantia.* Cum tamen 15. *de Trinit. cap.* 7. dicat, mentem non esse animam, sed id quod excellit in anima. Ergo non differt realiter, sed formaliter tantùm.

Addit authoritatem D.Bernardi *in Cant. serm.* 11. vbi ait: *Quadam in anima intueor: Memoriam, Intelligentiam, & Voluntatem; hæc tria ipsa est.*

Si dicas, hæc dici causaliter: Contrà. Nam D. August. *lib. de Spiritu, & anima, cap.* 13. quem D. Bernardus imitari profitetur, ait; quòd: *anima est quædam sua, vt potentiæ; & quædam non sua, vt virtutes*, quod si causaliter loqueretur, esset sua etiam virtus. Id magis de Angelo nobiliori vrget: nam ea, quæ in inferioribus sunt sparsa, vniuntur in superioribus.

12 Ex his authoritatibus argumentatur S. Doctor *in corpore, & ad prima argumenta.* Id, sine quo non potest substantia abstracta percipi, non est accidens: sed Angelica substantia, abstractis potentiis intellectùs, & voluntatis, non potest stare: ergo. Maior est euidens. Minor probatur, tum ex definitionibus Angeli, latis à SS. Dionysio, & Damasceno *disp.* 1. *quæst.* 6. vbi definitur *substantia intellectiua.* Nullum autem definitum potest stare abstractum à partibus suæ definitionis, quia sunt essentiales.

Confirmatur à Seraphico. Quia Angelus, & Anima sunt intrinsecæ Imagines Dei Trini, & Vnius: & sic definiuntur. Ergo essentialiter includunt etiam tres potentias, quibus Trinitati similantur. Confirmatur secundò à S.Doctore, alioqui Angelus abstractus, esset spiritus Intellectiuus sine intellectu. Hoc argumentum sibi sumpsit Scotus.

13 Probatvr tertiò à D.Bonau *loco cit. in corpore*, argumento, quo abutitur Scotus, sic. Substantia quælibet creaturæ producit immediatè suas proprietates: ergo eo ipso est principium immediatum operationis, seù potentia operatiua.

Respondet Valentia, substantiam non producere proprietates propriè; sed eas effluere per simplicem emanationem.

Verum est sanè, quod potentiæ manant ab essentia. Vnde Aristot. 2. *de anima, text.* 24. & 2. *Phys. text.* 17. ait: *Idem esse principium essendi, & operandi.* Profectò essentia est principium essendi proximum; sed remotum operandi, vt arguit S. Bonau. *ad* 5. alioqui idem esset, in re esse, & operari: & sicut res semper habet esse, haberet etiam operari, actuque operaretur, cùm sit naturalis necessariò operans. Itaque principium operandi proximum est potentia: remotum verò est essentia, quatenus dat esse potentiæ, eamque conseruat, & sustentat.

Ex his habes aliquam esse distinctionem inter essentiam, & potentiam; at verò non est realis, quia ita emanat potentia ab essentia, vt extrà non egrediatur omninò, degenerando in accidens, vt probo. Neque benè arguit Scotus ex eo, quod essentia esset productrix substantiæ propriâ productione, idem esset cum ea; imò è propria causalitate elicitur distinctio; quia nihil potest producere seipsum. Neque benè Valentia retundit Scotum, dicendo egredi potentiam ab essentia per emanationem, atque adeò differre realiter: imò, si propria efficientia educeretur, rectè inferretur realis distinctio, quæ est necessaria inter causam, & effectum, cùm nihil seipsum producat. Ex eo igitur, quòd sola emanatione egreditur; benè infertur aliqua distinctio; quæ tamen realis non sit; vt dixi cum D. Bonau.

Respondetvr tamen ex D.Bonau. *in corpore, & ad penult.* quòd vna substantia producit aliam, mediis accidentibus, quæ habent virtutem disponendi subiectum, in quo sunt potentialiter, & seminaliter omnes formæ substantiales, quæ dispositionibus inductis exoriuntur: neque verò necesse est, causam partialem esse æquè nobilem, ac effectus. Puluis enim est causa ranarum: similiter & Sol ipse, qui est ignobilior quocunque viuente. Igitur accidentia sunt veluti organa, quibus substantia vtitur ad substantias producendas. 14

Scio, Fauentinum anxiè vrgere *Theor.* 34. instando: An hæc virtus sit substantia, vel accidens. Si paululum sustineat, satisfaciam *tract.* 5. *d.* 7. *q.* 2.

Respondetvr esse accidens formaliter, sed agente substantia. Sunt verò & potentiæ substantiales, quibus agit essentia, formaliter tantùm ab ipsa distinctæ. 15

Obiicies primò ex D. Anselmo *lib. de casu diaboli, cap.* 8. vbi ait: *Conuersionem, & voluntatem ad bonum vel ad malum, esse essentiam quamdam; non tamen substantiam.*

Respondetvr primò, ibi respondêre quæsito discipuli: an mala voluntas diaboli esset aliquid. Esse igitur aliquid respondet: Nam dato, quòd non esset substantia; vt aliqui volunt, adhuc non sequitur, esse nihil. Igitur fugit quæstionem definire: An sit substantia, & dicit esse aliquid, siue substantia sit, siue accidens. Vbi etiam aduerte, eum quærere non de potentia; sed de Voluntate habitu, & conuersione actu.

Respondetur secundò ex D.Bonau. 2. *distinct.* 25. *quæst.* 1. & 2. D. Anselmum pro voluntate intelligere ipsam virtutem, vt motricem sui in actu primo; non vt fluit ab essentia immediatè. Ideò *lib. de concordia præscientiæ, & liberi arbitrij*, ait: *Voluntas, est instrumentum se ipsum mouens.* In hac verò comprehendit potestatem peccandi, quæ non est libertas, vel pars eius, vt ait ipse, *lib. de lib. arb. c.* 1.

Obiicies secundò. Actus, & potentiæ sunt eiusdem rationis, ex 9. *Metaph. text.* 1. sed operatio est accidens. Ergo & potentiæ. 16

Respondet Toletus 2. *de anima, q.* 9. ex D.Bonau. 2. *d.* 7. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. sensum esse, Idem, seù eiusdem generis esse id, quod est actu, & id, quod est potentia, v. g. Rosa actu est eiusdem rationis, & eadem, quæ erat in potentia. Sic enim ait Philosophus, hominem, carnem, vinum, &c. in actu esse idem cum eo, quod erat in potentia.

Respondetvr secundò, potentiam tripliciter sumi, vt ait D.Bonau. *in corpore.* Primò pro ea, quæ dicit facilitatem ad operandum, vt agilitas ad cursum: & hæc de secunda specie qualitatis est. Secundò dicitur potentia naturaliter egrediens à substantia, quæ simul cum accidente enascitur; vt virtus calefactiua, quæ egreditur à calore; sicut calor ab igne. & hæc est eiusdem rationis cum qualitate. Tertiò est potentia immediatè egrediens à substantia,

substantia, vt potentia generatiua: & hæc est substantia. Iam igitur sic loquendum de potentiis animæ, & Angeli. Primò, vt significant facilitatem, v.g. ad intelligendum, mouendum, &c. & hæc est qualitas. Secundò, vt dicit ordinem substantiæ ad actum, vt potentia syllogizandi, cùm habet habitum; & hæc est in eodem genere cum habitu. Tertiò, vt immediatè prodeunt à substantia; & sic sunt substantia, quia non egrediuntur extrà, & talis est Intellectus.

17 Obicies tertiò. Potentiæ distinguuntur secundùm distinctionem actuum adæquatorum, quos respiciunt; sed essentia respicit existentiam; & potentia operationem, qui sunt actus distincti: ergo sunt diuersæ.

Hoc argumentum est D.Bonauent. *in 2.dist.24. art.2.quæst.1.fundamento* 4. quo ostendit, arguere aliquam distinctionem formalem, qua diuersitas actuum saluatur. Sic enim, & verum, & bonum sunt obiecta diuersarum potentiarum, nempè Intellectus, & Voluntatis, quarum actus sunt *intelligere*, & *amare*, essentialiter distincti, imò si concesserim realiter; non infertur tanta distinctio etiam in potentiis; quia non requiritur tanta distinctio in principiis, quanta est in principiatis, vt patet discurrendo; ab eadem enim luce plura esse possunt realiter distincta.

18 Per hoc soluitur aliud. Ab vno, vt vnum est, nequeunt plura esse; sed ab anima procedunt multæ diuersæ operationes: ergo.

Respondetur enim, hoc non valere; alioqui neque ab eadem anima possent esse plures potentiæ: neque necesse est, vt tanta sit diuersitas in principio, quanta in principiatis.

Obicies quintò. Substantia non est per se operatiua immediatè. Ignis enim, teste Aristotele, non agit vt ignis; sed vt calidus.

Hæc ratio est D.Bonau.*dist.3.cit.loco*, ad probandam aliquam distinctionem inter essentiam, & potentiam. Concedit tamen substantiæ aliquam operationem, etsi per accidentia disponat.

19 Obicies sextò ex Aristot. 1.*de anima*, *cap.*3. vbi dubitat: An potentiæ sint simul cum subiecto. Et 3.*de anima*, *cap.*4. sensum ab intellectu differre asserit.

Respondetur, loqui de variis potentiis, iuxta distinctionem latam ad secundum. Reliqua dicentur *tract.9.* qui de anima, *disp.2.q.1.& 2.*

QVÆSTIO III.

An sint in Angelis Intellectvs *Agens, & Possibilis.*

D.Bonau.in 2.d.3.p.2. art.2.q.1.
D.Thom.q.54.art.4.

20 Sciendvm ex D. Bonauent. *in 2. dist.24. p.1. quæst.vlt.* Quid sit Intellectus agens, & possibilis in anima nostra; vt inde colligamus: An & in Angelis reperiantur. Igitur in anima Intellectus possibilis, non est ipsa potentia, quatenus ab initio est, tanquam tabula rasa, in qua nihil est pictum, vt ait Aristot. 3. *de anima*, *text.*14. neque Intellectus agens dicitur, qui totum intellectionis actum elicit sic; sed intellectus agens in anima est, qui abstrahit è phantasmatibus, atque mirabiliter producit, non intellectionem in actu secundo; sed speciem in intellectu ipso, qui habet aliam virtutem distinctam recipiendi illam speciem; vt qui erat in potentia intelligens, fiat actu intelligens. De quibus agam *tract.9. disp.9. cap.4. quæst.4.*

Hoc sanè pacto nullus, quem viderim, adscribit Angelis intellectum Agentem, aut Possibilem; sicuti neque phantasiam, nisi fortè sit aliquis ex his, qui Angelos corporeos crediderunt, de quibus *quæst.1.disp.1.* actum est. Quæritur verò: An aliâ de causâ dentur in Angelis.

Prima opinio est D. Thom. *loco cit.* negantis omninò in Angelis Intellectum agentem, & possibilem. Eum ibi sequuntur Thomistæ, vbi Caietanus, Nazarius, Zumellus, Ripa, & alij; è quibus Bañez dicit, opinionem asserentem esse ab omnibus reiectam. Hanc sequuntur Valentia *q.5. punct.2.* Molina *quæst.54. art.4.* Vasquez *disp.199. cap.2.* Suarez *lib. 2. de Angelis*, *cap.1.* Albertinus *tom.1. princip.1. corol.7.num.19.* Tanner. *disp.5.q.3. dub.1.* Morandus *tract.7.q.18.* addita *q.19.* Baudun. *quæst.48.art.2.*

Secvnda sententia admittit in Angelis intellectum possibilem, & agentem. Ita Alensis *2.p. quæst.21. memb.3.* Albertus, *de quatuor coæuis*, 1.*p. quæst.5.art.11.& 12.* D.Bonauent. *in 2.d.3.p.2.art.2. quæst.1.* Richard.*2.d.3.art.6.quæst.2.* Maior *d.3.q.7.* Gregor. *2. d.7. q.5 art.1.* Bacceon.*quodl. 2. quæst.12. art.2.* Scotus *2. d.3.quæst.11.* quorum testimonia adamussim recitat Brancasius *disp.7. de Angelis*, *quæst.1.* vt effatum Bannesij falsitatis conuincat. Scotum sequuntur discipuli, Mairo, Tartaretus, Bassolis, Lichettus *ibi*, Faber *disp.27.* Rada *controuers.9. art.2. tom.2.* Poncius, Vulpes *disp.12. art.6.* & alij condiscipuli apud Mastrium *2. d.2. quæst.5.num.119.* Posnaniens. *lib.2.cap.4.quæst.1.* At Arriaga *de Ang. d.6.n.1.* ita priori sententiæ assentitur, vt eius destruat fundamenta. 21

Varios autem fines assignant allegati Doctores. Albertus intellectum agentem Angelis tribuit ad illuminandas species, etiam concreatas, non ad eas producendas. Alensis admittit eum in Angelo, vt eliciat intellectionem. Scotus verò, & asseclæ discipuli, intellectum agentem ad species abstrahendas; possibilem ad recipiendas, admittunt.

At S.Bonauent.non admittit intellectum agentem ad species ab obiectis abstrahendas, neque secum pugnans suum destruit fundamentum, vt iactat Suarez *num.15.* sed ad componendas species vniuersalium, ad singularia percipienda; & vt potens sit abstrahere à rebus, quæ de nouo fierent; si Deus voluerit creare. Itaque non destruit suum fundamentum, asserens intellectum agentem, & negans abstractionem specierum, quæ est fundamentum concedendi intellectum agentem.

Cùm Seraphico Doctore incedit Richardus *2.d.3.art.6.q.2.ad primum.*

Eadem proportione concedere debent prædicti Theologi, intellectum possibilem: illum admittit Scotus quidem, vt dixi, ad species recipiendas à rebus, saltem aliquas, vt ait Faber *num.*44. Alij verò ad actum recipiendum. Ita Alensis *loco cit.* D.Thom. *2.contra Gent.cap.96.ratione sexta.* 22

Assero primò in Angelis dari intellectum agentem.

Probatvr primò à D. Bonauent. *dist.3. loco cit.in corpore*, & *dist.24. p.1. quæst.vlt. in corpore*: quia substantiæ intellectuales, eo ipso, quòd in- 23

tellectuales, sunt lumina quædam ad res penetrandas, ex D. Dionysio *cap.3. de cœlesti Hierarch. p.2.* at lumen in mente est intellectus agens, ex Aristot. 3. *de anima, text.*18. vbi ait, quod ille intellectus, cuius est omnia facere, est sicut habitus quidam, vt lumen; quodam enim modo lumen facit colores, qui sunt potentiâ, vt sint actu colores, vt dicitur 3. *de anima, text.*17.

Respondent Thomistæ, hanc necessitatem non esse in Angelico intellectu, cui omnia sunt actu intelligibilia.

24 Hoc tamen falsum esse, probatur primò; quia non semper intellectus Angelicus est in actu primo, quia non habet rerum omnium indiuiduarum species concreatas, v.g. singulorum foliorum, florum, plumarum, arenarum, &c. & rerum occurrentium cum singulis circumstantiis; puta omnium respirationum, omnium nascentium, &c. quot pulices nascantur, &c. vt ex Aduersariis probat Arriaga, *loco citato.* Itaque, licet habeat species vniuersales, hæ tamen non satis constituunt intellectum in actu primo, ad singula indiuidua vestita innumeris accidentibus; vt ostendam cum D.Bonauent. *quæst.6.* Deinde, neque est in actu secundo, respectu omnium quorum habet species, quia non potest omnia simul cognoscere; aliquando enim hoc intelligit; aliquando aliud, & cessat à præcedentis intellectione. Adde ad eius naturalem perfectionem pertinere intellectum agentem, maximè vt posset abstrahere species à rebus nouis, quas Deus crearet, vt ait etiam Posnan.

25 Neque dicat Arriaga, in tali casu Deum suppleturum infundendo speciem rei recentis, ne sit inferior homine; nam imò potiùs in hoc deterioris esset conditionis, cùm homo possit seipso abstrahere; non sic Angelus, apud aduersarios.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *d.3. loco cit.* ratione, quam sumpsit Scotus. Perfectio concessa naturæ inferiori, non est neganda nobiliori in eodem genere; sed intellectus agens est potentia actiua, quæ dicit perfectionem, & conceditur homini: ergo non est negandus Angelo, præstantiori in genere intellectuali.

Respondent aduersarij, maiorem veram de perfectione simpliciter; at intellectus agens est perfectio secundùm quid, coniuncta imperfectioni, quæ est carentia specierum in anima nostra, ad quas recipiendas eget intellectu agente, ne remaneat tabula rasa. Quod si omnis perfectio homini concessa, non est Angelo deneganda; demus iam generare, ridère, etiam Angelis.

26 CONTRA primò arguit Bassolis 2.*d.3.q.4.art.*3. Rada, & Mastrius *supra.* Nam argumentum S. Bonau. vrget in maiori de ea perfectione, quæ, si desit naturæ præstantiori, erit natura inferiori imperfectior. Sic igitur natura Angeli, quæ non exigit, neque habet omnes singularium species, si careat intellectu agente, erit homine imperfectior, non habens vnde abstrahat, vel componat species; sed cogetur expectare, vtque Carneades abstractus, cibo ingurgitari. Neque perfectio generationis ad rem inducitur, quæ corruptibilibus solùm conuenit, plurimis maculosa næuis.

27 RESPONDENT Thomistæ, species esse debitas naturæ Angeli: vnde esse debent omnes coæuæ, non mere ab extrinseco Dei beneplacito. Ita Amicus *disp.9.sect.6.* Nazar. *q.55. art.2. controu.prima.* Vnde aiunt, Angelum sine speciebus, fore sicut hominem sine sensibus. Quare, si absoluta Dei potentia Angelus sine speciebus crearetur, esset in statu violento. Hâc doctrinâ soluunt argumenta, quæ adeò feruidè opponunt Scotistæ: quod si Angelus in puris naturalibus à Deo crearetur, esset homine inferior; tunc enim esset tabula rasa, & insuper careret intellectu agente ad scientiam acquirendam.

VRGENT tamen Faber, Vulpes, Brancasius: 28
quia si species à natura Angelis essent debitæ, non posset creari Angelus sine illis; sicuti homo sine rationalitate.

At non dicunt aduersarij, species esse Angelis debitas in primo, vel secundo modo dicendi per se, sed vt necessarias ad eorum operationes; vt aduertit Mastrius.

At ipse sic redarguit, fundamento D.Bonauent. afferendo *quæst.6. & 7.* quia non sunt Angelo debitæ singulæ indiuiduorum species, & earum rerum, quas potest Deus creare: ergo cum respectu earum non habeat vim abstrahendi, componendivè, erit homine deterior.

DEINDE arguit Faber *num.*10. è medio Seraphici, *in corpore.* Si Angelus non caperet eam imperfectionem, quæ est in homine, ob quam egemus intellectu agente, ideò eueniret; quia semper esset Angelus in actu; sed hoc est falsum: ergo. Maior est fundamentum Thomistarum. Minor probatur à D.Bonauent. quia esset purus actus, quod ei concedere non possumus, vt fatetur Caietanus, *loco cit.* §. *Ad has obiectiones*: nam solus Diuinus intellectus est actus purus in intelligendo, vt dixi *quæst.*1. Cùm igitur sit in potentia, debet ei concedi intellectus agens, ne homine sit deterior. 29

RESPONDENT Thomistæ, potiùs sic Angelos vilificari, quia triplex est natura intelligentium. Prima est Dei, quæ est in puro actu, cuius intelligere, est eius substantia: vnde à seipso habet intelligere. Secunda est in altero extremo in pura potentia, vt tabula rasa. Et hæc est anima nostra. Tertia est media, quæ non est ipsum intelligere, nec illud habet à se, vt Deus, nec emendicare debet, vt homo, species à rebus, sed eas habet coæuas. Quare semper est in actu primo; vt dicebat Aristot. 12.*Metaph.text.*34. 30

HÆC doctrina excerpta è D. Bonau. *dist.3. p.2. art.2.q.1.fundamento 4. & 5.* probat quidem, inditas esse Angelo species scientificas vniuersalium; vt dicam *quæst.6.& 7.* at non rectè infertur, deberi Angelo singulas species indiuiduorum cum omnibus circumstantiis, puta singulorum culicum, &c. sine horum enim cognitione prædicatur satis plenus sapientia, *Ezech.*28. aliæ verò minutiores cognitiones exiguam afferunt cognitionem, vt aduertit Mastrius *num.*125. ex D. Bonauent. *loco cit.* Imò concedit Arriaga, neque omnium specierum, maximè earum, quæ imperfectissimæ sunt, cognitionem conuenire Angelo, vt medius stet inter Deum, & nos. Ideò respectu eorum, quorum non habent species Angeli, debent habere intellectum agentem. 31

PROBATVR tertiò. Intellectus, qui habet pro obiecto adæquato vniuersale, eget intellectu agente. Intellectus Angeli habet pro obiecto aliquod ens commune communitate prædicationis: ergo. Maior probatur. Vel fit per abstractionem à singularibus, vel si habeantur species vniuersales, nequeunt repræsentare singula indiuidua, vestita innumeris ferè accidentibus: v g. species hominis non repræsentat hunc Petrum, quia in ea non clauditur species naturæ proceræ, species doctrinæ, 32

næ, virtutum, &c. Minor probatur. Quia Angeli, secundùm Thomistas, habent species vniuersalium, vt obiecti adæquati, in quo videant & singularia: non enim in natura singulari sunt omnia obiecta (excipe in essentia Diuina.) Hoc argumentum est D. Bonau. *in corpore*, quo nititur Faber.

Respondet Caietanus, obiectum intellectus Angeli esse essentiam Angeli, quæ continet res omnes, vt cognoscibiles, etto non contineat eas, vt res; sicuti continentur in essentia Dei.

Instat Faber. Non potest res aliqua singularis continere res, vt cognoscibiles, nisi contineat etiam, vt res.

Hoc tamen est falsum. Nam species Angelo indita, est singularis, vt continet, v.g. hominem in esse cognoscibili, non in esse reali.

33 Probatur quartò à D. Bonau. *in corpore*. Angelus habet intellectum possibilem: ergo, & agentem. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia recepit species alienas à sua substantia, & potest recipere alias rerum, si nouæ crearentur. Deinde recipit compositionem multarum specierum constituentium indiuiduum. Tertiò, quia non est purus actus, vt dixi: ergo perfectibilis, & potentialis. Hoc medio vtuntur Scotus, Faber, Meldula, & cæteri.

Probatur quintò à Seraphico Doctore; Posse nouas species abstrahere, est necessarium, ne si nouas res creatas Deus conderet, cogeretur Angelus ad extrà specierum infusionem expectare. Neque est superflua habenti species, habere actiuitatem intellectus; sic enim etiam Christus habuit omnes species rerum, & tamen habuit quoque intellectum agentem.

Dices, disparem esse rationem: nam habere species, erat Christo per accidens. Contrà, magis debebatur ratione vnionis hypostaticæ Christo, sapientia, quàm Angelo; illud autem debitum, substantiali vnioni erat connaturale, vt arguit Meldula.

34 Assero secundò, dari in Angelis intellectum possibilem.

Probatur primò: quia datur Intellectus agens: ergo & possibilis. Secundò probatur, quia alioqui esset purus actus. Tertiò, quia est receptiuus nouarum specierum, vel compositionis. Hæc S. Bonauent. *in corpore*, & post eum Scotus cum suis.

Obicies primò. Intellectus agens datur ad abstrahendas species ab obiectis materialibus; at verò Angeli habent à creatione omnium species, in quibus obiecta sunt actu intelligibilia. Neque verò Intellectus possibilis est talis, quia possit species recipere; sed quia nuda sit potentia in genere intelligibilium; & deinde fiat omnia intelligibilia per susceptionem specierum ab intellectu agente, ex *3. de anima, cap.* 4. sed intellectus Angeli non est hoc modo in potentia: ergo.

35 Respondetur ex Seraphico, Angelos non habere omnes species; vt dixi, neque semper esse in actu; vt suprà ostendi. Neque negandus intellectus possibilis ex eo, quod ab initio species habuére: quia adhuc debet Angelo concedi potentia receptiua, vt aduertit Scotus; sicuti concederetur etiam animæ, tametsi ab initio species indidisset.

Obicies secundò. Sicut se habet modus essendi animæ nostræ ad modum essendi Angeli: ita & modus operandi ad modum operandi; sed anima nostra ideò accipit species à rebus per intellectum agentem: quia quoad esse compositi, pendet à corpore. Ergo cùm Angelus non pendeat à corpore, neque habebit ad operandum necessitatem intellectus agentis.

Respondet Scotus, *loco cit.* & *in* 4. *d.*45. *q.*2. ex D. Bonauent. *in corpore*, retorquendo argumentum. Nam dependentia animæ à corpore non est ratio recipiendi species; sed recipiendi eas mediis sensibus. Vnde separata recipere potest absque sensibus. Itaque cùm Angelus sit substantia spiritualis, independens à corpore, multò efficaciùs poterit abstrahere: neque Caietanus aliquid momenti addit. 36

Instat: non potest fieri transitus ab extremo ad extremum, nisi per medium; sed inter sensibile, & intelligibile est medium imaginabile: at in Angelo non est imaginatiua. Ergo non se habet intellectus Angeli, sicut intellectus hominis, atque adeò non recipit species è sensibilibus.

Hoc argumentum est D. Bonauent. *fundamento* 4. & probat solùm, intellectum Angelicum non decerpere species, ad modum nostrum, à sensibilibus per imaginationem ad intellectum; quia intellectui abstracto non est tale medium necessarium: sed potest intuitum figere in rebus corporeis, cùm omnium habeat species, atque eas componere; sicuti id posset etiam noster intellectus, si eas haberet, vt discurrit Seraphicus Doctor *in corpore*, & post eum Scotus, paucis mutatis. 37

QVÆSTIO IV.

Vtrum Angeli *per species intelligant.*

D. Bonau. 2. d. 3. p. 2. art. 2. q. 1. & 2.
D. Thom. q. 55. art. 1. & 2.

Nvnc iam incipimus modum, & media Angelicæ intellectionis perscrutari. Neque verò hic in limine inquirimus: an omnia Angelus per species intelligat: nam aliqua sine speciebus, eos percipere, docent Theologi cum D. Bonau. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, & *quæst.* 2. *ad* 1. vt infrà videbimus. Est autem quæstio: an res creatas extrà intelligat per species: an seipso, suâ nudâ vi intellectus.

Primò quidem aliqui, speciebus explosis, asserunt, Angelum suâ innatâ intellectùs vi intelligere creaturas extrà. Sic Durand. 2. *d.* 3. *q.* 6. Gabr. *eadem dist. quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 2. *&* 3. & *art.* 3. 1. *p. conclusionis secundæ, & tertiæ*. Ocham 2. *q.* 15. *conclus.* 1. & *q.* 16. Gregor. *in* 2. *d.* 7. *q.* 5. *art.* 1. Bassolis *in* 2. *d.* 3. *q.* 3. §. *Dico igitur*. Hi omnes dicunt, solam rei præsentiam in seipsa, vel in sua causa sufficere, vt res quæcumque naturalis ab Angelo, sine specie, percipiatur. Inclinat quoque Ioannes Bacconius *d.* 3. *q.* 4. *&* 5. & *d.* 6. *q.* 1. 38

Henricus verò *quodl.* 5. *quæst.* 14. necessitatem specierum omninò reprehendit; eas verò in solis sensibus; non autem in intellectu, nequidem humano, admittit: Angelum verò asserit egere, vice specierum, habitu scientiali à natura congenito, vt valeat sibi omnia præsentia facere, quæ in illo habitu virtute continentur.

Secvnda opinio concedens in hominibus species, quas colligimus ex eo, quòd absentia imaginamur, & præterita recordamur; id in Angelis 39

Angelis non posse probari, ait; quia potentia intellectiua Angeli est sufficienter in actu ad intelligendum, saltem naturalia; neque concursu efficiente obiecti, neque specie illius indiget. Id colligitur sentire Altisiodor. *lib.2.summæ,tract.5.cap.4.* Hanc præ cæteris opinionibus, acclamat Vasquez *disp.200. cap.3.* & *disp.201. num.6.* quem laxe refellunt Arriaga *disp.5. sect.5.* & Suarez, infrà citandi.

40 Vniversalis ferè Theologorum sensus est, Angelum intelligere res omnes extra se per species intentionales. Ita D. Bonauent. *in 2. dist. 3. p.2. art.2.quæst.1.* & *dist.8. p.1.quæst.3.* & *in 1.dist.3.p.2. quæst.1. ad 3.* vbi ex ratione Imaginis deducit species. Et *in 3.dist.14. art.2. quæst.1.* Albert. *2.part. summ.tract.4. quæst.19. art.11.* Alens. *2.part.quæst.24. memb.2. & 3.* D.Thom. *quæst.55. art.1. & 2.* vbi omnes Thomistæ expositores. Capreolus verò *d.3. quæst.2.art.1.conclus.4.* Ægid. *ibi, quæst.2.art.1.* Ferrar. *2. cont. Gent. cap.96.* Richard. *d.3.art.6.quæst.1.* Scotus *quæst.10. §. Ad quæstionem igitur.* Ibi Scotistæ, vbi Faber *disp.26.* Herueus *d.3. q.4. art.2.* Maior *quæst.6. & 7.* Argent. *quæst.1. art.4.* Marsil. *in 2.quæst.7.art.1.secunda parte, conclus.5. & 6.* Suarez *lib.2.de Ang.cap.3.* Valentia *disp.4.quæst.6.puncto 1.* Arriaga *disp.5.sect.4.* Molina *quæst.55. art.1.* Albertinus *tom.1.princ.7.corol.8 p.1.* Tanner. *disp.5. q.3. dub.2.* Morand. *tract.7. quæst.18.* referens cum aliis Arrubalem *art.2. cap.2.* Præpositum, Auersam, Alarconium. Marcus verò Baudunius *q.40. art.1.* Caspens. *d.2.sect.1.*

Addit Faber, Theologos hæc supponere, nec probare, excepto Alensi, qui id ex Proclo confirmat. At ostendam pluribus à S. Bonauent. probatum, hisque conuenientibus rationibus, quod negarunt Arriaga, & Præpositus, nec tenuit Morandus. Plura reseruo ad *tract.9. disp.4. quæst.8. & sequenti.*

Assero, Angelos intelligere creaturas extra se naturali cognitione per species.

41 Probatvr primò à D. Bonauent. *dist.3. p.2. art.2.quæst.1.ex 28.* Ezechielis: *Tu Cherub extentus, plenus sapientia, & perfectus decore à die, qua conditus es.* Quem locum de Lucifero accipiunt SS.PP. Gregor. 32. *Moral. cap.18.* aliàs 25. Theodoretus *sessione sua vndecima*, vbi ea verba: *Eleuatum est cor tuum*; de solo dæmone dici ait, tametsi ad eum locum hæc omnia de dæmone intelligit figuratè: ad litteram verò de Rege Tyri, quod idem asserunt Ambrosius, *lib. de Paradiso, cap.2.* & Hieronymus ad eum locum; quamvis *Isaiæ 54.* asserat, stultum esse putare, hæc omnia de aliquo tantùm homine dici: sic & Cyrillus Hierosol. *cathec.2.* Beda *lib. variarum qq. q.9.* Adde Tertullianum *lib.2. cont. Marcionem, cap.10.* Origenem *lib.1.Periar.cap.5.* qui de alio exponi posse negant. Non abnuo Cyrillum *lib.3. in Ioannem, cap.39.* Gregor. *homil.34. in Euang.* Damascenum *lib.2. cap.3.* Isidorum *lib.1. de summo bono, cap.3.* figuratè id intelligentes, eruêre tamen inde Luciferi præstantiam, quam ex eodem loco eruit S.August. *11. de ciuit. cap.15.* Ex his habemus, cum saltem, quem diximus, sensum a Spiritu sancto esse intentum. Et videtur sensus litteralis, vt notat Suarez *lib.7.cap.8. num.10.* Quare non satis cautè Maldonatus ait, de Rege Tyri hoc solùm intelligi; tantùmque obiter assumi à Theologis de Lucifero. Iam verò dicitur plenus sapientia à die creationis: sed ex tunc non poterat à rebus acquisiuisse notitiam: ergo habuit species inditas, quas indicat plenitudine sapientiæ, nempè esse scientificas, & vniuersales.

Probatvr secundò à Seraphico, ex Proclo lib. de causis, propositione decima: *Intelligentiæ sunt plenæ formis*, quam propositionem sapientes concedunt, ex doctrina Aristot. *3.de anima,text.6.* vbi ait: *Intellectum esse locum formarum.* Vnde admittunt, cognitionem nostram fieri per species. 42

Probatvr tertiò à S.Doctore *argumento vltimo*, quo vtuntur Fauentinus *num.6.* Tanner. *num.4.* Morand. *num.711.* Vt fiat cognitio, debet obiectum esse præsens, vel in se, vel in sui similitudine, seu specie. Nam ex obiecto, & potentia oritur notitia, vt Philosophi aiunt, & Theologi astruunt cum D. Augustino *9. de Trin. cap.12.* vbi ait: *Ab vtroque notitia paritur, cognoscente, & cognito.* Nos igitur experimur obiecto non præsente multas percipere quidditates absentes: ergo sunt præsentes per species. Hæc verò cognitio non debet Angelo denegari, cùm dicat perfectionem, & sit in nobis ignobilioribus. Confirmatur ex D. August. *9.de Trin. cap. 6.* vbi ostendit, hominem memorari species rerum absentium, v g. Mœnia Carthaginis remotissimæ: hoc autem fieri deducit per species. Ecquis autem id Angelo negabit? Sæpè enim in Scriptura Angeli referunt præterita, vel absentia: ergo eorum habent species: & si dicas, recordari actus præteritæ cognitionis. Contrà. Nam in illo actu includitur species obiecti. Hanc rationem desumpsit Scotus *2.d.3.q.10. in corpore*, vt notat Fauentinus *loco citato.* Confirmatur, quia inter obiectum, & potentiam exigitur proportio. Angelus autem, qui est purus spiritus, intelligit corporea: ergo per species, cum secundùm se sint improportionata. Confirmatur adhuc. Obiectum in phantasmate expressum, est magis vicinum proportione intellectui, quàm obiecta corporea; at non obstante phantasmate, nobis necessaria est species intelligibilis: ergo necessaria est & Angelo, ad obiecta in esse corporeo intelligenda. Hanc rationem Morandus acclamat efficacem, suppositis principiis innumeris philosophicis.

Probatvr quartò à S.Bonauent. Angelus est medius inter Deum, & hominem; at Deus est purus actus, seipso, absque speciebus haustis à rebus, omnia intelligens, à quibus non potest reduci de potentia ad actum, & perfici: homo in altero extremo est tanquam tabula rasa, excipiens per sensus species, vt constat in memoratione præteritorum: ergo Angelus habet species spirituales inditas, per quas intelligat, cùm & ipse sit creatura, & non possit à seipso reduci de potentia ad actum, & per sensus nequeat haurire phantasmata, sitque medio modo in actu, neque potest esse ad actum ab initio reductus ab obiectis, quæ non erant præsentia; & tamen fuêre cognita, ne dicamus, etiam Angelum fuisse, vt tabulam rasam. 43

Probatvr quintò à S. Doctore. Res à principio habuêre triplex esse: In se: in Verbo: & in Angelico intellectu, ex D.Augustino *lib.4. de Genesi ad litt. cap.32.* Et quidem res ab initio fuere perfectiori modo in Angelico intellectu; modo inquam magis accedente ad esse rerum in Verbo, quàm ad esse rerum in se. Iam verò in Verbo fuere res perfectissimæ & limpidissimæ: in seipsis autem res fuere conditæ, imbutæ rationibus seminalibus, productiuis aliarum similium, & dissimilium, prout causalitates essent vniuocæ, vel æquiuocæ: ergo istæ res educendæ è causis, fuere in 44

in Angelico intellectu; sed non in se, cùm non essent: ergo per species.

45 PROBATVR sextò a S.Doctore ex illo Ephes.3. *Vt innoscat Principatibus, & Potestatibus, &c.* Vbi Glossa dicit, quòd *Angeli multa didicerunt ab Ecclesia*, vtique per reuelationem. Idem habet Chrysostomus ibi: Hæc autem debuêre cognoscere, vel ex præsentia obiectorum, vi intellectus, vel, si ex absentia, saltem per similitudines; at cognouêre multa remotissima, & futura contingentia, quæ in suis causis, & naturis non erant determinata ad esse; & consequenter neque ad cognoscibilitatem intellectui, pendenti à causalitate rerum, nec eas comprehendenti, vt constat ex reuelationibus in Scripturis, factis non rarò ipsis Angelis; ex missionibus ad multa, quæ erant in esse absentia, & exitu in se incerta, reuelanda. Horum igitur, cùm non habeant præsentiam, debent per species habere cognitionem.

46 PROBATVR septimò à S. Doctore. Angeli habuêre ab initio species, vel obiecta, quibus possent incumbere omnibus ministeriis, ad quæ erant creati; sed ad hoc exigebatur, ea habere in intellectu præsentia, & plurima non erant præsentia per se: ergo in speciebus, siue singularibus absentibus, siue vniuersalibus, ad vniuersalem prouidentiam ministrandam.

PROBATVR octauò *in corpore.* Is, qui intelligit seipso omnia, debet habere ea in se vel formaliter subiectiue, vel tanquam in causa efficiente, vel exemplari; sed hoc est solius Dei, qui est solus prima, & vniuersalis causa: ergo.

47 PROBATVR nonò. Intellectus, qui seipso est actu, non potens actuari ab aliquo, est actus purus. Talis est solus Deus: ergo. Vide Seraphicum Doctorem, quem imitantur Tannerus, Suarez, Morandus, & alij.

Confirmatur a Valentia ex D. Bonauent. nam ratio, ob quam essentia Diuina est loco specierum intelligibilium, non habet locum in essentia Angeli; neque aliunde suppetit ratio, ob quam asseramus, Angelo esse propriam essentiam, vice specierum: ergo id non est asserendum. Antecedens probatur, quia essentiæ Dei id tribuimus, ob infinitam eius actualitatem, & perfectionem, quæ idcircò longe meliùs, quam res potest eas repræsentare. Neque ex perfectione Angeli id potest probari: quia ad hoc requiritur perfectio infinita: nam si finita sit, potest sufficere ad aliquem effectum præsentem; non ad alios, sicuti Leo potest generare Leonem, & non murem. Hæc in substantia est ratio Seraphici, *in corporis initio.*

VRGEO adhuc. Illa res singularis, quæ continet multa cognoscibilia, debet eadem continere in esse reali secundùm Scotistas, vt probat Faber *disp.26. cap.4.* & *disp.27. sub num.15.* Ideò enim essentia Diuina est exemplar infinitorum obiectorum, quia ipsa continet omnia, aut si non continet in esse reali, debet habere omnium species. Profectò etenim illa substantia, quæ sine specie est ratio cognoscendi omnia, debet ea continere formaliter, vel vt in causa. At substantia Angelica non continet in sua essentia omnia creata in esse reali; neque est species omnium, & exemplar, quia hoc est primæ causæ: ergo eget speciebus, vt omnia percipiat vniuersaliter.

48 PROBATVR decimò à S.Doctore, valido argumento, quo vtitur Suarez, & quo etiam suprà allata roborantur. Supponit autem S. Doctor *argumento 5. & initio corporis*, de ratione intellectionis, imò & cuiuscumque cognitionis esse, vt fiat quædam actuatio, secundùm similitudinem in intellectu: & hoc est dogma Philosophorum, ac Theologorum. Hoc verò modo etiam Angelos intelligere probatur, quia sunt medij inter Deum, & homines; sed homo per istam similitudinem intelligit: similiter & Deus. Ideò enim Theologi eam reddunt rationem, ob quam Verbum Diuinum procedit, vt Filius, nimirum, quia procedit per intellectum, & intellectus processio est quædam assimilatio, seu repræsentatio, vt docet D. Bonauent. *dist.9.* & *tertiadecima primi sentent.* & D.Thom. *prima parte, quæst.27. art.2. & 4.* Sequitur ergo, etiam Angelos hoc modo intelligere; neque enim aliunde valemus intellectionis Angelicæ rationem inuenire, nisi, vel ei adscribendo perfectiori modo ea, quæ ad nostram intellectionem pertinent; vel ex intellectu Diuino, adscribendo Angelis perfectiorem participationem, & imitationem eius. Adde, proprietatem illam intellectionis, quòd assimilatiua sit, non prouenire ex particulari conditione huius, vel illius intellectus, sed ex proprietate naturali intellectiuæ facultatis, vt intellectus est, quæ in hoc consistit; vt perficiatur, & in actu constituatur trahendo ad se res intellectas per rationes earum; sicuti e contra, proprietas voluntatis est egredi extra ad res amatas. Idipsum habet S.Bonauent. *in 1. dist. 3. q.1. ad 1.* vbi etiam affert Aristotelem *3. de anima, text.8.* dicentem, animam fieri omnia per assimilationem in cognitione. Eandem doctrinam repetit *quæst. sequenti, fundamento 3* & *in 3.dist.14.q.3.ad 4.* & *in 1.dist.3. p.2. q.2. ad 5.*

49 Ex hoc principio deducitur aliud, quod tangitur a Seraphico [illegible] *quarto argumento* Angelicum intellectum, vt præexistentem actuali intellectioni, debere supponi in actu primo constitutum sufficienter ad formandam in se expressam similitudinem rei intellectæ. Probatur, quia actus secundus supponit actum primum proportionatum; sed actus secundus intellectionis consistit in actuali assimilatione, etiam in intellectu Angelico: ergo supponit, ordine naturæ, intellectum Angelicum constitutum in actu primo ad formandam similitudinem rei intellectæ. Hoc declarat S. Doctor ex indicatis extremis, Deo, & homine. Nam in intellectu humano, qui est pura potentia præcedere debet aliquis actus primus, quo reddatur potens ad eliciendum actum secundum, vt probat Aristoteles *2.de anima, cap.4. & 5.* In Diuino verò intellectu, secundùm se spectato, non inuenitur propriè actus primus, & secundus: quia essentialiter, & formaliter est suum intelligere, quod eminentissimo modo omnia repræsentat, & rerum omnium continet exemplaria, vt ait S. Doctor *initio corporis.* Tamen, si secundùm rationem præintelligamus Deum in actu primo: concipi necessariò debet, vt constitutus per suam essentiam, eminenter continentem omnia in actu primo perfectissimo, & eminentissimo ad formandum in sua mente conceptum repræsentantem omnia, & omnium exemplaria, & ideas [illegible] continentem: ergo idem est [illegible] proportione adscribendum intellectui medio Angelorum, ob rationes [illegible] allatas.

50 SVPPONIT secundò S.Doctor *in corpore*, commune esse intellectui creato, vt obiectum cum potentia intellectiua aliquo modo concurrat ad intellectionem; ita vt ex obiecto, & potentia oriatur

tur notitia; sicuti vertitur axioma inter Philosophos. Et est D. Augustini 9. *de Trin. cap.* 12. idem suprà innui. Neque tamen concurrit obiectum efficienter; sed materialiter tantùm, vt docet idem D. Augustinus *lib.6. Musica, cap.5.* quod laudat S.Bonauent. *in 2.distinct.23.art.2. quaest.1. in fine corporis*, & *distinct.24. prima parte, quaest.vlt.* alioqui obiectum ipsum esset intelligens, quod est absonum, vt arguit Tolet. 2. *de anima, quaest.*12. ex D. Bonauent. *locis adductis*. Est enim intellectio actio vitalis (excipe Deum, qui efficienter se habet, vt sui nobis ingerat cognitionem, vt aduertit D. Bonauent. *in* 3. *distinct.*14. *quaest.*3. *ad* 6. & *in* 1. *distinct.*3. *part.*1. *quaest.*3. *ad* 1. *in responsione secunda.*) Nec valet responsum Suarez *lib.*3. *cap.*4. *de anima*, Fabri *Theor.*77. speciem non nominari in-
51 telligentem; quia intelligere, est recipere intellectionem.

Contra enim est, quia intellectio est actio immanens, ex 2. *Phys. text.*11. & 16. & 9. *Metaph. text.*16. ergo in eodem recipitur, à quo est: si ergo à specie est, debet in ea recipi: ergo ipsa intelligit. Confirmatur, quia actio secundùm Scotum semper agens denominat, vt subiectum; ergo species debet denominari intelligens, si ipsa est agens; & consequenter in via Scoti subiectum eius. De qua te disputat acutè Pater Galitius; & nos *tract.9. d.4.c.1.q.*10.

Iam verò, cùm obiectum materialiter concurrat, non potest concurrere efficienter, quia causa materialis, & efficiens nunquam concidunt. Est enim prima diuisio potentiæ in actiuam, & pas-
52 siuam, vt notum est inter Peripateticos. Id igitur etiam obiecto intellectûs Angelici conuenit.

Verum enim verò alia ratio suppetit, ne obiectum extrà sit causa intellectionis Dei; quia ipse intelligit per essentiam; ideò potiùs ipsum intelligere Dei, est causa rerum extra Deum; vt notat D. Bonauent. *initio corporis*, & sæpè alibi. Attamen si libet concipere Deum elicientem actum intellectionis, dicemus, ab essentia, in qua sunt omnia actualissima exemplariter, & vt in causa efficiente, esse actum primum obiectiuè. Igitur & in intellectu Angelico debet procedere notitia à potentia, & ab obiecto; sic enim, vt de intellectu medio, philosophari tenemur.

Ex his habes, non posse intellectum Angelicum per se habere intellectionem sine obiecto. Neque dicas mihi, in illo intellectu splendêre similitudines rerum. Contrà enim est, quia si substantiæ intellectiuæ id conueniret, iam semper esset in actu intelligens omnia; sicut natura eius semper est, vt dixi *quaest.*1. & posset videre omnia possibilia, omnia contingentia, vt rectè infert Suarez *num.*11. ex doctrina Seraphici Doctoris *loco citato.*

53 Supponit etiam S. Doctor, exigi debitam vnionem obiecti cum potentiâ, ita vt obiectum in potentia receptum sit. Ex quo sequitur, res extra Angelum non posse iuuare ad intellectionem in ratione obiecti. Et quidem res materiales habent esse importionatum, vt vniantur seipsis potentiæ intellectiuæ; spirituales verò illæ non sunt vnitæ Angelico intellectui. Potest quidem Angelus suam essentiam, quippè intellectui satis vnitam, sine specie intelligere; vt dicam *quaest.*7.

Ex his argui potest. Intellectus Angelicus, vt intelligat, debet habere res sibi vnitas, eisque assimilatam potentiam; sed non est sufficienter vnitus, & assimilatus rebus per eorum præsentiam, vt ostendi: ergo eget speciebus.

De cognitione verò abstractiuâ res clarior est: 54
nam ibi abest obiectum. Hanc verò habet Angelus: nam recordatur præteritorum, vt dixi *argumento* 3. & ostendam *quaest.*11.

Ex his igitur habemus, Angelum egêre speciebus ad res creatas extra se percipiendas, cognitione abstractiuâ, vt concedit Scotus; imò & ad eas cognitione intuitiuâ percipiendas, contra Scotum *in 2.dist.3. quaest.*10. & 11. Fabrum *disp.*26. *num.*7. Neque ratio Scoti vrget; superfluam esse speciem, quia adest obiectum. Respondetur enim non esse sufficienter præsens, saltem si corporeum sit.

Imò in doctrina Scoti video implicantiam, quâ nostrum dictum confirmetur. Scotus enim *in* 2. *d.3.q.*10. sustinet, Angelum non intelligere res per species, cognitione intuitiua; sed eam fieri per ipsum obiectum immediatè: nam præsente obiecto superfluit species; atque adeò à natura, odiente superfluum, non producitur. Et addit, quod de omni quidditate, etiam alienâ, potest cognitionem habere intuitiuam, si cognoscat res per earum essentias, vt existentes, & præsentes; vt notat Faber, *disp.26.n.*7.

Ex alio capite tenet, cognitionem intuitiuam 55
requirere obiectum magis vnitum potentiæ, quàm sit accidens quodcumque subiecto, vt habet Faber *disp.24.num.*21. & *seq.* Ob id *cap.*2. vrget contra D. Thomam, eò quòd dixerit, intellectum Angelicum cognitione intuitiuâ percipere suam essentiam; cum ex altero capite teneat differre realiter ab essentia: & hæc ratio tangitur à D. Bonauent. *in corpore*. Aliquam verò intuitiuam per species admittit, vt notat Vtinensis *tract.*1. *q.*6. *art.*4. De his notiis agam *tract.9. d.9. cap.4. sect.4. quaest.*1.

Obiicies primò cum Durando. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; sed Intellectus Angeli potest cognoscere sine speciebus: ergo.

Respondetur, satis ex dictis patere necessitatem specierum.

Obiicies secundò. Species intentionalis est eius- 56
dem speciei cum re, quàm repræsentat. Sed in mente Angeli non possunt esse formæ eiusdem speciei cum rebus cognoscendis ab illo: ergo. Hinc arguit. Species non ducit in cognitionem alterius, nisi ratione similitudinis: similitudo autem non est inter ea, quæ sunt eiusdem speciei.

Respondet D.Bonau. *in* 1. *dist.3. p.2. art.2.q.3. in corpore*, negando, similitudinem rei esse eiusdem naturæ cum re. Nam similitudo Martini (ait S.Doctor) non est eiusdem naturæ cum Martino. Sunt autem species similes obiecto in esse repræsentatiuo, non in esse naturali; vel non sunt similes realiter, sed intentionaliter; nec per formalem conuenientiam, sed per virtualem, & quasi seminalem efficientiam. Eandem responsionem assumunt Suarez *lib.2. cap.2. num.*24. Faber *disput.*26. *num.*11.

Quæstio

QVÆSTIO V.

Vtrum SPECIES *sint Angelis concreatæ, & quomodo.*

D.Bonau.2.d.3.p.2. art.2.q.1.
D.Thom.q.55.art.1.

INter eos, qui species Angelis ad intelligendum attribuunt, dissensio est: quo pacto eis conueniant.

Primò quidem Alensis 2.*p.q*.24.*memb*.2.& 3. asserit, Angelum accipere omnes species à rebus, eas abstrahendo; & nullas concreatas habere; tametsi videatur species duplicatas asserere, infusas, & acquisitas, vt notat Suarez *lib*.2.*c*.6.*n*.19.

Deinde verò alij sentiunt, vt refert S. Doctor, rerum incorruptibilium, & vniuersalium species, fuisse Angelis à creatione infusas: rerum autem corruptibilium, & singularium species haustas à rebus. Ita Scotus *in* 2.*dist*. 3.*quæst*.11. quem sequuntur omnes Scotistæ apud Mastrium *disput*.2. *quæst*.6. Fabrum *dispu*.27. Richardus *d*.3.*art*.6.*q*.2. Maior *quæst*.7. Bassolis *q*.4.*art*.2.& 3. Marsil.2.*q*.7. *art*.1.*p*.3. Explicat autem Vasquez, hanc sententiam asserere, species earum tantùm rerum incorruptibilium, quæ ab initio cum ipsis Angelis fuere creatæ, ipsis in creatione ingenitas: at species rerum incorruptibilium, quæ post eos futuræ erant, v.g. animarum hominum, haustas ab ipsis, sicut & ab aliis rebus corruptibilibus. Id ferè sentit Arriaga *disp*.6.*sect*.2. non tamen ita adamussim sentiunt allegati authores; sed omnium quidem vniuersalium species infusas, seu concreatas: indiuiduorum autem non omnes; sed aliqui dicunt incorruptibilium; alij eorum, quæ necessariæ sunt ad cognoscenda ea, quæ ad se conducunt. Imò Arriaga *num*.19. addit: *Fortasse nec omnium imperfectarum specierum habere similitudines.* Cum his est etiam Marcus noster *q*.49.*art*.3.

57 Vniuersalis ferè sententia est, Angelum nullam à rebus speciem accipere; sed omnes illi esse concreatas. Hi tamen diuisi sunt in varios sensus.

COMMVNIS Thomistarum sententia est, non posse Angelum, res ordinis naturalis, siue materiales, siue etiam immateriales, intelligere per species ab ipsis abstractas. Qua ratione, Angelo negant intellectum agentem, vt retuli *quæst*.3. ac proinde omnia eos percipere per species congenitas, astruunt.

Ex his seueriores Thomistæ volunt, omnes species esse in Angelo à natura fluentes, tanquam passiones proprias essentiæ. Ita Capreolus 2. *d*. 3. *quæst*.2. *art*.3. Caietan. *quæst*.54. *art*.4. & *quæst*.55. *art*.1. Bañes *ibidem*, *art*.2. Nazar. *ibi*, *controu*.1. Ripa Pesantius, Cabrera 3. *part. quæst*.9. *art*.3. Granad. *tract*.2. *de Ang. disp*.3. Medina *quæst*.55. *art*.1. vbi Valentia *part*.2. *q*.6. qui ideò inferunt, scientiam in dæmonibus non fuisse imminutam.

58 CÆTERI communiter negant, species Angelis congenitas & ab essentia fluentes, sed aiunt, fuisse à Deo in creatione concreatas extrinsecùs. Ita Ferrar. 2. *cont. Gen. cap*.98. Zumel.*prima parte*, *quæst*.55. *art*.2. *quæst*.2. In hoc assentiuntur Molina *ibi*, *disput*.2. *memb*.3. Suarez, *lib*.2. *de Ang. cap*.7. Amicus *disput*.9. *sect*.6. Lezana *tract*.6. *disput*.2. *quæst*.7. Auersa *quæst*.55. *sect*.2. Salmaticenses *ibidem*, Albertinus *tom*.1. *princ*.1. *corrol*.8. Tannerus *disp*.5. *quæst*.3.*dub*.2. Morand.*tract*.7.*quæst*.19.Præposit. *hic*, *art*.2.*dub*.2. Idem sentiunt Arrubal.Alarcon.Rada 2.*part. controu*.9. Malonius 2.*d*.3.*disp*.11. & alij apud Suarez Morandum, & alios, longa serie descripti. Est autem D.Thom. *quæst*.55. *art*.2. *in fine corporis*, & *ad* 1. & 3. *part. quæst*.9. *art*.3. quem referunt Suarez *loco citato*, & Vasquez *disp* 201. consentiens.

Idipsum senserant Albertus 2.*part.summæ*;*tract*.4. *quæst*.14.*memb*.3. *art*.2. & *lib.de quatuor coæuis*, 1.*p*. *q*.5. *art*.12. Argentina *in* 2.*d*.3.*q*.2.*art*.4. Ægid. 2.*p*. *q*.2.*art*.1.& 2.Heruæus *q*.4.*art*.3.à quibus non longè abest Henricus allegatus *quæst. præcedenti*, ponens illum habitum concreatum.

59 Ex his multi, tametsi nolint admittere, posse Angelos accipere species à rebus corporeis; concedunt tamen, posse à spiritualibus. Ita Morandus, Auersa, Suarez, Tanner. & Arriaga: id valdè probabile existimant, quia non adest in spiritualibus improportio, quæ in corporeis habetur. Subscribit Fuliensis *lib*.3.*c*.3.

Reliqui verò, extra Thomistas, de possibili nil ferè definiunt. Multi tamen ea ratione vtuntur ad probandum, Angelos non accipere species à rebus corporeis; quia corpus non potest agere in spiritum. Quæ tamen ratio leuior est: tum quia obiectum non agit in potentiam, vt dixi *quæst. præced.* tum quia, si produceret speciem intelligibilem ad præsentiam Angeli,non adhuc ageret in Angelum. Quod si obstaret, è re corporea educi speciem intellectiuam; obstaret eam etiam è phantasmate erui; sed hæc infrà discutiam.

Caspensis verò *disp*.2. *sect*.2. id negat; quia non decet, nec absentium species spiritualium possent per medium deferri corporeum.

SERAPHICVS est in hac opinione singularis. 60
Asserit ergo,de facto, Angelos habuisse omnes species vniuersalium, quæ dicuntur scientificæ, concreatas, non à natura manantes; sed vt explicet, quo pacto intelligant indiuidua,multis vestita accidentibus, quæ in specie vniuersali non resplendent, v.g.videant Petrum,quem è specie vniuersali noscere possunt esse animal rationale, non tamen album, musicum, doctum, &c. dicit, Angelum, habentem species harum omnium rerum, posse virtute earum defigere intuitum in Petro, & virtute earum videre Petrum album,doctum,musicum,&c. intellectu eas species componendo. Addit: sic & indiuidua reuelata ex auditu cognoscere per species concreatas componendo. Tandem concedit Angelo intellectum agentem, & possibilem ad naturalem perfectionem, & vt posset species à creaturis abstrahere, si nouæ aliquæ vltra existentes crearentur. Quare concedit, Angelum posse etiam à corporeis rebus abstrahere,è quibus apparet,in quo cum suprà relatis sententiis conueniat, & ab eis differat.

ASSERO primò, non repugnare Angelico intellectui abstrahere species ab obiectis spiritualibus; si eas non haberet. 61

PROBATVR euidenter à D.Bonau.Non est inferioris conditionis substantia spiritualis, quàm corporea, aut eius accidentia. Sed substantia sensitiua accipit species intentionales; & accidentia eas ad sensoria emittunt: ergo & Angelus potest species emittere,& recipere; alioqui Deus ei deesset, si talem illi virtutem non contulisset. Neque posset eas recipere per sensus, quorum natura illa nobilis est incapax. Neque emittere ad humanum intellectum corpori coniunctum,qui non exprimit species, nisi

nisi e phantasmatibus. Neque ad intellectum separatum; quia si nequit emittere ad potentiam Angeli validiorem, multò minùs ad humanam debiliorem. Itaque talis virtus, quam ostendi Angelo debitam, iam erit frustrà.

62 Admonet tamen Lezana è D. Bonau. *loco cit. in corpore*, non fieri hanc emissionem nouam nunc, aut receptionem, quia Angelus habet species infusas, vt dicam. Neque tamen recte infert Mastrius *n.* 154 eam virtutem esse superfluam, quia non exigit nunc reduci ad actum, vt notat D. Bonau. nisi Deus alia noua creet, quæ absque negirentur ab Angelo percipi. Neque dicas Deum suppleturum eo casu, quia natura Angeli hanc exigit perfectionem, vt ostendi *quæst.* 3 cum ipso Mastrio.

63 Ex quo etiam ruit responsio Suarez, talem potentiam actiuam fore superfluam, quia secundum ordinem naturalem non potest operari talem effectum ... potentiam passiuam; quia intellectus Angelicus nunquam est in potentia, respectu talis actus, sed semper, atque necessariò habet illum. Quo principio, malè Nazarius *q.* 55. *a.* 2. *controu.* 1. ait ruere omnia nostra argumenta, supponentia, Angeli intellectum esse capacem speciei nouiter ab alio recipiendæ, quod est falsum, ait ipse.

Ad tertiam Suarez rationem ex parte specierum, quæ exigunt concreari. Has tamen rationes solubiles fatetur, & meritò, assumant enim quod deberent probare, petendo principium. Nos enim in nostra ratione eas repulimus.

64 Assero secundò, posse Angelicum intellectum etiam ab obiectiùis materialibus recipere species, quas non haberet.

Probatvr primò, destruendo fundamentum aduersantium; Quod corporea, cùm sint improportionata, nequeunt species spirituales emittere. Quod fundamentum vocat Suarez *cap.* 6. demonstratiuum, & asseritur à D. Bonau. *secundo fundamento*, non tamen recipitur *in corpore*, vbi mens Doctoris Seraph. semper attenditur. Sanè hoc aliàs etiam admonui; non semper omnia argumenta, quæ in margine inscribuntur fundamenta, esse loco fundamentorum facienda: nam afferentur sæpe solùm, vt, opposita præcedenti, sententia demonstretur, quæ tamen *in corpore*, moderamine, vel distinctione aliqua, non absolute acceptatur. Hoc igitur fundamentum sic diruitur à D. Bonau. *in corpore*, ratione, qua nititur Scotus 4. *dist.* 45. *q.* 2. & cum eo Mastrius *disp.* ... *de anima*, *n.* 20. & *hi*.. Intellectus separatus est valde ... quàm corpori alligatus sed intellectus alligatus ... Angelico est imperfectior, potest à re corporea abstrahere species intellectuales: ergo multò magis ... intellectus separatus maximè Angeli. Minor probatur; quia intellectus agens noster ... a phantasmatibus, in materia corporea ... speciem spiritualem: ergo.

65 Nec valet responsio communis Thomistarum, ... D. Bonau. *loc. cit.* non posse obiecta corporea immediate speciem intellectui imprimere; sed prius oportere eam spiritualizari in phantasmata.

66 Contra: Quia adhuc, & ipsum phantasma est ... extensum: parum autem est, quod sit ... minùs materiale, quàm sensibile obiectum ... adhuc continetur in serie entis quanti. P... intellectus noster separatus sit multò lib... & expeditior, quàm coniunctus; ma... quoque habebit virtutem abstractiuam: ergo, quamuis coniunctus eg... at adminicul... imaginationis ad abstra... speciem, ea tamen non eget separatus; sed immediate species potest abstrahere.

Respondet Amicus *disp.* 9. *n.* 89. fassus, esse grauem difficultatem: primò, negando, phantasmata concurrere actiuè ad productionem speciei intelligibilis; sed solùm exemplariter; Cui arridet Granadus dicens: phantasma non efficere in nobis speciem spiritualem, sed esse meram conditionem, quâ positâ, intellectus solus eas species efficit. Vnde non adhuc habetur; rem corporeà agere in spiritualem. 67

At cùm in obiectis externis admittatur vis producendi, simul cum potentia, species subtiliatas; non videtur id phantasmati denegandum; tametsi non concurrat actiuè ad actum vitalem.

Respondet secundò Amicus, phantasma, vt eleuatum à sua materialitate, esse instrumentum ad speciem producendam. At id satis tenet, quia adhuc extensum est.

Respondet Nazarius ex Caietano, phantasma esse mediū inter esse corporeum, & spirituale, atque adeò supremum eius tangere posse infimum intellectualis, se illi coniungendo; nec posse extremum corporeum vniri immediate cum alio extremo spirituali, sed dandum medium necessarium in causando, iuxta regulam S. Dionysij *de Diu. nominibus*.

At verò; esto hic ordo intercedat in agente inferiori, vt imaginatio sit media intellectui coniuncto corpori, tamen non arguitur idem ordo in abstracto, maximè nobiliori, ob regulam eiusdem S. Dionysij. *quæ virtutes sunt sparsæ in inferioribus, vniuntur in superioribus.* Miratur autem meritò Bassolis, Thomistas adeò zelari hunc transitum per medium, cum prætendant, dari transitum ab extremo loco ad alium extremum, absque transitu per medium, non alia ratione, quam, quia *quod est medium virtuti minori, non est medium maiori.*

Deinde vergo. Ratio producendi speciem in phantasmate relinquit ratione obiecti repræsentati, cui assimilatur species; vt dicit Nazar. ergo res ipsa corporea est actiua ad productionem speciei. Quod verò addit, requiri, vt conditionem, esse spirituale imaginabile nil facit: nam adhuc est ordinis extensi. 68

Vrget adhuc Scotus 2. *dist.* 3. *quæst.* 11. & cum eo Mastrius *n.* 157. quia quamuis obiecta sint materialia; non obstat, quia valeant concurrere ad imprimendam speciem in intellectu Angelico; sicut concurrit phantasma ad imprimendam in intellectu coniuncto, sed materialitas obstat solùm, ne obiecta materialia taliter imprimant speciem in intellectu. Ratio a priori est, quod assignat Scotus 1. *d.* 3. *q.* 7. & post eum Arriaga, & Mastrius: 69 quia ad operandum non est necesse, vt omnes concausæ, seorsim sumptæ, sint eiusdem ordinis cum effectu, & eiusdem perfectionis; sed sufficit, si aggregatum ex omnibus causis, tali polleat præstantia. Confirmatur ab Arriaga ex principiis Thomistarum; quia vni imperfecto accidenti tribuunt producere substantiam; at perfectior est sanè forma substantialis, comparata ad accidens, quàm sit substantia solis, comparata ad vnam accidentalem cognitionem Angeli de Sole. Hac ratione delectatur Mastrius.

Instat tamen Suarez, non posse obiectum materiale, vel spiritualem producere speciem quia non est proportio agentis, & effectus. Addit Auersa, non apparere, qua ratione intellectus Angeli possit vniri cum obiecto corporeo ad eliciendam speciem. 70

At non est necessaria proportio commensurationis; alioqui nec Deus intelligere posset obiecta corporea, si sufficit vero proportio mouentis, & mobilis, saltè a ... a causa proportionata. Ita obiectū, agente intellectu spirituali, potest emittere speciem:

&

& hæc est vnio virtualis sufficiens. Addo, speciem esse ens diminutum, quod non exigit tantam virtutem ad sui productionem, quanta requiritur ad producendum ens naturale spirituale.

Instat Pater Iordanus *num* 712. quia phantasma, etiam adiutum, est improportionatum, ac proinde nequit concurrere effectiuè ad speciem producendam; multò minùs obiectum ipsum corporeum id poterit.

71 Posset responderi, necessariò concedendum alterutrum; aut obiectum materiale concurrere ad producendum phantasma; & hoc ad producendam speciem; aut saltem ex obiecto erui à potentia sensibili phantasma, & ex phantasmate produci ab intellectu speciem intelligibilem; alioqui non remanet alius modus, quo producatur; & vtrouis modo res materialis concurrit ad rei spiritualis imminutæ productionem.

Vrget secundò; nimis imminui acumen intellectus Angelici, si eum cogimus intelligere solùm obiecta præsentia, secundùm locum, & difficulter saluatur, Dæmones audire veneficarum inuocationes, cùm probabile sit, eos sæpè esse absentes. Confirmatur: quia, si Angeli possunt accipere species ab obiectis corporeis: ergo & animæ separatæ, contra Concilium Senon. *in decret. fidei*, *cap.* 13. & D. Augustinum, ac Gregorium dicentes, animas separatas, nil posse de nouo cognoscere, nisi per reuelationem.

72 Respondetur, si de actu loquamur, eos habere species vniuersales, easque componere ad videnda singularia; nec enim habent omnes species singularium, vt dicam.

Quoad animam dico, hos PP. loqui assertiuè; scilicet, animas beatas scire, quæ fiunt in terris, Deo reuelante, vt orent pro nobis, non autem negare, vt assumitur, nil aliter percipere.

Probatur tertiò à D. Bonau. *in corpore*, argumento, quo vtitur Scotus *quæst. cit.* §. *Respondeo ergo*: Mastrius *num.* 139. & alij; quia Angelo non debentur omnes species omnium obiectorum particularium, quæ sunt possibilia: ergo horum cognitionem habere debet accipiendo species, aut ea ignorare.

Addit Scotus, quod etiam de facto, cùm species vniuersales non valeant ostendere distinctè indiuidua, deberet Angelus habere species categorematicè infinitas.

At S. Doctor id non admittit; sed potiùs negat in responsione *ad* 3. *&* 4. quia de facto, speciebus vniuersalium compositis, indiuiduorum species supplet; vt infrà ostendam.

73 Pro futuris autem, vel possibilibus indiuiduis alienarum specierum, si crearentur, ait Suarez, Deum suppleturum. Addit Arriaga rationem; quia dedeceret Angelum, si noua apparerent creata, cogendum cursitare per orbem, vt species ex eis hauriret, nec posse distantem intueri omnia. Deum verò eorum, quæ eueniunt, puta actionum hominis custoditi, Angelo custodi speciem dare.

Sed recurrere ad Deum, vbi natura supplere potest, non est conueniens; posse verò naturaliter hoc fieri; & iam ipse Arriaga *hic*, *&* *quæst.* 3. concessit; materialia enim posse immittere Angelo speciem asseruit, vt aduertit Mastrius *n.* 140. Cur ergo ait, Deum supplere?

Assero tertiò, Angelum de facto habere omnes species scientificas, idest vniuersalium, concreatas, non indiuiduas.

74 Probatur *primo loco* à D. Bonau. primò, auctoritate, quam assumunt Bañes, Ioannes de S. Thoma, & cæteri Thomistæ, *ex* 28. *Ezechielis*, vbi dicitur: *Tu Cherub plenus sapientia, & decore, à die conditionis tuæ*. Quem locum exponunt de Lucifero Patres recensiti, *quæst. præcedenti*.

Respondet Mastrius *art.* 4. ibi sermonem esse de sapientia supernaturali; sicuti & de pulchritudine gratiæ: & huic alludere S. Dionysium *cap.* 7. *de D. n. nom.* dum ait, Angelos non congregare diuinam cognitionem à rebus sensibilibus.

Respondet secundò cum Fabro, & Arriaga; dato, ibi sit sermo de sapientia naturali, satis esse, si habuit species vniuersalium; sic etiam de iusto quocumque canit Ecclesia: *Repleuit eum Dominus spiritu sapientiæ*; etiamsi non nouerit omnia particularia. Plenitudo ergo illa denotat magnam scientiam, quæ saluatur in speciebus vniuersalium. Adde (esto) ad praxim, habuisse species ad ea indiuidua, quæ oportebat, cognoscenda: cæterorum verò indiuiduorum species (aiunt Scotistæ) pro tempore accipi à rebus.

Omitto primum responsum deficere, in Scotistarum etiam sententia, qui sapientiam, etiam naturalium, ad eum locum planè explicandum, necessariam autumant. 75

Contra alterum responsum arguit S. Doctor *in corpore*. Si Angelus haberet species vniuersales, repræsentarent omnia indiuidua, *verbi gratia*, species hominis repræsentaret quemcumque hominem, & hæ solo numero differrent, sicuti duo homines. Quod si Angelus acciperet speciem vnius hominis, iam hæc species, etiam solo numero differret à specie, iam inhærente; & multò magis, si haberet speciem infusam, v. g. Michaelis, & rursus eum videns reciperet aliam; quia enim productio specierum non est voluntaria; sed naturalis: ideò obiectum præsens potentiæ speciem produceret, vt notat Suarez. Quòd verò toties speciem produceret, quoties reuideretur, vt ipse infert, est dubium commune, etiam in obiectis sensibilibus, quæ pluries nobis occurrunt, vt notat Arriaga, & Mastrius. Iam verò si ita ingeminarentur species in eodem intellectu; sequeretur, duo accidentia eiusdem speciei, solo numero distincta, esse in eodem subiecto. Sed hoc non potest fieri: ergo. Sequela patet. Minor probatur ex Aristotele 76
5. *Metaph. cap.* 6. vbi ait: *Quæcunque accidentia sunt in eadem substantia, specie differre*. Ideò duæ albedines, solo numero distinctæ, nequeunt in eadem quantitate manere distinctæ. Ratio est: quia accidentia eiusdem speciei non habent à quo indiuiduentur in eodem subiecto; sed accidentia diuersæ speciei benè indiuiduari valent; ac propterea albedo, & dulcedo, in eodem lacte manent distinctæ. Hæc est communis sententia, vt docet Tostatus *ad* 23. *Exod. q.* 60. Idem argumentum habet Seraphicus *in* 3. *d.* 14 *art.* 3. *q.* 2. *fundamento* 4. Idem sensit D. Thom. 3. *p. quæst.* 35. *art.* 5. vbi Caiet. Medina & alij Thomistæ. Ideò D. Thom. 1. *p. q.* 55. *art.* 2. *ad* 2. ait, quod, etiamsi Angelus posset à rebus abstrahere species, non abstraheret; quia illas haberet. Hac ratione vtitur etiam Suar. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 20.

Contra hanc rationem insurgit Scotus 3. *distinct.* 8. *quæst. vn.* & Faber *dist.* 21. *c.* 3. In omni ordine essentiali, cum vnitate prioris, potest stare pluralitas posterioris naturaliter, si illud posterius non inhæreat per se, & adæquate illi priori. Sed subiectum est prius essentialiter, omni dispositione ipsum consequente; ac inhærente per accidens, & inadæquatè: ergo cum vnitate subiecti potest 77

ftare pluralitas formarum: ergo possunt duo accidentia, solo numero distincta, stare in eodem subiecto. Maior patet: Nam vnica causa potest producere plures effectus.

Respondetvr, maiorem esse vniuersè falsam: nam, cùm accidens indiuiduetur à subiecto, ità vt, si definiretur, includeret hoc subiectum; non potest aliud accidens admittere; solo distinctum numero: accidens enim, cùm posterius sit subiecto, illique adhærens, & ad illud intrinsecè inclinans, non potest aliunde indiuiduari. Sic enim & forma ipsa substantialis, à propria materia, cui vnitur, est indiuiduata; neque est simile de causa extrinseca producente varios extrà effectus.

Instat Faber: actus secundi, alterationes, motus locales, &c. sunt accidentia, sæpè solo numero multiplicata in eodem subiecto.

78 Respondetvr. Indiuiduantur à subiecto, dum sunt in eo; non autem repugnat successiuè plura in eodem subiecto manêre distincta, vt plures motus.

Instat secundò. Si accidentia indiuiduantur à subiecto, non poterunt duo accidentia, etiam specie distincta, in eodem subiecto remanere.

Respondet D. Bonauent. & Abulensis, talia accidentia habere formalem distinctionem à se, & ideò manere distincta.

79 Instat tertiò. Si subiectum est ratio constitutiua indiuiduationis accidentis; idem subiectum non poterit ingredi indiuiduationem duorum accidentium, numero distinctorum: quia tunc non essent duo, sed vnum, cùm ratio indiuiduans sit vna in vtroque.

Respondetvr, nos non dicere, subiectum esse rationem adæquatam indiuiduationis singulorum accidentium; sed inadæquatè vnum accidens respici à subiecto hoc, quod potest alia ratione, etiam alia indiuiduare, & hoc responsum latet *in primo Scoti argumento*: illa enim accidentia inadæquatè insunt subiecto, & ideò inadæquatè accipiunt virtutem indiuiduantem.

Vrget secundò Scotus: plures species phantasticæ, solo numero distinctæ, sunt in eadem phantasia, vt phantasma Petri, & Pauli. Addit Faber plures species albedinum, plura lumina; vt ait S. Dionysius.

80 Respondetvr, illas species esse specie distinctas. Magis enim differũt phantasma Petri, & Pauli, quàm duo phantasmata Petri, numero distincta; diuersificantur autem è suis originibus: habent enim conditiones diuersas specificas, vt species Petri albedinem, Pauli nigredinem, & alia diuersa indiuiduantia, specie vel genere diuersa; non sic duæ species essentiales nudæ. Quoad species geminas; alteram concreatam: alteram acquisitam; non est eadem ratio; quia solo numero differunt. Vnde non habent aliam distinctionem formalem, à quâ distinguantur.

Quo ad lumina, & similitudines in speculo; respondet S. Doctor. Idola, & lumina in medio distingui è suis originibus; & ideò non indiuiduari. Deinde sufficit species figuræ ad distinguenda ea Idola.

81 Instat Faber. Sint duæ albedines eiusdem quantitatis, figuræ, intensionis; quis negabit immittere species distinctas?

Respondetvr, esse duas in repræsentando diuersas, magis, quàm duas species alterius, ex illis aliis: quod non esset diuersum, sed idem, licèt diuersas numero species emitteret.

Respondetur secundò, illas albedines indiuiduari in propriis distinctis figuris, & has in quantitate Petri, & Pauli: & hoc reor velle Seraphicum, cùm ait *in corpore*, sufficere figuræ speciem cum numero: at duæ species Petri non habent fundamentum distinctionis, cùm eodem numero innitatur, dum ab eodem numero obiecto emittuntur.

Arguit verò S. Bonauent. contra Scoti responsum. Species est totum esse formale indiuiduorum, vt ait Porphyrius *c. de Proprio*; nec est indiuiduatio, nisi ex coniunctione materiæ cum forma. Si species existens in intellectu omnino abstrahit à materia; nullo modo possumus ponere in eodem intellectu formas, vel species, solo numero differentes.

Probatvr secundò assertio à D. Bonau. *fundamento* 2. quò ad materialia, non posse Angelum eorum species abstrahere; sed necessariò debere eas habere concreatas, ne concedamus ea Angelum ab initio ignorasse. Quod tamen absolutè non probat contra priorem assertionem Angelum non posse recipere species à rebus materialibus: sed supposito quod ab initio Angelus eas non ignorauerit; Illæ species, quæ necessariò per sensus hauriuntur, non possunt ab Angelo, sensibus carente, abstrahi. Sed species rerum corporearum necessariò per sensus hauriuntur: ergo. Minor probatur ex D. Aug. 9. *de trin. c. 6.* vbi ait: mentem rerum corporearum notitiam per sensus necessariò colligere, sed incorporearum per semetipsam. Confirmatur, quia res corporea ordinis inferioris improportionata non potest monêre spiritum. Rursus species, quas emittunt corpora sunt extensæ, atque adeò nequeunt in Angelico intellectu indiuisibili subiectari. Hoc tamen moderatur, vt dixi, & soluit. Confirmatur à D. Thom. Transeuntem ab extremo ad extremum, oportet transire per medium: at medium inter esse corporeum, & spirituale, est phantasticum: ergo, vt fiat species spiritualis in Angelico intellectu, è corpore debet educi species sensibilis, atque phantasma per organa; at Angelus caret organis: ergo. Hoc argumentum vrgent Vasque Tannerus, Morandus Caietanus Bannes, Nazarius, & cæteri Thomistæ: & acclamatur à Suarez Demonstratio. 82

At S. Bonauent. ipsum non æstimat tanti ponderis, vt, ob illud concedere velit, non posse Angelum abstrahere species à corporibus: neque enim repugnat corpus materialiter se habere intellectui Angelico ad species elambicandas, vt dixi. Nequè repugnat corpus emittere ens spirituale diminutum virtute spiritus: neque repugnat agere in spiritum actione metaphorica. De quibus vide, quæ dixi suprà. Sic respondent Scotus cum suis, Arriaga, & alij. 83

Probatvr tertiò à Seraphico ex Proclo *lib. de causis, propositione decima*, vbi dicitur: *Omnis intelligentia est plena formis.* Qua authoritate nititur Scotus.

Probatvr quartò ab eodem S. Doct. Si Angelus non haberet species concreatas, iam fuisset in omnimoda potentia, velut tabula rasa; sicuti noster intellectus à natalibus, *ex 3. de anima, text.* 14. at verò Angelus ab initio est in actu saltem primo respectu vniuersaliũ, quæ sunt obiecta scientiæ. Est enim medius inter Deum, qui est semper in actu secundo; & nos, qui ab initio sumus in pura potẽtia. Hac ratione conuictus Scotus, concedit Angelis esse concreatas species vniuersalium, de quibus est scientia; licet non singularium; de quibus non est scientia. Eadem ratione vritur Suarez *lib. 2. c. 6. n. 17.* 84

Valentia

Valentia *disp.4.quæst.6.punct.2.* huiusque rationem addit : quia Angelus est substantia à corporea concretione segregata : ideò non debet esse, sicut nos, in potentia.

85 PROBATVR quintò à S.Doctore. Res ab initio habuêre esse in Verbo, in seipsis, & in Angelico intellectu, vt differit S. Augustinus 4. *de Genes. ad litt. cap.32.* & quidem ait, in intellectu Angelico esse perfectiori modo, quàm in mundo, quoad expressionem : ergo si in mundo res habent seminales rationes ab initio, vt nil esset noui : quia requieuit ab omni opere, septima die : ergo multò magis in Angelis habent species. Hoc argumento vtitur pro suo intento Arriaga *sect.2.*

86 PROBATVR sextò *in corpore*. Illæ species sunt Angelo concedendæ, quæ faciunt ad scientiam perfectam habendam : sed hæ sunt species vniuersalium : ergo. Maior patet ex dictis : quia Angeli creati sunt pleni scientiâ. Minor probatur, quia ex Aristot. *de vniuersalibus, non de singularibus, est scientia.* Hoc argumento ostenditur, non fuisse Angelo concreatas species singularium.

RESPONDET Suarez, de singularibus in Angelo dari scientiam, sicut datur in Deo : quia qui cognoscit ea, vt scibilia sunt, ea scientificè intelligit. Addit, Angelos, cognoscendo singularia, videre in ipsis etiam vniuersalia.

87 CONTRA, quia, vt singularia, non sunt per se obiectum scientiæ : non enim habent esse fixum, quod ad scientiam exigitur, quæ ideò dicitur esse de æternis, seu de essentiis, quæ sunt æternæ veritatis ; at qui singularia contemplatur, eorum mutationibus, suam ab eis cognitionem agnoscit immutari, à quibus notitiam accipit ; nec est simile de Deo, qui scientiam non accipit à creaturis, vt ostendi, *tract.1. disput.12.* & indicat S. Bonauent. *hic*, initio *corporis*, & *in secunda opinione confutanda.* Quamvis autem in singularibus sit natura, quæ potest abstrahi ; & hoc modo fiat in nobis vniuersale, vt notat Seraphicus ad vltimum, hæc tamen scientia imperfecto modo incedit ; ideò in Angelis debent dari species scientificæ, cùm in singulis indiuiduis non inueniatur natura vniuersalis formaliter ; sed fiat per intellectum, vt docet ipse Suarez, *disput.6. Metaph. sect.2.* cum D. Bonauent. *in 3. distinct.5. quæst.4. fundamento 3.* vbi allegat etiam Damascenum *lib.3. de fide, cap.1.* D. Thomam *de ente, & essentia cap.4.* cum Thomistis. Quidquid enim est à parte rei, est singulare hoc, & illud, vt ostendam *tr.5. d.5.q.4.*

88 QVOD si ab initio habuisset Angelus species omnium singularium, iam cognouisset omnia contingentia, omnes cogitationes nostras, & actiones liberas per totum æuum, quæ sunt infinitæ, quod est falsum, vt arguit S.Doctor *in corpore, & in argumento quartò opposito*, & cum eo Scotus *dist.3.q.10.§.Ita opinio*, & Faber *disp.26.cap.3.* Tunc enim daretur infinitum actu.

OBIICIT Suarez. Cognitio vniuersalis speciei, non dat distinctam notitiam singularium, quia singularia in specie vniuersalium non distinguuntur : ergo cognosceret singularia confusè, quod Angelos dedecet. Confirmatur : quia species vniuersalis non similatur cuilibet singulari perfectè : nam in indiuiduo hominis, v.g. non sunt egregia corporis forma, magnanimitas, fortitudo, sapientia, iustitia, quæ LVDOVICVM XIV. Galliarum Monarcham diuinitus constituunt. Hoc est argumentum vltimum D. Bonau. ad oppositum.

89 RESPONDET S. Doctor, quòd Angelus per species vniuersalium venit in præclaram indiuiduorum notitiam, aspiciendo singularia ; eisque applicando species vniuersalium, quotquot necessariæ sunt, v.g. in MAGNO LVDOVICO speciem humanitatis, pulchritudinis, &c. & sic egregium Monarcham intelligit, vt dicam *quæstione sequenti.*

ASSERO quartò, species, quas habuit Angelus ab initio, non emanasse ab eius essentia, vt proprietates, sed à Deo extrinsecùs concreatas.

90 PROBATVR à S. Bonauent. *argumento secundo ad oppositum*, quod in hoc ab eo recipitur. Quæ fluunt ab essentia, sunt determinata ab ipsa essentia, tanquam à principio. Sed Angelus habet pro obiecto omnia cognoscibilia : ergo habet omnes species cognoscibilium, manantes ab essentia innatas, atque adeò scientiam infinitam, & sic omnes cogitationes in æuum futuras, omnia contingentia, omnia possibilia actu cognoscit, quia eorum omnium species ex Angeli manant essentia, quæ est actu perfecta secundùm omnia essentialia. Hoc argumento vtuntur Suarez, & alij mox adducendi.

RESPONDET Granado, Deum creasse Angelos tales, qui haberent connexionem cum talibus speciebus determinatis.

AT hoc est sine fundamento diuinare, vt notat Arriaga *sect.4.num.29.*

91 Bannes respondet, concedendo, in casu nouæ creationis, Angelum non cogniturum res nouiter conditas, sine noua specie infusa, tamen problema esse, an talis species esset naturalis, vel supernaturalis.

Hoc non elidit argumentum, quia si noua species esset infundenda : ergo non dedit Angelo passiones respondentes naturæ intellectiuæ, quæ omne ens respicit. Deinde impertinens est, aliquas species non emanare ; quia Deus liberè decreuerit hoc creare. Quæ enim ab essentia fluunt ; necessaria, & determinata sunt, vt arguit Mastrius *d.2.num.121.* cum Rada, & S. Bonauent. profectò enim, si Deus alias res condidisset, Angeli alias haberent species, vel eas ignorare cogerentur.

92 PROBATVR secundò à Seraphico, *argumento 3.* quo nituntur Scotus *t.d.3. quæst.7.* apud Mastrium *d.2. num 149.* Arriaga, Amicus, Auersa, & alij passim, quo tandem conuincitur Ioannes à S.Thoma. Vt haberet à natura Angelus omnes rerum species emanantes, deberet in se habere rationem formalem rerum formaliter, vel ad minimum virtualiter, vel eminenter ; sed Angelus non habet rationem omnia continentem : ergo. Probatur minor à D. Bonauent. quia haberet in se præsentia, omnia absentia ; omnia futura contingentia, & ita Angelus, qui est hic, videret quod fit apud Antipodas, contra Scripturam, quæ missiones Angelorum recenset ; proculdubio, quia non habent omnia præsentia. Videret omnia arcana mentium, contra Scripturam, id soli Deo adscribentem. Sic Angelus stans in Empyreo sciret omnia huius mundi, quod est falsum ; sic tollerentur reuelationes, &c. de quibus Ephes.3. *Vt innotescat principatibus, & potestatibus, &c.* vt exponitur à Glossa. Probatur sequela : quia species, manantes ab essentia Angeli, debent complecti totum obiectum intellectus Angelici, ne sint diminutæ, & deficientes.

93 PROBATVR tertiò : quia, vt ait S. Doct. haberent omnes species à natura determinatas, pro

omnibus intelligendis; & ità scirent omnia, quæ ventura sunt, neque egerent illuminati, purgari ab ignoratis, tollerentur collocutiones Angelorum, aut essent otiosæ: quia alter alterius verba ab initio percepisset, & sexcenta alia absurda inducerentur.

Obicies primò contra primum assertum cum Thomistis. Si posset Angelus noui ordinis conditus producere sui speciem in mente Angelorum, illaberetur in mentem eorum; sed illapsus, est proprius Dei: ergo. Probatur sequela: quia illapsus est penetratio ad immutandum. Vrgent: quia sic penetrando, posset arcanas illorum cogitationes naturaliter peruadere. Hoc argumentum è D. Bonauent. 2. *dist*.8. *part*.2. *quæst*.2. contra tertiam sententiam excerptum, vrget asserentes, vnum Angelum intelligi ab alio non per speciem solam;
94 sed per essentiam: At eò magis nobis innoxium, quò species non effectiuè, sed materialiter tantùm, seu exemplariter se habet, iuxta probabilem sententiam. Hanc rationem afferam *quæst*.8. Itaque nunc negatur sequela, quia ad productionem speciei non est necessarius illapsus substantialis; sed sufficit assistentia, alioqui omne obiectum immutans nostrum intellectum exemplariter per sui speciem, illaberetur: & ita Petrus à me visus, suâ specie peruadens meum intellectum, posset arcana mentis meæ scrutari, quod est ridiculum.

Obiciunt secundò ex immaterialitate obiecti. Si crearetur spiritus, inferior omnibus Angelis, non posset emittere speciem spiritualem æquè ac potentia Angelorum: ergo non posset ab eis percipi: & idem argumentum de facto probat, non posse Angelum superiorem percipi ab inferiori.

95 Respondetur, eum spiritum fore materialem; sicuti & sunt cæteri; spiritualem tamen, atque emissurum speciem ordinis spiritualis, quam non est necesse perfectione adæquare obiectum, vt constat, imò & species spiritualis Petri, cùm diminuta sit, est Petro imperfectior.

Obiciunt tertiò. Angelus creatus deberet producere speciem per medium corporeum improportionatum, ad deferendam speciem spiritualem ad aliquam distantiam.

Respondent cum S. Bonauent. Auersa, & Mastrius, non esse necessarium medium ad actionem spiritualem; eò minùs, quò obiectum non agit in potentiam; sed solùm exemplariter se exhibet in moderata distantia, vt notat Seraphicus Doctor, *dist*.8. *part*.2. *quæst*.2. *fundamento* 1. ex D. Fulgentio *de fide*, *cap*.3. Itaque non exigitur, vt ad modum materialium, materialibus applicentur proportione situali; sed sufficit applicari virtualiter intellectui Angelico, vt docet S. Doct. *ibi*, *ad* 2.

96 Obiciunt quartò. Vel talis species produceretur naturaliter, vel liberè: non secundum; quia esset in potestate vnius Angeli se abscondere, quando præsens existit, vt ab alio non cognoscatur: neque primum; quia, alioqui sicut substantia, ita & secretæ cogitationes emitterent species ad cæteros Angelos.

Respondetur, productionem specierum esse naturalem, neque ob id sequitur, exponi arcanas cogitationes; quia hæ sunt voluntatis regimini subordinatæ, vt dicam *quæst*.12.

Instat Suarez. Si naturaliter producuntur: ergo quoties Angelus recens occurreret, semper speciem nouam, vtique solo numero distinctam, produceret in vidente.

Respondetur ex D. Bonau. negando sequelam, quia natura nil frustrà facit. Ideò potentia naturalis productiua speciei, cùm aliam habeat eiusdem obiecti, non applicaret se ad nouam producendam; sed ad obiectum videndum, specie iam inhærente: obiectum verò cùm materialiter solùm se habeat in prima productione, non ageret in sequentibus occursibus: & hæc difficultas viget in omni occursu nouo eiusdem obiecti: ex quo habeo, non rectè Mastrium *num*.165. negare Suario, Angelum non esse liberum, ad primam cognitionem obiecti habendam; sed quoad sequentes esse liberum; quia potest ad libitum vti speciebus obiectorum, quæ primò fuere impressæ, & adhuc permanent. 97

Contra enim est: quia semper obiectum se habet naturaliter; Similiter & potentia actiuè, atque ideò eodem modo connectitur cum libertate, vt si prima vice naturaliter respicit; & recipit species: ita & secundâ, occurrente obiecto eodem, species iam recepta se exhibeat. In vtroque autem casu possit se distrahere à cogitando. 98

Contra secundam assertionem vrgent argumenta, ex improportione corporis ad spiritum; sed de his satis à *num*.64. dictum est.

Obicit primò Scotus contra eam partem tertij asserti, quâ dicitur, non recipi ab Angelo species aliquas singularium: nam Angelus habet intellectum agentem, & possibilem: ergo ad abstrahendas species; sed non vniuersales, ne dicatur à creatione ignorans: ergo singularium.

Respondetur, ex hoc non colligi, Angelum nunc recipere nouas species, vt dixi *quæst*.3. non enim eget nouas recipere, cùm satis per compositionem vniuersalium, quas habet, intelligat indiuidua, vt dicam *quæst*. *seq*. Igitur intellectus agens, & possibilis est ei ad naturalem perfectionem, ad compositionem specierum, & ad nouarum rerum species hauriendas. 99

Obicies secundò. Quod per causas secundas haberi potest, non debet à Deo solo produci, cùm Deus sinat res suos motus agere; sed species singularium possunt cum vniuersalibus causari à creaturis: ergo.

Respondetur, id factum à Deo, vt Angelus ab initio esset sapiens per species vniuersales scientiarum, & ad alios fines relatos *quæst*.4. Imò sic retorqueo. Deus non debuit concreare id, quod potest à creatura haberi; sed scientia naturalis potest sic haberi: ergo neque scientias debuit infundere.

Obicies tertiò. Lumen intellectus Angelici est validius humano; sed hoc abstrahit: ergo.

Respondetur, hoc probari tantùm posse; non autem de facto abstrahere, cum non indigeat; vt notat S. Doct. *in corpore*. Ex quo Faber sumpsit *num*.24. Neque verò necesse erit, vt transeat per medium phantasiæ; vt ostendi cum D. Bonauent. *in corpore*, Scoto, & asseclis. 100

Obicies quartò cum Scoto 3. *d*.3. *quæst*.11. Angelus cognoscit singularia, sed non per species vniuersales: ergo per singulares: sed non est probabile eas fuisse infusas ab initio: ergo de nouo eas recipi. Prima minor probatur; quia vniuersale repræsentat singularia confuse, nec insuper vestita indiuiduis accidentibus.

Respondet Caietanus *quæst*. 57. *art*.2. & alij Thomistæ, species vniuersales esse excellentissimas, ad repræsentanda etiam singularia idoneas.

Contra

101 CONTRA arguit Scotus apud Fabrum, *num.* 27. ex D. Bonau. *hic*. Sicut res se habet ad esse ; ita ad cognosci : sed species vniuersales non continent in se indiuidua virtualiter distincta : ergo neque ea exhibent cognoscenda. Probatur Minor, quia in vniuersali est sola natura apta esse in pluribus in confuso.

RESPONDETVR ergo cum D. Bonau. Angelum cognoscere singularia, componendo species vniuersales, vt dicam *quæst. sequenti*.

OBIICIES contra vltimum assertum. Quod opponitur violento est naturale : sed harum specierum carentia est Angelo violena : ergo sunt à natura.

Respondetur, non esse violentum, eas non habere infusas ; sed eas neque habere, neque posse habere, seù acquirendo, seù accipiendo infusas.

102 OBIICIES secundò cum Granado. Si hæ species non emanant actiuè ab Angelo, non sunt ei naturales : nam potentia sola passiua non facit naturalem aliquam formam.

RESPONDETVR, etiam ex potentia passiua esse posse naturale debitum, vt de potentia materiæ concedit Granado, quæ tamen non habet potentiam actiuam ad formas sibi debitas apud eum : sic ait Arriaga, gratiæ consummatæ debitam esse visionem, quæ tamen non causatur efficienter ab ipsa.

103 ASSERO quintò, Angelum, etsi nouas species à rebus non extrahit, accipere tamen nouam cognitionem. Hæc est opinio propria D. Bonauenturæ.

PROBATVR à Seraphico *in corpore*, Anima, quæ est inferior, potest intuitiuè aliud cognoscere, sine noua receptione specierum. Ergo multò faciliùs Angeli : sic ferè & Scotus.

PROBATVR secundò ab eodem S. Doct. *argumentis secundo loco*. Ephes. 1. *Vt innotescat Principatibus, & Potestatibus*, vt exponit Glossa ; *Angeli multa didicerunt ab Ecclesia*.

PROBATVR tertiò, quia ideò in multis illuminantur, ad multa intelligenda missi sunt ; vt è Scripturis constat : sed hæc fiunt sine adeptione nouarum specierum, vt dixi, & ostendam *quæstione sequenti* : ergo.

QVÆSTIO VI.

An tot SPECIES *in Angelo sint ponendæ ; quot res, & an Angeli superiores per pauciores, & vniuersaliores species intelligant.*

D Bonau. loc. cit.
D. Thom. q. 55. art. 3.

NON est idem titulus : An in Angelo ponendæ sint tot species : quot res ; an verò per vnam multa intelligat. Et : An species Angelorum sint vniuersales : nam etiamsi concedantur vniuersales ; non tamen conceditur, posse vnam repræsentare distinctè indiuidua. Vbi deceptus est Morandus *tractat.* 7. *quæstione* 20. horum diuersos titulos confundens.

Non est autem controuersia : An species minùs vniuersales contineant notitiam naturæ magis vniuersalis, v. g. an in specie hominis cognosci possit natura animalis, viuentis, corporis, substantiæ, &c. non enim video aliquam id negandi grauem rationem ; cùm enim in natura inferiori contineantur superiores gradus ; cur nequeant in ea cognosci?

EST igitur controuersia : An vna species vniuersalis possit omnia singularia distinctè referre. 104
Et quidem vertitur de speciebus Angelo concreatis, quas non esse acquisibiles ex obiectis, asserunt Thomistæ, qui virtutem omnia repræsentandi in eis ponunt ; cùm tamen speciebus acquisitis limitent repræsentare sola obiecta, à quibus abstrahuntur.

PRIMA igitur opinio est, nedum per vnicam speciem posse plura disparata repræsentari, tum numero ; tum specie ; vel genere distincta ; sed etiam plura, & plura in infinitum. Addunt verò, Angelum superiorem per pauciores species, intelligere, quæ vniuersaliores sint. Ità D. Thom. *q.* 55. *art.* 3. vbi discipuli. Caiet. Nazarius *controu.* 3. Bañes, Ripa, Zumel, Serra *dub.* 1. Ioan. de S. Thoma *disput.* 21. *art.* 4. Salmaticenses *tract.* 7. *disput.* 5. Nauarret. *controu.* 51. Idem ferè sentiunt Molina, Suarez *lib.* 2. *c.* 14. Alarcon. *tract.* 6. *d.* 3. *c.* 3. Lezana *tract.* 6. *d.* 2. *quæst.* 8. Auersa *quæst.* 55. *sect.* 3. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 3. *dub.* 2. Valentia *disputat.* 4. *quæst.* 7. *punct.* 3. Caspensis *disput.* 2. *sect.* 3. Fuliensis *l.* 3. *cap.* 3. Ex antiquis hanc sententiam sustinuêre Albertus *de quatuor coæuis*, 1. *part. quæst.* 5. *art.* 12. Ægid. 2. *d.* 3. 2. *part. quæst.* 2. *art.* 4. *part.* 2. *articuli* Ferrar. 2. *cont. Gent. cap.* 98. Capr. 2. *d.* 3. *quæst.* 2. *art.* 1. Heruæ. *q.* 4. *art.* 4. At Morandus *tract.* 7. *quæst.* 10. dubius pendet cum Vasquez *disput.* 203. Sic autem eas vniuersaliores aiunt, vt media plures naturas exprimentia; non vt generaliora exprimentis tantùm.

SECVNDA sententia negat, eas species vniuersaliores Thomistarum. Ità Scotus 2. *d.* 3. *quæst.* 10. 105
cum suis : Bassolis *quæst.* 3. Aureol. *dist.* 11. *quæst.* 3. *art.* 2. Maior *d.* 3. *quæst.* 6. Faber *disputat.* 26. Rada *controu.* 9. *art.* 1. Vulpes *d.* 12. *art.* 7. Arrubal. *d.* 165. Mastrius *d.* 2. *num.* 176. Posnaniensis *lib.* 2. *decis. cap.* 4. *quæst.* 4. Henricus verò *quodl.* 5. *quæst.* 14. vnico habitu ait, Angelos omnia intelligere ; quia si speciebus cognoscerent, tot essent necessariæ, quot obiecta.

MEDIA via aliqui incedunt, qui, licèt cum Thomistis admittant vniuersalitatem specierum Angelicarum in repræsendando ; negant tamen, quòd possint repræsentare infinita syncategorematicè. Ità Amicus *disp.* 9. *sect.* 8. & alij Recentes.

Alij verò concessa vniuersalitate specierum in vtroque sensu, adhuc negant, Angelos, quò perfectiores, eò per species perfectiores intelligere. Ità Arriaga *disp.* 7. *sect.* 3. & alij quam plures.

SENTENTIA D. Bonau. est, in Angelis con- 106
creatas esse species scientificas. Quoniam verò etiam singularia sunt ab Angelis cognoscenda, vt rectè suis muneribus fungantur, neque in speciebus vniuersalibus distinctè patent vestita omnibus indiuiduis accidentibus ; ideò indigent, vel eas accipere, vel ex vniuersalibus componere. Ità GABRIEL, omnibus vniuersalium præditus speciebus, mittitur NAZARET ad MARIAM, quam adit puellam, tali formâ, figurâ, virtutibus perfectissimis, in tali gradu ornatam, tali gratiâ decoram : hinc species vniuersales humanæ naturæ, fæmineæ formæ, figuræ, virtutum, & gratiæ componit, & sibi talem esse Mariam compingit ; species enim vniuersales, etsi finitæ, innumeris tamen modis, sicuti characteres in Bibliotheca ad innumera verba cudenda, componi possunt. Neque tamen ea specierum compositio dissoluitur, sicut in prælo ; sed manet in Angelo indelebilis,

vt recordetur obiecti. Supponit tamen aliqualem notitiam præuiam, ne forte componat? sed sapienter; vt dixi allato exemplo. Quare Gabriel ingreditur ad Virginem, eamque, speciebus compositis ad præsentiam obiecti excitatis, agnoscit esse Mariam.

Quod si primò occurrat; excitantur species vniuersales in obiecto indiuiduatæ, quas Angelus componit, & personam agnoscit.

Ex discursu autem S. Doctoris colligo, cum non admittere species illas Thomistarum vniuersaliores, & perfectiores in Angelis perfectioribus; tametsi enim *ad tertium* admittat, vnâ specie intelligi naturam specificam, & omnia indiuidua, quoad essentialia; malè tamen ob id à non nullis trahitur in primam sententiam, cui nil hoc fauet, vt dixi.

107 Assero primò, non dari speciem, aut habitum repræsentantem infinita, seù non dari tot, quin plura adhuc dari possint.

Probatvr à D. Bonau. *hic argumento quarto opposito*, quoad hoc præcisè concesso, & *in* 3. *distinct.* 14. *art.* 2. *quæst.* 2. *fundamento* 4. *&* 5. & *q.* 3. *argumento octauo*, *addito responso*, quoad hoc concedente, quo vtitur Scotus 2. *d.* 3. *quæst.* 10. §. *Ita opinio*: & *d.* 9. *quæst.* 2. § *Contra istud*, Mastrius *n.* 177. Amicus *loco cit.* Faber *num.* 18. & alij. Si, quod est ratio repræsentandi aliquid, includit aliquam perfectionem; etiam id, quod est ratio repræsentandi plura, debet includere maiorem perfectionem, sic ascendendo, calculatoriè multiplicando: ergo quod est ratio repræsentandi infinita, erit infinitæ perfectionis. Si igitur aliquis habitus, vt vult Henricus, vel vna species Thomistarum, est ratio repræsentandi infinita, profectò erit infinita. Sed non potest dari infinitum: ergo. Neque minuit ab infinito, si illa species sit repræsentatiua infinitorum in potentia, secundùm suam entitatem. Etenim indè ostenditur Diuina potentia infinita: quia non tot producit, vt alia semper producere non valeat. Confirmatur, quia talis species esset proxima causa infinitarum cognitionum, & æquiualet infinitis speciebus.

108 Respondet Arriaga, speciei non repugnare, perfectionem intentionalem repræsentandi infinita Syncategorematicè, sicuti intellectus noster habet pro obiecto omnia entia; nec tamen est virtutis infinitæ.

Contra: quia perfectio speciei intentionalis debet crescere Arithmeticè, quantum crescit entitas obiecti naturalis, & sic ex parte sua est apta repræsentare infinita actu; atque defectus est solùm ex limitatione potentiæ; profectò debet esse infinita; neque est simile de nostro intellectu, qui non est aptus ex se infinita obiecta comprehendere.

Respondet Vasquez *cap.* 2. illam speciem non esse veluti speculum obiectiuè continens infinita; sed esse rationem, *quâ*, seù ad modum habitus repræsentantem in actu primo.

At non euitatur, quin sit infinitæ virtutis, cùm infinita valeat referre.

109 Respondet Auersa, non repugnare talem speciem, quæ erit infinita secundùm quid; sicuti potentia nostra intellectiua est ad infinita.

Contra arguit Licherus 2. *d.* 3. *quæst.* 10. & *in* 1. *d.* 2. *quæst.* 5. intellectiones diuersorum obiectorum non requirere maiorem semper virtutem; sed eâdem virtute vt quatuor, quâ intelligo hominem, intelligam & Angelum: at obiectum non ità se habet: nam ea species, quæ repræsentat hominem; non repræsentat Angelum. Ideò eget specie diuersa intellectus, ad diuersa videnda.

Respondet Vasquez & alij, quòd sicuti per speciem creatam expressam repræsentatur Deus infinitus; vt concedimus *tract.* 1. *disput.* 11. *quæst.* 4. & similiter concedimus posse dari etiam impressam, *quæst.* 3. ita non repugnat dari speciem repræsentantem infinita creata. 110

Sed Licherus 2. *d.* 3. *quæst.* 9. aduertit, non esse rationem parem: nam species repræsentans Deum, repræsentat modo finito; at species repræsentans infinita obiecta habet pro singulis aliquam distinctam perfectionem; ideò infinitas. Et hoc modo S. Bonau. 1. *distinct.* 35. *&* 36. passim: & Scotus 1. *d.* 2. *quæst.* 1. colligunt infinitatem diuinæ essentiæ: quia est ratio repræsentandi infinita. Et sic etiam discurrit Gratianus Brixiensis 2. *d.* 3. *quæst.* 10. in defensionem huius rationis. Propterea *loco cit. tract.* 1. exclusimus, contra speciem diuinæ essentiæ, argumentum calculatorium; quia non repræsentat infinitè; seù comprehensiuè.

Respondent adhuc Suarez, Bañes, Nazarius, & alij ex Caietano, talem speciem infinitorum non fore necessariò infinitam; sed altioris quidem ordinis; sicut de specie diuinæ essentiæ dicimus. Vnde ait Vasquez, & Tannerus, quòd calculatio rectè fieret vniuocè in eâdem formâ intensiuè, vel extensiuè adauctâ: sed, si augmentum fiat in diuersâ naturâ, solùm sequitur, requiri speciem superioris ordinis, & entitatis. 111

Alij dicunt, fore infinitam in repræsentando; sed in essendo finitam. Ità Ioannes de S. Thoma, & alij recentiores plaudunt, qui rursus afferunt speciem Diuinæ essentiæ in exemplum.

Contrà, quia omne infinitum Categorematicè, etiam in repræsentando, est verum infinitum repugnans, etiamsi secundùm quid infinitum; vt ostendi *tract.* 1. *disput.* 11. *quæst.* 3. Perperam verò Faber *num.* 42. refellit distinctionem infiniti simpliciter, & infiniti in tali genere; vt ostendi *tract.* 2. *disp.* 3. *num.* 142. eâque vtuntur omnes Scotistæ, vt aduertit Mastrius 1. *d.* 7. *num.* 16. 112

Id verò, quod aduersarij conclamant, illam speciem esse altioris ordinis, nec tamen infinitam, falsum est: nam, cùm virtutes contineat distinctas infinitorum obiectorum; non video, quâ ratione non sit infinita.

Respondent alij ex Caietano, speciem quidem diuersarum quidditatum continere aliam, & aliam perfectionem; atque adeò crescere posse in infinitum: non sic speciem vnius quidditatis, quæ eâdem virtute repræsentat hoc singulare, quâ aliud, cùm sint eiusdem rationis.

Lichetus 2. *d.* 3. *quæst.* 10. concedit, ita rem esse. Ideò Scotum ea ratione vsum fuisse fatetur, tantùm ad impugnandam speciem plurium quidditatum.

Faber verò, & non nulli alij Scotistæ volunt, rationem vrgere contra speciem distinctorum numero, eamque Scotus adhibet *d.* 9. *quæst.* 2. & approbat Meldula *num.* 185. quia, esto indiuidua sint eiusdem rationis, tamen ea species potest simul infinita referre actu, quorum vnum non est aliud; & est distinctæ entitatis; vnde & distinctam numero virtutem speciei emittit. Quare meritò assumitur etiam à D. Bonau. ad hoc probandum, contra Thomistas, qui non dicunt, vnam speciem repræsentare infinitas quidditates; vt notat Scotus *loco citato*, & Faber *num.* 19. qui non rectè tamen vult, 113

vult, eos deduci ad speciem continentem infinitas quidditates, ex eo, quòd semper sit perfectior in Angelo perfectiori; Neque enim ob id ad vnam deuenient talem; sed imò semper erit finita; sicuti finiti sunt Angeli; vti videmus etiam in diuisione continui, vt ait Seraphicus 3.*dist.*14. *artic.*2. *q.*2. *fundamento quinto.*

114 Ea vero fuga, quam aduersarij tertio quoque passu meditantur, dari speciem Diuinæ essentiæ infinitæ, præcluditur iterum à D. Bonau. 3.*d.*14. *art.*2. *quæst.*3. *ad primum*; quia non est simile: nam per quamcunque speciem non exprimitur Diuina essentia comprehensiuè, sed solùm apprehensiuè. Vnde sicuti ego habeo speciem lineæ infinitæ, vel puncti, habentis virtutem terminandi lineas infinitas; & tamen est finita: Ità habeo speciem diuinæ essentiæ finitam: at species Thomistarum est infinitarum perfectionum distinctarum actu expressiua.

Dices, etiam S. Bonau. *loco cit.* admittit habitum scientiæ, in anima Christi, infinitum.

115 Respondetvr ex eodem S. Doctore *ad argumentum illud octauum*; habitum illum non esse infinitum intrinsecè ex sua entitate; sed extrinsecè, & Syncategorematicè, quatenus Verbum, rerum omnium exemplar, promptè exhibere paratum est alia, & alia successiuè; non simul; vt dicam *tertiâ parte tract.*1. *disput.*14. *quæst.*4. *&* 5.

Dices, etiam S. Bonau. hanc inducit consequentiam: Si Angelus habet species singularium, & hæc possunt augeri in infinitum: ergo habet infinitas.

Respondetvr, non esse simile: quia species actu repræsentant; similiter, & habitus Henrici: at verò habitus ille Christi dicit respectum Syncategorematicum ad infinita successiuè, ex Verbi promptitudine. Et hoc ipsum respondet Mastrius *num.*188. ex Scoto 3. *distinct.*14. *quæst.*2. §. *sed si ista.*

Enim verò non satis se possunt expedire ab argumento Suarez, Auersæ, & Arriagæ: nam Scotus *quæst. cit.* tenet probabiliter, animam Christi de facto, actu videre omnia possibilia in Verbo. Et Mastrius 1. *d.* 6. *num.* 254. ait, quòd si beatus omnes creaturas possibiles actu videret in Verbo, non adhuc talis cognitio erit infinita. Hinc allegati Doctores inferunt: ergo dari potest species

116 Angelica finita, repræsentans infinita. Possent vrgere Mastrium sic: si cognitionis actus ad infinita, finitus est; multò magis species, quæ est ab intellectu, magis distat, eum perficiendo remotiùs. Ideò ipse, *loco cit.* & *num.* 13. & *disp.*13. *Phys. num.* 31. argumentum calculatorium in specie repræsentante, ne dum infinita indiuidua; sed & omnes infinitas quidditates possibiles, negat: Similiter id negat etiam actui cognitionis infinitorum possibilium, ex mente Scoti, atque adeò destruit se ipsum. Quod enim visio illa sit infinitorum simul, ex Diuina reuelatione, non minuit, nec arcet actum illum ab intellectione infinita, categorematicè infinitorum possibilium: sanè Thomistæ tot non dicunt de Angelica specie; quot dicit Scotus cum asseclis, de intellectione, & specie suâ. Ideò Mastrius insudat *in* 1. *cit.* vt argumentum calculatorium, à Thomistis obiectum, eluat.

Nec soluit dicens, actum illum esse receptionem, quæ non dicit perfectionem, vt constat in materia; atque adeò receptionem illam infinito-

117 rum obiectorum non crescere in infinitum. Contrà enim; quia visio illa est formalis repræsentatio infinitorum, non ratione respectuum rationis; sed realis attingentiæ, quæ lumine proportionato; vtrique infinito nititur. Adde, cognitionem esse actum vitalem, non meram passionem. At esto; sanè receptio infinitorum actualis dicit perfectionem infinitam, argumento calculatorio comprobatam: Esto includat etiam perfectibilitatem; nec est simile de materia, quæ vnam formam, vel alteram simul continet tantùm.

Propterea vrgentur Scotistæ alio argumento. Potentia sustentatiua infinitorum accidentium non est infinita: ergo nec species expressiua infinitorum. Ant. probatur: quia intellectus Angelicus, & humanus est capax infinitarum specierum, quas relinquent in æuo actus infiniti, & non erit mera receptio; sed influxus ad ea accidentia sustentanda, qui influxus, esto dederim Mastrio, eum esse in genere causæ materialis, nonne atomum saltem dicit perfectionis? sanè. Est enim ens positiuum, vt concedit. Iam crescat calculatoriè, & infinitabitur, saltem extensiuè.

Tandem ex Scoto infinitas perfectionis ex infinitate obiectorum non resultat in speciem, quæ non crescit ad maiorem obiecti perfectionem arithmeticè; sed geometricè, apud Scotum 2. *d.* 3. *q.* 9. quare in via Scoti solùm sequitur, speciem esse ordinis altioris: neque sensus Scoti est, crescere arithmeticè in esse intentionali, vt constat legenti: quare non se expediunt Scotistæ à solutionibus Thomistarum. 118

Probatvr secundò à D. Bonau. *quæst.* 3. *citata, argumentis ad oppositum* in hoc concessis: Nil finitum potest infinita comprehendere: Sed obiecta omnia sunt infinita: ergo nequeunt vna specie, vno actu finiri; alioqui iam non essent infinita. Ideò enim dixit D. August. *lib. octuaginta trium quæstionum, quæst.*14. *Quidquid scitur, scientis comprehensione finitur.* Hoc argumento, respondetur instantiis suprà allatis ab aduersariis, quas nequeunt Scotistæ delere: Actus enim illi, & species per æuum sunt finita, sicuti partes à continuo decisæ; vt notat S. Doct. *q.* 2. *fundamento* 5. 119

Probatvr tertiò, potentia, obiectum, seu species, & cognitio proportionantur: sed omnis actus cognitionis est finitus: ergo non potest actu infinitam speciem comprehendere, nec potentia finita eam sustentare. Minor probatur, illo Aristotelis effato, 2. *Top. cap.* 4. *Scimus plura, sed vnum solum intelligimus*; vt ait Seraphicus *quæst.*2. 120

Probatvr quartò, Omne creatum est in certo numero, pondere, & mensura, ex *sap.*11. sed species Angelica, & cognitio est creata: ergo determinata ad tot, taliaque omninò repræsentanda.

Probatvr quintò, nullum creatum excedit infinitè alia creata eiusdem generis: sed species illa Angelica est creata: ergo non excedit alias species, quæ, tametsi infusæ in Angelis non inferioribus, imperfectiores sunt, ad finita repræsentanda terminatæ.

Probatvr sextò, in omni actuali cognitione est receptio, & iudicium: ergo, vt aliquis actu intelligat infinita, debet posse simul omnium veritates iudicare: sed non potest id virtus iudicatiua Angeli finita: ergo neque species ei data est ad cognoscenda actu infinita: quia esset frustrà. Alia in D. Bonau. *allegatis locis* inuenies. Ea autem, quæ possunt aduersarij respondêre, refutata iacent. Has rationes infrà ex parte vrgebo. 121

Assero secundò. Vnam speciem repræsentantem

tem vnam quidditatem, seù entitatem, non multiplicari ad alias repræsentandas.

122 Probatvr primò à S. Bonau. *in 2. hic.* Id, quod aliud generat, se multiplicando, continet illud in se virtute: Sed species non continet aliorum obiectorum species: ergo. Minor probatur; quia, siue infusa sit, siue acquisita, habet suum esse diminutum in ordine ad obiectum commensuratiuè naturaliter; atque adeò cùm non contineat in se obiectum virtualiter, non potest alias species, tale obiectum repræsentantes, exprimere, ac generare.

123 Probatvr secundò à S. Doct. Si generaret aliam speciem, hæc sanè deberet esse eiusdem rationis specificæ, solo numero distincta. Sed hoc non potest esse: quia remaneret vna à subiecto indiuiduata, vt ostendi *quæstione quinta*: ergo.

Assero tertiò, vnam speciem non posse esse rationem repræsentandi plures quidditates disparatas, etiam finitas, v.g. naturam humanam, & auri, vel adamantis.

Probatvr primò à Scoto, ratione indicata à D.Bonau. *hic, in corpore,* & clariùs *in 3. d.14.art.2. quæst.1. in corpore,* & *quæst.3. argumento 2. &* 8. Illa res, quæ est ratio cognoscendi, debet habere vnum aliquod obiectum, in quo reluceant repræsentata: sed species vnius generis non habet aliquod obiectum, in quo repræsententur tot genera disparata: ergo. Maior probatur à Seraphico: quia species se habet ad obiectum, sicut mensuratum ad mensuram, & ita vnitas eius pendet ab vnitate obiecti, atque adeò plurificatur ex plurificatione obiectorum; ob idque ait Seraphicus, non posse à se multiplicari. Confirmatur à S Doct. *in 3. cit.* Ideò in speculo indiuiso vna est species vnius obiecti; quia obiectum est mensura speciei, ac cognitionis, vt sæpiùs repetit, præcipuè *in 3.d.14. art. 2. quæst. 3. argumento 2. opp.* in hoc concesso. Deinde probatur Maior *hic, in corpore,* & *in 3. locis adductis tota illa distinct. art.* 2. maximè verò *quæst.1. in corpore,* quia ideò essentia Diuina, seù Verbum est ratio cognoscendi omnia, quia est primum exemplar continens omnia. Minor probatur; quia obiectum illius speciei vniuersalis, est aliquid creatum: at nulla quidditas creata continet virtualiter, & distinctè alias quidditates creatas: Si enim aliqua talis esset continens alias, ea esset quidditas superior: sed hoc non; quia in inferiori est aliqua entitas, quæ non continetur in superiori. Ergo neque in ordine cognoscibilitatis eas valet continere.

124 Respondent aliqui Thomistæ, illam speciem posse plures quidditates disparatas repræsentare absque eo, quod in aliquo obiecto coniungantur. Itaque negant Maiorem. Vnde Vasquez, & Molina dicunt, sufficere pro obiecto adæquato illam multitudinem adæquatam rerum, quæ specie exprimuntur: sic visus habet pro obiecto colorem, & lucem, quæ non conueniunt in aliqua ratione vniuocâ adæquatâ. Idem est de ente, quod secundùm totam Analogiæ latitudinem est obiectum intellectûs. Idem ait Arriaga *disput.7. num.5.* quod probat ex beata visione, qua plures creaturæ vnico actu videntur in Deo.

125 At, sicut potentia respicit suum obiectum adæquatum, vt dicitur 2. *de anima*, & sicut Potentiæ distinguuntur per actus: & actus per obiecta, vt docet D. Bonau. *in 2. d. 7. part.1. art. 2. ad argum.* & *d.24. part.1. artic. 2. quæst.1. ad argum.* & *in 3. d.23. quæst.3. ad argum.* & *d.26. quæst.2. ad argum.* ita debet assignari cuique speciei obiectum formale adæquatum, vt alij Thomistæ fatentur. Falsum est autem, quod ait Vasquez, colorem, & lucem non conuenire in aliquâ ratione formali obiectiuâ visûs: nam conueniunt in esse visibili, vt explicat Seraphicus Doctor *in 2. d.13. art.2.* tametsi in esse materiali differant; à quo non sumitur ratio obiectiua; vt docet S. Bonau. *allegatis locis* cum Aristotele, qui ideò 2. *de anima, cap.7.* ait obiectum visus esse visibile. Idem de ente probant Metaphysici cum Seraphico *opusc. Principium Scripturæ.* Cùm his egregiè P.Galitius *initio Metaph.* Illa verò ratio est analogica continens entia confusè: Quare similitudo est contra Vasquez. Neque verò ad rem est similitudo Diuinæ visionis: ea enim vna est in obiecto infinito, omnia continente virtualiter; ideóque potest omnia repræsentare. Adderem, colorem esse Lucem, opaco mixtam, vt patet in Iride, & docet D.Bonau. *2.d.13. art.2. quæst.2.* & cum eo Toletus *2.de anima, quæst.*17. Quo spectans D.Bonau. *3.p. Centil. sect.* 21. ait, obiectum visus esse colorem, quia Lucem includit.

Respondent igitur alij, assignandam esse vnitatem in obiectis, quam Nazarius, Bañes, Amicus, & alij dicunt esse rationem communem quidditatibus repræsentatis. Itaque dicunt, speciem illam immediatè repræsentare communitatem illam, puta, animaleitatem; & ea mediante quidditates inferiores, sub ea contentas, puta Hominis, Leonis, &c. Id videtur docere Caietanus *art.3.* Ferrara *2. cont. Gentes, cap.*98.

Contra arguit Faber *num.23.* Meldula *n.195. argumento vltimo S.Bonauent.* quia vnitas generica continet inferiora solùm confusè, *verbi gratia*, species animalis, vt sic, continet omnia animalia solùm quo ad id, in quo conueniunt animalitates specierum inferiorum; non autem differentias rationalis, rugibilis, hinnibilis, latrabilis, &c. neque continet ea, quæ extra essentiam circumstant, *verbi gratia*, figuram, physionomiam, albedinem, nigredinem, scientias, ignorantiam, virtutes, vitia, &c. illa enim species non posset tot contraria in suo esse simplici exprimere. Itaque etiamsi in genericâ ratione inferéres differentias; profectò non admitteret tam varia indiuidualia: At neque in genere sunt actu differentiæ, tanquam partes, vt putat Nazarius, differentiæ enim non sunt partes generis; sed specierum, quæ etiam sunt oppositis constitutæ differentiis, quæ vna simplici specie nequeant exprimi. Ideò hoc responsum respuunt Suarez *lib.2. cap.14.* Ioan. de S.Thoma *d.21. art.4. num.17.* & alij communiter. 126

Svarez igitur dicit, obiectorum vnitatem contineri in aliqua occulta conditione speciei; sed vt lepidè ait Arriaga, *malum signum*: quia hæc conditio odit lucem. Necesse est explicare rationem, sub qua vnica species tot obiecta potest repræsentare.

Ioannes de S. Thoma dicit, hanc rationem, 127
sub qua, esse respectum ad diuinas Ideas secundùm diuersum modum, quo causant res in mundo: ab Ideis enim res causantur in mundo, & exemplantur in mentibus Angelorum, tanquam in similitudine intentionali repræsentatæ. Igitur, quia species illæ non accipiuntur à rebus; neque ab eis accipiunt suam quidditatem.

Hic vult tot verbulis dicere, eam speciem esse altioris ordinis, atque adeò posse disparatas quidditates exprimere: quod esse falsum, probo ex D. Bonau. *argumento* 4. quem sequitur Scotus, *loco cit.* Mastrius *num.199.* Lichetus, *loco cit.* nam illa species

cies est à Deo infusa ad exprimendas naturas rerum à parte rei, vt sunt. Itaque debet esse rebus commensurata: Cùm ergo vna creata quidditas aliam non contineat, nec vnum singulare aliud; non poterit vlla species eas sub propriis rationibus exprimere, etiamsi sit altioris ordinis, tametsi ob id clarius repræsentet, vt obseruat argute Lichetus ex D.Bonau. *loco cit*. Neque satis hanc speciem adornat, vt deriuatam e diuinis Ideis: nam etiam Ideæ sunt plures; tametsi ex parte Dei sint vnum quid, vt docet D.Bonau. 1. *d*. 35. *quæst*.3. & hæc varietas, seu multiplicatio Idearum est etiam in ordine ad plura indiuidua, vt probat S.Doctor *loco cit*. ex D. Augustino *lib*.83. *qq. quæst*. 46. & *epistola* 115. Quo fit, vt neque vna omninò sit species repræsentans disparata, etsi è diuinis Ideis deriuetur, vt obseruant Lichetus, & Mastrius cum S.Bonau. qui tamen solam admittit virtualem, inter eas, distinctionem.

Addit Ioannes à S. Thoma, quòd, sicuti ex vno sigillo, vel typo exprimi potest figura, quæ simul exprimat hominem, & equum, & arbores: sic & in specie illa deriuata ab Ideis.

129 Hoc transumptum est ex D.Bonau. *quæst*.3. *addit*. *in corpore*, vbi hoc exemplum respuit: quia sic potiùs Ideas componeret, ac distinctas realiter asséreret; sicuti in eodem sigillo differunt imago hominis, ab imagine equi. Vnde nil inseruit, etiam vt applicetur simplici speciei.

Probatur secundò à Scoto *loco cit*. Fabro *numero* 27. Mastrio *numero* 201. & aliis, ratione secunda, & tertia D. Bonauent. quoad hoc concessa à S. Doct. ob quam modum alium excogitarunt: Omnis ratio cognoscendi vna, potest habere actum vnum cognitionis adæquatum Sed: non potest dari actus vnus isti speciei repræsentanti plures quidditates, imò omnes: ergo talis species non datur. Maior probatur: à Fabro, quia memoria potest exire in actum sibi adæquatum intellectionis. Minor probatur; quia, secundùm Thomistas, non potest intellectus intelligere plura, sub ratio-
130 ne plurium. Probatur à Mastrio, quia si ille actus esset adæquatus intensiue, contineret virtute omnes actus intellectionum, circa illas quidditates: at hoc non potest esse, quia (vt dicebat etiam S. Doctor) actus per obiecta specificantur; non datur autem tale obiectum in illa specie, continens omnia disparata. Nec potest esse adæquatus extensiuè; quia non possunt plura, vt plura, vno actu intelligi. Neque possunt dici ea obiecta per eam speciem percipi inadæquatè: nam omnes illæ quidditates æque naturaliter repræsentantur, & æquè applicantur obiecta omnia in ea specie expressa: ergo non est maior ratio, exprimi hanc quidditatem, quàm aliam; & cùm sit indeterminata ad tot quidditates, non poterit determinate, vt oportet, & docet Aristoteles 3 *de anima*, ad hanc quidditatem potiùs intelligendam, quàm reliquas.

131 Respondent multi ex Caietano, posse dari actum adæquatum circa omnia obiecta, per modum vnius considerata; sicuti in Diuina essentia videntur ideò omnia.

Contra arguit S. Doct. *argum*.4. quia, vt sunt vnum commune, & vniuersale, non repræsentant distinctè inferiora, secundùm proprias rationes; sed solùm confusè, vel si repræsentant secundùm diuersas eorum rationes, non repræsentant per modum vnius. Deinde illæ quidditates non vniuntur in aliquo primo obiecto, sicut creaturæ in Deo. Quare paralelos istos iam omittant.

Vrget adhuc validiùs S.Doctor: quia, si Angelus haberet omnium species, & in eis posset habere actum adæquatum, iam posset videre omnia absentia, ac futura contingentia libera, omnia voluntatum arcana; & hæc omnia ab initio creationis, ex quo eas species habuit, hæc autem sunt contra Scripturas, quæ multa Angelis reuelata testantur; insuper futura contingentia libera, & arcanas cogitationes, ac deliberationes soli Deo patentes. Idem ostendunt missiones Angelorum, & reuelationes in scripturis enarratæ.

Fatetur Vasq. *disp*.108. *cap*.3. difficile solui 132
hoc argumentum à Thomistis, dicentibus, species omnes Angelis concreatas; & nullas accipi; adde neque componi: & verè hoc est efficacissimum argumentum, quod refricat S.Doctor 2.*d*.7.*part*.2. *art*.2. *quæst*.3. *argum*.4.

Ideò Ioannes de S.Thoma *num*.29. concedit, ea sola speciebus illis repræsentari, quæ sunt naturalia, & præsentia, non quæ sunt intra causas, aut ordinis moralis: Sed cogetur fateri, aut nouas recipi species, aut antiquas componi: Argumentum enim S. Bonauent. est insolubile, vt notat Arriaga *sect*.1. *sub* 2. & 3.

Respondet Caietanus *quæst*.57. *art*.1. species Angelis ingenitas, eodem modo se habere ad futura; sicut, si oculo ingenita esset species coloris, per quam non videretur color futurus; sed præsens: sic & Angeli species sola præsentia valet repræsentare: quia ad ea sola habet necessariam similitudinem realem actu. Idem videtur Ferrar. 2.*cont*. *Gent*. *cap*.96. Ægid. *in* 2. *d*. 7. *q*. 1. *art*. 1. *ad* 2. D. Thom. *q*.57. *art*.2. *ad* 3.

Contra tamen est: nam ea, quorum species retinemus, cognoscuntur etiam post quam facta sunt absentia, vt constat experimento.

Deinde repræsentatio obiecti non est relatio si- 133
militudinis: nam species, quæ est accidens repræsentat substantiam, & species repræsentat corpus. Nil ergo obstat, quo minùs futura repræsentet, vel si absentia obstat, cur repræsentat præterita?

Respondent alij, inditas esse Angelis futurorum species; eas tamen non repræsentare futura, donec addatur eis nouus modus ex obiecti præsentia, sine quo modo species est sterilis. Ita Malonius *d*.3. *disput*.14.

Contrà arguit Vasquez: quia species ab initio essent informes. Aliam oppositionem afferam *quæst*. *decima*.

Respondet Suarez *lib*.2. *cap*.11. hoc non vrgere: quia species illa ab initio repræsentat rem, esto non futuritionem; & sic perutilis est. Et hoc innuunt alij dicentes, speciem illam repræsentare simplici intelligentiâ.

At verò adhuc est imperfecta; quia non repræsentat rem secundùm omnes conditiones. Quod si naturaliter repræsentat, ac exprimit locum, &c. cur non & tempus? tertiò debet posteà aliam speciem futuritionis accipere.

Respondent alij, habere Angelum species omnium possibilium, & ideò non discernere quæ ex illis sint futura; quæ non.

At suprà ostendi, hoc esse falsum; alioqui in- 134
telligeret actu infinita, vt arguit Seraphicus, *arg*.4. & illa species esset infinita: quia, si repræsentare multa, dicit perfectionem: & repræsentare plura, maiorem dicet perfectionem: ergo repræsentare infinita, dicet infinitam perfectionem.

Respondent alij, non repræsentare speciem illam omnia possibilia, sed aliqua, & cum futuro-

turo

rum speciebus stare: ideò nescire, quæ sint futura. Ita Morand. *n.730.* Præposit. *art.3.* Arriaga *disp.9. sect.5.*

Contrà arguit Faber *num. 39.* ex D.Bonau. *argum.4. & in corpore.* Si Deus alios Angelos crearet; vel cogeretur Michaël species nouas accipere; vel illos ignorare, quorum vtrumque negant Thomistæ. Arriaga ergo fatetur nouas accipi *disputat.6. sect.2.*

Rvrsvs refugit Caietanus, ex more, ad suam eminentiam dicens, eam, speciem fore altioris ordinis; non infinitam; eamque posse excedere infinitè alias ordinis inferioris.

135 Contra arguit Faber *num. 41.* argumento S. Bonau. *in 3. d.13. quæst.2. argum.4.* & *d.14. art.2. quæst.3. argum.4. ad opp.* Nullum ens creatum excedit infinitè aliud creatum, in eodem genere: quia nihil potest excedere aliud in infinitum; nisi habeat infinitos gradus perfectionis, quibus transcendat; vt notat Faber ex D. Bonau. infinitum autem repugnat creaturæ.

Respondet rursum Caietanus, illam speciem in repræsentando infinitam: in essendo esse finitam: sic & gratiam Christi esse infinitam in genere gratiæ; non in genere entis.

Hoc etiam reiectum est suprà; quia repræsentatio infinita oritur ex perfectione entitatiuâ intentionali naturali speciei: imò est ipsa entitas. Vnde non potest habere repræsentationem infinitam, si non est physicè infinita. Itaque exemplum gratiæ Christi non est ad rem: nam ea est infinita solùm moraliter, ratione personæ Verbi, vt notat Seraphicus Doctor, *loco cit. distinct.13.* at species totum suum esse habet physicum.

136 Respondent Vasquez *c.4.* Arrubal, *disp.167. cap.2 à num.17.* Alarcon. *num.8.* Morandus *tract.7. de Angelis, num.729.* species esse existentium, non futurorum: nulla autem species potest repræsentare extra proprium obiectum. Ità, extra earum rationem obiectiuam, dicunt esse entia ordinis moralis. Itaque sicut oculus per speciem coloris non percipit sonum; ita & Angelus per species naturales non percipit moralia.

Contra: quia per vos, cùm sunt præsentia obiecta, seù reducta ad actum, videntur. Tunc sic: Habet Michael speciem Antichristi sacrilegium patraturi, non videt nunc sacrilegium. Nascatur Antichristus, peccet: quid operabitur, aut poterit operari species circa obiectum remotissimum ab empyreo, vbi est Michael? vt arguté conuincit S. Doctor *argum.3.* Profectò species sunt datæ perfectissimæ, & operantes naturaliter, vt dicunt isti: ergo perfectissimè ab initio repræsentant: & sicut species illæ præterita repræsentant; repræsentant, ob eam causam, & futura. Dicere verò, quòd actus morales non sunt obiectum, est ridiculum: nam cùm sint actus præsentes per vos repræsentantur à speciebus. Ergo vel accipiunt aliquam entitatem nouam illæ; vel aliæ infunduntur: nec est simile de oculo, qui non habet speciem soni, nec vnquam ad entitatem soni extenditur: sanè species intellectiua potest continere etiam futuritionem, vt aliqui ex his concedunt, quod non potest sensitiua. Quod verò ait Vasquez, species non esse repræsentatiuas obiecti, confutabitur post vltimum assertum.

137 Respondet secundò Morandus; esto species illa potens esset repræsentare futura; tamen non repræsentaret; quia Deus, cùm sit extra rationem obiecti intellectûs creati, non tenetur concurrere, vt auctor est naturæ, ad hoc repræsentandum. Ità & Caspensis *num.46.*

Contrà: quia hæ species ex concessis habent virtutem naturalem repræsentandi futura: ergo cùm ab initio hoc habuerint; Deus non denegauit concursum, quem naturæ semper præbet; alioqui natura esset frustrà, & continuo miraculo impediretur; sicuti impeditus est ignis Babylonis, Deo negante concursum. Deinde vrgeo. Angeli habent eas species, & super eorum obiecta possunt conuerti, v. g. super Antichristi scelera: vident igitur ea non repræsentari; quia non sunt præsentia: ergo agnoscunt futura: si enim id norunt Morandus, & alij; multò magis id norunt Angeli: ergo vident futura scelera illa, quorum species habent in Antichristo expressa.

Respondet Morandus, habere etiam aliquas species possibilium; ideò nescire: an futuræ sint res illæ, nec aliquod inconueniens inueniri, vt adnotant Præpositus *art. 3. num.8.* Arriaga *sect. 5. d. 9.* Quidquid dicant Auersa *sect.5.* & Alarcon. *cap.6.* 138

Sed inconueniens est magnum, naturam esse frustrà, & gratis dictum. Deum infudisse species possibilium ad confundendam Angelorum scientiam. Quod si eodem modo repræsentant species possibilium, & futurorum, hæ imperfectæ sunt, & in tempore perficiuntur.

In sententia verò D.Bonau. nulla est difficultas: quia Angeli habent species vniuersales: singularia verò ad præsentiam eorum per specierum compositionem cognoscuntur, vt suprà dixi cum eodem S. Doctore *ad 2.*

Ex his eruitur tertium argumentum Seraphici, quo vtitur Faber *num. 28.* Vnde intellectus potest percipere vnum, non percipiendo aliud, id diuersis speciebus exprimitur: sed intellectus Angelicus percipit naturas vniuersales, non percipiendo singularia distinctè è suis speciebus. Ergo sunt distinctæ species vniuersalium, & singularium distinctiuæ.

Probatvr quartò à S. Bonau. *in corpore*, in confutanda prima sententia. Idem non potest assimilari pluribus diuersis inter se: ergo vna qualitas non potest esse similitudo, & species tam variarum naturarum, vt suprà argumentabar; quam rationem vrget Faber *n.29.* & illam suprà roboraui. 139

Probatvr quintò, & confirmatur à Seraphico *argum.4. & in corpore*, ratione, qua maxime nititur Scotus *2.d.9.quæst.cit.* Faber *num.26.* Mastrius suprà, & alij. Si (vt aduersarij concedunt) species Angelorum ex deductione effectus extra causam repræsentant: ergo in omni distantia Angeli vident ea, quæ fiunt. Deinde aut habent species singularium; aut non: si habent: ergo omnia vident, quæ sunt, & futura sunt, & possibilia; atque adeò infinita: si verò solas species habent vniuersalium: ergo non possunt percipere distinctè singularia, vt suprà ostendi, quia non exprimunt omnia, quæ vltra essentialia constituunt tam diuersa indiuidua, & sub eadem specie, puta homines tam varios. Probatur sequela, sicut res se habet ad esse; ita & ad cognosci; at singulare addit multa super naturam specificam. Licet enim species sit totum formale indiuidui, vt ait D. Bonau. *in medio corporis* (in quo dissentit à Scoto) tamen adiungit plurima indiuiduantia accidentia, necessaria ad perfectam constitutionem indiuidui.

Quod verò respondet Caietanus, & alij, eas species habere altiorem modum essendi; non satisfacit: nam modus essendi sequitur esse. 140

Assero

Assero quartò, Angelos, quò perfectiores, non intelligere per pauciores species vniuersaliores.

Probatur à D.Bonau. *d.9. q.1.* nam cum incertum sit: an differant specie, vt ostendi *disp.1.q.5.* non est inducenda specie distincta perfectio mediorum ad actiones obeundas. At esto probabiliter differant specie; attamen satis saluatur, si intellectu perspicaciori intensiùs eâdem specie, vel aliâ æquè intensâ, cognoscant eadem obiecta, vt innuit S.Doctor *ad argumenta, & q.2.* & cum eo Scot. *loc. cit. §. Ad argumenta alterius opinionis.* Mastr. *n.216.* cum aliis Scotistis, Vasq. *disp.203.c.2.* Malon. *disp.23 sect.2.*

Respondet Suar. *c.15.* quòd Deus, quia est summè intellectiuus, non solùm clarissimum, sed etiam vniuersalissimum intelligendi modum habet: & Angeli, quia propiùs ad Deum accedunt, in hac etiam vniuersalitate intellectiuâ participant.

141 Sed contrà arguit Scot. *1. dist.8.q.1. ad 1.* Mastrius *n.218.* Arriaga *loco cit.* ex D.Bonau. *hic*, ponenda est in Angelis ea præcellentia, quæ non implicat: hæc autem specierum magis vniuersalium repræsentantium plura distinctè, iam confutata est. Sufficit igitur aliqua intensior perfectio correspondens maiori perspicacitati Angeli superioris, & perspicacitas intensior intellectus sufficiat ad videndum clariùs eâdem specie naturalia, vt notat Vasq. maior verò limpiditas potest esse extra speciem; sicuti patet etiam de intellectione Angeli respectu nostræ; quod malè negat Amicus *sect.10.* Itaque maius acumen, seù intensio in percipiendo, sufficit, vt supponatur distinctio specifica, quæ tamen est incerta inter Angelos, nec est necesse, vt excedat etiam in extensione specierum singularum, dummodò Angeli omnes, aliis speciebus, possint omne ens creatum scientificè intelligere, & singularia, provt oportet.

142 Addit S.Doctor *dist.9. q. 1. ad 2.* non semper proprietates consequentes naturam, specie diuersam, esse diuersas. Sic enim talem mixtionem, specie distinctam, consequitur, temperies caloris vt quatuor; in altero verò vt sex. Hoc magis elucet in præmio visionis intensioris essentialis, specie distinctæ, & in gradibus gratiæ constituentibus substantialiter sanctum; multò magis naturam simplicem, specie distinctam, consequi potest intellectus accidentale acumen intensius, specie non distinctum (licèt intensius sanè) cùm possit sic natura exigere: & in animabus etiam nostris detur substantialis, quoad hoc, inæqualitas; vt dicam *tract.9. disp.1. quæst.16.*

143 Probatur secundò *hic* in argumentis: si daretur calculatio hæc inter Angelos, vt quò sit præstantior, eò paucioribus speciebus intelligat; sequeretur, Angelum exiturum de statu suo medio inter Deum, & nos; & dandum talem, qui per essentiam intelligat, ac sit purus actus intellectiuus. Probatur sequela: sit Angelus supremus intelligens per decem species, poterunt creari alij, & alij, vsque quo deueniatur ad itâ præstantem, vt vnâ specie omnia percipiat. Creetur rursus alius præstantior; hic sanè, absque specie, per se intelliget. Hoc argumentum attentè legenti elucet in D. Bonau. *hic, fundamentis*, & *initio corporis*. Et est adeò molestum aduersariis, vt Ioan. à S.Thoma, & alij, insolubile illud existiment, vt notat Mastrius *n.220.*

144 Malonius igitur fatetur, in eo casu præstantiam intellectionis illius Angeli supremi fore positam in sola maiori perspicacitate, vt nos suprà diximus.

Alij dicunt, non omnem gradum maiorem specificum Angelicæ naturæ exigere pauciores species; sed solùm excessum in alio ordine, vel Hierarchia: at Angelus ille supremus esset eiusdem ordinis. Itâ Heruæus, Ferrar. Ægidius, & alij.

Enim verò sic tollitur fundamentum D.Thom. asserendo hunc excessum specierum dari pro varietate, seù excessu specifico; sicut ab eo asseritur; vt fatetur Ioan. de S.Thom. & solùm diuinando asseremus specierum illarum excessum. Addo: Creetur Angelus nouæ Hierarchiæ: ergo ille hoc modo a nobis inducto excedet. Tandem, eo responso, Heruæus, Ægidius, & Ferrar nobis concedunt, per æqualem intensionem speciei, sed acumine intellectûs, saluari perfectionem debitam Angelis diuersæ speciei.

Respondent ideò Nazarius, Tanner. aliique communiter, quòd in eo casu Deus debuisset infundere supremo speciem repræsentatiuam Angeli, recenter creati: & ita intelligeret per duas species: per vnam quidem omnia sibi inferiora; & hanc priùs habebat; per aliam verò de nouo additam, Angelum sibi superiorem de nouo creatum, qui omnia sibi inferiora per vnam speciem intelligeret, etiàm illum eundem Angelum, qui olim erat supremus, & ita saluatur; vt quò perfectior est Angelus, eò per pauciores species intelligat. 145

At boni viri iudicio hæc sunt effugia inania: nam Thomistæ concedunt, vnam genericam speciem Angelicam vniuersalem posse exprimere etiam naturas, non actu existentes, dummodò actu fiant sub eo genere amplo: ergo species Angeli nunc supremi, poterit repræsentare etiam Angeli nouiter creati speciem, & indiuiduum; nec nouâ egebit specie ad Angelum nouiter creatum intelligendum. Itâ arguunt Kada, & Mastrius.

Respondere tamen possent Thomistæ, Angelum de nouo supremum creatum esse extra species, quæ continentur in Angelico intellectu anteà supremo; erit enim superioris naturæ, vt ipse Mastr. concedit. 146

Impugnatur igitur meliùs; quia sicuti Angelus anteà supremus per vnam speciem potest omnia inferiora capere; & solùm eget noua specie ad superiorem percipiendum de nouo creatum: ergo ita descendendo, singuli inferiores Angeli omnia inferiora intelligunt, & solùm egent specie distincta ad superiorem cognoscendum: ergo falsum est, ita ascendi; vt quò sit superior; eò per pauciores intelligat. Deinde addo cum D. Bonau. non posse percipi, quòd vnâ specie omnia materialia corporea, & incorporea referantur. Ideò respondet Ioan. de S. Thoma *n. 27.* nunquam deueniri ad aliquem Angelum, qui vna specie omnia intelligat; quia vniuersalitas specierum, vt sit maior, non est necesse, vt plures species rerum adunet; sed sufficit, quòd circa eandem rem plures rationes poneret.

At vel labitur in modum primum Malonij reuulsum; vel non videtur, quòd plures rationes repræsententur vnâ specie vniuersali; non plures naturæ: nam ratio est quidditas rei. 147

Respondet verò Suarez, speciem superiorem repræsentare plura indiuidua eiusdem naturæ.

At pluralitas indiuiduorum non auget specificè vniuersalitatem intentam. Deinde eædem species repræsentantes immediatè quidditates, repræsentant mediatè indiuidua apud ipsum etiam Suar. *lib. 2. cap. 8. numero 4.* Vide Arriagam *sect. 3.* impugnantem hunc modum. Quapropter ex dictis elucet, Thomistas in his diuinando cæcutire; vt fatetur Ioan. de S.Thoma, *loco cit.* Hinc ruit responsio Valentiæ, non fieri diminutionem specierum, vltrà talem numerum.

Ex præcedenti argumento ſequitur aliud; Angelum infimum intelligere minimum per ſpecies vniuerſales: imò cum gradus vniuerſalium, quæ exiſtunt, ſint finiti (vt ait S. Bonau. *ad* 3.) ſequitur, multos ex inferioribus intelligere per ſpecies atomarum quidditatum; imò dari alios inferiores, qui per ſolas ſpecies indiuiduas intelligant.

148 Hinc eliditur reſponſio Amici, Lezanæ, & aliorum, Deum non condidiſſe Angelum adeò inſtructum vnicâ tantùm ſpecie atoma repræſentante indiuidua omnia poſſibilia. Itaque ſi crearetur inferior, intelligeret indiuidua per plures ſpecies diuerſas quidditatiuè.

Profectò vna ſpecies naturaliter repræſentat omnia ſua indiuidua; atque adeò eadem non repræſentabit pauciora; & licet hoc ſit, non ob id erit minùs vniuerſalis: nam vniuerſalitas maior, non ſumitur ex indiuiduis, quia ſpecies eſt totarario indiuiduorum, vt arguit S. Doctor *in corpore*, & ſi habet ſpeciem vnius quidditatis atomæ; habebit expreſſa omnia indiuidua, nec poterit infundi alia eiuſdem quidditatis pauciora repræſentans indiuidua, nec aliæ ſpecies repræſentantes eadem indiuidua; ne, duo ſolo diſtincta numero accidentia, in eodem fruſtrà coëant ſubiecto; vt dixi *quæſt. præcedenti.*

149 Ex quibus ſequitur, ſpecies Angelicas repræſentare quidem totam rationem ſingulorum indiuiduorum, quoad intrinſeca, non confuſè omninò, vt ſpecies abſtracta noſtro intellectu à ſingularibus, ſed perfectiùs exprimendo ſingulas quidditates; non tamen præciſas; ſed incluſas, & hoc ſenſu confuſas; vt non magis hoc indiuiduum, quàm illud exponant. Quoad indiuidualia verò accidentia non exprimunt, vt ſæpè dixi.

Assero quintò, Angelus cognoſcit naturas ſpecificas per ſpecies concreatas quidditatiuas; indiuidua verò per applicationem, & compoſitionem ſpecierum; vt dixi.

Probatvr ex confutatione aliorum modorum. Tametſi fatear, modum Scoti, ex eo capite, non impugnari ſatis, quòd ſpecies eiuſdem ſpeciei, ſolo numero diſtinctæ, admitterentur in eodem ſubiecto: nam ſpecies ſingularium, quæ reciperentur, eſſent veſtitæ tot accidentibus, vt pluſquam

150 numero differrent. Confutatur verò. Quia Deus, & natura nihil fruſtrà faciunt: fruſtrà autem fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora; cùm autem poſſint percipi indiuidua, abſque nouarum receptione ſpecierum per applicationem, iuxta Seraphicum, non eſt cur receptionem nouam ſpecierum concedamus. Modum verò S. Bonau. à Suar. *lib.* 2. *cap.* 11. *à n.* 5. impugnatum propugnabo *quæſt.* 10. Profectò in aliis ſententiis video maiores oppoſitiones, quas non ſatis euitant fugiendo, verbi gratia, docendo, eas ſpecies Angelicas non eſſe formas repræſentantes quidditates rerum formaliter; ſed tantùm cauſaliter; quatenus ſunt principia cognitionis; vt dicunt Cano, Soto, & alij apud Bannem; & Vaſquez *diſp.* 108. ad argumenta declinanda.

151 Sane proceriores Thomiſtæ hanc inutilem fugam confitentur: nam munus principale ſpeciei eſt repræſentare obiectum potentiæ intellectiuæ, vt ſic intellectus fiat res intellecta; vt ait Ariſtoteles 3. *de anima*, *text.* 18. hoc autem fit, dum recipit ſpeciem obiecti, à quo pendet; & eget reduci ad actum; vt arguit Faber *d.* 26. *n.* 30. ex D. Bonau. 2. *diſt.* 7. *p.* 2. *q.* §. *ad quartum.*

Obiicies primò cum Henrico: ſi Angelus non haberet hunc habitum ſcientificum, eſſet in potentia eſſentiali ad illum, atque adeò poſſet frequentibus eum actibus acquirere, quod eſt vilificare naturam Angelicam.

Respondet Scotus primò, negando ſequelam: quia habitus non generatur in his, quæ ſunt determinata: ſic quantumuis ſaxum proiiciatur ſurſum; nunquam acquiret habitum aſcendendi. Generatur ergo habitus ſolùm in potentiis indeterminatis. Intellectus autem Angelicus eſt maximè habilitatus ad intellectionem. 152

Hæc reſponſio non placet. Primò, quia habitus generantur etiam in determinatis, vt in canibus venatoriis. Deinde intellectus Angeli non eſt ita determinatus ad intellectionem vnius; ſicuti lapis ad centrum; ſed poteſt innumera conſiderare: neque poteſt exire ad actum, ſine obiecto, aut ſpecie vicaria; vt docet S. Bonau. 2. *d.* 7. *cit.* Et ſicuti Cythared us habens ſpecies talis ſoni, v. g. Luſciniæ, poteſt acquirere habitum ita ſonandi: ſic & Angelus. Præterea intellectus Angelicus non eſt determinatus ad actus intellectionum, imperatos à voluntate. Cur ergo non poterit horum adipiſci habitum. Tertiò non eſt idem, eſſe ad intellectionem habilem & eſſe determinatum: nam habilitas eſt à potentia; determinatio verò ab obiecto, vt ait Seraphicus. Itaque malè arguit Scotus. Angelus eſt habilis: ergo determinatus: ex quo ſubinfert, non poſſe acquirere habitum. Poteſt enim innato intellectûs acumine habilis, habitus ſcientiarum adipiſci, faciliùs ſanè, quàm ſtupidus. 153

Respondet ſecundò, poſſe Angelum acquirere habitum; non tamen ob id eſſe in potentia eſſentiali ad illud: quia potentia eſſentialis eſt, quæ eſt ad actum primum, ſicuti eſt intellectus, cùm ſpecie caret intelligibili: at verò Angelus vt eliciat actus ſecundos frequentes, ſupponitur in actu primo cum ſpecie. Ità & Faber *n.* 32. 154

Contra, quia tunc intellectus per vos & in potentia eſſentiali, quando caret ſpecie intelligibili: ſed intellectus Angeli per vos caret ſpeciebus ſingularium, eaſque poteſt acquirere: ergo eſt in potentia eſſentiali ad illas: ergo circa ſingularia non eſt habilis, poteſtque deduci è potentia eſſentiali. Hinc arguo ad hominem. Intellectus, qui non eſt in potentia eſſentiali, habet omnium ſpecies, per te, omnium obiectorum intelligibilium: ſed Angelus per te non eſt in potentia eſſentiali ad intellectiones: ergo habet ſpecies omnium etiam ſingularium: ergo nullam recipit, contra Scot. apud Fabr. *diſp.* 37.

Respondetvr ergo ex D. Bonau. Angelum poſſe habitum adiſpiſci, eſſeque in potentia eſſentiali ad ſingularium cognitionem, ſecundùm conditiones indiuiduales; neque tamen vilificatur Angeli ſcientia, quæ in ſpeciebus ſcientificis vniuerſalium repetitur. 155

Obiicit ſecundò Henricus ex D. Dionyſio c. 7. de diu. nom. *Talis eſt ordo vniuerſi, vt infimum ſuperioris, coniungatur ſupremo inferioris.* Tunc ſic: ſupremum naturæ humanæ, eſt eſſe cognoſcentem promptè per habitum ſcientialem: ergo hoc eſt infimum in Angelo: ergo in Angelo ponendus habitus naturalis ſcientificus.

Respondet Faber è Scoto, ſupremum inferioris coniungi cum infimo, vbi illud ſupremum inferioris non repugnat ſuperiori. habere autem habitum ſcientialem repugnat ſuperiori; in nobis enim eſt perfectio ſupplens imperfectionem; ſicut generare, ſentire, quæ tamen non ponuntur in Angelis.

At S. Dionyſius loquitur vniuerſaliter; quorſum 156

sum ergo apponitur exceptio? eam profectò vidisset Areopagita. Quòd verò addunt de *generare*, & *sentire*, non est ad rem: quia sunt in parte non suprema; sed inferiori sensitiuâ; & vegetatiuâ. Quare non mirum, si non coniunguntur infimo Angeli; non enim vult infimum superioris coniungi, cum omnibus gradibus inferioris; vt aduertit S.Bona .2.*d*.16.*art*.1.*q*.3.*fund*.4.ex D.Augustino 14. *de Trinitate, cap*.7.

Respondetvr meliùs ex D.Bonau. 2.*d*.1.*p*.2. *art*.3.*q*.2. *in corpore*, non sumendam connexionem inferiorum cum superioribus ab accidentibus; sicuti nec differentia inde sumitur, in quo fit distinctio inter ea; sed ab inferioris gradu, supremo essentiali: sic ergo supremum hominis,quod est gradus rationalis, est infimum Angeli.

Quæ infinitatem obiectorum inferunt contra primum assertum, contrita iacent. Contra secundum autem assertum, nil momenti obiicitur.

157 Contra tertium assertum, obiicit primò Suarez. Istæ species Angelis à Deo infusæ,sunt participationes quædam diuinarum Idearum, quæ plura disparata exprimunt: ergo possunt plura huiusmodi repræsentare. Confirmatur ab Arriaga. Non minùs repugnat, potentiam posse concurrere ad actus diuersos; quàm quod vna species ex parte obiectorum ad disparata obiecta concurrat: sed illud non repugnat: ergo neque hoc.

Respondet primò Mastrius *num*. 205. è D. Bonau. *hic in corpore*, *& argumentis*, species infusas esse substantialiter eiusdem rationis cum acquisitis; sunt enim ad repræsentanda obiecta modo naturali. Deinde eo concesso, negatur consequentia: quia etiam in Deo plures sunt Ideæ, vt dixi suprà. Ad Arriagam dico, magis repugnare ex parte obiecti, quod quidem determinatum est, ac determinat potentiam ad omnia extensam, vt dixi cum S. Bonauent. 2. *d*. 7. *suprà*: sic fuit melior instantia Thomistarum, vt notat Mastrius.

Instat Ioannes de S.Thoma,id asseri à D.Augustino 2. *de Genes. ad litt. cap*. 8. quòd: *Deus priùs ex rationibus per quas condidit creaturas, facit eas in mente Angelorum.* Sic etiam *Ezech*. 28. dicitur Angelus: *Signaculum similitudinis*, quasi diuinæ sapientiæ Ideis obsignatus.

158 Respondet Mastrius ex D. Bonau. *hic, in fundamentis, & corpore*, solùm deduci infusionem specierum scientificarum; non idearum Dei perfectionum. At si etiam esset participatio Idearum, deberent esse distinctæ, vt dixi cum S. Bonauent. ex D.Augustino *lib*.83. *qq*. *q*.46.

Obiicit secundò Amicus. Esse repræsentatiuum in specie impressa, est posse eam concurrere ad obiecti repræsentationem; at non repugnat, speciem posse concurrere ad multorum repræsentationem obiectorum: ergo. Maior patet. Minor probatur: nam ad hoc sufficit virtus finita intentionalis. Confirmatur, nam datur species expressa, plurium disparatorum expressiua: ergo dari potest & impressa. Consequens probatur, nam maius est actu, quam virtute exprimere plura distinctè. Antecedens probatur ex visione corporeâ,quæ plures colores contrarios exprimit simul.

159 Respondetvr, negando, virtutem finitam sufficere ad repræsentanda plura in infinitum: at si finita sint, repugnat ex alio capite; quia non habent hæc disparata obiectum,in quo vniantur: colores verò illi vniuntur in genere coloris, quod est proximum obiectum visus.

Dices: potes videre quantitatem, & colorem simul, quæ sunt disparata.

Respondetvr, quantitatem, & alia sensibilia communia percipi in propriis sensibilibus, vt ait Seraphicus *in Itinerario,cap*.2. & *in* 4.*d*.12.*art*.1. *quæst*. 2. *&* 3. eas tamen esse diuersas species, vt ostendam *tractat. de anima*; *disputatione* 4. *cap*. 1. *quæst*.2. *&* 3.

Obiicies tertiò, diuina essentia est simplicissima, & distinctè repræsentat omnes res creatas, per modum speciei: ergo nil prohibet, speciem aliquam creatam participare hanc excellentiam.

Respondetvr, ex D. Bonau. *in corpore*, negando consequens, quia talis species, quæcunque sit, non repræsentat Diuinam essentiam,neque eam continet; sed creaturas determinatas: sicut autem omnes aliæ species, licèt sint participationes diuinæ perfectionis, non exprimunt omnia: ita neque hæ. Ita Mastrius. In via tamen Scoti argumentum difficilè soluitur: quia Angelis concedit speciem quidditatiuam Diuinæ essentiæ, atque adeò sequitur, in ea omnia videri, ex concessis à Mastrio; vt aduertit Brancasius *q*. 4. *art*. 4. nec satisfacit Mastrius *n*.215. vt patet legenti. 160

Obiicies quartò, sicuti potest dari vna species repræsentans montem, in quo sunt arbores, flores, aues, casæ, &c. cur non potest dari repræsentans alia disparata?

Respondetvr, plures esse species repræsentantes ea omnia, cuius signum est, quod remota vna planta, reliquæ remanent. Deinde illis omnibus respondet vnum obiectum compositum adæquatum, quod est mons floridus, nemorosus, &c. non sic speciebus diuersarum quidditatum expressiuis; eò minùs, quia species simplices supponuntur, & vniuersaliores.

Obiicies quintò, potest dari species impressa repræsentans Diuinam essentiam, similiter & expressa, vt dixistis *tract*.1.*disp*.11.*q*.3.4. *&* 10. Cur & iam species concreata, repræsentans creaturas, non dabitur? 161

Respondetvr ex dictis, esse rationem disparem: nam species illa repræsentat Diuinam essentiam,quæ eminenter continet omnia; at species hæ repræsentant obiecta creata, quorum vnum non continetur in alio diuerso, v.g. homo in Asino. Vnde non potest repræsentare naturam diuersam, vt ait S.Bonau. *in corpore*.

Nota, D.Bonau. *lib*.2. *Compend. Theol. cap*. 18. videri dicere, speciem non esse imaginem rei, *vt quæ*, sed, *vt qua*. In hoc problematicus ero *tract*.9. *disp*.4. *c*.1.*q*.9.*de Anima*.

Obiicies sextò, Angelus cognoscit omnes species figurarum, & numerorum, quæ infinitæ sunt: sed non cognoscit per singulorum indiuiduorum species, quæ essent infinitæ. 162

Respondet D. Bonau. *argum*. 4. *& in corpore* negando, Angelum cognoscere numeros infinitos; atque ait, singularia, quæ cognoscit, cognoscere secundùm conditiones omnes, per species vniuersales compositas, finitas.

Contra quartum assertum obiiciunt primò D. Dionysium *cap*. 12. *cælestis Hierarchiæ*, vbi ait: *Angelos superiores habere vniuersaliorem scientiam; inferiores verò participare scientiam superiorum; modo tamen minus vniuersali.* Idem probat *ex lib. de causis*.

Respondet Scotus, per vniuersaliorem intelligi *limpidiorem*: nam alia littera habet *totalitatem*. 163

Arriaga 1.*d*.7. *sect*.4. ait, loqui de scientia reuelata Vasquez verò dicit, solùm haberi ibi, scientiam superiorum Angelorum esse plurium rerum, quòd probat ex translatione Perionij; non autem, quòd ea omnia intelligant per vnam speciem. Liber verò *de causis* idem vult. Neque satis hæc impugnantur à Suarez, & Ioanne de S.Thoma, aliis locis Dionysij, vbi videtur dicere, ex parte modi intelligendi, Angelum superiorem per pauciores species plura intelligere.

164 Respondetvr id solùm probare, Angelos superiores, vt viuaciores, intelligere plura, actus plures simul habendo, & intensiùs omnia penetrando: neque vsquam inuenient illas species vniuersaliores in S. Dionysio.

Cæterùm, si *c*.7. *de Diu. nom.* similiter *c*.10. & 15. aliquid dicit de maiori parte scientiæ in Angelis quibusdam; loquitur de reuelationibus, quæ fiunt per partes, vt hæc huic, & ea illi reuelentur, ac demandentur, non autem de diuisione scientiarum in partes; vt notant Arriaga; & Meldula.

Obiicies secundo, quo viciniores Deo sunt Angeli, debent accedere ad imitandum Dei intellectionis modum in vna specie.

165 Respondetvr, quò magis ad Deum accedunt, eò clariùs videre: & hoc sufficit, vt indicat S.Bonau. 2.*p*. *Breuil*.*c*.6 & 8. & 5.*p*. *Centil*. *sect*.13.16. & 17. clariùs *in* 2.*d*.9.*q*.1. *in corpore*, vbi ait, omnia, quæ sunt in Angelis, esse in singulis excedenter, secundùm intensionem, vt explicat se *ad* 2. & *q*.2. *arg*.1. *opp. addito responso*, quod confirmat authoritate Magistri. Neque est necessaria species vniuersalior. Ita fatetur Morandus.

Obiicies tertiò, quantò aliqua ratio est immaterialior; tantò plura repræsentat: sed Angelus superior est actualior, quàm inferior: ergo. Maior probatur: nam species, quæ est in sensu communi, plura repræsentat, quàm, quæ in oculo; & species intelligibilis plura repræsentat, quàm phantasma. Et ratio est: quia, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Confirmatur: quia virtutes dispersæ in inferioribus, vniuntur in superioribus.

166 Respondetvr, Maiorem esse insufficientem, quia non ideò præcisè species repræsentat plura, quia est in subiecto immaterialiori; sed quia est talis obiecti vicaria. Ad confirmationem dico, non esse eandem speciem in oculo, & quæ fit in sensu communi; neque ideò dicitur sensus communis, quia speciebus communioribus repræsentet obiecta; sed, quia omnia obiecta à sensibus, tanquam lineæ ad centrum, ad sensum communem confluunt, vt notat Seraphicus Doctor 5. *p*. *Centil*. *sect*. 21. & singulorum species fiunt. Similiter non est eadem species phantasma, & species intentionalis intellectiua; sed alia. Ad id, quod dicitur: *virtutes dispersæ*, &c. Respondetur, verum esse de virtutibus agentibus principaliter; non de instrumentis, vt sunt species, quæ pendent ab obiectis; obiecta verò non continent plura diuersa, ideò nequeunt tot exprimere. Ita D. Bonauent. *in corpore*, Faber *n*.33. Mastrius 229. Oportet etiam aduertere, non fieri talem saltum ab Angelo inferiori ad superiorem, qualis fit à sensu ad intellectum. Omnes enim Angeli sunt spiritualis ordinis; atque adeò non benè applicaretur similitudo, etiamsi plura repræsentaret species intellectiua, quod adhuc est falsum: nam omnes pendent à suis obiectis in exprimendo, aut ad ea referuntur. Quare si species oculi esset in phantasia; & phantasma in intellectu, non exprimerent plura. Ità satisfit huic rationi, quæ est Amazon aduersantium, quam vrgent cum D.Thom. discipuli, Nazar. Ioan. à S. Thom. *loc. cit*. Tannerus *n*.13.

Obiicies contra modum S. Bonau. Si Angelus cognoscit singularia: vel ergo cognoscit per species haustas; & tunc reciperet, quod putat falsum; si absque speciebus, quomodo fit similatio? 167

Respondetvr ex S. Doctore, obiectum, ad præsentiam Angeli, excitare species Angelicas (neque alias emittit, quia natura nil frustra facit) itaque videndo Papam, occurrit species hominis, figura talis, colores, sapientia, vestes, &c. quas Angelus componit, & Papam nouit; eaque imago seruatur, atque, si alia obiecta occurrunt, adhibere species vniuersales compositas potest ad intelligendum Papam commodè, non enim sunt veluti characteres præli librariorum, vt componantur materialiter & mox disperdantur: & dato quòd dissolueretur prima impressio, adhuc manet species expressa, quæ licèt exprimat intellectionem; tamen repræsentat etiam obiecta: sed hæc latiùs soluentur *quæstione decima*.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Angelvs *cognoscat se ipsum per speciem.*

D.Bonau. loc.cit.
D.Th.q.50.art.1.

Qværit S.Thomas: Vtrum Angelus cognoscat se per suam essentiam, non tanquam per actum cognoscendi, quasi intellectio Angeli sit essentia ipsa Angeli; non accidens, vt malè putauit Marsil. 2.*q*.7.*art*.1. hoc enim est solius Dei, vt monet D.Bonau. *initio corporis*. Et D.Thom. *hic*. Sed quæritur: An intelligat se per suam essentiam, vt obiectum.

Fvit opinio Henrici *quodl*. 5. *q*. 14. *sub litt. V*. Angelum se intelligere, non per propriam essentiam; sed per aliquid additum realiter ab ea distinctum. Hoc autem additum vult, esse habitum illum scientialem, suprà relatum. Quidquid dicat Vasq. *disput*. 204. *c*. 2. Imò vult intelligere per suam essentiam etiam in sensu; de quo non quæro, cùm solius sit Dei proprium. Quod si addidisset, intelligere omnia in sua essentia esse solius Dei, cuius essentia est omnium exemplar; non recederet à cæteris Theologis, id asserentibus, cum D. Bonau. vt vidimus *tract*.1.*d*.13. Cum Henrico videtur Pasqualigus *in memb*.5. Citatur etiam Alensis, sed immeritò. 168

Secvnda sententia est Scoti 2.*d*.3.*q*.10. Angelum, cognitione quidem intuitiua, se ipsum per suam essentiam cognoscere; at cognitione abstractiua, cognoscere se ipsum per speciem: sic eum exponit Fauentinus *disp*.24.*n*.2. & *d*.26.*n*.7. & adducitur à Vasq. *disp*.204.*c*.1. Suar. *lib*.2.*c*.4. Tannero *d*.5. *q*.3. *dub*.2. Eum secuti sunt etiam Maior 2. *d*.3. *q*.4. Bassolis *q*.3. *ad* 2. Gabriel *q*.2. *art*.3. *concl*.10.

Tertia sententia Theologis, atque Philosophis accepta est, Angelum per suam essentiam, non per aliquam speciem, omninò seipsum cognoscere. Ità D. Bonau. *hic in corpore*, vbi ait, omnes, qui aliquid intelligunt, posuisse, Angelum cognoscere per species alia obiecta, præter ea, quæ in Angelo intelligente existunt; eum sequuntur D. Thom. *hic* & 2. *contra Gent*. *cap*. 98. quibus locis Omnes Thomistæ. Richard. *in* 2.*d*.3. *art*.6. *quæst*.1. 169

Argent.

Argent. ea dist. quæst. 2. art. 4. 1. p. articuli. Capreol. quæst. 2. art. 1. concl. 5. Suarez lib. 2. de Angelis, c. 4. & disputat. 15. Metaph. sect. 4. Vasquez disp. 204. cap. 2. Valentia disput. 4. quæst. 7. punct. 1. Molina quæst. 56. art. 1. d. 1. Tanner. loco citato, Morandus tract. 7. quæst. 21. qui adducit, præter allegatos, Alarconium, Arrubalem, Auersam, Arriagam. In hac sententia stans Durandus 2. d. 6. quæst. 6. num. 8. ait, omnes Theologos, & Philosophos conuenire. Est sententia Aristotelis 3. de anima, text. 15. & 12. Metaph. text. 51. vbi ait: *In immaterialibus idem est, quod intelligitur, & quo intelligitur.* Sic etiam Auer. 12. Metaph. Soncinas 12. Metaph. quæst. 59. Marcus à Baudunio quæst. 50. art. 1. Caspens. disp. 2. sect. 4. dicens, esse communem Theologorum.

Assero cum hac sententia primò, Angelum cognoscere seipsum per suam substantiam.

170 Probatur primò, ratione, quam tangit S. Doctor *initio corporis quæstionis*, qua vtuntur Suarez num. 7. Tanner. num. 4. Morand. num. 720. Marcus noster, & alij cum D. Thom. Natura, quæ principium habet sufficiens ad suam operationem, aliud non admittit: quia Deus, & natura nihil frustra faciunt: sed essentia Angeli est sufficiens principium obiectiuum ipsi Angelo: ergo non admittit speciem, vel aliud, supplens vicem suam. Confirmatur exemplo Dei, qui ideò omnia cognoscit per suam essentiam; quia in eo omnia resplendent exemplariter, & proportionaliter: sed hic præsens, & proportionata est essentia Angeli eius intellectui: ergo. Idem habet in 3. dist. 14. art. 2. q. 1.

171 Probatur secundò à D. Bonau. distinct. 4. art. 3. quæst. 1. argum. 3. & confirmatur præcedens ratio. Vbi sunt principia, & media sufficientia ad actum; ex his actus resultat: sed hæc omnia sunt in Angelo ad seipsum intelligendum, sine specie: ergo. Maior est euidens. Minor probatur à D. Dionysio lib. 1. cœlest. Hier. cap. 3. in medio, & cap. 4. vbi ait: *Angelos esse lumina.* Ergo Angelus; suo intellectu; videt seipsum proportionatum præsentem, vt obiectum luminosum: cumque intellectus sit perspicax non egens depurare sibi obiectum (quæ omnia sunt sufficientia principia, & media ad intellectionem), sequitur nostra conclusio. Hanc doctrinam habet S. Doctor etiam in 2. dist. 29. quæst. 2. in corpore. Sic arguit & Faber disp. 24. n. 10.

Dices cum Vasquez, non sufficit, vt obiectum assistat intellectui; sed debet inhærere, cumque informare: at essentia non inhæret intellectui: ergo non potest esse principium, sufficienter determinans intellectum efficienter ad intellectionem.

172 Respondet Seraphicus Doctor ad 1. non requiri inhæsionem; sed sufficere debitam vicinitatem: sic essentia est præsentissima intellectui, idem cum eo realiter, & ab eo formaliter solùm distincta. Neque verò species, vel obiectum efficienter concurrit ad intellectionem, sed tantùm materialiter se exhibendo; vt docet D. Bonau. 3. d. 23. art. 2. quæst. 1. & d. 14. quæst. vlt. & in 2. d. 24. 1. part. q. vlt. vt ostendam tract. de anima, disp. 4. quæst. 10. Ratio Seraphici est; quia intellectio est actus vitalis: ergo debet esse à potentia vitali; alioqui denominaret obiectum, seu speciem intelligentem.

173 Assero secundò, Angelum cognoscere se ipsum, per suam substantiam immediatè, ita vt ipsa concurrat vt obiectum. Ità sentiunt Authores tertiæ sententiæ, & ex DD. secundæ, Scotus 2. d. 3. quæst. 8. imò & Henricus quodl. 4. quæst. 7. contra Caietanum quæst. 54. art. 3. & quæst. 56. art. 1. Bannem, & Ripam eodem art. 1. qui docent, non ipsam substantiam Angeli immediate, sed solùm intellectum, tanquam virtutem ab ea manantem, tam ex parte potentiæ, quàm obiecti immediatè concurrere in Angelo ad sui cognitionem; quod generaliùs etiam sequitur Vasquez disp. 204. cap. 2. Ratio nostra est, quia alius est concursus ex parte potentiæ; alius ex parte obiecti, vt iam ostendi: & hunc præstat obiectum, vel eius vices gerens species; illum verò potentia: hic est effectiuus; obiecti verò concursus solùm materialis. Hanc distinctionem concursuum in omni alia cognitione experimur, vt aduertunt Morandus, Tannerus, Suarez, & alij. Vide Præpositum q. 56. art. 1.

Obijcies primò, si Angelus se intelligeret per suam substantiam, idem posset & anima: sed hoc est contra Aristotelem 3. de anima, text. 15. vbi ait: *Animam se intelligere, sicut alia*: Atqui alia intelligit non per suam substantiam: ergo. 174

Respondetur primò cum Seraphico hic, argum. 2. non esse absonum dicere, animam intelligere se per suam substantiam, quod probat ex D. Augustino 9. de Trinit. cap. 3. vbi ait: *Mens ergo ipsa, sicut corporearum rerum notitias, per sensus corporis colligit, sic & incorporearum rerum per semetipsam: ergo & semetipsam per seipsam nouit, quoniam est incorporea.* Ratio S. Bonau. est, quia species spiritualium nequit fieri in sensu: at ipsa per sensus species acquirit. Vbi D. August. loquitur de statu huius vitæ. Ita respondet etiam Valentia. Estque doctrina Seraphici in 2. vbi etiam aduertit, falsum esse illud vulgatum sermone prouerbium: *Nihil in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Et quod cognitio ortum habet à sensu; intelligitur enim de his, quæ per abstractionem noscuntur.

Deinde respondeo, disparem esse rationem: nam anima in corpore pendet à phantasmatibus. Ideò nil mirum, si speciebus intelligat, vt aduertit Morandus; qui addit, animam separatam per seipsam, se, suaque intelligere. Ita etiam D. Thom. q. 89. art. 2. Valentia 6. *Ad primum.*

Porrò animam se cognoscere, & alia in se absque beneficio specierum ostendit S. Doct. auctoritatibus, & rationibus, quas exeram prima secunda, tract. 1. & tract. de anima, disp. 9. q. 7. 175

Scotus, & asseclæ, præsertim Faber, dicunt, ita esse in cognitione intuitiua, quæ est obiecti præsentis, vt præsens est; non de abstractiua. Pugnat autem secum Faber, nam in 1. disp. 10. ait, ad cognitionem intuitiuam non esse id necessarium; quod hic dixit.

Obijcies secundò, omnis cognitio imperfecta, quæ conuenit superiori Angelo, potest & inferiori conuenire: sed Angelus superior cognoscit inferiorem per speciem illius, cognitione abstractiua: ergo & inferior, hoc modo, se ipsum noscit.

Respondetur primò, negando maiorem; nam Leo, qui est superior muscis, habet cognitionem, imperfectam sanè aliquarum rerum, puta escarum, & animalium inimicorum, quæ non conceditur omnibus inferioribus, puta muscis. Ratio est, quia quæuis cognitio, etiam imperfecta, continet aliquam perfectionem, quæ potest conuenire vni animali superiori, & negari inferiori. 176

Respondetur secundò, negando consequens, quia transit ad diuersa obiecta: sic Angelus superior intelligit quidem per speciem alium Angelum, non seipsum. Vnde non sequitur: ergo & inferior cognoscit se ipsum per speciem, sicuti non sequeretur. *Leo cognoscit carnes: ergo & Gallina pisces.*

177 Dices etiamsi anima cognoscat se ipsâ, se ipsam tamen cognoscit etiam per species.

RESPONDETVR, nil mirum dum sensibus est immersa, non sic Angelus.

OBIICIES tertiò, si præsentia obiecti proportionati est sufficiens: ergo, si vnus Angelus fiat alteri intimè præsens, poterit absque specie cognosci alter ab altero.

Respondet Morandus, concedendo totum; non tamen admittit, quòd per species existentes, in altero Angelo repræsentantes alia, posset cognoscere; quia de ratione speciei est, vt inhæreat, & vt sit principium cognitionis exemplare. Alia vide in Valentia, & Auersa, quæ ruunt ex dictis.

178 OBIICIES quartò, cum Morando *num.* 722. & Arriaga *disput.* 5. *sect.* 2. *subsec.* 2. Potest Angelus cognoscere sui possibilitatem, nil cogitando de existentia: si possunt in eodem, de eadem re, esse fides, & scientia: ideò quia media sunt distincta formaliter; cur nequit in eodem Angelo de se ipso, per media diuersa, esse duplex cognitio, idest abstractiua per speciem; & intuitiua per essentiam? Imò (ait Auersa) cur non eodem medio suæ essentiæ possit abstrahere ab existentia, & habere scientiam solam abstractiuam?

RESPONDETVR, non posse applicari cognitioni sui, & abstrahere ab existentia; neque posse separari media cognitionis, sicuti fidei, & scientiæ: nam in cognitione sui, quem intimè sic habet sistens, videt existentiam: multò minùs potest esse, quod dicit Auersa, vt inspiciens suam essentiam, abstrahat in sensu composito.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo vnus ANGELVS *alium cognoscat.*

D.Thom.q.56.art.1.

SVPPONO cum D. Bonau. vnum Angelum alios cognoscere: sunt enim actu intelligibiles. Quæstio igitur est de modo.

PRIMA opinio est Vasquez *disputat.* 205. *cap.* 3. vnum Angelum non egere alio medio, quam intellectu suo, quo constitutus est satis in actu primo. Idem videntur sentire negantes species, quos retuli *quæst.* 4. & Scotus *d.* 9. *quæst.* 2. Faber 2. *disput.* 35. *num.* 19.

SECVNDA opinio est, quemque Angelum cognoscere alios per suam essentiam. Ita Author libri *de causis*, *propositione* 8.

179 TERTIA sententia est, vnum Angelum alios intelligere per essentiam Angelorum intellectorum. Hanc refert S. Thom. *quæst.* 8. *de ver. art.* 7. Idem sentit Scotus *d.* 3. *quæst.* 10. si loquamur de cognitione intuitiua; de abstractiua verò, accipi species ab eis. Eum sequuntur allegati cum eo, *quæst. præcedenti.*

QVARTA opinio est, vnum Angelum alios intelligere, per species concreatas. Ità D. Thom. *quæst.* 56. *art.* 2. & 2. *contra Gent. cap.* 96. & 98. quibus locis Thomistæ Capreol. 2. *d.* 3. *quæst.* 2. *art.* 1. Suarez *lib.* 2. *cap.* 5. & 6. vbi adducit D.Bonauent. 2. *d.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. Valentia *d.* 4. *quæst.* 7. *punct.* 2. Molina *quæst.* 56. *art.* 2. Tanner. *disput.* 5. *quæst.* 3. *dub.* 3. *num.* 7. Morand. *tractat.* 7. *quæst.* 22. vbi præter adductos allegant Arrubalem, Præpositum, Auersam. Idem docet Marcus à Baudunio q. 50. *art.* 1. Caspensis *disp.* 2. *sect.* 4. Fuliensis *l.* 3. *c.* 4.

ASSERO cum hac sententia, (iuxta tamen modum S. Bonau. singularem, *quæstione præced.* explicitum) Angelos alia à se cognoscere per species concreatas. 180

PROBATVR primò à D. Bonau. fundamento primo, ex 28. Ezech. *Tu Cherub plenus sapientia*, quod maximè de cognitione substantiarum spiritualium, quæ sunt præcipuæ, debet exponi, vt aduertit etiam Suarez *num.* 21.

PROBATVR secundò à D.Bonau. ex D. Augustino *lib.* 2. *de Genes. ad litt. cap.* 8. & *lib.* 4. *cap.* 32. vbi docet, omnia fuisse creata priùs in mente Angelica, vt notat Valentia. Sic autem arguit. Res omnes ab initio fuere in Verbo, in seipsis, & in mente Angelorum. Et quidem in mente eorum fuere, modo magis accedente ad esse, quod habent in Verbo; vt ait D. August. at in Verbo sunt secundùm speciem perfectissimam: ergo & in Angelis fuere, maximè nobiliores, per species.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *initio corporis*, ratione, qua sæpè vtuntur Faber, & alij cum Scoto, relati *quæst.* 6. & 7. Nil exprimit aliud, nisi contineat illud formaliter, vel eminenter: sed Angeli essentia non continet aliorum essentias vllo modo: ergo nequit repræsentare alios, contra secundam sententiam. Quod neque per essentiam Angelorum cognitorum repræsentet, probatur; quia cognoscuntur etiam absentes, quod, quâ fronte negetur, ignorat Morandus: ergo cognoscuntur per species. Probatur consequentia ab eo, quia agens debet esse simul cum passo; neque obiectum, non expositum potentiæ, potest ei esse materialiter applicitum, iuxta nostra principia. Eadem ratione vtitur etiam Tannerus *num.* 8. 181

PROBATVR quartò, ratione D. Bonau. 2. *d.* 8. *part.* 2. *quæst.* 2. contra tertiam sententiam: si vnus Angelus per se effectiuè concurreret ad intellectionem, quam alter de ipso elicit, illaberetur menti eius; at non potest spiritus creatus illabi menti alterius: ergo. Probatur sequela à Seraphico, *in corpore*; quia illabi menti, est penetrare mentem, eamque immutare: hoc autem præstaret vnus Angelus in mente alterius. Minor probatur, ex communi Theologorum sensu dicentium, solum Deum menti illabi: sic D. August. aut Genadius *de Eccl. Dogm. cap.* 83. *aliàs* 82. D. Thom. 3. *part. quæst.* 8. *art.* 8. *ad* 1. & *quæst.* 64. *art.* 1. Magister 2. *d.* 8. *c.* 5. vt exponit Ferrar. 4. *cont. Gent. cap.* 18. Heruæus *d.* 9. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 2. Argent. *d.* 7. *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 3. vbi citat D. Fulgentium de fide ad Petrum *cap.* 3. adductum priùs à D. Bonau. *fundamento primo*. Ibi autem ait D.Fulgentius: *Inest singulis naturalis terminus, quo à se inuicem discernuntur; quia nullus eorum in alio est.* Fuit autem hoc opus olim adscriptum D. Augustino. Fauet D. Bernardus serm. 5. in Cant. dicens: *Nullum creatorum spirituum per se, mentibus nostris applicari.* Et infrà: *Nec ipsi Angeli ità se alterutrum capiunt.* 182

RESPONDET Suarez *n.* 14. & Mastrius *tom.* 2. *d.* 2. *n.* 160. hanc rationem esse infirmam. Illapsus enim improprius est, intrando in aliud; dicitur enim & flumen in mare illabi per solam insinuationem præsentiæ, quod si super addatur etiam operatio; tunc magis acceditur ad illapsum: sic D. Gregor. *lib.* 7. *Moral. cap.* 20. *aliàs* 18. ait: *Dæmon, si suggestioni eius primò non resistitur, repente totum in interiora cordis illabitur.* Sed hic etiam illapsus est adhuc improprius apud Patres. 183

VERVS igitur illapsus à Theologis dicitur, quando vna substantia est in alia intimè, eam continendo 184

tinendo in suo esse, tanquam habens dominium in illam: quomodo dicitur anima illabi corpori; non è contra. Et hoc pacto, inter substantias spirituales, sola Diuina illabitur reliquis: quia sola continet. Et hoc sensu Patres loquuntur; at per cognitionem non sequitur talis illapsus. Sixtus V. de Laurea D. Bonau. ait, doctrinam eius in *intimos animi recessus illabi*.

185 Fateor, hanc potestatem continendi, multò anteà, Deo appropriasse Fulgentium; attamen, circa allegata verba, solùm praescribit in esse, & operationibus terminum singulis, nec ideò, alterum in altero esse non posse, ait; quia non contineat vnus alium; sed quia vnus limitatam habet essentiam, & virtutem, qua non illabatur in alterum: nam ridiculum esset assignare pro causa, ob quam nequeant alios actione, vel essentia peruadere; quia extra continere nequeant alios. Et D. Bernardus, ait: *Illud autem scitote, nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, vt, videlicet, nullo mediante nostri, siuè corporis instrumento ita nobis immisceatur, & infundatur, quo eius participatione docti, siue doctiores efficiamur. Nec ipsi Angeli se alterutrum capiunt: sequestretur hac praerogatiua summo spiritui, qui solus, cùm docet hominem, siue Angelum scientiam, instrumentum non quaerit.* En loquitur ad rem nostram.

QVAESTIO IX.

Quomodo Angeli *naturaliter Deum cognoscant.*

D. Bonau. d. 3. p. 2. art. 1. q. 2.
D. Thom. q. 56. art. 3.

Svppono autem primò, Angelum naturaliter Deum cognoscere: si enim nos id possumus, vt ostendi *tract. 1. disp. 11. ad finem*; multò magis Angelus, intellectûs acumine praestantior. Deinde suppono, Angelum non posse naturaliter Deum videre, vt ostendi *ea disp. quaest.* 8.

In hac quaestione Scotus *in 2. d. 3. quaest. 9.* asserit, Deum cognosci ab Angelo praeclarè per speciem Dei quidditatiuam, abstractiuè tamen; non intuitiuè. Ita refertur à Vasquez *disput. 36. 206. cap. 1.* à Valentia *disp. 4. q. 7. p. 3.* à Suarez *lib. 2. cap. 17.* Tannero *disput. 5. quaest. 3. dub. 3.* & aliis; tametsi Fauentinus *disp. 25.* eum alio leniter detorqueat ad scabra declinanda. Eum sequuntur Scotistae, quos refutaui *disp. cit. q. 2.* Nec longè abeunt hac in re Marsil. *2. quaest. 7. art. 1. concl. 8.* qui speciem admittit, per quam Angeli Deum intelligant; non tamen quidditatiuam: Nominales in Prologo, & alij, quos sequitur Marcus à Baudunio, *q. 50. art. 2.*

186 Commvne Theologorum est placitum, Angelum non cognoscere Deum naturaliter per essentiam Diuinam concurrentem per modum speciei intelligibilis, neque per aliquam speciem creatam Diuinae essentiae; sed per Angelicam suam essentiam, non quidem, vt speciem; sed vt Imaginem substantialem. Ita D. Bonau. *hic, & in 1. d. 3. p. 1. q. 2. & sequentibus.*

Consentit D. Thomas *quaest. 56. art. 3.* vbi Thomistae Caietanus, Zumel. (qui tamen addunt, posse cognoscere etiam per speciem inadaequatam, & imperfectam.) Richard. *2. d. 4. art. 1. q. 1. & 2.* Bassolis *d. 3. q. 3. art. 3.* (qui tamen Caietano adhaeret.) Quibus consensere Alens. *2. p. q. 24. memb. 1.* Capreol. *2. d. 3. q. 2. art. 1.* Ferrar. *2. cont. Gentes, cap. 98.* qui possibilem addunt cognitionem per speciem Dei. De facto verò (excepto Zumello) dicunt, cognoscere Angelum Diuinam Maiestatem in Angelica essentia, vt imagine, & medio cognito. Ideò pro nostra sententia allegantur à Molina *q. 56. art. 3.* Valentia *q. 7. princ. 3.* vbi nostram sectantur sententiam, quam sequuntur etiam Suarez *lib. 2. cap. 18.* Vasquez *disp. 206.* Tanner. *disp. 5. q. 3. dub. 3.* Arriaga *disp. 8. sect. 2. subsect. 2.* Auersa *q. 6. sect. 3.* Morandus *tract. 7. q. 23.* adducens Henricum *quodl. 4. q. 7.* Arrubalem, Granadum, Praepositum. Sic Caspens. *disp. 2. sect. 4.* Fuliensis *lib. 3. c. 4.*

Marcvs noster *q. 50. art. 2.* magis Scotista, quàm noster, ait, D. Bonauenturam nihil *hic*, de hac quaestione dicere. Addit verò, non negare S. Bonauent. posse Deum cognosci in via. At si responsa ad opposita perlegisset, inuenisset ad litteram, nostram prolatam ab eo sententiam, nimirum Angelum non videre quidem naturaliter Deum, sed cognoscere tamen, vt in effectu, vt medio cognito, & eò perfectiùs, quàm in aliis creaturis, quò perfectiùs Deum imitatur, vt Imago, quae tamen, vt repraesentat Augustissimam Trinitatem, aliquo fidei lumine praeuio indiget, vt dixi *tract. 2. quaest. 1.* 187

Assero primò, Angelum non cognouisse in via Deum, per speciem quidditatiuam.

Probatvr primò à D. Bonauent. *argumento tertio, addito responso*, quo vtuntur omnes ferè Authores nostrae sententiae. Quae sunt quidditatiuè, seu essentialiter in cognoscente potentia, & sunt in ea, etiam praesentialiter, cognoscuntur intuitiuè ex D. Augustino *lib. 9. de Trin. cap. 13. & lib. 12. super Genes. cap. 25. & 31.* sed per te Deus praesentissimus in intellectu Angelico in via, est in eo etiam quidditatiuè per speciem: ergo Angelus in via naturaliter videbat Diuinam essentiam. Confirmatur: quia cognitio quidditatiua Dei, est totius quidditatis Dei, secundùm propriam rationem, & per cognitioem Dei quidditatiuam cognoscitur Deus vt ens, actu existens: nam existentia est Deo essentialis, vt ostendi *tract. 1. disp. 1. quaest. 1.* Quod verò fiat per speciem obiecto praesente, non facit, quin intuitiua sit, vt concedit Scotus apud Fabrum *n. 20.* Vrgent argumentum, auctoritatibus Patrum. Vide Valentiam. 188

Respondet Faber *cap. 4.* è Scoto, hanc speciem repraesentare Deum inadaequatè, licèt adaequatè ad talem actum, sicuti species albedinis dicitur inadaequata oculo lippo; est tamen adaequata in ordine ad actum talem visionis, qualiscumque potest elici ab oculo tali, qui non poterit per eam videre album, quantum visibile est: sic igitur illa species est adaequata intellectui lippo, in ordine ad actum Diuinae cognitionis, neque repraesentat Deum secundùm omnia praedicata; sed solùm secundùm aliqua. 189

At meditari fugam videtur: nam species quidditatiua exprimit rationem formalem, vt docet Aristoteles *4. Phys.* Cùm ergo omnes perfectiones Deo sint essentiales, non potest Deus quidditatiuè cognosci, quin omnia cognoscantur: neque nos praetendimus, cognosci infinitè, vt ipse putat. Nam neque Angeli beati habent visionem infinitam. Quod si libet vocare speciem quidditatiuam, 190
quae repraesentat adaequatè in ordine ad actum imperfectum caecutienti, iam non erit verè quiddi-

 tatiua

tatiua, includens omnia essentialia Diuinæ essentiæ; quod si in se quidditatiua est, iam frustrà à Deo est indita omnibus Angelis in via, nec est simile de specie albedinis, quæ potentiæ proportionatæ per se producitur; esto per accidens eam recipiens aliquis lippus, sit incapax totius repræsentationis. Ne igitur abutamur vocabulis ad effugia; fateamur, speciem illam, à Deo datam Angelis, quidditatiuam, omnia essentialia Diuinæ naturæ exprimere, maximè existentiam, & præsentiam, quæ est essentiæ quidditatiua, ex Scoto, & præcipuis assectis, relatis à me *tract.*1. *disput.*1.
191 *quæst.*1. Vrgeo, quia, si illa est cognitio naturalis, vtique est Angelis debita: ergo per speciem adæquatam in se, & in ordine ad cognitionem. Satiùs facerent, dicendo cum Molina, & Arriaga, talem speciem fore supernaturalem, vt monuit Morandus, qui adhuc vrget, fore, vt ea species naturaliter repræsentaret Diuinam essentiæ fœcunditatem, ac Personarum Trinitatem, contra omnes Theologos negantes, Trinitatis cognitionem esse naturalem.

Firmivs insistunt Tannerus, Caietanus, Suarez, Valentia, & alij vrgentes, speciem illam; eo ipso, quòd quidditatiua sit, repræsentare existentiam, & præsentiam, Deo essentialem.

Respondent Mastrius *d.*6.*de anima*, *quæst.*11. *num.*324. & 1.*sent.d.*6.*num.*40. Lusitanus *lib.*8. *q.*5. *art.*2.*num.*9. & alij Scotistæ, eam speciem non repræsentare Deum intuitiuè; quia non sufficit ad cognitionem intuitiuam exprimere existentiam: nam hæc potest cognitione etiam abstractiuâ exprimi. Itaque non differre cognitionem intuitiuam ab abstractiuâ; eò quòd illa plures exprimat formalitates, sed penès modum, quia nimirum per cognitionem abstractiuam attingitur existentia, & præsentia rei præcisè, vt obiectum
192 cognitum; at in intuitiua concurrit existentia non solùm materialiter, vt obiectum cognitum; sed formaliter, & reduplicatiuè, vt ratio mouendi, & terminandi; vel vt conditio mouentis, & terminantis. Itaque aiunt, ad repræsentationem intuitiuam, non satis esse, speciem exprimere totam quidditatem Dei, atque adeò & existentiam; sed requiri, vt repræsentet sub ratione formali existentis, atque præsentis. Itaque eam speciem Angelicam non repræsentare Deum intuitiuè; quia non repræsentat præsentem, sub ratione obiecti intuibilis facialiter.

Hæc omnia sunt inania effugia, vt notat Auersa *prima parte*, *quæst.*12. *sect.*19. nam species illa exprimens existentiam, & præsentiam Dei, ex vi quidditatiuæ speciei, debet ostendere præsentem, atque adeò intuitiuè, sub ratione obiecti cognoscibilis, neque aliud exigitur, vt constat ex aliis obiectis visis. Neque rectè negat Mastrius paritatem, eò quòd alia obiecta sunt proportionata, non sic Deus; nam eo ipso, quòd asserit cum Scoto, illam speciem esse quidditatiuam, satis concedit, posse repræsentare obiectum, secundùm omnia Deo quidditatiua, inter quæ est etiam præsentia realis obiectiuè, ne speciem hanc æquiuocè
193 quidditatiuam faciamus. Igitur non modò repræsentat præsentem, vt fatetur, *num.*51. Suarezio, & Fasolo respondens, qui eum ex angulo extrahunt; vnde reprehendit etiam Radam, quia *contron.*10. *quæst.*1. dixerat, illam speciem repræsentare, veluti absentem; verùm etiam, ex vi speciei quidditatiuæ, mouet reduplicatiuè ad 1 eum obiectiuè præsentem habendum; neque rectè opponit altitudinem obiecti; sicuti nec Faber lippitudinem, vt notat S. Doctor *ad* 5. neque rectè Faber speciem illam attenuat dicens, esse veluti statuam Herculis: nam statua Herculis non est quidditatiua Herculi. Neque rectè comparat eam speciei, qua video Romam existentem; sed absentem, vt benè arguit Mastrius: nam species ista non continet aliud in sua expressione, quàm, quòd Roma tali modo ædificetur, non enim existentia,& præsentia est de Romæ quidditate; sicuti est de ratione intrinsecâ Dei.

Probatvr secundò à Bañes *prima parte*, 194
*quæst.*12.*art.*2.*d.*1.*concl.*3. *argum.*4. D.Bonauenturæ *ad opp.* Omnis cognitio distincta fit per speciem rei, magis immaterialem, quàm sit res cognita; sed non potest dari species æquè immaterialis cum Deo: ergo.

Hoc tamen argumentum soluit ipse S. Doctor, à quo responsum haurit Faber *in fine*. Respondet autem Seraphicus Doctor; se non dixisse per hanc speciem Angelum ad Deum cognoscendum induci, sed per suam essentiam, quæ est signaculum similitudinis Dei, Angelo ipsi repræsentari Deum. Quod si detur ea species, non inferri, fore æquè spiritualem, ac Deum ipsum; sed futuram spiritualem proportionatè intellectui Angelico: neque est simile de obiectis corporeis, quæ cùm sint crassiora, non possunt recipi in intellectu, & ideò egent emittere speciem attenuatam, quæ & magis attenuetur ad proportionem cum potentia cognoscitiua. Itaque illa species Angelica non abstracta, sed infusa à Deo, esset ipso materialior, & inferior; quia esset accidens in natura inferiori, vt ait S.Augustinus 9. *de Trinitate*, *cap.*11. ac D. Bonauent. relati *tract.*1. *d.*11. *q.*3. *ad* 3. nec semper species est immaterialior obiecto, vt patet de specie Angeli ab homine.

Probatvr tertiò à D.Bonauent.*fundam.*2. Si 195
Angelus in via habuisset speciem illam quidditatiuam Diuinæ essentiæ, naturæ suæ iniunctam; sequeretur ex dictis, ipsum visurum naturaliter Diuinam essentiam: quia illa species, cùm sit quidditatiua Dei, repræsentaret Deum, secundùm omnes perfectiones essentiales, atque adeò præsentem obiectiuè, vt satis ostendi etiam *tract.*1. *disp.*11. *quæst.*2. Ex quibus sequitur, etiam dæmones, qui in naturalibus integris permanent, vt docet S.Dionysius Areopagita *cap.*4. *de diu.nom.* esse beatos, quod est hæreticum.

Probatvr quartò à Marco nostro, ratione 196
ductâ à D.Bonauent. Si daretur illa species quidditatiua in Angelo, magis exprimeret omnia, quæ sunt Deo intrinseca, quàm ipsius Angeli natura: & ita in eo perfectiùs videretur fœcunditas essentiæ in intellectu, & voluntate ad Diuinas emanationes. Videret ipsas emanationes, & ita filium per generationem, ex infinitâ intellectione genitum, &c. Et, vt vno omnia complectar verbo, Mysterium Sanctissimæ Trinitatis quidditatiuè perfectè cognosceret. Ex quo infertur, speciem illam, quæ in omnibus Angelis reperitur, esse Imaginem perfectissimam Sanctissimæ Trinitatis Angelo, & animâ rationali perfectiorem; sed hoc est falsum: ergo. Maior est euidens. Minor probatur ex Patribus, qui vbique Imaginem Sanctissimæ Trinitatis in solis Angelis, & animâ agnoscunt. Deinde probatur, illo *Ezech.*28. vbi Luciferum alloquens, vt suprà ostendi, ait: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia.* Hoc autem accipiunt etiam Scotistæ, *adducti quæst.*6. vt significet

significet, Luciferum plenum speciebus scientificis, ita vt ratio signaculi, & similitudinis, non ipsi speciei quidditatiuæ Dei, neque ipsi Angelo ratione speciei hoc elogio conueniat; sed naturæ.

197 RESPONDENT autem è Scoto, speciem illam esse magis Imaginem Dei, quàm sit ipse Angelus; sed imaginem non cognitam: Angelum verò imainem cognitam.

At cùm formale imaginis in repræsentando consistat, vt docet Scotus *in 1. dist. 3.* non satis argumento respondetur, dum concedatur, speciem illam esse perfectiùs repræsentatiuam Diuinæ Maiestatis: & per hæc corruit responsio Radæ *controuersia* 10.

PROBATVR quintò. Si Dæmones à creatione haberent speciem illam, cognoscerent etiam quidquid est Dei quidditatiuum, atque adeò creaturas omnes, vt sunt obiectum Diuinæ essentiæ, & omnipotentiæ, cognitione matutinâ, & vespertinâ, quam Scotus admittebat in Angelis viatoribus; hoc autem iam apertè est contra D. Augustinum, qui nusquam talem cognitionem dæmonibus concessit; sed penitùs negat. Probatur sequens; nam in Angelis manserunt naturalia integra, ex D. Dionysio suprà relato: eam verò speciem naturalem confitentur Scotistæ, atque principium cognitionis naturalis Dei, vt aduertit Morandus.

198 PROBATVR sextò. Si daretur ea species quidditatiua naturalis de Deo, in mente Angeli viatoris, præclarè cognouisset Deum, atque adamasset necessariò super omnia, saltem quoad specificationem actus; atque adeo non potuisset inclinari ad se immoderatè amandum; & aliquam æqualitatem cum Deo, vel exemptionem ab eius regimine prætendere, quia vidisset Dei infinitatem, &c. & summum necessarium imperium, atque summam bonitatem absque malo, ac proinde non potuissent tot Angeli ab eo per culpas auerti.

ASSERO secundò, Angelum per suam substantiam cognitam, cognoscere naturaliter Deum, sine specie.

199 PROBATVR primò à D. Bonau. *ad argumenta.* Quantò aliquis effectus est nobilior; tantò perfectiùs deducit in cognitionem perfectionum causæ. Angelus est creatura nobilissima Dei: ergo. Minor, probatur; quia dicitur Ezech. 28. *Signaculum similitudinis Dei*, vt exponunt PP. adducti, *q.* 4. Hoc nititur Valentia, adducens D. Gregorium *homil.* 34. *in Euang. & lib.* 32. *Moral. cap.* 24. idipsum inde conuincentem. Idem argumentum adhibet Vasquez *cap.* 2. allegans Seraphicum in solutionibus allegatis argumentorum, quas non aduertit Marcus noster, Eo vtuntur Suarez *cap.* 18. Faber *num.* 16. cum Scoto *d.* 3. *q.* 9. qui nititur ostendere, hanc repræsentationem esse imperfectam, quod non inficior concedere.

Ex quo rectè deducunt Suarez, & Vasquez substantiam Angeli esse medium cognitum, per quod Deus mediatè cognoscitur, imperfectè tamen; quia, sicuti res se habet ad esse, ita ad cognosci: sed essentia Angeli non continet essentiam Diuinam formaliter, aut virtute, aut vt species: ergo non potest repræsentare perfectè. Confirmatur; ideò enim Diuina essentia repræsentat omnia perfectè, quia est causa perfectissima omnium, vt arguit Faber ex D. Bonauent. *quæst.* proximâ ante hanc, *initio corporis.* Sed tandem & ipse fatetur, speciem illam Scoticam esse exprimentem lippis, & ita ne speciem minuat, oculos Angelos obumbrat; quasi inspiciliis egeant, eaque species sit data incongrua Angelorum lippitudini, ne adæquatè Deum naturaliter videant.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *argum.* 1. *addita responsione.* Intellectus Deiformis potest seipsum intuendo, sine specie Deum contemplari, Angeli intellectus est talis ex S. Dionysio *cap.* 4. *de diuinis nominib.* ergo. 200

PROBATVR quartò à Marco nostro, argumentis D. Bonauenturæ *in* 1. *d.* 3. *cit.* Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sed Angelus est intellectu præclariori præditus, quàm homo.* Ergo ex creaturis etiam perfectiùs Deum cognoscit, vt arguit *in hac quæst.* S. Doctor, & cum eo Arriaga, Morandus, Marcus, & alij.

OBIICIES primò. Si Angelus solùm è creaturis Deum agnouisset, imperfectiùs agnouisset, quàm Adam.

RESPONDETVR è D. Bonau. *ad argumenta*, negando sequela, quia Adam mole corporis pressus imperfectiùs nouerat. Igitur Angelus perfectiorem habuit cognitionem: quia est perfectior similitudo Dei, atque adeò & in ratione potentiæ, & in ratione obiecti præstantior, vt ait S. Doct. 2. *distinctione* 16. *artic.* 2. *quæst.* 1. Tametsi & Adam perfectè Deum pro captu suo agnosceret in statu innocentiæ, vt probat idem Seraphicus *d.* 23. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in corpore, & quæst.* 3. sic respondet Valentia.

OBIICIES secundò: sequeretur, Angelum ex cognitione sui, deuenire per discursum in cognitionem Dei, atque adeò priùs cognouisse, se esse imaginem Dei, & deinde agnouisse ipsum Deum, antequam per se cognosceret. 201

RESPONDETVR Angelum discurrere apud D. Bonau. vt ostendam *quæst.* 23. Debuit ergo cognoscere, se, non à se ipso suum esse, & dotes habere, sed ab aliquo principio, quod imitetur. Datur etiam lumen naturale internum ad Deum cognoscendum, vt probat Seraphicus *distinctione* 39. *quæst.* 2.

Quoad rationem imaginis, satis fuit, sibi reuelatum esse, ad Dei Imaginem se conditum.

OBIICIES tertiò, non implicat, dari speciem repræsentantem Deum, vt dixisti *tract.* 1. *d. spec.* 11 *quæst.* 3.

RESPONDETVR, non posse esse quidditatiuam, quin sit intuitiua existentiæ, à qua non potest abstrahere.

OBIICIES quartò, aliquis videns Deum per raptum, potest recordari distinctè obiecti visi; hoc autem non aliter, fieret quàm per speciem diuinæ essentiæ. Maior patet ex raptu Pauli. Minor est euidens. Hoc sumpsit Scotus è D. Bonau. 3. *dist.* 14. *art.* 2. *q.* 1. *argumento vltimo.*

RESPONDETVR è Seraphico *d.* 23. *art.* 2. *quæst.* 2. Paulum non vidisse Diuinam essentiam, vt ostendi *tract.* 1. *d. sp.* 11. *quæst.* 27. Addit verò S. Doct. 3. *d.* 14. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vlt.* talis si daretur casus, non posset posteà recordari rerum; nisi quatenus recorderetur Verbi, in quo vidit res: at hoc non fit per speciem impressam Diuinæ essentiæ; sed per compositum ab intellectu in confuso, vel respiciendo verbum productum, vt id *Quo* vidit. 202

DEINDE non esset illa species substantialiter naturalis; sed supernaturalis. Vnde non adducitur ad rem. Itaque Paulus solùm recordaretur, se Deum vidisse: at quæ viderat, nequaquam, sed solùm in confuso; vt discurrunt Morandus, Ripa, & Caietanus 203

Caietanus contra Scotistas: etsi aliqua esset species, ea esset supernaturalis. Vide & Molinam *ad* 4.

Obiicies quintò. D. Augustinus 5.*super Genes. ad litt. cap.*23. ponit in Angelis cognitionem matutinam in via: ergo per speciem claram. Et *lib.*65. 99. *quaest.*26. idem asserit. Et *cap.* 24. clariùs ait, quòd Angeli videntes res primò in Verbo; deinde in seipsis, redierunt ad cognitionem in Verbo, quòd si non retulissent in laudem Dei, intumuissent superbiâ: ergo erat cognitio viæ.

Respondetur, visionem matutinam fuisse beatam, nec fuisse priùs duratione, sed dignitate. Verba autem *quaest.* 24. (nam in quæstiones, non in capita, diuiditur Liber ille) non inueni.

QVÆSTIO X.

Quomodo Angeli *cognoscant futura contingentia.*

D. Bonau. d.7. p.2. art.1.q.3.
D.Thom.q.57.art.3.

SCito ex D. Bonau. quem sequuntur Vasquez *disput.*4. *quaest.*207. *&* 208. Suarez *lib.*2. *cap.*9. *num.*3. Valentia *disput.*4. *quaest.* 8. *punct.*3. Tannet.
204 *disput.*5. *quaest.*3. *dub.*5. varia esse futura. Aliqua enim sunt absolutè necessaria, vt Eclipses variæque siderum coniunctiones: & de his nulla est ferè quæstio: nam, vt docet D. Bonau. *argum. primò*, & *in corpore*, Angeli cognoscunt causas naturales, atque adeò, sicuti Astrologi in causis vident effectus huiusmodi, v. g. in oppositione Lunæ Soli sub ecliptica, & interpositione terræ, Lunarem eclipsim; multò magis Angelus perspicacior, & eruditior talia percipiet. Idem docet D. Thom. *art.*3. Non autem vident naturaliter ea in seipsis, aut per species repræsentantes eorum futuritionem immediatè. Ita D. Thomas ibi, & communiter cum Magistro *distinct.* 3. *vel* 7. Hoc enim Scriptura, & Patres Deo proprium aiunt; qui vocat, & nouit ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Ratio à priori est; quia cùm futura nullam habeant, vel habuerint existentiam, non magis in se sunt cognoscibilia à creato intellectu, cuius cognitio ex natura sua ab obiecto pendet, quàm purè possibilia. Alia verò sunt futura contingentia, & hæc sunt duplicis generis: quædam enim sunt contingentia è solis causis naturalibus, absque interuentu alicuius causæ liberæ; vt sanitas, quæ ex potione obueniret; sed potest impediri ab aliqua aëris intemperie: alia sunt contingentia libera.

205 Quoad contingentia naturalia, quibus non interuenit aliqua causa libera.

Prima opinio est, posse hæc certo præsciri ab Angelo, qui congeriem causarum concurrentium vsque ad vltimam comprehendit. Ita Albertus *in* 2.*d.*7.*art.*5.Durand.*quaest.*3. Alens.2.*p.quaest.*26. *memb.*4. & ferè Richard. 2. *d.*7.*art.*2.*q.*2. Corduba *quaest.*55.*dub.*4.Vasquez *disp.*207. Albertinus 1.*tom. princ.*1. *corroll.*12. *num.*3. Suarez *disp.*19. *Metaph. sect.*1.& *lib.*1.*de Angelis*, *cap.*9. Molina, Pesantius, & Ripa *ad hunc articulum D. Thom.* Tannerus *disput.*5. *quaest.*3. *dub.*5. *num.*16. Arrubal *disp.*168. Morand. *tract.*7. *quaest.*24. adducens etiam Alarconium, Præpositum, Arriagam *d.*9.*sect.*2. Auersam. Idem sentit Marcus noster *q.*51. *art.*1. *dub.*2. Caspensis *disp.*2.*sect.*5. Fuliensis *lib.*3.*c.*4.

Secunda sententia est, hos effectus, posse quidem ab Angelo coniici; non tamen præuideri certò. Ita D.Bonauent. *hic*, & D.Thom. *art. hoc* vbi loquitur de omnibus contingentibus, inter quæ numerat ægritudines. Et 3.*cont. Gent. c.*154. vbi Ferrar.Ægid. *d.*7.*q.*2.*art.*1. & *tract.de cognitione Angelorum*. *quaest.*6. Heruæus *d.*7. *art.*2. Carthus. *d.*7.*q.*4. vbi oppositam erroris notâ obsignat, ob articulum Parisiensem, quem cum Richardo allegat Bannes *ad locum cit. D. Thom.* vbi audaciæ incusat oppositum dicentes, quo cum sentit Malon. *d.*3.*dub.*15.Valentia *hic*, *puncto* 3.

Quoad contingentia ex causis liberis, vel quibus interuenit aliqua causa libera; omnes concedunt ea non cognosci naturaliter ab Angelis.

Assero primò. Futura contingentia, è solis causis naturalibus, non præsciuntur certò ab Angelis naturaliter. 206

Probatur primò à D. Bonau. ad id *Sap.*8. vbi loquitur de Sapientia: *Scit signa, & monstra antequam fiant; & euentus temporum, & seculorum.* Vbi aduertit S. Doctor, ibi loqui sapientem de sapientia creata quidem; sed reuelata. Ideò enim ait: *Adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi: Deus Patrum meorum, &c. da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & de sede magnitudinis tuæ.* Igitur scientia futurorum euentuum, natura contingentium, est supernaturalis. Vide ibi S. Doctorem præclaram rerum seriem, ad hoc roborandum, exarantem.

Hinc ruit Suarez responsio *num.*11. loqui etiam de sapientia, quæ acquiritur naturali Dei auxilio.

Vasquez responsio similiter ruit *num.*12. ibi non asseri eam præscientiam, vt Deo propriam; sed communicabilem naturaliter Angelis. Deinde, ibi loqui de sapientia, quam obtinet homo, ea perfectione, quæ ei conceditur in via.

Profectò hanc scientiam certam asserit dicens. 207
Scit signa: scire autem, certitudinem includit; vt notat D. Bonau. Hanc porrò sapientiam acclamat esse Deo in secretis, vt notat ibi S.Doctor, & cum eo Valentia.

Probatur secundò à Seraphico *hic, in corpore*, & *dub.*1. *litt.* ex D. Augustino *de Genes. ad litt. lib.*12. *cap.*17. vbi ait: *Angelos malos videri sæpè prædicere futura, quia, intellectus acumine, cernunt distantia à nobis, & ea nobis prænunciant. Ideò videntur futura prædicere, quæ sunt præsentia.* Idem habet 4. *de Trin. cap.*17. vbi inquirens, quo pacto dæmones hæc prædicant, ait: *Audiunt enim ista, & aëreæ potestates, siue Angelis ea nunciantibus, siue hominibus, & tantùm audiunt, quantum opus esse ille indicat, cui subiecta sunt omnia.* Et in Genes. *loco cit.* duas rationes tantùm assignat, cur aliqua futura nobis annuncient, quia ipsis præsentia sunt; licèt distantia à nobis; ideoque vel ex ingenij acumine; vel ex velocitate vident præsentia, quæ nobis futura videntur, vt dicendo: *Veniunt satellites.* Confirmatur ex D.Augustino 9.*de ciuit.cap.*22.vbi dicit, futura temporalia meliùs sciri ab Angelis bonis, qui in illorum cognitione non possunt decipi, quia ea vident in Verbo, quàm à dæmonibus, qui falli possunt, eò quòd vident solùm in causis.

Respondet Vasquez, D. Augustinum loqui de futuris liberis. 208

Contra

CONTRA: nam ibi D. Augustinus ait: *Angeli boni certiùs temporalia, & mutabilia ista nouerunt; quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt. per quod factus est mundus: dæmones autem non æternas temporum causas in Dei sapientia contemplantur; sed quorumdam signorum nobis occultorum, maiori experientia, multò plura, quàm homines, futura prospiciunt; dispositiones quoque suas aliquando prænunciant. Denique sæpè isti; nunquam verò illi omninò falluntur. Aliud est enim temporalibus temporalia coniectare, quod dæmonibus certè permissum est; aliud autem in æternis Dei legibus, quæ in eius sapientia viuunt, mutationes temporum prauidere.* Quis non videt, Augustinum negare specialiter præscientiam futurorum temporalium, natura contingentium, ex defectu cognitionis combinationum causarum secundarum extrà, à tempore pendentium, & motu?

209 Hinc D. Athanasius, *quæst.* 27. ait, pluuiam, & Nili inundationem non posse à dæmone præsciri.

RESPONDET Vasquez, contra Athanasium esse D. Augustinum, *de diuinatione dæmonum, c.* 5. vbi ait: *Doces eos diuinare ægritudines, & tempestates futuras, quas ipsi facturi sunt. Similiter & tempestates ex aëris dispositionibus.* Et cap. 6. ait: *Eo solùm decipi, quia ab Angelis bonis sæpè impediuntur.*

Nil tamen proficit Vasquez: nam ibi solùm asserit S. Augustinus, coniecturas; sicuti Medicus ex temperie coniicit infirmitatem, aut valetudinem: sic dæmones in aeris affectione præuident tempestates. Quod si aliquid certò diuinant, est, quod ab ipsis fit, v. g. tempestates ab ipsis suscitatas, quas diuinant; nisi ab ipso Deo, ob orationes, &c. impediantur, ne prodeant. Falsum est etiam, D. Augustinum, solum obstaculum apponere aliorum Angelorum, pro causa deceptionis dæmonum: nam ibi ait; *Eos ex duplici causa falli, siue ex impedimento apposito per Angelos bonos; siue ex naturalium causarum mutatione, sicuti* (ait) *si agricola illo anno fructificaturam vitem polliceatur, naturam vtique terræ, & seminum numeros callens, quo tamen anno, vel improuisa cæli temperies arefaciat, vel aliqua vstio potentiùs eradicet.* Et subdit alias etiam causas erroris, dicens: *Ita multa etiam ad præscientiam, prædictionemque dæmonum pertinentia, quæ minoribus, & vsitatioribus causis futura præuidentur, eadem maioribus, & occultioribus causis impedita mutantur.*

210 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *fundamento* 2. Omnis scientia pendens à re scita, ab ea sumit certitudinem; at res futuræ contingentes sunt incertæ: ergo nequeunt certò nosci à creato intellectu, qui pendet à rebus ipsis.

RESPONDET Vasquez *cap.* 3. Suarez *n.* 5. & 8. effectus illos, spectatâ solâ causâ proximâ, quæ potest frustrari, esse contingentes; at conspectâ totâ massâ causarum concurrentium, esse necessarios; nam omnes sunt (vt suppono) causæ necessariæ, & necessariò operantur, atque adeò à cognoscente causas, possunt illi effectus præsciri. Dicuntur verò contingentes, quia per accidens impediunt effectum. Quare Gabr. *in* 1. *d.* 38. *q. vnic. art.* 1. *p.* 2. *art.* Corduba *lib.* 1. *q.* 55. *d.* 4. hos effectus,

211 ore rotundo, vocant necessarios. At Nazarius, post Caietanum, persistit, istos effectus esse contingentes: quia, spectatâ totâ massâ causarum, aliqua est contingens, eo ferè modo, quo, ex necessaria, & contingente præmissâ, sequitur conclusio non necessaria; sed contingens.

Itaque fallitur cum Vasquez, Suarez, qui suam fabricam huic fundamento demonstratiuo adnititur, *num.* 7. effectus, qui habet necessitatem in pluribus causis, simul sumptis, potest certò cognosci in omnibus illis causis simul consideratis; sed hanc necessitatem habet effectus contingens, respectu alicuius causæ naturalis præcisè, si in ordine ad alias causas omnes concurrentes consideretur: ergo potest in illis certò præsciri, quando omnes illæ causæ naturales sunt; & quando certò constat, nullam liberam interuenturam; at verò Angeli cognoscunt concursum omnium causarum: ergo possunt in eis effectum, qui necessariò sequitur, certò cognoscere.

PROFECTÒ hæc non est demonstratio; sed infirma arguitio: nam, vt conuincit D. Bonauent. *d.* 3. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. & ostendi *quæst.* 5. & *seq.* & argumentatur *hic*, S. Doctor, *fundam.* 3. falsum est, Angelum cognoscere totam congeriem singularium effectuum futurorum concurrentium ad impediendam causam proximam contingentem, v.g. nubem, ne pluat. Vel enim cognoscit per scientiam acquisitam, vel per innatam; si per acquisitam: hæc, cùm pendeat à rerum existentia, non potest futura prænoscere; si innata: ergo. Similiter non potest ignorare cætera futura, etiam libera: ergo præsciuit suum casum. Neque adhuc Suarez demonstrauit, dæmonem cognoscere has causas, in quo vis demonstrationis consistit; si enim hoc haberet per species concreatas, vt ipsi dicunt: Contrà arguit Seraphicus, *d.* 3. *cit.* quia indiuidui cognitio pendet à speciebus indiuiduantibus; at species illæ concreatæ nequeunt repræsentare indiuidua: ergo. Minor probatur: nam indiuiduatio illa effectus contingentis, v.g. pluuiæ, pendet à concursu plurium singularium accidentium, extrà aduenientium; sed hæc non interueniunt in componendis speciebus illis innatis intelligibilibus: ergo. Minor probatur; quia illæ species vniuersales Suarij ad summum repræsentant indiuidua, quoad essentialia, & proprietates; at quod in specie pluuiæ interueniat, flatus Aquilonis, influxus Martis, ortus Solis, ac plurima concurrentia ad pluuiam impediendam, atque ad hoc indiuiduum futurum constituendum contingens; non adhuc probauit, quo enim pacto, concurrentiam hanc futuram diuinabit? esto sciret conditionaliter, concurrente nube cum Aquilone, tali gradu, hunc præualere. 212

Richardus, & Carthus. afferunt etiam articulum Parisiensem damnantem eos, qui dicunt, omnia necessariò euenire: at D. Bonau. cui notissimi sunt omnes articuli Parisienses, eosque sæpè allegat, præcipuè 2. *d.* 23. *in fine*, non innititur hisce definitionibus, quibus damnati sunt tantùm, qui dicunt, effectus voluntatis esse necessarios. 213

Ex dictis corruit, & ratio efficax Vasquij, quòd, scilicet Angelus concursum omnium causarum comprehendat, quæ est ratio Suarez, & Valentiæ; saltem est certum, eum ignorare: An Deus sit concursurus, fatenturque Morandus *num.* 719. Arrubal *cap.* 1. Ruitz *d.* 22. *sect.* 5. Alarconius *d.* 3. *c.* 7.

NEC satisfaciunt dicentes, species illas non repræsentare res, quamdiu futuræ sunt: at positâ potentiæ conditione necessariâ, incipere repræsentare.

Profectò species non haustas à rebus, aduenientibus rebus, & absentibus, eas repræsentare non video, cùm agant necessariò, & nullus modus speciebus

ciebus sit additus: nam præsentia, extra causas, non coniungit res, si remotissimæ sint, quod ex parte vidit Suarez *lib.2.cap.10. num.4.* Quis autem species, innumeris circumstantiis, infathit ad omnia futura præcognoscenda?

Assero secundò, Angelos non præscire naturaliter futura libera: est de fide.

214 Probatur à D. Bonauent. primò *in corpore.* Quod est Dei proprium, nequit conuenire creaturæ; scire futura libera, est Dei proprium: ergo. Maior claret. Minor probatur, Sap. 8. *cit.* & Isaiæ 41. *Annunciate, quæ futura sunt, & sciemus quia Dij estis vos.* Et cap. 46. *Ego sum Deus, & non est vltra me Deus, nec similis mei: annuncians ab exordio nouissima, & ab initio quæ nondum facta sunt.* Aduertunt autem Arriaga, *sect.1.* & Cornel. à Lapide, ex Origene, ad locum 41. *Isaiæ*, comparari, & adæquari cognitionem futurorum, cum cognitione præteritorum, non quorumque; sed quæ ante mundum sunt decreta, dum dicitur: *Accedant, & nuncient nobis, quæ ventura sunt: priora, quæ fuerunt, nunciate: & ponemus cor nostrum, & sciemus nouissima eorum, & quæ ventura sunt indicate nobis.*

Danielis etiam 2. dicitur: *Is, qui reuelat Mysteria, ostendit tibi, quæ futura sunt.* Vide D. Hieronymum ad hæc loca.

215 Hinc plurimi sapientes deduxerunt veritatem Religionis, & Dei nostri: quia eius mysteria, à nostris longè anteà prædicta sunt. Ita Iustinus *Apol.2. ad Antoninum*, Clem. Alex. *lib.6. Strom.* Tertullianus *in Apol. cap.20.* Lactantius *lib.4. diu. Instit. cap.12.* Augustinus *lib.de catech.rudium,c.26.* & *lib.13.contra Faustum, cap.8.* & sæpè, & *lib.17.de ciuit. & sequentibus.* Et latè ostendit S. Bonauent. *Opusculo Principium Scripturæ*; & *in sermonibus Hexaëmer.*

Probatur secundò à D. Bonauent. *in corpore*, quia hæc futura, aut cognoscuntur certò in se, aut in causis: non in causis; quia liberum arbitrium ex se indifferens est ad vtramlibet partem. Ergo ex illo non magis elicitur euentus futurus, quàm non futurus, nisi comprehendantur omnes applicationes. Non in seipsis: quia hoc est proprium solius Dei, qui omnia etiam futura habet præsentia, quia eius cognitio non pendet à rebus extrà, sed omnia agnoscit in se, admodum suæ veritatis, quæ est certissima; & ideò contingentia certissimè nouit. Hoc argumentum sumpsit Suarez *lib.2.c.9. num.17.* Arriaga *disp.9.sect.2.*

216 Confirmatur à Suarez *num.*18.ex D.Bonau. *fundam.1.* Quantò aliquid est magis præsens intellectui; tantò plus intelligitur; sed actus propriæ voluntatis est præsentior Angelo: quàm actus aliorum: Ergo hic debet certiùs cognosci; sed Angelus non cognoscit actus futuros suæ voluntatis, etiamsi proposuerit aliquid; quia nescit: An sit propositum mutaturus: ergo.

Confirmatur secundò à Suarez, *loco cit.* ex D. Bonauent. *fundam.3.* quia sic potuisset dæmon præscire suum casum, & Angelum bonum non latuisset perseuerantia; sed hoc est falsum, vt ostendam *quæst.14.* & docet D. Augustinus 11. *de Genes. ad litt. cap.17.* & 11. *de ciuit. cap.13.* & D. Anselmus *lib. de casu diaboli, cap.21.* & probatur; quia, quod potest non esse, non potest à creatura præsciri; peccatum potuit non esse: ergo. Id latè probat Seraphicus *d.4. art.2. q.1. & 2.* vbi rationes has, & hos Patres adducit. Sequuntur Suarez, & Arriaga suprà.

Confirmatur hoc; quia sequeretur necessitas antecedens lapsus diaboli, & perseuerantiæ Michaëlis: hæc autem necessitas auferret libertatem, quia præsciretur in causa: ergo iam esset determinata. Est argumentum D. Bonau. *q.2. cit.* quo vtitur Suarez *n.19.* 217

Vasquez *num.4.* hanc rationem ait infirmam; quia indifferentia liberi arbitrij ad vtramque partem non facit, vt altera pars sit vera; altera falsa, atque adeò cognoscibilis. Et cùm à Deo futura contingentia certò præsciantur, neque tollatur eorum indifferentia; non est cur ex hoc capite timeamus, si ab Angelo cognoscantur.

At non percipit vim argumenti: nam propositiones contingentes ita sunt veræ, vt altera pars verificanda sit; non autem verificata. Iam ergo veritas intellectûs dependentis in sua cognitione à rebus, debet ab earum determinatione certitudinem accipere, vt ostendit S. Doct. 3. *argum.* & ab ipsa determinatione existente; etsi adhuc res est indeterminata, non potest intellectus determinatam ab ea notitiam accipere. Nec est simile de Deo, vt notat Seraphicus *in corpore*; quia eius cognitio non pendet à rebus; sicuti pendet cognitio creaturæ. Quod fatetur Vasquez *cap.4.* vt soluat infrà positum argumentum, quod allatum est, etiam *quæst.6.*

Probatur tertiò à D. Bonauent. *fundam.3. hic*, & *d.3.p.2. art.2. q.1. argumentis ad opp. additis responsis.* Vel Angeli habent ab initio species rerum omnium futurarum, vel non. Si secundum: ergo Angeli non intelligunt per species; sed per suum intellectum nudum, vel certè accipiunt species à rebus. Et sic ab initio fuere ignari, si habuerunt: Ergo ab initio cognouerunt, qui homines essent casuri; qui non: & sic non tentassent multos sanctos, vt infert S. Doctor, *fundamento vltimo.* 218

Varias responsiones affert Vasquez, quas retuli *quæst.6.* Tandem respondet, non potuisse Angelum ab initio percipere res futuras, quia non erant obiectum certum; intellectus autem habet certitudinem ab obiecto. En ipse adhibet rationem D. Bonauent. quam suprà infirmam dixit. Noster Caspensis, *disp.2. sect.5.* Vasquium sequitur, Seraphici oblitus.

Ambo prætereà dicunt, eas non cognosci; quia non continentur sub obiecto materiali intellectûs Angelici; nulla autem facultas operatur circa obiectum non suum. 219

Enim verò, vt dixi *ibi, quæst.6.* non video; cur hæc futura, si habent suas species in Angelico intellectu, naturaliter ab initio non cadant sub obiecto naturali. Hoc sanè dicit, se suprà probasse: at Suarez *lib.2.cap.10.n.7.* dicit, non inueniri, vbi id probarit.

Optimam rationem habet S.Doct.*d.3.p.2.art.2. q.2.* & *in hac quæst.* quia ille modus attingendi futura in seipsis, est Deo proprius, qui, in sua immutabili essentia, & potentia, omnia futura à se pendentia, potest commodè prauidere sui intellectûs lumine infinito. Hanc rationem cum D.Thoma accipit Suarez *lib.2.c.10.n.8.*

Ex eodem loco accipe rationem; cur Angeli, sicut vident res singulares, vt præsentes, quando existunt, non videant eas futuras.

Angelus igitur, à creatione, habet omnem quidditatem rerum in speciebus scientificis; atque adeò omnium indiuiduorum, saltem futurorum, quoad essentialia, quæ sunt tota ratio indiuidui. 220

Vt

Vt igitur percipiat integrè indiuidua, etiam secundum conditiones omnes accidentaliter omninò indiuiduantes, debet aspectum in indiuidua defigere, ac componere species; non sanè formaliter componendo vnam speciem cum alia; sed effectiuè, vtendo pluribus speciebus, ad vnum actum cognitionis indiuiduæ efficiendum. Nam, quia in vno obiecto indiuiduo concurrunt multa accidentia, quæ contingenter in illo colligantur; vt figura talis, color, varietas delineationum, virtutes, &c. quæ in specie quidditatiua non coniunguntur, alioqui omnes homines essent eiusdem staturæ, coloris, &c. Ideò ad distinguendum hoc indiuiduum, v.g. Petrum à Paulo, oportet applicare plures species aptas coloris talis, &c. Quoniam igitur futura non adhuc existunt, nequeunt obiici intellectui Angelico, vt species, in eorum aspectu componendo, certè cognoscat, aut ab eis hauriat.

Hvnc modum Seraphici spernunt, & grauiter insectantur Arriaga *d.9.sect.2.subsect.2.* Suarez *lib.2. cap.11.* & clamant, non posse sustineri: quos alta dissimulatione præterit noster Marcus à Baudunio, *quæst.49. art.2.* modumque dicendi hunc lacerum pertrahit ad S.Thomam, & ad Scotum, nulla sanè vel apparente ratione. Cæteri verò nostri silent.

121 Primò arguit Suarez *lib.2. de Angelis, cap.11.* Supponit Bonauentura rem incertam, & fortasse falsam, Angelum non cognoscere accidentia communia subiecti per species eiusdem subiecti; sed per alias distinctas.

Respondetvr, supponere Seraphicum Doctorem, non omnia accidentia, quæ concurrunt ad subiectum indiuiduandum, exprimi illis speciebus vniuersalibus, puta in specie hominis eam accidentium congeriem, quibus hic ab illo distinguitur, ad mentem, & definitionem Porphyrij, dicentis: *Indiuiduum esse, quod ex talibus accidentibus constat, quæ simul vnita, alteri conuenire non possunt.* Itaque in specie hominis potest S.Doct. supposuisse quantitatem, quæ corpus comitatur, staturam erectam, dispositionem membrorum, vt caput in apice super humeros efferatur, & similia: at verò quòd in specie tali sit talis simitas, vel deflexio nasi, oculorum magnitudo, acumen, vel hebetudo; labiorum Austriaca inflexio, quòd aures omninò adhærentes, dentes rari, collum oblongius, humerorum talis latitudo, quâ ratione probabit Suarez? nisi inferat, omnes, & singulos homines tales esse; vt dixi *quæst.6.*

122 Incvsat secundò Seraphicum supponentem, naturam indiuiduari aggregatione accidentium contingentium, quæ est falsa doctrina. Nam talis aggregatio supponit subiectum indiuiduum, in quo sit; at indiuiduatio in substantia est substantialis, & intrinseca indiuiduo, ita vt, licèt accidentia omnia contingentia tollantur, adhuc maneat idem indiuiduum. Ad repræsentandum ergo vnum hominem, non sunt necessariæ plures species; sed vna, quæ talem substantiam indiuiduam repræsentet: quidquid sit de cumulo accidentium, quæ in illa iam indiuiduata aggregantur. Vnde, & supponit singularem hominem sufficienter repræsentari per plures species, repræsentantes specificam naturam hominis, & accidentia contingentia, quod impossibile est, cùm talia accidentia nequeant cognosci in particulari, nisi vt inhærentia tali indiuiduo.

123 Respondetvr, primam esse meram calumniam: Nam S.Bonauent. *in 2.d.3.p.1.art.2.q.2.& 3.* ex professo ostendit, principium indiuiduationis esse substantiam; imò & principium discretionis personalis; affertque *in fundamentis, q.2.* rationem, quam tulit Suarez: quia ex non substantiis, non potest consurgere substantia. Additque *fund. 3. ex Aristot.c.de substantia*, id, quod obiicit Suarez: accidentia non posse esse principia indiuidui substantialis: quia omne accidens est in substantia indiuidua, & ideò supponunt indiuiduationem. Illud tamen non negabitur, cognitionem rerum, maximè autem effectuum, & actuum contingentium, pendère ab accidentibus contingentibus. Quomodo enim cognoscam indiuiduum hoc, Petrum negaturum, nisi videam staturam altam, ætatem senilem, nasum contusum, barbam breuem, canam, & crispam; iter in aulam Pontificis, occursum ancillæ audacis, garrulæ, petulantis, huius interrogationes; eius sermonem ad ignem, timorem, terrorem, trepidationem, responsum tale negantis, &c.

Hæc, aliaque necessariò sunt cognoscenda, quæ in substantiali indiuiduatione Petri non includuntur. Hoc vult Seraphicus Doctor, contingentia futura non posse cognosci in speciebus substantialiter; indiuiduantibus; sed ea omnia esse noscenda, quæ indiuiduant personam illam accidentaliter ad talem actum, &c. Quoad secundum vult S.Doctor, talia indiuidua inhærere tali personæ Petri, vt talibus conditionibus constitutus internoscatur, quæ simul collectæ exprimant Petrum futurum, qui neget; non Andream, vel Iacobum, aut Ioannem: hæc autem, applicatione intellectiua specierum repræsentantium naturam hominum omnium qualificatam tot circumstantiis, tali intensione, vel extensione inhærentia, ex natura ipsa accidentis cognoscuntur in Petro, cui applicantur. Hæc omnia, quæ suprà hactenus respondi, sunt in D.Bonauent. adeò expressa, vt ea Tanner. *disp.5. quæst.3. dub.4. num.8.* agnouerit à longè. 124

Instat tertiò. Vel illa accidentia repræsentantur solùm quoad naturas eorum specificas, & sic; esto millies componantur cum specie humanæ naturæ, nunquam repræsentabunt indiuiduum hominem: tum quia species vniuersalis præcisè non est sufficiens principium cognoscendi singularia: tum etiam, quia omnia illa accidentia, in communi sumpta, in infinitis indiuiduis coniungi possunt. Si autem species accidentium repræsentant illa in particulari; cur non etiam species substantiæ? vel quomodo repræsentabitur particularis albedo, prout in se est, nisi in indiuiduo subiecto? Præterea supponit, per diuersas species repræsentari naturam specificam, & indiuiduum eius, quod falsum est. Id vrget etiam Arriaga. 125

Respondit iam S. Doct. *in corpore, & ad argumenta*, species illas repræsentare naturam specificam, & indiuidua eius: vna enim species hominis exprimit omnia indiuidua hominum, quoad essentialia, esto & accidentia necessaria illi naturæ. Similiter & species accidentium repræsentant accidentium indiuidua, cum habitudine ad subiectum, quâ indiuiduantur completè; dum mentali applicatione in tali subiecto ponuntur, tali, vel tali intensione, vel extensione, aut tempetie; atque adeò indiuiduum tale componunt, v. g. Petrum negantem, &c. talibus indutum conditionibus, quæ simul collectæ, nequeunt alteri conuenire: atque ita indiuidua accidentia subiectantur in indiuidua substantia. 126

Obiicit quartò cum Arriaga. Hæc sententia inuoluit implicantiam apertam: nam si illa compositio 127

234 Addo ego, speciem illam repræsentare Angelo obiectum ab initio creationis, non tamen futurum, vt ipsi concedunt. Iam verò cùm obiectum producitur repentè à Deo, post 7000. annos in centro terræ remotissimo ab Angelo, empyræum incolente; esto consurgat relatio similitudinis inter speciem, & obiectum; quomodo in specie illa eâdem videbit obiectum, cùm nihil formaliter quidditati expressiuæ speciei addatur, & obiectum non videatur ab Angelo; vt suppono, vtpotè extra spheram Angeli intuitiuam? Hoc est argumentum S. Bonauent. *loco citato*. Do exemplum: si ego accipiam imaginem militis è cœlo, ignorabo, eum esse Petrum, vel Paulum existentem, nisi aut Deus creatum exemplar mihi apponat, vel addat imagini aliquid, quo sciam, virum illum creatum existere. Profectò non erit satis creari hominem illi imagini similem, & inter ea resultare relationem similitudinis. Multis argumentis possem hunc modum insectari; sed illis supersedeo.

235 Neque verò modus Suarezij est coronâ dignior: sic autem ostendit, cur species repræsentet rem præsentem; non autem futuram; sumit autem differentiam ex parte obiecti, non autem speciei; quia species indifferenter se habet ad rem præsentem, & futuram. Res autem ipsa differenter se habet in istis duobus statibus ad terminandam cognitionem. Nam actu existens, potest terminare cognitionem intuitiuam intellectus Angelici; at cùm actu non existit, non potest, etiamsi futura sit: quia esse futurum rei, nihil intrinsecum addit; quia species non repræsentat, quasi complexè, rem dari actu, vel non dari; sed simpliciter repræsentat rem. Vnde, si res non existit simpliciter, cognoscitur rei essentia, & existentia possibilis; at verò, quod talis existentia sit tali tempore futura; non exprimitur à specie. At postquam existit, habet in se actualem existentiam, quæ potest videri; & ideò ea species, quæ ex se indifferens est, fit sufficiens principium ad repræsentandum, rem existere: quia actus ipse cognoscendi, cùm terminatur ad rem, inuenit eam existentem, & ad eam sic terminatur.

236 Contra est primò: quia, cùm species solam rem sine existentia repræsentet, quando non est actu; oportet, vt cùm actu producitur, statuatur in conspectu Angeli, vt excitata species repræsentet iam obiectum existens, ac præsens; & sic incipit Suarez venire ad nos. Deinde cùm essentia, & existentia sint idem, vt arguebat ipse, cur rem non existentem repræsentat, quoad essentiam; non quoad existentiam? Et si incipit repræsentare existentiam, quam non exprimebat, profectò nouum modum accepit expressionis. Ponamus ergo Angelum in empyreo; & obiectum creatum in centro terræ: nunquid species, quæ est terminatæ actiuitatis, repræsentabit terminata ad obiectum in omni distantia? aut Angelus in omni distantia percipiet nouiter obiecti creationem?

Præterea species illa, si est simplex, vt ait Suarez, quo pacto repræsentat indiuiduum, tot accidentibus contingentibus indutum? nisi velit, omnes species Angeli esse indiuiduas, repræsentantes præcisè Petrum, Paulum, & alios; non autem scientificas: & tunc, quæ erit Angelorum scientia? vt dixi *quæst. 5. & 6.* Profectò tales species, tot indutæ contingentiis, ad scientiam sunt ineptæ, & sunt compositæ, vt dicebat Seraphicus Doctor. Plura congererem contra Suarez; sed nolo vltionem sumere. Cæteri verò, *quæst. 6.* iacent conuicti.

QVÆSTIO XI.

Quomodo præterita ab Angelo *cognoscantur naturaliter.*

Certum est, præterita naturalia, & cætera, quæ non sunt cordis secreta posse ab Angelis naturaliter cognosci, vt notat D. Bonauent. *d. 3. p. 2. art. 2. q. 1.* tum quia sunt obiecta proportionata, vt nos etiam experimur, tum quia eorum cognitio facit ad sagacitatem, & experientiam rerum agendarum. Ideò Patres sæpè tribuunt dæmonibus experientiam, qua sunt ad tentandum sagacissimi. Ita D. Isidorus *lib. 1. de summo bono, cap. 13.* D. Augustinus *lib. 12. de Genes. cap. 17.* vt notat D. Bonau. *d. 7. dub. 1. litt.* & *p. 2. q. 2. art. 2. q. 3.* Præterea, quia memoria est de præteritis, vt præterita sunt; at verò Angeli memoriam rerum habent: nam hæc ad perfectionem pertinet, neque neganda est Angelis, cum Hominibus sit concessa, vt arguit Seraphicus *d. 3. loco citato.* 237

Neque ideò neganda est eis, quia afferat secum imperfectionem, scilicet non semper perseuerare in actu secundo cognitionis semel factæ: hæc enim imperfectio Angelos non dedecet, vt docet S. Bonauent. *loco cit.* & cum eo cæteri. Ita Suarez *lib. 2. cap. 12.* Vasq. *disput. 208.* Arrubal *disput. 167. cap. 3.* Præposit. *hic, art. 3.* Morand. *tract. 7. quæst. 24.* Auersa *sect. 5.* & alij. Enim verò discrepant in modo. 238

Possunt præterita in aliquo suo effectu agnosci, vt in fumo relicto, ignis extinctus: sed hoc modo non omnia noscuntur; quia aliqua non relinquunt vestigium, vt nauis in mari; sicuti dicitur *Prouerbiorum 30.*

Prima opinio est Vasq. posse Angelum sui intellectus acumine solo, absque speciebus, præterita percipere naturaliter.

Secvnda sententia est, non posse id fieri modo prædicto; sed requiri, vt Angelus rem præsentem agnouerit; ex qua cognitione aliquid remanserit in intellectu Angelico, quo valeat rei, iam præteritæ, recordari. Ita Suarez, cæteris allegatis, adducens Zumel. Pesantium *ad art. 3. quæstione 57. D. Thomæ*, aliosque Recentiores. Marsil. *2. d. 7. art. 1. post 9. conclus.* Gregorium *2. d. 3. q. 3. art. 3. conclus. 1.* Vult autem Suarez cognosci ab Angelo præterita, quæ vestigia non reliquerunt, non per species innatas, aut de nouo acquisitas; sed per speciem quandam propriam acquisitam propriæ visionis, quæ directè, & immediatè repræsentat ipsam visionem: indirectè autem rem præteritam, eiusque præteritionem.

Tertia opinio est, Angelum cognoscere præterita, etiamsi ante non cognita, cùm essent actu; directè in se per species congenitas rerum. Ita D. Thom. *quæst. 57. art. 1. & 2.* quam supponunt Caietanus, & alij Thomistæ: & tuentur Valentia *quæst. 8. punct. 2.* Albertin. *tom. 1. princ. 1. coroll. 8.* Tanner. *disp. 5. q. 3. dub. 4. n. 14.* Arriaga *disp. 9. sect. 3.* Morand. *q. 24.* 239

Sententia D.Bonau. est, Angelum cognoscere præterita naturaliter per combinationem factam impressæ speciei, formatæ ad præsentiam indiuidui, & suam præteritam etiam intellectionem per speciem expressam, seu Verbum formatum in præterita cognitione.

Assero, Angelum intelligere præterita per speciem illam è pluribus combinatam; non autem solo lumine intellectûs, absque specie contra Vasq. qui gloriatur in sua sententia nullam esse repugnantiam, nec aliam pro se rationem adducit.

240 Probatur à Suarez *num.6. argumento* D. Bonauent. *loco cit. argum.4. ad opp. addita responsione.* Quandocumque fit aliqua cognitio noua, debet dari principium cognitionis, tum ex parte potentiæ, tum ex parte obiecti; sed Angelo per solum lumen, (adde, & speciem rei simplicem) non exhibetur sufficiens principium: ergo. Maior relinquitur à D. Bonauent. vt certa. Minor probatur: quia obiectum debet coniungi potentiæ secundùm illam rationem, secundùm quam cognoscitur; at res præterita non coniungitur per se, vt suppono, cùm non sit; neque per speciem innatam, qua cognoscebatur simpliciter res, nisi fiat noua additio præteritionis: ergo. Minor probatur: nam, vt benè arguit Scotus, termini simplices non repræsentant compositum, nisi illud complexum contineant, vel formaliter, vel virtute; at species, v. g. Petri est simplex, & complexionem non continet, scilicet eum fuisse: ergo.

241 Insurgit Arriaga. Quando recordor obiecti præteriti visi, tunc non existit obiectum, & tamen illud recordor: ergo etsi obiectum illud non viderim, dummodò habeam speciem eius, recordabor. Secundò, quia deberem alioqui in recordatione reflecti super actualem præteritam intuitionem; sed hoc est falsum: nam possum recordari amici, vel Romæ, etiamsi non reflectam, me ea vidisse.

Respondetur, me recordari semper etiam visionis præteritæ, dum recordor obiecti, quia seruo in mente Verbum expressiuum illius actualis cognitionis. Sic Angelus seruat speciem illam compositam, quæ exprimit actum illum combinationis præteritum, habet & Verbum expressiuum præteritæ notitiæ: & hoc sufficit, ad quod interuenit implicita reflexio actus illius, sicuti cum recordor amici visi, cuius possum quidem recordari non reflectendo expresè super præteritam visionem. Sed hoc venit ex imperfectione recordationis, quæ si esset perfecta, conuerteretur ad Verbum exprimens actum etiam cognitionis, & ad alia ibi signata, temporis, loci, &c.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Angeli *naturaliter penetrent arcana cordium.*

D.Bonau.d.8.p.2.q.6.
D.Thom.q.57.art.4.

Per secreta cordium intelligo cum D.Bonauent. *in corpore*, cogitationes intellectûs, & affectus voluntaris hominum, necnon Angelorum.

Prima sententia est Heruæi, 3. *d.*8. *q.*3. Angelum penetrare arcana cordium, eorumque quidditatem intellectionis, & volitionis, atque etiam singulariter: An sit actus amoris, &c. non autem intensionem actus, vt aliquid Deo reseruetur.

Secunda sententia est Durandi 2. *d.*8 *q.*5. non solùm quidditates, sed & qualitates, atque insuper intensionem actuum intellectus, & voluntatis ab Angelo percipi; soli Deo reseruata vniuersitate simul sumpta cogitationum, & volitionum præsentium, & præteritarum, ac futurarum. Firmiùs id asseuerat 2.*d.*3.*q.*7.*n.*18. & *q.*8.*n.*6. 242

Tertia sententia est, Angelos posse quidem penetrare cogitationes, & volitiones nostras, tanquam obiecta sibi proportionata; de facto tamen à Deo impediri, & hoc velle Scripturas asserentes, Deum solùm esse cordium scrutatorem. Ita Scotus 2.*d.*9.*q.*2. & *in* 4. *d.*10. *q.*8. Bassolis 2. *d.*9. *q.*2. Lichettus *quæst.*1. Tartaretus *ibi*, Vulpes *d.*11. *art.*5. Faber 2.*disput.*36. Posnaniensis *lib.*2.*decis.cap.*4.*q.*3. Rada 2.*part.controuers.*8.*art.*3. Brancas.*d.*7.*q.*9. Mastrius *t.*2. *d.*2. *q.*8. *art.*2. & alij Scotistæ. Hanc sequuti sunt Nominales, Ocham 2. *q.*20. & *quodl.*4. *quæst.*13. Gabr. 2. *d.*9. *q.*2. *art.*2. & *in Can. Missæ, lect.*31. Maior *quæst.*3. Holcot 2. *quæst.*4. *ad secundum princip.* Nunc Præposit. *hic*, *art.*4. *d.*2. Marcus à Baudunio *quæst.*51. *art.*2. In hoc verò hi discrepant. Nam Scotus *in* 4. solos dæmones impediri autumat; non autem sanctos Angelos; alij verò etiam bonis recondita esse mentis nostræ arcana dicunt.

Quarta opinio est Argentinæ 2. *d.*7. *q.*1. cognosci quidem ab Angelo, quid cogitet mens; non tamen, an assentiatur, necnè. Ad eundem ferè sensum docet Ægidius *ibid. q* 2. *art.*2. *& tract. de cogn. Angelorum*, *q.*11. scire quidem Angelos, qua quis specie intelligibili vtatur; sed non quomodo, vel circa quod in particulari.

Quinta est Henrici *quodl.*3. *quæst.*3. cognosci quidem naturaliter ab Angelis cogitationes cordium, non modo quoad apprehensionem talis obiecti, & compositionem, puta assensum, vel dissensum: Similiter cognosci & affectus voluntatis, non tamen intentionem finis. 243

Sexta opinio est; cognoscere quidem Angelum cogitationes in se, non autem vt imperatas à voluntate: Similiter nec actus voluntatis. Eam sententiam libans tantùm tenuit Alphonsus Deza, magister Vasquij, quam ipse laudat, etsi non audeat decidere: sic *disp.*210.*cap.*2. Idem videtur sentire Zumellus *quæst.*57.*art.*4. *quæst.*1. *ad* 2. Infrà tamen *ad* 3. videtur dicere, solas cogitationes connaturales Angelo, seu, quæ ex necessitate naturæ consequuntur esse Angelo alteri manifestas. Hanc sententiam probabilem censet Albertinus, *tom.*1. *princ.*1.*corrol.*10.*p.*1. Tanner. *disp.*5. *q.*3.*dub.*6.*n.*12. & videtur D.Thomæ *loco cit.* dicentis, Ea, quæ ex voluntate sola dependent, vel quæ in voluntate sola sunt, soli Deo esse nota. Ideò multi è Thomistis confluunt cum aliis.

Videtur inclinare S.Bonauent. *ad* 4. vbi soluit hoc argumentum. Notior est operatio, quàm potentia, & potentia, quàm essentia: nam per cognitionem operationis peruenitur ad potentiam, & per notitiam potentiæ ad substantiam: at potentia, & substantia animæ patent intellectui Angelico: ergo & actus. Respondet autem, maiorem posse esse veram in operatione naturali, non in operatione voluntaria.

Vera tamen, ac genuina S. Doctoris sententia 244

tia est, secreta cordium, nempè tam cogitationes quascumque, quàm affectiones, esse Angelis omnibus naturaliter recondita. Idem asserunt Alensis 2.*part.quæst.*26.*memb*.3. D.Thom.*hic*, & 3.*cont.Gent.cap*.154. vbi Ferrar. Richardus verò 2.*d*.8.*art*.2.*q*.4. Capreol.*quæst*.1.*art*.1. Valentia, *disp*.4.*q*.8.*p*.4. Suar. *lib*.2.*cap*.21.*&* 25. Vasquez *disput*.209 Tanner.*d.cit.* Arrubal *disp*.169. Arriaga, *disput*.9.*sect*.6. Morand. *tract*.7.*quæst*.25. Caspens.*disput*.2.*sect*.5. Auersa *hic*, *sect*.6.*&* 7. Citatur Petrus à S.Ioseph Fuliensis *lib*.3. *de Angelis*,*c*.4. Sed ad Scotum declinat. Greg.Ferrarius *ad c*.2.*Apocal. epist*.4.*q*.7.

Alarcon. *d*.3. *cap*.10. Albertinus *loco cit.* & alij Amico fœdere iuncti, *disp*.12. *sect*.1. præclarè verò è Thomistis Ioan.de S. Thoma, Serra, & alij *ad articulum citatum.*

Assero cum hac sententia, Cordium secreta quæcumque Angelis naturaliter esse recondita.

245 Probatur à D. Bonauent. primò è Scripturis 2. Paral. cap.6. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Idem habetur 3.*Reg*.8. & 1.*Paral*.28. etsi hoc loco non dicatur (solus) Hierem. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor*; vbi D. Hieron. *Nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus Deus.* 1.Corinth.2. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Hinc, *cap*.14. concludit, reuelationem propheticam arcanorum cordis esse Deitatis argumentum. Hoc vtitur Seraphicus etiam *ad* 7. *Sap.* & *in Prol. primi sent.* ibi addit illud *Danielis* 2. vbi Propheta cæteris exclusis, ait: *Ipse* (Deus) *reuelat profunda, & absconditа.* 1.Sap. *Testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus*; quem locum ponderat S. Doctor ibi cum illo Hier. allegato, & id Psal.7. *Scrutans corda, & renes Deus.*

246 Reddit autem S. Bonauent. *ad* 1. *Sap.* rationem Spiritus sancti, cur solus Deus sit scrutator cordium: *Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia.* Obseruo autem, Scripturam loqui etiam de cogitationibus intellectûs arcanis, vt habetur 1. Paralip. cap.28. *Omnia corda scrutatur Dominus, & cogitationes vniuersas.* Hebr.4. *Discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Similiter in Euangelio passim, vbi assignatur, vt argumentum Diuinitatis Christi, quòd penetraret cogitationes aliorum. Lucæ 5. *Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum*, vt obseruat S. Doctor ibi, apponens; *cognouit tanquam Deus: quia oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes, vt dicitur* Eccl.23. *Nec mirum, quia est Verbum Dei, de quo* Hebr.4. *vt suprà.* Obseruat autem Seraphicus Doctor, quòd Christus quidem non solùm discernebat cogitationes; sed etiam iudicabat, redarguebat: *Quid cogitatis in cordibus vestris?* Enim verò satis conuincebatur Deus, ex penetratione arcanæ cogitationis; vnde, & iudicium, tanquam esset diuinum, arguebatur, ac credi poterat: nam nudum iudicium potuisset redargui. Quis es tu, qui nos redarguis? esse te Deum Iudicem proba. Ex quo ruit Scotistarum effugium dicentium, Dei esse proprium peruadere cogitationes, vt iudex, non vt scrutator est. Obseruat quoque Seraphicus, è singulari penetratione vnius cogitationis, argui Deitatem, & non è sola vniuersali omnium cogitationum, vt iterum respondent Faber, Mastrius, & alij, cum Durando, illusi.

247 Subtiliùs hæc obseruat S.Doct. *ad* 6.*Lucæ*, in ea verba: *Ipse verò sciebat cogitationes eorum.* Proptereà notat *Ioan*.16. Apostolos argumentatos, ex penetratione vnius cogitationis, penetrationem vniuersarum, dicentes: *Nunc scimus, quia scis omnia, & in hoc credimus, quia à Deo existi*; vtique vt Deo Patri, cuius es sapientia, æqualis.

Inquirit autem rationem illationis: *Scis omnia, & non est opus, vt quis te interroget.* Videtur enim potiùs inferendum; imò quia scis omnia, interrogandus es, vt doceas.

Respondet S. Doct. *in Commentario eius loci*, ex D. August. Benè inferri, non opus esse ei expectare, vt quis interroget; quia scit omnia, & penetrat cogitationes, & voluntatem interrogandi; ideò interrogationes præuenire valet. Idem obseruat Seraphicus *ad Lucæ* 9. in ea verba: *At Iesus videns cogitationes eorum*, vbi apponit: *Tanquam verus Deus*, secundum illud 1. Reg. 16. *Homo enim videt ea, quæ parent: Deus autem intuetur cor:* & addit id *Eccle*.23. relatum. Idipsum habetur Lucæ 11. *Ipse autem, vt vidit cogitationes eorum, &c.*

Neque solùm cogitationes imperatas à voluntate; sed etiam non imperatas, penetrare, est creditum argumentum Deitatis; vt cùm discipuli abstracti cogitabant dubitando, &c. Hoc argumenti genere vsus est non rarò Dominus ad suam Deitatem comprobandam. 248

Affert *ad* 7.*Lucæ*, D. Bonau. cogitationes intimas illius Pharisæi, dicentis intra se: *Hic si esset propheta, sciret*, ac cæterorum dicentium corde: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Hæc verò sunt penetrata à Christo, non è signis extrà, nam *dicebant intrà* (ait Lucas.)

Multos quoque Patres habemus, nostram assertionem è Scripturis allatis inferentes. Refert autem S. Doct. præcipuè D. Augustinum 12.*de Genes.ad litt.cap*.17.& *tract*.32.*in Ioan.* testimonio allato 1.*Cor*.2. Author etiam *de Eccl.dogm.cap*.81. inter opera D. August. *Internas animi cogitationes diabolum non videre, certi sumus.* Idem S. August. *lib. de diuinat.dæm.cap*.5. Concedit verò *lib*.2.*Retract.c*.30. 249 peruenire ista ad notitiam dæmonum per nonnulla experimenta. Intellige per coniecturas erutas experimentis mutationis in corde, in vultu, in sanguine, vt notat S.Bonauent. *ad secundum.* Cæterùm, id se audaciùs asseruisse confitetur D.August.

D.Hieronymus in id Matth. *Ecce quidam de Scribis, &c. Sed Dominus videns cogitationes eorum, ostendit se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere.*

D.Ambrosius, in id 1. *Cor.* 2. suprà allatum, id confirmat.

Beda *lib*.2.*in Lucam*,*c*.17. idipsum cum D. Bonau: colligit è textu.

Origenes ad ea verba, 1. Iob. *Circuiui terram.*

E Græcis Athanasius *quæst*.27. *ad Antioc.* Cyrillus *lib*.2. *in Ioan. cap*.19. & *lib*.3. *cap*.3. Damascen. *lib*.2.*de fide*, *cap*.3. Chrysostom.*homil*.30.*in Matth.* in ea verba: *Cur cogitatis mala, &c.* Et homil.23. *Humanorum cordium cognitio solius Dei, qui ea formauit.* Alios quoque Patres recensebo in fine.

Habentes igitur Theologi nostræ assertionis tantam testium turmam, asserunt, nostram assertionem, esse dogma de fide; vel proximè de fide. Ita Suarez *lib*.2.*cap*.21. Arriaga *disp*.9.*sect*.6. Ioan.de S.Thoma *disp*.22.*art*.3. Vasq. Molina, & alij. 250

Conantur tamen aduersi has eneruare authoritates, ne eorum opinio damnetur.

Durandus ait, Scripturas asserere Deo proprium scrutari cogitationes omnes præteritas, præsentes & futuras: at solas præsentes etiam Angelis patere.

Glossa hæc erronea est. Nam *locus Paral.* adductus à D. Bonau. loquitur de præsentibus arcanis; ibi enim Salomon precatur Deum pro populo, atque testatur augendum præmiis pro meritis præsentibus, quæ penetrat: *Redde vnicuique iuxta vias suas, quas nosti eum habere in corde suo. Tu enim nosti corda, &c.* Idem repetitur, 3. *Reg.* 8. vt notat Suarez *num.* 4. Sic & Apostolus loquitur de præsentibus, vt patet ex comparatione. Sicut arcana Dei nullus scrutatur: ita nec hominum.

251 Heruæus respondet, Deo esse reseruatum, videre cogitationes perfectè omnibus modis.

At Scripturæ absolutè loquuntur. Profectò concedere Angelis cognoscere arcanas cogitationes quidditatiuè, & negare solam cognitionem intensionis, est inconsequenter loqui, vt aduertunt Durandus, Suarez, & alij.

Authores tertiæ sententiæ respondent, Scripturas solùm asserere de facto, ita rem se habere; at verò non inferri, quin possent Angeli id facere, ni impedirentur.

At insulsum videtur, Deum dedisse Angelis hanc vim, vt eam impediret continuo miraculo. Præterea magis conuinco: nam ex hac penetratione actuali argumentatur Spiritus sanctus Diuinam essentiam, prout creatis opponitur: ergo euidenter sequitur id, ex intrinseco, esse naturæ Diuinæ, à qua omnis creata excluditur.

252 Confirmatur; nam reddit rationem suprà: *Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem, &c.* neque petit principium; sed ex infinitate Dei propria id colligit.

Respondet Faber, verè quidem, si authoritates sequamur, dicendum nullam creaturam posse corda scrutari; at si validissimas Scoti rationes ad trutinam vocemus, ei est assentiendum, eò magis, ac firmiùs, quò opposita sententia nullâ fulcitur ratione.

Insulsa sanè responsio. Authoritates enim Spiritus sancti confirmatæ sunt ore primæ veritatis, quibus nulla vera esse potest ratio opposita: quia verum non contradicit vero; nec fides est contra rationem, sed super eam. Itaque si veritas stat pro authoritate, quæ à beatis posset demonstrari; quæ ratiunculæ Scoto sunt reliquæ?

253 Respondet secundò è Scoto cum Meldula *n.* 233. Scripturas soli Deo hoc concedere, ex eius virtute inimpedibili, tanquam omnium iudici, quo pacto, nec Angelis, nec aliis creaturis potest conuenire. Dilatat autem Mastrius hoc responsum, ex more, ac probare conatur ex *Hierem.* 17. vbi dicitur: *Ego Dominus probans renes, & corda: qui do vnicuique iuxta viam suam.* Et Psal. 40. *Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit absconditα cordis.* Et Psal. 7. Postquam dixerat: *Dominus iudicat populos,* subdit: *Scrutans corda, & renes Deus.* Idem innuit nouum testamentum 1. *Cor.* 14. *Act.* 1. *Hebr.* 4. vbi non de nuda secretorum cordium scrutatione; sed de iudiciaria est sermo.

254 At imbellis est hæc responsio: nam, vt obseruat Suarez cum Seraphico suprà, è sola penetratione secretorum cordis argumentatur Scriptura Diuinitatem. Et ita Christus ex hoc solùm arguebatur; alioquin, si ex iudiciaria potestate id probare satregisset, iam petiisset principium, assumens, quod Iudæi negabant, pro medio argumenti, vt dixi suprà.

Igitur potiùs ex penetratione cordium arguebat suam diuinam potestatem. Quod etiam conuincitur ex illo *Ioan.* 16. & *aliis locis*, vbi Christus solam sapientiam exhibuit, non potestatem, vt hinc se Deum conuinceret, apud auditores. Quòd verò extrinsecè aliquando addatur quoque argumentum potestatis, non abnuo; sed non intrinsecè.

Examino loca, quæ affert Mastrius Hier. 17. *Prauum est cor hominum, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do, &c.* Attentè, non autem oscitanter legenti, sensus est obuius. Arguit enim, se solum cognoscere corda, ex hoc, quod cùm sit iudex vniuersalis, omnia debet videre: itaque sunt duo, idest cognitio profunda cordium, & medium profectò distinctum ad eam probandam à posteriori, nempè vsus optimæ potestatis iudiciariæ. Idem aliis locis allegatis veteris paginæ astruitur. Et hoc volunt etiam SS.PP. à Mastrio rapti, vt constat legenti, neque ipse oppositum probat.

Quoad loca noui Testamenti adducta ab eo, eruo pro me argumentum: nam 1. *ad Cor.* 14. dicitur: *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Dominum, pronuncians verè, quod Deus in vobis sit.* Ibi hortatur Corinthios, vt prophetiâ vtantur, & reuelationibus, quibus perculsi infideles, vel idiotæ, qui linguarum diuersitatem adhibentium conciones, vel non intelligerent, vel spernerent; videntes sua penetrari præcordia, confitentur, verum esse Deum, qui in his loquitur. Itaque non ex potestate exercita iudiciaria; sed ex apertione secretorum, Pagani conuincuntur: hi comprobantur; sic enim sonat diiudicari, ex Syriaco textu. Id Act. 1. *Tu Domine, qui corda nosti, ostende*; pro nobis est. Nam Deus asseritur ex cognitione arcanorum: *Domine, qui nosti corda*; oratur verò, vt ostendat, seu reuelet. Illud etiam *Hebr.* 4. pro nobis stat: nam cùm dixisset: *Sermo Dei discretor est cogitationum, & intentionum cordis*, explicat: *Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.* Vbi eodem, quo suprà medio, ostendit id, quod dixerat, Deo aperta esse cordium arcana; alioqui esset inutilis Battologia, seu repetitio. 255

Respondent tertiò cum Scoto, cognitionem vniuersalem Deo soli adscriptam referri. 256

Contrà: quia, vt suprà ostendi ex penetratione vnius cogitationis in Euangelio, Christus cognoscebatur, & intendebat cognosci, vt Deus. Quòd si voluisset ex vna cogitatione inferri vniuersalem omnium scrutatorem, intendisset argumentum, ex vna particulari, inferri vniuersalem, sanè diuersam: nam præterita, & futura sunt alterius ordinis, & multò altiùs recondita.

Respondent quartò, Scripturas loqui de facto, & ita esse, eò quòd Angeli impediuntur à Deo.

At hæc non est ad mentem Scoti, qui asserit, Angelos bonos de facto penetrare corda, vt ait Faber ipse *n.* 13. & Mastrius *n.* 233. 257

Deinde, quia Scripturæ dicunt, hoc esse Deo proprium; vt obseruat cum D. Bonau. Amicus; ergo id ex intrinseca natura Dei oritur. Vrgeo: nam inde argumentum sumit Diuinæ essentiæ, vt suprà dixi, & ex infinitate eius id arguit, atque adeò, eo gradu creaturæ repugnare, quo ei repugnat esse Creatorem Deum: vnde non solùm repugnat actus, sed etiam aptitudo, vt conuincit D. Bonau. & cum eo Vasq. *cap.* 2. & Ioan. de S. Thoma *num.* 9. Neque ad hoc sufficit negare aptitudinem proximam ad actum

actum, vt fingit Mastrius; sed remotissima quæque, secundùm quam creatura distat à Deo, secundùm essentiam, est creaturæ deneganda.

Ex his neque satis sagax Vulpes *disput.* 11. *art.* 3. negat, nostram assertionem esse dogmaticam in fide. Inefficax verò assumit in extremo halitu effugium Mastrius *num.* 236. probans ex Patribus suam sententiam: quia Auctor *Eccl. dogm.* suprà ait: *Certum esse dæmones arcana non scire.* Infert verò ipse Mastrius: ergo potest asseri de bonis, insipida illatio, è negatiua naturæ demonum, affirmatiua sanctorum Angelorum: vel si ex ipsorum statu; inducta est adhuc gratis, quia non solos excludit dæmones hic; alibi verò, vt ostendi, etiam sanctis idem negat.

Probatur secundò assertio, validissimo ex authoritatibus argumento. Quod est intrinsecè Deo proprium, non potest communicari creaturæ: scrutari naturaliter corda, est Deo proprium: ergo. Minor patet ex dictis.

158 Probatur tertiò à D. Bonauent. *d.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *argum. secundo loco.* Vt Angeli exire in actum secundum valeant, ad arcana cordium intelligenda, debent esse constituti in actu primo, ad hanc intellectionem, vt constat: sed Angeli non sunt in actu primo ad hanc cognitionem: ergo. Minor probatur: quia ad actum primum requiritur lumen, & species, vel obiectum. Lumen autem adest, cuius signum est, quod per alterius Angeli consensum aperiuntur arcana eius in locutionibus, vel alio modo, infrà, *quæst.* 15. assignando. At deficit species: quia species concreatæ non repræsentant motum intellectus, aut voluntatis alienæ. Cuius rei, tametsi dicat Vasquez non posse physicam rationem assignari; conabor tamen eam è Seraphico assignare, cum neque D. Thomas *hic*, neque *quæst.* 8. *de veritate*, *art.* 13. vel *quæst.* 16. *de malo*, *art.* 8. vbi hac de re, neque Thomistæ *hic*, vel Capreol. 2. *d.* 8. *quæst.* 1. *art.* 1. & *art.* 3. vel Ferrar. *loc. cit.* aut cæteri, vt Richardus 2. *d.* 8. *art.* 1. *quæst.* 4. Molina *q.* 57. *art.* 4. Arriaga *d.* 9. *sect.* 6. Suarez *lib.* 2. *c.* 23. id valeant probare.

159 Argumentum eruo validum ex D. Bonau. *d.* 8. *part.* 2. *quæst.* 4. *fudam.* 2. species quæcunque, aut actus, vt sint ratio cognoscendi, & non tantùm obiectum cognitum, debent informare ipsam mentem, cuius est ratio ad cognitionem: at verò actus, vel species intellectûs huius Angeli in hoc indiuiduatur, nec potest aliud obiectum informare: ergo. Maior probatur: nam in cogitatione formatur acies intelligentiæ, idest menti datur profectò vis, & acies, ac ratio tendendi in obiectum, vt explicat Rubion 2. *d.* 9. *quæst.* 4. *art.* 2. & ita, licèt vnus Angelus videret obiectiuè actum alterius; tamen ille actus non esset medium cognoscendi, sed tantùm obiectum cognitum. Hinc formo argumentum ad hominem. Id quod est tantùm medium cognitum, non ratio cognoscendi, non sufficit ad cognoscendum id, cuius est actus, vel species. Talis est actus, siue species intellectionis vnius Angeli, respectu alterius: Ergo vnus Angelus non videt, quò terminet, vel respiciat actus, aut species in alterius anima, vel intellectu existens. Hæc est doctrina Scoti, *quodl.* 14. *art.* 3. vt fatetur Mastrius *num.* 250. vbi hanc rationem fatetur omnium firmissimam. Ideò & Rada vim sentiens rationis, non admodum obsistit, ac dicit; ideò multos Scotistarum nobis dedisse dexteram dicendo, huiusmodi actus non esse naturaliter cognoscibiles, vt sunt operationes; sed vt sunt qualitates.

RESPONDET Mastrius; cogitationem illam Gabrielis, tametsi non sit intellectui Michaëlis ratio cognoscendi, sed ratio cognita, attamen si perfectè cognoscatur, ostendere etiam obiectum, ad quod terminatur: & sic in ea cognoscit, cuius obiecti sit cogitatio, atque adeò quid altiùs cogitet; non tamen intuitiuè videbit; sed abstractiuè. Ratio est, quia actus ille, seù species est obiectum proximum, & immediatum extraneo intellectui; non autem res ipsa. 160

CONTRA primò est Scotus, *loco allegato.* Vnde sic arg. o. Si aliquid, sui absentiâ, est causa negationis; & sui præsentiâ, est causa affirmationis: sed actus Gabrielis ideò non est ratio intuitiua videndi Deum Michaëli, quia huic est tantùm obiectum cognitum, non ratio cognoscendi: ergo si esset ratio cognoscendi obiiceret Deum intuitiuè: sed per te actus Gabrielis intellectiuus est ratio cognoscendi obiectum: ergo intuitiuè videbit Deum, per actum alterius.

PROBATVR quartò à D. Bonau. *loco nuper adducto, fundam.* 2. & 3. Si Angelus posset alterius arcana penetrare; illabi posset in mentem alterius: sed hoc repugnat: ergo. Hoc argumento vsi sunt multi è Thomistis antiquis; è recentibus verò Ioan. de S. Thom. *d.* 21. *art.* 3. *n.* 24. 161

RESPONDET Mastrius *num.* 160. & 251. non illabi verè aliquem, cognoscendo essentiam alterius, quæ est magis ei intima, quàm actus: multò minùs peruadendo actus, qui sunt eius accidentia. Et sicut sensus, dum sentit obiectum, non illabitur illi; ita neque intellectus.

At *quæst.* 8. ostendi, sequuturum illapsum, si immediatè peruaderet internum, nec est simile de sensu, qui solùm accipit speciem ab obiecto emissam. Neque est simile etiam de cognitione essentiæ per speciem, cum immediata peruasione eiusdem essentiæ.

DEINDE aliam diuersitatem assignat S. Doctor *hic, ad* 4. nam essentia est naturalis, ideò naturaliter se exhibet: actus verò sunt à voluntate libera, quæ eorum est domina: non esset autem domina, si omnibus exposita: dominium autem hoc non est solum physicum super actum ad producendum eum liberè, vt productus sit, non minùs, quàm naturalia omnia in ordine naturali: sed est dominium morale, vt aduertit Amicus *disputat.* 12. *cit. num.* 32. quo liberè vult vti suo actu, quem si videret è prospectu, aut è specula omnibus expositum, non posset ad libita adhibere: & profectò sæpè ab actibus abstinere cogeretur. Ob id virtus naturalis data est menti, & voluntati actus secretos celandi. Hac doctrina omnes Scotistarum rationes funditus corruunt. 162

IMÒ vrgeo, hinc sequi illapsum, in sensu aduersariorum, soli Deo seruatum; nam ex Suarez, Arriaga, Mastrio, allegatis, *quæst.* 8. illapsum illum Deo Patres reseruant; qui stat in peruasione intima ad continendum dominio; at quis non videt, vnum habiturum plenum dominium, atque eum contenturum, si omnes cogitationes, & deliberationes comprehenderet? maximum enim dominium est in voluntate ad suas operationes dependenter à Deo solo exercendas. At profectò non esset domina suorum actuum, si omnibus essent peruijs, sicuti (ait Lezana) non est ille hortus omnibus peruius, qui in absoluto alterius dominio est. Et hoc est dominium, quo vtitur D. Thomas, tanquam efficaci medio, ad assertionem comprobandam. Profectò enim voluntas habet dominium etiam 163

supra potentiam executiuam, quod non haberet, si actus deliberatiui essent in prospectu omnium, ac sic executio posset impediri. Ita Aureolus *d.9.q.1.* Qui adhuc vrget. Non subest magis voluntati species, quæ est in memoria, quam cogitatio, & volitio: sed illa non mouet intellectum ad intelligendum, nisi ex imperio voluntatis: ergo.

264 Hinc quintò arguit S.Doct. *in corpore, hic*, & *in 1.d.9. dub.7. litt.* Sicut dedit Creator voluntati creatæ, quod non determinetur ab obiecto naturali, aut vlla ei potentia præsideat, nisi diuina; vt constat ex fide: sic dedit ei penetrale secretum conscientiæ, quod non peruadat, nisi sapientia diuina. Quo fit, vt non imprimat sui actus speciem in intellectu alterius. Cùm autem Angelus, neque habeat speciem ingenitam illius numero actus, vtpote liberè contingentis, vt suprà ostendit, *d.3.p.2.art.2. quæst.1.* Ideò nequit Angelus alterius actum internum percipere. Hæc ratio exhibuit arma Capreolo *art.2. ad primum*, Caietano, Nazario, & aliis Thomistis ad rationem D. Thomæ nudam armandam, vt notat Vasq. *cap.8.* Suarez *num.9.* Tanner. *num.18.* Vnde etiam ruunt oppositiones Vasquez contra rationem D.Thom. quæ sic roborata, manet inconcussa. Hanc videtur assecutus Valentia *disput.4. quæst.8. punct.4.* D. vbi addit, id à Diuina præstitum prouidentia, ob incommoda, quæ ex necessaria arcanorum reuelatione sequerentur. Ea colliguntur ex commodis, quæ è nostris secretis seruandis habemus, nempè, cùm creatura rationalis ad vitam politicam ordinata sit, magnum sibi detrimentum experiretur, si arcana sua omnibus videret parentia: sic videns alterius cogitationes contra se, erumperet præceps, tametsi ipsas reuocaturus ille fuisset: sic latro à iudice sibi caueret, cuius deliberationem peruaderet. Idem incommodum sequeretur in actibus intellectus, siue, quia præuij sunt; siue, quia sequuntur voluntatem. Imò ferè semper, qui nosset actum intellectûs alterius, nosset & actus voluntatis: tum quia voluntas sæpè noscit, se velle, tum quia, ex vehementia actus intellectûs, colligeretur actus voluntatis. Vt discurrunt Suarez, Arriaga, & alij Recentes, qui hanc moralem demonstrationem conclamant.

265 Nec satisfacit Mastrius *num.260.* dicens, secretum stare solùm pro hac vita, & ob crassitiem corporis, quoad homines; at pro statu beatitudinis non dari, nisi in aliquo casu, & allegat D.Gregorium ad illud Iob. *Non æquabitur ei vitrum.15.* Moral. c.7. & D.Aug. *psal.41.*

Profectò enim in via etiam ad pacem vitæ politicæ data est secretorum arca, vt aduertit Zanardus ex D. Thom. *quæst.57. art.4.* Neque naturaliter id reuelandum asserunt in beatitudine; sed supernaturaliter, quod ostendo ex D.Gregorio, allatis verbis: *Tunc in beatitudine resurgentium vnus erit perspicabilis alteri, sicut ipse sibi, cùm vniuscuiusque intellectus attenditur, conscientia penetratur; sed resurgentes erunt similes Angelis*, Matth.22. Vbi è simili virtute, qua corpora beata fient peruia, eruit etiam animas penetrabiles futuras, profectò

266 virtute supernaturali. Neque quoad animam comparat homines cum Angelis; sed quoad corpus immortalitate, & incorruptione donatum, vt constat: nam ibi Christus reddit rationem: cur neque nubent, neque nubentur, quia ablatæ erunt generationes. Quare immeritò Mastrius *num.242.* deducit, causam adæquatam huius secreti in homine, esse crassitiem corporis, & in beatis nullam adesse, sed patere omnia vi naturæ, non reuelatione gloriæ tantùm. Neque solùm pro statu corrupto secretum cordium decere, ex Socrate probat satis; expetimur enim charum secretum, & naturali instinctu exoptatum.

Respondent Mastrius, Faber, & alij, non satis à D.Bonau. probari arcanos actus esse Angelis inuios, eò quòd pendeant à solo Deo; alioqui etiam essentia animæ, vel Angeli esset soli Deo peruia, à quo pendent.

At non percipiunt argumentum: non enim è sola dependentia à Deo vrgemus, neque dicimus, quod ideò ille actus sit occultus, quia liberè fit: hoc enim esset petere principium, vt animaduertit Suarez *cap.23. num.9.* neque dico, animam cogitatione impedire, vt benè etiam declarat Vasquez *cap.6.* sed ratio sanctorum Doctorum est, quòd, sicut Deus animæ concessit dominium suorum actuum: ita dedit secretum penetrare cordis, quod nullus, extra Deum, cui omne cor patet, valeat peruadere. Itaque est tale obiectum intelligibile.

Probatur sextò à D. Bonau. *in 1. d.9. dub.7.* 267
alia ratione efficaci: si Angeli naturaliter mutuò cogitationes, & volitiones cognoscerent, otiosa esset Angelorum locutio. Probatur sequela euidenter. Quorsum enim loquuntur ad exprimendos conceptus iam notos?

Respondet Mastrius *num.529.* è Scoto *2.d.9. quæst.2. ad princ. 2. quæst.* quod illi conceptus naturaliter noti, communicarentur libere audienti. Confirmatur: nam & conceptus Angelorum sunt Deo noti, neque tamen otiosè Angeli Deum alloquuntur. Præterea sæpè vnus Angelus non aduertit ad conceptum alterius. Ideò eget excitari per locutionem.

Enim verò otiosa erit locutio, neque liberalis communicatio est conceptus iam naturaliter cogniti, nil enim addit notitiæ. Neque est simile in Angelo orante, vel aliorum orationes offerente: hoc enim ad religionem confert. Quod verò egeat excitari, friuolum est. Nam Angelus semper attendit ad ea, quæ oportet: ad eum verò spectat se applicare obiectis congruentibus: neque enim negligentiam, aut obliuionem patitur, neque è Catadupis oriundus obsurdescit.

Probatur septimò à D. Bonau. contra duas 268
primas sententias: si arcana cordium essent naturaliter patentia Angelico intellectui, iam dæmones peruaderent animas, scirent gratiam in eis, virtutes, sanctitatem, &c. & sic multa absona euenirent, vt constat. Probatur sequela, quia in dæmonibus mansêre naturalia integra, ex D. Dionysio *cap.4. de diu. nom.*

Obicit primò Scotus *2. d.9. quæst.2.* & cum eo Faber *num.4.* Mastrius *num.238.* & alij Scotistæ. Quod actu est in se intelligibile proportionatum, non potest voluntate habentis abscondi. Talis est cogitatio, & volitio: ergo. Probatur minor; quia est ens actu ordinis naturalis, proptereà ab Angelo eliciente perceptum sufficienter præsens Angelo, & magis extra Angelum, quàm ipsius Angeli essentia. Cum autem hæc percipiatur ab aliis Angelis; multò magis poterunt percipi actus.

Est argumentum quartum Seraphici, cui res- 269
pondet, quod intelligibile proximum non potest voluntate habentis occultari: at verò quòd remotè est ens intelligibile, potest occultari. Iam verò ad minorem dico, secretum cordis esse remotè intelligibile, quatenus est ens, quod est obiectum intellectûs: at verò non proximè; quia Deus sic dotauit

dotauit liberum arbitrium, vt sicut nullus illud penetrat, & ad actus *in fieri* impellit, ita neque *in facto esse*, vt eos pandat. Vnde negatur minor. quamuis enim actus illi sint ens: non tamen sunt satis præsentes. Itaque non dicimus, eos actus esse satis intelligibiles, & sola voluntate occultari, vt credit Scotus; sed dicimus: non esse actu intelligibiles, vt clarè loquitur S. Bonau. & cum eo Caiet. & Vasq. *loco cit.* Neque sunt ordinis naturalis in esse obiecti; neque repugnat esse ipsi Angelo ordinis naturalis, quia non repugnat aliquid esse ordinis naturalis respectu vnius; & supernaturalis res-
170 pectu alterius; vt constat in reuelatis. Sunt autem secreta extra ordinem naturalium, vt aduertit etiam Ioan. de S.Thom. *num.* 15. nequè voluntas alicui subditur omninò in gubernatione (excipe Deum) vt aduertunt Caietanus, Capreol. & Ferrara: atque ideò non est datum creaturis eam peruadere; nec est simile de essentia, quæ est merè naturalis, naturaliter immittens speciem; non sic arcani actus cordis, vt aduertunt Suarez, & Amicus cum D.Bonauent. *ad* 4. Hæc sanè responsio, quo pacto petat principium, vt clamat Meldula, non inuenitur. Addo aliam rationem, ob quam arcana non sunt actu intelligibilia: quia pro vt sunt in intellectu alieno, non sunt ratio cognoscendi, vt suprà dictum est cum Scoto, & asseclis. Omitto finem moralem, ob quem sic constituti sunt actus hi arcani, scilicet ad politiam vniuersi, quæ tamen non est tota ratio effectiua; alioqui concederemus Scoto intentum; nempe secundùm esse Physicum, eos esse actu intelligibiles. His reprimes Mastrij redargutiones; quas tantoperè vrget & auget.

171 INSTAT Faber. Quod est ordinis naturalis, non fit supernaturalis, ex ordinatione libera; vel è contrà: sed per te actus isti sunt supernaturales: ergo per arbitrium Angeli elicientis nequeunt aperiri. Confirmatur: nam color, qui non est obiectum auditus, nunquam euadet eius obiectum: quia quod est vnius generis, non potest fieri alterius, nisi naturam mutet.

RESPONDETVR, hos actus, eo sensu, esse supra naturam, quatenus non sunt determinata obiecta; sed possunt determinari ab arbitrio elicientis. Et hoc innuit S.Doctor dicens *ad* 4. operationem naturalem, esse in actu obiectiuè non minùs, quàm essentiam, non autem voluntariam. Neque vult dicere Seraphicus, solos actus voluntatis esse arcanos, vt videtur sentire cum sexta sententia; sed omnes actus etiam intellectus esse sub dominio voluntatis, vt eos extraneis celet: similitudo de colore, qui est obiectum merè naturale & necessarium oculi, nil iuuat.

172 INSTAT Faber. Angeli nequeunt colloqui de rebus, quarum non habent species: sed arcanorum cordis per vos non habent species: ergo. Subsumo: at loquuntur: nam & dæmones sunt in iudicio accusatores cogitationum prauarum, vt dicitur *Apoc.* 12.

NON admitto cum Valentia, Angelum habere horum arcanorum species, sed exigi etiam consensum elicientis: ad patefactionem; dico cum S. Bonau. non haberi species singularium, nisi per applicationem combinatas; neque munus accusatoris id exigit, vt notat S.Doctor *ad primum*, quia de internis satis accusabitur à conscientia, & à Deo, qui est iudex, & testis, vt ait S. Doctor *ad primum*.

OBIICIES secundò. Peccatum est character diaboli, ipsi notissimus: at sæpè est secretum: ergo.

RESPONDETVR, peccatum illud, quod perfrictà fronte patratur, de quo *Hier.* 3. esse diaboli characterem.

OBIICIES tertiò ex D. Augustino *de Genes. ad litt. cap.* 17. & 2. Mali Angeli cogitationes nouerunt; ideò multa prædicunt. Respondet S.Doctor, ibi loqui de coniecturis. 173

OBIICIES quartò. Notior est operatio, quàm potentia; & potentia quàm essentia: quia per notitiam operationis cognoscimus potentiam, & per potentiam penetramus ad essentiam; at essentia animæ non latet diabolum: ergo neque actus.

RESPONDET Seraphicus, verum esse de operatione extrinseca; non de intrinseca semper, multæ enim res sunt nobis notæ, vt herbarum plurimæ; at earum virtutes ignotæ. Vel dic, verum esse de operationibus merè naturalibus; non de subiectis libero arbitrio; vt dixi.

OBIICIES quintò. Angeli sunt specula spiritualia, vt ait S.Dionysius *cap.* 3. *de Angelicâ Hierar.* ergo in eos aspiciens videt, sicut in speculo, quidquid relucet in eis. 174

RESPONDET S.Doctor, speculum naturale necessariò repræsentare quidquid in se elucet; non autem speculum voluntarium, & tales sunt Angeli.

Instat: sic se habet intellectus, sicuti oculus: sed quidquid videt oculus meus in me, potest videri ab oculo alieno: ergo & actus, quos intelligo in me.

RESPONDET S.Doctor ex dictis, oculum videre necessariò id totum, quod non velatur, sic & intellectum: at verò actus mentis sunt reconditi. Ideò ait D.August. 12. *in Genes. cap.* 17. quod sicut substantiæ corporales habent aliqua velamenta, quibus se alienis aspectibus occultant: sic & substantiæ spirituales suo modo.

Dices, ens simplex, vel totum exponitur: vel totum latet. Angeli sunt simplices: ergo.

Respondet S. Doctor, esse quidem in ente simplici non plicarum inuolucra; sed gradus altiores, ac puriores, qui possunt esse magis reconditi; & penes istos residet conscientiæ secretum. 175

EXPLICAT S. Doctor *in calce*, Gennadij effatum, de Eccl. dog. cap 83. *Dæmonem per energiam operationum non credimus substantialiter illabi animæ; sed applicatione, & oppressione vniri; Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit.*

Dicitur autem *Energia* ab, *en*, seu *in*; & *ergon*, quod est labor; & *mene*, quod est defectus: vnde dicitur quasi interior labor, & defectus. Vnde illi dicuntur energumeni, qui exterius laborant vexatione dæmonis, interiùs eos obsidentis.

Hinc eliciebat S. Doctor, non posse Angelum vnum penetrare arcanum cordis; quia; vt ait S. Cyrillus *lib.* 2. *in Ioan. cap.* 19. Nulli alij, sed Diuinæ tantummodò naturæ propheta attribuit illud: *Scrutans corda, & renes Deus*, D. Chrysostomus homil. 30. in Matt. *Solius est Dei, mentes, atque animas hominum cognoscere.* Et D. Athanas. quæst. 27. ad Antioc. *Præscius rerum, & cordium cognitor solus est Deus; nec enim Angeli cordis abscondita, vel futura videre possunt.* S. Hieron. suprà citatus ad id Hier. 17. *Prauum est cor hominis, &c. Hinc diximus, quod nullus cognitionum secreta cognoscit, nisi solus Deus.* Idem asserit S. August. *lib.* 10. *Confess. cap.* 2. *in psal.* 7. *&* 141. Cassianus *collat.* 7. *c.* 13. 176

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

Vtrum ANGELI *cognoscant Mysteria Gratiæ.*

277 NON agimus *hic* de omnibus obiectis supernaturalibus: nam mysterium Trinitatis naturaliter non potest percipi, vt ostendi *tract.2. disput.1. quæst.1.* Idem proinde sequitur de Incarnatione. Sed quæstio est de cæteris supernaturalibus extra Deum, quæ Theologi vocant *Mysteria Gratiæ.* Et quidem de his, quæ adhuc in pectore Diuinæ voluntatis sunt reposita, vt in futurum prodeant, non est quæstio. *Quis enim nouit sensum Domini?* Rom.9. & Sap.9. dicitur: *Mitte illam de sede magnitudinis tuæ. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei?* & Isa.4. *Quis audiuit spiritum Domini?* Quæ grauiter prosequitur Seraphicus Doctor *ad cap.9. Sap.* & post eum Vasq. *citando loco.*

278 Aduerto, hæc Mysteria esse duplicis generis: alia enim sunt supernaturalia quoad substantiam; & sunt ea, quæ secundùm suam entitatem sunt supra naturam, adeò vt nulli subiecto creato conueniri queant; vt Gratia sanctificans, Lumen gloriæ: alia sunt entia supernaturalia, quoad modum tantùm, quæ supernaturaliter quidem producuntur; at facta connaturaliter insunt, vt visus redditus cæco; vita mortuo.

ASSERTIVA opinio est Scoti 4. *dist.*10. *q.*8. §.*Respondeo*, Bassolis *eadem dist. quæst.*8. Radæ *controuers.*8. *secunda part.* Aretini 4. *d.*10. *q.*8. Angles *d.*3. *q.*4. *diff.*2. Ex his duo vltimi profitentur cum Scoto vniuersaliter asserendum, omnia Mysteria, atque entia supernaturalia, esse naturaliter ab Angelis cognita: Rada verò, Incarnationem posse euidenti quidem illatione cognosci, non verò directè sub proprio conceptu: Alij tamen Scotistæ id tuentur è mente Scoti, solùm quoad aliqua: nam loco adducto loquitur tantùm de Eucharistia. Et *in resp. ad* 3. ait: *Incarnationem solùm arguitiuè posse à malo Angelo attingi; non directè sub proprio conceptu, quem importat hypostatica vnio*; imò non
279 loquitur ibi de substantia Incarnationis; sed solùm de circumstantiis, inter quas erat integritas Immaculatæ Virginis, quam dicit potuisse diabolum cognoscere; sed in hoc fuisse impeditum, ne Redemptio nostra impediretur. Quod accuratè notarunt Vulpes *d.*11. *art.vlt.* Brancas. *d.*7. *q.*10. *art.*2. Bellutus *disp.*1. *de Incarnatione, q.*3. Mastrius *tract.*2. *disp.*2. *n.*316.

ET sanè de quibusdam entibus supernaturalibus, quoad substantiam, idem sentiunt Tartaret. 4. *d.*10. Ocham 4. *q.*5. *art.*3. Gabr. *in Can. lect.*43. qui sentiunt, omnia Mysteria gratiæ, postquam facta sunt, posse ab Angelo naturaliter intuitiuè videri, existimantes, ea esse supernaturalia tantùm quoad modum; non quoad substantiam, vt pluribus prosequitur Albertinus *tom.*1. *princ.*1. *coroll.*3. *p.*1. Tanner. *disp.*5. *quæst.*2. *dub.*7. *num.*4. Latiùs asserunt Aureolus 2. *d.*9. Henricus *in summa, art.*33. *quæst.*2. Maior 4. *d.*8. *quæst.*5. Ægidius *Theor.*16.

280 SECVNDA sententia, nulla mysteria, entiavè substantialiter supernaturalia, etiam in actu constituta, ait, posse ab Angeli acumine naturali intelligi. Ita D. Bonauent. 4 *dist.*10. *p.*2. *art.*2. *q.*1. vbi licèt de intellectu humano disputet ibi: an Mysterium Eucharistiæ Augustissimum percipiat; tamen idem omninò prætendunt rationes de quovis intellectu creato erga obiecta huiusmodi, vt aduertit Suarez *lib.*2. *cap.*29. *num.*16. Idem elicitur è D. Bonauent. *fundam.*5. *quæstionis præcedentis.* Consentit D. Thom. *hic*, vbi Caietanus, Bannes, Nazarius, & alij Thomistæ. Valentia *disp.*4. *quæst.*8. *punct.*4. Molina *quæst.*57. *art.*5. Vasq. *disp.*214. Albertinus *supr.* Suarez *cap.*29. & 30. *cit.* Tanner. *dub. cit.* Morand. *tract.*7. *quæst.*26. allegans Arrubalem, Præpositum, Alarconem, Auersam, Becanum, & ferè omnes recentes. Fuit autem opinio Alensis 2. *p. q.*26. *memb.*1. Durand. 2. *d.*3. *q.*7. *num.*19. & *q.*8. *n.*6. Richardi, Paludani, & aliorum antiquorum, quos vltimò sequitur Marcus noster *q.*51. *art.*2. *d.*2. Caspens. *disp.*2. *sect.*7. ex parte Arriaga *disp.*10. *sect.*3. *subsect.*3. partim accedens ad Scotum, & Nominales, qui omnes sunt nobis aduersi, vt refert Alarconius *disp.*3. *c.*14. Fuliens. *lib.*3. *c.*4.

QVOAD supernaturalia secundùm modum, postquam sunt facta, communis sententia docet, naturaliter ea ab Angelo percipi. Eam sequuntur Suarez *lib.*2. *cap.*30. Vasq. *num.*16. Morandus, Atrubal. Præposit. Alarcon. Auer. & alios adducens. Tannerus *num.*1. adducens Recentiores cum Durando. Idem sentit Marcus noster cum Valentia, *punct.*4. in medio, Caspensis, & alij cum Fuliensi *lib.*3. *cap.*4. 281

ASSERO primò. Entia quæcumque substantialiter supernaturalia, non percipi naturaliter ab Angelis.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in* 2. *dist.*3. *p.*2. *art.*2. *q.*1. Ex 3. ad Ephes. *Vt innotescat principibus, & potestatibus, multiformis sapientia Dei.*

SECVNDÒ ex 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei.* Quem locum exponit S. Doct. 3. *d.*14. *dub.*2. *litt.* dici solùm Spiritum Dei nosse, & scrutari Mysteria gratiæ, quia eius auxilio scrutantur creaturæ.

TERTIÒ ex Isaiæ 65. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Hic locus sic affertur à Paulo, 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus, &c.* vt obseruat S. Doct. *in Diata tit.*10. *cap.*2. vbi naturali virtuti cuiusque denegat id percipere. Alia loca similia etiam è PP. refert Nazarius, & Zumellus. His tamen, & similibus fretus Nazarius, notam temeritatis immeritò Scoti sententiæ inurit; non enim adeò præclarè id eæ authoritatis iniungunt, vt claret. 282

PROBATVR secundò à S. Bonau. 2. *dist.*8. *p.*2. *q.*6. *fundam.*5. Si Angeli acumine innato penetrarent supernaturalia; sequeretur, dæmonem percipere gratiam, & virtutes homini infusas: & ita videns confirmatos in gratia, vt Christum, & alios, non tentasset, quæ sunt contra Scripturam, Patres, & Theologos, vt arguit Morandus cum Bannes.

PROBATVR tertiò à Seraphico in fine *allegatæ quæstionis.* Quod in anima est altius, est etiam magis inaccessibile; sed portio animæ, in qua sunt gratia, & virtutes Theologicæ, est suprema: ergo si inferior, in qua sunt actus naturales, est inaccessibilis; vt ostendi *quæst. præcedenti*, multò magis, &c.

PROBATVR quartò à S. Doct. *in* 4. *d.*10. *p.*2. *art.*2. *q.*1. ad secundam lateralem, circa finem quæstionis principalis. Intelligibilitas cuiusque rei est proportionata ipsius naturæ, & entitati: sed tales res sunt supra naturam Angeli: ergo sunt etiam supra eius intelligibilitatem. Hoc argumẽtum à Suar. *cap.*26. 283

cap.19.num.6. præfertur rationi D. Thomæ, & solidissimum acclamatur. Idem assumitur, vt optimum, à Vasq. *cap.3. num.13.* quod ictum refricat S.Doct. *quæst.seq. in fundamentis, & corpore.*

RESPONDENT Scotus, Tattaretus, Rada, Mastrius, & alij, negando minorem: nam illa entia in fieri, sunt supernaturalia solùm extrinsecè ex parte agentis, quatenus nequeunt ab agente naturali produci; sunt tamen intrinsecè naturalia, & multò magis, cùm iam sunt: sola autem habitudo ad agens non concludit res alias, & alias intrinsecè, vt docet D. Augustinus 3. *de Trin. cap.9.* Confirmatur, quia omnis substantia creata est obiectum proportionatum Angelico intellectui: ergo & omne accidens, quod est inferius.

Insidiantur etiam maiori: nam sicuti ens naturale supernaturaliter scitur: ita, & supernaturale potest naturaliter, & supernaturaliter intelligi; sed hoc infrà cachinno soluetur.

284 Atque entia hæc esse supernaturalia intrinsecè ostendi *tract.1. disp 11. quæst.9.* Et ostendam *prima secunda, tract.5.disp.2. q.7.* neque solùm *in fieri*, sed etiam *in facto esse*: sicuti, si ego è radicibus euellerem Alpes, & sustentarem, esset continuum miraculum, vt notat Arriaga. Igitur sunt entia intrinsecè supernaturalia, atque adeò improportionata; alioqui, & naturaliter posset videri Deus. Neque in his, ex infinitate, diuersitatem rectè affert Mastrius: nam possem videre lineam infinitam non comprehensiuè. Neque verò dicimus, debere esse proportionem in tota adæquatione cognoscentis cum cognito: nam & beatus adæquatè sumptus, vt potentiam naturalem dicit, est inferioris ordinis, quàm obiectum, vt confiteor Arriagæ, qui malè etiam dicit, posse rem materialem esse cognoscitiuam rei spiritualis.

AD D. Augustinum dico, non reclamare nobis, qui non è sola habitudine ad agens accipimus supernaturale. Quod dicit de substantia, nihil valet: nam sæpè accidens est ordinis superioris ad eleuandam substantiam ad statum supernaturalem. Sic Lumen gloriæ eleuat ad visionem Dei; tametsi in prædicamento inferius sit subiecto suo, nempè Anima, & Angelo.

285 RESPONDET secundò Mastrius *num.329.* cum Arriaga, rationem æquiuoco scatere: arguit enim à cognoscibilitate passiua rei, ad virtutem actiuam cognoscentis, quod est variare, ac si dicas. Cognoscibilitas proportionatur essentiæ. Essentia Diuina est increata: ergo & cognoscibilitas eius est increata. Ergo non potest creata cognitione nosci; quæ vtique est mala consequentia: sic ergo non valet arguere: Res cognita est supernaturalis: ergo & vis cognoscitiua; & sic inter cognoscentem, & cognitum petit conuenientiam in prædicatis essentialibus, quod est falsum; alioqui valeret: Homo cognitus, est substantia: ergo & cognitio eius in Angelo debet esse substantia. Tandem concludit, argumentum solùm probare, supernaturale in substantia non posse naturaliter intelligi simpliciter. Semper enim exigitur miraculum, vt res ponatur in actu: posita verò, est obiectum naturale.

286 HÆC tamen futilia sunt: nam argumentum assumit, potentiam, & obiectum debere esse in eodem ordine: sic obiectum sensibile cum sensu; spiritualizatum cum intellectu esse inuenitur: sic igitur obiectum supernaturale exigit potentiam super naturam eleuatam, vt constat in beato, qui necessariò eleuatur lumine gloriæ; & in viatore, qui ad actus supernaturales eget Dei supernaturali auxilio, vt definierunt Concilia Araus.2. Mil.u. Trident. & cætera. Neque verum, ea entia, postquam sunt facta, esse ordinis naturalis: dantur enim entia intrinsecè supernaturalia; atque a eò semper talia, vt docet etiam Arriaga *num.43.* Quo fit, vt semper excedant, secundùm ordinem, potentiam naturalem in ratione obiecti ad potentiam comparati, vt obseruat Morand. cum Suarez, Vasq. & Alarconio. Quod verò suprà dicebat Mastrius cum Scoto, non magis repugnare, ens supernaturale cognosci naturaliter etiam, quàm ens naturale cognosci supernaturaliter, risum mouet. nam ens naturale inuenitur inferioris ordinis; vnde nil mirum: at ens supernaturale excedit statum potentiæ; vnde nequit percipi naturaliter.

HINC habeo, etiam modos existendi eorum entium esse supra naturam; atque adeò non emittere species ad Angelum, vt modus existendi in Eucharistia, etiam quoad vnitatem corporis, & sanguinis cum Deitate, quem Scotus asserit naturaliter videri, vt notat Vasquez *num.18.* etsi Suarez *num.14.* asserat, se id in Scoto non inuenire, de quo suprà. Talis est modus ipsius humanitatis in Incarnatione, quem naturaliter sciri posse videtur asserere Scotus, si credis Angle *in fl.circa 2.d.3.q.4. diffic.12.* & suprà *allatis Scotistis.* 287

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in 3. dist.14. dub.2. litt.* ex 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei.* Ex quo D.Thom. elicit argumentum non intellectum a Suarez, Vasquez, Mastrio, & aliis; & proptereà flocci pensum. Id quod pendet a solo Deo in esse, non potest naturaliter cognosci ab aliquo. Talis est modus Christi in Eucharistia: ergo.

RESPONDENT Suarez *cap.19.num.4.* Vasq. *n.15.* Mastrius *num.332.* probari sanè modum hunc, antequam esset, non potuisse videri; attamen iam in actu, quis prohibet eum videri? alioqui neque Angelus posset naturaliter cognosci, cùm à solo Deo pendeat. 288

Hoc tamen non est integrum D. Thomæ argumentum: sed hoc. Sicuti, quæ sunt hominis nemo nouit, nisi spiritus hominis; ita quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei, producens, & operans, atque missus ad opera supernaturalia (vt obseruat cum D. Bonauent. Nazarius,) atque adeò pendent à voluntate Dei operantis supernaturaliter, vt aduertunt Lezana, & Auersa. Sed spiritus hominis, ex dictis suprà, habet suorum actuum arcanum depositum. Ergo & Deus multò magis: quia operatio supernaturalis, & libera Dei non est obiectum connaturale creaturæ, quæ nequit naturaliter percipere Deum, supra naturam operantem.

PONTIVS Scotista *d.12. q.5.* cedit argumento; & concedit, Angelum non posse certò cognoscere formas illas, & modos supernaturales esse in substantia, atque adeò trahit Scotum ad nobis consitendum, hæc sola probabili notitia intelligi. Et verè validum est argumentum, quod sumitur ex proportione necessaria potentiæ cum obiecto: sicut enim ad cognitionem rei naturalis requiritur lumen naturale, quo potentia cognoscat, & obiecto proportionetur; ita ad cognitionem rei supernaturalis necessarium est lumen supernaturale, vt grauiter discurrit Amicus *d.13.*

PROBATVR deinde à Seraphico, præcipuè quoad modum existendi Christi sub speciebus panis. Quod rationem naturalem transcendit, non capitur 289

capitur ratione à quocumque intellectu, etiam separato. Talis est hic modus: ergo maior claret. Minor probatur. Ratio dictat, omne continens esse maius contento; vel saltem æquale: at species, seu hostia Christum continens, neque est maior Christi corpore, nec ei æqualis: ergo. Præterea ratio dictat, quod si aliquid est in aliquo toto, & fiat in minori, necesse est contrahi; aut illud excedit simpliciter: sed fides nostra dicit, Corpus Christi esse in magna hostia; & iterum in medietate hostiæ ita magnum, & non contractum: ergo. Hæc S.Doct. *fundamentis*. Sic proinde alia mira percurre cum Seraphico, & roborabis argumentum, aliaque videbis, quæ sumpsit Suarez *3.part.d.46.sect.7. & hic, num.23.* Ità cum D. Bonau. discurrunt communiter Theologi. D.Thom. *3.part.quæst.76.art.7.* vbi Thomistæ omnes. Alens. *4.part. q.40. memb.3. art.4. & quæst.10. memb.7. art.3.* §. 8. Durand. *4. d.10. quæst.4. art.6.* Richardus *ibi*, & alij relati, & laudati à Suarez *3.p. d.53. sect.5.*

291 Hæc sanè miracula sunt, non soli intellectui sensibus alligato, vt putat Mastrius *num.335.* sed cuique ratione vtenti, quæ in cæteris etiam naturaliter resistit, vt in præsentia eiusdem corporis in pluribus locis; accidentium sine subiecti, &c.

Instat Vasquez *à num.32.* vt probet posse hæc naturaliter videri: tum quia ille modus sequitur necessariò ex carentia naturalis substantiæ panis: tum quia ille modus est minùs perfectus, quàm ille naturalis, quem habet substantia, & ex priuatione substantiæ videre potest quantitatem sine subiecto, & ex carentia modi debiti quantitati extensæ in ordine ad locum, percipere potest, substantiam esse totam in tota, & totam in quauis parte. Porrò substantia Corporis Christi est naturalis: ergo naturaliter cognoscibilis.

292 Hæc tamen sunt inania: quia modus ille non oritur simpliciter ex carentia sola rei naturalis; sed ex Dei supernaturali decreto, vt obseruat Arriaga *disput.10. sect.4.* Et esto modus ille, substantiæ conueniens, existendi per se, sit perfectior modo hoc accidentium existendi per se; tamen iste est naturæ accidentium indebitus, & contra naturam accidentium, quæ intrinsecè ad subiectum ordinata sunt; atque adeò magis à ratione naturali remotus; tametsi in genere entis imperfectior, quod parum refert, non enim est de intrinseco conceptu rei supernaturalis, vt sit perfectior omni re naturali: sic Lumen gloriæ, Gratia, &c. sunt accidentia inferiora omni genere substantiæ. Addo difficiliùs cognosci entia imperfectiora, quia minus habent entis, quod est subiectum intellectûs. Id patet in relationibus nostris. Per hæc soluitur falsa Suarez suppositio, quòd hic modus sit ens naturale, aut naturaliter cognitus ex priuatione modi naturalis debiti quantitati: quamuis enim ex priuatione noscatur positio, quando sunt eiusdem ordinis; tamen ex priuatione modi naturalis non colligitur, modum supernaturalem ibi, eius loco, esse appositum, vt vidit Suarez *num.17. & 3.p.* quo fit vt possit Angelus dubitare, se impediri, ne

293 substantiam videat. Quæ omnia colligo ex D. Bonauent. *4.d.49. quæst.2. ad 1.* vbi concedit, priuationem ducere in cognitionem habitus, quando priuatio habet esse in cognoscente: nam tunc, ex inclinatione ad formam coniunctâ priuationi, potest cognosci res, cuius indiget; ideò si materia haberet cognitionem, cognosceret formam, qua indiget, vt ait S.Doctor; non sic est in priuatione ordinis diuersi, quæ propriè non est priuatio: quia ad eam formam non habet appetitum. Sic igitur ex carentia modi naturalis non colligitur modus formalis supra naturam. Est autem profectò modus ille supernaturalissimus. Vnde & dicitur Mysterium fidei per Antonomasiam; & non solùm respectu viatorum; vt putat Mastrius. Neque dicat Pasqualigus *d.105. sect. 8. de Sacramentis*, præsentiam Sacramentalem non distingui, vt rem à re, à substantia Corporis Christi, nam quocunque modo differat, etiam vt modus, est supernaturalis, vt notat Morandus *tract.3. de Sacram.q.10.*

De Incarnatione verò probatur primò à D. Bonauent. *1.p. de Eccl. Hier. cap. 5.* de prima Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos: loquimur sapientiam in Mysterio absconditam, quam nemo Principum huius mundi cognouit.* Vbi aduertit, in hoc comparari Angelos hominibus, & omnibus absconditum, donec reuelatum est. 294

Deinde *in expositione Missæ, cap.4.* adducit id *Isaiæ 45.* vbi dicitur: *Deus absconditus*, tum in Incarnatione; tum in Eucharistia. His, & similibus nititur Suarez *3.p. d.3. sect. 1.* vbi plurimos etiam Patres conglomerat.

Rationem verò adiungit ex D. Bonau. *4.part. Breuil. cap.4.* quia hoc Mysterium, etiam quoad modum, est altissimum fidei obiectum, supponens Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, nulli intellectui naturaliter obuium; & alia, quæ rationi naturali non inniruntur. Vnde non est simile de aliis fidei obiectis, quæ ratione etiam cognoscuntur, vt Dei existentia. Quare frustrà Mastrius, hoc medio, declinare satagit argumentum.

Lariùs id prosequitur S. Doctor *Prologo primi sent.* vbi id probat è Psal.18. *A summo cælo egressio eius.* Isa. 45. *Verè tu es Deus absconditus Saluator.* Abac.3. *Ibi abscondita est fortitudo eius.* Ephes. 3. vbi dicitur: *Mysterium seculis absconditum.* 295

Idipsum de visione Dei ostendimus cum D. Bonau. *tract.1. disput. 11.* passim & ideò etiam *loco cit.* ostendit S. Doct. non posse eam cognosci certò euidenter; contra Scotum *4. d. 49. quæst. 8.* Vasq. *prima secunda, disput.21. cap.2.* Eadem constantia hæc sustinet S. Doct. *in prologo primi sent.* & *in 4. d.43. quæst.5.* quoad dotes gloriæ, & *d.49. quæst. 1. & 2.* quem secuti sunt D.Thom. *1. part. quæst.12. art.1. & 4.* & *prima secunda, quæst.3. artic.1.* vbi Thomistæ *Suppl. Gabr. in 4.d.49. quæst.1. art.3. dub.1.* Salas *prima secunda, tract.2.d.2. sect.vlt.n.73.* Suarez *lib. 2. de Attrib. cap. 7.* & *lib.2. de Angelis, cap.29. num.29.*

Probatur à Suarez, ratione D. Bonau. *in 4. loco cit. quæst. 2. in fine corporis.* Non minùs est supra naturam visio Dei clara, quàm charitas & gratia: sed hæc nequeunt naturaliter cognosci ab Angelo ex ipso Vasquez *prima secunda, loco cit.* & est de fide, vt ostendit D.Bonau. *in 1.d.17. p.1. quæst.3. in fundamentis: ergo.* 296

Vbi aduerte, posse probari quidem beatitudinem in genere, quam naturaliter appetimus, non tamen supernaturalem, quam naturaliter neque appetimus, vt incognitam, vt ostendit S.Doct. *in 4. loco cit.* & ostendam *prima secunda, disput.1. sect.2. quæst.13.*

Probatur verò assertio à D. Bonauent. *Prol. primi sent.* Prouerb. 8. *Ego ex ore Altissimi prodiui*, vbi ideò dicitur Deus Altissimus. Vnde Ecclesiastici 7. *Alta profunditas, quis inueniet eam?* Rom.11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Psal.35. *Iudicia Dei abyssus multa.* Eccl.1. *Profundum abyssi quis dimensus est?* Isa.45. *Verè tu es Deus*

Deus absconditus. Ideò sapiens *cap.* 7. petebat de alto reuelari. Confirmatur à S. Doct. *in Prol. ad Eccle astes* ex illo 1. Timot. *Qui lucem habitat inaccessibilem*. Ergo nequit naturaliter attingi, beatitudinem, in Dei visione constitutam, esse nobis possibilem.

297 PROBATVR adhuc à Suarez *num*.44. vniuersali ratione D. Bonauent. 4. *dist*.49. *artic*. 2. *quast*. 1. *in corpore*, vbi loquitur præcipuè de Eucharistia. Hæc mysteria non habent signum, seu effectum euidenter manifestantem; quia effectus horum indicat tantùm causas naturales, v. g. continens hostia non potest naturaliter ostendere, se continere corpus staturæ proceræ: Est enim improportio. Idem infer de aliis effectibus. Ideò dicitur Eucharistia Mysterium fidei per excellentiam; quia est super omnem intellectum viatoris: ergo nequeunt cognosci: Probatur consequens, quia cognitio à posteriori non habetur, nisi per effectus à tali causa necessariò pendentes; neque de his habet species, vt patet, & supponit Seraphicus 2.*d*.3.*part*.2. *art*.2. *quæst*.1. & *in* 1. *d*.17.*p*.1. *quæst*. 3. *in corpore*. Idem sentiunt multi etiam Thomistæ, indicati à Suarez, qui hanc rationem ait efficacem.

298 Quoad gratiam, & charitatem probatur ratione ex D. Bonauent. 2. *dist*.7. *part*.2 *quæst*.3. *fund*.1. Quantò aliquis est præsens obiecto proportionato; tantò meliùs cognoscit: sed nullus videt in se habitus istos, vt constat de fide: ergo neque Angeli exteri.

PROBATVR adhuc, modos intrinsecos supernaturales non videri naturaliter ab Angelo, ratione Seraphici 4.*d*.10. *part*.2. *art*. 2. *quæst*. 1. *in corpore*, qua vtitur Suarez *cap*.30. *à num*.9. Quia nullum est principium, quo inde obiectum illud speciem emittat illius modi, ad virtutem naturalem intellectûs Angelici, cùm causæ intrinsecæ illius, velut compositi ex speciebus panis, & corporis Christi, non conueniant in vnam naturam, vt liquet: suppono autem non esse illi reuelatum, vt dixi.

ASSERO secundò, supernaturalia, quoad modum tantùm, possunt naturaliter ab Angelo cognosci.

299 PROBATVR ab Arriaga *disputat*.10. *subsect. vlt. num*.61. cùm enim resuscitaretur Lazarus, potuit videre mortuum reuiuiscere, nullamque ibi causam naturalem interuenire: scire potuit ideò, infinitam Dei potentiam operari. Præterea, licèt ex parte regressus animæ, & vnionis eius cum corpore sit supra naturam; tamen ipsa colligatio animæ cum corpore suscitato, est naturalis, vt ostendit S. Bonau. 4. *dist*.43. *quæst*.5. ideò in facto esse, est naturalis.

Hæc benè ostendit Scotus esse cognoscibilia, quia sunt entia proportionata naturalia. Quod si alioqui de omnibus valeret esse naturaliter cognoscibilia, quia sunt obiectum intellectûs, sub ente comprehensa; sequeretur, Deum posse naturaliter videri, vt benè infert S. Bonau. *in* 2. *dist*.3. *p*.2. *art*.2. *quæst*.2.

300 ADVERTE, Seraphicum *in* 3. *dist*.4. *art*.3. *q*.2. *argumento vltimo ad opp*. & *in resp*. ponere resurrectionem inter entia supernaturalia, quoad modum, quæ, in facto esse, sunt naturalia; & ideò naturaliter scibilia. At conceptum, & partum B. V. inter superna eleuatiora collocasse; ita verò, vt conceptus hic, vt Dei, & hominis; & ex meris sanguinibus Virginis sit ens supernum, quoad substantiam: similiter & exitus in lucem Diuini infantis, penetratis Mariæ intemeratis claustris, absque læsione, sit miraculum secundùm substantiam. Enim verò, si diabolus non fuisset impeditus, is videns fœtum à sola Virgine, & infantem egressum, claustris sanctissimis remanentibus intactis, potuisset coniicere, saltem factum miraculum. De hoc 3. *p*. *tract*.1. *d*. 28. *quæst*.11. è D. Bonau. *in* 4. *dist*. 30. *quæst*.3. Sic etiam videns solem stantem, vel montem suspensum, miraculum suspiceret.

OBIICIT primò Mastrius. Angelus habens, seu eliciens actum supernaturalem charitatis, illum cognoscit; nam & nos ipsi experimur actus nostros supernaturales, quibus credimus, speramus, & amamus Deum.

RESPONDENT Suar. *cap*.29. Alarcon. Morand. & alij ex D. Bonau. 1. *d*.17. *p*.1. *quæst*. 3. *ad primum*, noscere Angelum, se credere, & amare; non tamen: An tales actus sint supernaturales: quia eos cognocit abstractiuè tantùm imperfectè. 301

CONTRA arguit Poncius: quia saltem existentiam suorum habituum supernaturalium potest cognoscere, etiam vt supernaturales sunt; videt enim in se suos habitus naturales, qui acquiruntur actibus, & videt, eorum naturam esse, produci per actus: videt verò habitus supernaturales non augeri physicè per actus illos: ergo potest cognoscere, quòd sint infusi.

Respondetur ex D. Bonau. *loco cit. ad* 4. percipere posse, se habere habitum amandi Deum: an verò sit habitus supernaturalis amandi, motiuo supernaturali Deo accepto, non percipi.

DICES, Seraphicus *ad* 5. admittit, hominem posse cognoscere, se habere habitum fidei. 302

RESPONDETVR, ibi solum negare, dato, & non concesso, agnosci fidem; agnosci etiam charitatem.

Mastrius agnoscens Poncij instantiam infirmam ad probandum, Angelos cognoscere immediatè, non per solum discursum actus supernaturales, vrget cum Arriaga, Angelus immediatè agnoscit, se amare Deum. Confirmatur: nam videns Deum, naturaliter agnoscit, se videre Deum. Confirmatur secundò: si Deus poneret Paulum in duobus locis ante me, naturaliter eum cognoscerem existere in ambobus locis.

Respondetur, negando rursus cum S. Bonauent. assumptum: negatur quoque, videntem Deum, reflecti naturaliter super actum; sed eodem medio superni luminis. Quoad positionem in duobus locis; dico primò cum Suarez, illam existentiam, in *facto esse*, supernaturalem esse tantùm quoad modum. Deinde dico, visurum illud corpus, non tamen sibi persuasurum, esse idem in pluribus locis, nisi reueletur. 303

OBIICIT secundò cum Scoto. Anima Christi naturaliter nouit, se esse vbicumque est, atque adeò in Eucharistia, & consequenter nouit & modum: quia non potest cognoscere se, nisi videat, se esse ibi indiuisibiliter.

RESPONDETVR, negando, animam Christi cognoscere solo lumine naturæ suam præsentiam, ac modum in Eucharistia; Et miror Thomistas id concedere, dicendo; id esse animæ Christi priuilegium. Profectò, si soli naturæ animæ eius id dant; non negabunt naturæ Angelicæ idem cognoscere; vt peracutè vrget Mastrius. Habent autem speciem Corporis Christi, naturaliter existentis, modo naturali; non autem Sacramentali, vt notat etiam Caspensis. 304

OBIICIT tertiò, modus existendi quantitatis sine subiecto in Eucharistia, vel est mera negatio

inhærentiæ; vel est quid positiuum: si est mera negatio, poterit videri quantitas non inhærere; sic enim videre potest etiam desitionem panis quē videbat. Visus enim potens cognoscere obiectum præsens; sentit etiam illud disparere: si dicas esse quid positiuum; poterit agnosci saltem per illationem: scit enim accidentia naturaliter hærere subiecto: videt quantitatem, quæ erat panis viii, esse sine pane. Ergo inferre debet miraculum.

Vasquez concedit totum, dicens, esse ens naturale: sed falsò: quia ille modus nequit alicui accidenti naturaliter conuenire.

305 RESPONDEO, non videre Angelum absentiam panis, non enim habet speciem priuationis repræsentatiuam; multò minùs negationis: potest verò cognosci ab habente illam, ratione appetitus, & indigentiæ, vt docet S. Bonau. 4. *d.49. quæst.2. ad primum*, & Suarez *num.47.* sentiet sanè, se ibi non videre substantiam, licèt specie substantiæ vti velit, attamen potest dubitare: an impediatur à Deo, ne ibi videat substantiam, vt concedit Arriaga *disput.10. sect.4. subsect.2.* Insuper, cùm actio specificetur à termino, vel ex eo cognoscatur; & terminus sit supernaturalis; modus qui est annihilatio panis, seù transubstantiatio in Corpus Christi, quæ in tota naturæ sphæra non inuenitur, non potest naturaliter cognosci: quia nullum est naturale principium, ex quo id colligat. Ita respondet Suarez *cap.30. num.11.* ex D. Bonau. *in 4. d.11. quæst.3. fundam.2. addita expositione corporis*, & *distinct.10. citata*.

306 DICES, difficilior est creatio, quam transubstantiatio: sed Angelus percipit creationem: ergo, &c.

RESPONDET S. Doct. *loco cit.* creationem esse maiorem in termino *à Quo*; tamen quoad terminum *ad Quem*, & modum, altior est transubstantiatio; atque adeò non potest percipi. Ideò neque modum accidentium penitus agnosci naturaliter, ait Nazarius; neque illatiuè scit, esse sine subiecto: quia non videt subiectum, vt putat Mastrius, & dixi suprà.

Obiicit quartò cum Scoto. Visio beatifica Michaëlis non magis excedit vim intellectûs aliorum Angelorum, quàm ipsa essentia Michaelis: sed alij Angeli naturaliter vident essentiam: ergo, & actum.

307 RESPONDETVR ex D. Bonau. allegato *quæst. præced. in 2. d. 8. p. 2. ad 4.* falsam esse maiorem: nam potest operatio rei nobis notæ esse recondita, vt constat in herbis: multò magis falsa est, comparando naturam cum actu supernaturali, qualis est visio beatifica; multò minùs est cognoscibilis ille actus, cum ordine ad obiectum, vt beatificum; quia est extra sphæram naturalem intellectûs, vt concedunt Rada, Aretinus, & alij Scotistæ. Ratio est Scoti *quodl.14.* in fine: quia actus ille ad summum; esto videretur, haberet rationem obiecti cogniti. at non esset ratio cognoscendi, atque adeò non demonstraret ordinem, relationem illius actus ad obiectum beatificum: quia si cognosceretur relatio illa; deberet cognosci & terminus; atque adeò esset ratio cognoscendi.

308 ADDIT Mastrius, aliquos effectus non videri ab Angelo, vt Incarnationem, quod probat ex Scoto *quodl. 14. art. 3.* quia nulla relatio, terminans ad ens illimitatum, potest distinctè cognosci sub propria ratione. Talis est relatio naturæ humanæ ad Verbum. At ex hoc arguo ad Hominem. Nulla relatio, quæ sit ad ens illimitatum, potest distinctè sub proprio conceptu naturaliter intelligi; actus beatificus dicit relationem, seu ordinationem ad huiusmodi ens illimitatum, & hanc distinctam, vt dixit *num.325.* ergo.

RESPONDET, non cognosci distinctè: Contrà. Cognitâ distinctè relatione, cognoscitur distinctè & terminus: sed per te *n.325.* cognoscitur distinctè ab Angelo illa relatio actus beatifici ad obiectum beatificum: ergo.

Is *num.326.* respondet, relationem meram cognitam includere notitiam distinctam termini: talem esse vnionem hypostaticam: at verò actus beatificus non est mera relatio; sed includens relationem, atque adeò potest cognosci; non cognito distinctè termino. 309

CONTRA primò: quia vnio hypostatica dicit etiam subsistentiam in Verbo, & sustentationem, ac proinde non meram relationem. Deinde & in actu beato cognoscitur per te distinctè relatio: at quis ignorat, eam non cognosci distinctè intuitiuè, nisi cognoscatur eodem modo, etiam terminus? nam relatio intrinsecè est habitudo ad terminum.

Sub fine addit, etiam iustificationem peccatoris esse reconditam Angelo: quia, licèt videatur gratia infusa, non videtur diuina acceptatio, qua formaliter iustificatio completur, non enim gratia habitualis iustificat physicè, sed completè moraliter, ex diuina ordinatione. Hinc tandem infert, Angelum videntem actus supernaturales peccatoris, non videre iustificationem. Idem videtur docere D. Bonau. 1. *d.17. loco cit. ad argumenta*. 310

Hoc verò mihi negotium facessit: nam gratia habitualis sanctificans reddit sanctum, ex ordinatione antiquâ, quæ præcessit gratiam iam habitam: vt ostendam *prima secunda, tractat.5. disputat.3. quæstione 3.* non autem nouâ. Itaque videns gratiam, secundùm totam physicam entitatem, videt esse habitum illum iam ordinatum ad formalem sanctificationem; sicuti videns monetam, videt & eius pretium à Rege taxatum.

RESPONDETVR, dicendum in via D. Bonau. non posse videri distinctè habitum illum, secundùm totam rationem; sed veluti confusè ad modum, quo quis, sub obscuro crepusculo videret monetam, nec distinctè videret imaginem cusam: an sit Iulius III. an Paulus V. atque adeò non internosceret: an sit habitus includens pactum. 311

ARRIAGA *disputat. 10. sect. 3. subsect. 3.* argumentum promit mihi debile: si res est productiua speciei, potest cognosci naturaliter. Ergo similiter potest cognosci eam esse supernaturalem si non est productiua speciei. Probatur consequens quia Deus, respectu talium, tenetur infundere species, & ita supplere. Ratio sanè infirma: quo medio enim probat, Deum teneri infundere supra naturam species rerum, quæ ex natura sua nequeunt emittere species? Profectò non inuenio, teneri Deum confundere ordinem naturalem, & supernaturalem, & quod naturaliter non potest fieri; facere, vt naturaliter fiat, supplendo supernaturaliter defectum causæ naturalis, vt fiat effectus ordinis naturalis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIV.

An Mysteria supernaturalia fuerint ANGELIS *ab initio reuelata.*

312 CERTVM est, Mysterium Augustissimæ Trinitatis fuisse Angelis ab initio reuelatum; mysterium quoque Iustificationis, & Gloriæ. Ita D. Thom. *in 2. d. 11. quæst. 1. artic. 4. & 1. part. quæst. 57. art. 5. ad 1. & quæst. 64. art. 1. ad 4.* Idem supponit D. Bonau. *in 2. d. 4. q. 5. & 6.*

QVOAD Mysterium Incarnationis, est sententia multorum Patrum negatiua. Ita D. Hieronymus *comment. magnis in ep. ad Ephes.* & *in cap. 30. Isaiæ.* Itaque & id psal. 23. *Quis est iste Rex gloriæ?* Et illud Isaiæ 63. *Quis est iste, qui venit de Edom?* adscribit Angelis, scire cupientibus ignoratum Incarnationis arcanum. Ità D. Ambr. *lib. de Institut. Virg. cap. 5. & lib. 4. de fide, cap. 1. & lib. de Initiatis, cap. 7.* D. Iustinus *Dialogo cum Tryphone, pag. 27.* Chrysostomus *præfat.* in Ioan. & *homil. 7. ad Ephes.* Theodoret. Theophylac. Oecum. in id Ephes. 3. *Sacramenti absconditi a sæculis.* Cyrillus *lib. 2. in Ioan. c. 3.* & Nyssenus *homil. 8. in Cant.*

313 OPPOSITA sententia est D. Augustini *lib. 5. de Genes. ad litt. cap. 19. & 9. de ciu. cap. 21.* quem allegat, & sequitur D. Bonauent. *2. d. 4. art. 3. q. 1. fundam. 5.* & *in medit. vita Christi, cap. 2.* vbi loquitur sane de Angelis gloriosis; tamen videtur concedere, eos in via habuisse hanc cognitionem. Idem sentiunt Rupertus in id Ioan. 8. *Ille erat homicida ab initio*; vbi & Seraphicus *in Comment.* Catherinus *lib. de eximia prædestin. Christi.* Et *lib. de gloria Ang.* Viguer. *lib. Institut. Theolog. cap. 5. §. 1.* Iacobus de Valentia *in psal. 81.* Lyra, & Carthus. in id *Isa. 63.* adductum. Vasquez *disputatione 215. cap. 2.* Malon. 2. d. 11. *disputatione 13.* Caspens. *disputatione 2. sect. 8.* Naclantus *in cap. 1. ep. ad Ephes.* Suarez *lib. 5. de Angelis, c. 6. n. 9.* & alij apud eos. Fauet D. Thomas *2. d. 11. q. 1. art. 4.* D. Bernardus *serm. 17. in Cant.*

ASSERO cum hac sententia, Angelos ab initio notum habuisse Incarnationis Misterium.

314 PROBATVR primò à Suarez *num. 11.* Vasquez *num. 2.* & aliis. Perfectior fuit cognitio Angelorum, quàm Adami: sed hic in via mysterium Incarnationis cognouit, vt multi testantur Patres, quos citat D. Bonauent. *in 3. d. 18. quæst. 1. ad argum.* Imò reuelatum est etiam Patribus in statu naturæ lapsæ, vt constat è scriptura, & docet D. Bonauent. *3. d. 4. artic. 2. quæst. 1. & in Compend. Theolog. lib. 4. à cap. 6.* Hæc ratio est Seraphici *lib. 2. Compend. Theolog. cap. 14.* vbi sic arguit: Angelorum officium ab initio fuit è Conditoris intento, homines instruere in fide Incarnationis, & Natiuitatis, ac mortis Christi: vt docet D. Gregorius *homil. 34. in Euang.* & dæmones ab hominibus remouere, ex S. Dionysio *cap. 9. de cælest. Hier.* Præterea Angeli sunt hominibus altiores: hinc elicit *cap. 15.* Ergo Angeli cognouerant Mysterium Incarnationis, quoad substantiam, (esto aliquas ignorarint circumstantias.) Idem habet Suarez *n. 19.*

315 DICES. Incarnationis decretum fuit sancitum post præuisum lapsum Angelorum, & Adæ. Ergo non fuit eis reuelatum ab initio; alioqui Adam & Angeli vidissent suos casus.

Respondetur, ipsis reuelari potuisse quoad substantiam, tacito fine, &c.

PROBATVR secundo a S. Bonau. *in 2. d. 2. q. 1.* quia tentatio diaboli fuit ex inuidia gloriæ nostræ, vt dicitur Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem.* Idem habet D. Gregor. ibi adduct. à Seraphico, & multi Patres relati a Vasq. *disp. 23* Suarez *lib. 7. c. 13. à n. 13.* qui dicunt, Luciferum inuidisse homini exaltationem ad gloriam, & vnionem hypostaticam, quæ erat medium ad gloriam homini comparandam. Non tamen sequitur, reuelatum modum, nempe Adam peccante.

PROBATVR tertiò à S. Doct. *loco cit.* ex D. August. *9. de ciu. c. 21.* vbi id colligit ex *Marci 1. Luca 4.* cùm dæmones clamarent: *Venisti ante tempus perdere nos.* Attamen S. Bonau. *ad 4. Luca*, inde nil colligit; sed solùm diabolum id dixisse, suspicantem; si enim cognouisset (ait S. Bonau.) nunquam Dominum gloriæ crucifigendum curasset. Potuit tamen diabolus ex reuelatione futuræ Incarnationis suspicari ex indiciis, hunc esse Messiam. Igitur S. August. id asserit, reuelatum dæmonibus in via: in quo deceptus est Suarez *lib. 5. c. 6. n. 10.* dicens, ex D. August. haberi solùm id reuelatum Angelis sanctis, quod asserit *7. de ciu. cap. 32. & 5. de Genes. ad litt. c. 19.* Profectò S. August. *loco supra cit.* id adscribit dæmonibus in via, quod probo argumento Suarez supra. Non enim fuêre Angeli omnes in via peioris conditionis, & inferioris scientiæ, quàm Adam. 316

PROBATVR quartò à S. Bonauent. *in Medit. vita Christi, ser. 2. cap. 7.* vbi adducit illud Heb. 1. *Et cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ex hoc infertur, multò anteà priùs expositum fuisse Angelis Filium Dei Incarnatum, adorandum profectò in via, renuente Lucifero, vt exponunt multi Patres apud Ascanium Martinengum *in Glossa magna. De bello Angelorum*, & indicat D. Bonauent. *hic, citato loco* dicens; quòd, quando secunda vice iussi sunt adorare Christum, non erant capaces superbiæ, vt recusarent. Hoc argumentum vrget Suarez *n. 12.* Caspensis 92. 317

PROBATVR quintò à Seraphico *in 3. d. 13. q. vlt. ad 5.* Omnis, qui recepit a Christo, vt capite, gratias, debuit habere illius fidem. Angeli habuere à Christo capite multas gratias: ergo. Maior probatur à S Doct. Quod non est, non potest influere actu in intellectum, nisi in cognitione ipsius accipientis: sed Christus ab initio non erat: ergo. Minor probatur à D. Bonauent. *in fundam. ex primo c.* ad Ephes. *Proposuit omnia instaurare in Christo, quæ in cælis, & quæ in terris.* Et subdit: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Hoc argumentum desumit Suarez *loco citato*, qui tamen non rectè ait, credendum, influxisse etiam essentialem gratiam sanctificantem: nam SS. PP. potiùs videntur sentire cum D. Bonauent. qui concedit influxum, quoad aliquas gratias solùm. De quo *3. p. tractat. 1. disp. 13. quæst. 4.* 318

OBIICIES primò *Isa. 63.* Angeli interrogant: *Quis est iste?* Ergo ignorant.

RESPONDET Seraphicus *lib. 4. Compend. cap. 24.* Angelos non ex ignorantia; sed gloriam ingentem admiratos illius triumphantis, ita elocutos. Sic exponitur etiam a Lyra, & Adamo, & sumitur 319

tar e Tertull. lib. contra Marcionem, cap. 40. Idem habetur Psal. 23. Vel dic, ibi conqueri Dauid de transl. one Christi è terra sua in cœlum, & secum qui. Videtur arridere Suarez num. 31. Imò ibi ponitur sic à Theodoreto; & sumi potest è Nisseno serm. de Ascensione, qui eodem modo dicetur exponere id Isa. 63. lib. 2. in Cant. ad ea verba: Quæ est ista, &c. & D. August. serm. 178. de temp. Profectò Angeli nouerant Christum; ideò cecinère apud Bethlehem, & Christus ait Nathanaeli: *Videbitis Angelos descendentes super filium hominis.* Ioan. 1. *Et accesserunt, ac ministrabant ei.* Matth. 4.

At demus, êos ex ignoratione ita locutos; non est tamen necesse, eos ignorasse substantiam Mysterij, sed passiones, vnde tot remansère vulnera; quod indicatur illis verbis: *intinctis vestibus, &c.* sic respondet S. Bonau. *in Compend. Theol. loco cit.* Et hoc sensu videntur locuti SS. PP. Dionysius, Cyrillus, Iustinus *in Ioan.* Ambros. *in Lucam*, & Bernardus *ep. 77.* Ita etiam Suarez, & Vasquez resoluunt.

320 Obiicies secundò Ephes. 3. *Mihi autem sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creauit. Vt innotescat principibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei:* Sic enim exponitur à Patribus Cyrillo *lib. 2. in Ioan. cap. 3.* & *lib. 1. de recta fide ad Regin.* sub titulo: *Quod in Christo recta fides, et in Deo.* Gregorio Niss. *homil. 8. in Cant.* Hieronymo *ibi.* Chrysost. *homil. 7.* & *Præf. in Ioan.* Idem videntur sentire Theodoretus, Theophylac. & Oecumenius.

321 Respondet Seraphicus *lib. de Eccl. Hier. 1. part. cap. 5.* relatus *quæst. præced.* additis his, quæ docet *in 2. d. 3. p. 2. art. 2. quæst. 1. ad opp. addito responsio*, & *d. 23. art. 2. quæst. 1. in fine corporis*, Apostolum asserere, hoc mysterium, sola reuelatione, potuisse innotescere. Deinde plurima in hoc mysterio abscondita remansisse, etiam Angelo; reuelata verò Apostolis secundùm multiformia arcana: deinde verò ipsos Angelos multa didicisse ab Ecclesia, quoad effectus, modum, finem, &c. Incarnationis, & innumera alia Ecclesiæ Mysteria, quæ ex hoc fonte emanant, vel meritoriè, vel consequenter. Id verba Apostoli indicant; qui non ait: *Euangelizare Christum incarnatum*; sed: *inuestigabiles diuitias Christi*; puta merita, è quibus Sacramenta, Indulgentiæ, & cætera manant. Deinde non infert: Vt innotescat Christus; *Sed multiformis sapientia Dei.* Hic inter modos, quos refert Suarez *a num. 2c.* est genuinus, quem prosequitur Cornelius a Lapide, & videtur Hieronymi, & Nysseni, atque Chrysostomi, qui obseruat,

322 ideò dixisse: *Ipse saluum faciet populum suum*; quia de vocatione gentium ignorabat decretum, quod ignorabant Apostoli, vsque post resurrectionem, cum dictum est eis: *Docete omnes gentes.* Idem volunt Theodoretus, & Theophylac. Fateor D. Bonau. *in 3. d. 25. quæst. 2. ad 4.* ex Glossa hunc locum vrgere, attamen respondet, non cognouisse plene. Idem vide *art. 2. quæst. 1.*

Obiicies tertiò, 1. Timot. 3. *Magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus.*

Respondet Seraphicus *1. part. de Eccl. Hier. cap. 1.* ante medium, hoc mysterium apparuisse Angelis, idest eis propalatum in Verbo, sicuti, & gentibus prædicatum. Aliqui verò Patres exponunt, apparuisse, quando fuit celebratum.

Quoad alia Mysteria teor, omnia ea reuelata, quæ ad nostram salutem conducebant. Probatur à Seraphico *in 2. d. 3. p. 2. art. 2. q. 1. arg. 4.* & *d. 10. q. 2. in corpore*: vbi ait: *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Ergo debuerunt esse illuminati de omnibus spectantibus ad hoc negotium. Antecedens est Apostoli, & aduertit S. Doct. eum loqui de omnibus Angelis: nam ibi comparat eos cum Christo, & inferiores ostendere contendit; quantò nomen, & officium serui est filio inferius. Et ideò ait: *Omnes sunt administratorij spiritus, &c.* Consequens est clara. Quo enim pacto possent manu ducere ad salutem, si media ignorarent? Hoc argumento Vasquez *num. 12.* probat, Angelos cognouisse ab initio Incarnationem: sic & Valentia *disput. 4. quæst. 8. punct. 4. in secunda 1. p.* vbi assumit etiam alias rationes Seraphici, suprà allatas, & monet, sic explicandos Patres, qui videntur asserere, Angelos ignorasse Incarnationem; nempe ignorasse circumstantias multas; non autem eius substantiam, vt docet Seraphicus suprà *in Compend. Theol.* 323

QVÆSTIO XV.

Quomodo Angeli *colloquantur.*

{ D. Bonau. in 2. d. 10. p. 2. art. 3. q. 1. & 2.
D. Thom. q. 107.

Tanqvam certum prælibat S. Doct. Angelos colloqui. Ideò prima Cor. 10. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Sic adnotarunt *ibi* Chrysost. *hom. 31.* Ambrosius, Theodoretus, Oecumenius, Anselmus, & D. Thomas. Sic etiam Prosper, *ep. ad Demetriadem*: nam, licet ibi Apostolus perfectissimam eloquentiam eorum promere intendat; tamen non haberet locum, nisi Angeli colloquerentur, vt ostendit Theophylactus.

Idem asserunt aliæ Scripturæ, *Zach. 2. & 3.* vbi dicitur: *Angelus, qui loquebatur in me, egressus: dixit ad eum*, (nempe ad alium Angelum) Id colligit S. Doct. *de Eccl. Hier. cap. 1.* ante medium. Id. ò *p. 3. de Eccl. Hier. cap. 2.* ad finem obseruat, Seraphim altè inuicem colloquentes, ac clamantes. Sanctvs, Sanctvs, &c. Exhortando se inuicem ad sanctitatem. His, aliisque locis cum D. Bonau. Angelorum colloquia inferunt Suarez *lib. 2. c. 26.* Vasq. *disp. 111.* Valentia *disp. 8. q. 4. punct. 2.* Morand. *tract. 7. q. 30.* Caspensis *disp. 2. sect. 6.* 324

Ratio horum est deducta è Seraphico *2. d. 3. p. 1. art. 2. q. 1. fund. 4.* quia sunt omnes conciues eiusdem conuictus, ac societatis, ad quæ requiritur communicatio rationalis, quæ profectò collocutionibus fit. Quæstio igitur ingens est de modo.

Primo aliqui Theologi sentiunt, Angelos colloqui signis quibusdam, quibus conceptus proprios mutuò adaperiant. Ex his aliqui dixère, ea signa esse sensibilia effermata in aliquo corpore; sicuti nos in aere, vel in charta voces exprimimus. Hanc opinionem sequitur Durandus *2. d. 11. q. 2.* sed ait, hæc signa non esse figuras, vel characteres, sed sonos, vel nutus expressos. Hunc modum communiter cum D. Bonau. reiiciunt. 325

Alii

Alii verò censent, hæc signa esse spiritualia. Ita Ægid. 2. d. 10. quæst. 3. art. 1. Argent. d. 10. q. 1. artic. 2. Gregor. quæst. 2. in fine, Marsil. 2. quæst. 7. artic. 2. Clictouæus in Damasc. lib. 2. cap. 3. Molina ad art. 4. D. Thomæ, q.c. Inclinat Vasq. cap. 10. Arriaga disput. 12. sect. 4. Tribuitur Capreolo 2. d. 11. quæst. 1. art. 1. Volunt autem prædicti authores citati à Vasquez, & Mastrio; hæc signa non esse actus cognitionis, sed aliqua signa, quæ non transeunt ad Angelum audientem; sed manent in loquente. Hæc verò signa, ait Vasq. n. 56. naturaliter significare, non ad placitum ex pacto Angelorum: nam quando conuenerunt ad constituenda hæc signa, locuti sunt simul: ergo per signa naturalia: nam adhuc non conuenerant de signis ad placitum: at verò Maior 2. d. 9. quæst. 5. docet, ea signa esse ad placitum. Eandem sequitur Alarcon. d. 9. quæst. 2.

326 Secunda sententia est, vnum Angelum alterum alloqui, nullo effectu producto. Ex his aliqui satis existimant, si Angelus vellet, secretum suum ab alio videretur. Citantur Caietanus quæst. 107. art. 1. Capreol. in 2. d. 11. quæst. 2. sed malè, vt dicam in quinta sententia. Adducitur à Vasq. Alensis 2. p. quæst. 17. memb. 6. qui solùm ait, Angelos loqui per nutus, qui non sunt distincti à conceptu Angeli loquentis, vt ordinatio per voluntatem ad alterum. Adducit quoque Albertum 2. p. tractat. 9. quæst. 35. art. 2. sed perperam. Tandem etiam allegat Seraphicum 2. d. 10. art. 3. quæst. 1. maximè ad penult. sed diuersus est sensus S. Doctoris, vt videre Suarez, ac Mastrius, & ostendam. Hanc sententiam sequitur Tannerus disput. 5. quæst. 4. dub. 3. allegans D. Thomam, D. Bonau. Valentiam disput 8. punct. 2. & multos recentes, cum allegatis à Vasquio. Eam sequitur etiam Morandus adducens D. Thomam, & omnes Thomistas: Præpositum quæst. 57. art. 4. d. 4. Granadum tractat. 5. d. 4. sect. 1. Auersam q. 59. sect. 3. Tannerum, Valentiam, & alios, eamque in Scholis celebrem agnouit Suarez cap. 27. num. 12. Eam sectantur Vasq. disp. 211. c. 11. Arrubal d. 171. cap. 3. Amicus disp. 15. n. 32. Nazar. quæst. 107. art. 1. Lezana tract. 6. d. 3. q. 9. Salmaticenses ad art. D. Thomæ. Arriaga suprà, Poncius d. 12. q. vlt. concl. 4. Caspens. d. 2. sect. 6. Fulien. l. 3. cap. 10. Hi tamen, ad vitandum ineluctabile argumentum, quod oportet in omni actione aliquid in passo causare, in multos modos dicendi interfecantur.

327 Aliqui dicunt, Angelum audientem excitari moraliter, nec esse necessariam excitationem physicam, vt explicant Nazarius, Lezana, Amicus, exemplo Dei, audientis nos.

Adhuc verò diuisi sunt in explicanda hac morali excitatione. Qui enim voluut, species omnes ab initio Angelis concreatas, non exigunt nouam produci speciem sed sufficere consensum in Angelo loquente, & ordinationem suæ speciei ad auditorem, qua excitari, dicunt, prout ea species ad se iam spectat: sic Ioan. de S. Thoma, Morand. Lezana, Tannerus, & alij. Qui verò negant species secretorum cordis ab initio esse concreatas, dicunt, excitationem fieri à Deo; vt auctore naturæ: eo enim ipso, quòd ille Angelus velit secreta sua pandere; iam Deus, vt auctor naturæ, non tenetur occultare; sed producere in loquente speciem eius rei. Ità Arriaga, Amicus, Salmaticenses, Nazarius, qui dicunt sic excitari à Deo; cùm alij suprà allegati velint, Deum solùm id præstare, quia, cùm dederit secreta in potestate, non concurrit cum speciebus, seu actibus, vt extrà appareant; at verò volente eo, qui habet secretum, iam Deum concurrere cum ea specie, eam exponendo.

Rursus aliqui volunt, ad excitationem exigi, vt loquens reflectatur super actum intellectûs, vel voluntatis, quem dirigit ad audientem, quem modum soli Vasquio videtur adscribere Suarez: alij verò superfluam existimant eam reflexionem; sed aiunt, sufficere, vt conceptus arcanus, voluntate non occultante, exponatur. Et hæc videtur sententia D. Thomæ, loc. cit. & communiter Thomistarum. 328

Tertia sententia est, Angelum loqui imprimendo alteri suam intellectionem. Ità Scot. 2. d. 9. q. 2. §. ad quæstionem istam, & §. Ad vlteriorem autem declarationem; sic refertur ab omnibus Thomistis, à Tannero, Morando, Vasq. & aliis; atque talis asseritur à Bassolio 2. d. 9. q. 1. Fabro d. 35. c. 4. & 7. Tametsi Herrera videns, hoc modo, id non posse sustineri dicendo, Angelum audientem intelligere, solùm passiuè se habendo, idest recipiendo intellectionem; conatur trahere Scotum ad confitendum, passiuè quidem se habere ad auditionem; tamen aliquam habere etiam actiuitatem in actu intellectionis: at Scotus clarè negat omnem actionem in audiente, vt notat etiam Suar. lib. 2. c. 27. n. 25.

Alii Scotistæ, vt Scotum saluent, dicunt, loqui Angelum, vel causando immediatè speciem impressam obiecti, vel actum ipsum intelligendi, vel vtrumque simul; atque hac ratione fieri, vt interueniat semper aliqua productio physica, contra Thomistas. Ita Mastrius d. 2. q. 9. art. 3. adducens pro hac sententia, sic exposita, Mayronium, Bassolum, Lichettum, & alios antiquiores Scotistas, eo loco Scoti, Fabrum disp. 35. c. 4. Vulpem d. 14. art. 3. Brancasium d. 11. quæst. 2. Poncius, etsi ingenuus Scotista d. 12. q. vlt. concl. 4. Scoto, tanquam implicito difficultatibus, quas indicat à se expositas in suo Commentario 2. d. 9. q. 2. valè dicit. 329

Quarta sententia est, Angelos colloqui, imprimendo speciem sui conceptus in audientes. Ità Alensis 2. p. q. 17. memb. 3. & 5. Richard. d. 9. art. 2. quæst. 1. Aureolus d. 9. quæst. 1. art. 1. & 4. Inclinat Scotus, qui cùm dixisset, Angelum loquentem imprimere audienti actum intellectionis, subdit; saltem imprimere speciem, quando nequit imprimere actum, quem sequitur Herrera, & alij Scotistæ suprà: sequuntur è Thomistis, Zumel, Pesantius, Suarez lib. 2. cap. 27. Becanus tract. 3. cap. 1. quæst. 14. Auersa quæst. 59. sect. 3.

Pro hac allegatur Seraphicus à Suarez, Tannero suprà, Marco nostro quæst 60 art. 1. qui inde id deducunt: quia S. Doct. ait, locutionem fieri sic. Angelum loquentem protendere suam speciem ad audientem, quasi ita imprimere faciat speciem suæ speciei, seu cognitionis in altero: sed aduertere oportet, S. Doctorem, vt dixi quæstionibus suprà, non admittere nouam impressionem specierum extrà; sed solam combinationis nouitatem. Igitur Seraphicus Doctor sentit, Angelum loquentem repræsentare suam speciem alteri, qui habet species vniuersales, qualitatis, speciei, &c. similiter aliarum rerum, quarum species indiuidua est expressiua, & sic excitatas inuicem combinari, & vnam speciem cōponi similem, indiuidualibus circūstantiis indutā, qua immutatus alter audiat, percipiendo conceptus alterius Angeli, facta causatione noua speciei illius combinatæ. Hic est germanus Seraphici peregrinus sensus. Qui ab omnibus cùm differat, non potest ad modū eorū, ad omnes sentētias trahi, vt malè dixit Arriaga d. 12. sect. 3. qui ait, S. Bonau. non explicare: An ea protensio sit per modum obiecti, vel per causalitatem. 330

Profectò suppositis eius fundamentis *d.3.p.2.art.2. quæst.1.* satis clara est S. Doctoris sententia, quam rursus in responsione *ad 5. quæst. 1.* apertè repetit, & *in Compend. Theol. lib.2. cap.19.* Ex his quoque habes non rectè Marcum stare velle cum D.Thoma, cum Scoto, & D.Bonau. *citatis.*

Assero primò, Angelorum locutiones non fieri per signa sensibilia; esto in corporibus assumptis id fieret.

331 Probatvr à D. Bonau. *in corpore*, argumento, quo nituntur Suarez *cap.26. num.3.* Tannerus *num.7.* quia communicatio politica inter Angelos naturalis est illis, & intra suum gradum illis necessaria: ergo & locutio. At natura Angelica, secundùm suum statum, est independens à rebus sensibilibus: ergo locutio non fit per signa sensibilia. Declaratur ampliùs vis rationis S. Bonau. à Suarez; quia, licèt Angeli in corporibus assumptis ita inter se loquantur per sonos, &c. tamen cum locutio fit inter eos instituta ad societatem, debet esse talis ex natura, qualis est Angelus; at verò Angelus est spiritualis, & non conuertitur ad phantasmata ad abstrahendas species intelligibiles, nec habet naturalem connexionem cum sensibus: ergo non conuertitur ad res materiales; sicuti conuertitur anima; nec res materiales habent in Angelis signa materialia, per quæ inuicem ipsi alloquantur. Quod si his signis cogerentur vti in corporibus receptiuis; iam non possent loqui, nisi in sublunaribus, & non nisi publicè.

Arriaga *disput.12. sect.1.* ait, argumentum probare, hunc modum colloquendi non esse quidem Angelis necessarium; attamen non implicare adhuc, sic fieri: quia Angelus è rebus materialibus potest species haurire.

332 At argumentum satis conuincit, dum probat, hunc modum esse ineptum collocutioni spirituali Spirituum, & esse extra rem, emendicare à rebus improportionatis, media ad actus connaturales spirituales; neque satisfacit allegando virtutem Angelicam ad materialia percipienda: atque adeò hunc modum per materialia signa esse possibilem; nam fit transitus ad obiectum singulare, quod tamen adhuc spiritualizatur, vt possit intelligi; & à possibili ad conueniens; non autem omne possibile est statim admittendum, vt mox ipse Arriaga adnotauit.

Probatvr secundò à D.Bonau. ex Damasceno *lib.2. de fide, cap.3.* quem affert *argum.2. opp.* & in responso acceptat: *Non linguâ, & auribus* (ait) *opus habentes, verum citra sermonis* (vtique sensibilis) *adminiculum cogitationes suas, atque consilia inter se communicantes.* Idem habet D. Basilius in id: *Attende tibi.* Et Gregor. *lib.18. Moral. cap.3.* quibus authoritatibus nituntur Suarez, Vasquez, Tannerus, & alij.

333 Rationem autem afferunt SS. PP. præsertim Damascenus, quia natura non operatur frustra; Angeli verò non pendent, à corporibus in suis operationibus ad modum, quo nos, qui alligamur sensibus; atque adeò non possumus nostros conceptus aliter manifestare, quàm per signa sensibilia. Itaque modus hic, cùm sit improportionatus, non potest esse à natura institutus: & in hoc stat ratio D. Bonau. quam percipit Mastrius *num.263.* non autem Arriaga.

Assero secundò, Angelicam collocutionem non fieri per signa spiritualia.

Probatvr à Suarez argumento D.Bonauent. quia hæc signa non sunt conceptus intellectuales: quia, si sunt in intellectu loquentis, & sunt actus mentis, nequeunt ab alio videri: si verò sunt in audiente, nequeunt esse signa locutionis: quia locutio fit à loquente: ergo & signa repræsentantia conceptum, debent ab eo fieri; alioquin, quid loqueretur? Neque ista signa sunt species intelligibiles, quia species nudæ non significabunt, cogitationem Angeli applicitam esse his, vel aliis speciebus, cùm sit secreta. Quid ergo sunt? Certè qualitates erunt reales, sicut de charactere optimè probat D.Bonau. *in 4.d.6.quæst.1.* quia id, quod est principium assimilationis, debet esse qualitas: nam relatio similitudinis in qualitate fundatur. Tale est signum explicans conceptum mentis Angelo: ergo. Ita de talibus signis discurrunt Suarez *3. part.* 334
tom.3. d.11. sect.2. Vasquez *tom 2. in 3.p.disp.134. cap.2.* & alij. Iam verò istæ qualitates, suntne naturales? an supernaturales? Non supernaturales: quia actibus naturalissimis sunt destinatæ, & debent esse medium cognitum, vt sint signa dialectico modo.

Deinde probandum, nullo modo significare: non enim ad placitum, vt optimè ostendit ratio Vasquez suprà allata, in referendo secundæ sententiæ modo secundo. Neque significant naturaliter, vt probat Suarez *num. 10.* quia significatio naturalis fundatur, vel in formali similitudine, qualis est in imagine, vel in aliqua necessaria connexione, inter signum, & signatum, quæ debet esse in aliquo genere causæ, & effectus. Iam verò istæ qualitates non sunt formales similitudines conceptuum, cùm non sint species; nec sunt effigies, figuræ, vel similia. Neque etiam talis qualitas est causa actus, quem repræsentat; nec est effectus illius: quia nec est species, nec habitus. Addo, quod si naturaliter significant, erunt omnibus cognita, & tolletur secreta locutio.

Deinde in quo subiecto fiunt ista signa? Dicent, esse in loquente: quia non potest vnus Angelus efficere in alio qualitatem aliquam.

Contra arguit S.Bonau. *in corpore*, & cum eo 335
Suar. *n.18.* quia sequitur, Angelum loquentem non excitare alium ad audiendum, quia excitatio sine efficientia intelligi non potest. Consequens autem est contra naturam locutionis. Vide Suarez *loco citato.*

Si dicas, esse qualitatem, quæ est in Angelo loquente. Contrà arguit S.Bonau. *arg.6. ad opp.* quia non potest illa res, quæ est in vno Angelo, fieri in alio, secundùm identitatem: ergo solùm secundùm similitudinem.

Respondet Arriaga, res spirituales esse occultissimas, & ideò, etiamsi non inueniantur hæc signa; non sequi tamen, illa esse impossibilia.

Contrà: quia si occultissima sunt, spiritualia non sunt asserenda, nisi prius inuenta: nam asserentis est probare, ne gratis loquatur, & superflua inuehat.

Respondet secundò, posse dici hæc esse si- 336
gna ad placitum; neque sequi absurdum illatum à Vasq. quod debuissent Angeli conuenire ad hæc signa instituenda; & ita loqui ad se inuicem, sine illis signis; nam posset dici, Deum infudisse ab initio notitiam eorum signorum ad modum, quo infudit Adamo, & Euæ notitiam Hebraïci Idiomatis, vt colloquerentur.

Contra arguit Mastrius. Vel eadem sunt omnibus signa; vel diuersa: si diuersa, iam vnus alterum intelliget: eritque veluti Italo. Hebræus: si eadem: ergo ea signa iam necessariò repræsentarent

rent omnibus: quia omnes haberent eadem, & tolleretur secreta locutio, quam sequelam malè concedunt Gregorius, & Rubion; quia tolleretur politica locutionum perfectio. Et perfectior esset hominum locutio, quæ ad aures potest secretò insinuari. Ex quo apparet diuersa ratio de characteribus linguæ sanctæ, infusis Adæ, & Euæ: nam hi adhuc poterant submissè loqui.

337 RESPONDET tertiò, posse concedi, ea signa esse naturalia, nec esse absurdum, quòd Angelus loquens cum alio, coram multis, audiatur ab omnibus, sicut etiam homo.

AT durum hoc est: nam homo, multis præsentibus, potest vnum secretò alloqui: ergo & Angelus, nisi velit imperfectiùs loqui, quod est contra Apostolum 1. *Corinth.* 10. vbi Gradatione Oratoria præfert linguas Angelorum dicens: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Sanè cùm Angeli essentia perfectior sit; erunt & actus.

Addit, posse dici, hæc signa repræsentare res, quas significant, vt earum effectus; & actus Angelicos producere alios effectus, præter habitus, & species.

Redarguit Mastrius, nouum esse in Philosophia, quod dicitur de istis aliis effectibus.

338 ASSERO tertiò, non posse vnum Angelum alloqui alium, nil in eo producendo.

PROBATVR à D. Bonauent. *in Compend. Theol. lib.2.cap.19.& hic, in corpore.* Qui alio modo se habet intrinsecè nunc, quàm se anteà haberet, debet talis esse per intrinsecam aliquam mutationem; sed Angelus loquens, ita se habet: nam priùs, solus ipse intelligebat, nunc factus est expositor sui conceptus ad alterum. Similiter auditor, priùs non intelligebat illum conceptum; & posteà factus est ex auditione intelligens: ergo. Hoc argumento vtuntur multi etiam Thomistæ. Faber *d.35.num.15.* Mastrius *num.267.* Vasq. *num.41.* qui fatetur, se non percipere quomodò non conuincantur Thomistæ aduersi; idemque exclamasse, ait, Melchiorem Canum, è Thomistis insignem.

339 RESPONDENT Capreolus, & alij, factam mutationem per nouum ordinem conceptus ad intellectum auditoris

CONTRA: quia, vt notat S. Bonauent. *in corpore*, & cum eo Faber, Mastrius, & alij, necessarius est nouus actus, vt de non loquente fiat loquens; & de non audiente fiat audiens. Et ita factus est transitus Physicus ad contradictorium, ad quod non supplet noua extrinseca ordinatio voluntaria actus sui, vt qui priùs tantùm in se intelligebat, loquatur alij, eumque doceat, si ille est inferior, vel si superior, audire faciat; & ille vel doceatur, vel audiat nouiter, quod anteà nesciebat, vel non audiebat.

340 CONFIRMATVR à S. Doct. *in corpore, & ad argumenta*: quia, licèt locutio sit manifestatio voluntaria, est tamen actus intellectus Angeli, dicentis Angelo audienti. Itaque oportet, naturale aliquid nouum addere intellectui. Per hoc ruit Caietani responsio, vt notat Vasquez *num.43.* Faber *num.16.*

Confirmatur secundò à Seraphico ibi: quia, sicut nos excitamur ad audiendum: ita & Angeli ex D. Thom. *quæst.107. art.1. ad 3.* sed excitatio est actio realis transiens: ergo habet terminum. Similiter excitari, dicit attentionem actualem nouam.

RESPONDENT Amicus, Nazarius, & alij, locutionem humanam fieri per aliquid Physicum nouum productum, nempè speciem; at locutionem Angelicam satis excitare moraliter: sic enim & Deus moraliter tantùm excitatur à creaturis orantibus.

SED exemplum non est ad rem: nam Deus semper habet ab æterno præsentes obiectiuè allocutiones creaturarum, eisque perpetuò attendit, non sic Angelus. Meliùs dicerent Thomistæ, Deum excitare homines, non prædeterminando Physicè, sed moraliter excitando; sed neque hoc conuincit: nam adhuc non fit intellectus de non cogitante cogitans intrinsecè, aut attendens sanctæ cogitationi, absque mutatione vitalis actus productiua; tametsi moraliter fit in nobis sine nobis, vt dicam *prima secunda, tract.5.disp.1.q.2.* Quare & in casu nostro interuenire necesse est Physicam mutationem. 341

RESPONDENT Thomistæ, quòd sicuti ad cognoscenda futura, dum fiunt præsentia, sufficit mutatio obiecti, absque præuia mutatione in intellectu Angeli; ita ad cognoscendos conceptus alterius, satis est, Angelum velle suos conceptus pandi ad alterum.

Hæc similitudo reiecta est suprà *quæst.10.* nam cùm potentia pendet ab obiecto, mutatur ad eius mutationem. Hinc verò scientiæ Dei immutabilitas colligitur à D. Bonau. vt dixi *tract.1.disput.13.q.17.* quia non pendet ab vllo obiecto. 342

DEINDE, esto Gabriel eliciat hunc actum voluntatis. *Volo, vt Michaël videat meam cogitationem*; hæc ordinatio est occulta Michaëli. Quo pacto igitur virtute eius videbit Gabrielis cogitationem? Auersa vult, addi alium actum, & alium voluntatis reflecti etiam in infinitum; sed hi omnes adhuc sunt liberi, & redit argumentum. Profectò expedit fuga in infinitum.

RESPONDET Ioannes de S. Thoma, actum illum, tametsi liberum, dare ius alteri Angelo; eique illum relinquere expositum.

At illa extrinseca ordinatio, si sola est, relinquit actum in statu naturali primo. Igitur, si ante non videbatur, neque videbitur per denominationem extrinsecam superadditam.

Respondet, satis esse, si tollatur impedimentum morale, ratione cuius occultabatur.

AT sic conceditur tota incognoscibilitas actuum arcanorum in extrinseco impedimento voluntatis, & ita negatur eis naturale secretum, vt acutè vidêre Vasq. *cap.8.* Suarez *cap.27.* Præterea sola extrinseca voluntas non ponit velamen, vt benè arguit Zumel. nec tollit lumen, neque speciem. 343

QVOD verò ait Nazarius, speciem quidem actuum aliorum Angelorum in vnoquoque esse: at non repræsentare actum aliquem, nisi dum actu est in cogitante, est petere principium; & non soluere, vt notat Mastrius *n.275.*

Itidem & Caietanus petit principium dicens, iam intelligi actum cogitationis alterius Angeli: quia iam est de his, quæ spectant ad ipsum.

Contrà enim est: quia oportet actum mutatum esse, vt de non obiecto fiat obiectum.

RESPONDET Nazarius, mutari loquentem, hoc ipso, quòd ordinat suum conceptum ad alium; mutatur etiam audiens (ait); quia ex non cognoscente fit cognoscens.

At non soluitur dubium: nam oportet inuenire mutationem intrinsecam in actu; vt manifestetur, cùm sit naturaliter occultus; & loquens debet mutari, dicendo suum conceptum alteri; non volendo tantùm: nam locutio est actus intellectus;

non voluntatis, vt sentiunt Lezana, Caspensis, & alij. Etenim locutio est dictio, quæ est actus intellectus. Ideò Verbum procedit per intellectum; non per voluntatem, & hoc verum est etiam de locutione humana interna, à qua SS.PP. desumunt dictionem Patris; & similiter exterior est imago internæ, vt sæpè docet D. August. & dixi *tract.2. disp.9.* in quo decipitur Arriaga.

344 Ideò Nazarius concedit, locutionem esse formaliter actum intellectus; tametsi à voluntate possit ordinari, vel imperari, quod non negamus; attamen dicit, ea, quæ sunt sparsa in inferioribus, vniri in superioribus. Ideò eundem conceptum ordinatum à voluntate, esse expressionem, & rem expressam in Angelo.

At maior distinctio manet in effectibus, quàm in causis, & in potentiis minor, quàm in actibus; & cùm in Angelo maneat distinctio intellectus à voluntate; multò magis in actibus, vt probat S. Bonau. *in 1.d.3.p.2.*

Hinc Ioan. de S. Thoma, argumento pressus, dicit, ordinationem illam esse ab intellectu, qui est ordinatiuus rerum, nec suo D. Thomæ prospicit, contrarium asserenti *in corpore.*

TANDEM, si locutio formaliter consistit in ordinatione conceptus ad intellectum audientis; sequitur, expositum relinqui conceptum, vt verè est, ac verus est; ac proinde non poterit Angelus mentiri. Et tamen *diabolus est mendax, & Pater mendacij.* Ioan. 8.

345 LABORANT Thomistæ circa hoc argumentum. Nazarius, & Salmanticenses, ac Ioan. de S. Thoma, negando sequelam: quia potest Angelus malus duplicem conceptum formare: alterum verum, & hunc abscondere: alterum falsum, & hunc exponere.

At implicat, formari intus conceptum falsum de re, iam cognita vera.

Respondet Lezana, posse Angelum mentiri, ostendendo conceptum suum non integrum.

At, cum species ipsa adæquata naturaliter excitet; adæquatè mouebit, neque extrà potest pars impediri, ne excitet audientem.

Arriaga concedit sequelam, quando locutio est spiritualis, sed hoc nudum dictum redarguitur, quia diabolus potest tentare suadendo falsum interiùs.

346 Hoc argumentum difficilius est eis Scotistis, qui credunt, Angelum naturaliter videre arcana omnia alterius. Ex quo ineluctabiliter sequitur, penetrari internum conceptum verum, nec posse alterari, vel partim abscondi. Itaque, si Angelus velit se applicare intellectui alterius diaphano, non poterit decipi. Neque verò per locutionem poterit decipere: nam cùm in via Scotistarum consistat in impressione actus, & speciei, quæ ex intrinseco naturaliter operatur, vt ipsi vrgent, transibit actus, & species veri ad audientem. Deinde, vt quid conceptus confingeret, si audiens, cui est peruium intimum, omnia videt?

347 RESPONDET igitur Mastrius *num.302.* cum Becano *quæst.14.* Arriaga *loco cit.* & aliis, concedendo sequelam: & hoc esse naturæ Angelicæ consentaneum, vt nec fallere possit, nec falli. Posse tamen decipere homines, qui non vident directè conceptum Angeli: & hoc sensu dici, eum decipere, & mendacem esse.

Idem ego existimo; nec apparet repugnantia: & eò libentiùs concedo, quia hoc argumentum vrgeret etiam modum locutionis D. Bonauenturæ.

ASSERO quartò, locutionem Angeli non esse intellectionem eius, quâ cognoscat reflexè, se velle manifestare suos actus, quos, dirigendo suum actum ad audientem, pandat, contra Vasquez, Arrubalem, Amicum, & alios.

In eo autem conuenit cum superiori opinione 348 confutatâ, *Asserto tertio,* quod ponit locutionem in actu immanenti; ac proinde nihil noui productum concedit, quæ ex dictis attrita iacent. Neque reflexio actuum iuuat, quia omnes sunt immanentes; neque aliquid addunt in ordine ad audientem excitandum Physicè.

PROBATVR ergo assertio primò à D. Bonaueut. ex Glossa, ad id 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum, & Angelorum loquar,* vbi ait: *Angeli præpositi significant minoribus, quod de Dei voluntate præsentiunt, quod fit aliquibus nutibus, siue signis.* Hoc profectò infert, solo actu immanente, non fieri locutionem: nam ego dico intra me; neque tamen adhuc loquor alicui. Confirmatur è locis Scripturarum, vbi, ideò dicitur vnus Angelus clamare alteri, *Isaiæ 6. Apoc. 7. Zachar. 2.*

PROBATVR secundò à Seraphico. Actus virtutis intellectiuæ differt in Angelo ab actu virtutis operatiuæ: ergo pariter differt actus cognoscitiuæ, & interpretatiuæ. Sed cogitare est actus intellectiuæ, & loqui est actus interpretatiuæ: ergo differunt. Consequens patet: nam actus interpretatiuæ est ad alterum extrà: ergo non est actus cognitiuæ, qui est immanens. Hoc argumento vtitur Suarez *c.27. n.4.* quod ampliùs declarat Seraphicus Doctor *fundamento 3,*

Arguit ergo directè contrà, ostendens, locutionem non fieri per actum reflexum. Conuersio ad 349 se, & conuersio ad alterum sunt oppositæ. Sed quævis cognitio reflexa est conuersio ad se; locutio est conuersio ad alterum: ergo. Si dicas, per conuersionem ad se, loqui ad alterum.

CONTRA vrget S. Bonauent. *fundamento 4.* quo vtitur Suarez. Si Angelus suâ cogitatione loquitur: ergo omnibus manifestat suum internum conceptum: ergo quodcumque cogitat reflexè Angelus superior, scitur ab omnibus inferioribus. Hoc autem est falsum: tum quia superiores plura sciunt: tum quia Scripturæ, & Patres allati *quæst.12.* vniuersaliter de omnibus secretis, etiam reflexis docent, non esse peruia exteris: nam, vt aduertit Seraphicus, reflexiones sunt super idipsum conuersiones arcanæ. Quidquid dicat in oppositum Vasquez. His argumentis vtitur etiam Arriaga *d.12. sect.2.*

Ex hoc sequitur aliud, nempè locutionem An- 350 geli esse otiosam. Probatur sequela, quando vnus loquitur alteri de re illi nota; vel id facit, quia ignorat illi esse notam: vel vt eam meliùs declaret, & certior fiat; vel, vt alium ad considerandum moueat. Nulla autem ex his vtilitatibus potest esse in locutione Angelica, si cogitationes nouit ex reflexione; & reflexio immanens omnia declarat.

Dices: etiam locutio ad Deum, hac ratione, esset otiosa.

RESPNDET D. Bonauent. *argumento primo opp. addito responso,* & cum eo Suarez *num.6.* non esse otiosam: quia per illam locutionem excitatur orans ad maiorem mentis attentionem ad diuinæ gloriæ admirationem, & ad cultum Diuinæ Maiestatis zelandum: at verò inter Angelos fit locutio ad occulta reuelanda. Ita etiam D. Thom. *ad primum,* & D. Bonau. *in fundamentis, & corpore.*

Ex

351 Ex his deducit S. Doct. neque actus voluntatis reflexos, vtpotè immanentes, manifestari reflexione supra eos, dum vult Angelus, se velle; &, si his reflexionibus panderentur, iam omnibus æqualiter notificari remanerent.

Probatvr quartò à D. Bonauent. *arg.6. ad opp. addito responso.* Vel illud verbum, quod dicit Angelus cogitans, est occultum alteri Angelo; vel manifestum per se. Si occultum: ergo necessarium erit aliud verbum ad illud manifestandum, & de illo alio redibit quæstio: & sic in infinitum procederetur: si verò illud primum est manifestum aliis Angelis, eadem ratione quodlibet verbum erit manifestum aliis; & ita propter illius manifestationem non erit necessaria locutio. Hoc argumento vtitur Suarez *num.*4. Mastrius *num.*274. quo suprà responsio Auersæ euersa est.

Assero quintò, Angelum non loqui ad alterum, imprimendo ei actum intellectionis; ipso se habente merè passiuè.

352 Probatvr primò à D. Bonauent. *argumento primo ad oppositum.* Angelus loquitur Deo, nec tamen ei imprimit intellectionem, vt ait D. Gregorius *lib.2. Moral. cap.*4. vbi ait: *Vox Angelorum in laudem Conditoris, est admiratio intima contemplationis:* ergo locutio Angeli non est impressio intellectionis. Debet autem locutio etiam ad Deum dirigi. Hoc argumento vtitur Valentia *disp.*8. *q.*4. *punct.*2.§.*Quinta sententia.*

Reclamat Faber *d.*58.*num.*7. Angelum, quantùm èx se, efficere, Deum recipere eam intellectionem; at quia, cùm non sit passiuus, non est capax, ideò non imprimit, sicuti imprimit in alios Angelos, qui sunt passiui.

Contrà. Nulla res esse potest sine sua essentia, vt clamant non tarò Scotistæ: at essentia locutionis Angelicæ per te consistit in impressione intellectionis: ergo nusquam Angelus loqui dicendus, vbi eam non imprimit.

353 Probatvr secundò à Valentia *argum.6. D. Bonauent.* Vel conceptus est res sola, quæ defertur, & tunc non exprimeret conceptum de re; vel est species exprimens etiam conceptum loquentis: & hoc neque; quia conceptus loquentis impressus, non repræsentat seipsum; sed solùm res.

Probatvr tertiò à Valentia, Capreolo, Caietano, & aliis, *argumento 5. D. Bonauent. addito responso.* Si loquens imprimeret conceptum audienti, non posset inferior alloqui Angelum superiorem, cui nihil potest imprimere, non enim superior est in potentia respectu inferioris ad recipiendam aliquam perfectionem; imò est actus respectu potentiæ, vt docet S. Dionysius, & fatetur Scotus *d.5.q.*11. Faber *disp.*39. *num.*14. ita esse de potentiâ ordinariâ; esto Deus potentiâ absolutâ posset perficere Angelum superiorem per inferiorem; sed inferior potest alloqui etiam Deum: ergo. Hoc magis vrgebo *argum.*5.

Dices cum Arriaga *disp.*12. *sect.*7. Possunt accipi species à re vili: sic anima nostra species accipit à sensibilibus.

354 At, esto posset accipere speciem nouam à re, nouiter creatâ; tamen non potest actuari ab Angelo inferiori: quia omnem eius scientiam continet, & insuper aliam.

Svarez *cap.*28. *num.*15. instat, nil derogare Angelis superioribus, posse percipere arcana aliorum; alioqui essent peioris conditionis, quàm infimi, quibus possunt manifestari; sed derogandum fore, si illuminarentur.

Contrà: quia locutiones plurimæ continent illuminationes, vt notat D.Bonauent. *in corp.& ad* 5. cæteræ verò sunt doctrinæ purgantes ab ignorantia, aut iudiuidui actus ostensio.

Probatvr quartò à S. Doctore *ad* 5. ratione, quâ vtuntur Suarez *num.*26. Vasq. *num.*22. Amicus, & alij. Omnis actio vitalis debet esse à principio intrinseco vitali, immanenter recepta in eo, à quo elicitur; sed intellectio loquentis non est à principio intrinseco audientis; sed extrà, & ad eam audiens se habet merè passiuè, secundùm Scotum. Ergo non potest respectu audientis esse intellectio: & ideò auditio, quæ est actus vitalis audientis non potest esse locutio dicentis: Alioqui, si potest actio vitalis imprimi ab extrà, poterit creatura imprimere meæ voluntati inuitæ actum volitionis; ac proinde cogetur in actibus intrinsecis, qui essentialiter sunt liberi. Hac ratione nituntur communiter Thomistæ.

Miratvr Meldula *num.*283. nos arundini inniti, cuius instabilitatem à solo Arriaga inter nostros agnitam, clamat. Non enim est (ait) de intrinseco intellectionis, & cuiusque similis actus vitalis, vitalitas Physica; sed sufficit intentionalis, quæ consistit in vitali tendentia in obiectum, quæ solum grammaticaliter dicitur actio; non verè, cùm non habeat terminum vi eius productum, quod latè prosequitur *d.2.de anima, quæst.2.& 5.* & probat ex ipsa vita Dei. Deus enim dicitur per intellectionem viuere, & vitaliter operari; esto suam intellectionem non efficiat; & è contra, obiectum partialiter ad intellectionem concurrens Physicè eam producit, neque ob id dicitur vitaliter agere. Intellectio ergo saluatur in passiua receptione intellectionis: quia intelligere, est formaliter pati. Ita etiam Faber *n.*55. Bassolius §. *Ad primum istorum.* 355

Contra primò: quia actiones diuiduntur in Immanentes, & Transeuntes. Immanentes sunt verè actiones, *ex 9. Metaph.text.*16 & 1.*Eth.cap.*1. & quidem Immanentes dicuntur, quia sunt ab eodem principio, à quo recipiuntur, atque ideò immanent in suò principio. Vrgeo ex D. Bonauent. *ad* 5. Intellectio est actio potentiæ intellectiuæ, sicut visio potentiæ visiuæ; sed nullus oculus videt actu visionis alieno: ergo. Confirmatur: sicuti repugnat actioni transeunti recipi in eodem principio, à quo est; sed debet transire extra, ita repugnat immanenti transire, vt recipiatur extra in alio, quàm suo principio. Quoad actum Dei sat est, esse intrinsecum, nec tenetur nostris imperfectionibus esse obnoxius. 356

Respondet Mastrius cum Bassolio, diuisionem illam actionis, esse sub eâ ratione accidentalem, posseque actionem immanentem extra receptam tendere in suum obiectum: sic enim & Concilium Trident. *sess.6 cap.*5. docet, in nostra voluntate recipi inspirationes à Deo totaliter productas, & adhuc per eas voluntatem nostram vitaliter operari: *Tangere (ait) Deo cor hominis per Spiritus sancti inspirationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens: quippè qui illam & abiicere potest.*

Addit Arriaga, argumentum ad summum probare, Angelum loquentem, non posse totaliter producere eum actum; sufficere autem partialem concursum potentiæ vitalis. 357

Contra: quia ex communi Philosophorum sensu, differentia, quâ vnum alteri denominatur oppositum, est intrinseca; vt rationale, irrationale.

nale. Itaque actioni immanenti repugnabit esse transeuntem, & a principio vno esse, & in alio recipi, quod verum esse reduplicatiue, Bassolis concedit, at intellectio essentialiter est actio immanens: ergo repugnat ei, vt talis est, esse à principio ad extra. Quod verò affert e Concilio Tridentino, non est ad rem: nam Concilium simul cum D. Augustino solùm intendit astruere, gratiam præuenientem haberi ante omne meritum; ac proinde præuenire moraliter excitando; non autem Physice præmouendo, vt Scotistæ etiam concedunt. Vel saltem parum refert intento Concilij, & D. Augustini: An illa cogitatio Physicè sit a nobis, dummodò ipsius moralitas Deo adscribatur. Frustra ergo hoc testimonio abutuntur ad id, quod extra Concilij mentem est, vt ostendit Vasquez *prima parte, disp. 88. & prima secunda, quæst. 3. art. 2.* & nos agemus *tract. 9.* qui de anima, *disp. 9. sect. 4. quæst. 3. 4. & 5.* de actibus vitalibus, quoad esse Physicum, hanc doctrinam confirmando; & de esse morali *tract. 4. d. 1. prima secunda.*

358 Profectò, si actui intellectus id negant, vt sit necessariò à principio immanenter; sequitur, idem de voluntate, atque adeo eam posse cogi, vt concedit Vulpes; qui tamen non rectè respondet, adhuc in potestate liberà voluntatis esse tendere; vel non tendere in obiectum. Profectò eo ipso, quòd est actus voluntatis, tendit ad obiectum, à quo specificatur, vel saltem dignoscitur.

359 RESPONDET verò Mastrius cum Bassoli, & Lichetto § *hic, ad quæst. onem*, negando paritatem, quia voluntas est libera: & ideo nequit aliunde suum actum habere.

At, si ratione generica immanentiæ communi actibus intellectus, & voluntatis, conueniat actibus huius, posse immitti ab alio; id non tolletur à differentia liberi superueniente: nam differentiæ non auferunt ea, quæ sunt in genere; sed perficiunt potiùs addendo: non enim differentia albedinis superueniens detrahit aliquid colori, additve aliquid repugnans: sic de reliquis.

360 VRGEO adhuc. Inintelligibile est, esse actum immanentem, absque vitalitate tendendi in obiectum, vt fatetur Mastrius *num. 283.* huic autem tendentiæ connaturalis est actus efficiendi intellectionem.

Confirmatur: quia actus vitalis dependet essentialiter à principio vitali, in ratione actus producti per actionem, quam, non video, vbinam in Grammatica Emmanuelis inuenerint, non esse veram actionem, vel nominari actionem, & non esse.

VRGEO adhuc cum D. Bonauent. *in fundam.* Vel Angelus loquens efficit actum intellectionis per actum proprium, quo ipse intelligit: vel per speciem eius obiecti. Non primum: quia actus immanens non est effectiuus actuum, maximè in alio: quo enim pacto per amorem mei possum efficere amorem in alio, vt sit amans? vel per intellectionem, producere intellectionem, eamque in altero causare? cùm actus meus vitalis non habeat Physicam causalitatem secundùm aduersarios, & sit actio Grammaticalis. Vel a specie sola producitur actus intellectionis in audiente, & neque hoc: quia nusquam sola species id potest etiam in eo, qui illam produxit, & habet, multò minùs in alieno subiecto. Si dicas, intellectum

361 audientis, indutum speciei produ cere intellectionem: ergo sequitur, non se habere tantùm passiue. Si dicat, intellectum loquentis efficere actum in alieno intellectu. Contrà: quia intellectus operatur immanenter; & ideò actus eius non producitur in extero subiecto, vt refricat Seraphicus *hic*, & Suarez *num. 27.* atque Arriaga *disp. 12. sect. 2.* vbi tamen ait, posse saluari Scotum dicendo, argumentum probare, non posse intellectionem esse adæquatè ab intellectu alieno; sed posse esse tantùm partialiter. Sicuti & à specie, vel ab obiecto esse dicitur.

CONTRA tamen: quia intellectus vtcumque operatur immanenter: ergo non potest in alieno intellectu intellectionem operari; vt notat ipse Arriaga ante paucas lineas. Falsum verò est id, quod subdit, vitalitatem actus in sola intentionalitate saluari: nam vitalitas est, vt à principio vitali sit actio illa verè Physica, contra diuisa à transeunte, vt suprà dixi. Infert ergo tandem, opinionem Scoti esse sine fundamento.

PROBATVR quintò à D. Bonauent. *in corpore, & argumento 5. addita responsione.* Quæcumque sunt ab inuicem separabilia, vnum non est idem alteri, nec de ratione eius; sed loqui Angelo inest absque influxu aliquo in auditorem: ergo locutio non est impressio alicuius rei, ac proinde non consistit in impressione actus, vel speciei. Maior est euidens. Minor probatur. Inferior Angelus alloquitur superiorem, nil ei imprimendo; superiores enim Angeli non sunt in potentia, respectu inferiorum; sed potius è contra, cùm superiores magis habeant de actu. Ideircò enim S. Dionys. *cap. 12. de Angelica Hier.* ait, Angelos superiores habere scientiam vniuersaliorem, quàm inferiores, quod interpretatur Scotus *2. d. 3. q. 10.* Faber *disp. 26. num. 33.* Mastrius *disp. 2. q. 7. n. 224.* & alij illius scholæ, intelligi scientiam limpidiorem, & intensiorem: alia enim versio S. Dionysij, non vniuersaliorem scientiam, sed totalitatem scientiæ legit, & per *totalitatem* intelligunt perfectionem. Tunc sic: Actus nouus scientificus dicit nouam perfectionem; sed ad hunc non est in potentia superior Angelus, respectu inferioris: ergo. 362

Hinc ruit Fabri responsio *num. 34.* Angelum superiorem non esse in potentià corruptiuà; sed benè perfectiuà ad inferiorem. Profectò scientia est perfectiua. 363

VRGEO: quia sic concedit Faber, posse superiorem illuminari ab inferiori: nam illuminare, est perficere docendo, vt monet S. Dionysius *cap. 15. de cœlesti Hierar.* at inferiores non docent superiores, vt docet idem S. Bonauent. *loco cit.* & *cap. 7. & 13.* Et D. Athanas. *lib. de communi essentia*, vbi ait: *Quemadmodum discrimen ordinis in supernis potestatibus cognoscimus: ita quoque stationis, & scientiæ discrimina sunt, Throni scilicet, Cherubim, & Seraphim, qui sine vllo mediatore, aut interprete à Deo condiscunt.* Hinc etiam, nullum additamentum actus fieri ab inferiori, ad Angelum superiorem.

VRGEO adhuc. Non potest Angelus immediatè mutare animam, immittendo aliquid, vt probant Theologi cum D. Bonauent. *d. 8. p. 2. q. 2.* ergo neque Angelus alium, nisi per applicationem specierum, modo Seraphici, offerendo ei speciem actus; ipso audiente, & seipsum perficiente per combinationem specierum. 364

Respondet Faber, disparem esse rationem: nam anima pendet a sensibus, non sic Angelus.

At cur, si dæmon potest insinuare se absque illapsus periculo, vt docent Scotistæ, & immittere speciem, vel actum in animam immediatè; non

non supplebit opus sensuum, atque intellectûs agentis munus?

365 PROBATVR sextò argumento D. Bonau. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, quod supponit in responsione *ad* 5. *hic*. Si locutio esset impressio actus intellectionis in audientem; sequeretur loquentem de re, actu ab audiente cogitata, imprimere qualitatem solo numero distinctam; sed hoc repugnat, vt ostendi *quæst.* 5. & fatetur Scotus: ergo.

RESPONDET Faber *num.* 7. negando sequelam: quia si loquetur Angelo fortiori se, non auscultabit loquentem: si autem loquens sit fortior, causabit in intellectu audientis intellectionem, & distrahet eum à propria intellectione actuali, & ita non erunt duæ actu intellectiones, altera actu: altera habitu.

366 CONTRA tamen primò: quia actualis intellectio noua, est cogitatio de eadem re: ergo non mutatur; sed continuatur cum cogitatione præterita, & ad summum intenditur. Deinde, hæc cogitatio fit per speciem impressam; vt docet Scotus: ergo cum Angelus habeat speciem propriam de eadem re, iam erunt duo accidentia, solo numero distincta, in eodem subiecto.

Respondet Scotus, & Faber *num.* 20. non causari speciem, quando loquitur de re nota; sed solùm actum intellectionis. Profectò pedetentim venit in Seraphici sententiam; de qua infrà.

PROBATVR septimò ex D. Bonauent. *dist.* 8. *part.* 2. *quæst.* 4. *fundam.* 2. Si Angelus potest immittere cognitionem: ergo potest mentem formare, quod est proprium primæ veritatis, vt docet D. Augustinus *lib.* 83. *qq quæst.* 51. & 11. *de ciuit. cap.* 2. & *lib.* 4. *de Trinitate, cap. vlt.*

RESPONDET Faber *num.* 35. negando posse immittere etiam in animam, quæ debet vti sensibus.

367 At hoc nullius momenti est; vt docet Seraphicus *in corpore*, licèt enim ordinario modo pendeat à sensibus, tamen si aliquis immittere potest obiectum spirituale, non obstat sensuum vsus, quod ab Angelo fieri non repugnat, vt ostendit S. Doct. *dist.* 10. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 4. Et sanè, posse id à Deo fieri, probat S. Doct. ex D. Gregorio *lib.* 28. *Moral. cap.* 2.

ASSERO sextò, Angelum non loqui imprimendo nouam speciem audienti.

PROBATVR à D. Bonauent. *ad* 5. ratione, qua vtitur Vasq. *cap.* 5. Angelus non potest mutare creaturam ad minimum genus qualitatis, sed tantùm ad motum localem. Ita D. Thomas *q.* 110. *art.* 2. D. Bonauent. 2. *dist.* 8. *prima parte*, *art.* 2. *quæst.* 1. & *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. Albertus *dist.* 7. *art.* 8. *in corpore*, & *ad* 3. Durand. *quæst.* 4. Ægid. *quæst.* 3. *art.* 1. Richard. *art.* 4. *quæst.* 1. Scotus *dist.* 8. *quæstione vnica*, §. *In ista quæstione*. Argent. *quæst.* 1. *art.* 1. Bassolis *quæst. vnic.* Ferrar. 3. *contra Gent. cap.* 103.

368 PROBATVR secundò à D. Bonauent. *dist.* 7. *cit. in corpore*, ex D. Augustino 3. *de Trin. cap.* 8. Ambr. *lib.* 1. *de fide, contra Arrianos, cap.* 8. & videtur definitum in Concilio Bracarensi *l.* 8. his verbis: *Si quis dixerit, quòd aliquantas naturas diabolus in mundo fecerit: tonitrua, & fulgura, & tempestates, & siccitates, ipse diabolus authoritate suâ faciat; anathema sit.*

Hoc verò de qualitatibus etiam docent præcipui ex dictis Theologis cum D. Bonauent. *loco cit. ad* 3. vt scribit Vasq. *disp.* 218. *cap.* 3. ergo multò minùs poterit speciem infundere creaturæ. Confirmatur: quia Angelus non potest aliquid in intellectum nostrum infundere: ergo neque in intellectum alterius Angeli. Antecedens probatur à Seraphico *dist.* 8. *part.* 2. *quæst.* 2. *in fundam.* ex D. Fulgentio *lib. de fide ad Petrum, cap.* 3. & quibusdam rationibus, de quibus infrà, *disp.* 11. *quæst.* 17. Idem probat *ibid. quæst.* 4.

NEQVE verò id potest Angelus, solo nutu suæ voluntatis, vt concedit Suarez; alioqui posset vnus Angelus ad libitum mutare intellectum alterius. Neque imperio voluntatis adhibente intellectionem, & volitionem, tanquam obiectum ad imprimendam speciem, quod probat Vasquez: quia intellectio, & volitio actu existentes, producunt naturaliter speciem sui, non autem ad nutum arbitrij. 369

HÆC tamen non placet; quia conceptus existens in mente alterius Angeli liberè applicatur ad producendas species. Idque explicat Suarez, ex Aureolo, & iste ex D. Bonauent. exemplo Diuinæ essentiæ, quæ, vt obiectum intelligibile, liberè præbet influxum ad sui visionem; & ideò dicitur speculum voluntarium. At naturaliter producat speciem sui; tamen potest occultare, & impedire, ne ea species transeat ad alium. Alioqui, si eo ipso, quod conceptus est actu, necessariò producit speciem in mente alterius; sequitur, secreta mentium esse naturale obiectum necessariò expositum omnibus, saltem præsentibus, quod negauit *disp.* 209. *cap.* 10. sic & motus progressiuus pendet à voluntate, licèt naturalis. Alias rationes infirmas addunt Vasq. *ibi*. Tanner. *num.* 9. & Albertinus, *loco cit.*

PROBATVR tertiò meliùs à D. Bonau. quia eueniret, vt, cùm Angeli habeant rerum species, imprimeretur alia species, solo numero distincta, in illo; quod fieri non posse, ostendi *quæst.* 5.

PROBATVR quartò, quia non posset inferior Angelus alloqui superiorem. Probatur sequela ex dictis suprà: quia Angelus superior non est in potentia respectu inferioris. Hanc rationem, vt validam, premit Tannerus.

Arriaga non putat absurdum, quod inferimus: quia etiam anima nostra ab obiectis materialibus perficitur. 370

Sed esto hominem non dedeceat, qui nascitur vt tabula rasa: at verò Angelum non decet.

ASSERO septimò, locutionem non fieri, producente Deo speciem ad nutum Angeli, loqui volentis in auditorem.

PROBATVR primò; quia sequeretur, innumeros effectus naturales teneri à Deo suspensos continuis miraculis. Hoc autem est absonum: ergo. Probatur sequela: quia innumeri actus ex suppositione essent in actu primo, ad se naturaliter manifestandos, imprimendo species sui; & Deus impediret continuò omnes istos effectus, quousque Angelus vellet eos pandere; hoc autem est continuum miraculum; sicuti impedire actiuitatem ignis, ne iuuenes Babylone combureret. Minor verò probatur: nam multiplicanda non sunt gratis, & familiariter tot miracula: at profectò gratis id asseritur ad saluanda Angelorum arcana: quia alio modo seruantur, vt dixi *quæst.* 12.

PROBATVR secundò. Si Deus hoc pacto assisteret ad producendas species ad libitum Angeli; sequeretur, semper producturum species conformes veris conceptibus, & nunquam mendaces; non enim ad mendacium concurrere potest: ergo 371
dæmon

dæmon non modò Angelum alium alloquens, sed etiam hominem, semper veridicus esset; & tamen *mendax est, & Pater mendacij.* Ioan.8. & dicitur: *ex proprijs loqui*, dum mentitur.

Assero octauò, Angelos loqui protendendo liberè speciem ad excitandum audientem, qui excitatus ad eam conuertitur, & super se reflectens, habens speciem locutionis seorsim, & circumstantiarum, eas combinando, exprimit locutionem in se. Ita verbum protenditur non secùs, ac species è speculo.

372 Probatvr ex dictis: quia locutio fit per aliquam operationem nouam; sed hæc non est impressio intellectionis, aut speciei: ergo excitationem specierum in auditore existentium causat. Id elucebit in soluendis oppositionibus.

Obicies primò contra secundùm assertum. D. Anselmus in id, 1. Corinth.13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum* (ait:) *Lingua, quibus loquuntur, intelliguntur aliqui nutus, vel interiores motus, per quos intimant sibi vicissim, quod voluerint.* Idem pariter exponunt Lyranus, & Glossa ordinaria.

Respondet D.Bonauent. *ad vltimum*, per nutus intelligi speciem, quæ, vt expressa in mente, est verbum; vt verò protenditur, seu expanditur intellectui audientis ad eum excitandum, est signum, & nutus. Itaque sufficit eis, asserere, locutionem fieri per aliquam efficientiam, non per purum actum voluntatis; vt notat Melchior Cano, qui ideò nobis in hoc adhæret, ne cum suis Thomistis admittat locutionem, absque aliqua efficientia.

373 Obicies secundò. Locutio per signa est nostræ locutioni assimilis, & ideò rationalis.

Respondetur, nos vti signis externis: quia sensibus necessariò vtimur: Angeli verò nequaquam.

Obicies primò cum Thomistis: protensio illa speciei debet fieri per medium: at species spiritualis non potest transire per medium, quod est corporeum improportionatum: ergo non protenditur; sed per te nil aliud agitur locutione: ergo.

Respondet D.Bonauent. *in corpore*, quem sequitur ex parte Scotus 2. *dist.* 9. *quæst.*2. actionem spiritualem medio non indigere corporeo. Itaque non defertur Angelica locutio per medium corporeum; alioqui in empyreo non colloquerentur.

374 Instat Ioan. de S.Thoma. Agens non potest agere in distans, nisi agat in medium: Addit Amicus rationem: quia repugnat modo limitato applicandi virtutem: alioqui, si per medium non consumitur eius virtus, poterit agere ad omnem distantiam. Idem militat in agente spirituali; alioqui poterit operari ad infinitam distantiam.

Respondeo. Ideò, ex hoc capite, necessariam esse determinatam distantiam ad operationem, quia limitata est sphæra actiuitatis; atque ob hanc causam non potest Angelus alium alloqui ad omnem distantiam, vt dicam *quæst. sequenti.*

Obicies secundò. Si species protenditur, non poterit Angelus coram multis vnum secretò alloqui: nam illa protensio speciei est naturalis.

375 Respondetvr ex dictis, negando sequelam: quia liberè applicatur conceptus Angelicus ad species producendas & protendendas: hæc enim perfectio, cùm hominibus concedatur, non est Angelis deneganda, qui sunt perfectiores, vt fatetur etiam Brancatius *disp.*11.*q.*4. à Scotistis recedens; qui cum Scoto admittunt, non posse vnum Angelum alteri loqui, quin audiatur ab aliis. Ita Faber *disp.*38. Neque satis se eximunt, Mastrius *n.*296. & Vulpes *disp.*14.*art.*7. dicendo, videri quidem ab aliis præsentibus, quid loquatur vnus Angelus alteri; non tamen audiri: quia ad eos non dirigitur voluntariè conceptus, in quo consistit locutio: quia igitur potest Angelus ad vnum dirigere conceptum, non sola directione voluntaria Thomistica, sed Physicâ excitatione, per impressionem speciei factâ solùm ad vnum. Ideò vnum tantùm alloquitur.

Hoc inquam infirmum est, vt aduertit Suarez *cap.*28.*num.*24. nam re verâ, si omnes intelligunt; locutio illa non est secreta. Itaque illusoria est distinctio illa. 376

Quod verò subdit Mastrius, non esse necesse, vt locutio sit secreta; sed sufficere, si alij non audiant, esto intelligant conceptum dicentis, inane prorsus est; sic enim inferioris conditionis erit Angelica locutio, quàm locutio humana, vt arguit etiam Auersa. Deinde, quomodò non audiunt, si percipiunt dicentis conceptum?

Obicies tertiò. Si Angelus loquitur producendo aliquid in audientibus, non poterit loqui cuicumque multitudini, cùm eius virtus sit limitata.

Profectò contra Scotum adeò vrget, vt probet, posse vni tantùm loqui; quia producere intellectionem in intellectu audientis, est effectus adæquatus loquentis, quod cogitur concedere Scotus, & cum eo Faber *dist* 38. *cap. vnic.* & scholiastes Scoti *loco cit.* §. *De secundo.*

Quamvis Tartaretus, & Vulpes dicant, posse loqui etiam infinitis, quod probant exemplo hominis, qui pluribus loquitur, & loqueretur infinitis, si dari possent. Addit exemplum Tartaretus de albedine, quæ infinitas species posset producere; sed non loquitur ad rem: quia neque homo, neque albedo vnicum conceptum immultiplicabilem emittunt, adæquantem vim loquentis; vt ait Faber.

Respondetvr ergo, mediâ viâ incedendo, posse pluribus determinatis loqui, & ità dicendum, locutionem non alligari vni auditori: quia solùm exhibet se pluribus, quod non implicat. Enim verò, cùm per efficientiam fiat locutio, & virtus efficiens creata sit finita, non poterit infinitos simul, & semel alloqui; vt arguit Mastrius *num.*309. Sed quid tum? 377

Obicies cum Vasquez contra quartum assertum. Locutio Angeli est expressio conceptus, quæ fit per verbum, estque actus intellectûs: ergo actus ipse intellectûs est quasi nutus, seu verbum, quo Angelus alios alloquitur. Antecedens confirmatur ex *illo ad Corinth. cit.* vbi Theophylactus, ait: *Siquidem potentia quadam intelligendi, qua inuicem diuina communicant sensa, Angelorum est lingua.* Et Theodoretus ibidem, ait: *Angelorum linguas dici, non quæ sensu, sed intelligentia percipiuntur, per quas & vniuersorum Deum laudant, & inter se disserunt.* Et Beda *lib.* 2. *in Iob. cap.*7. ad ea verba: *Si subitò apparuerit, &c.* De Angelis, ait: *Quod volunt, illicò enunciant.* Profectò *dicere* est actus intellectus.

Respondet D. Bonauent. *in corpore, & ad* 3. locutionem intellectualem esse duplicem: alia est locutio ad se; cùm dicitur verbum; alia est locutio ad alium, cùm interueniente voluntate, conceptus alteri panditur. 378

Illa

Illa igitur species erat verbum arcanum mentis; dum protenditur, fit nutus. Sic igitur Patres docent, linguam quidem Angelorum esse intellectualem (sic enim habet versio Montani) non tamen sine concursu voluntaris fieri locutionem. Ideò Theophylact. ait: *Linguam esse, qua sibi inuicem mutuò Angeli cogitationem impertiunt.* Neque aliquis Patrum dixit, actum locutionis intra se, maximè reflexum, esse Angeli allocutionem; vt aduertit Arriaga. Theodoreto verò quadrat responsio Seraphici *ad 2.* quod est Damasceni effatum; locutionem Angelorum vocari spiritualem, quia non est sensibilis, more nostro; non esse tamen meram cogitationem; sed extrà expositionem sui conceptus, interuentu voluntaris; vt ait Beda *loco cit.* dicens: *Quorum collocutionem existimo mobilem voluntatum consensum.*

379 Obicies cum Scoto contra quintum assertum. Quando aliquis sufficienter est in actu primo ad agendum in passiuo proportionato, sequitur actio; sed Angelus est satis in actu primo ad producendam intellectionem, & Angelus audiens est passiuum proportionatum: ergo. Confirmatur à Scoto ibi, & Fabro *num.* 19. Angelus potest cognoscere alium Angelum etiam distantem intuitiuè; sed hoc euenit, quia essentia Angeli est obiectum aptum mouere, & producere intellectionem in intellectu Angeli intuentis: ergo à simili, si in illo Angelo intuitiue cognito ponatur aliquid intelligibile, aptum gignere aliquam notitiam, in aliquo intellectu receptiuo poterit illam gignere: at illud intelligibile, existens in intellectu Angeli loquentis, est huiusmodi: ergo poterit causare notitiam sui, in intellectu Angeli alterius, etiam distantis.

Respondetur, negando minorem: nam neque intellectus est aptus producere actum intellectionis, qui est immanens, extra se: neque potest ab alio hunc actum recipere, cùm sit vitalis; ita vt multi dicant, neque à Deo id fieri posse.

380 Similitudo autem non est ad rem: nam Angelus quidem potest recipere speciem ab obiecto, vel illud (esto) sine specie intueri; attamen obiectum illud non producit actum intellectionis actiuè; vel si actiuè, non est tota ratio, ita vt intellectus se habeat merè passiuè. Ex quo non deducitur, posse vnum Angelum producere actum intellectionis in alio, se habente merè passiuè. Hæc responsio elicitur è D. Bonau. *locis adductis pro quinto asserto.*

Neque verò proficit Scotus illâ suâ differentiâ inter visionem, & auditionem intellectualem, vt suprà vidimus. Et confirmatur ex D. August. 15. *de Trin. cap.* 19. vbi dicit; auditionem à visione huiusmodi non essentialiter, sed solùm ratione accidentalis respectus, distingui, ac ratione effectus ad extrà connotati; vt ait D. Bonauent.

381 Obicies cum Suarez. Locutio Angeli per immissionem speciei congruit modo operandi spirituali: sic enim & locutio humana fit modo proportionato per immissionem speciei sensibilis ad auditum, à qua abstrahitur species intelligibilis. Confirmatur: nam protensio illa Seraphici non est sufficiens; quia non vnit sufficienter speciem cum intellectu auditoris.

Respondet Seraphicus, modum aptum esse quidem per speciem; sed quia ab initio habet species rerum vniuersales; sufficit, vt conuertatur ad speciem externam, à qua excitetur ad componendas

382 species indiuiduales, vt satis dictum suprà. Vnde, sicut humana locutio fit per abstractionem speciei; ita locutio Angelica, quæ est nobilior, fit per compositionem specierum, quæ habentur; quod nobilius est, quàm nouas species haurire: protenditur ergo species vsque ad intellectum Angeli audientis, sed in speciebus eius deperit: vnde Angelus haurit applicationem specierum, vt docet S. Doct. *in hac quæstione, & dist.* 3. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. & nos suprà *quæst.* 12.

QVÆSTIO XVI.

An valeat Angelvs *alium alloqui, quantumlibet distantem.*

D. Bonau. loco cit. d. 10. art. 3. q. 1.
D. Thom. q. 107. art. 4.

Prima opinio est, nullam distantiam obesse, nec vicinitatem prodesse Angelicæ locutioni. Ita D. Thom. *hic*, vbi Caiet. & omnes Thomistæ recentiores: Zumellus, Bannes, Ripa, Ioannes de S. Thom. Nazarius, & alij. Idem sentire videtur Scotus *in* 2. *dist.* 9. *q.* 2. & eodem loco *in Reportatis, quæst.* 3. quem ideò sequitur Faber *disp.* 37. Vasq. *disp.* 212. *cap.* 2. Suarez *lib.* 2. *de Angel. c.* 28. tametsi *in Metaph. disp.* 18. *num.* 44. in oppositam declinet sententiam. Hanc opinionem sequuntur Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 3. *n.* 27. Morand. *disp.* 7. *quæst.* 30. Albertinus *princ.* 1. *coroll.* 10. *num.* 2. & ex antiquis, Alensis 1. *part. quæst.* 27. *memb.* 7. Marsil. *in* 2. *quæst.* 7. *art.* 2. *ad* 5. ex nostris, Caspens. *disp.* 2. *n.* 64.

Secvnda sententia est, distantiam plurimum conferre ad locutionem, adeò vt non valeat Angelus alterum alloqui, immoderatè distantem. Ita D. Bonauent. *hic*, quem sequuntur Gregor. *in* 2. *dist.* 9. *quæst.* 2. Gabr. *q.* 2. *art.* 5. *dub.* 2. & 3. Maior *quæst.* 2. Richard. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. vbi ait oppositam sententiam fauere articulis damnatis Parisiis, nempè, Angelum non esse in loco. Bassolis *d.* 9. *q.* 2. *art.* 2. & communiter Scotistæ. Vulpes *d.* 13. *art.* 8. Brancasius *d.* 11. *q.* 1. Mastrius *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 9. *n.* 292. adducentes suum Magistrum 4. *dist.* 45. *q.* 2. Malonius 2. *dist.* 9. *disp.* 14. Marcus à Baudunio *quæst.* 60. *art.* 1. §. *Dico sexto*; Rubion *d.* 9. *art.* 3. *quæst.* 3. & inclinat Zumellus *quæst.* 2. *diff.* 2. Hanc esse Scoti sententiam dicunt Scotistæ allegati, *citato loco*, vbi determinatam sphœram actiuitatis illis assignat: & *q.* 4. *dist. citata*, idem docet de intellectione animæ separatæ. 383

Assero cum hac sententia, Angelum non posse alloqui alterum, immoderatè à se distantem. 384

Probatvr à D. Bonauent. *argumento in corpore*, quo vsi sunt Scotus, & discipuli, atque cæteri nostræ sententiæ fautores. Omne agens creatum finitum habet determinatam sphœram suæ actiuitatis. Angeli, & eorum consequenter locutiones sunt entia finita: ergo. Maior est Aristot. 7. & 8. *Phys.* Imò proptereà docet *lib.* 7. *text.* 7. & 9. agens, & passum debere esse simul; alioqui posset agens agere in infinitè distans.

Admonet autem Vasquez, hoc argumentum esse validum in sententia dicentium, locutionem Angelicam fieri per aliquam efficientiam; non autem in opinione D. Bonauent. Gregorij, & Maioris dicentium, nil imprimi locutione huiusmodi. Ità Caspensis, hoc nixus, opinatur.

Enim verò *quæstione præcedenti*, ostendi, malè Seraphicum à Vasq. inuolui cum hac sententia

tentia: Ideò eius ratio est valida; efficit enim locutionem protendendo speciem in via Seraphici.

385 Respondent proinde Vasq. *cap.* 2. Suarez *n.* 13. Faber *num.* 7. medium corporeum, cùm sit improportionatum, actioni spirituali nihil conferre; sicuti sanè confert actioni corporeæ, puta sensibili nostræ locutioni, quæ per medium defertur.

At isti Doctores non percipiunt vim argumenti nostri, vt Mastrius argutè obseruat *n.* 192. com D. Bonauent. *in corpore*, non enim medij corporei proportioni innititur, sed virtuti finitæ Angeli, qui; sicuti est alligatus loco definitiuè, ita & virtus eius; atque adeò ad finitam distantiam potest extendi, quod si hoc principium tollamus, tota Philosophia funditus corruet.

Respondet Faber, solam distantiam actu Infinitam obesse; non autem quamcunque finitam.

386 Fallitur tamen: nam virtus finita habet limitem determinatum intra terminos finitos, puta centum leucarum, vel similem. Itaque si virtus Angeli est limitata, habebit determinatos terminos; quod si in infinitum syncathegorematicè posset extendi; iam non esset finita. Hinc enim argumentamur etiam infinitatem Dei: quia potest esse in locis in infinitum, si existerent, & plura in infinitum producere. Itaque non sola distantia infinita cathegorematica obest; imò neque potest esse inter loquentem, & audientem; alioqui infinitum secundum distantiam clauderetur terminis loquentis, & audientis, quod est ridiculum, vt obseruat Vasq. Sicut igitur, si Deus esset agens finitum, non posset in quodcumque distans, etiamsi loco corporeo non alligatus; ita in casu nostro. Et sicuti, quando agens etiam spirituale non habet obiectum sibi adæquatè præsens, non potest in totum; sed solùm in partem, vt fatetur Faber: ita si sit secundùm se totum extra actiuitatis sphæram, non eget, vel etiam in partem.

387 Vrgeo. Si Angelus vicinior magis excitat alium, quàm remotior, vt concedit Suarez: ergo quò magis recedit, debiliùs excitabit: & tandem nullatenus: nam sicuti se habet magis ad magis; ita simpliciter ad simpliciter. Sed quò magis distat Angelus, eò debiliùs alium excitat: ergo simpliciter aliquando finita virtute, distans non excitabit, ac proinde non loquetur.

Ex his soluta manet ratio Alensis, D. Thomæ, Scoti, & asseclarum vrgentium, distantiam non obesse; quia medium corporeum nihil confert. Hoc enim quoque vidit Seraphicus, qui *in corpore* admonet, tunc medium conferre, quando est termino proportionatum. Vnde actio priùs in medio recipitur, & posteà in termino. Hinc fit, vt, cùm terminus sit spiritus, nil ad eum conferat medium corporeum. Hinc tamen non rectè infertur, quòd distantia localis ex finitate virtutis agentis non obsit.

Dices S. Bonauent. *lib.* 2. *Compendij Theolog. veritatis*, *cap.* 15. ait: Angelos intelligere remotè, sicut propè: quia cognitio non pendet à sensibus.

Respondetur, Seraphicum velle solùm, non egere Angelum præsentia obiecti admodum sensuum, neque paulatim citò attenuari admodum, quo sonus ad aures decrescit per aëra, vel vndas, &c.

QVÆSTIO XVII.

An possit Angelvs *aliis præsentibus, vnum secretò alloqui.*

D. Bonau. loco cit.
D. Th. q. 107. art. 5.

Negant hoc aliqui; tametsi experiamur id homini concessum. Ita Gregor. *in* 2. *dist.* 9. *quæst.* 2. Gabr. *quæst.* 2. *art.* 5. *disp.* 2. Major *quæst.* 2. Heruæus *dist.* 11. *quæst.* 1. *ad* 1. Ocham *quodl.* 1. *quæst.* 7. Vasquez *disp.* 213. qui excipit illuminationes, quæ solùm à superioribus, vel æqualibus possunt percipi. Addit verò, posse vnum alicui soli, tametsi à multis percipiatur sermo ille; sicuti Petrus disputat cum solo Ioanne coram plurimis. Idem sentit Scotus 2. *dist.* 9. *quæst.* 2. Faber *disp.* 38. *num.* 5. & satis consequenter ad sua principia, non admittentia secretum in Angelis. Illa verò distinctio Mastrij *num.* 196. quòd Angeli omnes viderent quidem cogitationem illam; at non audirent, quia ad eos non esset directa, profectò est cæremonialis, vt dixi *quæst.* 15. *num.* 376. Quod verò addit cum Bassoli *dist. cit.* & Vulpe *disp.* 14. *art.* 7. vnum solum audire, in quo ex arbitrio infundit Angelus alloquens cognitionem; at cæteros, in quos non agit, non audire; non videtur suprà dictis ab eo consonum. 388

Ex authoribus, qui locutionem per signa asserunt, relatis *quæst.* 15. aliqui dicunt, signa plurima, veluti zifras, esse nota auditori; non aliis, atque adeò loquentem de rebus hisce non audiri ab aliis. 389

Secvnda sententia affirmat, posse Angelum alteri secretò loqui: sic D. Thom. *hic*, vbi omnes Thomistæ. Valentia *disput.* 8. *quæst.* 4. *punct.* 2. Suarez *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 9. & *cap.* 28. *num.* 25. & alij apud ipsum. Hæc procul dubio est Seraphici sententia *quæst. cit.* Idem sentiunt Motand. *tract.* 7. *quæst.* 30. Tannerus *disput.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 3. *num.* 26. Marcus à Baudunio *quæst.* 60. *art. vnic.* Caspensis *disp.* 2. *num.* 65.

Assero cum hac sententia. Angelum posse secreto colloquio alterum affari.

Probatvr ex D. Bonauent. *in corpore.* Nobilior est, atque perfectior locutio Angeli, quàm hominis; sed homo loquitur secretò vni; aliis non percipientibus: ergo. Hac ratione vtuntur Suarez *cap.* 28. & alij.

Probatvr à multis ex virtute secreti suprà demonstrata, *quæst.* 12. 390

Probatvr à Brancasio *disput.* 11. *quæst.* 4. Tannero, & aliis; quia sic decet politiam, vt possit tractari secretò, quando oportet. Id autem non est solùm conueniens politiæ humanæ, vt putat Mastrius; sed etiam Angelicæ: quia sæpè occurrit, vnus Angelus loqui debeat de rebus arcanis, quas ab alio non decet intelligi.

Qvæstio

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum eadem LOCVTIO *esse possit à Deo, & ab Angelo.*

D.Bonau.d.10.art.3.q.2.
D.Thom.q.107.art.1.

ASSERO, posse Deum loqui per Angelum.

PROBATVR à D. Bonauent. ex Apocal.1. *Loquens per Angelum suum*; & è Symbolo, vbi Spiritus sanctus dicitur locutus per Prophetas.

391 DEINDE *Matth.*4. & *Lucæ* 3. audita est vox: *Hic est filius meus dilectus*, quæ vox successiuè cum inmutatione facta est: ergo à Deo per creaturam. A Deo quidem; quia nullus, præter Deum, dicere poterat è cœlo: *Hic est filius meus.* A creatura verò, quia intercessêre mutationes, quæ per Angelorum ministeria exercentur.

Admonet autem Seraphicus, tripliciter Deum audiri, sicuti, & totidem modis videtur, nempè visione corporea, imaginaria, & spirituali: sic igitur tripliciter loquitur, voce corporali, imaginaria, & spirituali.

392 ET quidem duobus primis modis concedit, Deum loqui per Angelos, vel vt Deum repræsentantes, & in persona Dei; vt cùm locutus est Angelus *Exod.*33. & *Lucæ* 3. *Matth.*4. Vel cùm loquitur Angelus vt nuncius, referens; vt pluries in Scriptura legitur: at tertio modo non loquitur per Angelum; sed per se, excitando, inspirando. Hæc autem tertia locutio, cùm sit à Deo solo, est ipse Deus: atque adeò nequit cum Angelicis locutionibus conuenire. Vide S. Bonauenturam.

QVÆSTIO XIX.

An, & quomodo ANGELI *illuminentur ab aliis.*

D.Bonau.dist.10.p.2. art.2.q.2.
D.Thom.q.106.107. & 109.

PRÆMITTO in limine: quid sit illuminatio Angelica. Est autem locutio quædam singularis, instructiua de his, quæ ad Deum reducunt. Tria enim officia Hierarchiæ sunt, vt docet Seraphicus *hic*, & *in Opusc. Eccl. Hier. c.*1. & 2. *libri* 1. Purgare, Illuminare, Perficere; vt docet D. Dionys. *de cælesti hier. cap.*3. & dictum est *disp.*1. *quæst.*6. Ideò ex
393 definitione Angeli, illuminationes eruimus; in ea enim dicitur: *Angelus est similitudo Dei, resplendere faciens in se bonitatem silentij*, (idest rei arcanæ, seu verborum; de quibus non potest aliquis ex se loqui.) Quæ profitetur *cap.*6. *cœlest. hierarch.* ab Apostolo Paulo didicisse. Ex quo apparet, D. Augustinum non legisse opera S. Dionysij, dum *in Enchir. cap.*58. ait: *De his hierarchicis muneribus nil certum haberi.* Est autem illuminatio species locutionis, vt docet Seraphicus *dist.*10. *art.*3. *quæst.*1. & 2. quod probat ex D. Gregorio in multis locis: nam 2. *Moral. cap.*4. ait: *Loquitur Deus ad Angelos sanctos, eo ipso, quod eorum cordibus inuisibilia sua*
394 *ostendit.* Et infrà: *Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur.* Et infrà: *Deus Angelis loquitur, cùm eis voluntas eius intima videnda manifestatur.* Alia quoque loca affert è D. Gregorio 28. *Moral. cap.*2. & *alibi.* Vide etiam Suarez *lib.*6. *c.*12. Ideò S.Thom. *quæst.*107. *art.*2. ait: *Omnis illuminatio est locutio in Angelis: sed non omnis locutio est illuminatio.*

EST igitur illuminatio actus hierarchicus; quo infimi per medios; & medij per supremos, purgantur à nescientia, & instruuntur de his, quæ conducunt ad perficiendum per reductionem in Deum, tanquam finem.

Ex quo apparet, purgationem, & illuminationem esse idem; distingui tamen respectu, vt docet D.Thom. ex D. Dionysio *cap.*6. & 8. *de cælesti hier.* nam purgantur, dum remouentur tenebræ: illuminantur verò, dum instruuntur ad finem supernum. Ita docet etiam D. Bonau. *locis adductis*, & Thomistæ cum suo Doctore Sancto, *loco cit.* & Valentia *disp.*8. *q.*4. *p.*1. Suarez *lib.*6. *c.*11. *n.*9. ex communi. Tanner. *disp.*5. *quæst.*4 *dub.*4. *n.*8. & alij.

Ex his habes, illuminationem supra locutionem non addere solùm doctrinam, seu manifestationem rei occultæ, vt Faber sentit, *disp.*39. *initio*, cum Scoto 2. *dist.*9. §. *In responsione ad quæstionem primam*, & §. *Ad aliam quæstionem*; vbi definit illuminationem, esse locutionem de vero perfectiuam in actu secundo, quem sequuntur Scotistæ, negantes naturale secretum; ac proinde asserentes, locutionem esse de rebus notis; non autem de occultis, quod refutatum est suprà *quæst.*12. & 15. 395

IGITVR, manifestatio talis veritatis, quæ reducat ad Deum, seu ad perfectionem, quæ est summus actus Hierarchiæ, siue illa veritas sit de re substantialiter naturali, siue non; est illuminatio. Ità docet D.Thom. *q.*106. *art.*4. & *q.*109. *art.*3. & indicat Seraphicus *hic*, *ad vlt.* & docet *lib.*1. *Eccl. Hier.* quos sequuntur Suar. *lib.*6. *c.*14. & 15. Tanner. *disp.*5. *quæst.*4. *dub.*4. Auersa *q.*59 *sect.*5. Valentia *loco cit.* Morand. *tract.*7. *q.*31. adducens Granadum, Præpositum, & alios, qui dicunt, esse communem sententiam. Quod igitur non sit mera apertio veritatis alicuius, probatur; alioqui etiam locutio inter dæmones esset illuminatio, etiamsi non sit reductiua in Deum, vt infert acutè Arriaga, *disp.*22. *sect.*5. & Morandus suprà; ac Tanner. *n.*15. Nec iuuat Scotum negare consequentiam, eò quòd de rebus notis semper loquantur; potest enim esse, vt vnus dæmon discat aliquid nouum, & alter non attendat; atque adeò ignoret id, quod alter nouit. 396

Quòd verò non sit necesse, vt ea veritas sit de re substantialiter supernaturali, probatur à Morando, Tannero, & aliis, argumento indicato à D.Bonau. nam ex D.Dionysio, *loco cit.* vera omnia, eò ipso, quòd conducunt ad Deum, censentur illuminationes. Ideò Seraphicus *ad vlt.* omnia vera asserit esse obiectum illuminationis, prout tamen ad perfectionem in Deum perducunt.

PRIMA opinio est Durandi 2. *dist.*11. *quæst.*3. negantis, Angelos ab aliis illuminari.

Exulet iam hæc opinio, quippè à communi sensu Theologorum, & Patrum, euolat.

PRÆCIPVÈ verò est contra S. Dionysium, *de cælest. Hier. cap.*3.4.7. 8. & 9. & *de Eccl. hier cap.*5. vt refert Seraphicus, *Opusc. de Eccl. hier.* maximè *p.*2. *cap.*1. vbi de Dominationibus refert D. Dionysium *cap.*8. Idem ait de cæteris ordinibus in sequentibus capitibus: & *lib.*3. de infimæ hierarchiæ spiritibus. Huius autem præstantissimi Patris authoritates eò pressiùs Durandum explodunt, quò altiores sunt, cùm ipse *cap.*6. testetur; 397

tur, se hæc ab Apostolo Paulo didicisse, vt obseruat etiam Seraphicus, allegatus *dist.1. quæst.6.* & adhuc magis respuitur opinio Durandi, cùm ipse Dionysius *cap.7.* dicat: *Hoc enim Theologi planè tradunt, inferiores cœlestium naturarum ordines, à superioribus ritè diuinas scientias discere; summos autem à Deo ipso, pro suo captu, doceri Mysteria.* Itaque vult esse communem sensum Theologorum, inter quos recenset *cap.8.* etiam prophetas, ex quibus sententiam suam demonstrat, atque adeò etiam è Scripturis idipsum ostendit, quas vrgebo pro vltimo asserto, vt eò magis Durandi sententia conteratur.

398 Ex quo etiam falsum elucebit id, quod ait Vasquez *num.28.* non posse è Scripturis id comprobari. Alios etiam Patres affert Seraphicus *loco cit.* à Suarez *lib.6.c.11.* Vasquez *c.1.*

Est igitur quæstio tantùm circa modum, quo Angeli Angelos illuminent.

Prima igitur sententia est, Angelos illuminare, nil penitus efficiendo in illuminatis, sed solùm proponendo, veluti lectionem. Ita Alensis *2.part. quæst.38.memb.3.* sentire visus est, cùm tamen stet pro nobis, vt dicam. Hanc sententiam sequuntur Tanner. *num.12.* Vasq. *cap.5.* referentes Ægidium *dist.9.quæst.1.art.5.* Argentinam *quæst.1.art.3.* Marsil. *2.quæst.7. art.4.* Caietanum *quæst.106. art.1.* imò & D. Thomam *loco cit. ad 2.* & *quæst 9. de veritate, art.1.* & inter alia loca premunt *quæst.177. art.1.* Refert Vasquez etiam D. Bonauenturam, sed malè; vt ostendam. Arridet Morand. *tract.7. q.31.* sub *num.751. §. Deducitur secundo.*

Secunda verò sententia docet, Angelicas illuminationes aliquid efficere in illuminatis. Huius sententiæ authores diuisi sunt, iuxta modos dicendi de locutione *quæst.15.* Aliqui enim volunt, imprimi conceptum: alij speciem, & sic de reliquis.

399 Et quidem Scotus *dist.9. quæst.2.* apud Fabrum *disput.39. cap.2.* vult, illuminationem esse de re habitualiter notâ, quoad aliquam tamen veritatem ignoratam, vt quod Petrus sit prædestinatus, produci solùm actum intellectûs, non autem speciem: at si de re habitualiter ignota sit, produci etiam speciem. Addit Faber, posse illuminantem aliquando producere solam speciem; non actum ex impotentia, vt si inferior illuminet superiorem: quia tunc Angelus superior non potest cogi ad actualem attentionem, & cogitationem.

Quoad D.Thomam, videtur sentire, fieri illuminationem efficiendo quoddam lumen intellectuale, quo in actu primo confortatur ad percipiendum obiectum reuelatum, vel intendendo lumen, vt fortior reddatur intellectus; sic autem traditur obiectum reuelatum, vt veritatem, quam superior vnico percipit conceptu, in plures partiatur, vt sic edoceat inferiorem.

400 Caietanus videns in hoc modo difficultates sic exponit S. Doctorem: intellectum roborari ex propositione noua perfectiua, quæ lumen cognitionis intendit, & roborat solùm artificialiter, tradendo res pro captu temperatas, quem modum sequitur Valentia *disp.8. quæst 4. punct.1.* ad mentem Angelici.

Capreolus verò *2.dist 11. quæst.2.art.3. ad 1.* Durandi asserit, roborari intellectum Angeli per diffusionem cuiusdam virtutis intentionalis transfusæ ab illuminante ad modum, quo intellectus agens influit in phantasmata.

Sententia D. Bonauent *hic, & art.3.quæst.1. ad 5.* asserit, illuminationem fieri per instructionem, admodum, quo Magister instruit discipulos: hoc tamen veram admittit efficientiam. Ideò in priori loco saltem excitationem ponit, vt notat Suarez *lib.6. cap.13. num.2.* Ibi autem agit de modo, quo Angeli nos illuminant; in posteriori verò, vbi de illuminatione Angelorum, vult, iuxta sua principia, fieri per specierum protensionem, interueniente excitatione. Hanc sententiam tuentur Ægidius, Argentina, Alensis, & alij, quos Vasquez suprà pro sua sententia adducebat. Accedit Caspensis *disp.2. sect.9.* adducens Vasquium, qui patum abit.

Assero primò, illuminationem fieri aliquâ efficientiâ.

Probatvr à D.Bonauent. *dist.10.part.2.art.3. quæst.1.* argumento, quo nititur Suarez *cap.13. num.4.* Non potest aliquis intrinsecè mutari, sine noua intrinseca actione, vel passione: at Angelus illuminator mutatur intrinsecè, dum, ex non reuelante conceptum suum intrinsecum, fit reuelans; & Angelus illuminatus, dum ex non sciente, fit sciens: ergo. 401

Respondebvnt authores primæ sententiæ, id fieri per nouam actionem immanentem, & aliquam mutationem in Angelo reuelante, qui, dum scribit in se obiectum, illud alteri repræsentat, seu dum reflectit supra se.

At responsio hæc omnibus illis rationibus retunditur, quibus ostendi *quæst.15.* locutionem non esse intellectionem, vel etiam reflexam. Nunc vna sit instar omnium. Quæcumque sunt separabilia, sunt realiter distincta; sed cogitatio, seu scriptio interna est separabilis à reuelatione: ergo. Maior patet; hic enim est lapis Lydius, ad distinctionem realem internoscendam. Minor probatur: quia reuelans supponitur priùs scire, antequam reuelet. Deinde: quia si cogitatio, & reuelatio esset idem, nullum daretur mentis arcanum, quod satis refutatum est *quæst.12.& 15.*

Alij respondent, illuminationem fieri per solam ordinationem voluntatis, quæ ordinat conceptum ad audientem.

Hæc responsio elisa est *quæst.15.* rationibus, quæ in materia illuminationis magis vrgent: nam Angelus illuminans, non solùm vult illuminare; sed efficit, vt alius intelligat, quod antè non percipiebat: ergo non solùm dirigit voluntate, sed etiam operatur. Hæc ratio est D. Bonauent. *hic, in corpore, & quæst.de locutione cit.* à nobis *q.15.* 402

Assero secundò, illuminationem non fieri producendo in alio intellectionem.

Probatvr ex dictis *quæst.15.* contra opinionem Scoti *de locutione.* Confirmatur: nam sequitur, etiam Deum illuminantem producere actum intellectionis in nobis, ac proinde voluntatem se habere merè passiuè ad vocationem. Probatur sequela: nam illuminatio ad gratiam pertinet; vt docet D.Thomas *ad secundum.*

Assero tertiò, non fieri illuminationem per corroborationem Physicam intellectus illuminati, infusione alicuius luminis. 403

Probatvr à Durando *d.11. quæst.3. fundamento primo,* D. Bonauent. *in hac quæst.* & *d.8. p.2. quæst.4. fundamento 2.* Si Angelus augeret, & roboraret intellectum alterius, posset etiam mentem formare; sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequela à Seraphico: quia in cogitatione formatur

formatur acies intelligentiæ; vt ait D. Augustinus *lib 4. de Trin. cap. vlt.* & *lib. 83. qq. quæst. 51.* & *lib. 9. de ciuit. cap. 11.* & *lib. 11. cap. 2.* Minor est D. Augustini *locis adductis.* Confirmatur: nam, qui intendit aliquam perfectionem, potest etiam illam producere.

Respondebunt, non roborari lumen internum, sed solùm aliquod addi externum. Id facilè dicet Richardus 2. *dist. 9. art. 2. quæst. 1.* qui admittit radium quendam, ab Angeli loquentis intellectu, emitti ad intellectum audientis.

404 Hoc verò fictitium est; quia hic radius transiret absque subiecto, non enim per medium corporeum deferri valet.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. authoritate Glossæ ad id Psal. 118. *Manus tuæ fecerunt me.*

PROBATVR tertiò à S. Doct. Facilius est producere formas corporeas, quàm spirituales illuminationes. Sed Angelus nequit producere formas corporeas, nisi applicando actiua passiuis; vt dicam *disp. 11. quæst. 1.* ergo.

PROBATVR quartò à Seraphico, ratione, quam præ cæteris Durandi, laudat Vasquez. Si Angelus illuminat immittendo lumen: vel immittit suum lumen proprium, vel nouum producit. Si lumen proprium, vel hoc exit extra ipsum; & tunc maneret sine subiecto; vt infert etiam Vasq. *disp. 210.*

405 *cap. 5. in fine*, contra Richardum; vel si manet in ipso, tunc vnus Angelus illabitur alteri, & animæ, quod est Deo proprium, vt dixi *quæst. 12.* si verò producit nouum, aut ex aliquo, aut ex nihilo. Si ex aliquo; quæro, ex quo? & cùm non possit assignari ex quo; sequitur tale lumen creari ab Angelo, quod implicat.

Deinde; quia medium hoc debet esse spiritus supernaturalis: ergo medium spiritum emittit. Quis autem est iste Spiritus?

406 VRGEO. Vel ille spiritualis radius est quid connaturale Angelo, vel supernaturale. Si naturale; vel est intellectus ipsius Angeli: at hic est substantia ipsius Angeli; vel si accidens, non transfunditur, nisi cum Angelo, nec intenditur, nec potest effici, nisi per creationem ab eo, qui Angelum condidit. Neque potest esse intensio ipsius intellectus, vt vult Heruæus: quia intellectus, cùm sit substantia, vel saltem passio, non intenditur, nec remittitur. Vel hoc lumen spirituale est aliquis habitus naturalis; at huiusmodi habitus, cùm se teneant ex parte potentiæ, nequeunt transire, nisi cum subiecto; & sic deberet transire etiam Angelus illuminans, & illabi in illuminatum: nam, cùm tales habitus per actus acquirantur, manent, vbi & actus fuêre facti, idest in potentia. Si verò dicas, esse lumen supernaturale, siquidem tale lumen deberet esse productum, vel ex aliquo, putà ex potentia obedientiali, & hoc non; vt dixi *tract. 1. disp. 1. quæst. 8.* vel ex nihilo, & tunc Angelus esset Creator. Ita ferè arguit etiam Suarez *n. 15.* & Durandus ex D. Bonauent. *in fundamentis.*

407 ASSERO vltimò, Angelicam illuminationem ita fieri. Angelus illuminans protendit speciem ad intellectum alterius, & excitat ad audiendum, seu intuendum verbum illud expressum ex reuelatione.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in corpore.* Ita se habet Angelus illuminans ad inferiorem, sicut ad discipulum Magister: at magister illuminat excitando discipulum, & exhibendo documentum: ergo. Hæc ratio est D. Dionysij *c. 4. 7. 8. 9. 13.* & 15. referente Seraphico *de Eccl. Hier.* suprà.

PRIMÒ quidem S. Doct. *lib. 2. cap. 3.* refert Areopagitam, *cap. 8.* vbi loquens de Potestatibus, ait: *Ad diuina tendentes, & quæ post se sunt, agmina, Dei imitatione promouentes.* Inde docet, has purgari, illuminari, perfici à superioribus, & reddit rationem: *Hoc enim diuinâ lege sancitum est, ea, quæ secunda sunt, primorum procuratione participare diuinis illustrationibus.*

Id verò probat S. Dionysius è Scripturis. Primò, 408
cùm Angelus ille occurrit alij Angelo, & petiit ab eo instrui de diuino arcano. Mox verò cùm ab eo, velut antistite, Diuinum consilium didicisset, prophetam quoque edocuit, *Zach. 1. & 2.*

DEINDE refert apparitionem *Ezech. 9.* vbi Deus è maiestate, primò Cherubinos instruxit de his, quæ cogitauerat facere populo Israëlitico. Mox alius Angelus hæc ab eis didicit, qui & posteà instruxit diuinæ iustitiæ executores; quinam interimendi essent; & qui incolumes relinquendi.

TERTIÒ affert illud *Danielis 9.* vbi dicitur: *Ab* 409
initio egressus est sermo. Et cap. 8. dixit Gabriëli, vt visionem reuelaret.

Alia quoque loca S. Dionysij affert S. Doct. *p. 3. de Eccl. hier.* vti id *cap. 9.* vbi loquens de Archangelorum ordine, ait: *Hic autem, qui & docendi, & dictandi aliis ordinem tenet, dum diuinarum intelligentias rerum à primariis virtutibus sumens, eas Angelis quoque gratuita nunciat bonitate, ac per Angelos nobis diuinorum sensuum aperiens lucem.* Capite verò decimo docet Areopagita, infimam à secunda, & secundam à prima, & suprema Hierarchia instrui, & reddit rationem: *Sunt enim Angeli ita instituti, vt inferiores superioribus obaudiant, eorumque nutus enunient, ac primi illi quidem summi Dei consilia, & voces exponant: reliqui verò eorum, qui à Deo mouentur, exprimant voces.*

PRÆCLARE' verò *cap 4.* Angelos illuminantes 410
vocat eorum præceptores. Affert Seraphicus *de cælesti hier. p. 2. c. 1.* D. Isidorum, *lib. 7. Ethymol. cap. 5.* vbi ait: *Dominationes vocari; quia inferioribus dominantes, eos instruunt, & informant, qualiter in prælationis officio debeant subditos ad deificam similitudinem reuocare.*

VASQVEZ quoque addit S. Augustinum *concione 18. in Psal. 118.* D. Cyrillum *lib. 1. in Ioan. c. 9.* vbi probat, vnum Angelum ab alio illuminari, ex illo *Zachar. 2.* quo nititur etiam S. Dionysius. Quare fallitur Vasq. primò, dicens, è Scripturis non colligi Angelicas illuminationes: Deinde afferens hos Patres, quasi dicant, illuminationes fieri absque vlla operatione in illuminatos: hoc enim non dicunt; sed solùm, non infundere lumen, vt aduertit Suarez *num. 5.* cuius sententia de impressione specierum reiecta est *quæst. 15.*

Ex his habes, opinionem Durandi esse contrà 411
Scripturas, & Patres. Neque eius responsio est bona, quâ vult, authoritates sic exponere: Deum illuminare inferiores per superiores, non causalitate aliqua; sed solo ordine, quatenus Deus ipse solus illuminat primò supremos; deinde medios: & posteà infimos. Profectò Scripturæ, & Patres asserunt præclarè, causaliter inferiores Angelos ab altioribus instrui, illuminari, &c. Ita vt purgentur ab aliqua nescientia, illuminentur in rebus arcanis, & perficiantur, qui sunt tres actus, respectu distincti: absolutè verò purgationem esse initium, illuminationem esse medium, & perfectionem terminum actus eiusdem, vt docet D. Bonauent. *ad vlt.* vbi Vasq. debuit aduertere

aduertere, Seraphicum asserere, illuminationes fieri operatione, excitando mentem Angeli inferioris. Idipsum de actibus hierarchicis sentiunt Tannerus, Morandus, & alij.

412 Colliges etiam, illuminantes esse superiores: illuminatos inferiores. Ita S. Bonauent. *hic*, & *allegatis locis omnibus*. D. Thom. *quæst.* 106. *art.* 3. Caietanus, Nazar. & Thomistæ omnes *ibi*, & Molina ibidem, atque Scholastici communiter *in* 2. *dist.* 9. vbi Ægid. *quæst.* 1. *art.* 4. *dub.* 2. Richard. *art.* 2. *quæst.* 2. & 3. Scotus *quæst.* 2. Bassolis *quæst.* 1. *art.* 1. Gabr. *quæst.* 2. *art.* 4. Marsil. *quæst.* 2. *art.* 4. Maior *quæst.* 2. Valentia *disput.* 8. *quæst.* 4. *punct.* 1. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 4. *num.* 22. & tandem ferè post multas contentiones consentit Suarez *lib.* 6. *cap.* 15. Morandus verò *tract.* 7. *quæst.* 31. *num.* 751. concedit, id verum de lege ordinaria: posse tamen aliquando superiores ab inferioribus illuminari; imò Angelos ab hominibus, quod videtur asserere Apostolus Ephes. 3. *Vt innotescat Principibus, & Potestatibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei.* Idipsum hac distinctione concedit Præposit. *q.* 57. *art.* 4. *dub.* 5. cum Arriaga *disp.* 22. *sect.* 5. vbi ait, de lege ordinaria illuminari inferiores à superioribus; non quia superiores nequeant ab inferioribus de aliquo instrui; sed quia inferiores instruuntur in ordine ad ministeria à superioribus; non superiores ab inferioribus, qui non diriguntur ad ministeria. Sic enim etiam inter nos, si Episcopus, vel Princeps instruat vnum officialem de rebus gerendis, dicitur eum illuminare, non verò alium, ad quem non pertinet executio, tametsi dicatur eum instruere. Id ferè asserit Morandus in fine.

413 Quoad Seraphicum, arbitror, eum id sentire, quod asserit Arriaga.

Primò quidem *in Opusc. de cœlest. hier.* & *hic*, atque *d.* 9. *q.* 6. & *d.* 11. *q.* 1. *fundam.* 5. docet, è lege ordinaria, Angelos superiores illuminare alios inferiores, quod probat *dist.* 11. *citata*, ex D. Dionys. *cap.* 5. *de Angel. hier.* vbi ait: *Hæc est lex diuinitatis immobiliter firmata, vt inferiora reducantur in Deum per superiora* (seu, vt habet versio Perionij:) *Mos quidem hic est diuinitatis sanctissimus, per prima, secunda, & inferiora ad diuinissimam suam lucem deducere.* Tamen S. Thomas, cum S. Bonau. superiorem adhibet versionem. Id ipsum *in Opusculo*, confirmat S. Doct. ex S. Dionysio *cap.* 8.

414 Probatur à Seraphico *dist.* 9. *loco cit.* quia regula ordinata est, vt sicuti bonitas est communicabilis, ita maior bonitas minori communicetur: at verò Angeli superiores sunt meliores: ideò debent esse communicatiui illuminationum perficientium, vt arguit quoque Tannerus *à num.* 25.

Deinde S. Doct. concedit in aliquo casu, Angelos ab hominibus illuminari, vt dicitur *Eph.* 3. & ostendi *quæst.* 15. An verò, & quomodo homines ab Angelis illuminentur, dicam *disp.* 12. *q.* 3.

Tertiò asserit *dist.* 9. tres actus hierarchicos ordinari ad ministeria, circa homines, ac proinde in iudicio euacuandos, quod probat ex 1. Cor. 15. *Cùm euacuauerit Principatum, Potestatem, & Virtutem.* Cùm autem non sint euacuandæ superioritates ordinum, quoad gratias, & gloriam, in quibus sunt consummati, & perfecti; atque adeò singuli in suo choro sint permansuri, vt Seraphim in primo choro, &c. debent euacuari, quoad actus deferentes illuminationes, & cæteros actus prælationis, manentibus in habitu prælationum omnibus pro suo statu, vt concludit S. Doct. *ad vlt.* quem sequitur Arriaga, addens, nunc etiam posse Deum lege ordinaria illuminare immediatè vnum, vel duos Seraphinos, vt hi illuminent inferiores, ignorantibus aliis Conseraphinis.

QVÆSTIO XX.

Vtrum Angeli *semper actu considerent omnia sua obiecta.*

Prima sententia docet, posse Angelum actu considerare totum suum obiectum adæquatum cognoscibile, seu omnia cognoscibilia; tametsi necessariò non cognoscat ea totali cognitione. Ita Gregor *in* 2. *dist.* 11. *quæst.* 2. secutus Aureolum, *ibid. quæst.* 3. *art.* 3. De possibili verò concedit Arriaga *disp.* 11. *sect.* 1. Durandus verò 2. *dist.* 3. *quæst.* 8. docet, Angelum simul intelligere omnia, quæcumque naturaliter potest intelligere. 415

Opposita sententia est, non posse Angelum omnia simul cognoscibilia intelligere. Sic D. Th. *quæst.* 58. *art.* 1. & 2. vbi Caietanus, & Thomistæ alij. Molina *disp.* 2. Vasq. *disp.* 221. *cap.* 3. Suarez *lib.* 2. *cap.* 34. & communiter Doctores *in* 2. *dist.* 3. vbi S. Bonauent. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. quem refert Suarez (qui tamen concedit, posse supremos per speciem vniuersalissimam omnia cognoscere.) Capreol. *quæst.* 2. *art.* 1. *conclus.* 9. Maior *quæst.* 8. Richardus, Ægidius, Scotus *eadem dist.* Henricus *quodl.* 5. *quæst.* 14. Ferrar. 2. *contra Gent. cap.* 101. Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 3. *dub.* 8. *num.* 15. Morandus *tract.* 7. *q.* 27. Auersa *hic*, *sect.* 2.

Assero cum hac sententia, Angelum non posse omne cognoscibile simul actu intelligere.

Probatur à Seraphico, *loco cit.* ratione refricata *in* 3 *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 1. *argum.* 1. *opposito, addita solutione.* Sicut se habet materia ad formam: sic intellectus possibilis ad res cognoscibiles, sed materia non est in actu, nisi per formam: ergo neque intellectus, nisi per speciem, vel per obiectum ipsum delatum ad informandum intellectum; sed materia non habet actu omnes formas, à quibus potest informari: ergo. Angeli non habent species omnium cognoscibilium, vt ostensum est *quæst.* 6. & *sequentibus.* 416

Probatur secundò à D. Bonauent. *in* 3 *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 2. multis mediis, quæ de anima Christi afferuntur, & valent quoque de Angelis, vt declarar *in corpore.*

Primum est, quo vtitur etiam Suarez *num.* 7. Angeli cognoscunt per species, quæ plures sunt, vt dixi *quæst.* 6. ergo nequeunt cognoscere ea omnia simul in actu secundò. Probatur consequens quia in cognitione, quæ fit per species, non potest Angelus habere, nisi vnum actum vni speciei proportionatum. Hinc verificatur id: *Plura sciuntur, quàm actu intelligantur.* De quo, *quæst.* 22.

Secundum est, *fundamento* 4. quo vtitur Suarez *num.* 6. Sicut ad intelligendum vnum requiritur aliqua virtus: & ad intelligenda plura requiritur maior, & maior virtus; & ad intelligenda infinita requiritur virtus infinita; sed virtus infinita intellectiua non potest esse in Angelo: ergo. Maior calculatoriè procedit optimo progressu. Quantò enim crescit effectus; tantò debet esse causa perfectior. Minor probatur, argumento familiari Seraphici. Non potest esse maior virtus actiua, quàm essentia, à qua procedit; sed essentia Angeli est finita: ergo. 417

Respondet

Respondet Arriaga argumento, quod adscribit Tannero, à quo verè vrgetur *num.* 16. negando sequelam. Non enim ex infinitate obiecti cognoscibilis infertur infinitas simpliciter; sed sola secundnm quid in potentia.

At si actu categorematico comprehendit infinita, esto in se sint in potentia, requiritur virtus aucta actu infinitè.

418 TERTIVM medium est, *fundamento* 3. & *in* 2. *sent. loco cit. in argument.* si posset actu omnia simul cognoscibilia intelligere, cognosceret omnia futura contingentia, v. g. omnes hominum conuersiones, salutes, &c. sed hoc est falsum, vt dixi *quaest.* 10.

QVARTVM medium est, *fundamento* 5. Quandocunque aliquid se extendit ad infinita, impossibile est, quòd totaliter sit in actu, si differat in eo actus, atque potentia: sed cognoscibilia ab Angelo sunt infinita: ergo non potest respectu omnium esse in actu, cùm in eo differat actus, & potentia. Confirmatur à S. Doctore *in* 2. *d.* 1. quia Angelus est medius inter Deum, & nos. Deus autem est purus actus; nos in potentia etiam ad actus: ergo Angelus est in potentia aliqua, saltem ad aliquos actus secundos. Maior probatur à Seraphico *in* 3. *loco cit.* exemplo continui, quod nunquam potest ad actum reduci adaequatum.

419 QVINTVM medium habetur *fundamento vltimo*, quo ferè vtitur Suarez *num.* 7. & *cap.* 37. Finitum simplex ad aliquid conuersum, totum conuertitur, & si sit commensuratum, adaequabit totum. Talis est intellectus Angeli: ergo.

Hinc ruit fundamentum Gregorij, quòd possit intellectus, vt causa partialis, coagere pluribus speciebus, quae sunt principia partialia, cum pluribus actibus; sicuti potest vno actu coagere speciei vni: sanè actus finitus ab obiecto aequatur finito, à quo specificatur, vel saltem dignoscitur.

QVAESTIO XXI.

Vtrum ANGELVS *necessario sit semper in actu intelligens aliquid.*

HAec quaestio plura inquirit; primò: An semper sit intelligens aliquid; ita vt nunquam sit inconsiderans. Secundò: an circa obiectum particulare semper actu consideret. Tertiò: quodnam sit tale obiectum.

Vasquez *disputat.* 219. *cap.* 3. refert omnes, quotquot ante se scripta ediderunt, asseruisse, vel saltem non negasse, Angelum in sui consideratione perpetua necessariò detineri, quamvis rem hanc primus in dubio reuocet cum Arriaga, *disp.* 11. *sect.* 1.

420 EAM verò sententiam produnt D. Bonauent. *locis allegandis in argumento*, D. Thom. *quaestione* 56. *art.* 2. *ad* 3. & *quaest.* 8. *de verit. art.* 6. *ad* 6. & *art.* 14. *ad* 6. Capreolus *in* 2. *d.* 3. *quaest.* 2. *art.* 3. *ad* 2. Aureolus, Caietanus *quaest.* 58. *art.* 2. Ferrar. 2. *contra Gent. cap.* 97. Durandus 2. *d.* 3. *quaest.* 8. *num.* 6. Heruaeus 2. *d.* 3. *quaest.* 4. *ad* 1. Aegid. *ibidem*, 2. *p. distinct. quaest.* 2. *art.* 2. *d.* 1. *ad* 2. Suarez *lib.* 2. *cap.* 35 *num.* 7. & omnes Thomistae communiter *quaest.* 58. *artic.* 2. vbi Molina *d.* 1. Valentia *quaest* 9. *p.* 1. Deinde aliqui etiam ex his dixere, Angelum neque à Dei intellectione vacare posse, saltem, vt sui authoris. Ita Capreol. Caietanus, Molina, Valentia, Suarez *c. p.* 36. Zumel, Bañes ad *locum cit.* D. Thomae, Tannerus *disp.* 5. *quaest.* 3. *dub.* 8.

Attamen Morandus *tract.* 7. *quaest.* 21. *num.* 711. & *quaest.* 27. *num.* 740. docet, absolutè Angelum posse cessare à sui consideratione; imò ab omnibus, & adducit Vasquez *loco cit.* Molinam *ad* 2. Alarconium, Praepositum, & alios. Attamen concludit, forsan non cessare à cognitione sui, & Dei. Idem ferè dicit Fuliensis *l.* 3. *cap.* 4.

ASSERO primò, Angelos necessario semper intueri seipsos. 421

PROBATVR à S. Bonau. *in* 2. *dist.* 4. *art.* 3. *quaest.* 1. *argum.* 3. *addita solutione.* Angeli sunt lumina participationesque supremae diuinae lucis, excellentissimo modo, ex D. Dionysio *de caelest. Hier. cap.* 3. & 4. Tunc sic: sed Deus, quia est lux suprema, videt in se omnia, nec potest non videre: ergo & Angelus, quia est participatio nobilissima illius lucis, non potest non actu videre se ipsum, & quae sunt in se. Confirmatur: sicut oculus in die apertus videt necessariò lucem; ita, & multò perfectiùs videt Angelus se. Hanc rationem longè attigit D. Thom. 2. *contra Gentes, cap.* 9. Suarez *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 5.

Huic non respondet Vasquez, etsi glorietur se obiectiones omnes soluisse.

ARRIAGA respondet, Angelum eodem modo esse in actu primò, respectu aliarum rerum, ad quas tamen non cogitur respicere. Neque praesentia localis sui iuuat ad ipsum magis cogendum, vt se intueatur.

CONTRA: quia obiectiuè est praesens intimè oculo intellectus; at cùm sit Lux, debet aspicere: ergo.

ASSERO secundò, non posse Angelum cessare à cognitione Dei. 422

PROBATVR eodem argumento Seraphici. Cognoscens perfectè vnum relatiuum, cognoscit & alterum; quia relatiua sunt simul cognitione: sed Angelus, ex praeostensis, cognoscit comprehensiuè seipsum, qui est Imago Dei, atque intrinseca dependentia à Deo pendens: ergo cognoscit etiam Deum correlatiuum. Haec ratio, supposita primae assertionis veritate, conceditur à Vasquez *num.* 11. & affertur etiam à Suarez *cap.* 37. *num.* 3. vbi hanc cognitionem de Deo indirectam vocat.

PROBATVR secundò à S. Bonau. *loco cit.* ex dictis S. Dionysij, è quibus arguit S. Doct. *d.* 3. *p.* 2. *art.* 2. *quaest.* 2. Sicut se habet speculum praeclarum, obiectum Soli, ita se habet Angelus ad Deum, ex S. Dionysio *capite* 3. *de caelesti Hier.* paulò post initium, vbi vocat Angelos specula perlucida: at speculum Soli obiectum naturaliter recipit claritatem Solis: ergo & Angeli cognitionem Dei necessariò recipiunt.

PROBATVR tertiò ex *argumento tertio, cum solutione.* Quae sunt in potentia, modo naturali cognoscibili, naturaliter cognoscuntur necessariò. Talis est Deus in Angelo, qui est essentialiter Dei similitudo: ergo. Hoc argumentum, quod deducitur etiam è *distinct.* 3. *p.* 2. *art.* 2. *quaest.* 1. *in corpore*, vtrunque assertum roborat. 423

ASSERO tertiò, Angelum non semper esse in actu cognoscendi res alias. 424

PROBATVR à Suarez *num.* 5. quia non considerat semper omnia sua obiecta: ergo nec vllum determinatum necessariò considerat. Valeat quantum potest.

PROBATVR à Seraphico *distinct.* 3. *loco cit.* quia Angelus est in potentia medius, inter Deum, & nos,

nos. Deus est semper in actu secundo, respectu omnium: homo sæpè cessat ab omni actu secundo: ergo Angelus non est in actu, nisi ad ea, quæ vrgent ex perfectione debitâ, & præsentiâ obiectiuâ, atque, vt applicetur ad operandum, debent cognosci, quæ sunt ipse Angelus, & Deus, vt rectè monet Tannerus.

Addit Arriaga, non posse Angelum cessare ab omni cognitione; quia, vt velit cessare, debet habere aliquam cognitionem; *nil enim volitum, quin præcognitum:* ergo semper cognoscit.

QVÆSTIO XXII.

An valeat ANGELVS *plura simul per modum plurium intelligere.*

D.Thom.q.58.art.4.

425 CERTVM suppono primò, Angelum posse plura simul intelligere per modum vnius, idest, prout peculiari aliqua habitudine in vnum conueniunt, v. g. potest cognoscere plures partes in vno toto. Id concedunt omnes absque disceptatione cum Seraphico 2. *d.* 42. *art.*2. *quæst.* 1. *ad* 4. & *in* 3. *d.*14. *art.*2. *quæst.*2. *ad argum.*

DEINDE suppono, posse Angelum ea simul omnia intelligere, quæ vnica specie repræsentantur: nam, vt aduertit Seraphicus 2.*d.*3. *p.*2.*art.*2. *quæst.*1. omnia illa se habent ad intellectum Angeli, vt vnum quoddam intelligibile, quatenus in ea specie vnificantur obiecta. Ideò & *in* 3. *d.* 14. *art.*2. *quæst.*1. docet, beatos eadem cognitione, eodemque actu videre Verbum, & res in Verbo repræsentatas. Et *in* 2. *d.* 3. *p.* 2. *art.*2. *quæst.*2. *arg.*3. docet ex D. Augustino 9. *de Trinitate*, *cap.*13. & *lib.*12. *super Genes. cap.*25. & 31. animam cognoscere seipsam, & habitus suos per essentiam. Idem docent D.Thom. *quæst.*58. *art.*2. Caietanus, Bañes, Zumel. *ibi*, Valentia *quæst.*9. *p.*1. Tanner. *disp.*5. *quæst.*3. *dub.*8. *num.*10. & communiter contra Molinam *quæst.*55. *artic.*2. & *quæst.*58. *art.*2. *disput.*2. Ratio D.Thomæ est eadem, quæ & Seraphici: quia vniuntur in vno intelligibili, vnâ illâ specie expresso: & affert idem exemplum beatorum videntium Deum, & res in eo, quod ita accipitur à Capreolo 2. *d.* 3. *quæst.*2. *art.*1. Ferrar. 2. *cont. Gent.*

426 *cap.*101. Caietano, aliisque Thomistis. Itidem Valentia, Suarez apud Tannerum: etsi Vasquez *disputat.*221. *cap.* 3. existimet, cum limitatione accipiendum tantùm de tota latitudine specifica; non de indiuiduali earum rerum extensione quæ per vnam speciem repræsentantur; alioqui infert; ipsum posse simul naturaliter cognoscere infinita, saltem si infinita indiuidua causarum naturalium, & necessariarum essent futura; quandoquidem singula tam futura, quàm præsentia, naturaliter aliàs cognoscere potest Angelus.

427 AT hoc non sequitur; quia futura naturalia finita sunt, vt docet S. Bonauent. *dist.*3. *p.*2. *art.*2. *quæst.*1. *in corpore*, quem alij sequuntur: futura verò contingentia, & libera, quæ in infinitum futura sunt, non potest Angelus naturaliter cognoscere, vt dixi *quæst.*10. ideò nulla opus est distinctione, vt rectè monent Suarez *num.*11. Tannerus 10. nam & oculus noster innumeram stellarum, hominumvè multitudinem simul videre potest. Ita igitur Angelus per vnam speciem, v. g. firmamenti, poterit omnes simul stellas exprimere, vt per speciem hominis, omnes homines, quoad essentialia: & per speciem hominis albi, docti &c. omnes tales.

CERTVM est etiam tertiò, posse Angelum simul cognoscere plura, vt plura sunt, modò repræsententur illi per rationes, vel species diuersi ordinis. Sic potest cognoscere seipsum per propriam substantiam, & alium Angelum per speciem inditam: aliumque in Verbo. Ita Christus in terris easdem res cognoscebat, scientiâ naturali, & supernaturali, & diuersa simul, illis scientiis diuersis; alioqui deberet Angelus sæpè à sui cognitione abstrahi, dum aliud occurrit, vel nil aliud secum intelligere. Ita D. Bonau. *loco cit. in* 2. D. Thom. *quodl.*9. *quæst.*4. *art.*7. Caietanus *quæst.*58. *artic.* 2. & est communis, vt monet Tannerus *num.*11. Porrò hæc cognitio fit per plures actus distinctos, vt notat Suarez *lib.* 2. *cap.* 37. *num.*5. Eadem doctrina est apud D. Bonau. 3. *distinct.* 14. *art.*2. *quæst.*3. *ad* 3. & *in* 4. *d.*43. *quæst. vltim.* Præpositum, *hic*, *d.* 2. Fulien. *l.* 3. *cap.*5. Morandum *tractat.*7. *quæstione* 28. contra Arriagam *disput.*11. *sect.*4.

QVÆSTIO igitur fit: An possit Angelus multa simul intelligere, vt multa, per species eiusdem rationis.

PRIMA opinio est affirmatiua. Ita Gregor. *in* 1. *d.*1. *quæst.*1. *art.*3. & *in* 2. *d.*11. *quæst. vn.* Durand. 2.*d.*3. *quæst.*8. *num.*7. Soto *lib.*1. Post. *quæst.*1. *ad* 4. Valentia *disputat.* 4. *quæst.*9. *p.*3. Molina *quæst.*58. *art.* 2. *d.* 1. Vasquez *disputat.* 220. *cap.* 2. Suarez *lib.*2. *cap.*37. *à num.*14. Tanner. *num.*12. adducens Thomistas recentiores. Hurtadus *disputat.* 5. *de anima*, *sect.* 7. Collegium Conimbr. 3. *de anima*, *cap.*8. *quæst.*6. *art.*2. vbi id animæ etiam nostræ concedunt. Idem sentit Scotus 2.*d.*5. *quæst.*5. §. *Respondeo primò*; clariùs *in* 3.*d.*14. *quæst.*2. *art.*3. præsertim §. *potest dici*, & §. *sed si ista via tertia non placet*, & *ad secundum Henrici.* Fauentinus 2. *disputat.*41. *num.*5. & alij Scotistæ passim. Arriaga *d.*11. *de Angelis*, *sect.*5. & *in libris de anima*, Morandus *tractat.*7. *quæst.*28. Auersa *sect.*3. Fuliens. *l.*3. *cap.*5. Videtur D. Bonau. *in* 2. *d.* 4. *art.* 3. *q.*1. imò D. Augustini 4. *super Genes. ad litt. cap.*32. & 34. quem refert S. Doctor, & cum eo Valentia; nam ibi docet, Angelos cognouisse omnes creaturas; has tamen, *per modum vnius*, esse cognitas docet Durandus *num.*7. puta vt naturalia, vel vt creaturæ sunt. Ex quo benè deducit Suarez *numer.* 8. hunc terminum, *per modum vnius*, admodum ampliari. 428

SECVNDA sententia est, non posse Angelum, plura simul, per modum plurium, cognoscere. Ita D.Thom. *quæst.* 58. *art.* 1. & *de anima*, *quæst.*58. *art.*4. id ipsum asserit, & 1. *cont. Gent. cap.*55. & *lib.* 2. *cap.* 101. & *quæst.* 8. *de veritate*, *art.*14. & *quodl.*7. *art.*2. Capreol. *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 1. *concl.*9. Ægid. *p.*2. *quæst.*2. *art.* 3. & *tract. de Angelorum cognitione*, *quæst.* 7. Caietanus *quæst.*58. *art.*2. Ripa *ibidem*, & *quæst.*85. *art.* 4. & alij Thomistæ plurimi. Ferrar. ad loca D.Thomæ *contra Gent.* Heruæus *tract. de motu Angeli*, *quæst.* 1. *ad tertiam diff.* & *in* 2. *d.*11. *quæst.*2. Consonat Scotus 2. *d.* 3. *quæst.*9. §. *Dico igitur*, vt notat, & plaudit Herrera 2. *d.* 12. *quæst.*1. Idem videtur sentire 3. *d.*14. *quæst.*2. 429

HÆC videtur præclarè sententia Seraphici Doctoris *in* 2. *d.* 3. *p.*2. *art.* 1. *quæst.* 2. *fundamento* 3. vbi probat, Angelum non potuisse in primo suæ creationis instanti peccare; quia debuit præcognoscere appetibile, eumque, cui illud appetebat: & 430

rationem

rationem mouentem; sed hæc sunt diuersa; & impossibile est per naturam, aliquam potentiam simplicem, simul & semel, ad plura conuerti. Propter quod dicit Philosophus 2. Top. cap. 4. loco 32. *Contingit plura scire: cogitare autem non.*

Hic sanè locus non me vrget, quia in via D. Bonau. *in 2. d. 5. art. 2. quæst. 1.* vt dicam *d. 7. num. 41.* appetibile, & is, cui appetitur, & ratio appetendi, se habent per modum vnius. Nam: *Vbi vnum propter aliud est; ibi vnum tantùm*, vt aiunt Philosophi; Atque adeò tanquam certa regula valeret; non omnia, quæ S. Doctor in argumentis, & pro parte, quam tuetur, allata, semper esse adamussim ad ipsius sensum, quod in aliis quoque Theologis omnes aduertunt: sed ex corpore, eruenda est Seraphici sententia, vt pluries admonui. Hoc tamen me premit, vt fatear, S. Doctorem *hic*, sententiam negatiuam exerere; nam post resolutionem, idem confirmat *in responsione ad 3.*

Idem docet *d. 5. quæst. 1. in corpore*, & *argum. 1. ad oppositum* quod in hoc admittit.

Idem docet *in 3. d. 4. art. 3. quæst. 2. in corpore*, & *in 4. d. 43. quæst. vltim.* vbi concedit, supernaturaliter quidem id fieri posse; non autem naturaliter.

Idem docet *in 3. d. 14. art. 2. quæst. 2. fundamento vltim.* de anima Christi, vbi etiam locum Aristotelis affert: & *d. 18. quæst. 1. ad 3.* rursus negat, id posse naturaliter fieri, sed tantùm supernaturaliter, vt per Deiformitatem gloriæ. Et *distinct. 14. q. 3. ad tertium*, vbi tamen non adeò claret: quid verè sentiat.

431 TERTIA sententia mèdia est, posse quidem plura per modum plurium intelligi simul; sed non adeò distinctè, sicut cognoscitur vnum. Ita Faber flectitur cum Scoto, Suarez, Valentia: & probabile existimat, post Scotum, Vasquez *cap. 2.* Alarcon. *num. 14. cap. 4.* Hæc mihi ingenuè videtur sententia D. Bonauent. vt patet legenti *in 2. d. 4. art. 3. quæst. 1. in corpore*, & *argumento primo ad oppositum* quod in hoc concedit. Idem ex aliis locis apparet, *in 3. d. 14.* citandis, quibus aduerte, id quod suprà cum Suarez monui, magnam in eo vno latitudinem reperiri.

ASSERO primò probabile, Angelum aliquo modo cognoscere plura per modum plurium simul.

PROBATVR primò à D. Bonau. 2. *distinct. 4. art. 3. quæst. 1.* ex D. Augustino 4. *de Genes. ad litt. cap. 31. & 34.* vbi asserit, Angelos habuisse à primo instanti creationis cognitionem omnium simul rerum creatarum. Hoc testimonio vtuntur Ambo Gregorij, de Arimino, & de Valentia.

Hæc tamen cognitio creaturarum fuit per modum aliquem latissimum vnius secundùm ordinem ad Creatorem, vt indicat S. Bonau. & cum eo Vasquez *num. 18.* & alij. Quod probatur ex D. Augustino, nam ibi subdit: *Neque tamen sine ordine; ex quo etiam apparet connexio præcedentium, consequentiumque causarum.* Enim verò cognouit essentias diuersas.

432 LEVIOR est responsio Fabri, D. Augustinum accipere (*simul*) pro tempore imperceptibili, cùm non egeant Angeli mora, sicuti nos; neque velle, Angelos ita distinctè cognoscere plurima, sicuti vnum. Neque hinc colligi, Angelum posse applicare suam cognitionem pluribus; imò omnibus, & æquè distinctè, quia est virtutis finitæ. Neque enim id nos etiam in patria poterimus; neque id potest anima Christi; multò minùs Angeli. Vrget *num. 12.* Res visæ in essentia Diuina sunt magis præsentes intellectui Angelico, quàm sint res præsentatæ per suas species: ergo posset intellectus Angelicus illa videre; illæ verò sunt infinitæ: ergo infinitas intell. ctiones elicere potest, quod repugnat virtuti finitæ: Leuius adhuc est, quod ait Vasquez *num. 16.* S. Augustinum non rectè hac de re philosophatum.

PROFECTÒ tempori non alligatur Deus à D. Augustino, vt constat legenti, & ostendam *tract. 5. d. 1. quæst. 4.* Neque ex finitate intellectûs rectè colligit Faber, plura finita non posse percipi; neque id animæ Christi negatur à Theologis, sed solùm, percipere actu infinita, vt habes S. Doctor 3. *d. 14. art. 2. quæst. 2. in fundamentis.* Neque benè arguit, ex præsentia creaturarum, eas comprehendi; quia terminata potentia non potest infinita comprehendere. 433

PROBATVR secundò à Seraphico 3. *distinct. 14. art. 2. quæst. 1. argum. 3. addito responso*, quo vtuntur Valentia, ante E. Vasquez *num. 15.* Faber *n. 6*: Perfectior est intellectus, maximè Angelorum, quàm sensus: at sensus cognoscit plura per modum plurium: ergo. Minor probatur: nam oculus videt speculum, & simul imaginem. Quòd autem videat per modum plurium probatur: nam euanescente imagine, adhuc videtur speculum, & in eodem speculo res plures videntur, vt mons, cœlum, astraque plurima, homines, bestiæ, &c. Est argumentum D. Augustini 4. *Genes. ad litt. c. 34.*

ADMONET verò S. Doct. non sic videri Verbum, & res in Verbo: quia Verbum continet res, & eminenter, & causaliter. Vnde hæc videntur per modum vnius, vt notat Seraphicus. At Faber probat assertionem, eò quòd beati videant res in Verbo, & in proprio genere: sanè idem sunt Verbum, & res in Verbo, vt ait S. Bonau. 3. *dist. 14. art. 2. quæst. 1. fundamento 4.* Videntur verò in proprio genere in Verbo, vt in causa, vt dixi *tract. 1. d. 11. quæst. 23.* 434

PROBATVR à Fauentino *num. 7.* Suarez *n. 13.* diuersarum operationum, diuersi sunt termini, & vnius operationis, vnus est terminus adæquatus; sed in casu nostro, plures species expressæ aggenerantur, vt patet: ergo. Hæc ratio colligitur ex D. Bonau. *loco cit.* Maior est eiusdem Seraphici 4. *distinct. 43. quæst. 4. argumento vltimo.*

PROBATVR secundò à Suarez *num. 17.* argumento sumpto è D. Thom. *hic*, & D. Bonauent. *in 3. distinct. 14. artic. 2. quæst. 1. in corpore.* Vnicus actus requirit aliquam vnitatem obiecti, seu speciei, seu habitus, qui sunt rationes cognoscendi: atque, in casu nostro, plures sunt species, plura obiecta: ergo. 435

RESPONDET, Arriaga, quando dico: Homo non est equus: ille actus est indiuisibilis, & tamen tangit hominem, & equum, vt diuersos.

Respondetur, esse duos actus virtuales; nam includit cognitionem hominis diuersam, & cognitionem equi, quæ mouit ad negandum, Hominem esse equum; vt fatetur Arriaga *disputat. 11. sect. 7. num. 48.*

Argumenta opposita solùm probant, non posse plura, vt plura, eodem actu cognosci. 436

OBIICIT Valentia, circa finem. Vt ea omnia vno actu cognoscantur, sat est, sub vna ratione formaliter veri, esse cognita; sicut vnus est actus, quo videtur album, & nigrum sub vna ratione coloris.

RESPONDETVR, negando assumptum; alioqui nunquam

nunquam esse possent plures actus, quoquot intelligantur, vt concedit Valentia *ibi.* Exemplum verò de coloribus est falsum, vt dixi de cognitione hominis, & equi.

Assero tertiò, non omninò perfecta cognitione, plura, vt plura sunt, ab Angelo percipi.

437 Probatur à D. Bonau. suprà, ex Aristotele 2.*Top. cap.*4. *loco* 33. vbi ait: *Contingit plura scire: cogitare autem non.*

Respondent aliqui, sensum esse, non omnia, quæ habitualiter scimus, posse actu cogitari, qui videtur sensus D.Bonau. 3.*distinct.*14. *cit.* attamen aliud quoque accinit; non posse plura perfectè cogitari; sicuti vnum. Id comparatur cum illo 4. *Metaph. cap.*10. *text.*10. vbi ait: *Nihil enim intelligere contingit, nisi vnum intelligenti.*

438 Respondent Tannerus, Molina, Vasquez, Suarez, id solùm velle; vno nomine, vnum significatum intelligi oportere, qui enim vnum determinatè non intelligit, nihil intelligit.

At non aduertunt, hanc esse rationem Aristotelis, ad probandum, vno nomine, vnum significari; sicuti & intellectus non intelligit, nisi vnum, vel plura in vno significata; & hoc quidem semper. Ideò & particula (*contingit*) non significat, aliquando id euenire, vt putant Suarez, & Tannerus ad superiorem textum. Idipsum enim apud Aristotelem sonat, ac *euenit*, vel *fit*. Igitur *his locis* significat, posse quidem aliquo modo plura percipi, sicuti, & potentiæ sensitiuæ, intellectu inferiores, plura sentiunt, v. g. oculus plures colores dissitos, ac oppositos: auditus plures sonos, quorum vnus cum alio non habet consonantium: attamen distractam pluribus, non negat, minorem esse, ad omnia, & singula, vim; sicuti dicitur:

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Atque adeò non dici simpliciter, quia debilitatur ad singula percipienda.

439 Respondet Morandus, non esse coarctandum intellectum Angelorum; ideò posse singula cognoscere, quantùm cognoscibilia sunt, si velint attendere; concedit tamen vni obiecto ita posse intendere, vt circa alia diminuatur eius cognitio. Imò addunt Arriaga *sect.*4. & alij, Angelos semper adæquatè tot obiecta percipere, quot adæquat naturalis perfectio Angeli intellectiua. Vrgeo: sit virtus intellectiua vnius Angeli ad decem disparata adæquatè comprehendenda; cur ad singula dicatur infirmior, dum omnia percipit? Et si dicas, intellectum Angeli adæquari vni perfecto, *v.g. quatuor*, obiecto; cur intellectus Archangeli non extendetur ad plura; & intellectus Principatus, & sic ascendendo? Et si adhuc dicas, extendi habitualiter. Contra: nam virtus actualis respondet maiori habituali; igitur naturaliter pluribus actu extenditur virtus habitualis intensior; esto possit liberè aliis totidem se applicare, distrahendo se à primis illis.

440 At non percipiunt rem. Cùm enim virtus habitualis ad plura extendatur, quàm actualis, eò quòd non exigat actualem applicationem, vt aduertit S. Doctor *in* 3. *distinctione* 14. *suprà citatâ*, etiamsi posset ad mille, habitu; poterit ad pauciora, actu. Rursus, etiam si habeat virtutem ad centum; tamen si viginti offerantur, virtus naturalis dispertitur, vt imperfectiùs percipiat, quàm si vnum tantùm obiiciatur. Patet exemplo visus, & auditus. Potest oculus totum Hemisphœrium firmamenti videre, & tamen minor erit intensio circa viginti stellas, quàm circa vnam. Ratio autem esse potest; quia virtus finita tota actu applicatur vni. Vnde ad plura distracta, infirmatur.

Ex dictis ferè soluitur quædam instantia, contra secundum assertum. Potest intellectus vti aliqua specie vniuersali ad vnum tantùm obiectum cognoscendum ex multis, quæ repræsentat: ergo poterit etiam vti pluribus ad vnicum actum. 441

Respondetur, dato antecedente, cum Bannes, Morando, & Vasquez, negando consequentiam: quia in primo casu, illa species vniuersalis repræsentat plura, neque vnum propter aliud. Ergo poterit intellectus ad voluntatis imperium eâ vti pro vno; non pro alio: at in secundo casu, ex vsu intellectus; non desinunt illæ species esse disparatæ. Ideò nequeunt vniri ad vnum actum producendum.

Obiicies secundò. Potest intellectus, eadem vna specie vniuersali: vti eodem instanti ad distinctos actus, pro distinctis obiectis: ergo & vti pluribus speciebus, etiam disparatis, ad vnum actum. 442

Respondet Vasquez *cap.*3. Alarconius *cap.*4. *numer.*15. §.*secundo dico*; cum Suarez, Morando, & Arriaga, negando consequentiam, ob disparitatem, suprà allatam.

Assero quartò, ad mentem Seraphici multò probabiliùs non posse Angelum plura, vt plura, simul intelligere. Probatur, ac premitur à S. Doct. *in* 2.*distinct.*5.*quæst.*1.*argumento primo opposito*, quoad hoc concesso, & *in corpore* confirmato & *in* 3. *dist.*14. *art.*2. *quæst.*2. *fundam. extremo.* Vel hæc intelligit vno actu; vel pluribus. Neutrum est verum: ergo. Quoad priorem partem claret, argumentis pro secundo asserto, vnius enim actus vnum est obiectum adæquatum: at plura, vt plura, non habent vnitatem obiectiuam; ac proinde neque speciem vnam producent.

Dicent Thomistæ, vnam speciem in Angelo exprimere plura disparata.

At falsò, cùm enim species ex obiectis describantur, atque adeò mensurentur, quippè quæ ad ea exprimenda sunt infusæ, sumere coguntur ab his vnitatem, vt ostendi *quæst.*8.

Probatur secundò à S. Doct. *locis relatis.* Simplex finitum, ad quodcumque conuertatur naturaliter, totum conuertitur: ergo, vt ad aliud obiectum conuertatur, debet à primo auerti: Antecedens patet, nam simplex caret partibus, & si finitum totum est applicitum, etiam totaliter applicitum est.

Quod verò neque pluribus actibus plura, vt plura, simul percipiat, ostendo. Ex intelligente, & re intellecta fit vnum magis, quàm ex materia, & forma, vt docet Aristoteles. Ita sic se habet actus, quo vnitur speciei; & proinde obiecto, sicut vnio formæ cum materia; sed vni numero materiæ non vniuntur simul eodem tempore plures formæ non subordinatæ: ergo. Ideò Aristoteles *locis allatis*, vnum tantùm intelligi docet. Confirmatur ratione secunda, allata pro altera parte.

Dices; etiam materiam eodem tempore subiici pluribus formis substantialibus, non necessariò connexis: & quod caput est, innumeris accidentibus disparatis. Aspice summum Pontificem Clementem X. è quatuor elementis compositum, forma organizationis præditum, in qua tot accidentia in membris diuersa; animam considera vegetabilem, sensibilem, rationalem, tot virtutibus, donis Spiritus sancti, scientiis, artibus ornatam eximiis:

mijs: Vide Pontificalibus indutum, quot sericis lineis, aureisque gemmis vestimenta habet sparsa, quæ Angelus intuetur. Aut, si vis dispersa intueri, vide Horizontem, tanta camporum, aquarum, ignium, plantarum, germinum, quadrupedium, reptilium, volucrum, & piscium plenum varietate, simul & cœlos, Lunâ plenâ, & stellis coruscos. Non ne hæc simul intueris? Nonne Angelus plura ex alto videt? imò omnia ab initio in via, cognitione matutinâ;esto beatæ non æquali, perspexit (vt ait D.Augustinus & D.Bonauentura) quosnam igitur refert *quæstione vigesima sexta*? Vbinam est obiectum? vbi actus ad singula adæquatus? Vbi simplex finitum vni applicitum? Reclama, hæc, vna specie, non exprimi, neque totidem, quot res; nec posse millibus actuum simul videri. Iam probaui, intellecta plurima, vt plurima, simul agnita. Modum vnum cogeris admittere. Sic enim, & Seraphicus Doctor 2. *distinct*. 1. *part*. 2. *artic*. 2. *quæst*. 1. *ad* 4. docet, Angelum aspicere.

Respondeo, locum Seraphici obiectum, omnium exhibere solutionem. Vnitas enim obiectorum in casu nostro amplior est cælo, & viam, Hippodromo ad omnia declinanda latiorem ostendit. Hæc sanè super Horizontem sita, ad vnius loci ornatum iunguntur; sicuti, & quæ in Sanctissimo Papa numerasti, confluunt ad vnum omnibus numeris absolutissimum, hunc Heroëm, immortalia emeritum, Papam constituendum. Profectò aliqua sufficit vnitas, quam esse in omnibus creatis inuenit D. Augustinus, nempè, vt relatis ad Creatorem, tanquam ad causam efficientem, & finalem, vt dixi *num*.431. Neque hæc via est ad fugam decliuis; sed obuia ad plana, vt ait Suarez *loc. cit*. occurrit: quam sanè omnibus currentibus sufficere videbis. Adde, opinionem illam D.Augustini non adeò fixam videri Seraphico Bonau. vt dicam *quæst*. 26.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum Angeli *discurrant*.

D.Thom.q.58.art.3.

Discvrsvs est veluti cuius è cognitione vnius, ad notitiam alterius, & est necessaria aliqua prioritas in eo, quod est ratio veniendi in alterius cognitionem.

Prima opinio est, Angelos non discurrere, sed simplicissimo actu intelligere. Ita Albert. 2.*p. sum. quæst*.9. D.Thom. *hic* cum omnibus discipulis, Caietanus, Bannes, Pesant. Ripa, Nazar. *controu*.1. Ferrar. 3. *cont. Gent. cap*. 91. Capr. 2. *d*. 3. *art*.1. *concl*.10. Ægid. 3.*d*.3.*p*.2. *quæst*.1. *art*.1. Citatur *&* *in* 2.*d*.3. *p*.2. *q*.2. *art*.3. Sed frustrà. Alens. 2.*par*. *quæst*.20.*memb*.5. Tanner.*d*.5. *quæst*.3.*dub*.8. Suar. *l*. 2. *cap*.33. *num*.9. Vasquez *d*.212. Arriaga *d*.11.*sect*.8.Valent. *d*.4. *quæst*.9. *punct*.2. Loquuntur autem circa obiecta naturalia: Circa supernaturalia verò admittunt in Angelis discursum. Marsil. 2. *quæst*.6. *art*.2. Malon. 2. *quæst*.3.*d*.6. Pesant. *art*. 1. *&* 3. multi alij Thomistæ apud Bannes, qui non dissentit. Videtur D.Thomæ *quæst*.60. *art*.2. *in corpore*, & aliis locis apud Suarez *num*.18. Vasquez verò dicit, non esse propriè discursum: sic & Fuliensis *l*.3. *cap*.5.

Ivrarent aliqui, huius sententiæ esse Seraphicum 2. *distinct*. 3. *p*.2. *art*. 3. *quæst*.1. *ad argum*. vbi in hoc videtur specificè distinguere Angelum ab Anima. Enim verò hoc remittit *ad quæst. seq*. in ea verò hoc ex professo refellit, de quo latè agam *tractat*.9. *disput*.1. *quæst*.10. Id verò ad summum admittit *loc. cit*. Angelum aliqua sine discursu percipere, quæ homo non valet, quæ differentia similis est ei, quæ admittitur inter actionem immanentem, & transeuntem, de quâ *tractat*.9. *disputat*.9. *cap*.4. *sect*.5. *quæst*.2. & latè *tract*.2. *disp*.2. *quæst*.4. & *disp* 9. *sect*.1.*quæst*.2.

Hæc sanè differentia in eo posita est, vt actio transiens semper habeat terminum necessariò; non ita immanens. Sic & Anima circa discurribilia ex rerum conditione,semper cogatur discurrere,componere, &c. Angelus non; sed naturali acumine plurima simplici actu intelligat: enim verò & hoc *quæstione sequenti* corrodit.

Secvnda sententia admittit in Angelo, etiam circa naturalia obiecta discursum. Ita D. Bonau. *in* 2.*dist*.3.*p*.2.*art*.1.*q*.2.*fund*.3. 443

Eum sequuntur Scotus *in* 1. *quæst*. 4. *later*. & *in* 2.*d*.7.*quæst*.*vn*. Fauent. *disputat*.40. & alij Scotistæ, ac Nominales, Gregorius 2. *d*. 7. *quæst*. 5. *artic*.2. Ocham *in* 2. *quæst*. 16. contra secundum dictum primæ opinionis, & *concl*. 6. Gabr. *in* 2. *d*.3. *q*.2. *artic*.3. 1. *p*. *art*. Molina *ad locum cit. D. Thomæ*, Arrubal apud Morandum *tractat*.7. *quæst*.29. qui subscribit.

Assero primò, Angelo circa naturalia discurrere.

Probatvr à Scoto, & Fabro argumento Seraphici. Vbi est cognitio vnius ex alio,tanquam ex causa, ita vt per locum intrinsecum, ignorato primo, ignoretur secundum, ibi est discursus: sed in Angelo est talis modus intelligendi: ergo. Maior patet ex definitione discursus. Minor probatur: quia Angelus, vt deliberet circa aliqua eligenda, debet plura cognoscere; illisque cognitis, illud eligere, quod melius esse cognoscitur. 444

Confirmatur: potest vnus effectus pendere à concursu duarum aliarum causarum, cum vna alia tertia: scit Angelus, cras futuram eclipsum; scit quoque cursum vnius Planetæ cum alio, è quibus duabus causis pendet effectus tempestatis; ita vt cessante alterâ ex illis duabus causis, non sequeretur effectus. Tunc sic; in tali casu eclypsis futura cognoscitur ab Angelo per diuersum actum ab eo, quo intelligitur ille planetarum concursus. Ergo tunc debet habere tertium actum illatiuum, inferendo: *ergo erit pluuia*, neuter enim duorum illorum priorum actuum respicit pluuiam: ergo discurrit. Non tamen hic discursus est per accidens, vt putat Arriaga: nam hoc euenit ex natura rei: in quo ferè decipitur, etiam Molina admittens discursum, per accidens tantùm.

Hæc ratio oppugnata à Caietano, & Bannes *quæst*.58. *art*.3. propugnatur à Fabro. Vasquez respondet, posse euenire, vt vnum post aliud intelligatur, vt si eclypses essent in æternum duraturæ, quia non posset omnes simul percipere; attamen non esse discursum: quia cognitio vnius, non causaretur ab alia. 445

Contra arguit Seraphicus: nam cognitio rei, præ cæteris optimæ, causatur à præcedenti cognitione cæterarum rerum, factâ comparatione cum illis omnibus, ac singulis, in eisque consideratis omnibus perfectionibus essentiæ, & manantium accidentium.

Respondet Valentia, ad discursum non sufficere,

ficere, vt effectus, siue conclusio cognoscatur propter causam; sed requiri, vt, ex causa cognitâ, per vnam cognitionem, cognoscatur effectus per aliam cognitionem; alioqui etiam Deus discurreret, vt cognoscat, effectum esse propter causam.

446 At verò iam S. Doctor ostendit, primam obiecti vnius cognitionem, esse causam alterius.

SVAREZ *num.*26. respondet, posse esse discursum successiuum, quatenus vna res, post aliam cognoscitur; sed non causalem; ita, vt vnius cognitio sit causa cognitionis alterius. Hæc responsio est confutata cum eâ, quam habet Vasquez.

OBIICIVNT primò, Dionysium *cap.*7. *de Diu. nom.* vbi Angeli dicuntur *simplicissimæ intelligentiæ*, & *cap.* 4. vbi dicuntur *specula clarissima*; sed hæc attributa non admittunt discursum, qui fit per compositionem plurium cognitionum, quarum vna ignotior, ex altera notiori infertur: ergo.

Respondet S. Bonau. *distinct.*9. ad litteram Magistri, D. Dionysium solùm indicare perfectionem Angeli, quoad exemptionem à fœcibus, & compositionibus phantasmatum, & quoad deiformitatem ad recipiendas Diuinas illuminationes. Vnde generalissimè non loquitur, vt etiam Suarez aduertit *n.* 27. neque est vllus D. Dionysij textus id probans, vt fatetur Vasquez, *n.6.*

Obiiciunt secundò ex D. Augustino 4. *de Genes. ad litt. c. p.*32. & 34. vbi docet, Angelos habuisse simul cognitionem omnium naturalium: sed in discursu vna cognitio est prior alterâ: ergo.

447 Respondetur eum loqui de cognitione habituali; & quoad actualem; esto fuisset in eodem instanti temporis; tamen non negat, Angelum habuisse in pluribus instantibus naturæ, vnam cognitionem ab alia causaliter.

Suarez *num.*27. & Vasquez *num.*6. respondent ex D. Bonauent. referendo *quæst.*26. eam cognitionem fuisse beatam, quæ est cognitio matutina simplex intuitiua.

Obiiciunt tertiò. In hoc differunt Angeli ab animabus nostris, quod illi sunt intellectuales, idest simpliciter intelligentes: hæ autem rationales discurrentes; alioqui rationalitas non esset vltima differentia hominis. Confirmatur à Tannero ex D. Thoma: nam Angeli eum locum tenent præ animabus, quem corpora cœlestia præ elementaribus: hæc autem est corporum cœlestium præstantia, vt non adipiscantur motu suam vltimam perfectionem; sicuti egent sublunaria. Est D. Bonauent. *loc. cit.*

448 Respondetur, differentiam inter Angelos, & animas esse, quod illi sunt perfectæ substantiæ completæ, independentes à corpore; animæ verò sunt formæ; atque adeò substantiæ imperfectæ, habentes habitudinem essentialem ad corpus, & ab eo pendentes in operatione. Vltima verò perfectio, præ aliis formis, est, vt sit rationalis, idest ratione vtens. Neque verò illa similitudo corporum vrget: nam & corpora cœlestia acquirunt motum nouum. Deinde non est necessaria in omnibus proportio. Ita respondet S. Doct. *loc. cit.* 2. *d.*1. *p.*2. *art.*3. *q.*2. *corp.*

ASSERO secundò, in supernaturalium cognitione multò magis discurrere Angelos. Probatur: quia horum cognitio potest causare alias rerum ignotarum, cognitiones, atque ex aliarum notitiâ causari. Veluti si reuelet Deus, tunc nasciturum Antichristum, cùm aliquis homo tale facinus patrabit: Vel nasciturum, cùm talis homo, talem fœminam de *tribu Dan*, sibi desponsabit. Huius rei sexcenta facilè afferrem exempla; aliqua verò recenset Marcus noster, nobiscum sentiens, *quæst.*52. *art.*2. sed hæc sufficiunt ad rem.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrum ANGELI *intelligant componendo, & diuidendo.*

D. Thom. q. 58. art. 4.

COMPONERE, apud Logicos, est affirmare per compositionem subiecti, & prædicati, vt: *homo est animal*: diuidere verò est, subiectum de prædicato negare, *vt*: *homo non est lapis*: sic docet Aristoteles 1. *Perhier. cap.*1. 449

Certum est, Angelum non componere in cognitione eorum, quæ videt comprehensiuè, neque eorum, quæ vnica specie intelligit. Quæstio autem est: An aliquando, quoad reliquas cognitiones, componat.

PRIMA opinio est negatiua. Ita D. Thom. *hic*, vbi omnes Thomistæ, Caietanus, Bannes, Nazarius, & alij, Ægid. *in* 2. *d.*3. *p.*2. *quæst.*2. *art.*3. Durandus *ibi*, *quæstione* 3. Valentia *disputat.*4. *quæst.*9. *part.*2. Suarez *lib.*2. *cap.*33. Tannerus *disputat.*5. *quæst.*3. *dub.*8. Fuliensis verò *l.*3. *cap.*5. plerumque negat.

SECVNDA sententia est affirmatiua. Sic D. Bonauent. 2. *distinct.*3. *part.*2. *art.* 2. *quæst.*1. vbi docet, Angelum per plures simul compositas species intelligere singularia; & ideò necesse est vt compositione vtatur, quod aduertit Suarez *n.*3. qui licet neget *num.6.* Angelos componere in his, quæ intuitiuè cognoscunt per diuersas species; tamen *num.*17. admittit compositionem in his, quæ intelligunt abstractiuè; non per proprias species quidditatiuas. Idem, quoad hoc secundum, tenet Morandus *tractat.*7. *quæst.*29. asserens eandem compositionem, etiam in cognitione intuitiuâ, per plures species. Hanc sententiam sequuntur Vasquez *disputat.* 213. Arriaga *d.*11. *sect.*7. *num.*34. Molina *ad locum cit.* D. Thomæ, Alarcon. Arrubal. Præpos. & alij apud Morandum. Consentire tenentur Scotus, Faber, & alij, pro nostrâ sententia stantes, *quæst. præcedenti*, ac Marcus noster *quæst.*52. *art.*2. *dub.*1. Addit Morandus, & Alarcon. compositionem virtualem, etiam in visione per eandem speciem. 450

ASSERO primò, Angelos aliquando intelligere componendo, & diuidendo. 451

PROBATVR à D. Bonauent. *in* 3. *distinct.* 14. *art.*3. *quæst.* 2. *ad vltim.* & *in* 2. *citato loco*, *argumentis ad oppositum addita solutione*, ratione, qua vtuntur Molina, Vasquez, Arriaga, ac Suarez *num.*17. & 18. Quandocunque aliquis debet cognoscere extrema alicuius propositionis, & non potest per eandem cognitionem vtrumque extremum percipere, necessariò componit: sed sic se habet Angelus in sua cognitione: ergo. Minor probatur à S. Doctore: quia, si de eodem subiecto, v. g. Petro, vult intelligere essentiam, & aliquod futurum contingens, siue etiam gratiam, siue gloriam, non potest per eandem cognitionem intelligere omnia, v. g. Petrus, talis homo, negabit Christum, resipiscet, confirmabitur in gratia, & saluabitur. Esto enim per speciem hominis posset percipere hoc indiuiduum (quod tamen suprà repuli) tamen non posset per speciem naturæ

naturæ expressiuam præuidere Petri casum, pœnitentiam, & salutem; alioqui naturaliter præuideret omnia futura libera, quod explosum est, *quæstione decimâ.*

Respondent Thomistæ, Nazarius, Bannes, & Zumellus, per eandem cognitionem intelligere vtrumque, & per eandem speciem naturalem, quæ, addito lumine supernaturali, fit supernaturalis. Addunt, eandem esse posse cognitionem abstractiuam, & intuitiuam.

452 Contra arguit S. Bonauent. Angelus per vos cognosceret hæc omnia per speciem antiquam, illuminatam lumine supernaturali: at lumen supernaturale non addit speciei illi expressionem nouam; sed illuminationem tantùm: atqui species antiqua non repræsentat Petrum negaturum, &c. Quod verò addunt, falsum est: nam hæ duæ cognitionum species, oppositis differentiis diuiduntur; atque adeò nequeunt in eandem conuenire. Argumenta aduersa soluta iacent, *quæstione præcedenti.*

Dices cum D. Thom. indigna est compositio intellectu Angelico, qui est lumen.

Respondetur ex D. Bonau. suprà, non esse Angelos lumina infinita; sed limitata ad aliqua; Ideò non repugnare quædam per discursum percipi, & per compositionem.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum Angeli *decipi queant.*

D.Bonau.d.7. p.1.q.1.
D. Thom. q.58. art.5.

Cvm nostra quæstio sit de Angelis in esse naturæ consideratis; & quoad naturalia dæmones sint integri, vt notat S.Doct. *fundamento* 2. ex D. Dionysio *cap.4. de Diuinis Nominibus.* Ideò Seraphicus instituit de dæmonibus quæstionem.

Assero primò, Angelos non posse circa naturalia speculatiuo iudicio decipi.

453 Probatur à D.Thoma ex modo, quo Angelus intelligit; scilicet simplici apprehensione; non verò semper compositione: ideò quidditates rerum vel omninò ignorat, vel integrè percipit, vt habetur 9. *Metaph. text.*22. sic putat Valentia *disput.*4. *quæst.*9. *p.*4. Doct. Angelicum arguere.

Hanc verò rationem sic eludit, quia etiam in simplici cognitione, in qua est iudicium latum, quid conueniat subiecto, inuenitur veritas, & falsitas; alioqui Deus, qui omnia simplicissimo intuitu videt, non haberet veritatem in iudicando. Quod si in intuitu simplici est veritas; erit & falsitas; quia opposita sunt circa idem.

454 At D. Thomas videtur potiùs arguere è rebus cognitis, quæ sunt sicut numeri: & ideò cùm sint finitæ indiuisibiles, vel totæ videntur, vel neutiquam: Id obseruant Suarez *lib.*2.*cap.*39.*n.*3. Vasq. *ad hunc articulum*, Tanner. *disp.*5. *q.*3.*dub.*8.*n.*31.

Et quidem circa apprehensionem simplicem esse veritatem, & falsitatem, docere fertur S.Bonau. *d.*3.*q.*1.*ad* 4. Scot.6. *Metap. q.*3. & multi Thomistæ, ac Iesuitæ; inter quos latè Suar. *hic*, & *Metaph. d.*8.*sect.*3. Ratio est, quam affert Suar. *hic* ex Seraphico; *loco cit.* quia simplici intuitu potest cognosci res esse talis, vel talis, non minùs, quàm si pluribus conceptibus cognosceretur componendo, vt patet in Dei cognitione. Quod si Aristot. oppositum videtur dicere 9. *Metaph.c.*12.& 3.*de anima, textu* 21.

Respondet Trig.è D.Bonau. *in* 1.*d.*46 *q.*4. eum loqui de veritate complexâ, quæ in solo iudicio inuenitur; vel loqui de modo ordinario humanæ apprehensionis. 455

Idem videtur S.Doct. *d.*41. *duabus vltimis quæstionibus*, vbi eandem rationem affert, quem ita exponit Trigosius, *quæst.*14. in textu exponendo. Sed hoc discutiam *tract.*9.*d.*9.*c.*4.*sect.*6.*q.*3.

Ratio ergo S.Bon. *ad septimum*, est, quam amplectitur Valentia; quia ab initio Deus dedit Angelo lumen præclarum, & species præstãtissimas, in quibus omnia naturalia videret. Communiter enim in nobis deceptio venit ex defectu specierum: at Deus non abstulit ab eis species, vel lumen naturale, vt probat S.Doct. ex D.Dionys. *c.*4. *de diuinis nominib.*

Confirmatur secundò à D.Bonau. *ad* 3. ratione, quâ vtitur Valentia *disp.*4. *q.*15. *p.*1. quia id competit perfectioni eorum naturali, vt sint lumina vt docet D.Dionysius citatus *q.*13. & 14. Confirmatur à S. Doctore *fundamento* 3. ex D. Isidoro, *lib.*1.*de summo bono*, *c.*12. 456

Assero secundò, Angelos per accidens falli ex præsumptione.

Probatur à D.Bonau. ratione, qua nititur Suarez *n.*4. Vasq. *ad art. D.Thom.* Sicut se habet voluntas ad bonum; ita intellectus ad verum: & in multis intellectus ad verum, se habet fœderatus cum voluntate: sicut ergo intellectus obcæcatus ducit voluntatem in foueam; ita voluntas deprauata trahit intellectum ad falsum. Cùm ergo voluntas in dæmone sit maximè temerata, trahit iudicium ad temerè asserenda libera futura, & supernaturalia. Hæc ratio ostendit intentum, quoad iudicium speculatiuum. Confirmatur à S.Bonauent. *arg.*2. ex D. Dionysio *cap.*4. *de diu. nom.* circa medium, vbi ait: *In dæmonibus est furor irrationalis, amens concupiscentia, phantasia proterua.* Sumitur verò phantasia, non pro sensitiua potentia, sed vt dicitur à *phanos*, idest *apparitio.* Vnde Sophistæ, phantastici dicuntur. In hoc igitur phantastici sunt proterui, quia non subduntur primæ veritati; sed eam impugnant, vt discurrit S.Bonau. *hic*, & D.Thom. *ad primum.* 457

Quoad iudicium verò practicum, existimat Seraphicus, esse subuersum, quia pendet omninò à libero arbitrio; imò est pars liberi arbitrij, (vt ait S. Doctor secundùm multos) quod in dæmonibus est deprauatum, & hoc vult D.Dionysius suprà, dicens, eos habere concupiscentiam amentem, vt notat S. Bonau. *in corpore*; quia dæmones carent sapientia, quæ est donum septimum, & septima dies illa quæ tenebras non nouit, nec ingreditur in maleuolam animam, vt latè prosequitur S. Doct. *de Dono sapientiæ* per decem capita, in quibus multa habes eruditionem, & pietatem redolentia. Hac ratione vtitur Valentia *disp.*4. *q.*15. *puncto* 1. 458

Probatur à D. Bonau. etiam *fundamento vltimo.* Peccatum non est contra actum; sed contra ordinem actus: ergo non est contra cognitionem simpliciter, sed contra cognitionem ordinatam in finem: cùm ergo cognitio practica sit cognitio ordinata in finem; sicut è contrà, speculatiua non est cognitio ordinata in finem; sequitur, hanc non amisisse; sed illam; tametsi ex præsumptione fallantur dæmones in iudicando, vt ait Seraphicus in fine at verò Angeli boni non decipiuntur, quia non inferunt, nisi eas consequentias, quas possunt inferre; & in probabilibus probabile est eos suspendere iudicium, donec veritas eluceat, vt docet D.Augustinus 9. *de ciu. cap.*22. & cum eo D.Bonauent. 458

uent. quos sequuntur Suarez *lib. 2. cap. 32. & 39.* Morandus *tractat. 7. quæst. 29. num. 745.* Valentia *quæst. 9. punct. 4.* Caietanus, Bannes, Zumellus, Vasquez, Molina *ad locum cit. D. Thomæ*, Tannerus *disp. 5. q. 3. dub. 8. n. 30.*

QVÆSTIO XXVI.

Vtrum in ANGELIS *sit cognitio naturalis matutina, & Vespertina.*

D. Bonau. d. 4. quæst. penult. & vlt.
D. Thom. quæst. 18. art. 6. & 7.

HÆc doctrina oritur à D. Augustino, *qui super Genes. ad lit.* docet, illos dies memoratos *Genes. 1.* non fuisse temporarios per gyrum diurnum solis, quia is vsque ad quartam diem non eluxit; sed esse computandos cum mentibus Angelorum, in quibus ea, quæ creata sunt intelligebantur; & sic vespere, & mane, duas cognitiones distingui in eis, alteram *matutinam*: alteram *vespertinam*: quam diuisionem variè Theologi accipiunt: & eò magis distrahuntur, quia S. ipse August. *in libris de ciuitate Dei* visus est à seipso dissentiens.

460 CERTVM est autem, cognitionem propriè matutinam esse in visione clara Dei, vt aduertit S. Bonauent. *in corpore, & fundamentis, & ad argumenta in fine*, & post eum Suarez *de operibus sex dierum, lib. 1. cap. 11.* Valentia *disp. 4. q. 9. puncto 5.* Tannerus & Vasquez relati *tract. 1. citando.*

Id vero docet D. August. 4. *super Genes. ad litt. cap. 22. & sequentibus*; & *lib. 11. de ciuitate, cap. 3. 15. & 29.* & *lib. 65. qq. q. 26.*

Et quidem *tract. 1. disp. 11. q. 23.* ostendi, hanc esse cognitionem creaturarum formaliter in Verbo quæ est eadem cum visione beatificâ, quod præclaris testimoniis S. Augustini ostendi.

EST autem controuersia: An per cognitionem matutinã intelligatur sola cognitio clara in Verbo.

461 PRIMÒ quidem Scotus *in 2. d. 3. q. 9.* aliàs *q. 4. secunda partis distinctionis* §. *Ad quæstionem*, dixit Angelos habuisse cognitionem quandam abstractiuam essentiæ Dei per propriam eius speciem quidditatiuam, & hanc dicit fuisse cognitionem matutinam in via. Probatur à Scoto; quia Angeli in primo instanti habuêre cognitionem Vespertinam: ergo & matutinam, quæ est ante vespertinam; sicuti mane est ante vesperam. Hoc in via D. Augustini sentiendum, ait.

SECVNDÒ, Ægid. *2. d. 13. q. 1. art. 3. dub. 3. litt.* dicit, Angelum habuisse primò cognitionem vespertinam, quæ est rerum in seipsis; hanc verò in mane transire, cùm illa cognitio ad laudem Dei refertur, cùm verò res in Verbo videntur, ait fieri diem, & eam cognitionem dici meridianam. Id videtur ad mentem D. Augustini suprà; sed tamen re verâ, matutinam, & meridianam, cognitionem vnam constituit S. Pater. Id ferè sentit cum Ægidio Albertus *2. p. summæ tract. 4. q. 14. memb. 3. art. 2. in corpore*, & *quæst. incidenti.*

462 TERTIÒ D. Thomas *hic*, & Caietanus *in comment.* docet, vespertinam cognitionem esse beati cognoscentis res in propriis generibus: matutinam verò esse rerum in Verbo. Idem sentit Alensis *2. p. q. 23. memb. 1. & 6.* Neque verò existimat S. Thomas, cognitionem matutinam esse solùm rerum, secundùm esse earum eminens in Deo, vt putat Vasquez, sed etiam secundùm earum genera, vt exponunt recentiores Thomistæ, atque Suarez *lib. 1. de operibus sex dierum, cap. 11.* & nos sustinuimus *tract. 1. disp. 11. quæst. 23.*

ATTAMEN D. Thomas *quæst. 62. art. 1. ad 3.* concedit etiam aliquam cognitionem matutinam in viatoribus Angelis, quâ res in Verbo, naturali cognitione, cognouerunt, quatenus ex seipsis, veluti ex effectu, & specie quadam, Deum ipsum nouerunt, & in ipso cæteras creaturas.

ATQVE hæc est sententia D. Bonauent. aperta, 463
qui videns D. Augustinum aliquando vocare cognitionem matutinam in Verbo beatam: aliquando extra Verbum, ne in tanto viro admitteretur implicantia, maximè in his, quæ non retractauit, explicat matutinam propriam esse in Verbo; impropriam verò in via, quam *in libris de Genes. ponit.* Et addit, standum magis dictis *in libris de ciuitate Dei*, vbi assertiuè docet, quàm *libris de Genes.* vbi subdubitando inquirit. Et ideò, propriam matutinam esse beatam in Verbo. Neque sancti Doctores ad fugiendas difficultates id proprio marte excogitarunt, vt putat Suarez ad argumenta declinanda. Quare neque rectè Vasquez, in classe distinctâ, Seraphicum enumerat; vt ostendi etiam *tract. 1. citato.*

Eandem distinctionem cognitionis matutinæ 464
refert Carthusianus *2. distinct. 4. quæst. vltim.* ex Tarantasia; quem sequitur etiam Molonius *2. distinct. 3. disputat. 18. sect. 1.* & *sect. 2.* refert, atque refellit decem modos alios exponendi hanc distinctionem: ipse verò concludit, cognitionem naturalem Angeli dici *vespertinam*: at verò, vt consurgit in laudem Dei, ex addito lumine supernaturali, dici *matutinam*, quod innuit S. Bonauent. *quæst. vltima.*

VASQVEZ verò, ab omnibus ferè diuersus, dicit, vtramque cognitionem solum in Angelis beatis esse, non in viatoribus, & quidem matutinam esse in Verbo, quâ res cognoscunt eminenter, non formaliter: vespertinam verò esse cognitionem formalitatum, secundùm proprias earum naturas. Et quidem quoad hoc, reieci eius sententiam, *tract. 1. disputat. 11. quæst. 23.* vbi ostendi, res formaliter in Verbo lucêre, cum D. Bonau. quem sequuntur Thomistæ cum suo Magistro, præcipuè Caietanus.

ASSERO primò, non dari speciem illam Scoticam, vt ostendi *tract. 1. disput. 11. quæst. 8. & 23.* Profectò in via D. Augustini noua est, vt aduertit Suarez *num. 3.*

ASSERO secundò, neque addendam matutinæ 465
meridianam, quasi distinctam, vt notat Alensis suprà: nam matutinam vocat S. August. etiam diurnam, *lib. 4. de Genes. cap. 23.* neque potest dari alia clarior, quàm matutina in Verbo, vt aduertit Alensis suprà D. Bonauent. *quæst. vltim.* Suarez *num. 7.* Id verò probat Seraphicus ex D. Augustino *lib. 4. Genes. cap. 18.* vbi ait: *Simul habent dies vespere, & mane. Quo fit, vt dies tota mane, & vesperâ compleatur.* Addit verò in fine S. Bonauent. solam illam cognitionem esse meridiem, quæ est Dei comprehensiua, cum qua comparata cognitio omnis creaturæ est decolorata.

ASSERO tertiò, dari apud D. Augustinum co- 465
gnitionem matutinam in via Angelorum ex lumine superna. Eam tamen non astrui assertiuè à D. Augustino aduertit Seraphicus. Hanc verò probat S. Doctor ex locis super *Genes. lib. 4.* S. Augustini,

PRIMÒ

PRIMÒ quidem, *cap.24.* ait: *Sancti Angeli vniuersam creaturam priùs in Verbo Dei nouerunt, eam referentes ad illius laudem, in qua veritate dies est. Nam si vel ad seipsam natura Angelica conuerteretur, intumescens superbiâ caderet, sicut Diabolus.* Igitur admittit scientiam hanc in Angelis, dum in via poterant cadere, & omnes erant æquales in statu, vt docet ibi Augustinus, & Magister *d.4.* Hanc authoritatem desumpsit Scotus *2.dist. .q.10.* Faber *disp.25.n.38.*

467 DEINDE idipsum habet S. Augustinus *cap.22. 23. 30 & 34.* vbi docet, omnes Angelos fuisse creatos in cognitione matutinâ, cui applicat illud *mane*, sex dierum creationis. Et hæc authoritas mouit etiam D. Thomam *quæst.62. art.1. ad 3* vbi cum arguisset. Si omnes creati sunt in cognitione matutinâ: & hæc est beata in Verbo; sequitur, omnes esse creatos in beatitudine. Respondet autem, hanc non fuisse propriè matutinam. Hâc authoritate nititur Valentia *disp.4. q.9. p.5.* vbi sequitur opinionem D. Bonauent. quam ait esse etiam D. Thomæ.

IDEM colligit Seraphicus *ex lib.65. qq. ad Orosium, quæst.26.* Neque dicant, hoc opus non esse D. Augustini: nam idipsum tefricat *lib.4. de Gen.s. ad litt. cap.22. & 23.*& *lib.11. de ciu. cap.7.* nempè eam cognitionem diei matutinam, cum ad laudem Conditoris refertur. Profectò supponit, posse non referri, atque adeo esse in via, vbi potest esse defectus, vt obseruat cum D. Bonauent. Malonius,

468 & alij. Quod autem vespertinæ cognitioni relatæ in Deum non succefferit matutina beata, in sententia D. Augustini *lib. illo de Genes.* patet: nam post vnam cognitionem matutinam, v. g. primæ diei, in qua laudatus est Creator; rursus ponit, fuisse eandem rationem de aliis diebus, v. g. de cognitione firmamenti vespertinâ, quæ transiit in matutinam; & deinde de cognitione germinum, &c. atque de cæteris sequentibus, in quibus rursus est vespera, & potuisset esse nox, nisi ad laudem Dei referretur: at matutina fuit, quia in Dei laudem relata. In quo deceptus est Suarez. Igitur cognitioni vespertinæ relatæ in Deum successit pro singulis diebus lucidior matutina in via per maiores illuminationes: & sic factum est semper nouum *mane.* Hanc verò cognitionem matutinam non rectè Malonius admittit absolutè, iuxta D. Augustini sententiam absolutam, quæ habetur *in libris de ciuitate Dei*, etiam in dæmonum via, vt obseruat S. Bonauent. *quæst. penult. in corpore*: nam dies illos resoluit in cognitionem matutinam beatam, dicens: *Cognitio quippè creaturæ in seipsa decoloratior est, vt ita dicam, quam cùm in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte, qua facta est.* Sic *lib.2. de ciuit.cap.7.* His verò libris de ciuitate standum admonet S. Doctor, vbi cognitio matutina asseritur beata.

469 Quæ cum ita à D. Bonauent. asserantur; non rectè Suarez *num.4.* & Vasq. suprà *num.2.* dicunt, Bonauenturam ponere duas proprias, vtique cognitiones matutinas: nam laxis fibris solam beatam propriè agnoscit matutinam? Idem docet *2. p. Breuil. cap.8.* Eam verò, quam ponit matutinam impropriam, ne D. Augustinus implicantiæ arguatur, non ponit in fidei lumine, vt putat Suarez, neque eam merè naturalem ponit ex eo, quòd materialiter illam remansisse concedat in dæmonibus; sed eam esse supernaturalem, quoad claritatem, atque adeo ablato eo lumine obscuram, asserit. Potuit ergo esse naturalis, quoad materialia cognita: at lumine supernaturali perfusa, & clarificata. Et talis profectò censetur à D. Augustino, qui huius scientiæ obiectum assignat creaturas ab initio conditas. Quid ergo mirum, si obiecta adhuc nota 470 sint? sed non ea claritate supernaturali perfusa, quâ in laudem, & amorem Dei referatur; vt concedit Suarez *num.6.* Ideò ineptè rursus Suarez carpit Seraphicum, eo quod cognitionem matutinam, quæ supernaturalis esse debet, concedat in dæmonibus, omni dono priuatis, materialiter manere.

DICO enim Seraphicum non asserere in dæmonibus cognitionem matutinam, vt constat *ex quæst. penult. in corpore*, vbi negat esse dicendam matutinam; tametsi de cognitionis matutinæ obiecto sit, quod idem est, ac obiectum vespertinæ, vt claret ex D. Augustino, qui vtramque circa creaturas initio conditas versari constanter repetit non tarò, tam *super Genes.* quàm *in libris de ciuitate Dei.*

Ex dictis habes, cognitionem vespertinam quoque apud D. Augustinum, & D. Bonauenturam, esse duplicem respondentem matutinæ. Altera est viæ; de qua S. Augustinus *super Genes.* & hæc relata in Deum illustrationem maiorem accipiebat, vt fieret *mane.* Hæc, vt dixi, æquè ac matutina, respicit creaturas in seipsis.

ALTERA verò vespertina in beatis est, quâ vident creaturas in eas respiciendo, quæ semper refertur in Deum; est tamen decoloratior, quàm matutina. Et de hac S. August. 11. de ciuit. cap.7. 471
Fit tamen vespera diei huius: quoniam scientia creaturæ in comparatione scientiæ Creatoris quodammodo vesperascit. Itemque lucescit, & mane fit, cùm & ipsa refertur ad laudem, dilectionemque Creatoris. Nec in noctem vergitur, vbi non Creator creaturæ dilectione relinquitur. Et subdit: *Cognitio quippè creaturæ in seipsa decoloratior est, vt ita dicam, quàm cùm in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte, qua facta est.*

Ex his habes, cognitionem matutinam esse vespertina priorem dignitate, seu excellentiâ, ita D. 472 Bonauent.*quæst.vlt.in corpore*,vbi id probat ex allegatis verbis D.Augustini.

AN verò sit prior etiam naturâ, vel tempore, controuersia viget. Et quidem vespertina, & matutina in patria sunt simul duratione, quod probat S.Doct.*quæst.vlt.in corpore*, ex D.August.4.*de Genes. cap.32.& 34.* & *lib. cit.de ciuitate.*

SCOTVS verò, vt suam opinionem tueatur, ex 473 primo allegatis locis,deducere conatur prioritatem naturæ, seu causalitatis, ita vt ex matutinâ sequatur vespertina. Iam verò cùm vtraque simul tempore sit, non potest illa matutina in sensu Scoti esse beata, quia fuit simul cum vespertina, quam habuit Angelus in via.

ENIM verò luce clariùs nitet, illam cognitionem matutinam, apud D. Augustinum fuisse beatam, vt notat Suarez *num.23.*ex D.Bonauent.*quæst. penult.* nam illis locis docet, eam lucem, quæ facit cognitionem matutinam,esse illius supernæ Hierusalem in spiritibus beatis, quibus & nos sociabimur post hanc peregrinationem. Idem obseruant Tannerus *num.7.* Vasq.*cap.2.*

Igitur vtraque cognitio matutina, viæ, & pa- 474 triæ, nobilitate est prior vespertinâ; de quo genere prioritatis agit Aristoteles *cap. de priori*; sed vespertina viæ fuit prior, quàm matutina, saltem naturâ, per eam enim relatam in Deum, mane eluxit clarioris lucis, vt docet D. August. 4. *Genes. cap.22.*

cap.22. At verò, quòd matutina sit prior, docet cap.30. 32. 34. Vult igitur ibi, matutinam non solùm dignitate, & causalitate esse priorem matutinâ viæ; sed etiam vespertinâ patriæ; vt exponit S. Bonauentura.

Enim verò oportet adnotare, in serie dierum, vespertinam primæ diei, esse priorem matutinâ eius diei (cognitionem lucis scilicet): at cognitio sequentis firmamenti operis matutina fuit ante vespertinam cognitionem germinum. Ideò dicitur: *Vespere, & mane dies vna: Vespere, & mane dies secunda*; & sic de reliquis.

475 Hæc verò antecessio apud D. Augustinum non est durationis; sed naturæ, propterea enim negat successionem durationis in diebus; atque adeò si vna est tantùm matutina (vt dicunt Vasquez, & alij) atque vespertina; prior fuit naturâ, estque terminata in beatam per relationem in Deum; iam sequetur, Angelos sanctos eodem instanti temporis meruisse, & glorificatos, quæ est opinio D. Bonauent. probanda *disputat.6. quæst.2.* Quod Suarez *num.*28. persensit; ideò cognitionem illam vespertinam, tempore priorem asseuerat. Illa fuit sententia D. Augustinini *loco adducto de ciuitate*, vt notat Seraphicus *in corpore*, ac propterea sententiam illam de merito, & præmio simultaneo Angelorum, *ibi* S. Doctor probabilem censent; non certam. Probabilitatem verò obtinet ea sententia è D. Augustino *de Genes. ad litt. lib. 4. cap.32. & 34.* vbi astruit, illas cognitiones fuisse, vt dixi, simul tempore, quod insinuatat *cap.* 30. vt fatetur Suarez *num.*22.

476 Probatur: nam ibi S. August. agit de operibus sex dierum, prout fiebant in mente Angeli; in qua dicit, impressa fuisse antequam fierent ab initio. Deinde, cùm dixisset *cap.* 30. eas cognitiones in patria simul esse: mox *cap.*31. inquirit: An & initio ita fuerit. Et *cap.*32. An etiam tunc simul omnia fuerint, non secundùm temporum moras; sed secundùm potentiam spiritualem mentis Angelicæ, cuncta, quæ voluerit simul, notitiâ facillimâ comprehendentem. Hæc authoritas discussa est *quæst.*22.

Rursus, *cap.*34. idipsum probat. Si enim oculi acies corporei, vno ictu cœlum, terram, & Maria intuetur; quantò magis intellectus humanus; & multò magis Angelicus?

477 Tandem in patria, vbi obiectum primarium essentiale beatitudinis est Deus, prior est cognitio rerum matutina, quæ respicit res in Verbo, vt obiectum Diuinæ potentiæ, & voluntatis, vt est speculum voluntarium; vt sæpè refricat S. Bonauent. cum PP. Ambrosio, & Augustino apud Morandum *tractat.2. num.* 254. Vespertina verò respicit creaturas extra Verbum, vt sunt accidentale obiectum: substantialia autem, priora sunt accidentalibus, quippè magis intrinseca, & principia, ac sustentacula accidentium.

QVÆSTIO XXVII.

An possit Angelvs *acquirere habitus naturales.*

D.Thom.q.58.art.1.

Prima opinio est, ab Angelis non acquiri habitus ordinis naturalis cognoscitiuos. Ità D. Thomas *quæst.*58. *art.*1. vbi omnes Thomistæ. Caietanus *prima secunda*, *quæst.* 54. *art.* 4. & *quæst.*63. *art.*1. Multi alij ibidem, *quæst.*58. Vasquez *disput.*219. *cap.*2. & *disput.* 43. *cap.*7. *& prima secunda*, *disput.*78. *cap.*3. & 4. Fonseca, 9. *Metaph. cap.*2. *quæst.*2. *sect.*1. Ferrar. *primo contra Gentes*, *cap.* 56. eamque communem vocat Suarez *hic*, *lib.*2. *cap.*38. *num.*5. Scotus 2.*dist.*3. *quæst.*11.§.*Contra istam.* Durandus 3.*dist.*23. *quæst.*1. *ad primum.* Mayro 3.*dist.*33. *quæst.*1.*art.*5. Tanner. *disp.*5. *q.*3. *dub.*8.*num.*28.

Secvnda sententia est absolutè assertiua. Sic Henricus *quodl.*5. *quæst.* 14. Medina *prima secunda*, *quæst.*51.*art.*1. & *quæst.*54.*art.*4. Molina *quæst.*58. *art.*1.

Tertia sententia media est, negans in Angelo habitus, respectu eorum obiectorum, quæ ipse naturali cognitione euidenter nouit; sed tantùm circa ea, quæ scit probabiliter per fidem, vel opinionem naturalem. Ità Suarez *in Metaph. disput.*35. *sect.*4. *numero* 23. *&* 24. & *disput.*44. *sect.*3. *numero* 8. & *hic*, *lib.*2. *cap.*38. *à numero* 8. allegans multos ex antiquis: è recentioribus quoque multos Thomistas, Bannem, Pesantium, Zumellum: atque è Scotistis Hexeram 2. *dist.*12. *quæst.*1. *notab.*1. Consentiunt Præpositus, *quæst.*58. *art.*1. Alarconius *disp.* 3. *cap.*13. Morandus *tract.*7. *quæst.*29. *in fine*; *quæst. verò* 32. excludit alios, qui circa corpus versantur.

Qvoad D. Bonauenturam, arbitror cum secunda sententia stare, non tamen omninò; sed ad tertiam paululum declinare. Nam *distinct.*3. *part.*2. *art.*2. *q.*1. *ad primum*, docet, nouas ab Angelo posse accipi cognitiones per combinationes specierum, secundùm varias habitudines, atque ita multa eos didicisse, tum ex propriâ industriâ; tum experientiâ. 478

Assero, posse Angelos acquirere habitus aliquos.

Probatvr argumento D. Bonauent. Si potest Angelus acquirere nouam cognitionem, ex qua reddatur facilis ad actus; habitum acquirit; sed potest id Angelo accidere: ergo. Maior probatur ex definitione talis habitus, qui est qualitas reddens facilem ad operandum, difficile mobilis à subiecto. Minor probatur à D. Bonauent. nam acquirit nouam combinationem specierum, quibus obiecta speculatiua, & practica demonstrentur; atque adeò redditur facilis ad ea, atque similia cognoscenda, cùm anteà non esset ad ea in actu primo. Porrò ex combinationes specierum sunt fixæ, vt ostendimus *quæst.*12. vbi vidimus, non esse Angelum ad ea in actu primo constitutum, cuius oppositum in D. Thoma confutauimus, qui hoc fundamento; vt ait Tannerus, primam sententiam asserit in hac quæstione. Ex quo mirum est, Scotum tenentem, nouas species ab Angelo acquiri, quibus constituatur in actu primo; nunc eum D. Thoma negare, habitus acquiri ab Angelo. 479 480

Tannerus ait, rationes nostras nullius esse momenti; sed non probat.

DISPVTA

DISPVTATIO III.

De Voluntate Angelorum.

VOLVNTAS est potentia sequens Intellectum. Ideò de illa post disputationem Intellectûs agam.

QVÆSTIO I.

An sit in ANGELIS *Voluntas.*

{ D.Thom.q.59.art.1.

1 ASSERO, in Angelis esse Voluntatem.

ET quidem suppositis dictis, Angelum esse intellectiuum; sequitur etiam, ipsum habere voluntatem, seu appetitum tendendi in bonum cognitum; vt notat S.Bonauent. 2. *distinctione* 25. *part.*1. *quæst.*1. *in corpore*, Valentia *disputat.*4. *quæstione* 10.*punc.*1. Tannerus *disputat.*5.*quæst.*4.*dub.*1. & alij omnes cum D.Thom. Quòd verò addit Arriaga *disputat.*14. Voluntatem in Angelis ponendam, non quia spiritus sunt, sed quia tales; vel nil addit; vel si addit, petit principium, idem enim est ac dicere: Angelus est volitiuus, quia est talis naturæ volitiuæ; non quia talis spiritus intellectiuus. Et hoc magis videtur sentire Arriaga, qui credit ex intellectuali naturâ non sequi volitiuam: putat enim posse esse spiritum intellectiuum; non volitiuum, vt dixi *tractat.* 1. *disput.*16. *quæst.*1.

2 PROBATVR igitur à D. Bonauent. Vbi est inclinatio ad bonum vniuersale; ibi est voluntas, quæ sit potentia superior sensibili, quæ inclinatur solùm ad bonum particulare vtile, seu ad finem conferens, aut delectabile sensibile. Sed in Angelis est appetitus ad bonum vniuersale: ergo. Maior probatur è præcellentia vnius potentiæ super aliam in creaturis. Deinde potentiæ per actus; & actus, per obiecta cognoscuntur. Ergo nobilius obiectum est nobilioris potentiæ. Minor probatur. Vbi est appetitus boni honesti, ibi est appetitus boni vniuersalis: sed in Angelis est appetitus boni honesti: ergo est appetitus boni vniuersalis. Maior est certa; nam bonum honestum est, ad quod omnia reducuntur. Minor probatur; nam Angeli ex huiusmodi boni appetitu sancti fuere; dæmones autem ex appetitu apparentis boni, cùm possent verum bonum appetere, sunt deprauati, vt infrà è scripturis constabit: Ex quo fit, assertionem esse de fide, vt aduertit cum D.Bonau. *dist.*3. *p.*2.*art.*1. Tannerus suprà.

3 DEINDE probatur illa minor; quia appetitus boni honesti est à dictamine intellectûs, qui bonum omne considerat, cùm eius obiectum sit ens in tota latitudine. Igitur respicit bonum vtile, delectabile, & honestum, in quæ diuiditur adæquatè bonum vniuersale. Hac ratione vtitur quoque Suarez *lib.*3.*cap.*1.

QVÆSTIO II.

An in ANGELIS *sit Irascibilis, & Concupiscibilis.*

{ D.Thom.quæst.59. art.4.

DIVVS THOMAS videtur negare in Angelis non modò Irascibilem, & Concupiscibilem appetitus sensitiui; sed etiam absolutè, ita vt solùm metaphoricè de illis dicantur, vt patet *ad* 1. Tametsi Vasquez *ad art. cit. D. Thoma*, Suarez *lib.*3. *cap.*1. Tanner. *disputat.*5. *quæst.*4. *dub.*1. Morandus *tractat.*7. *quæst.*32. & Thomistæ aliqui explicent Angelicum, non negare veros actus Concupiscibilis, & Irascibilis; sed solùm distinctas potentias. Et hoc idem supponere videtur Molina *articulo citato.*

ASSERENDVM, in Angelis esse facultatem Concupiscibilem, & Irascibilem.

PROBATVR à D. Bonau. 2. *distinctione* 7. *art.*2. 4 *quæst.* 2. *argum.* 4. *addito responso*, ex D.Dionysio *cap.*4. *de diu. nom.* vbi ait: *In dæmonibus est concupiscentia amens, phantasia proterua.* Neque satisfacit D. Thomas dicens, ea esse metaphoricè sumenda, sicut in Deo: nam in Angelis sunt veri actus Concupiscibilis: Desiderium, Concupiscentia, Delectatio immoderata; vt patet in dæmonibus; nam immoderatè seipsos amant, vt ait D. August. 14. *de ciuitate, cap. vltim.* desiderant peccare; delectantur in perditione hominum, vt Scripturæ, & Patres testantur.

Similiter habent actus Irascibilis, qui quidem sunt, SPES, DESPERATIO, AVDACIA, TIMOR, IRA. Spes enim fuit in bonis. Desperatio est in dæmonibus. Audacia tentando Christum. Ira, quæ est appetitus iustæ vindictæ, fuit in Angelis bonis, vt dicitur in *Ezechiele*, *& in Apocal.* & hæc ad iustitiam pertinet; vt docet D. August. 14. *de ciu. cap.*15. & *lib.*2. *confessionum*, *cap.* 6. Ira verò, quæ appetitus est iniquæ vindictæ, asseritur in Apoc. 12. *Descendit ad vos diabolus habens iram magnam.* Sic cum D.Bonauent. arguit Suarez *à num.*5.

POTVISSET D. Thom. responsum roborare 5 aduertendo; S. Dionysium adscribere Angelo, eadem ratione, etiam phantasiam; sed statim occurrit Seraphicus monens, phantasiam sæpè pro apparentia sumi à *phanos*, quod sonat *apparitionem*: hæc autem diabolo adscribitur proterua, quippè qui decipiendis hominibus multùm insudat.

ASSERIT verò S.Doctor *in* 2. *distinct.*24.*part.*1. *art.*2. *q.*1. *in corpore*, has esse vnius potentiæ duas vires; non autem duas potentias in voluntate nostrâ, versantur etenim circa idem obiectum perfectum: nam ad perfectionem actus appetitiui pertinet acquirere bonum, & conseruare. Iam verò Concupiscibilis acquirit; Irascibilis conseruat, insurgens in malum rapax: dat exemplum securis, quæ cùm necessaria sit ad scindendum, & obtundendum, ex vna parte aciem: ex altera veluti malleum præferr. Cum Seraphico est Scotus 3.*dist.*26. Suarez *num.*8. & alij ex allegatis suprà.

PROBATVR à Morando ex Molina: quia potentiæ, in inferioribus diuisæ, vniuntur in superioribus. At etiam in nobis esse vnam potentiam, etiam in sensitiua, ostendam *tract.*9.*d.*7.*q.*1. 6

QVÆSTIO III.

Vtrum Voluntas in ANGELIS *differat ab intellectu.*

{ D. Thom. quæst. 59. art. 1.

HÆc quæstio communis est etiam animæ; de qua S. Doct. *in 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 1.* & *in 1. dist. 3. part. 2. art. 2. quæst. 3.* quam latiùs discutiam *tract. 9. disp. 2. quæst. 1. & sequenti.*

ASSERO primò, in Angelis non esse omninò idem, essentiam, & potentias.

7 PROBATVR à D. Bonauent. *loco cit.* ex D. Dionysio *de cœlesti hier. c. 11.* vbi ait: *In quolibet creato differunt Substantia, Virtus, & Operatio.*

ASSERO secundò potentias Angeli non esse tamen accidentia.

PROBATVR à Seraphico ex D. Augustino 10. *de Trin. cap. 11.* vbi ait: *Hac tria, Memoria, Intelligentia, & Voluntas, sunt vna mens, vna vita, vna essentia, ac per hoc vna substantia.* Et si de anima id verum est; multò magis de Angelo affirmabitur, in quo perfectiones inferiorum debent magis vniri.

ASSERO tertiò, Intellectum, & Voluntatem, non esse omninò idem in Angelo.

8 PROBATVR à D. Bonauent. è D. Augustino 15. *de Trin. cap. 7.* & validiùs 9. *de Trin. cap. 4.*

Probatur secundò à S. Doctore: nam Angelus in tribus potentiis; & vnâ essentiâ, est Imago Sanctissimæ Trinitatis: ergo aliqua distinctio realis in eis reperitur.

Probatur tertiò à S. Doct. Hæ potentiæ sunt distinctæ; quarum actus adæquati se inuicem excludunt; sed actus adæquatus intellectus est intelligere, excludens omne velle; & è regione se habet actus voluntatis: ergo. Minor est D. August. ini *loco citato.*

Probatur quartò à S. Doct. potentia vna creata quantò intenditur secundùm vnum actum, tantò circa alium infirmatur: quia virtus diuisa est. Si ergo Intellectus, & Voluntas esset vna potentia; quantò intenditur cognitio; tantò remitteretur affectio. Ergo quantò clariùs Deum vident Angeli; tantò remissiùs amarent, quòd est absonum.

ASSERO quartò, non distingui tamen realiter in Angelo intellectum à voluntate.

PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore.* Quæ sunt eadem vni-tertio, sunt eadem inter se; sed intellectus, & voluntas sunt idem realiter cum substantia Angeli: ergo.

Probatur secundò à S. Doctore ex D. Augustino 9. *de Trin. cap. 11.* Reliqua differam *tract. de anima, loco cit.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum ANGELIS *insit liberum arbitrium.*

{ D. Thom. art. 3.

9 ASSERO. Est de fide, è Scripturis, quæ Angelos moraliter bonos: alios verò moraliter malos testantur. Et ideò ea certitudine, qua asserimus, esse Angelos, debemus eos concedere liberos intrinsecè, vt obseruat S. Bonauent. 3. *part. Centil. sect. 16.* vbi ideò affert definitionem Angeli ex Damasceno, lib. 2. de fide, cap. 3. *Angelus est substantia intellectualis, arbitrio libera, &c.*

PROBATVR à S. Doct. *in 2. dist. 25. quæst. 1. fund. 1.* Vbicumque est intellectus, seu ratio; ibi est liberum arbitrium; sed in Angelis est ratio: ergo. Maior probatur à D. Bonauent. è Sanctis Patribus, præcipuè Augustino 12. *de Trin. cap. 3.* vbi ait, quòd *Ratio pertinet ad arbitrij libertatem.* Hunc locum adducit *dist. 24. p. 2. quæst. 1. in corpore.* Alia loca habet *ea distinctione.* Deinde affert D. Augustinum ex Magistro *dist. 24.* definientem liberum arbitrium: *Est facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur.* Idem refricat S. Doct. *dub. 2.* vbi refert definitionem liberi arbitrij ex D. Bernardo, initio libri, de libero arbitrio: *Liberum arbitrium est consensus, ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium.* Propter eà *eodem dubio,* affert definitionem Philosophorum: *Liberum arbitrium est liberum de voluntate iudicium.* Cùm igitur in Angelis sit intellectus, erit & liberum arbitrium. Est autem tota hæc ratio Damasceni, *lib. 2. de fide, cap. 3. & 27.* Gregorij Nysseni *lib. de oratione Dominica, p. 4.* Eam vrget Suarez *lib. 3. c. 2. n. 5.* vbi præmisit plurimos Patres, id asserentes, & Valentia *disp. 4. quæst. 11. puncto 4.*

OPPONES cum Arriaga *disp. 13. sect. 1.* Argumentum in maiori supponit, ita esse intrinsecum libero arbitrio esse coniunctum cum ratione, vt nequeat esse agens intellectiuum sine libero arbitrio; hoc autem est falsum; posset enim Deus condere creaturam intellectiuam, quæ non sit libera. 10

RESPONDET Suarez *num. 7.* è D. Bonauent. *in 2. dist. 25. quæst. 1. in corpore,* ita omninò necessariò esse, vt appetitus consequens intellectum sit liber: quia sicut necesse est, intellectum esse potentiam vniuersalem, attingentem omne ens, & omnes rationes entis, bonique differentias, ac gradus eius: ita quoque necesse est, vt appetitus consequens rationem sit potentia vniuersalis, habens pro obiecto adæquato bonum, & tendens in vnumquodque bonum, secundùm gradum eius, in qua vniuersalitate, & indifferentia libertas consistit.

A posteriori etiam confirmatur à Suarez *num. 8.* ex D. Bonauent. *dist. 25. part. 2. quæst. 1. argum. 2.* quia in cunctis, ratione vtentibus, est libertas; vt notat etiam D. Bernardus, *lib. de libero arbitr.* Eandem rationem habet Seraphicus *p. 2. Breuil cap. 6.* Porrò sine appetitu non posse esse cognitionem proportionatam, probatur: quia alioqui cognitio esset frustrà. Quorsum enim in cognoscendo laboraret creatura? 11

PROBATVR secundò à D. Bonauent. Potens mereri, & peccare; elicere actus laudabiles virtutum; & vitiorum vituperabiles, habet libertatem: Sed Angelus de fide est huiusmodi: nam multi Angeli emeriti sunt; & alij peccarunt: ergo. Hac ratione vtitur Valentia *loco cit.* cum Tannero, quam refricat S. Doct. *in Breuil. cit.* ac premit *hic, fundam. 2.*

PROBATVR tertiò à Seraphico *in corpore,* argumento, quo vtitur etiam D. Thomas. In his est liberum arbitrium, qui agunt cum iudicio quodam indeterminato ad statuendum hoc, atque eius oppositum, atque adeò est dominus suorum actuum. Sed Angeli sunt tales: ergo. Maior probatur è contrariâ conditione creaturarum, quæ non agunt cum huiusmodi iudicio; hæ enim magis 12

magis aguntur, quàm agant. Minor probatur: quia in omnibus, habentibus rationem, est tale iudicium indeterminatum; eò quòd rationem vniuersalem boni percipiunt, sub qua possunt hoc, atque illud, cum quadam indifferentia sibi ad agendum proponere; hæc enim indifferentia iudicij, & rationis ad omne bonum, est quasi radix libertatis, vt notat S. Doct. *in calce*, & cum eo Valentia.

13 Assero secundò, Angelum naturaliter esse liberum, libertate contradictionis, vt possit actum aliquem elicere, & non elicere, quæ dicitur libertas, quoad exercitium actus. Ita D. Bonauent. *in corpore*, Suarez *num.* 9. & communiter cæteri.

Probatvr à Seraphico, è dominio, quod experimur etiam nos super actus nostros, qui ideò laude, vel vituperatione sunt digni, quod sanè dominium, etiam super affectus internos experimur, ad differentiam brutorum, quæ, licet compescantur ab aliquâ ratione externâ, puta timore verborum; tamen semper eodem amore, eâdemque concupiscentiâ in idem obiectum inhiant. Vnde S. Damascenus *lib.2. de fide*, *cap.22.* post medium ait: *Ea magis agi, quam agere.* Cùm igitur nequeant suos actus reprimere; carent libertate: è contra verò in rationalibus, vtpotè superioribus, inuenitur.

14 Assero tertiò, Angelum esse liberum, libertate contrarietatis, quæ dicitur quoad specificationem actus, vt possit non modò contradictoriè velle, & non velle; sed etiam contrariè; vt possit velle hoc genus, vel hanc speciem obiecti; & eius oppositum.

Probatvr à D. Bonauent. quia potentiæ rationales eligunt actus virtutis, & vitij contrarij, vt patebit, cùm de merito; & cùm de malitia Angelorum disputauero: è contra verò, bruta semper in idem obiectum feruntur, licèt à prosecutione arceantur timore. Sic igitur potest Angelus moueri, & quiescere: loqui, & tacere; in quo posita est libertas contrarietatis.

15 Ratio verò huius libertatis est: quia in his particularibus obiectis possunt inueniri variæ rationes boni, & mali; conuenientis, & disconuenientis; & ideò etiam voluntas, quæ habet pro obiecto bonum vniuersale, potest hæc in particulari amare, vel respuere: quia habent solùm aliquid boni particularis; & potest bonum esse etiam in opposito ente. Hæc cum Seraphico habet etiam Suarez *num.*10. Et in his versatur præcipuè amor electiuus; vt docet etiam D. Thom. *quæst* 60. *art.*2. & D. Bonauent. 2.*p. Breuil. cap.*8. quia in his maximè est libertas.

Notat verò, nos hìc non asserere libertates istas, quoad omnia.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angelvs *semper necessariò exerceat aliquem actum Voluntatis.*

Præpositivs *hìc*, *quæst.*60. Morandus *tract.*7. *quæst.*32. dicunt, Angelum non semper necessariò esse in aliquo actu. Inclinat Arriaga *disp.*13. *sect.*4.

16 Probabilius tamen est, Angelum semper aliquid velle. Ita Seraphicus *dist.*5. *part.*2. *art.*3. *q.*1. D. Thom. *quæst.* 16. *de malo*, *art.*2. *ad* 2. & 2. *contra Gent. cap.*97. Bannes *quæst.*60. *dub.vlt.* Ferrar. 3. *cont. Gent. cap.*109. Suarez *lib.*3. *cap.*3. Valentia *disp.*4. *quæst.*9 *punct.*1. Alarcon. *disp.*5. Vasq verò *disp.*60. *art.*3. hoc non respuit.

Assero, probabiliorem esse hanc sententiam. Et quidem, cùm nunquam ab actu intellectionis Angelus quiescat, vt dixi, *disp.*2. *quæst.*21. probabile est etiam, semper amare, vel odisse id, quod actu cognoscit. Idem ait Seraphicus *d.*7. *p.*1. *quæst.*2. *ad* 5.

Probatvr à Suarez *num.*4. ratione Seraphici *loco cit.* primò, *fundamento* 2. Si esset aliquis actus volendi in particulari, in quo nulla ratio mali inueniretur; imò esset ratio boni; nec in eius carentia ratio boni inueniri posset, nequiret voluntas à tali actu cessare; sed esset necessarius, quoad exercitium, vt dicam *prima secunda*, *tract.*1. *disput.*6. *quæst.*6. Sed in carentia omnis actus voluntatis nulla ratio boni cogitari posset, nec in actuali exercitio alicuius *velle*, potest esse ratio aliqua mali, vt patet in amando Deum: ergo.

Argvmenta in oppositum, soluta sunt facilè à Suarez *num.*5. Responsio verò stat in hoc; non inferri damnum libertati, eò quòd aliquis actus indefinitè necessariò exerceatur: nam potest singulos liberè eligere.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Angelvs *naturaliter necessariò diligat seipsum.*

D.Thomas quæst.60. art.3.

Notat Valentia *disput.*4. *quæst.*11. *punct.*1. ex D. Bonauent. *in* 2.*dist.*3. *part.*2. *art.*3. *quæst.*1. *in corpore*, Amorem, alium esse Amicitiæ: alium Concupiscentiæ. Amor amicitiæ est, quo amatur res propter ipsam, vt habet Aristoteles 8. *Eth. cap.*3. sic verè diligi amicum ab amico. Amor Concupiscentiæ est, quo amatur aliquid propter aliud; vt, cùm amatur medicina propter salutem. 17

Notat secundò ex D.Bonauent. *hic*, *ad* 2. & 3. Amorem, alium esse Naturalem; alium Supernaturalem. Amor Naturalis est, qui naturali facultate sufficienter elicitur: Supernaturalis verò est, ad quem requiritur Dei auxilium supernaturale; vt notat D. Augustinus 12. *de ciuitate*, *cap.*8.

Notat tertiò, Amorem ordinis naturalis, alium esse necessarium; alium liberum, seu electiuum; de qua distinctione Seraphicus Doctor *in argumentis.*

Notat quartò, alium esse Amorem bonum: alium malum, de quo Seraphicus *ad primum.*

Primò igitur Ferrar. 3. *contra Gent. cap.*109. §. *Sed circa ea*, asserit, Angelum nihil, extra obiectum beatificum, diligere necessariò: & consequenter neque seipsum; & quoad hoc arridet Arriaga *disput.*13. *sect.*4. *subsect.*2. Vasq. *ad art.*3. *quæst.*60. Suarez *lib.*3. *cap.*4. *n.*6. Morandus *tract.*7. *q.*32. qui intelligunt, quoad exercitium. 18

Attamen asserunt Bannez *quæst.*60. *dub.vlt. ad* 3. *art.* Zumell. *ibidem*. Valentia *disp.*4. *quæst.*9. *punct.*1. vbi

M 4

vbi allegat D. Thomam *quæst. 8. de veritate, art. 6. ad. 7. & art. 14. ad 6.* Addit *quæst. 11. part. 2.* amare se quidem amore amicitiæ necessariò: at verò liberè amore concupiscentiæ. Hanc sententiam sequitur Tannerus, *disp. 5. quæst. 4. dub. 1.* Hæc videtur sententia D. Bonauent. *loco adducto.*

ASSERO, Angelum necessariò in sui amore exerceri.

19 PROBATVR à D. Bonauent. *loco cit. fundamento 2.* Ille actus est voluntati necessarius, in quo est bonitas; neque in eius desitione bonum reperitur: Sed amor amicitiæ actualis, quo amat Deum, vt sibi bonum, & omnium bonorum optimum, est huiusmodi: ergo. Maior est ipsius Suarez *lib. 3. cap. 3. numero 4.* Minor probatur, & quidem hunc actum supernaturalem esse bonum, est de fide, in Concilio Tridentino *sess. 6. de Iustific.* Ideò Dauid, vir secundùm cor Dei, aiebat: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem*, vt notat Suarez *lib. 3. cap. 5.* Quòd verò in cessatione à tali actu non sit inuenire bonitatem, probatur: quia si aliqua in hoc esset bonitas, ea esset, vt perfectiori modo amaretur Deus propter se, vt obiicit Vasquez: at hæc non est in cessatione formaliter huius actus: ergo.

20 PRÆTEREA iste actus est à Deo præceptus, vt diligatur propter beatitudinem consequendam, vt constat è Scripturis: ergo in cessatione ab omni actu, non est inuenire bonitatem. Confirmatur. Dilectio perfectissima Dei propter seipsum includitur in hoc actu. Sic Angelus in via Deum diligebat, vt eo frueretur; & sanè diligebat, vt sibi bonum, sed vltimatè bonum diuinum erat in appetitu fruitionis; alioqui fuisset malus. Idem licet inferre de simili actu naturali cum proportione. Miror, Suarez *in calce*, rationes nostras responsione indignas vocare. Nullum sanè argumentum solidum affertur in oppositum. Quod enim ille, vel ille actus numero non sit necessarius, nil confert ad soluendam quæstionem: potest enim esse, vt aliquis indefinitè etiam circa hoc obiectum sit: neque enim ad determinatum obiectum est determinatus actus indiuiduus, vt putat Suarez *lib. 3. cap. 5. numero 8.*

Quod etiam ait Arriaga, Angelum ad nullos actus teneri, repulsum est.

21 ASSERO secundò, Angelum, amore Concupiscentiæ, non omninò liberè seipsum diligere.

PROBATVR, quia amat naturaliter Deum, vt finem suum naturalem, vt dicam *quæst. seq.* ergo necessariò se amat amore Concupiscentiæ, ordinato in Deum.

MIROR verò argumentum Valentiæ ad probandum oppositum, eò quòd varia bona sunt, quæ potest sibi Angelus velle, quam rationem vocat patentem: satis autem est mihi, Si ostendam, Angelum aliquem ex talibus actibus semper habere; tametsi non hunc, vel illum. Hoc verò probatum est, ex amore Dei necessario. Deinde si hæc amat propter se, vt concedit Valentia, vbinam est amor Concupiscentiæ? In idem ferè impingit Vasquez, *loco cit. in Notationibus.*

Quòd si in exercitio amoris erga se necessariò tenetur; multò magis in specificatione, vt nequeat seipsum odio prosequi. Hoc concedunt etiam authores aduersi.

QVÆSTIO VII.

Vtrum ANGELVS *naturali amore necessario Deum prosequatur.*

D. Bonau. in 2. d. 3. p. 2. art. 3. q. 1.
D. Thom. q. 60. art. 5.

LOQVOR hìc de Angelo in puris naturalibus. 22

NOTANT verò Caietanus *ad art. D. Thom.* Suarez *lib. 3. cap. 5.* Vasquez *ad art. 3. quæst. 60.* ex D. Bonauent. *in corpore*, amari amore Concupiscentiæ non solùm accidentia, vt sanitatem; sed etiam subsistentia, quæ licèt non inhæreant, tamen sunt bona nobis. Sic amatur Deus, vt nobis bonus, & nos reficiens.

HINC scies, quid velit Aristoteles *primo Eth. cap. 6.* dum ait, dupliciter aliquem amare aliquam rem; & vt, rem subsistentem, cui volumus bonum aliquod; & vt bonum accidentarium, quod alicui volumus. Dicitur autem bonum subsistens illud solùm, quod amatur amore amicitiæ; quia licèt posset bonum subsistens amari etiam amore concupiscentiæ, tamen in phrasi morali non est tunc subsistens bonum, quia in eo non sistitur: Sic exponit Seraphicus *in corp.* Quod enim res sit in se subsistens, valdè materiale est in hoc casu. Sic meliùs exponitur Aristoteles à Seraphico, quàm à Diu. Thoma, Caietano, & Vasquez dicentibus, subsistens bonum amatum amore concupiscentiæ, computari inter accidentia, quia, media aliqua operatione, accidentariè coniungitur ei, propter quem amatur. Profectò Seraphici expositio tangit medullam amoris concupiscentiæ, qui non sistit in illo bono amato, sed progreditur vltrà: Et ideò, cùm illa res amata non sistat in se, sed ordinetur ad aliud, non potest dici in hac materia bonum subsistens, etiamsi sit substantia perfecta subsistens; at verò quod dicatur accidens, quia modo accidentario in operatione coniungitur, non explicat rationem intrinsecam amoris Concupiscentiæ; imò hoc pacto etiam bonum amatum amore amicitiæ erit accidens, quia coniungitur operatione accidentaria. Neque rectiùs Suarez, *lib. 3. cap. 5. numero 1.* exponit, eatenus bonum concupitum dici accidentale, quatenus non est substantia rei; etenim potest bonum concupitum esse substantiale; vt cùm anima separata cupit corpus sibi vniri.

ASSERO primò, Angelum viribus naturæ diligere Deum, amore Concupiscentiæ. Est communis. Probatur à Suarez *lib. 3. cap. 5. numero 2. fund. 2. D. Bonauent. & in corp. & ad 3.* quia Deus est naturale bonum Angeli, vt author, & conseruator naturæ illius, & finis vltimus naturalis eius. 23

ASSERO secundò, Angelum naturalibus viribus diligere Deum amicitiâ. Ità D. Bonauent. *fundam. 2. & in corpore.* Richard. *2. dist. 3. art. 7. quæst. 1.* Ægid. *part 2. quæst. 1. art. 3. ad 2. dub.* Tostatus *in cap. 19. Matth. quæst. 177.* contra Vasquez *ad art. 3. quæst. 60. & prima secunda, disp. 194. cap. 4.* Tannerum *part. 2. tract. de gratia, disp. 4. quæst. 2.* & alios apud eum.

PROBATVR à Seraphico *fundam. 2.* Voluntas Angeli naturaliter habet pro obiecto bonum: ergo summum bonum habet pro obiecto amicitiæ. Confirmatur, nam cognoscit naturaliter Deum, vt summum

summum bonum naturæ; finem omnium: hoc enim plurimi philosophi agnouêre: ergo potest eum amore amicitiæ super omnia diligere.

24 Probatur secundò à D. Bonauent. *in corpore*. Angelus in natura recta, non vitiatâ, constitutus, aptus erat diligere Deum rectè: at rectus amor fertur in Deum amore amicitiæ super omnia: ergo. Maior probatur, quia rectitudo mentis consistit radicaliter in amore. Ergo non poterat esse rectus, nisi & amor rectus esset. Minor probatur, quia amare aliud super Deum, vel æquè cum Deo, est contra legem naturæ: *Diliges Deum ex toto corde tuo, &c.* Cùm ergo Deus fecerit Angelum rectum, sicut & hominem; sequitur, &c.

Probatur tertiò ad hominem. Idem dicendum de Angelo, & de homine in statu integro, ex Vasquez, *locis adductis*. Sed talis homo poterat, ita Deum amare: nam incurrit talis amoris impossibilitatem per peccatum, ex Concilio Arausicano, *can.25.* vt referam *tract.6. prima secunda, disp.1. quæst.11.*

25 Probatur quartò à Seraphico *fundam. vlt.* Angelus naturaliter instructus Deum aliquo modo diligebat: aut ergo propter eum, seu fruens, idest ordinans ad eum, vt finem vltimum, & super omnia; aut vtens propter aliud, & non super omnia. Si primum, habeo intentum: Si secundum. Ergo cùm summa peruersio sit vti fruendis; vt ait D. Augustinus *lib.83.qq.quæst.30.* vt latè probat Seraphicus *in 1.dist.1.quæst.3.& art.3.quæst.1.& 2.* sequitur, Angelum in puris naturalibus esse peruersissimum. Eadem ratione de homine idipsum probat, eâque vtitur Tostatus.

Probatur quintò à D.Bonauent.*fundamento 3. & in corpore*: quia amor amicitiæ est propter ipsum amatum, ex Aristotele 8.*Eth. cap.3.* vbi ait, quod ideò diligimus amicos propter se, ac si nihil omninò boni sit nobis ab eis prouenturum; sed Angelus naturaliter amat Deum super omnes amicos, ita vt nullo commodo velit eum perdere: ergo. Minor probatur; nam Angelus naturaliter cognoscit Deum summum bonum: ergo & amat super alia bona; alioqui amor naturalis erit prauus. Confirmatur à S. Doct. exemplo gustus sani, qui appetit id, quod est sapidius.

26 Probatur sextò à D. Bonau. *fundam.4.* Mandatum de diligendo Deo super omnia erat scriptum in corde Angeli: ergo conscientia dictabat ei, se eo teneri: ergo si hoc non exequebatur, peccabat. Cùm autem in tempore naturæ rectæ non esset peccatum in sensu composito; sequitur, eum amasse Deum super omnia, atque adeò amore amicitiæ.

Si dicas cum Vasquez, quod conscientia non redarguebat Angelum, nisi pro tempore, quo tenebatur, quod est tempus gratiæ.

27 Contra arguit S. Bonauent. Affectus, ante peccatum in puris naturalibus constitutus, non repugnabat intellectui; alioqui ante peccatum fuisset bellum: sed intellectus naturali scientia præditus dictat, nihil æquè, ac Deum diligendum: ergo cùm oporteat diligere aliquod obiectum appretiatiuè super omnia, oportuit, vt aut diligeret Deum super omnia, aut faceret contra conscientiam, atque adeò peccaret.

Vasquez *prima secunda, loco adducto, cap.5.* sistit in illo suo fundamento, necessariam esse Dei applicationem extrinsecam per immissionem sanctæ cogitationis; eò quòd intellectus sit indifferens.

28 Sed hoc falsum est: nam intellectus rectus necessariò respicit suum obiectum naturale primum, quod est summum naturæ bonum. De hoc verò *tract.6. prima secunda, disp.1. quæst.10.* vbi Vasquium refellam.

Probatur septimò à D Bonauent. *ad 3.* Natura instituta habet quandam habilitatem ad bonum seligendum; sed Angelus naturaliter amat Deum amore concupiscentiæ, vt sibi bonum: ergo & amore amicitiæ. Probatur sequela, quia ideò amat amore concupiscentiæ Deum, quia est optimum bonum sibi, & perficiens omne creatum: ergo deuenit quoque ad amandum Deum amore amicitiæ, vt suum summum bonum.

Quòd verò possit amari Deus super omnia, etiamsi ametur concupiscentia ob retributionem, ostendit Seraphicus *in 3. dist.27. art.2. quæst.2.* ex professo, & nos *secunda secunda, tract.3.* qui erit de charitate. 29

Ex quibus elucet, falsò Vasquium *hic, ad art.5. & prima secunda, quæst.109. art.3.* dixisse, omnes Doctores à se allegatos dicentes, Deum diligi ab Angelo amore amicitiæ naturaliter; quatenus est summum bonum nostrum, asserere etiam magis diligi Deum ab Angelo hoc amore, quàm ipse Angelus seipsum diligat, præter Bonauenturam, qui nullam hac de re mentionem facit. Vidimus autem Seraphicum id asserere, & solidè probare, quem sequitur Suarez *lib.3.cap.5.*

Assero tertiò, Angelus Deum diligit naturali amore, idest consentaneo inclinationi naturali necessariò, quoad specificationem, quatenus natura inclinatur amore concupiscentiæ in Deum, vt sibi bonum. 30

Probatur à Suarez *num.3. ex fundamento 2.* D.Bonauent. *& in corpore.* Quia Deus est summum vniuersale bonum, à quo totum Angeli bonum pendet; sed Angelus necessariò amat suum bonum: ergo & Deum.

Assero quartò, Angelus naturaliter amore concupiscentiæ magis fertur in Deum, quàm in semetipsum.

Probatur à D. Bonauent. *fundam. 2.* quia data comparatione cognoscit intellectus, Deum sibi esse optimum, & melius seipso: ergo eum super omnia amat. 31

Confirmatur à S. Doct. *ad 3.* quia intellectus Angeli cognoscit, nullam rem, etiam includendo seipsum, esse bonum, nisi ex Deo, & per Deum: ergo cognoscit Deum optimum, etiam vt bonum sibi: sed affectus rectus naturæ institutæ sequitur intellectum: ergo & amat Deum supra seipsum. Confirmatur: nam sic cognoscit, Deum esse causam boni omnis; & ipsum esse bonum vniuersale eminenter. Cùm ergo necessariò feratur in bonum, quoad specificationem; sequitur, &c. Ità & Morand. *num.754.* qui explicat, Angelum plus diligere Deum appretiatiuè; sed intensiuè non. Sic & Arriaga *disp.13.sect.4.subsect.4.*

Assero quintò, Angelum naturaliter inclinare in Deum, amore amicitiæ.

Probatur à D. Bonauent. *tribus vltimis fundamentis.* Si Angeli natura inclinaret ad amandum se magis, quàm Deum; esset praua, quod est falsum, quia natura est à Deo; ac proinde bona. Hac ratione vtitur etiam D. Thom. *prima secunda quæst.26. art.3* & *quodl.1. art.8.* Suarez *lib.3. cap.5.* In hoc autem absurdum incidit Gabriel 3. *dist. 29. quæst. vnic. art.1. not.3.* Vasq. *loco cit.* volens, hunc amorem non posse esse ordinis naturalis. Ex quo sequitur, Angelum naturali amore magis inclinare 32

ad

ad seipsum, quàm in Deum, vt notat Suarez Porrò cum D. Bonauent. sunt Scotus, & alij Theologi *in 2.dist.3.6.26.27. & 28.* & *in 3.dist.27. & 29.* Alensis *2.part. quæst.30. memb.1. art.1.& 2.* & *q. æst.31.memb.2.* Henricus *quodl.4.quæst.11.* Altisiodor.*lib.2.summæ tract.1.c.4.* & indicat D.Fulgent. *de fide ad Petrum, c.3.*

Assero sextò, Angelum necessariò diligere Deum naturaliter, quoad specificationem, vt nequeat odisse. Ità Seraphicus *loco citato*; quem sequuntur communiter Theologi adducti, & laudati à Valentia *disp.4. quæst.11. punct.2.* contra Suarez *loco cit. num.4.* & Vasquez suprà, ac Morandum *num.753.*

33 Probatvr à D.Bonauent. *fundam.2.& in corpore*, & *ad 3.* quia cùm Deus prima sit causa, & vltimus finis omnium creaturarum, omninò etiam vnaquæque creatura, modo consentaneo naturæ suæ rectè institutæ, inclinatur necessariò in Deum, tanquam in id, à quo pendet naturaliter magis quàm ab vlla sua perfectione naturali, in quam etiam naturaliter inclinatur; vt dixi *quæst. præced.* Hæc est ratio quoque D.Thom. *hic*, quâ nituntur Thomistæ, atque Valentia.

Instat Suarez *num.4.* Vasq.& alij. Si Angelus naturaliter necessariò diligit Deum, quoad specificationem; sequitur, non posse odio habere Deum: at dæmones Deum oderunt: ergo. Probatur sequela, quia specificatio actûs excludit actum contrarium.

34 Respondet D. Bonauent. *ad primum*, aliquem peruerti in diligendo Deum, quia non sequitur appetitum naturalem, sed peruersum. Addit *dist.7.p.1.q.2. argum.4.* quod dæmones naturaliter Deum diligunt, quod probat ex D. August. *lib.2. de serm. Domini in monte, circa medium*: & *lib.2. Retract. cap.19.* vbi ait: *Nullius conscientia potest Deum odisse.* Confirmatur à Seraphico: quia vitium non delet naturam. In responsione verò dicit, quòd libera voluntas, sicut deformat actum fidei; ita deformat actum naturalem, cùm illi adiungitur.

Dat exemplum. Sicut auarus, licèt naturaliter appetat beatitudinem, tamen est tanta peruersitas iudicij, & voluntatis in eo, vt non alibi ponat beatitudinem, quàm in diuitiis, & ita appetendo illam beatitudinem, peccat; sic diabolus naturaliter diligit Deum, vt conseruatorem; sed voluntas diaboli refert illam dilectionem ad propriam vtilitatem; ideò peccat, quia etsi Deum diligat

35 tamen propter se diligit. Non vult dicere tantùm, dæmones naturaliter inclinare in Deum, licèt tollatur amor actualis à mala voluntate, vt putant Suarez, & Vasq. sed vult, manere actum naturalem amoris erga Deum; manere tamen cum actu odij tendente in Deum sub alia ratione; quatenus est sibi noxius: & hoc sensu loquitur D. Thom. *ad 5.* neque sequitur absurdum conclamatum à Suarez, & Vasq. vt patet, cùm diuersa sub ratione possit manere amor, & odium, vt notat Valentia post D. Bonau. *vbi suprà.* Nec premit Tannerus *disp.5.quæst.4.dub.1.n.22.*

36 Assero septimò probabile esse, Angelum in statu naturæ institutæ diligere Deum necessariò quoad exercitium. Ita videtur colligi ex D.Bonau. *loco cit.* quem sequitur Valentia contra Suarez *n.4.* Nil tamen resolutum video in Seraphico.

Probatvr primò *ex fundam. 3. S. Bonau.* quo nititur Valentia: quia intellectus Angeli naturaliter dictat, Deum esse summum bonum; sed voluntas Angeli semper actu aliquid diligit è Suarez adducto *quæst.5.* Ergo, cum esset recta, semper diligebat Deum super omnia. Confirmatur: nam voluntas non cessat ab eo actu, in quo est bonum, & in cuius cessatione non inuenit bonitatem; sed in dilectione Dei inuenit summum bonum, nec in cessatione ab eo actu inuenit aliquam bonitatem.

Quod enim bonum inuenit in non diligendo Deum? neque verò fatigatione compellitur cessare: ergo. Maior est Suarez *lib.3. cap.3. num.4.* Minor probatur ex ipso Suarez *ibi*, primò, quia in tota latitudine actuum non possunt non esse aliqui conuenientes; hic autem est maximè conueniens. Secundò: quia probabile est, Angelos, ex quo creati sunt, nunquam ab omni actu voluntatis cessasse: ergo ille actus, maximè eis in exercitio est adscribendus, qui est magis voluntati naturali consonus; at voluntas, cuius obiectum est bonum, maximè fertur in summum bonum: ergo. 37

Probatvr secundò à S. Doct. *fundam.2.* quo nititur Bannes *ad art.cit. D.Thom.* Amor proprius fundatur in amore boni vniuersalis, quod est Deus, & ad ipsum reducitur; aliàs esset inordinatus, vt infert S. Doct. *fundam. 3. & seq.* ergo si amor proprius est necessarius, quoad exercitium, vt vidimus *quæst.6.* multò magis amor Dei. 38

Respondet Suarez *num.8.* Angelum non diligere necessariò se, aut Deum: quia, licèt Deus sit bonum vniuersale eminenter, vel causaliter; est tamen particulare obiectum, in ordine ad particularem amorem: neque omnis amor, quo se Angelus ordinatè amat fundatur in amore Dei, sed fundatur in bonitate, & commoditate obiecti, & inclinatione naturali ad proprium commodum; neque ille amor est inordinatus, quia non excludit bonum increatum.

At verò oppositum ostensum est *quæst.6.* Quoad reliqua, certum est, Deum ostendi ab intellectu tanquam bonum vniuersale eminenter (esto) & causaliter: hinc fit vt proponatur, vt diligendus super omnia: quod si aliquid æquè, ac Deus diligatur, erit amor inordinatus. Esto enim sit amore particulari amandus; tamen in ratione obiecti se ostendit super omnia amandum naturæ, quæ recta est. 39

Probatvr tertiò à Bannes. Angelus eodem actu, quo se cognoscit, Deum etiam agnoscit, vt suum principium: ergo eodem actu, quo se diligit, etiam Deum diligit: ergo eadem necessitate. Est ratio Seraphici *ad tertium.* 40

Respondet Suarez *num.10.* rationem hanc magis vrgere de amore amicitiæ; tamen negat etiam quoad hunc esse efficacem, quia ad talem amorem non sufficit in Angelo illa cognitio Dei, quæ est etiam sui; sed necessaria est alia perfectior.

At verò quis non videt, Angelum comprehensiuè se cognoscentem, agnoscere se Dei creaturam, atque adeo à summo bono per se amabili deriuatam? Igitur eodem actu, quo se amat, amabit & Deum, quem cognoscit causam omnis boni, quod est adæquatum voluntatis obiectum. Quod verò ad bonum vniuersale necessariò feratur, supponit Suarez *lib.3.cap.7.* 41

Obijcies contra quartum assertum. *Amicabilia ad alterum, sunt ex amicabilibus ad se*, ex Aristot. *6. Eth.cap.8.*

Respondet D.Bonauent. *in corpore*, amorem rationalem amicitiæ erga Deum esse altioris ordinis, quàm sit amor amici ad amicum. Est enim amor 42

amor erga summum bonum, & vltimum finem, non alterius boni gratia nobis desiderabile: ideo, &c. Sic & Morandus *ante numerum* 755. ex Valentia *quæst.* 11. *punct.* 4. Eodem modo soluitur ratio Suarez, contra sextum assertum.

Obiicies cum Arriaga *disp.* 13. *sect.* 4. *subsect.* 3. Si Angelus amore amicitiæ necessariò amaret Deum, non posset peccare; si verò amore concupiscentiæ; contra: quia potest amare seipsum, & suam existentiam iam habitam, absque eo, quod diligat Deum Creatorem.

43 Respondetur, amare Deum necessariò amore concupiscentiæ: quia amando se, videns se pendulum è Dei conseruatione, necessariò Deum diligit sub hac ratione; attamen potest ei obiici sub alia ratione, vt eum deserat, siue etiam actu vehementiori apparentis boni cieatur. Vnde negatur, & prior sequela.

QVÆSTIO VIII.

Num Angelvs *magis diligat Superiores; an inferiores, vel potiùs æquales.*

D. Bonau. d. 3. q. vlt.
D. Thom. q. 60. art. 4.

Assero primò, Angelos se mutuo naturaliter diligere.

44 Probatvr à SS. Doctoribus. Quisque diligit id, quod secum est vnum, & quantò magis accedit ad sui vnitatem, vel similitudinem, tantò magis diligit: sic enim naturaliter consanguineos intimiores magis diligimus. Sed Angeli sunt inuicem similes, & intimi in substantiali natura, maximè si demus eos solo numero distingui: ergo.

Assero secundò, Angelum maximè diligere sibi parem.

Probatvr à Seraphico Doctore *fundam.* 3. & *in corpore*, argumento, quo vtitur Valentia. Quia eò magis diligit alium, quò sibi magis est vnum; sed magis vnum est par, quàm superior, vel inferior: ergo. Maior est *Ecclesiastici* 13.

Confirmatur à S. Doct. *fundam.* 4. Quia familiaritas, quæ est fomes amoris maxima est inter pares.

Assero tertiò, ratione boni, magis amari superiores.

45 Probatvr à D. Bonauent. Voluntas fertur in bonum: ergo magis in maius bonum; sed Angelus superior est melior. Confirmatur, *fundam.* 2. quia diligit Deum summè; quia est summum bonum: ergo eos, qui magis participant de bonitate, magis diligit.

Assero quartò, quoad beneficia magis diligit inferiores.

46 Probatvr à D. Bonauent. Probatio dilectionis exhibito est operis; sed Angeli magis adiuuant inferiores; purgando, illuminando, & perficiendo: ergo. Confirmatur: nam & in linea consanguinitatis magis ferimur in inferiores, puta filios, quàm in æquales, v.g. fratres; vel in maiores, idest parentes, maximè quia sunt pars patris, & egent sustentari, &c. Vide D. Bonauent.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Angeli *voluntas in puris naturalibus sit libera quoad specificationem inter bonum honestum morale, & malum oppositum; & posit vtrumlibet eligere, atque adeò peccare contra rectitudinem naturalem.*

Prima opinio est, Angelum in puris naturalibus adeò rectum esse, vt in eo ordine nequeat peccare, deserendo bonum honestum, & turpe eligendo; atque adeò ad bonum honestum determinari, quoad specificationem. Ità Durandus 2. *dist.* 5. *quæst.* 1. *num.* 16. & *dist.* 23. *quæst.* 1. *num.* 7. & 8. Capreolus *in* 2. *d st.* 2. *art.* 3. *ad argumenta.* Durandi, Caietanus *prima parte*, *quæst.* 63. *art.* 1. Ferrar. 3. *contra Gent. cap.* 109. & inclinant plurimi recentes D. Thomæ expositores, atque ipse D. Thomas id videtur asserere *q.* 63. *art.* 1. *ad* 3. & *q.* 16. *de veritate, art.* 2. *ad quartum.*

Secvnda sententia censet, Angelum, in puris naturalibus relictum, non posse manere sine peccato. Ità Vasquez *prima secunda, disp.* 193. *cap.* 3. *à num.* 18. Gregorius *in* 2. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 1. *conclus.* 2.

Tertia opinio est, Angelum esse naturaliter liberum ad bonum, & malum morale, quoad specificationem. Ità D. Bonauent. 2. *dist.* 23. *quæst.* 1. & *aliis locis*, mox allegandis. Scotus *ibi*, *quæst. vnic.* Paludanus 4. *dist.* 50. *quæst. vnic.* Malonius 2. *dist.* 6. *d sp.* 1. & alij, quos refert, & sequitur Suarez *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 6.

Assero cum hac sententia, Angelum naturaliter ad bonum, & malum morale esse liberum, quoad specificationem.

Probatvr primò à D. Bonauent. *in corpore*, 47 ratione illi familiari. Omne, quod est factum ex nihilo, potest deficere in suo ordine; vnde si est liberum, potest deficere etiam moraliter; sed Angelus est ex nihilo: ergo. Est ratio Damasceni 2. *de fide*, *cap.* 3. & 27. qua vtitur Suarez dicens, esse argumentum Sanctorum Patrum. Est autem etiam D. Augustini 12. *de ciuit. cap.* 1. & 6. Fulgentij *lib. de fide ad Petrum*, *cap.* 3. Gregorij Magni 25. *Moral. cap.* 5. vt refert Vasq. *disput.* 231. *cap.* 3. ergo.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *fundam.* 2. Omnis creatura relicta in manu consilij sui potest peccare. Tales sunt Angli: ergo. Maior probatur ex D. Hieronymo *epist.* 146. Ambrosio *lib.* 5. *de fide*, *cap.* 6. & *lib.* 1. *de Spiritu sancto*, *cap.* 6. Augustino 12. *de ciuit. cap.* 1. & 6. & *lib.* 1. *contra Maxim. cap.* 12. Anselm. *lib.* 2. *cur Deus homo*, *cap.* 10. quos refert Suarez *num.* 9. hanc rationem laudans. Totum verò argumentum est D. Damasceni 2. *de fide*, *cap.* 3. & 27. quem refert Vasquez.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 7. 48 *part.* 1. *quæst.* 2. *argum.* 4. *addita resp.* quo nititur Suarez *num.* 7. Dæmones multa possunt contra rationem naturalem; nam mentiuntur, decipiunt, inducunt ad omnia mala, contra legem naturæ, vt notant D. Bonauent. *distinct.* 7. *part.* 2. *quæst.* 1. *corp.* & *ad argumenta*, & *dist.* 8. *per quatuor quæstiones.*

Dices

DICES, aliam esse rationem in dæmonibus: aliam de Angelis in puris naturalibus; quia dæmones habent magna incentiua; sunt enim excæcati.

CONTRA ait Suarez: nam si dæmones amplectuntur bonum apparens, contra rationem naturalem: ergo tale bonum est amabile ab Angelo, ita vt libertas arbitrij deformet actum naturalem, vt dixi cum D. Bonauent. *q.7. in septimo asserto.*

49 OBIICIES primò: non potest voluntas deficere peccando, nisi præcedat in intellectu aliquis defectus erroris, vel inconsiderationis; sed in Angeli intellectum nullus talis defectus valet irrepere: ergo. Maior supponitur ex *materia de peccato.* Minor sequitur ex dictis *disput.2.* nam Angeli perfectè naturalia omnia norunt.

SCOTVS, & asseclæ negant maiorem. De quo aliquid dicam, *quæst.11.* Respondetur tamen cum D. Bonauent. *in Diata, cap.2.* interuenire semper saltem aliquam inconsiderantiam, ne actu trutinet omnia mala, & bona, quæ circa eum actum, vel opus illud, gyrant. Et quidem de homine incontinente id asserit Aristoteles 7. *Eth. cap.10.* & 2. *Magn. Moral. cap.10.* & de aliis, puta malignis, idem docet *loco add. cto Eth.* & 2. *Magn. Moral. cap.6.* vt refert Vasquez *prima secunda, disp.128.* Id probabo *prima secunda, tract.3.disp.3. quæst.8.*

50 Singulariter verò de Angelis id docet D.Bonau. *locis adductis*, & *dist.7. part.2. quæst.1.* ex professo, vbi ostendit iudicium practicum à libertate subuerti: Ratio est, quia Angeli nam aliter non semper sunt in actu secundo, respectu omnium, vt notat S.Doct. *dist.3.part.2.art.2. q.1.* Idem respondet Suar.*num.12.*

OBIICIES secundò. Angelus naturaliter amat Deum super omnia necessariò, ex dictis *quæst.7.* etiam quoad exercitium: ergo non potest peccare in materia naturali. Probatur consequens, quia omne peccatum est contrarium diuino amori.

RESPONDETVR, id, quod assumitur, solùm probabiliter asseri. Cæterùm dico cum D.Bonau. *dist.7. loco cit. in tertio argumento*, libertate sæpè naturam peruerti, vt quod natura necessariò amat, susdeque vertatur, præcedente aliquâ inconsiderantiâ intellectûs, & peruersione naturæ.

51 OBIICIES cum Vasq. voluntas est libera, & ideò in sua bona operatione pendet à cogitatione congrua: hæc autem est à Deo. Alias rationes addit *prima secunda, disp.189.* sed de his *ibi, loco citato.*

52 RESPONDETVR ergo, cogitationem congruam ad benè operandum esse à Deo, vt est author naturæ, loquendo de natura instituta, non lapsâ, ad opera aliqua naturalis ordinis, maximè de natura Angeli, qui ægrè vertitur ad vitia, vt docet Elias Cretensis è Nazianzeno, *oratione 2 contra Iulianum.* Angelus enim in puris naturalibus non habet pugnam internam, estque sapiens. Ita respondet Suar. *num.16.* & *de Gratia, lib.1.*ex D.Bonau.*dist.5.art.3. quæst.1. in corp. & ad argumenta.*

QVÆSTIO X.

An voluntas ANGELI *in puris naturalibus possit venialiter peccare.*

D.Bonau. in 2. d.24. p.2. q.2.ad 3.
D.Thom. p.1.q.89.art.4.

IAM quæstio est: An sit liber etiam ad eligendum maius, vel minus malum; sicuti est liber ad eligendum maius, vel minus bonum; nam de hoc secundo manifestum est: si enim liber est ad eligendum bonum, & malum; multò magis est liber ad eligendum minus bonum, quod plus distat à malo, quàm à bono maiori.

PRIMA igitur sententia est, Angelum in puris naturalibuis potuisse peccare venialiter perfecta deliberatione, dicendo verbum otiosum; non tamen ex subreptione. Ità Suarez *lib.3. de Angel. cap.8.* & alij Moderni apud eum. Adde Fuliensem *lib.3 cap.8.*

SECVNDA sententia est penitus negatiua. Ità 53 D.Bonauent. *loco cit.* & in eodem secundo, *dist.21. art.3 quæst.1.* D.Thom.1.2. *quæst.89. art.4.* vbi Caietanus, & sidiores Thomistæ, Alensis 2. *part. quæst.98. memb.4. art.3.* Valentia *p.2. loco cit. D.Thomæ.*

Hic aduerte, Seraphicum benè vidisse cum opinione aduersâ, etiam rationes, vbi meo quidem iudicio negat, Angelum, vel hominem in primo statu naturæ integræ potuisse peccare venialiter; non quia non haberet libertatem ad tales actus veniales, vt putant aduersarij à nobis asseri; sed quia supposita perfectione illius status, & prouidentiâ singulari Dei, non poterat moraliter fieri. Sic enim S Bonauent. loquitur: *Improbabilitatem habet, si quis attendat ad perfectionem status, & regulam rectitudinis, in qua erat.* Id magis explicat *ad primum*, vt dicam *tract.10. disp.2. quæst.12.*

ASSERO primò, Angelum non esse capacem peccati venialis, è subreptione.

PROBATVR communiter, ratione D. Bonau. 54 quia intellectus Angelicus non potest rapi ab obiecto, vel præueniri, raptimque trahi: ergo nequit subreptitiè inuadi.

ASSERO secundò, neque deliberatè posse Angelum in statu naturæ integræ venialiter labi.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *fundam.4.* quia Angelus è deliberatione plenâ delinquens, intendit aliquem vltimum finem actu, ex perfectione suæ cogitationis, & resolutionis: si ergo verbum otiosum protulisset, in eo posuisset vltimum finem; sed hoc est mortale: ergo.

HINC habes, nolle Seraphicum, veniale An- 55 gelo fieri mortale, ratione mera personæ, puta ex ingrati animi labe; quia gratiis à Deo cumulatus, vt malè putat Valentia; sed vult, obiectum leue propositum sibi vt finem vltimum, ex vi perfectionis intelligentiæ, & voluntatis Angeli, fieri mortale, quæ est ratio etiam D. Thomæ. Idem habet D.Bonauent. *ad 4.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *fundam. vlt.* quia, ex prouidentia Dei, status ille naturæ integræ talis erat, vt beatitudinem naturalem secum ferret inamissibilem, nisi committeretur peccatum mortale. Si autem peccasset venialiter, iam debuisset

debuisset pœnitentiam habere, atque tristitiam. Idem refricat *in fine corporis*, & mentem suam latiùs aperit *ad primum*.

56 OBIICIES primò cum Suarez *num.6.* Qui potest maius malum, potest & minus. Sed Angelus poterat peccare mortaliter: ergo & venialiter.

RESPONDET S. Bonauent. *ad* 1. negando maiorem, pro statu illo, qui tali à Deo prouidentia regebatur; vt dixi.

OBIICIES secundò. Poterat Angelus deliberatè verbum proferre otiosum.

RESPONDET S. Bonauent. *ad* 4. verbum otiosum futurum fuisse mortale, ratione status, modo supradicto. Hanc quæstionem latiùs discutiam *tract. vlt. de peccato Adæ*, *disp.2.q.12.* de quo agit directè Seraphicus Doctor.

QVÆSTIO XI.

An Voluntas ANGELI *in primo creationis instanti sit libera, quoad specificationem, vt possit eligere bonum, & malum oppositum, peccando.*

D.Bonau.d.3.p.1.art.1.q.2.
D.Thom.q.63.art.4.& 5.

QVÆSTIO hæc præcipuè est: Vtrum Angelus in primo instanti, natura bonus, potuerit peccare.

57 OPORTET autem prælibare, Angelum in primo instanti fuisse bonum, saltem bonitate naturali: an verò etiam gratuitâ, disputabo *disp.5.quæst.1.*

Hinc elidendus error Manichæorum, & Priscillianistarum dicentium, Angelum creatum malum; ad quos accedit Eugubinus *lib. 8. de perenni Philosophia*, *cap.38.* dicens, Angelum quidem creatum bonum; sed in primo instanti temporis peccasse, quod sanè dicit S Bonau. accedere ab hæresim blasphemantium, Angelum conditum malum, quorum errorem exploserat *quæst. præced.* Idem à D.Thoma erroris insimulatur. Quare falsò Scotus, & asseclæ, mox citandi, dicunt, id à D.Aug. 11. *de ciuit. cap.13.* à nota erroris eximi: & 11. *Genes. ad litt. cap.9.* in vtramque partem disputari; nam in priori loco solùm dicit, eos, qui dicerent (cum Eugubino) non asserere directè cum Manichæis; quia non asserent, Angelum à Deo conditum malum; sed suâ voluntate talem euasisse; non tamen dicit ex consequentiis non pendere in eum errorem, ob rationes infrà afferendas. In altero verò loco nequaquam partem admittit affirmantem.

58 ANGELVM igitur in primo instanti non peccasse, probatur à D.Bonauent. primò *ex 28. Ezech.* vbi Lucifer dicitur, in deliciis Paradisi fuisse. Similia habentur Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris.* Eisdem auctoritatibus nituntur D.Th. *q.63.art.6.* Valent. *disp.4.quæst.14.punct.4.*

RESPONDET Vasquez, *n.3.* hæc testimonia non afferere ad litteram de Lucifero. Sed hoc refellit S.Bonau. ex D. Augustino, & aliis Patribus, allatis *disp.2. quæst.4.*

59 DEINDE Seraphicus *in corpore*, & post eum Argentina, *disp.6.quæst.1.art.2.* asserit, opinionem Eugubini damnatam ab Archiepiscopo Parisiensi, & ab Vniuersitate Sorbonæ, arridentibus Concilio Later. sub Innocentio III. *Cap. firmiter*, vbi habetur: *Diabolus, & alij dæmones, naturâ quidem, à Deo creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali;* tametsi solus Manichæorum, & Priscillianistarum error apertè damnetur, nec definiatur: an priùs tempore fuerint boni: an in eodem instanti temporis deliquerint. Tamen inhærent, maximè Concilio Bracharensi primo, *can.7.* qui est 6. *Canon. epistola 91. D. Leonis I. Papæ* contra Priscillianistas, vbi habetur: *Si quis dicit, Diabolum non fuisse priùs Angelum bonum à Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam eius; sed dicit, eum è tenebris emersisse, neque aliquem habere sui auctorem; sed ipsum esse principium, & substantiam mali, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt; anathema sit.*

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *ex Euang. Ioan cap.8.* vbi dicitur: *In veritate non stetisse diabolus.* Ergo aliquando erat rectus; vt infert D. Augustinus, *lib. de correptione, & gratia, cap.6. post medium.* 60

Neque necesse est concedere priùs fuisse in gratia, vt putat Vasq. *num.4.* sed sufficit supponere, fuisse rectum, naturali rectitudine, cui è diametro opponitur culpa.

INSTAT Eugubinus, ex eo loco haberi suam sententiam: nam dicitur diabolus *ab initio homicida fuisse*; sicuti 1. *Ioan.* 3. dicitur: *ab initio peccasse.*

RESPONDET D. Bonauent. illud *ab initio*, significare initium mundi, non primum instans creationis Angeli; & affert D. Augustinum, 11. *de ciuit. cap.13.* Dicitur autem *homicida ab initio*, siue quia humanum genus in mortem impulit tentando Euam, siue quia Caino homicidium persuasit. Ideò ibi Christus carpit Iudæos sibi insidiantes, tanquam filios diaboli, qui insidias ab initio Abeli molitus est. Sic respondent Vasquez *infrà*, Valentia, *loco citando.*

QVÆSTIO igitur est inter Theologos: Vtrum Angeli in primo instanti potuerint labi.

PRIMA opinio absolutè affirmat. Ità Nominales. Ocham *quodl.2.quæst.6.* Gregor. 2. *dist. 5.quæst.1. art.2.* Gabr. *dist.4.quæst.2.art.3. d.1.* Marsil. *quæst.3. art.2.* Maior *dist.4. quæst.1.* Ita & Aureol. *dist.4. art.2. & 3.* Rubion *dist.3.quæst. vlt.* Scotus 2. *dist.5. quæst.1.* & *in* 3. *dist.* 18. *ad vltimum*, quem sequuntur omnes discipuli, Bassolis *dist.5. quæst. vnic. art.2.* Mairo *quæst.3.* Rada *controu. 11. art.3.* Faber *disp.28.* Brancas. *disp.10.quæst.1.* Poncius *disp.15.q.2.* Vulpes *disp.21.art.5.* Mastrius 2. *disp.3.q.1.* Vasq. *disp.236. cap.3.* Arriaga *disp.14.* Molina *ad locum cit. D.Thom.* Valentia *quæst.14 punct.4.* Pesantius *ad art.5. D.Thoma citatum*, Becanus, Alarcon. Præposit. Auersa, & alij, quos adducit, & sequitur. Morandus *tract.7. quæst.36.* Fuliensis *lib.3.cap.8.* 61

SECVNDA sententia è diametro opposita est, non potuisse Angelum in primo instanti peccare. Ità Hugo Victor. *in summa, tit.2. cap.2.* Alber. *in 2.dist.3.art.14.* Alens. *part.2.quæst.29. memb.1, art.7.* D.Thom *quæst.63.art.5.* & *quæst.16. de malo, art.4.* D. Bonauent. *hic, dist. 3. part. 2. quæst. 2.* Richard. *art.2. quæst.2.* Durand. *dist.5. quæst.2.* Heruæus *q.2. art.1.* Capreol. *dist.4. quæst.1. art.1. & 3.* Argent. *dist.6.quæst.1.art.2.* Henricus *quodl.8.q.10.* Holcot *in 2.quæst.3.* Ferrar. 3. *contr.Gent.cap.109.* Caietanus, & alij Thomistæ *quæst.63. art.5.* vbi Bannes, Zumel. Nazarius, *controu.2.* Serra, Salmat. *disp.11.dub.vnic.* Ioan. de S. Thoma *quæst.59. d.23. art.2.* Arrubal *disp.179.cap.2.& 4.* Granado *tract.13.q.4.* & alij. 62

TERTIA sententia media censet, de lege ordinaria, suppositâ exquisitâ Dei prouidentiâ, Angelum non potuisse peccare in primo instanti, absolutè tamen non implicare; seu, vt alij dicunt, potuisse 63

tuisse quidem Physicè, non moraliter. Ità Suar. *lib.7. de Angelis, c.10.* adducens Malonium *2.d. q.6. disp.7.* Herreram. Idem sentit Amicus *disp.20. sect.3.* Lezana *tract.6. disp.8. quæst.6.* Tannerus *disp.5. quæst.6. dub.3. num.15.* & alij nonnulli, & videtur D.Bonau. vt patebit è discursu.

64 Assero cum secunda sententia, implicare, Angelum in primo instanti peccare. Quoniam verò Suarez, & Vasquez nostris argumentis validissimis, quæ nec referre dignatur, quasi friuolis abutuntur, & iam dudum explosis; videamus quàm rectè ab aduersariis sola D.Bonauenturæ argumenta soluantur.

Probatur primò à D. Bonauent. *fundam.3.* quo nituntur Albertus, Henricus, & ante omnes Hugo de Sancto Vict. vbi suprà, *& prima parte, de Sacram. p.5. c.22.* Ad mortale peccatum patrandum necessaria est libertas, ex plena cognitione plurium, vt plurium, succedentium; sed hæc non potest haberi in primo instanti creationis: ergo. Maior est euidens. Minor probatur, quia electionem perfectè liberam præcedere debet plena cognitio rei eligendæ; finis *cuius gratia*; finis *cui*, & rationis motiuæ. Præterea cùm omnis cognitio recta naturalis præcedat obliquam, oportuit in primo instanti cognoscere Deum esse summum bonum; atque adeò super omnia amandum, quæ sanè non poterat effugere intellectus præclarus, &

65 sapientissimus Angeli: Debuit ergo actus ille præcedere duratione illum, qui esset oppositus, & dictaret amandum bonum proprium supra Deum inordinatè. Fuit etiam necessaria comparatio boni propositi cum Deo, vt deliberatè illud eligeret, hoc pessundato, vt sibi vltimum finem in alio constitueret; debuêre etiam considerari media, & multa priùs cognosci, quæ sunt ratio cognoscendi reliqua. Et hoc magis vrget è nostris aduersariis eos, qui dicunt, non posse plura per modum plurium simul intelligi, quos retuli *disp.2. quæst.22.* è quibus sunt Scotus, & asseclæ. Hæc sanè discursum exigunt, atque adeò successionem, maximè, quæ oppositam propositionem secum ferunt obiecti, vt Dei super omnia diligendi, etiam super seipsum. Mox verò sui ipsius supra Deum, maximè autem, cum in primo instanti non esset aliquod motiuum oppositum Dei dilectioni super omnia.

66 Hoc argumentum sic confirmatum frustra conetitur a Scoto, & discipulis, à Suarez *n.19.* Vasq. *num.4.* Arriaga *num.4.* non fuisse necessariam successionem, respondendo. Esto enim peccare voluisset circa bonum delectabile, tamen necessariæ erant multæ plurium rerum præuiæ cognitiones, vt ostendi. Quod verò addit Scotus retorquendo argumentum; hinc sequi, neque potuisse mereri; quia eodem modo necessariæ forent ex cognitiones præuiæ.

Respondetur primò; nos id concedere de Angelis, qui in primo instanti non habuere gratiam.

Respondetur secundò, non fore necesse oppositas propositiones priùs quidem esse rectas; deinde oppositas: & ita potuit in primo instanti ex cognitione naturali Dei eum super omnia amare naturaliter, & si habuisset gratiam in creatione etiam supernaturaliter. Frustrà etiam Mastrius *n.24.* negat maiorem: nam electio deliberata absque subreptione supponit plenam cognitionem bonitatis, saltem apparentis, præ bonitate spretâ, alioqui possem eligere incognita, imò impossibilia, contra Aristotelem *3. Eth. cap.2.* Voluntas profectò sola eligit possibilia cognita, & requiritur collatio plurium bonitatum, &c. vt arguit S. Doctor.

Probatur secundò, *fundam.4.* consequenti 67 à D.Bonauent. quod est præcipuum fundamentum etiam D. Thomæ. Si Angelus in primo instanti peccasset, illa culpa referretur in Deum; sed hoc est absonum: ergo. Probatur sequela. Operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est ab agente, à quo habet esse, sicut moueri sursum ignem, attribuitur generanti ab Aristotele 8. *Phys.* Probatur minor, & totum argumentum confirmatur hic, & *in vltimo fundamento.* Primò quidem moraliter; quia non potest peccatum committi sine Dei permissione. Sed Deus non potest, secundùm leges suæ prouidentiæ, simul velle, Angelum esse à se factum bonum efficaciter, & velle permittere esse malum. Ideò Concilium Brachar. damnat dicentes, Diabolum non fuisse priùs bonum à Deo factum, antequam peccator esset. Idem habet D. Leo Magn. *epist.93. cap.6.* & alij Patres apud Suarez *num.54.* confirmantes rationem SS. Doctorum, vt notat Bannes. Idem colligitur ex Concilio Lateranensi suprà.

Respondet Valentia *punct.4.* Faber *num.18.* 68 Patres, & Concilia solùm velle, Angelum fuisse bonum naturâ, & in actu primo; non tamen implicasse, quin liberè ad actus malos suâ voluntate prodire valeret. Solùm enim, quoad naturalia, vera est propositio. *Qui dat esse, dat & consequentia immediata ad esse*, vt ait Arriaga.

Contra; quia si in primo instanti necessariò asseruntur Angeli facti boni rectitudine naturali, non potuerunt rectitudinem naturalem non habere, quæ cum culpa repugnat, vt infrà vrgebo.

Deinde confirmatur argumentum absolutè 69 Physicè, quia Angelus in primo instanti non potest se determinare ex defectu cognitionis prænecessariæ, vt suprà est ostensum. Ergo determinandus extrinsecè à Deo ad actum prauum, quod aduersarij in Thomistis reprehendunt.

Neque verò benè inferunt futurum, vt deberet determinari etiam pro actibus sequentibus: nam, licèt in naturalibus hoc sequatur, non tamen in liberis, vt notat Granad. neque sic petitur principium, vt putat Arriaga *num.13.* sed assignatur vera disparitas; quia agens liberum se potest facere bonum.

Faber *num.10.* contra nostram rationem arguit 70 ex Scoto. Peccare est defectus, ideò habet causam deficientem, non efficientem: at Deus non est causa deficiens; sed efficiens. Ergo dato, quòd Angelus peccaret in primo instanti, peccatum non esset à Deo.

At quis non videt, hos petere miserabiliter principium? Sciebant quidem SS. Doctores, peccare, esse deficere, quod ostendit Seraphicus *in 1. dist.45. & 46.* idque ideò non posse esse à Deo, hoc tamen absurdum inferunt opponi Scoto. Itaque respondent Scotus, & asseclæ, id non sequi, quia est imperfectio. Sed hoc est etiam petere principium, sicut qui respondent argumento illi Scotico, quod dicit sequuturam confusionem personarum diuinarum, si tolleretur distinctio formalis; non sequi tamen, quia est imperfectio, vt aiunt.

Ex dictis quoque ruit secunda responsio Fabri, 71 *loco cit.* & Arriagæ *disp.1. sect.2. & 4.* eodem modo pendere à prima causa creaturam in secundo, & sequentibus instantibus; atque adeò futurum, vt neque in illis se posset determinare ad malum, ne adscriberetur Deo.

Instat

INSTAT tertiò Faber cum Valentia, sequelam inductam à nobis esse contra D. Augustinum, 11. *de ciuit. cap.* 13. vbi ait: Eos, qui dicunt Angelos ab initio peccasse, non sentire cum Manichæis.

72 AT non satis capiunt discursum S. Augustini: ibi enim prosequitur dictum Ioannis: *Ab initio diabolus peccat*, & comparat cum alio dicto eius: *In veritate non stetit.* Itaque vult dicere, vt acutè obseruat D. Bonauent. *hic*, *& quæst. praeced.* Illi dicentes, Diabolum initio peccasse, nolunt dicere, eum peccasse in primo instanti creationis; sed post primum instans: nam in veritate, in qua erat, non perstitit: ergo aliquo instanti fuit bonus, licèt non perseuerauerit; Ideo is non consentit Manichæo. Verba D. Augustini sunt: *Ab initio Diabolus peccat, hoc est, ex quo creatus est, iustitiam recusauit. Huic sententiæ quisquis acquiescit, non cum illis hæreticis sapit, idest Manichæis: & si quæ aliæ pestes ita sentiunt, &c. qui tanta vanitate desipiscunt, vt cùm verba ista Euangelica in auctoritate nobiscum habeant, non attendant non dixisse Dominum: A veritate alienus fuit: sed, In veritate non stetit, vbi à veritate lapsum intelligi voluit: in qua vtique si stetisset, eius particeps factus beatus cum sanctis Angelis permaneret.* Quid clarius? Itaque ratio Sanctorum Doctorum manet inconcussa.

73 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *fundam.* 5. quo nititur Holcoth. Ad peccatum requiritur libertas; sed in illo primo instanti non fuisset liber: ergo. Maior patet. Minor probatur, si in primo instanti fuisset liber: ergo in sensu composito in eodem instanti fuit verum, eum peccare; atque adeò fuisse peccatum, & potentiam, vt existens non esset peccatum. Neque potest dici talis potentia fuisse libera ante illud instans: nam ante illud instans non erat Angelus: ergo neque erat liber: ergo si in eo primo instanti peccasset, fuit peccatum ex suppositione, atque adeò non potuit non esse, iuxta regulam Aristotelis, quòd *res, quando est, necessariò est.*

RESPONDENT Scotus, & asseclæ, Angelum habuisse potentiam liberam ante actum peccati; non prioritate temporis, sed naturæ; atque adeò, cùm peccauit, prius naturâ potuit non peccare.

74 CONTRA: implicat in eodem instanti temporis esse contradictoria; sed esse peccatum, & non esse, sunt contradictoria: ergo non potuere simul esse; at si Angelus in primo instanti peccasset, fuisset vtrumque: ergo fuisset sanè peccatum; at potuisset etiam non esse. Eia igitur demus, non velle; iam non fuisset peccatum, & simul fuisset.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *fundam.* 6. ratione, quam Faber vocat argutiam Scoti. Omnis mutatio est per transitum à priuatione ad habitum; vel ab habitu ad priuationem, ex Aristot. *primo Physic. & tertio*; at nihil in eodem instanti potest esse sub priuatione, & habitu simul, v. g. esse album, & non album: esse viuum, & mortuum: ergo nihil in instanti (infert Scotus) potest mutari. At non est hæc legitima consequentia; sed potiùs ista, quam infert Seraphicus Doctor. Ergo nihil, quod mutatur potest esse sub priuatione, & habitu: at peccans transit ab habitu gratiæ, vel rectitudinis naturalis ad priuationem. Ergo cùm in primo instanti haberet gratiam, secundùm aduersarios, aut saltem rectitudinem naturalem, non potuit in eodem instanti habere eius priuationem; alioqui contradictoria omninò in eodem essent.

75 RESPONDET Scotus, quod peccare in primo instanti non est propriè mutatio, quia non est transitus à gratia ad gratiæ priuationem, quia Angelus antè non habuit habitum gratiæ. Ergo si peccasset in primo instanti non transiisset ab habitu ad priuationem; sed solùm acquisisset priuationem illius habitus, quem habere poterat, & debebat; ideò ille actus non fuisset propriè mutatio; sed solùm passio de genere passionis, idest præcisè habitudo, & relatio extrinsecus in Angelo ad Deum, quatenus ei non confert gratiam, quam conferre decreuerat, nisi peccasset, sicut animatio in corpore non est mutatio in anima; sed est relatio extrinsecus informantis ad informatum in anima, quia anima non præexistit aliquâ duratione, ante informationem; sed in eodem instanti, quo creatur, informat corpus.

76 ENIM verò argutulæ istæ non elidunt argumentum. Itaque probo euidenter cum D. Bonauent. ibi interuenturam mutationem. De fide est, Angelum, vt exiit à Diuinâ manu, fuisse bonum, & rectum, rectitudine naturali, vel secundùm alios, etiam gratuitâ, neque potest aliter esse, sicut non potest à Deo esse malum. Hoc verò latiùs ostendit S. Doct. *quæstione præcedenti*, Primò ex illo Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.* Secundò ex D. Dionysio *cap.* 4. *de Diuin. nominib.* Tertiò; quia, si Angeli natura fuisset facta mala, iam culpa in Deum proiiceretur: & sic, si fecisset Diabolum malum, esset maiori pœna dignus, quam ipse Diabolus; sicut Diabolus author peccati est peior peccatore.

SVPPONO autem, peccatum esse priuationem gratiæ, secundùm Thomistas, vel rectitudinis naturalis, iuxta Scotum, vt dicam *prima secunda, tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 6.

77 Tunc sic. Quandocumque aliquid mutatur à forma, quam habet, ad priuationem eius, tunc est vera mutatio; sed Angelus in primo instanti peccans mutatus esset à rectitudine gratuita, vel saltem à rectitudine naturali, quam habet à Deo, ad priuationem, siue naturalis rectitudinis voluntatis, siue etiam gratiæ: ergo. Maior est concessa. Minor patet, & confirmatur ex D. Dionysio *cap.* 4. *de Diuin. nominib.* vbi ait: *Angelum fuisse in naturalibus vulneratum, nempè quoad rectitudinem deperditam.* Et ex D. Augustino 11. *de ciuit. cap.* 9. vbi ait, Angelos, ex luce factos esse tenebras. Hoc sanè argumentum est insolubile.

78 HINC verò magis vrget S. Bonauent. *illo fundamento sexto.* Si Angelus in primo instanti peccare potuisset, iam verificari potuissent de eodem, respectu eiusdem, contradictoria. Probatur sequela: Si Angelus in primo instanti peccasset, fuisset simul amicus, & inimicus Dei, sed hoc est contradictorium. Hoc argumentum vrget eos omnes, qui dicunt, Angelos creatos in gratia, atque eos, qui dicunt, peccatum, & gratiam formaliter opponi, quos referam, quoad hoc, *disp.* 5. *quæst.* 1. quoad alterum verò, *prima secunda, tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 6. Contra eos verò qui dicunt, peccatum non opponi formaliter gratiæ: sed rectitudini naturali: sic subsumo. Si Angelus in primo instanti peccasset, fuisset simul rectus voluntate

voluntate, & peruersus; seu rectus rectitudine naturali, & non rectus ea rectitudine: sed hæc per vos sunt contradictoria: ergo. Porrò, culpam opponi rectitudini naturali, defendunt Scotus, & asseclæ omnes, vt habes apud Fabrum *tom.2.disp.*1. Mastrium *disp.*6. *q.*2. cum D. Bonau. vt ostendam *prima secunda, disp.*1.*de Peccatis, quæst. cit.* Hoc argumentum esse euidens fatetur Suarez *lib.*5. *cap.*11. *num.*5. quo vtitur Seraphicus etiam *in* 3.*dist.*18.*quæst.*1.*ad quartum.*

79 Respondebunt priores, qui sunt Thomistæ, non secuturam contradictionem, quia sub diuersa ratione coibunt contradictoria: nam illi Angeli erunt amici Dei, quoad habitum; inimici verò quoad actum: sicuti homo est rationalis, ratione gradus supremi animæ; & irrationalis, ratione gradus sensibilis.

Contra, *ex primo Perhierm. cap.*4. & *lib.*4. *Metaph. text.*14. & 15. contradictio est circa idem subiectum ab incompossibilibus, vt notat etiam D. Bonauent. *in* 2.*dist.*11. Sed sic se habet, vt incompossibilia, secundum vos, essent in eodem subiecto simul: ergo. Exemplum verò de rationali, & irrationali non est ad rem: tum quia sunt in diuersis gradibus animæ; atque adeò in diuersis subiectis: tum etiam, quia sensibile in homine non dicit oppositionem; sed subordinationem ad rationale, non enim dicit totalem oppositionem rationali, siue positiuam, siue priuatiuam: non positiuam, quia hæc est à differentiis specialibus brutorum; neque priuatiuam; quia illi gradui præciso sensibilis non inest potentia, & debitum formæ, seu aptitudo ad eam rationalitatis; sed tantùm subordinatio.

80 At esto contradictio ista sit ratione habitus, & actus, qui sunt diuersi; tamen hi cùm, secundum vos, sint Physicè oppositi, nequeunt stare in eodem subiecto: in subiecto enim eodem est contradictio.

Deinde probo contradictionem, quia; Qui est amicus Dei secundùm habitum, est talis etiam secundùm actum; sed Angelus per te esset amicus Dei secundùm habitum: ergo & secundùm actum. Maior probatur ex 1. Ioan. *Qui natus est ex Deo, non peccat.* (Et infrà): *peccare non potest.*

81 Deinde vrgeo cum D. Bonauent. peccatum est priuatio illius boni, cui est formaliter oppositum; sed est priuatio, per te, gratiæ sanctificantis: ergo. Si igitur Angelus per te in primo instanti peccasset, iam recepisset gratiam in eo instanti, & in eodem illam amisisset, siue per corruptionem, siue per annihilationem, quod est absonum, ex Arist. 8.*Phys.text.*62.& 63. vt exponit Commentator dicens: *Absurdum est, idem in eodem instanti generari, & corrumpi*, vbi loquitur de instanti temporis. Subdit enim, *& nullo tempore permanere.* Ita refert Seraphicus. Hoc argumentum est aduersariis fatale; neque video aliquem illud soluentem.

Dices, etiam anima in primo instanti creationis est bona moraliter, & mala labe originariâ.

82 Respondet D. Bonauent. 3. *dist.*18. *quæst.*1.*in corpore*, non esse paritatem: anima enim est bona tantùm physicè; mala verò moraliter per habitum originarium; neque eodem instanti creationis esse malam; sed post vnionem.

Quod verò Morand. *num.*770. respondet, peccatum non destructurum gratiam; sed solùm tunc impediturum, ne infundatur, coincidit cum responso Scoti suprà attrito. Vrgeo. Angeli per te, *num.*759. à creatione gratiam habuêre. Quo pacto suis actibus, sanè sequentibus, impedirent, ne infunderetur?

Obiicies primò. D. Bonauent. *in* 3. *dist.*18. *quæst.*1. *ad* 5. negat, omne illud, quod habetur à principio de actibus moralibus, esse à Deo; atque adeò falsa est doctrina argumenti secundi.

Respondetur, eum loqui de actu meriti, quod non à Deo solo est, & asserere, potuisse animam Christi in primo instanti mereri, Deo ità volente. 83

Obiicies secundò cum Scoto, argumentum principale, quod vrgent Scotistæ omnes; Vasq. *cap.*3. Valentia *in secunda sententia*, Suarez *num.*3. & alij. Angelus in primo instanti habuit potentiam perfectam operatiuam, & non determinatam: ergo potuit peccare. Probatur consequens, quia nullum fuit impedimentum ex parte voluntatis, vel intellectûs: ergo nullum obstaculum potest poni. Antecedens latè probatur à Suarez, Mastrio, Fabro, & aliis; vtique rationibus suprà refutatis.

Respondet D.Bonauent. *fundam.*3.& *ad arg.*3. & 4. Voluntatem in primo instanti non habuisse omnia requisita, vt exiret in actum secundùm, tum ex parte sui, quia non poterat simul esse recta, & praua: tum ex parte intellectûs, cuius debuêre multæ operationes præire. 84

Obiicies tertiò. Causa actu potest operari opus instantaneum. Sic sol creatus eodem instanti illuminat. Confirmatur ex D.Bonauent.*argum.*3.*ad oppositum*, vnde eruta est hæc ratio; quia liberum arbitrium Angeli est potentissimum, & magis quàm Lux, ex D.Bernardo.

Respondet S.Doctor, concedendo id de lucido corpore per emanationem, cum D.Aug.6.*de Trin. c.*1.& *lib.*3.*contra Maxim.c.*14.& *in Ioan.tr.*20.esto & in Angelis actus intellectûs producatur in instāti; non tamen voluntatis, quæ debet ad electionem multa supponere, requirentia, vt ostendi, aliquam durationem. Itaque sicut sol non potest vno instanti omnia operari, v.g. producere glebam auri: sic nec liberum arbitrium Angeli, quod potentissimum quidem est; sed non ad contradictoria, ad quæ neque omnipotentia Dei extenditur. 85

Obiicies quartò. Anima rationalis eodem instanti creationis inficitur labe originariâ. Ita eodem instanti esset bona, rectificata à Deo, & mala ex vnione cum carne naturaliter propagatâ ex Adam: nam creatur in corpore à Deo, qui creando infundit; & infundendo creat, ex D.Bonau.2.*dist.*31. *art.*2.*quæst.*2. & communi sensu omnium: ergo similiter potuisset eodem instanti Angelus esse rectus à Deo, & prauus à sua voluntate.

Respondet S.Doct.*ad quintum*, disparem esse rationem. Anima enim inficitur non per proprium actum deliberationis, ad quem necessariò debet præcurrere saltem vnum instans considerationis; sed per vnionem ad carnem infectam; atque hinc fit, neque esse maculatam, nisi in termino vnionis, post primum instans. Eodem modo respondet *dist.*31.*art.*2.*quæst.*2. *fundam. vlt.* & *dist.*30. *quæst.*2. *ad* 5. & 6. Diuersa etiam ratione est bona, nempè naturaliter; sed mala extrinsecè, quatenus caret iustitiâ originali, debitâ haberi, atque adeò ratione malæ voluntatis, seu prauitatis Adæ. 86

Obiicies quintò, Si voluntas Angeli in primo instanti non potuit peccare: ergo non fuit libera: ergo neque potuit mereri.

Respon

87 RESPONDENT Nazarius, Serra, & alij, fuisse liberum, quoad exercitium, vt posset hunc actum, vel illum bonum habere, & non habere; non tamen quoad specificationem, vt posset ad actus oppositos prauos: nam primus actus est necessariò rectus.

INSTAT Mastrius: ergo potuit peccare omissione, non habendo actum bonum, qui fuisset præceptus.

Respondebunt, negando sequelam, supposito enim, quòd in primo actu deberet esse rectus, non foret liberum ei omittere actum præceptum.

RESPONDETVR igitur, omissionem tunc debuisse esse ex actu specificatiuo: *Volo omittere*, atque adeò admitti debuit libertas quoad specificationem, quæ primo actui naturali repugnat. Id ostendam *prima secundæ, tract.3.disp.1.quæst.7.*

88 INSTAT Mastrius. Si ille actus erat merè naturalis, quomodo fuit meritorius? neque afferant similitudinem Christi, qui potuit mereri, etiamsi non posset peccare: nam is erat, & comprehensor, & viator; non sic Angelus.

RESPONDENT, non repugnare, esse necessarium, quoad specificationem: & meritorium, quoad exercitium; quia potuit actum illum charitatis in Deum referre, quem ideò liberè elicuit in primo instanti, in quo, vt ostensum est, non erat viator quoad libertatem specificationis, vt dixi.

Deinde dico, Angelos in primo instanti non esse emeritos, quia non habuêre gratiam, & cætera necessaria, etiam quoad intellectionem, iuxta fundamenta D. Bonauenturæ.

89 DICES. Christus in primo instanti meruit, vt concedit S. Bonauent. *supra.*

RESPONDETVR, sensum S.Doct.esse, potuisse Christum probabiliter in primo instanti meruisse supernaturaliter sibi omnium præcognoscendorum infusam à Deo notitiam, simul cum auxilio supernaturali. Adde ex sola dignitate, & sanctitate personæ. Ex quo habes videri Seraphicum tantisper deflectere ad tertiam sententiam, quæ absolutam quidem implicantiam ad peccandum Angelo negat; sed solùm moralem concedit; attamen dum naturaliter id negatur, profectò negatur Physicè. Adde, rationes eius hoc inferre.

QVÆSTIO XII.

Vtrum ANGELVS *in suo primo* VELLE *sit ita fixus, vt nequeat illud retractare.*

D.Bonau.d.7.p.1.q.1.& q.2.ad 6.
D.Thom.q.64.art.2.

PRIMA opinio affirmatiua censet, Angelum in primâ electione deliberatâ esse immobilem. Ità Alens.3.*part.quæst.*1.*memb.*2. & 4.*part. quæst.*12. *memb.*2.*art.*1.§1. Henricus *quodl.*8.*q.*11. D.Thom. *hic, quæst.*64. *art.*2. & *lib.*4. *contra Gent. cap.*95. & *quæst.*14. *de verit. art.*10. & *quæst.*16. *de malo, art.*1. Eum sequuntur Thomistæ: Capreol. 2. *dist.*7. *q.*1. *art.*1.*concl.*2.Ferrar.*ad locum contra Gent.*Caietanus, Bannes, Nazarius, Serra, Zumellus, Ioan.de S.Th.

90 Salmaticens. & alij recentes Thomistæ *ad art. cit. quæst.*64. Arboreus *lib.*1. *Theosoph. cap.*5. Granado *tract.*14.*disp.*2.hic tamen de morali immutabilitate explicat D.Thomam, cum Suarez, *lib.*8.*c.*7.Tannero *q.*4.*dub.*2.Merac.*disp.*53.*sect.*2. Otegio *disp.*3.*c.*11.

Huius primæ sententiæ videtur D. Bonauent. 2.*part. Breuil.cap.*7.& 8. & 3.*part.Centil. sect.*13. & *in* 2. *dist.*4 *art.*2. *quæst.*2. At verò in hoc postremo loco remittit quæstionem discutiendam *ad dist.*7. *hic*, vt notant Marginistæ. Imò verò ibi arguit ad hominem, vt dicam *disp.*5. *quæst.*1. *In Breuil.* autem adscribit immutabilitatem dæmonum decreto Dei, quo sensu explicantur SS.PP. Bernardus, Anselmus, & alij, quos Thomistæ pro se allegant. In *cap.*verò 8.*eiusdem Breuil.* præclarè docet, vertibilitatem liberi arbitrij Angelorum Sanctorum stabilitam à statu beato. *In Centil.* autem solùm asserit quandam stabilitatem moralem, seu difficultatem ad oppositum eligendum. Similia habet *in Compend.Theolog. lib.*2. *cap.*25. sed ibi solùm refert omnes omnium rationes, ob quas peccatum diaboli sit irremediabile, atque negotium, vt video, ad hunc locum remittit.

Igitur in hac quæstione decernit, Angelum non esse post primam deliberatam electionem omninò inflexibilem ad oppositum eligendum. Eum sequuntur Ægidius *dist.*7. *quæst.*1. *art.*2. Durand. *q.*2. Ariminensis *quæst.*1.*art.*2. Gabr.*ibidem*, Marsil.*in* 2. *quæst.*5.*art.*5. Ocham 2.*quæst.*19.Paludanus *disp.*50. *quæst.*1.Scotus 2.*dist.*7.*quæst.vnic.* & *in report.eadem dist. quæst.*3. vbi Lichetus, Tartaret. Faber *disp.*34. Vulp. *disp.*32.*art.*7. Brancas. *disp.*10.*q.*17. Poncius *disp.*15. *quæst.*4. Mastrius *disp.*3. *quæst.*5. Valentia *quæst.*15.*puncto* 2. Fuliens. *lib.*3.*cap* 9. Molina *q.*64. *art.*2. *dub.*2. Vasquez *disp.*239. *cap.*4. & 7. Suarez *lib.*3.*cap.*10. Tanner. *disp.*5. *quæst.*4. *dub.*2. *num.*5. Arriaga *disp.*14.*sect.*5.*subsect.*2. Becanus, Amicus, & alij *ad quæst.*64. D.Thomæ. Auersa *q.*60. *sect.*1. Oregius *tract.*3.*cap.*11.*quæst.*1.Morand.*tract.*7.*q.*40. Arrubal, & alij apud allegatos, qui dicunt, omnium iam plausu, extra D. Thomæ Scholam, excipi. E nostris Casp.*disp.*7.*sect.*5. Marcus *q.*58.*art.*2. 91

ASSERO cum hac sententia, Angelum post primam electionem non esse inflexibilem omnino ad oppositum.

PROBATVR à D. Bonauent. primò, *argum.*2. *ad opp. adduto responso*; authoritate præclarissima D.Fulgentij *de fide ad Petrum, cap.*3. qua nituntur Scotus, & discipuli. Faber *num.*10. Mastrius *n.*88. Valentia, qui hoc testimonium clarissimum acclamat, Suarez *num.*6. qui hanc vnicam authoritatem, inter plures ibi allegatas, insolubilem ostendit. Hæc sunt verba D. Fulgentij, eo loco, inter opera D.August.tom.3. *Si humana natura, postquam à Deo auersa, bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset; multò possibilius natura hoc haberet Angelica, quæ quantò minùs grauatur terreni corporis pondere, tantò magis hac praditus esset facultate.* Quid clarius? Igitur cùm aduersarij, hominem à prima electione mutabilem fateantur, coguntur & Angelum confiteri, nisi vim inferant; vt ait Morandus. 92

RVRSVS *cap.*23. ait: *Hoc ipsum, quod Angeli ab illo statu beatitudinis mutari in deterius nullatenus possunt; non est eis naturaliter insitum; sed postquam creati sunt, gratia diuina largitate collatum. Si enim Angeli incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus, & eius Angeli cecidissent.* Has duas authoritates premit Tannerus. 93

RESPONDET Caietanus ad primam, solùm indicari, quòd, cùm ad redeundum ad Deum necessaria esset gratia; si Angelus, vel homo redire deberent ex se, deberet eis gratia esse connaturalis; tunc verò ex hac parte faciliùs re-

diret Angelus; quia nobilioris naturæ cùm sit, esset ei gratia connaturalior: at hoc non tollit, quin Angelus naturâ suâ sit immobilis: sic respondet & Ioannes de S. Thoma, imò Arriaga *subsect.3.* infirmam, hac de causa, vocat; atque posteriorem authoritatem pro nostra sententia firmam confitetur.

94 Ea tamen responsio labilis est: nam loquitur D. Fulgentius de reuersione Angeli ad bonum, & supposito Dei auxilio, supponitur & Angelicum arbitrium posse gratiam sectari, & reuerti ad Deum non minùs, quàm nos. Etenim si inflexibilitas esset propria Angelicæ naturæ, falsum esset, quòd si virtus resumendi bonam voluntatem posset esse naturalis homini; possit quoque esse naturalis Angelo; quia talis retractatio, post plenam electionem naturæ Angelicæ, repugnaret. Profectò cùm necessarius sit etiam concursus liberi arbitrij; si illud esset inflexibile, nihil prodesset gratia; neque esse posset connaturalis, cùm iam esset futura frustrà.

95 Probatvr secundò à D. Bonauent. in Pharetra *lib.1. cap.6.* ex D. Isidoro *de summo bono*, lib.1. cap.12. *Inest Angelis mutabilitas in natura; sed facit eos incorruptos charitas sempiterna.* Vbi moralem incorruptionem, non naturæ; sed gratiæ consummatæ, adscribendam ait: Et in *Centil. 3. part. sect.16. & in 2. dist.9. ad litteram Magistri* idipsum confirmat è Damasceno, *lib.2. de fide, cap.3.* vbi definit Angelum: *Est substantia incorporea, semper mobilis.* Ergo semper potest retractare suam deliberationem.

Respondet Ioannes de S.Thoma, non dici Angelum semper mobilem, quoad hoc. Similiter, cùm D.Isidorus, & alij Patres dicunt, Angelos solùm ex gratia esse immutabiles in bono, verissimum fatentur, & quamvis Angelus naturâ suâ sit inflexibilis post electionem; quatenùs tamen, hæc inflexibilitas sit in bono, magnum est Dei beneficium. Eadem ferè respondet Granadus Nazianzeno, Nicetæ, & ipsi Isidoro.

96 At futilis est responsio, vt videre acutè Meldula *num.89.* Vasq. *cap.3.* Suarez *num.7.* ex D. Bonauent. nam Damascenus asserit, Angelum semper mobilem ad retractationem, ait enim; Sanctos Angelos non posse moueri de bono in malum, ex gratiæ confirmatione; non ex natura. Similiter cùm Sancti attribuunt immobilitatem Angelorum Sanctorum gratiæ Dei, loquuntur præcipuè de continuatione in bono iam electo; & hanc soli gratiæ adscribunt: ergo supponunt Angelum naturâ suâ esse mutabilem.

Probatvr tertiò à S.Doct. *argum. primo opp.* Dolor est dissensus ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, ex D.August. 14. *de ciuit. cap.6.* & 15. sed diabolus scit, se amisisse illam nobilitatem, quam habebat in cœlo, & incurrisse pœnam in inferno: & primum maximè diligit: & secundum maximè odit. Ergo pœnitet de hoc, quod voluit. Ergo volitionem mutat. Hoc argumento multi nituntur, præcipuè Arriaga *num.45.*

97 Probatvr quartò à D. Bonauent. *arg.3. & 4.* ratione, qua nititur Scotus apud Fabrum *num.12.* Suarez *num.8.* Vasq. *num.5. & seq.* Arriaga *loco cit.* Quandocumque aliquis est talis prius, secundum suam naturam substantialiter; non mutatur substantialiter per actum posteriorem, secundum naturam, quæ est prior; sed Angelus per vos ante electionem est substantialiter liber: ergo per actum superuenientem non perdit libertatem.

Idem argumentum habet D. Bonauent. *dist.7. part.1. art.2. quæst.2. fund.4.* & cum eo Motandus Maior probatur. Quod est prius substantialiter, non pendet in sua destructione à posteriori accidente superueniente. Confirmatur à S.Doct. in casu nostro, *argum.2. & in corpore*: quia homo, etiamsi peccasset plenissima deliberatione ex plenissima cognitione, sicut peccauit Salomon, & similes, adhuc posset agere pœnitentiam. Confirmatur; quia ille primus actus est liber, & non adæquat totam voluntatem, nec imperat: ergo non reddit eam immobilem ad actus oppositos. Licèt autem ille actus sit necessarius ex suppositione; tamen dependet à voluntate libera in conseruari: at nullus effectus imponit necessitatem suæ causæ ad conseruationem, si ea ex se talem non habet necessitatem. Confirmatur: nam actus non opponitur potentiæ; sed actui contrario, vt notat Morandus.

Hinc, non solida est ratio Henrici referentis 98
hanc immobilitatem in magnum conatum Angelicæ voluntatis, Profectò adhuc ille actus tanto enixu productus fuit liber, vt obseruant Seraphicus, & Suarez *num.10.* cuius signum est, quod potest ab eo actu cessare.

Neqve venit ex aliquo habitu: talis enim habitus cogens non assignatur. Neque ex natura voluntatis; quia cùm creata sit, semper est mobilis, vt sæpè repetit D. Bonauent. ex Damasceno, sic definiente Angelum semper arbitrio mobilem, vt aduertit quoque Vasquez, referens Damasceni definitionem. Fateor immobilitatem in bono, esse bonam, neque tamen debetur Angelo, cùm sit propria naturæ Dei. Adde immobilitatem in malo esse malam, atque adeò non conuenire naturæ, quæ est à Deo, vt arguit Seraphicus Doctor.

Respondet iam Caietanus argumento, vo- 99
luntatem per actum secundum mutari substantialiter, nam transit in affectionis illius naturam, & sic quidquid deinde vult ex illa affectione, volet ex naturæ institutione; at responsio iam à D. Bonauent. explosa est; quia actus ille est accidens posterius, libereque egrediens; ac proinde non valet mutare voluntatem substantialiter. Ergo neque quoad operationem: nam operari sequitur ad esse. Ita S.Bonau. *argum.3.* & Faber *num.12.*

Dices D.Bonau. *3.p. Centil. sect.14.* ait: Voluntas diaboli obstinata habet deformitatem, in qua etiam naturæ variatio habetur.

Respondetur ex eodem S.Doct. naturam esse va- 100
riatam accidentaliter, quantum ad modum peccandi, quia modò appetit excellentiam sibi, modò aliis ruinam.

Probatvr quintò à D. Bonau. Si inflexibilitas post peccatum inesset Angelo naturaliter, profectò inesset illi à Deo: nam quidquid est naturæ, à Deo est, secundùm Thomistas, relatos *quæstione præcedenti.*

Probatvr sextò à S. Doct. Quidquid recipitur, admodum recipientis recipitur; sed primus actus voluntatis Angeli recipitur in voluntate: ergo per modum voluntatis; sed modus essentialis voluntatis est, esse liberam: ergo, vt est in voluntate recipitur in eâ adhuc vt liberâ.

Probatvr septimò à D.Bonauent. *dist.4.q.2.* 101
fundamento 3. & 4. & *in corpore, argumento ad hominem*, quo vtitur Scotus apud Fabrum *num.15.* Mastrium *num.90.* & Arriaga *loco cit.* Hi, qui dicunt, Angelum esse immutabilem à prima electione ad oppositam, censent etiam, Angelum esse creatum

tum in gratia, atque adeò in primo instanti omnes meruisse; quia gratia non est otiosa: *Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia*, vt ait D.Ambrosius *in cap.1. Lucæ*; nec ipsi habuêre retardationem. Tunc sic: si hæc vera essent; nunquam Angeli peccassent, quia si in primo instanti dilexerunt Deum, non potuerunt in sequentibus à Deo ampliùs auerti. Est ratio D. Fulgentij *cap.23. supra*.

102 RESPONDET Granado, primam illam volitionem non fuisse liberam omninò: ideo potuisse illam retractare.

Contra primò; quia, ex Granado, Angeli omnes in primo instanti meruerunt: ergo libero actu. Deinde fatetur, Angelos bonos in primo instanti summa intensione, quà potuêre, Deum adamasse: ergo immutabiliter. Vnde ergo teporem in aliis, vel libertatis defectum venatur?

103 RESPONDENT Thomistæ cum Caietano, & Ferrario, Angelos esse immobiles circa obiecta, quæ plena deliberatione eligunt cum facultate ad vtramque partem: Angelos autem in primo instanti non dilexisse Deum actu deliberato plenè, & cum facultate ad vtramque partem, quia non poterant peccare, & odio habere Deum propterea maximè flexibiles fuisse ab illo amore.

CONTRA, quia talis actus secundùm Thomistas fuit meritorius: ergo perfectè deliberatus, & liber. Confirmatur; quia vel per indeliberationem accipiunt actum cum aliqua inaduertentia; & hoc pacto, cùm dæmones peccauerint, secundùm Thomistas, adhuc essent naturâ à peccato illo flexibiles, quod ipsi negant; vel per indeliberationem intelligunt eam, quæ non est satis ad peccandum. Et hoc falsum, quia ea voluntas, quæ sufficit ad merendum; sufficit etiam ad peccandum. Gratis

104 sanè loquuntur, vt ait Morandus. Confirmatur: nam diabolus cum antea vrgeret ad mortem Christi, vt constat ex illo Ioan.13. *Cum diabolus misisset in cor Iudæ, vt traderet eum*; vt obseruat ibi S. Doct. ex D.Augustino *tract.55.* posteà suasit Pilato per illius vxorem, vt eum liberaret, vt obseruat Seraphicus *ibi* cum D. Ignatio *ep.5.* Beda, & Hugone Card. *relatis à Marco*, sic repulsus reuertitur *Lucæ 11.* vt notat, *ibi*, S.Bonau.

OBIICIVNT primò Thomistæ multos Patres Fulgentium *de fide, cap.3.* Anselmum *de casu diaboli*, dicentes, diabolum nunquam semel amissam bonam voluntatem recuperare. Clariùs B. Laurentius Iustinianus *serm.de S.Michaële*, vbi loquens de natura Angelica ait: *Post electionem, siue in bono, siue in malo, immutabilem habet firmitatem; ad quod enim se vertit, inflexibilis est.* D.Bernardum addunt dicentem; Angelos esse irreuocabiles, & lapsu irremediabili corruisse: & Damascenum *lib.2. de fide, cap.3.* dicentem, eos esse pœnitentiæ incapaces.

105 RESPONDET Scotus §. *contra*. Mastrius *n.*100. ex D.Bonau. *hic*, & *2.p. Centil. sect.13. & 14.* Sanctos Patres non adscribere inflexibilitati naturæ irreparabilem dæmonum ruinam; sed diuinæ iustitiæ, quæ eis præfixit terminum in primo casu. Id probat Seraphicus ex ipso Damasceno *2. de fide, cap.4. in fine*, & *cap.18.* & *lib.2.cap.3.* vbi ideò ait: *Hoc est Angelis casus; quod hominibus mors.* Deinde idem probat ex Fulgentio *loco cit.* vbi ait: *De Angelis hoc disposuit, & impleuit, vt si quis eorum bonitatem voluntatis perderet; numquam eam diuino munere repararet.* Imò addit Scotus ex D. Bonau. *ad vltimum*: spectatâ Angeli naturâ, faciliùs potuisse diabolum resipiscere, quia est intellectus perspicacissimi, & malum penetrat, vt dixit suprà.

Solus B.Laurentius videtur arridere Thomistis: sed explicatur à Mastrio, amico, & aliis ex doctrina Seraphici, de morali difficultate, quæ fundatur in exacta cognitione omnium, quam habet Angelus à principio, quo fit, vt difficiliùs aliam nouam rationem accipiat; tametsi ex alia parte cognoscens perfectiùs suum malum, vehementiùs abhorreat.

OBIICIES secundò cum D.Thoma. Vis appetitiua proportionatur apprehensiuæ, à qua mouetur; sicut mobile aptatur motori; sed vis apprehensiua Angeli apprehendit immobiliter suum obiectum: ergo & vis appetitiua eiusdem obiectum appetit immobiliter. Minor probatur; quia sine discursu omnia perfectissimè percipit. Hoc argumentum desumitur è D.Bonau. *2.p. Centil. sect.13.* à Granado *tractat.14.disput.2.* indeque etiam hausit responsum; hinc argui difficultatem solùm moralem Angeli ad palinodiam; quia, cùm sapiens sit, & voluntatem habeat etiam firmiùs eligentem bonum cognitum, difficiliùs sententiam mutat: nam sapientiores sunt etiam difficiliores ad mutationes; non tamen probat inflexibiles esse; quia sapientis est sæpè mutare consilium. 106

ENIM verò Thomistæ rigidiores vrgent, vt hinc physicam probent inflexibilitatem Angelorum, quam non sanè quoad exercitium; sed quoad specificationem contendunt: licèt enim ab eo actu cessare possint, non tamen oppositum velle. Ita præsertim Ioannes de S.Thoma. 107

RESPONDET igitur Scotus, & omnes Scotistæ ex D.Bonauent. *hic*, negando maiorem: quia, licèt intellectus Angeli sit Deiformis; tamen illum non sequitur voluntas, tanquam imperata, vel conuicta, sed adhuc libera: & sicuti ante primum actum electionis; ita post eum semper manent in sua libertate. Quare negatur maior in sensu ab aduersariis intento. Falsa est etiam minor: tum quia Angelus discurrit, vt ostendi *quæst.23.* at esto in instanti apprehendat aliqua, quod non negat *ad vltimum*; non tamen propterea adhæret immobiliter Intellectus illi obiecto cognito, sed distrahitur. Ita & Morandus, Auersa, Vasquez, Valentia, Mærac. & Molina.

Ex quibus soluitur etiam ratio Henrici, qui arguit sic. Voluntas perfectior è perfectiori consideratione deliberans firmiùs rei electæ adhæret, at verò Angelus est perfectissimæ voluntatis, &c. ergo.

RESPONDET Scotus ex D. Bonau. datâ quâuis perfectâ voluntate creatâ perfectè eligente, adhuc eam manere liberam; quia talis ex intrinseco est, nec potest aliquo accidente amittere naturam, imò quò perfectior est; eo magis libera. 108

OBIICIES tertiò cum D.Thom *4. contra Gent. cap.49.* Angelus immobiliter adhæret vltimo fini, quem sibi destinauit. Ergo & mediis ad illum, atque adeò circa nullum obiectum potest mutari. Consequentia patet, quia intentio finis vltimi est principium omnium aliarum electionum. Probatur assumptum: nam illud tantùm obiectum obligat voluntatem, in quo nulla apparet ratio mali, & totaliter explet capacitatem eius, talis autem est solus vltimus finis.

RESPONDETVR, negando assumptum cum sua probatione: tum quia nec Angelus ponit suum vltimum finem in quocunque obiecto à se amato; tum quia potest in hoc, vel illo obiecto creato sibi vltimum finem constituere, & cum 109

nullum creatum obiectum adæquet Angeli capacitatem; nullum poterit illum immobilem reddere. Deinde negatur etiam consequentia: tum quia nec Angelus omnia, quæ vult, vult propter vltimum finem. Vnde saltem circa alia obiecta voluntatem mutare posset: tum quia pro consecutione vltimi finis potest hoc, vel illud medium eligere; quare, saltem circa electionem mediorum, poterit voluntatem mutare.

Dices, quòd Angelus in hoc, vel illo bono sibi vltimum finem statuat, prouenit ex dispositione subiecti, iuxta illud Aristotelis 3. Eth. cap. 8. *Qualis vnusquisque est, talis finis sibi videtur.* Ergo, quando Angelus sibi aliquid determinat appetendum, vt vltimum finem, ex aliqua peculiari dispositione in illum ducitur: talis autem dispositio in ipso immutabilis est: hæc enim est apprehensio intellectûs, qua statim ab initio in contemplationem boni peruenit: ergo in fine, cui adhæret, immutabiliter permanet.

110 Respondet Mastrius, negando minorem sub-illatam: potest enim mutari apprehensio illa, quatenus potest voluntas imperare intellectui, vt cesset ab illa, & alia consideret, per quæ ab eo amore dimoueatur; quin & sola voluntatis libertas sufficit illam mutationem affectus, etiam nulla facta in intellectu mutatione. Vide, & Vasquez *disp.* 139. *cap.* 5.

Obiicies quartò cum Bannes *ad art. D. Thom. d.* 1. si obstinatio in malo non proueniret ex immobilitate Angelicæ voluntatis; sequeretur, Angelum fuisse post primum lapsum ad pœnitentiam reuertibilem; & ideò suauis prouidentia Dei debuit, se naturæ eius accommodans, præstare auxilia, quibus adiutus pœnitentiam egisset.

Faber *cap.* 3. ad finem ait, Angelum per plures morulas à Deo fuisse expectatum, sed illum suâ culpâ in deterius ruisse.

111 At hoc repugnat D. Damasceno suprà allegato dicenti: *Quod est hominibus mors, est Angelis casus,* quem locum refert, & Faber *num.* 22. nec vidit sibi contrarium. Insuper repugnat etiam B. Fulgentio suprà, vt aduertit S. Doct. *in corpore.* Itaque Angelis primis casus fuit præscriptus fatalis. Cur autem hoc ita factum sit, explicat Seraphicus *in corpore*, §. *Notandum ad hoc*, & cum eo Mastrius *num.* 101. Cùm enim Angelus creatus sit purus spiritus, ingenerabilis, incorruptibilis, intellectu viuacissimo, volũtate valida præditus, & lumine præclaro naturali, ac superno, quibus è vicino portam beatitudinis patentem habuit, in Empyreo creatus, vt breuissimè gloriam consequeretur; Ita suauis Dei prouidentia sapienter disposuit, vt ad primam vsque auersionem sustineretur, in quam profectò caderet, non ex ignorantia, vel fomite; sed malitiâ: & ideò non est datus ei regressus ad pœnitentiam. Vnde S. August. aut Genadius, *de mirabilibus scripturæ* arridet, dicens: *Angelus de*
112 *sublimissimo sui ordinis statu cecidit.* Ideò D. Gregorius *lib.* 4 *Moral. cap.* 10. ait: *Nunquam lumen pristini status accepit; quia non persuasus amisit.* At D. August. in Enchir. cap. 29. *Placuit vniuersitatis Conditori, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea, quæ perierat, in æterna damnatione remaneret: E regione autem homo, quia conditus corporeus ad generationes egens longo tempore, ad rerum cognitionem fragilis, &c. ideò longo tempore via indiguit; & quia lapsus, ex ingenti tentatione, est miserabiliter. Ideò misericorditer respectus, & eò magis; quia omnes homines in Adamo corruerant. Nunc etiam fomite accensus à dæmone inflammatus, si cadat, maiori dignus est misericordia, eò magis, quia ignorans, cæcus, & ad malum procliuis, potest dicere misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.*

Ex dictis habes, Angelos difficiliùs, quàm homines, ex vna parte retractare, quatenus perfectiùs obiecta ab initio cognoscunt; ex altera verò parte faciliùs, quatenus vehementiùs apprehendunt bonum amissum, & malum commissum, & hoc pacto dæmones possunt cum animabus damnatis comparari, vt discurrit Morandus ex D. Bonauentura *hîc.* 113

QVÆSTIO XIII.

Vtrum in Angelis *sint habitus naturales voluntatis.*

Assero primo. In Angelis, secundùm suam naturam spectatis, possunt esse habitus naturales voluntatis, tum boni; tum mali. Ita D. Bonauent. *distinct.* 7. *quæst.* 2. *fundamento* 5. & *in corpore*, & *quæst.* 3. *in corpore.* Scotus 3. *distinct.* 33. *quæst. vnica.* Maior ibidem, *quæst.* 3. *ad vltimum*, Angestus *in Moral. cap.* 8. Molina *quæst.* 58. *artic.* 1. Suarez *lib.* 3. *cap.* 12. Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 25. *quæst.* 4. contra Durandum 3. *distinct.* 23. *quæst.* 1. *ad primum.* Mayronem *disp.* 33. *quæst.* 1. *art.* 5. Caietanum *quæst.* 54. *art.* 1. & *quæst.* 4. & *quæst.* 63. *art.* 1. Vasquium 1. *p. disputat.* 43. *cap.* 7. *num.* 32. & *disputat.* 219. & *prima secundæ, disput.* 78. *cap.* 30. *num.* 20. 22. 25. 114

Probatvr à Tannero *disput.* 5. *quæst.* 4. *dub.* 1. ex D. Bonau. *loco cit.* quia probabile est, dæmones habere habitus vitiosos superbiæ, & odij Dei, & faciliùs nunc elicere actus, quàm ab initio. Hos tamen actus intendere habitum quoad vim administratiuam, concedit S. Bonauent. *quæst.* 3. *in fine corporis*: nam quoad odium Dei, iam est in termino. Confirmatur, quia in natura Angelorum est naturalis indifferentia voluntatis ad bonum, & malum, vt dixit S. Doct. *quæst.* 1. *huius distinctionis*, quæ indifferentia potest habitibus determinari.

Assero secundò. In Angelis bonis non videntur esse habitus naturales; nec est par ratio de malis. Ita D. Bonauent. *quæst.* 3. *in fine resol.* quem secuti sunt Durandus, Mayro, Caietanus, Vasquez, Tannerus suprà, contra Suarez, & alios. 115

Probatvr à Tannero ratione D. Bonauent. quia Angeli boni totam perfectionem acceperunt in via, & nunc ratione status beati, non sunt capaces alicuius habitus vitiosi; nec vllam difficultatem sentiunt in exercitio alicuius virtutis naturalis; multò minùs indifferentes sunt, aut indeterminati ad legem naturalem seruandam: ergo nulla est ratio, cur in eis sint naturales virtutum habitus.

Dices, satis esse, quòd sint indifferentes ad multos virtutum naturalium actus, alioqui non præceptos, exercendos, vel non exercendos.

Respondetvr, negando assumptum; quia stante impossibilitate peccandi, & simul summa facilitate benè naturaliter operandi, melius est, vt illa indifferentia intra latitudinem actuum non præceptorum pro arbitratu operandi integra planè permaneat, quàm vt per habitum non necessarium ad alteram partem determinetur, adeoque diminuatur. Quamuis igitur tales habitus ab Angelo 116

gelo acquiri possent, tamen iuxta Diuinam dispositionem fit, vt non acquirantur. Ita Tannerus.



DISPVTATIO IV.

De Creatione Angelorum.



QVÆSTIO I.

Vtrum ANGELI *esse cœperint.*

1 ASSERO primò, Angelos non esse à se.

PROBATVR à D. Bonau. 2. *p. Breuil. cap.* 1. argumento, quo nititur Suarez *in Metaph. d.*28. *sect.*1. & *d.*29. *sect.*1.2.*&* 3. & *lib.*1. *de. Angel. cap.*2. Ens à se, & primum principium non potest esse, nisi vnum: ergo quod est distinctum ab illo vno ente, debet esse ab illo per efficientiam. Tales sunt Angeli: ergo. Minor probatur; quia Angeli non sunt Deus, & nequeunt seipsos produxisse.

PROBATVR secundò à D. Bonauentr. *loco cit.* quia Angeli referuntur ad Deum vt causam exemplarem, efficientem, & finalem. Ergo non habent esse à se: ergo nec esse necessarium, atque adeò nec esse æternum; quæ enim æterna sunt, sunt necessaria. Antecedens est de fide, & probatur à S. Do-

2 ctore *cap.*5. ex Genes.1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Et Eccl.18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Neque potest dici Angelus, tametsi creatus à Deo, necessariò creatus; quia, vt notat Suarez ex D.Bonauent. Deus nulla re indiget extra se. Ideò cùm sit in se perfectissimus, & liber ad extra, omnia liberè producit.

ASSERO proinde, Angelos non esse creatos ab æterno. Patet ex dictis.

3 PROBATVR à Seraphico. Quod habet esse ex nihilo, habet esse post non esse, ex dictis *tract.*3. *disput.*1. *quæst.*1. Angeli sunt ex nihilo, cùm neque sint ex substantia Dei, neque aliud præter Deum extiterit ab æterno: ergo.

PROBATVR secundò à D.Bonauent. opusc. cui titulus *Compendiosum principium in libros sententiarum* ex *Prou.*8. vbi sapientia diuina testatur, se ante omnem præextitisse creaturam. Eodem modo probatur à Suarez.



QVÆSTIO II.

Quandonam ANGELI *sint Creati.*

D.Bonau.2.d.2.art.1.q.3.
D.Thom.q.63.art.1.& 3.

CELEBRIS è Patribus opinio circumfertur, Angelos longè ante mundum creatos: quæ tamen opinio à modernis nonnullis temeritatis, seu etiam erroris, atque hæresis atro carbone signatur, præcipuè, ob definitionem Concilij Lateranensis.

4 PRIMÒ quidem refertur Origenes *homil.* 4. *in Isaiam*, vbi confusè dicit, fuisse quædam ante mundum: *tract.* verò 9. *in Matth.* dicit Angelos esse antiquiores omni creatura.

Enim verò tunc dubius fuit de hoc Origenes. Ideò in *Proæmio Periarchon* in fine ait, non constare, quando Angeli creati sunt.

SECVNDÒ fertur D. Basilius *homil.*1. *in Genes.* & *homilia secunda* in ea verba: *Terra erat inanis, & vacua.*

Enim verò solùm vult, Angelum creatum ante tempus, quod, secundùm ipsum, quarta die cum astris incepit, dum dicitur: *Et sint in signa, & tempora, dies, & annos.* Ideò *homil. prima* æternas vocat intelligentias, non quidem propriè more Peripatetico: nam Aristotelis errorem reprehendit, dicens: Ideò talem errorem emendare propheta percupiens, hac verborum exactissima complexione vsus est: *In principio fecit Deus cœlum, & terram.* Per cœlum autem intelliguntur à D. Basilio etiam Angeli, vt notat D. Anastasius Synaita *lib.*1. *Hexaëmer.* atque adeò, Angelos quidem inter creaturas primos censet, sed non ante mundum; imò cum mundo creatos. Hæc sunt verba Synaitæ: *Cœlum quidem simul comprehendendo nominat omnes cœlestes, & intelligentes sanctarum virtutum, & intelligentis mundi constitutiones; vt intelligas, supernum mundum priùs fuisse fabricatum congruentem voci Theologi, quæ dicit. Primum quidem mente cogitauit Angelicas virtutes, & cœlestes; & cogitatio opus fuit.*

Ex his quoque innuitur sententia Theologi Nazianzeni, Basilio Achati, nomine cœli, in principio creati, intelligi Angelos, conditos quidem tanquam opus præstantissimum ante alias creaturas, vtpotè in mente Artificis præcipuas; vnde ait, oratione in Christi natiuitate: *Deus primum Angelicas, & cœlestes virtutes cogitauit, atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur & Spiritu explebatur. Postquam autem primas creationis partes vidit præclarè constitutas, alterum mundum materiâ constantem moliri, & efficere voluit.* Itaque hi Patres ponunt creationem Angelorum circa idem tempus cum aliis creaturis. Hoc præclarè ostendam etiam *quæst.*3. 5

NICÆTAS verò in Commentario, ad ea verba Nazianzeni, ait: *Intellectibus mundus creatus est, hoc est primo ordine, & vnica cogitatione.* Et commentatio in orationem Nazianzeni, in sancta Lumina, ait: *Deus quippè motus sese ad rerum procreationem, & fabricationem agitauit, ac primò quidem ipsius motu Angeli procreati sunt, vtpotè ante tempus conditi; quandoquidem ante cœlum, & diem, ac solem, qui tempus constituit, Angeli creati sunt. Secundò autem hic mundus, qui aspectu sentitur.* Cum Nazianzeno sentit Damascenus *lib.*2. *de fide, cap.*3. vocans eum *Deiloquum* 6

Itaque D Nazianzenus, qui præcipuus asseritur à D.Thoma huius opinionis coriphæus, cum Basilio, Niceta, & Synaita, possunt ad bonam frugem leniter reuocari. 7

ADDVCITVR quoque D.Cyrillus *lib.*6 *in Ioan. cap.* 6. sed hic solùm eam opinionem esse plurium dixit. D. Chrysostomus *homiliis in Genes.* visus est nonnullis, huic sententiæ fauere; at solùm vult, Angelos ante corpora cœlestia factos. Ideò quando facta sunt sydera, eos laudasse Deum, vt dicitur *Iob* 38. Potuêre igitur ante quartam diem esse creati Angeli: sic & *lib.de Prouidentia* docet, non multò ante sydera, primo loco Angelos creatos. Alios etiam Græcos adducunt Theologi, infrà allegandi; sed eodem modo explicantur.

Ex Latinis adducitur D.Ambros.*lib.*1. *Hexaëmer. cap.*

cap.5. vbi tamen solùm vult, factos Angelos ante totum hunc mundum, quod potest intelligi eodem modo cum Nazianzeno, scilicet primo loco, vt praecipuas creaturas.

8 D. HIERONYMVS *ad primum caput epistola ad Titum* solùm refert aliorum, hac de re, sententiam, vt aduertit Magister *in* 2. *distinctione* 2. Attamen Ascanius Martinengus in Glossa Magna *fol*. 186. vult, ipsum locutum proprio sensu, idque probat *ex ep*. 142. *ad Damasum*, vbi ait: *Velabant faciem suam, non Dei. Quis enim eius potest scire principium? quis, antequam istum conderet mundum, interim fuerit in aeternitate, quando Angelos, eorumque caleste ministerium condiderit?* Hunc locum, ait Ascanius, esse conspicuum; ergo verò arbitror sensum D. Hieronymi esse, vt ea particula (*quando Angelos condiderit*) non referatur ad ea verba: *Antequam istum conderet mundum*; sed velle dicere. Quis nouit, quo tempore condiderit Angelos; cum nesciamus quando inceperit tempus.

9 D. HILARIVS 12. *de Trin*. ait: *Quid enim magnum est, vt ante terram Deus Dominus Christum generaret, cum Angelorum origo, terra creatione reperiatur antiquior*.

At solùm vult, ante terram creatos Angelos, quando conditum est coelum: simili modo intelligendus S. Clemens *lib*.8. *Constitut.cap*.12.

ALIOS etiam Patres Graecos, & Latinos referunt pro hac sententia Martinengus: *in Glossa Magna, tom*.1. ad ea verba Genes.1. *Creauit Deus caelum & terram*, à fol.183. Suarez *lib*.1. *de Angel.cap*.3. Vasquez *disput*.224. Valentia *disputat*. 4. *quaest*.12. *punct*.2. Tanner. *disputat*.5. *quaest*.1. *dub*.1. Molina *quaest*.61. *art*.1. Imò ait Arriaga *d*. 1. *sect*. 3. plures esse Patres pro hac sententia, quàm pro vera. Et Motandus *tract*.7.*quaest*.33. omnes ferè Patres Graecos allegat.

AT D.Bonau. in animum nequit inducere, tot

10 Patres aberrasse, & exponit eos locutos secundùm sententiam illam, quòd mundus primò rudiret fit factus, deinde rerum species distinctae: & ita, ante distinctionem illam Angelos esse creatos: Aliquos verò loqui ex aliorum opinione: alios verò de prioritate intentionis, & praeuisionis, intelligi aduertit.

Ex aduerso Gennadius *de Eccl. dogm.cap*. 10. Achatius apud Lippom. *ad* 1. *Genes*. Rupert. *lib*.1. *in Genes. cap*.11. dixêre, Angelos creatos post coelum, & terram; tametsi ante alia opera. Et fauent alij, qui, nomine lucis creatae, Angelos intelligunt, quos refert Valentia *quaest*.12. *p*.2. Quid verò sentiendum, afferam.

ASSERO primò, Angelos non fuisse ante mundum corporeum productos.

11 PROBATVR primò à D. Bonau. *in Breuil. loco adducto* illo *Ecclesiastici* 18. *Qui viuit in aeternum, creauit omnia simul*. Sic intelligitur à D.Augustino *lib*.4. *Genes. ad litt. cap*. 33. & 34. vbi & ampliùs ait, omnia vno instanti creata, quae in hebdomada prima narrantur condita *Genes*.1. Quod tamen nimium est, & ideò communiter non accipitur D. Augustini, in hoc, expositio.

VASQVEZ, colore specioso tuendi Patres suprà allatos pro prima sententia, loca Scripturarum opposita satagit infirmare, Responderque particulam *simul*, non simultatem temporis indicere, sed in virtute, & origine, vt habet D.Gregor.22.*Moral.cap*.9. quatenus omnia propagata sunt, vel è coelo, vel è terra, vel ex aliis elementis. Aut indicare celeritatem, qua omnia sunt producta, vel etiam simultatem, quae dicit communitatem, vt idem sit *simul*, ac *pariter* omnia, quae sunt extra Deum. Ita etiam Valentia *loco cit*. Suarez *n*.9.

AT verò, licet particula *simul* ex Graeco χοινῶς, 12 possit transferri, *pariter*, vt vidit Iansenius, & Suarez *num*.9. attamen sensus genuinus, in latina Editione, significat *simultatem temporis*, quae, licèt non concedatur cum D. Augustino simultas Mathematica; tamen significat tempus perbreue, quo omnia vnà sunt condita in illa celebri hebdomada. Ita exponitur etiam id *Genes*. 1. à D. Basilio *homil.prima*, *Hexaemer. cap*. 4. Gregorio Nyss. *in Hexaemer*. qui celeritatem temporis inferunt. Quo tamen refellitur prima opinio asserens multò ante Angelos creatos, vt aduertit Tannerus *disputat*.5. *quaest*.1. *dub*.1. *num*.18.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *loco cit. Breuil*. & *hic, fundam*.2. illo Genes.1. *In principio creauit Deus caelum, & terram*, quod significat initio 13 durationis ante omnia conditum coelum, & terram, vt exponunt D. August. 11. *de ciuit. cap*.6. & *Genes. imperfect. cap*.7. & 11. *ad litt. cap*.1. Philo *de mundi opif*. Tertullianus *lib. aduersus Hermog*. Ambrosius *lib*. 1. *Hexaemer. cap*.4. Eucher. *in Genes. lib*. 1. *cap*.1. Beda *in Genes*. Cyrillus *in Genes. lib*.1. Glossa interlinearis, D.Bonauent.*loco citando*, D.Thom. Burgens. Hanc expositionem cum caeteris connectit Vielmus *lect*. 2. relatus à Martinengo *tom*.1.*fol*.69. Ex qua expositione sequitur, quòd si primò in ordine condita sunt coeli, & terra; non fuerint Angeli multò antea creati. Hoc est argumentum D. Augustini *loco cit*. & Epiphanij *haeresi* 65.

Adde, Procopium exponere, nomine coeli etiam 14 Angelos intelligi, veluti coeli incolas.

VASQVEZ dicit, nostram expositionem esse incertam; sed communiter intelligi de principio temporis; non autem significare principium ordinis, vel posse explicari initio, ante alias creaturas corporeas, conditum coelum, & terram, non ante Angelos.

ENIM verò concedamus etiam id: *In principio*, significare principium temporis, vt exponunt Basilius *homil.prima, Hexaemer*. Ambrosius *in Hexaemer. lib*. 1. *cap*.4. & 6. Procop. *cap*. 1. August. *de Genes. ad litt. lib*.1. *cap*.1. Cyrillus *lib*. 5. *Thesauri, cap*.6. Comestor *Scholastica hist. cap*.1. Lyra, Tostatus, Caietanus, & alij cum D.Bonauent. *in* 2.*dist*.1. *dub*.2. vbi superiorem laudat etiam expositionem, quae cum hac non repugnat, & est sanctorum Patrum, quos recensui, atque adeò non incerta; sed certa est; tametsi & prima sit eruditis auribus digna, & tanto digna vate, vt ait Ascanius *fol*.74. cum D.Bonau. *dub* 4.

SIC enim primò definitur, tempus, & mundum esse coaeua, atque adeò mundum non fuisse aeternum, 15 vt putarant Chaldaei, à quibus Hebraei oriundi erant. Quo sensu accipitur, & explicatur etiam à Concilio Magno Later. sub Innocentio III. *cap. Firmiter*. Omitto alias S. Doctoris expositiones, quas refert Ascanius.

ATTAMEN eâ concessâ expositione, ibi etiam Angeli conditi narrantur, nomine coeli, aut Lucis, vt exponunt D. Augustinus *lib*.1. *de Genes. ad litt. cap*. 1. & *lib*. 11. *de ciuitate, cap*.9. 19. & 33. D. Cyrillus *lib*. 2. *cont. Iulianum*, Gregor. *lib*. 27. *Moral. cap*. 25. Beda in Hexaëm. Rup. *in cap*. 1. *Genes*. Igitur sensus est, ab initio cum aliis creaturis, Angelos esse in lucem editos, quorum creationem, non est vero simile à Moyse omninò silentio,

silentio esse obuolutam, cum sæpè in historia Genesis Angelos esset descripturus; eos verò esse conditos, oportebat prælibare, ne increati censerentur. Accinit David *psal.* 148. aduocans creaturas ad Conditoris laudes. *Laudate eum omnes Angeli eius. Laudate eum Sol, & Luna: quia ipse dixit, & facta sunt, &c.* Hæc sanè attrident dictis Genes. vt insistunt cum D. Bonauent. suprà, Suarez *n.* 10. Valentia *loco cit.* Tanner. & alij.

16 Vasquez à *num.* 14. ait, Angelorum creationem à Moyse omissam: quia de rerum corporearum creatione agebat, neque eos nomine lucis accipiendos, quia est narratio historica; non metaphorica.

Enim verò in littera historica etiam sensus allegoricos claudi, testatur Paulus *Galat.* 4. vbi Generationem Abrahæ ad metaphoras recitat.

Censet verò S. Doct. *loco cit. Breuil.* Angelos non fuisse euidenter descriptos, quia intentum Chronographi fuit describere mundum conditum, in ordine ad reparationem; & propterea primò narrat Adæ lapsum, miserias, &c. Mox in sequentibus libris sacrificia, & cæteras figuras. Quoniam verò Angelus ad redemptionem non pertinuit, nisi ratione ministerij, non erat necesse, eum apertè recenseri; sed satis fuit nomine lucis signari, vel vt accolam cœlo comprehendi.

Probatur tertiò à S. Doctore ex Patribus, quos asserit constanter esse pro hac sententia, eorumque sensus explicans, qui videntur alieni, omnes ad vnam sententiam reuocat. Ita præclarè sensêre è Græcis, Epiph. *hæresi* 65. Theodoret. *quæst.* 3. *Procop. in Genes. præf.* & alij apud Molinam *hic, art.* 3. Suarez *loco cit.* neque rectè Morandus *quæst* 33 ait, omnes D. Bonau. ferè esse contrarios.

17 Ex Latinis D. August. *lib.* 11. *de ciu. cap.* 6. 9. 32. & 33. & *lib.* 22. *contra Faustum, cap.* 10. & *Opere imperf. in Genes. cap.* 3. & *lib.* 2. *de Genes. ad litt. cap.* 8. & *in psal.* 89. Gregor. *lib.* 32. *Moral. cap.* 9. siue 10. & *cap.* 18. seu 24. & *lib.* 26. *cap.* 7. siue 14. & *lib.* 27. *cap.* 24. vel 25. vbi dicit, Moysen *Genes.* 1. per cœlum intellexisse Angelos. Consentiunt Beda *in Hexaëm.* & *lib. qq. in Genes.* Hugo de S. Vict. *lib.* 1. *de Sacram. p.* 1. *cap.* 5. & *p.* 5. *à cap.* 1.

Probatur quartò à Seraphico *fundam.* 1. & *in corpore*, argumento Theodoreti, quod friuolum inclamat Suarez *num.* 6. & 16. ponderosum tamen esse, acclamat Ascanius *fol.* 188. & 191. Non est autem ratio illa, quam confingit Suarez, creandum primò fuisse locum, in quo reciperentur: sed est hæc: Spiritualis substantia nobilissima debuit condi in theatrum, vt appareret distinctè, secundùm ordinem vnius ad alium, & ad suprema ministeria. Ergo debuit condi in aliquo nobilissimo continente: ergo debuit simul condi præclarissimum Empyreum; non quidem vult ex ea necessitate, vt contineantur, seu ambiantur Angeli; sed ex conuenientia, quatenus sunt creaturæ finitæ præstantissimæ, ex qua deducit Theodoretus coexistere

18 Empyreum. Qua ratione vsus est etiam D. Hilarius, vt referam *quæst. sequenti*, quod perspexit etiam Seraphicus *in* 2. *distinct.* 2. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. Imò est argumentum laudatum à Suarez *num.* 17. & refertur *septimo loco*.

Probatur quintò à S. Doct. Distinctio dierum sumitur penes distinctionem rerum: ergo productio ex nihilo præcedit omnes dies; & cùm materia corporalium sit ex nihilo producta, sicut & natura Angelica; oportet, vt vtraque ante omnem diem distinctionis corporeorum sit condita.

Quæ ratio est eorum Theologorum, qui ponunt quatuor coæua: Naturam Angelicam, materiam, Tempus, & Empyreum: sic intelligendi Patres, primò allegati, qui ante cæteras creaturas corporeas acclamant conditos Angelos, nempè, quia ante distinctionem corporeorum debuit esse creatio simpliciter.

Probatur sextò à D. Bonau. *in corpore*, ea ferè ratione, quà vtitur D. Thom. Creatio est productio mundi. Igitur vna debuit esse productio eorum omnium, quæ ad substantiale faciant vnius vniuersi complementum. Cùm igitur inter creaturas spirituales prima sit Angelus: inter corporeas Empyreum: inter potentialia materia corporeorum: inter mensuras Tempus. Igitur hæc quatuor debuêre esse coæua, & ad hæc sequi distinctionem corporeorum per sex dies, vt omnia essent optimâ harmoniâ concinnata. Hanc rationem optimam acclamant Suarez *num.* 17. Tanner. *num.* 23. Morandus *num.* 756. & communiter D. Thomæ Interpretes. 19

Probatur septimò à S. Doct. *d.* 4. *quæst.* 1. *argum.* 1. *addito responso*, ratione, quam magni pendunt Vasquez *cap.* 5. Suarez *num.* 17. Martinengus *fol.* 191. quam ait validissimam rationem à modernis excogitatam, neque ab vllo ex antiquis allatam. De Lucifero dicitur Ezech. 28. *Tu Cherub extensus, plenus sapientia, perfectus decore, ab initio tuæ conditionis in delicijs Paradisi fuisti.* Sed non fuit in gloria: ergo in aliquo loco delitiarum conditus est. En argumentum Theodoreti, D. Hilarij. & D. Bonau. *quarto loco* adductum. 20

Confirmatur à Seraphico *dist.* 5. *quæst.* 1. *argum.* 7. *addito responso*, & *quæst.* 2. *fundam.* ex illo Isaiæ 14. *In cælum conscendam.* Lucifer igitur illicò conditus æquo nimium elatus, cœlum scandere ambiens supponitur, vel in cœlo conditus, vel supra se cœlum vidisse.

Præterea Lucifer statim deiectus dicitur de cœlo, vt fulgur erumpens Lucæ 22. *Videbam Sathanam, vt fulgur, cadentem de cælo.* Ergo iam erat cælum. Vide D. Bonau. 2. *distinct.* 5. *quæst.* 1. & ad hunc locum Lucæ, quem interpretatur hoc pacto cum Patribus relatis à Suarez, vt dicam *quæstione sequenti*. 21

Insuper Angeli mali elapsi sunt in infernum; vt habetur 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos*: Ergo iam erat infernus, vt indicat Seraphicus *d.* 6. *quæst.* 2. *argum.* 1. *ad opp.* additis, quæ dicit, explicans quæstionem.

Præterea *Matth.* 25. dicitur: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Ergo tunc erat ignis, cùm elapsi sunt dæmones; fuerunt autem illicò post creationem elapsi, vt testantur communiter Patres, quos referam *disp.* 5. & 6. & indicaui *quæst.* 11. *disput.* 3. & testatur Ioannes, cap. 8. *Ab initio diabolus peccat.* Hanc rationem vrget Suarez *num.* 17. Vasquez *cap* 5. Martinengus *loco cit.* Idipsum confirmatur *ex* 12. *Apoc.* vbi Lucifer lapsus trahebat in terram tertiam partem stellarum, & præliatus est cum Angelis sanctis: *Et non est relictus ei locus ampliùs in cælo.* Hæc indicat Seraphicus *in* 4. *d.* 44. *p.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. 22

Tandem Scholastici vnanimes pro hac sententia apponunt Concilium Later. sub Innocentio III. *cap. firmiter*, vbi habetur definitum. *Deus suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam.* 23

manam. Cùm igitur dicat, Angelicam, & mundanam creaturam ſimul factam; deinde humanam; videtur loqui de ſimultate durationis, vt ſimul duratione conditi ſint cum mundo Angeli, poſtmodum verò Adamus. Prætereà ſententiam noſtram de fide definitū cenſuit Ferrarienſ. 2. *cont. Gentes c.* 83.

24 CANVS autem *lib.* 3. *locorum Theol. cap.* 5. Bannes, Molina *quæſt.* 61. *art.* 3. Valentia *quæſt.* 12. *p.* 2. Suarez *lib.* 1. *cap.* 3. ex communi Recentiorum cenſent oppoſitam temerariam.

AT vero Vaſquez *diſput.* 234. *cap.* 3. poſt Caietanum *art. hoc.* Sixtum Senenſ. *lib.* 5. *Bibl. annot.* 5. cenſent, oppoſitam eſſe quidem minùs probabilem; nullâ tamen notâ dignam, quod & videtur ſenſiſſe D.Thom. *art.* 3. vbi hanc ſententiam vocat probabiliorem: & infrà ait, contrarium non eſſe reputandum erroneum, præcipuè propter ſententiam oppoſitam Gregorij Nazianzeni, cuius (vt ex Hieronymo ait) tanta eſt in doctrina Chriſtiana auctoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præſumpſerit. Profectò S. Thomas vidit decretum illud Concilij Later. quod explanat *opuſculo* 23. Idem vidit, & aliquando allegat D. Bonauent. nec tamen ſententiam noſtram de fide aſſerit.

Accedit, Auguſtinum, Theodoretum, & Vgonem, noſtram ſententiam, vt probabiliorem tantùm tradidiſſe.

25 VIDENDVM, quo ſenſu loquatur Concilium, & quid definiat.

Vaſquez aſſerit, id non eſſe definitum, nec potuiſſe definiri; quia nec ſcripturis, nec traditione ſatis innititur. Aliorum expoſitionibus reiectis, cenſet, voculam (*ſimul*) non ſignificare ſimultatem durationis; ſed ſignificare *pariter.*

EQVIDEM non audeo dicere, id non potuiſſe definiri, cùm Scripturas, etſi non adeò claras, habeamus; vt notat, & infert Suar. *n.* 13. Expoſitio verò illa Vaſquij non videtur conſona textui, vbi poſt particulam *ſimul*, qua nectitur creatio mundi, & Angelorum, ſubditur, deinde creatum eſſe hominem. Igitur ea primò, ſimul duratione, condita aſſeruntur, vt aduertit Tannerus *num.* 22. qui addit tamen, non aſſuiſſe fundamentum, aut neceſſitatem hoc definiendi: oppoſitam verò vnanimem eſſe Scholaſticorum oppugnantium conſenſum, temeritatis notâ dignam, quamuis tot Patrum authoritate munitam. Hoc tamen non placet; quia Sco-
26 laſticis Patres præualerent. Arbitror verò cum D. Bonauent. eos Patres non opponi noſtræ ſententiæ, vt dixi. Neque reor, in Concilio illo ex propoſito damnatum Origenis errorem, qui ſolas creaturas ſpirituales ab initio productas aſſerebat; poſtea verò, quibuſdam earum peccantibus, corpora creaſſe, vt in ea, tanquam in ergaſtula conijcerentur; tametſi id cenſeant D.Thom. *opuſc.* 23. Caietanus, & Sixtus: nam probabile tunc eſſet, etiam definitum, creaturas ſpirituales ſimul conditas, vt erroris fundamentum conuelleret. Deinde error ille Origenis erat antiquatus; nec egebat, tam grande Concilium adunari. Prætereà Origenes, non Angelos, ſed animas in corpora coniectas, poſt lapſum aſſerebat.

27 ARBITROR igitur, ibi ſolùm intendere Concilium deſcribere confeſſionem fidei in Symbolo contentam, qui mos eſt aliis etiam Conciliis prælibandi Confeſſum fidei; atque ita intendere ſolùm definire, ſeu declarare; omnia in tempore à Deo creata, ita vt particula (*ſimul*) æternitatem creaturarum excludat.

Obiicies primò id Iob 38. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ: Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei?* Vbi Græcus. *Quando facta ſunt ſydera, laudauerunt me Angeli Dei.* Ergo ab initio, quando iacta ſunt terræ fundamenta, erant iam Angeli.

RESPONDET acutè S.Doctor *diſt.* 2. *p.* 2. *dub.* 1. 28
litt. loqui Iobum de Angelis; imò iam beatis: ideò enim dicuntur aſtra matutina, ob cognitionem matutinam. Quando ergo facta ſunt ſydera ſpiritualia, ideſt Angeli, ſtatim in laudem Domini exurgentes beati ſunt, & laudauerunt me ſtatim poſt viam, cùm in præcedenti inſtanti viæ me laudaſſent. Ita reſpondet & Suarez *n.* 20. Tannet. *num.* 24. Vel dic cum Morando, ex Græco, nil contra nos, Angelos extitiſſe quarta die, qua facta ſunt ſydera; imò & quando facta eſt terra; neque enim neceſſe erat temporis longo interuallo, vt Angeli creati exurgerent, ad Dei laudes.

OBIICIES ſecundò, *Iob.* 40. de Lucifero dicitur: *Ecce Behemoth, quem feci tecum, ipſe eſt principium viarum Dei.*

RESPONDET S.Bonau. 2. *diſt.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 2. 29
ad 3. dici (*tecum*) non ſimultate temporis, ſed rationalis naturæ. Quare non fauet, quoad hoc, ſententiæ ſecundæ, dicenti; Angelos factos poſt alias creaturas; ſed neque fauet primæ ſententiæ, dum dicitur: *Initium viarum*, ſeu, vt legunt alij. *Initium figmenti Domini*, cum D. Auguſt. 11. *de Geneſ. ad litt. cap.* 2. & *lib.* 11. *de Ciuit. cap.* 15. & 17. intelligitur enim primus nobilitate, vt reſpondet S.Doct. 2. *d.* 3. *p.* 2. *dub.* 1. *litt.* Vaſq. *num.* 27. Tannet. *num.* 25. Morand. 757. eſto, & quoad durationem, nulla ei creatura præceſſerit. Ita explicant Gregorius 32. *Moral. cap.* 18. *vel* 24. Iſidorus *lib.* 1. *de ſummo bono, cap.* 10. Beda *quæſt.* 10. *ex variis.*

OBIICIES tertiò, ad Titum 1. *Quam promiſit* 30
Deus ante tempora ſæcularia. Ergo ante ſæcula oportet, vt ſaltem eſſent Angeli, quibus Deus ſalutem promitteret.

RESPONDETVR, ſignificare promiſſam ſalutem ante ſæcula, ideſt initio mundi, *Gen.* 3. cùm fuerat ſerpenti dictum: *Ipſa conteret caput tuum.*

TANDEM nolunt Patres, multò ante mundum, Angelos creatos; ſed eos intelligi, vel nomine *cœli*, vel *Lucis.* Reliquum verò mundi nomine *terræ* accipi, ait D. Anaſtaſius Synaita, *lib.* 1. *Hexaëmer.* ex mente D.Nazianzeni, qui primæ ſententiæ auctor circumfertur; Verba eius referam *quæſt. ſequenti*, quibus tollitur tota controuerſia, vt notat Aſcanius, *fol.* 241.

QVÆSTIO III.

Vbi nam creati fuerint ANGELI.

{ D.Thom. q. 61. art. 4.

PRIMÒ aliqui dixêre, Angelos in regione aëris fuiſſe creatos. Ita Rupertus, *lib.* 1. *in Geneſ. c.* 11. Eugubinus *lib.* 7. *de perenni phil. cap.* 38.

SECVNDA opinio cenſet, creatos in cælis ſide- 31
reis. Ita Lorinus *in* 2. *Petri*, 1. Suarez *hîc, lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. Fauet Hieronymus *lib.* 6. *in Iſa. cap.* 14. Innocentius III. *in pſal.* 5. *pœnit.* Arriaga *d.* 1. *ſect.* 4.

TERTIA opinio cenſet, eos eſſe creatos in cœlo Empyreo. Ita D. Bonau. 2. *diſt.* 2. *in dubiis litt.* & *in primis duabus quæſtionibus*, & *art.* 2. *quæſt.* 1. & *d.* 7. *quæſt.* 1. *in corpore*, & eſt communis Scholaſticorum cum Magiſtro *in* 2. *diſt.* 2. Alenſ. 2. *p. quæſt.* 19. *memb.*

memb. 3. *art.* 2. Glossa, initio Genes. Hugo Vict. *tract.* 2. *cap.* 1. Beda, *initio Hexaemer.* Hieronymus *in cap.* 6. *Isaiæ*, *cap.* 14. Valentia *disput.* 4. *quæst.* 12. *punct.* 3. Caietanus, aliique Thomistæ *hic*, vbi Molina, Vasquez *disp.* 225. *cap.* 2. Morand. verò problematicum se esse declarat *tract.* 7. *q.* 33. *num.* 758.

Tannervs ab omnibus dissentit *disp.* 5. *quæst.* 1. *dub.* 1. dicens, Angelos non fuisse productos in aëre, nec in cœlo sidereo, aut empyreo; sed in cœlo supremo corporum. Curiosè igitur scrutor, vbi nam sint conditi, siquidem alios cœlos, nec aliud corpus supremum scio?

Fateor sententiam D. Bonau. non adeò Scripturis, & Patribus munitam, vt fortiter vrgeant; sed neque adeò sunt friuola fundamenta, vti Suarez, & Vasquez arbitrantur.

32 Assero cum hac sententia, Angelos in Empireo fuisse creatos.

Probatvr primò à D. Bonau. *dist.* 5. *quæst.* 1. *fundam.* 1. vbi de casu diaboli affert id Lucæ 22. *Videbam Sathanam, vt fulgur, cadentem de cœlo*: sic de Diaboli casu exponitur à Patribus, Cypriano *de operibus Cardin. cap. de ieiunio, & tentatione Christi*, Gregorio 23. *Moral. cap.* 4. aliàs 7. Origene *lib.* 1. *Periar. cap.* 5. Prospero *in dimidio temp. cap.* 3. Theodoreto *lib.* 5. *hæret. fab. cap. de diabolo*: sumitur è Chrysostomo *homil.* 1. *de verbis Isaiæ*, & *homil.* 10. *de pœnis*. Fauet Isidor. *lib.* 1. *de summo bono*, *cap.* 10. Ambros. *lib. de fuga sæculi*, *cap.* 7. Bernard. *serm.* 2. *ad fratres*, Theophilac. *in eum locum.* Vide D. Bonauenturam *ad locum Lucæ citatum.*

33 Respondet Vasquez *cap.* 2. solùm probari hoc testimonio, Angelos ex empyreo cecidisse, quod indicat antithesis Christi ad discipulos elatos, ne caderent è gloria, ad quam erant destinati, vt notat Gregorius: *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis*: at in Empyreo esse creatos, hinc ait, non argui.

Enim verò, cùm Angeli, iuxta communem sententiam, breuissimâ morulâ à Deo defecerint, nó est probabile, in vno loco creatos; & ad Empyreũ translatos, ibi seditiones commouisse. Imò si antithesis fit cum cœlo, ad quod Apostoli sunt destinati, erit Empyreum, vnde Sathan lapsus, vbi conditus est.

Explicat autem Vasq. hunc locum sic: *Ne miremini, si dæmonia subiiciuntur vobis, quia ex quo cecidit dæmon è cœlo, imbellis est.*

At extortus sensus: nam Christus infert: *Veruntamen in hoc nolite gaudere.* & posteà exclamans contra elatos, acclamauit paruulis esse communicata Dei dona. Igitur magnæ Dei virtuti id adscribendum asserit, non infirmitati dæmonum.

34 Respondet secundò Vasq. cum Iansenio, sensum esse. Non asseris mihi rem nouam, dæmones à vobis aufugere: nam quando vos misi, videbam Sathanam cadentem, sicut fulgur cadit è cælo.

At vim, & hyperbaton infert: nam illud, *de cœlo*, refertur ad Sathanam, non ad fulgur cadens; Vnde quæso cadebat Sathan?

Respondet Vasquez, ex obsessis corporibus. At quis iste casus, & quomodo comparandus præcipiti lapsui fulguris è cœlo?

Probatvr secundò à D. Bonau. *d.* 2. *p.* 2. *q.* 1. *ad* 1. ex illo Iob 38. *Vbi eras, cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Vbi per astra intelliguntur à multis Angeli; vt videre est in Pineda *hic*. Sicut ergo astra condita sunt ad ornamentum firmamenti; ita & Angeli ad ornamentum Empyrei.

35 Probatvr tertiò à D. Bonau. *in corpore*, auctoritate Patrum, nixâ Scripturis: nam *Genes.* 1. dicitur: *In principio creauit Deus cælum, & terram*, quod autem hoc non sit cœlum sidereum, probatur: nam hoc dicitur firmamentum factum secundâ die, in quo, die quarta, posita sunt astra: sic deducit Strabus dicens: *In principio creauit Deus cælum: cælum autem, non firmamentum, sed empyreum, id est igneum, quod non ab ardore; sed à splendore dicitur; quod statim repletum est Angelis*: sic refert Strabum Seraphicus *hic*, & *art.* 2. *quæst.* 1. & in vtroque loco refert Damascenum *lib.* 2. *de fide*, *cap.* 6.

Secvndò D. Clemens Papa ex ore D. Petri, *lib.* 9. 36
recognitionum, ait: *Ego Clemens dicere ita cæpi. Deus per Filium suum creauit mundum, tanquam duplicem domum interiectu firmamenti huius, quod cælum appellatur, & superiori quidem Angelicas habitare virtutes; in isto autem visibili mundo nasci hominum multitudinem dedit.* Hinc D. Bonau. qui S. Clementem legit, rationem eruit *d.* 2. *p.* 2. *q.* 1. *fund. vlt.* & *in corpore*. Loci ad locatum debet esse proportio. Sed Angeli sunt nobilissimæ creaturæ: ergo, sicut hominem in terra; ita Angelum in supremo cœlo decuit creari. Hanc rationem probabilem ait Vasquez *cap.* 2.

Tertiò D. Hilar. *in psal.* 131. ait: *Sed cum regionem cognitionis suæ, qui infinitus est, collocaret cælo superiore, atque primò terminum quendam virtutibus, quæ primum ad cognoscendum se gignerentur, inclusit.* Hinc 37
D. Bonau. *art.* 2. *q.* 2. *in corpore* eruit argumentum, quod est etiam Theodoreti, relati *q. præced.* Ordo vniuersi exigebat, vt partes essent ordinatæ, & dispositæ secundùm *hic, & nunc*, & secundùm *hic, & ibi*: hæc autem distinctio est à quantitate: ergo debuit creari corpus, in quo ponerentur Angeli, qui, cùm sint creaturæ finitæ continerentur in vniuerso; & cùm sint ordinatæ, haberent esse sursum, respectu aliarum ignobiliorum. Igitur hæc ratio non est vilis, vt putat Suarez, adductus *argumento* 3. *quæst. præcedentis.*

Quartò afferam Gregorium Nazianzenum, *orat.* 38. 38
vbi ait: *Sic igitur atque ob has causas intellectilis mundus ab eo creatus est, quantum quidem ipse de his rebus philosophari queo: posteaquam autem primas creationis partes præclarè constitutas vidit; alterum mundum aspectabilem cogitauit.*

Similia habet *orat.* 2. *in Pascha*, quæ est quadragesima secunda. Audiamus autem S. Anastasium Synaitam, Patriarcham Antiochenum, differentem ex ore Nazianzeni, quibus tolletur omnis suspicio de sanctissimo P. Theologo, quem statuunt antesignanum opinionis reprobatæ *quæst. præcedenti*, nimirum, Angelos conditos esse dudum ante mundum.

Sic autem loquitur, lib. 1. Hexaemer. *In principio fecit Deus cælum, & terrã, cælum quidem simul cõprehendendo nominat omnes cælestes, & intelligentes mundi constitutiones sanctarum virtutum mundi intelligentis, vt intelligas, supernum mundum priùs fuisse fabricatum congruenter voci Theologi, quæ dicit. Primum quidem mente cogitauit Angeli as virtutes, & cælestes, & cogitatio opus fuit, nunc autem rursus hunc mundum sensilem, & qui cernitur complexus, cum ipso cælo complectitur, & omnia, quæ super terram cum homine facta sunt, & sunt: nam cùm dixit: In principio fecit* 39
Deus cælum, sustulit mentem tuam ad creationem superni ordinis. Deinde cùm subiunxit: & terram, dimisit mentem suam ad posituram inferioris adimplementi, cuius vniuersam exhibuit comprehensionem à parte, nempè à terra, docens, te non solùm nosse terram: sed & cælum, quod eam ambit, ac continet Synecdochicè, veluti quodam termino complexus per duas dictiones opificium, & Creationem mundi, qui aspicitur, & mundi, qui intelligitur, quem in principio fecit Deus.

Cùm autem cælum ibi, sine Luce, & sine ornamentis conditum sit; iam sequitur, Angelos sine gratia conditos asseri.

3 NEQVE moueat, eam esse historiam, proptereaque non videtur aptè, Angelicam naturam nominibus figuralibus describi: nam, vt obseruat Valentia *loco cit.* cum D. Augustino *lib.* 1. *de Genes. ad litt. cap.* 1. alia etiam historica, ibi enarrata, metaphoricos habent sensus, vt cùm *Genes.* 16. & 22. recensetur Abraham duos filios habuisse, vnum de ancilla; & alium de libera, vt ait Apostolus *Galat.* 4. vbi tamen addit: *Hæc per allegoriam dicta.* Vnde etiam D. August. *loco cit.* idipsum de cæteris ait: *Non esse accipienda hæc figuraliter, nullus Christianus dicere audebit, attendens Apostolum dicentem,* 1. *Cor.* 10. *Omnia in figuram contingebant illis.*

4 PROBATVR secundò à D. Bonau. ex illo 28. Ezech. *Aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es, preparata sunt*; vbi D. Gregor. 32. *Moral. cap.* 18. aliàs 25. Per *foramina* intelligit capacitatem gratiæ, sumpta metaphora à foraminibus, quibus gemmæ inseruntur. Vnde concludit: *Habuit ergo foramina; sed per superbiæ vitium, charitatis auro non sunt repleta.* Ita & Rupertus *lib.* 1. *in Genes. cap.* 16. explicuit.

SVAREZ, qui dixerat nullam pro nobis scripturam positiuè probantem existere, respondet ex Glossa *in c. p. Principium*, seu *tit. de pœnit. dist.* 2. nomine *charitatis* accipi consummatam, quam dæmones non habuêre: quoad charitatem autem viæ, eundem S. Gregorium astruere eam in Angelis omnibus viatoribus; sic respondet & Vasquez *numero* 16.

5 At foramina illa omninò vacua admonet D. Gregorius, qui nihil contrarium dicit.

PROBATVR tertiò à Seraphico *fund.* 3. *& in corpore*, ad hominem, contra Thomistas. Si Angelus fuisset creatus in gratia, meruisset in primo instanti, secundum aduersarios; imò eum ita meruisse asserunt D. Thom. *quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 3. & *art.* 4. *ad* 2. & *art.* 3. & *in argumento, sed contra*, & *art.* 6. *in corpore.* Caietanus 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 3. *ad* 3. Ferrar. 3. *contra Gent. cap.* 110. Malon. *in* 2. *dist.* 4. *disp.* 3. & alij apud Suarez *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 3. & *capitibus sequentibus.* Probatur à Seraphico sequela illata, quia gratia nullam habet retardationem. Igitur in primo instanti omnes Angeli conuersi sunt in Deum per charitatis actum, profectò plenè deliberatum, vt ostendi *disp.* 4. *quæst.* 12. quia ad meritum requiritur actus perfectus electiuus; cùm autem Angeli sint inflexibiles, secundum aduersarios Thomistas; sequitur, nullum Angelum potuisse peccare: sed multi peccarunt: ergo non sunt creati in gratia.

6 CONTRA Suarez, Vasquez, & alios impugnantes arguo. Idem dicendum de homine, & de Angelo, vt referam *quæst.* 2. sed homini adulto Deus non dat gratiam, nisi volenti: ergo neque Angelo. At si habuissent gratiam, cùm non haberent obicem, emeriti fuissent, sicut & confirmati in gratia: quia nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia; vt notat D. Bonau. *hic.*

RESPONDET Suarez *num.* 9. potuisse Angelum post primam conuersionem auerti à Deo. At frustrà plura multiplicantur instantia. Angelum verò per propriam dispositionem, se praeparasse ad gratiam, docent Suarez *lib.* 5. *cap.* 8. *numero* 4. Vasquez *loco citato*, *prima secunda.* Ex quo infero, eos non habuisse gratiam à creatione, vt patet; alioqui operati essent, cùm adhuc non essent. Sanè operari sequitur ad esse.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *fundamento quarto*, ad hominem, contra Scotum *d.* 3. *quæst.* 1. & Fabrum *disputatione* 30. Ipsi enim sustinent, Angelum in primo instanti potuisse mereri, & peccare, vt vidimus *disputatione* 3. *quæstione* 11. Deinde, loco nunc allegato, ponunt problematicè, Angelos creatos in gratia. Tertiò ponunt in via Angelorum, dato quòd sint creati in gratia, tres morulas. Prima, in qua omnes creati sunt in gratia. Secunda, in qua boni meruêre: & mali peccarunt. In tertia fuere omnes in termino, boni in gloria: mali in pœna. Tunc sic arguit S. Doct. sicut se habet culpa ad damnationem; sic gratia ad gloriam: sed mali statim post culpam sunt damnati: ergo statim, vt habuerunt gratiam, fuêre confirmati: si autem hanc confirmationem habuissent in secundo instanti, non fuissent lapsi. Quorsum igitur tot morulæ, vt etiam quartam apponant; si in gratia fuissent conditi? Quorsum ergo non ponitis in secundo instanti, bonos esse confirmatos in gloria: malos autem damnatos? 7

RESPONDET Faber *num.* 19. hoc ita potuisse fieri; sed tot morulas congruè admitti, vt aliquo instanti omnes essent conformes, quod non esset, si in primo instanti mali peccassent: boni meruissent; & in secundo facta fuisset eorum separatio.

At congruè asserimus ea esse acta, iuxta naturarum exigentiam. Cùm igitur, & arbitrium sit summæ velocitatis non egens morâ; & gratia nesciat tarda molimina, vt ait D. Bonau. ad quid fingere, mansisse vtraque otiosa? forsan conuenerunt, se inuicem expectare, vt aliquo instanti essent vniformes? 8

PROBATVR quintò ex Decreto Ioan. Papæ, *epist. ad Isaac Syracum*: quæ habetur 16. quæst. 2. can. 1. *Dolet satis* (dæmon) *& erubescit charitatem, quam in cælo nequiuit habere, homines, constantes ex lutea materia, tenere in terra.*

Respondet Suarez *num.* 13. Tannerus *num.* 11. ex Glossa *ibi*, loqui de perseuerantia in charitate; vel de charitate consummata. 9

CONTRA quia textus ait, illos non potuisse eam habere; at si haberent gratiam sanctificantem, possint in ea perseuerare: sic dicitur: *Manete in me, & ego in vobis.* Ergo vult, non fuisse in potentia proxima ad perseuerandum, cùm adhuc non haberent gratiam. Deinde ponit antithesim toto genere inter nos habentes charitatem in terris, quæ excludit charitatem patriæ; & includit charitatem etiam primò infusam.

Dices: ergo nec fuêre in potentia proxima ad infusionem charitatis, quia dicuntur, non potuisse habere charitatem.

Respondetur, sensum esse, non potuisse habere actum meritorium; quia non habebant charitatem, & gratiam sanctificantem; nec sumo ego (*potuisse*) strictè. 10

VASQVEZ dicit, textum mendosum esse; ac legendum (*nequit*,) quia in præsenti ampliùs non possunt. Vel si legatur (*nequiuit*,) intelligi consequenter; quia non habuerunt congruum auxilium ad perseuerandum; & ita verbum *habere*, significat *retinere.* Vel dicendum (ait Morandus,) non potuisse post peccatum, quia illis detruncata est via; alioqui, si sumeretur pro statu viæ, non fuissent in potentia, vt esse possent iusti, & sancti.

11 Contra: nam textus *in Can.* habet (*nequiuit*) vt alij fatentur. Deinde non rectè impossibilitas aliqua, & negatio conuersionis adscribenda est defectui diuini auxilij, sed voluntati dæmonis, qui noluit: neque nos rigorosè legimus, non potuisse antecedenter; sed suppositâ indispositione voluntariâ. Neque rectè mutatur *habêre* in *retinêre*. Vnde non perseuerantiam; sed habitum negat. Profectò non esset bona ratio, Angelos non potuisse perseuerare cum gratia, sicut possunt homines lutei.

Obiiciunt primò. D. August. 12. *de ciu. cap.* 9. loquens de motu charitatis, quo bona voluntas Deo adhæret, ait: *Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos* (Angelos) *in bona voluntate, idest, cum amore casto, quo illi adhærent, creauit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam?* Loquens verò de malis Angelis, ait: *Isti autem, qui cùm boni creati essent, mali sunt: aut minorem acceperunt diuini amoris gratiam; aut istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti, ad beatitudinem peruenerunt.* Hunc locum vrgent Suarez *num.* 5. Vasquez *num.* 8. Valentia *loco cit.* Posnan. *lib.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 3. Tanner. *num.* 9. Morand. ante *num.* 760. & alij; & ante eos D. Bonauent. qui ob hanc, & alias authoritates, oppositam sententiam probabilem censet *in corpore.*

12 Respondet tamen S. Doct. huic authoritati, & cæteris, quas vidit opponi, aliquas per gratiam intelligere, non gratiam sanctificantem; sed gratias gratis datas, idest, Auxilia, vt ait D. August. *hîc*: Aliquas verò indicare gratiam sanctificantem: sed non ab instanti creationis inclusiuè; sed exclusiuè, sicuti etiam dicitur: *Ab initio diabolus peccat.* Alias loqui de gratia gratum faciente à primo instanti, non formaliter, sed dispositiuè; vt creati sint in proxima dispositione ad sanctitatem. Huic ergo, & aliis locis D. Augustini respondet, non loqui de primo instanti inclusiuè. Vnde, *lib. de corrept. & gratia, cap.* 10. quo aduersarij abutuntur, ait: *Sic verò ordinasse* (*Deum Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet quid posset arbitrium; deinde quid posset sua gratiæ beneficium.*

13 Respondet Suarez *num.* 9. expertum eum esse, sinendo, eos peccare: deinde quid posset gratiæ auxilium: Loquitur autem solùm de malis Angelis, in quibus non est postea expertus, quid posset gratia. Quâ expositione seipsum lædit: si enim in malis non est expertus, quid posset gratia, post lapsum; neque verum est de bonis Angelis hoc dictum; quia non est expertus, quid posset eorum liberum arbitrium, spoliatum gratiâ, quia non peccauerunt.

Obiiciunt secundò D. Hieronymum *in* 3. *Oseæ*, vbi ait: *Angelos creatos in magna pinguedine Spiritus sancti*, & addit: *Dæmones, qui lapsi sunt de propria dignitate, & nihil antiquæ gratiæ possidentes, aridi sunt.* Hunc locum premit Vasq. *num.* 7. Idem S. Pater in id Iob 4. *In Angelis suis reperit prauitatem*, ait, hæc verba intelligi de diabolo, qui quondam sanctus fuit.

Respondet D. Bonau. suprà, intelligi de gratiis gratis datis, & de auxiliis citò datis, quibus ad sanctitatem proximè accedebant. Vel eum dic rectitudine naturali iustum.

14 Obiiciunt tertiò, Damascenus 2. *de fide, cap.* 3. ait: *Per Verbum Dei, Angeli creati sunt, ac per Spiritus sancti sanctificationem, omnes perfectionis numeros acceperunt; ita tamen, vt pro sua quisque dignitate, & classe, luminis, gratiæque participes sint.* Hunc locum vrgent Suarez *num.* 7. Vasq *num.* 5. Tannerus *num.* 9. & ante eos D. Bonau. *argumento tertio*, & respondet, vt suprà.

Obiiciunt quartò, D. Basilium in id psal. 32. *Et spiritus oris eius omnis virtus eorum*, ait: *Angelos namque initio, vt essent, Verbum condidit: sanctificationem verò simul eis impendit Spiritus sanctus; non enim infantili statura sunt creati, & paulatim excitati, atque perfecti; sed prima constitutione infusam habuerunt sanctitatem.* Hîc canit triumphum Vasquez.

D. Bonaventura huic loco indiuiduo non respondet; sed credit satis, quod Damasceni loco dixit, qui iisdem verbis, ad eundem versum psalmi, idem dixit, vt aduertit Suarez *num.* 7.

Respondetur ex Seraphico, Spiritum sanctum impendisse, idest operam auxiliis ad sanctitatem disponentibus; ita vt Spiritus sancti rore perfusi, diuinæ motionis abundantiâ cierentur proximè ad sanctitatem. 15

Obiiciunt quintò Ezech. 28. de Lucifero dicitur: *In medio lapidum ignitorum ambulasti*: vbi D. Gregorius 32. *Moral. cap.* 17. aliâs 24. *Quia inter Angelorum corda, charitatis igne succensa, clarus gloriâ conditionis extitit.*

Respondet Seraphicus, S. Gregorium sic loqui, malos Angelos habiles, & dispositos, tanquam foramina ad gemmas, potuisse repleri, maximè exemplo bonorum Angelorum, qui fuerunt diuino igniti amore.

Obiiciunt sextò id Ioan. 8. *In veritate non stetit*: Veritas autem est sanctitas. 16

Respondetur ex D. Bonau. per veritatem intelligi rectitudinem naturalem, adiutam diuinis auxiliis.

Respondet secundò S. Doct. ad eum locum, velle dicere; diabolum factum mendacem: ibi enim mendacij arguit Iudæos, tanquam diaboli alumnos. Ita exponunt Irenæus *lib.* 5. *contra hæres. cap.* 22. Chrysost *homil. de lapsu primi hominis.* Epiphanius *hæresi* 38. Theophylac. *ibi.* Mendax autem fuit diabolus initio, primum disseminans mendacium: *Nequaquam moriemini, &c.*

Vel per veritatem intelligit rectitudinem vitæ. Ita Chrysost. *hom.* 53. In Ioan. Euthym. *ibi*; non quòd sanctus esset: sed quia, naturali statu recto, erat non auersus à Deo; sed in lege naturæ rectus. Vel cum Cypriano intelligitur fidelitas. Vel cum D. August. contra Adimantum *cap.* 4. intelligitur lex Angelis data, à qua statim defecerunt. Vnde parum ex hoc testimonio colligi potest, vt fatetur Vasquez *cap.* 3. Adde, verbum (*stetit*,) significare aliquando, non perseuerantiam; sed existentiam, vt cùm dicitur 2. Cor. 3. *In ore duorum testium stet omne verbum*, sed hoc non laudo.

Obiiciunt septimò illud sancti Iudæ: *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, &c.* quod ponderosum acclamat Vasquez, non enim de principatu naturali rectè exponitur: naturalia enim mansêre. 17

Respondetur ex D. Bonauent. *ad primum*, per principatum, intelligi statum, secundùm dona sancti Spiritus, & virtutes aliquas, vt innocentiam, pietatem; & ideò tanquam ergastulo in tenebrosis collocari; vt notat S. Doct. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. Neque Theodoretus de principatu gratiæ exponit, *lib.* 5. *hæret. fab. cap. de diabolo*; sed de dignitate nobilitatis, maximè principatus, cui erant destinati, vt exponit etiam Anastasius Nicænus *quæstione* 61. *tom.* 1. *Bibl. Patrum*: quidquid dicat Suarez *cap.* 3. *num.* 9.

Obiiciunt

18 OBIICIVNT octauò. *Ezech.28.* dicitur Lucifer: *Signaculum similitudinis.*

Respondet Seraphicus, significare excellentiam naturæ, & gratuitorum, & habilitatem ad gratiam, & gloriam.

OBIICIVNT nonò Iob.4. *Ecce, qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem*: dicit enim, non fuisse stabiles in gratia, vt D.Thom. & Patres Græci exponunt. Hic locus roborat sensum illius cap.8. Ioan. *In veritate non stetit*, vt ait Suarez *numero* 8. ex Pineda *ad 4. Iob.*

RESPONDETVR, ex Hebræo haberi: *Seruis suis non credet*, idest prophetis; eò quòd stabiles non sint. Deinde subdit: *Et in Angelis non indidit Lumen*; hoc verò nostram probat sententiam, dæmones non fuisse vnquam in gratia.

19 OBIICIVNT decimò, Suarez *num.* 11. Vasquez *numero* 13. Homo primus est creatus sanctus: ergo & Angeli. Antecedens habetur in Concilio Trident. *sess.5. initio*. Consequentia probatur, tum ex parte finis, qui vtriusque est idem; sed excellentiori modo est Angelorum, quibus, & liberaliter naturalia dederat præstantiora, vt ad beatitudinem expeditiores essent. Confirmatur: nam Dei perfecta sunt opera.

RESPONDET D. Bonau. *ad argumenta*, & *in 2. d.29. quæst.2.* Deum nulli vnquam adulto homini dedisse gratiam, nisi se præpararet auxiliis; atque ideò neque Adamum creatum in gratia: neque id asserere Concilium Trident. ostendam *tract. ultimo, disput.1. quæst.17.* Vnde malè Caspensis *disp.6. sect.1.* ait, istud videri ibi definitum. In quo fallitur etiam Valentia. Angelis itaque Deus exhibuisse gratiam, & ad eam obtinendam contulisse auxilia; sed non infudisse, quia statim auersi sunt. Concludendum est.

20 Ex his habes, in sententia D.Bonau. Luciferum nunquam fuisse gratia imbutum sanctificante; tametsi oppositum probabile censeat.

PRÆCIPVE verò istud probatur; quia, cùm non fuerit creatus in gratia, & in primo instanti non posset se disponere, & in secundo peccauerit, vt habetur prima Ioan. cap.3. *Ab initio diabolus peccat*, vt exponit D.August. 11. *de ciuit. cap.13.* & ostendit S. Doct. *dist.3. p.2. quæst.2. ad* 1. & post primum peccatum sit præcipitatus, vt ex Patribus ostendi, *disputat.4. quæst.11. & 12.* sequitur, ipsum nunquam fuisse sanctum. Confirmatur *ex Decretali Ioan. allato*, & ex illo *Ezech.28.* suprà, iuxta D.Gregorij Comment.

21 ENIM verò, Luciferum ab initio naturaliter rectam, assero cum D.Bonau. suprà ex illo Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris.* Ezech. 28. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te*, quæ omnia non sunt necessariò de gratiâ exponenda, vt putant, ac clamant Vasquez *disput.217.* Præposit. *hic, d.1.* Alarcon. *d.8.* Arrubal *hic art.3.* Morand. *tractat.7. num.759.* neque dignè eos notâ afficiunt, qui dixerunt, Luciferum nunquam fuisse sanctum; neque de hoc rectè iactant communem ferè Patrum consensum. Neque aliquid contra hoc definiuit Concilium Brachar. primum, *can.7.* vt putant suprà allegati: damnat enim solùm dicentes, diabolum non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum, quod confutatur etiam à D.Bonauent. *1.d.3. quæst.2.*

QVÆSTIO II.

Vtrum in ANGELIS *omnibus fuerit fides.*

D.Bonau.in 3.d.23. art.2.quæst.3.

QVIA mox quærendum erit: An sancti Angeli habuerint gratiam ex propria dispositione; & inter dispositiones necessaria est fides, sine qua impossibile est placere Deo, *Heb.*11. ex qua iustus viuit, *Rom.*1. ideò videndum: An in Angelis, saltem bonis, fuerit fides.

PRIMA opinio est Scoti *in 4. dist.* re. *quæst.*8. *ad 2. & 3.* Angelis non fuisse necessariam fidem, quia de mysteriis gratiæ nobiliorem habuére cognitionem, idest intuitiuam naturalem, nisi impedirentur. Item Durandi *in 3. dist.23. quæst.9.* Videtur Gabriëlis, *idem*, & vsque ad supremum Angelum, idipsum sentit Palud. *quæst.4.* nempè in Angelis fuisse, loco fidei cognitionem supernaturalem euidentem. Adducuntur etiam Tartaretus *2.dist.7.dub.2.* Pelbartus *in Rosario*, *3.p.* Alensis *3.part. quæst.64. memb.8.* & *in summa de virtutibus*, *collat.35. art.2.* & *collat.38. art.7. & 8.* Addit Suarez *lib.5. de Angel. cap.6.* hanc doctrinam, è suo Magistro Alensi, ebibisse Bonauenturam *3. dist.23. art.2. quæst.3.* vbi ait; quod licèt Angeli in sua cognitione habuerint notitiam Trinitatis; tamen illa non merebatur dici *fides*; imò potiùs *cognitio contemplationis*, deberet nuncupari propter absentiam ænigmatis: & addit; in dæmonibus mansisse post lapsum illam cognitionem, sub ratione fidei, propter superueniens ænigma. Vtrumque autem falsum esse Suarez ostendit: primum quidem, quia ad salutem fides est necessaria: secundum verò, quia supernaturalia in Angelis malis sunt deperdita. Idem differit *fundamento* 2.

ATTAMEN S. Doctor non negat id, quod necessariò fatendum; necessariam fuisse Angelis notitiam supernaturalem viæ, non claram; sed qualis est necessaria ad credendum id, quod non videtur, & tali credulitate merendum. Ad hoc enim necessaria est fides, vt sit cognitio supernaturalis non intuitiua; & post lapsum, necessaria est fides ænigmatica. Eam igitur cognitionem supernaturalem, sufficientem pro Angelis existimat S.Doct. vt crederent mysteria, quæ non videbant, eamque in Angelis viatoribus alternatiuè cum fide, *in 2. d. 4. p.2. art.3. quæst.1. ad* 3. admittit, dicens (fides, siue cognitio gratuita.) Hæc autem cognitio, licèt non esset obscura à ænigmate, vt fides; erat tamen fides, propter sublimitatem obiecti, extra patriam, vt docet S. Doct. *2. dist. 3. p.2. art.2. quæst.2. ad* 5. loquens sanè de cognitione naturali Angeli, sed idem applicans etiam supernaturali cognitioni viæ, *in 2.d.23.art.2.quæst.3.* & *in 3.d.24. art.2.quæst.3.* & *d.31.art.2.quæst.3.* vbi omnem cognitionem non intuitiuam claram admittit in via. Meritò igitur censetur primæ opinionis etiam à Tannero *disputat.5. quæst.6.dub.1.num.17.* non tamen cum Scoto existimat, locum fidei suppleri à cognitione naturali, sed à supernaturali; quamuis & Scotus suâ phrasi supernaturalem censuerit eam cognitionem, nempè ratione agentis, quia non poterat nudis viribus naturæ haberi, seu ab agente naturali communicari. 22 23

Alterum verò Seraphico inuit Suarez falsò, vt suprà ostendi, *disp.2. quæst.26.*

SECVNDA tamen sententia, plausu excepta, asserit, habitum fidei fuisse Angelis omnibus infusum. Ita D. Thom. *quæst.*18. *de verit. art.*2. & 22. *quæst.*5. *art.*1. & omnes Commentatores ibidem. Albert. 2 *p. summæ*, *quæst.*20. *memb.*2. Viguer. *Institut. cap.*20. §. 1. *vers.* 4. Turrecremata *lib.*1. *de Eccl. cap.*25. Ruardus *art.*2. & 8. Suarez *lib.*5. *cap.*5. Tanner. suprà, Morand. *tract.*7. *num.*762. Arriaga *d.*10. *sect.*2. *subsect.*2. vbi sententiam D. Bonau. probabilem ait.

ASSERO primò, datum esse Angelis habitum intellectiuum supernaturalem, vt meritoriè operarentur: & hoc tantùm probant argumenta aduersariorum.

24 PROBATVR primò à D. Bonauent. 2. *distinct.*4. *p.*2. *art.*3. *quæst.*1. Vt Angeli haberent actum charitatis necessarium ad salutem, qui est supernaturalis, necesse fuit eis, habere actum intellectùs supernaturalem, captiuando se in obsequium supernaturale summi Boni, supernaturaliter cogniti: sed ad hoc necessarius fuit habitus supernaturalis proportionatus, quo ferrentur supernaturaliter in Bonum supernaturale, non visum. Hunc autem habitum subsumit Suarez esse fidem: at Seraphicus ait, esse æquiualentem absque tanta obscuritate, quia Angeli aliquam euidentiam habuerunt Mysteriorum fidei in attestante, & reuelante, cuius sanè auctoritate assentiebantur mysteriis, quod non negant Tanner. *num.*17. & Suarez *num.*5.

25 PROBATVR secundò à D. Bonauent. in speculo B. V. *lect.* 8. Omnibus adultis, atque etiam spiritibus, ad salutem necessaria est Dei inuocatio; vt habetur Rom. 10. *Quomodò autem inuocabunt, in quem non crediderunt? quomodò verò credent in quem non audierunt?* Ergo necessaria est aliqua cognitio supernaturalis præuia, proportionata statui viæ cuiusque: hæc autem in nobis est fides, materialiter ex auditu, & formaliter infusa: in Angelis verò est cognitio clarior proportionata statui integro spiritnali, vt edisserit de primo homine innocente Seraphicus Doctor 2. *dist.*23. *art.*2. *quæst.*3. Profectò credenti necessaria est cognitio, vt docet D. August. *lib. de prædest. sanctorum*, *cap.* 2. Tametsi etiam *credere* intellectionem eleuet, iuxta id: *Si credideritis, intelligetis*; vt docet D. Bonau. 3. *dist.*24. *dub.*3. *litt.* ex D. Augustino *in Psal.*118.

26 PROBATVR tertiò à D. Bonau. allegato *quæst. præce i.* eodem modo proportionalibus mediis dat Deus gratiam Angelis, & hominibus adultis: sed adultis hominibus necessariam dedit fidem: ergo similem proportionatam cognitionem elargitus est etiam Angelis. Hoc argumento abutuntur Valentia *disp.*4. *quæst.*13. *p.*1. *in tertia assert.* Suarez *numero* 11. vt probent necessitatem fidei in Angelo.

Quod autem Homo, & Angelus simili modo se habuerint in necessitate auxiliorum ad salutem, est sententia sanctorum, Basilij *lib. de Spiritu sancto*, *cap.*16. Dydimi *lib.*1. *de Spiritu sancto* parum ab initio, Damasceni *lib.*2. *de fide*, *cap.*3. Fulgentij *lib.* 2. *de fide ad Petrum*, *cap.* 3. & ad Trasimundum *lib.*1. *cap.*2. & 3. Anselmi *lib. de casu diaboli* parum ab initio, quod sanè vrget Suarez *lib.* 5. *cap.*1. *num.*11. non est tamen eadem omninò necessitas; & ne longiùs abeam, fides hominibus post lapsum est necessaria, vt Paulus testatur, relatus initio: habitualis quidem infantibus; actualis verò adultis. Ideò Marci vltimo: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*, quòd latè probat Apostolus

27 *Galat.*5. Ideò Concilium Trid. *sess.*6. *cap.*6. vocat fidem fundamentum nostræ salutis. Idem habet *cap.*7. & 8. & hoc videtur de fide; atque Theologi hoc astruunt, & meritò, vt notat Mastrius *in* 3. *disput.*6. *num.*385. & indicat S. Doct. 4. *dist.*23. *art.*3. *quæst.*1. & *in* 3. *dist.*25. at verò Angelis non fuisse necessariam, probabile est, vt grauissimi Theologi allegati tenent, quibus subscribit Arriaga *d.*20. *sect.*2. *subsect.*2. His satis fuit cognitio illa supernaturalis, clarior sanè ipsâ fide; tamen secum admittens aliquam obscuritatem, vt probat Suarez suprà, qui vrget illam cognitionem supernaturalem non mansisse in dæmonibus; quia supernaturalia dæmonibus abrepta sunt; tametsi naturalia manserint; vt docent S. Dionysius *c.* 4. *de Diu. nom.* Beda *Luce* 16. Deinde non est probabile, cognitionem claram transire in Ænigmaticam.

RESPONDETVR, sensum D. Bonau. esse, mansisse memoriam illius reuelationis, vt fatetur etiam Suarez *num.*19. ita, vt remanserit aliquid illius solùm materiale; non ita, vt mutata sit illa in habitum fidei; sed in obscuritatem aduesperauerit, vt dixi *disp.*2. *quæst.*26. 28

AN verò habuerint Angeli Spem? Communiter omnes asserunt, nec negatur à D. Bonau. etsi videatur eam negare 2. *dist.*4. *art.*2. *quæst.* 1. *ad secundum*: sed negat in primo instanti ipsos habuisse spem actualem, meritis ex gratia iam nixam, cùm adhuc gratiam, & merita non haberent, vt declarat *ad* 3. vbi habitum concedit eis. Concedit verò cum aliis, eos credidisse mysteria Trinitatis, Incarnationis, &c.

Admittit S. Doct. alia dona, aliasque virtutes infusas, quæ naturæ Angelicæ possunt conuenire; etenim sunt aliquæ nobis propriæ, vt Temperantia, &c.

QVÆSTIO III.

An conuersio bonorum ANGELORVM *in Deum fuerit ex gratia.*

D. Bonau. d. 5. art. 3. q. 1.
D. Thom. q. 62. art. 2.

DISTINGVIT Seraphicus Doctor duas Angelorum in Deum conuersiones: alteram naturalem in Deum, vt finem naturæ: alteram supernaturalem in Deum, vt finem supernaturalem. Quoad priorem, non est quæstio; ad hanc enim, non eget spiritus gratiâ supernaturali, cùm naturalia sint media satis proportionata ad hunc finem: Neque voluntas supernaturali cogitatione eget ad hoc; quia ad naturalia intellectus semper est rectus, vt docet Aristot. 3. *de anima*, vt notat Seraphicus *ad secundum*. Ob id Theologi dicunt, Synderesim semper esse rectam. Confirmatur à D. Bonau. *arg.*3. quia faciliùs potest quis tendere in id, ad quod ordinatur; quàm in id ad quod non ordinatur. Sed Angeli naturâ suâ erant ordinati in Deum, vt finem naturæ, potiùs quàm ad aliud bonum delectabile, vel vtile: ergo si absque auxilio poterant declinare ad bonum creatum, multò faciliùs poterant tendere in Deum, cùm non haberent fomitẽ ad malum, aut pugnam. Confirmatur à S. Doctore: nam Angelus naturali amore in Deum ferebatur, vt dixi *disput.*3. *quæst.*7. naturalius autem est conuerti in id, quod naturaliter, & necessariò diligitur, quàm in id, quod non diligitur necessariò. Confirmatur à S. Doctore *in corpore*; quia natura instituta, non adhuc vitiata, est recta; vnde non habet ad finem proportionatum 29

portionatum difficultatem: Hac ratione vtitur Suarez *lib.5.cap.1.*

30 QVÆSTIO igitur est: An ad finem supernaturalem, ad quem sunt conditi Angeli, indiguerint necessariò gratiâ.

Asserendum sanè, Angelos indiguisse gratia ad finem supernaturalem.

PROBATVR à S. Doct. primò, ratione Magistri. Illa conuersio, quæ facit Sanctos, est à gratia, quæ sanè non est è meritis, ex Apostolo *Rom.2.* sed conuersio supernaturalis reddidit Angelos sanctos: ergo.

PROBATVR secundò à S.Doct. è D.Augustino *4.Genes.ad litt.cap.22.* vbi ait: Diem illam *Genes.1.* fuisse conuersionem creaturæ spiritualis in Deum, cuius contemplatione formatur. Sentit proinde, Luce quadam gratuitâ, Angelos traductos in Deum; & hoc videtur esse lumen illud, loco fidei infusum.

HINC alia loca D. Augustini obscura apud Suarez declarantur, ex Seraphico *dist. 4. quæst.1. lib.11. de ciuit. cap.19.* vbi ait: Lucem primam illam esse Angelos; quia illuminati sunt, vt beatè, semperque viuerent.

31 Lib.12. Confess. cap.9. exponens ea verba: *In principio creauit Deus cœlum*; de cœlo intellectuali, seu de Angelicâ interpretatur naturâ, quam dicit esse factam participem æternitatis, & inhærentem Deo, ex quo facta est, & ex dulcedine fœlicissimæ contemplationis supra omnem mutabilitatem, & vicissitudinem temporum fuisse. Per beatitudinem autem, ad quam illicò deducti sunt, intelligit sanctitatem. Ideò *11.de ciuit.cap.12.* cùm dixerit, primum hominem in statu innocentiæ fuisse beatum, subdit: ***Non imprudenter beatos vocemus, quos videmus iustè, ac piè, cum spe futuræ immortalitatis, hanc vitam ducere sine crimine.*** Quo sensu *12. de ciuit. cap.9.* ait, gratiam operantem fuisse Angelis necessariam, vt Deo amore casto adhærerent; ideoque de illis intelligi illud Rom.5.

32 *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Vult igitur dicere, charitatem fuisse Angelis datam antecedenter, vt actus diuini amoris elicerent, Deoque perfectè adhæreat: ex quo non rectè Suarez, *quæst. seq.* allegandus, illicò deducit, necessarium fuisse actuale auxilium, vt excitarentur Angeli in Deum; & ità suffecisse auxilium cooperans, ostendemus cum D. Bonauent. ex D.Augustino, *lib.de corrept. & gratia, cap.11. & 12.* & aliis textibus vltimò scriptis ab hoc Sanctissimo Patre, quibus prius scripta, sunt explicanda, vt fatetur Suarez, *lib.5. cap.2.num.14.* Ideò & *cap.10. de corrept. & gratia,* S.Augustinus, ait: ***Deum sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset liberum arbitrium; deinde quid posset suæ gratiæ beneficium***; vbi concludit, de Angelis: ***Per liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu, nunquam futuro, certissimam scire meruerunt.*** Vbi gratiæ necessitatem Angelis prædicat, non tamen præuenientis, vt prætendunt authores, *quæst. seq.* refellendi.

33 Ex dictis explicantur quoque alia loca D. Augustini, quibus cognitionem matutinam Angelis in via concedit; ea verò est Lux gratiæ, vt notat Seraphicus *fundam.2.* de quo egi *disp.2. quæst.26.* Iam finis sit disgressioni factæ pro *quæstione sequenti.*

PROBATVR igitur tertiò nostra assertio, demonstratione (ait S.Bonauent.) Theologica. Media debent esse fini proportionata. Sed finis, ad quem sancti Angeli sunt directi, est beatitudo supernaturalis: ergo & media, per quæ meruère beatitudinem, fuere supernaturalia: sed media adultis, & pariter Angelis, sunt actus arbitrij: ergo debuere esse à gratia eleuati. Ideò Patres, *quæst.præcedenti* allegati, necessitatem gratiæ, tam Angelis, quàm hominibus absolutè imponunt.

Hanc rationem adhibet etiam D. Thom. *hic*, cum Seraphico *in corpore, & fundamento 3.* quam desumunt Suarez *lib. 3. cap.1. num.11.* Valentia *disp.4. quæst.13. puncto 1.* in tertia assertione: & sanè in Theologia est demonstratio.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *fundamento vltimo.* Si Angeli solis naturæ viribus fuissent in Deum conuersi; sequeretur, Luciferum, qui naturalibus donis præcellebat, magis in Deum conuertendum. Hæc ratio vrget, supposito, quòd Deus necessariò diligatur naturaliter; vt asserui *disp.3. quæst.7.* Si enim sumatur arbitrium, vt naturali obiecto motum, magis conuersus esset Lucifer; si tamen accipiatur, vt liberè fertur in obiectum, cùm sit deprauabile, eget Diuino auxilio, vt notat D. Bonauent. *ad 2.* 34

QVÆSTIO IV.

Quæ Gratia fuerit necessaria Ductrix ANGELORVM *ad Deum.*

D.Bonau. loco cit. & dub.2. litt.
D.Thom. loco cit.

SVPPONO *hic*, diuisionem gratiæ in habitualem formaliter sanctificantem, & actualem disponentem, quæ est Auxilium Dei actuale. Hoc verò aliud est, præueniens liberum arbitrium, seu operans: aliud cooperans, vel concomitans; aliud subsequens; de quibus *1. 2. tract. de Gratia Dei, disput.1.*

EX quidem apud D. Bonauenturam certum est, non fuisse priùs in Angelis gratiam habitualem; sed actualem, quâ, more adultorum, ducti sunt ad sanctificationem, propriis se actibus præparando; vt infrà dicam.

Fuère nonnulli negantes, necessarium fuisse Dei auxilium Angelis, vt sanctificarentur. Eos refert Vasquez, *disp.228.cap.3.* 35

SECVNDÒ, alij necessariam eis gratiam præuenientem dixere; non tamen (res sanè mira) cooperantem. Authores refert Vasquez, *disp.98. cap.2.num.7.* & *disp.228.num.12.* & idem de primo homine insonte aiebant; de quo D. August. lib.de corrept.& gratia, cap.6. ***Vt bonum reciperet*** (vtique consentiendo) ***gratiâ non indigebat.***

TERTIA sententia est, Angelum non eguisse gratia præueniente, qua nos egemus, vt in Deum conuerteretur, sed solùm cooperante. Hanc opinionem refert Suarez *lib.5. cap 9. num.5.* pro qua videri ait Bellarminum *tom.4. lib. de Gratia primi hominis, cap.4.* Subdit verò, non negasse eruditissimum hunc virum omnem gratiam præuenientem; sed eam solam, qua nos indigemus. Fateor, Bellarminum non satis ibi se declarare de Angelis; sed de primo homine tantùm. Clarè verò id asserit *eodem lib. cap.7.* clariùs *de Gratia, & libero arbitrio, cap.2. & 17. circa finem, §. Denique*, vbi expressè negat Angelis gratiam excitantem. 36

37 SVAREZ, *loco cit.* Vasq. *locis adductis*, & *alibi*, docent, necessariam fuisse Angelis sanctam cogitationem, quâ determinarentur, seu applicarentur bono supernaturali; sancta quippè cogitatio non est in potestate arbitrij; sicuti de nostro docet D. August. *lib. de pradest. Sanctorum, cap.2.* & 3. Idipsum tanquam certissimum supponunt Tannerus *disp.5. quaest.6. dub.1. num.13.* Morand. *tract.7. quaest.34. num.762.* & alij.

SENTENTIA D. Bonauenturæ hæc est, non fuisse quidem Angelis necessariam eam gratiam, quæ in nobis est necessaria ad emundandam voluntatem, & auertendam à malo, seu à bono delectabili creato, nobis à concupiscentia ardenter obiecto; sed tamen aliquam motionem supernaturalem ad bonum, quæ voluntatem præueniret, necessariam concedit, *dub. cit.* Non patitur S. Doctor, Angelum esse inferioris conditionis primo homine insonte; & ideò de vtroque pariter quoad hæc discurrit 2. *dist. 4. quaest.2. ad auctoritates*: Porrò Adamum non indiguisse nouo toties auxilio excitante, docet *in 2. dist.24. quaest.2.* cum Magistro *eadem dist.* D.Thom. 1.2. *quaest.109. art.9.* Arim. 2. *dist.29. quaest.1. art.1. concl.3.* apud Bellarminum.

ASSERO primò, non fuisse Angelo, ad conuersionem in Deum, necessariam excitantem gratiam, vt in nobis.

38 Suppono autem ex D. Bonauent. *locis adductis*, & ex dictis *quaest.2.* datum est Angelis habitum supernaturalem, quem vocat contemplationem, loco fidei, & illuminationis excitantis; sicuti primo homini concessum est donum iustitiæ originalis, quod erat supernaturale, vt definit Pius V. & Gregorius XIII. qui articulum illum damnant. Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio; sed naturalis eius conditio. Vide Bellarminum *de gratia primi hominis, cap.5. in fine.* Hinc autem infert *loco cit. disp.24. in corpore*, non eguisse primum hominem gratiâ nouâ, sed sufficeisse continuatam gratiæ influentiam, quod sanè bis repetit S.Doctor.

39 Hinc eruit Seraphicus, dubio citato, rationem, cur Angeli non haberent necessitatem nobiscum nouæ semper gratiæ excitantis. Nos enim nunc eâ egemus, quia bellum ingruit à concupiscentia. Ideò, ne præueniamur, & prosternamur, oportet sanctâ præueniri semper cogitatione. Vnde D.Augustinus *lib. de correpr. & gratia, cap.11.* ait: *Ille (Adam) non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti, cùm dicunt. Video aliam legem in membris meis, &c.* vbi loquitur pariter de Angelo. Ideò de vtrisque dixerat suprà, *Deum sic ordinasse hominum vitam, & Angelorum, vt in ea priùs ostenderet, quid eorum posset liberum arbitrium; deinde quid posset sua gratia beneficium.* Et subdit: *Denique Angeli quidam, per liberum arbitrium refuga facti sunt: cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt.* Non negat autem in eis gratiam adiuuantem; sed eam, quæ nobis necessaria est ad pugnam, ne præueniamur; vnde subdit de homine, de quo sermonem resumpserat: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam; sed disparem.*

Hinc ruit obiectio Suarez sumpta ex necessitate sanctæ cogitationis; nos enim egemus clamare. *Libera nos à malo*, vt ait S.August.ibi; & Seraphicus *dist.cit.24. argum.2. cum responso*, ait, præcipimur clamare: *Ne nos inducas in tentationem.* Matth.6. Lucæ 11.

40 Ad perseuerandum verò non egisse Angelum gratia excitante, docet D. August. *lib. de bono Perseuer. cap.7.* & *lib.1. Hypogn.* circa principium, vt refert Bellarminus *loco cit. cap.4.* & fatetur Suarez *hic, num.5.*

PROBATVR verò ex loco *de correpr. & gratia*, quo abutuntur authores primæ sententiæ: Profectò enim solùm negat ibi, nouam gratiam excitantem ad permanendum fuisse Angelis necessariam ad modum, quo egemus nos perpetuis excitamentis.

Glossa autem Vasquez *num.19.* Angelum non eguisse auxilio, vt reciperet sanctitatis bonum, quia iam habebat, est imbellis; rationem enim reddit suprà à me allatam, quia non habuit pugnam.

41 ASSERO secundò, Angelos eguisse aliquo auxilio supernaturali ad conuersionem, & ad perseuerantiam.

PROBATVR à D. Bonauent. *in fundamentis*, ratione, qua vtitur Suarez *num.3.* Media debent esse fini proportionata; sed finis Angelicæ conuersionis, & perseuerantiæ, est supernaturalis: ergo & media. Confirmatur: nam actus charitatis tendit immediatè in Deum supernaturaliter vltimò: ergo & media debent esse supernaturalia, Sic arguit Vasq. *disp.228. num.10.* cum D. Bonau. *in corpore*, & S.Basilio *cap.16. de Spiritu sancto.*

42 PROBATVR secundò à S. Doct. ex D. August. *de vera innocentia*, vbi dicit, nullam creaturam rationalem posse sine diuino adiutorio conseruari. Vide S.Doctorem *dist.24. part.1. quaest.2. ad primum.* Confirmatur ex eodem D.August. *lib. de natura & gratia, cap.26. epist. 106. & in Enchir. cap.106.* & *lib. de correpr. & gratia, cap.11. & 14. de ciuit. cap.27.* vbi de Adamo innocente loquitur, de quo idem sentit, ac de Angelo. Vide etiam Bellarminum, *lib. de gratia primi hominis, cap.4.*

Quod de perseuerantia, confirmatur ex Concilio Arauf.2. *can.19.* vbi Perseuerantia, etiam in natura integra, definitur donum Dei. Vnde, & Angelo dici posse: *Quid habes, quod non accepisti?* ait Anselmus, *lib. de casu diaboli à cap.1. ad 3.* Et si D.August. *lib. cit. de correpr.* dixerit, retinere gratiam esse liberi arbitrij, non obest, vt notat Vasquez *num.12.* non enim ait, esse in potestate arbitrij sine gratia; sed esse liberum cum necessario auxilio.

QVÆSTIO V.

Quomodo verum sit, quod circumfertur, ANGELOS, *iuxta naturæ praecellentias, ampliorem gratiam accepisse.*

D.Bonau. dist.9. ad litt. Magistri, & q.2. & 3. D Thom. q.62. art. 6. & 12. q.34. art.3. ad tertium.

CVM suprà ostenderim, Angelos non fuisse per actus naturales in Deum conuersos; sed eguisse diuina gratia, videtur iam manifestum, non esse datam gratiam, iuxta dispositiones præstantioris naturæ, sed ex gratia; attamen potest adhuc in quæstionem vocari: An Deus liberaliter, iuxta naturalium præstantiam, voluerit etiam gratiis præclarioribus Angelos donare.

VASQVEZ

43 Vasqvez *disp.*128. ait, se nullum adhuc legisse, qui de hoc disputaret, præter Magistrum *in* 2.*dist.*3. D. Thomam *locis adductis*; Caietanum, & Recentiores, è quibus Suarez *lib.*5. *cap.*10. An Seraphicum latè hac de re differentem legerit, non dico; dicam tamen, eum, cum recentibus, rationes Seraphici, eo tacito, ex more vsurpasse. Aliquid in D. Bonauent. & Richardo carpit 3. *p. dist.*47.*cap.*3.

Asservnt hoc Theologi communiter, ex quo inferunt tamen diuersa: qui enim inæqualitatem actuum, solùm in auxiliorum inæqualitatem referunt, dicunt, Angelum, etiam iuxta inæqualia auxilia pro naturarum præcellentia, gratis habita, obtinuisse ex sua dispositione etiam præstantiorem sanctitatem. Ità sentiunt Thomistæ omnes: & ex Iesuitarum classe, Suarez, Vasquez *suprà*, Valentia, Præposit. Arrubal. Auersa, quos sequitur Morandus *tract.*7. *quæst.*34. Caspens. *disp.*6. *sect.*3. Marcus à Baudunio *quæst.*57. *art.*1.*disp.*2. Fuliensis *lib.*3.*cap.*7.

44 Arriaga verò *disp.*20. *sect.*4. dicit, eum potuisse æqualibus auxiliis, inæqualiter se disponere estque multorum. De hoc *prima secundæ*. Porrò, dedisse Deum gratis meliora dona gratiæ, præcellentioribus naturâ, ait Morand. esse Patrum, Basilij, Dionysij, Damasceni, & aliorum, consensum.

Idem sentiunt Magister, & alij Scholastici communiter *in* 2.*dist.*3. D. Bonauent. *locis adductis*. D. Thom. *supra*, vbi Thomistæ; ac Molina ibi, Valentia *quæst.*13.*punct.*3.Vasq.*cap.*2. Suarez *suprà*, Tannerus *disp.*5. *quæst.*6. *dub.*1. *num.*14. Granado *tract.*10. *disp.*7. vbi tamen nimis excedit dicens, Deum id necessariò præstitisse: Arriaga verò *disp.* 20.*sect.*4. est problematicus.

45 Svppono primò, Angelos à natura ordinatè fuisse alios aliis præstantiores, quod probat S. Doct. *quæst.*2. cum Magistro *ex cap.*6. *ad Ephes.* vbi Dæmones ob sola naturalia dicuntur *Principatus*, & alij *Potestates*; quatenus talibus naturæ dotibus præditi, puta ingenij acumine, sapientiæ perspicacia, in altioribus etiam ordinibus, gratiis inæqualibus, erant collocandi. Id probat etiam ex Magistro, & Patribus afferendis *disp.*7.*quæst.*4. qui Luciferum naturâ omnium nobilissimum dicunt. Confirmat illo Sap.11. *Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti.* Et adducit D.August. *lib.*4. *Genes. ad litt. cap.*3. & constat ex *disput.*1. *quæst.*4. vbi ostendi, Angelos naturâ diuersos probabiliter.

46 Svppono secundò ex dictis *ibi*, *quæst.*7. varios ordines, à gratiarum diuersitate, vltimum habere complementum.

Svppono tertiò, dona gratiarum non esse data Angelis, vt debita naturæ.

Probatvr à D. Bonauent. *quæst.*3. ex 1. Eccli. *Secundùm datum tuum præbe illam diligentibus te.* Ergo distributio gratiarum non sumitur ex merito naturæ suscipientis, sed ex dono Dei: & oppositum est error, vt ait D. Bonauent. Est autem Pelagianum, vt indicat Valentia.

Deinde, quia etiam inter homines, aliqui ingenio, & pulchritudine insigniores, sunt reprobati: aliquos verò idiotas, rudes, atque deformes, sanctos vidimus.

Confirmatur à S. Doct. quia si gratia aliquam præcellentiam sequeretur, maximè talis præcellentia esset arbitrij; at hoc repugnat gratiæ, quæ si ex meritis, iam non est gratia; & si gratia, non est debita naturæ; sed supra naturam: ergo.

Assero igitur, Deum, gratis sanè, Angelis naturâ præstantioribus, gratias donasse præstantiores. 47

Probatvr primò à D. Bonauent. *dist.*9. ad textum Magistri ex D.Dionysio *cap.*6. *& sequentib. de cælesti Hier.* vbi ordines, & hierarchias Angelorum, iuxta essentialia, & iuxta gratiarum distribuit dona, quam doctrinam ait Seraphicus, eò pressiùs amplectendam, quia ab Apostolò Magistro eam hausit. Hac auctoritate nituntur Vasquez *num.*6.Tannerus *num.*15.

Probatvr secundò à S. Doct. ex definitionibus Hierarchiæ, latis à S.Dionysio, quas explicui *disp.*1. *quæst.*6. exprimunt enim naturalia diuersa substrata, fuisse diuersis gratiis ornata. Vide D. Bonauenturam *dist.*9.*ad litt.* vbi sternit eas doctrinas ad huius quæstionis intelligentiam, vt ait Margo. Idem ostendit ex definitione ordinis, lata à D.Gregorio, homil. 34. in Euang. *Ordo est multitudo cælestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratiæ similantur, sicut & in naturalium donorum participatione conueniunt.*

Probatvr tertiò à Seraphico *dist.*6.*quæst.*1. & *dist.*9. allegato Magistro ibi, è Scriptura, & Patribus, asserentibus, Luciferum naturæ præstantiâ cæteris antecellentem, gratiis etiam eximiis sublimandum, ni renuisset. 48

Prima Scripturæ authoritas est, *Iob.*40. vbi de Lucifero, ait: *Ipse est principium viarum Dei.* Sed non ordine durationis, vt dixi *disp.*4. *quæst.*2. Ergo ordine excellentiæ in naturalibus; & proportionaliter in gratuitis. Sic exponitur à D.Gregorio 32.*Moral. cap.*18. Hugone Vict.*summé sent. cap.*4.*tract.*2. Isidoro, *de summo bono, lib.*1. *cap.*12. vbi disertè ait: *Ipse est principium viarum Dei, priùs enim creatus extitit ordinis prælatione, non temporis quantitate; cuius prælationis excellentiam, propheta his verbis annunciat*, Ezech.31. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei, Abietes non adequauerunt summitatem eius: omne lignum Paradisi non est assimilatum illi; quoniam speciosiorem fecit illum Deus.* Eodem modo exponitur à D. Hieronymo.

Secvnda authoritas est Ezech. 28. *Tu Cherub extentus, & protegens.* Ad quem locum D.Gregor. loco cit. *Huius principatus celsitudinem idem propheta intuens adiungit: Tu Cherub extentus, & protegens in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti; Cherub quippè, plenitudo scientiæ interpretatur; & idcircò iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientiâ, non dubitatur, qui in medio ignitorum lapidum perfectus ambulauit; quia inter Angelorum corda, igne succensa, clarus gloriâ conditionis extitit, quem benè extentum, & protegentem dicit; omne enim, quod extenti protegimus, obumbramus; & quia comparatione charitatis suæ, ea eorum claritatem obumbrasse creditur; ipse extentus, & protegens fuisse perhibetur: reliquos enim, quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentiâ maiore transcendit.* 49

Rvrsvs homil. 34.in Euang. *Dum cæteris agminibus Angelorum prælatus eorum charitatem transcendit, ex eorum comparatione clarior fuit.* Et iterum: *Illa supernarum virtutum procera altitudinis agmina, in lætitia æterna viriditate plantata, quamvis excelsa fuerint condita; huic tamen nec prælata sunt, nec coæquata.* Hæc refert S. Doctor *fundam.*2. 50

Rvrsvs dicitur Ezech.28. *Signaculum similitudinis*: vbi Tertullianus, *lib* 2. *in Marcionem*, ait: *Vt Eminentissimo Angelorum, vt Archangelo, vt sapien*

sapientissimo omnium, *dictum est*. Sic exponitur ab Hugone *loco cit.* & innuitur à propheta, vt notat Ascanius *in Glossa Magn. fol.* 438. dum cæteri Angeli ad imaginem, & similitudinem Dei facti: Lucifer verò dicitur signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore.

5 CONFIRMATVR ex *Isaia* 14. vbi dicitur: Lucifer inter stellas soli perpetuo adstans exoriri. Confirmatur à D. Bonauent. quia ibi dicitur, appetiisse omnibus Angelorum ordinibus superesse: ergo in naturalibus, & consequenter in gratuitis, se eminentissimum vidit.

Idem confirmatur ex D. Bernardo *lib.* 5. *de consider.* apud Seraphicum, circa *litteram*.

Idem asserunt, de Luciferi principatu, Chrysost. *homil. de primo homine*. Auctor de mirabilibus Scripturæ *lib.* 1. *cap.* 2. præter suprà allegatos.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *argumento* 3. *addito responso*. Ità se habet natura ad gratiam de congruo, sicut materia ad formam naturalem necessariò; sed materiæ meliùs naturaliter dispositæ, datur necessariò melior forma: ergo & naturæ meliori congruum est dari meliores gratias. Hoc sensu affert S. Doctor id Matth. 25. *Dedit vnicuique secundum propriam virtutem*, seu capacitatem. Confirmatur, quia natura est congrua dispositio ad ordinem sequentem gratiæ, vt refricat *argum.* 5. & inter perfectibile, & perfectionem debet esse proportio aliqua. Hoc medio vtitur etiam D. Th. *art.* 6. quod Valentia laudat.

52 PROBATVR quintò à S. Doctore, *argumento* 4. *addito responso*. Natura capax gratiæ adimpletur secundùm suam capacitatem, nisi ponatur obex: sed natura Angelorum est capax gratiæ, & perfectior naturâ hominis: consequenter capacior. Ergo, ni ponatur obex, maiorem gratiam habent; sed sancti Angeli obicem non posuêre: ergo.

53 CONFIRMATVR à Seraphico. Sicut gratia est dispositio meritoria gloriæ; ità natura est dispositio congrua ad gratiam: quia natura facta est propter gratiam, & gloriam. Ergo ex fine imponitur recta congruitas: non verò necessitas, quia naturæ non inest ex se ordo ad gloriam; sed ex addito Dei beneficio.

Quæ cùm ita sint, Deus liberaliter concessit Angelis naturâ excellentioribus præstantiora auxilia, quibus, quia boni toto conatu responderunt; ideò, & maiorem gratiam sanctificantem acceperunt, atque intensiorem adepti sunt gloriam. Hoc sanè in nostra sententia non habet difficultatem: & ideò omnes, qui tenent, Angelos non fuisse conditos in gratia, id astruunt.

54 MAGNA verò difficultas est, quo pacto aduersarij nostri valeant sustinere, Angelos creatos in gratia, potuisse gratiam ipsam obtinere ex proprij actus dispositione. Et quidem D. Thom. *quæst.* 62. *art.* 6. & *quæst.* 95. *art.* 1. *ad* 5. quem sequuntur Thomistæ *ibi*. Caietanus insuper 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 3. Ferrar. 3. *contra Gent. cap.* 110. Valentia *quæst.* 13. *punct.* 1. Vasq. *disp.* 228. Suarez *lib.* 5. *cap.* 8. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 1. *num.* 12. Morandus *tract.* 7. *quæst.* 34 adducens prætereà Artubalem, Pesantium, Granadum, descriptos quoque apud Præpositum *hic*, *art.* 3. *disp.* 2. censent, Angelos propriis actibus se disposuisse ad gratiam, in qua creati sunt; actibus sanè naturâ præcedentibus. Idem censent allegandi.

Aliqui verò ex iis, qui Angelos creatos in gratia dicunt, negant hanc dispositionem. Alens. *secunda parte*, *quæst.* 29. *memb.* 1. *art.* 7. Capreolus 2. *dist.* 4. Henricus *quodl.* 8. *quæst.* 10. Molina *quæst.* 62. *art.* 3. & alij.

PROBATVR igitur, non posse id sustineri in horum sententia. Vnumquodque operatur, in quantum est ens actu; sed gratia est producta simul cum Angelo: ergo est prior operatione Angeli. Si igitur Angelus propriis actibus se præparauit ad gratiam sanctificantem obtinendam: ergo ea non fuit data illi simul cum esse per creationem. Hinc non satisfit probando, fuisse liberum, vt putat Caspens. *disp.* 6. *sect.* 2. Moncæus *disp.* 6. *cap.* 3. Mæracius *disp.* 1. *sect.* 1. 55

NEC satisfit dicendo, priùs naturâ Angelum se disposuisse, quia in primo naturæ instanti, antequam mereretur, Angelus debuit cognoscere Deum, vt finem; eligere media virtutum ad eliciendos actus, plurimaque cognoscere; & deinde elicere actus charitatis, &c. Bone Deus, quot instantia naturæ præcesserunt! Ea verò esse etiam temporis debuisse, ostendi *disp.* 3. *quæst.* 11. Deinde operari est post esse.

Quòd verò gratiam sanctificantem obtinuerint aliquâ dispositione, probatur ex Conciliis, & Patribus suprà allegatis, *quæst.* 4. idem dicentibus de Angelis, & de hominibus adultis, quibus non datur gratia, nisi se præparent cum Dei auxilio. Sic autem diuinam decet prouidentiam.

ARGVMENTA contra nos probantia, non fuisse datam gratiam ad mensuram naturalium, colligit Suarez *cap.* 10. *à num.* 4. ex D. Bonauent. *argumentis oppositis*, quæ ex dictis soluta iacent hac responsione; id factum gratis ex remotâ congruitate. Quoniam tamen Suarez, ob ea, dicit opinionem Seraphici Doctoris esse incertam; ideo ipsa soluam. 56

OBIICIES primò: non potest inferius esse mensura superioris; sed natura est inferior gratiâ: ergo non potest esse huius mensura. Confirmatur: nam Lucifer plura auxilia habuisset, & dona, atque adeò stetisset, & fuisset cæteris gratior. Deinde maiorem gratiam dedisset etiam propter actus naturales dilectionis intensiores.

RESPONDETVR, naturam non asseri à nobis mensuram gratiæ, quia mensura gratiarum est gratiosa Dei voluntas, *diuidens singulis prout vult*, vt dicitur 1. *Corinth.* 12. attamen potest esse aliquod motiuum congruum in natura, quod non est meritum: nam meritum est ex actibus liberis. Ità Seraphicus Doctor *in corpore*. 57

AD illud de Lucifero, respondet S. Bonauent. *dist.* 6. *quæst.* 1. *ad vltimum*, eum recepisse excellentissima auxilia, quæ donata sunt ei à Deo, respiciente præsentem congruitatem; non futuram indignitatem, quæ maxima, & peruicaci malitia eum auertit à summo BONO, propter quam seuerissimè Deus eum puniuit; in quo terribilia diuinæ sapientiæ iudicia, & iustitiæ decreta, sese nobis obtulêre contemplanda. Si enim tanto Principi, & Angelis eius non pepercit; quantò minùs vilissimo cineri.

Hoc testatur Amicus Iob tremens, & horrens adeò, vt dixerit: *Horruerunt pili*. Cur? *Ecce, qui seruiunt ei non sunt stabiles*; *& in Angelis suis reperit prauitatem*. Hebræus: *non indidit* LVMEN explicat: *quantò magis, qui habitant domos luteas, consumentur*? Ità respondet & Suarez *à num.* 8. qui ex his colligit cum D. Bonauentura, non fuisse datam gratiam ex actuum naturalium dispositione; non enim ex retributione; sed ex liberalitate data est Angelis prima gratia: actus autem naturales non sunt proportionati tantæ retributioni.

OBIICIES

58 OBIICIES secundò. Deus non seruat hanc proportionem in hominibus, vt quò naturalium præstantiâ excellunt, eò amplioribus gratiis donentur: videmus enim viros naturâ præstantissimos deperditos, vt constitit in Absalon, Achitophel, in tot Sapientibus, & Regibus damnatis.

RESPONDET Seraphicus *in corpore*, hæc ex Dei placito fieri; ideo nil mirum. Addit *ad secundum*, id magis congruum videri in Angelis, qui toto conatu se disponunt. Et si Lucifer noluit, non refert; at homines etiam subtiles tardantur.

OBIICIES tertiò. Si Deus respexit ad naturalia in danda gratia: ergo non respexit ad dispositionem actuum; vt dixisti.

59 RESPONDENT D. Bonauent. & D. Thomas, naturam non esse proportionatam gratiæ; vt sæpè docuit S.Doct. *dist.9. quæst.2. in corpore*, & *dist.5. dub.2.litt.*& *art.3.quæst.1.* vt vidi *quæst.3. & 4.* tamen ex naturalibus potuit Deus concedere maiorem copiam auxiliorum, quibus agentes maiorem gratiam sanctificantem consecuti sunt, toto enixu operantes; & quia habebant nobilius principium, intensiùs quoque operati, merita abundantiora coaceruarunt. Lucifer verò cùm posset, illis præstantissimis auxiliis, altissimum sibi gradum adipisci, abiit præceps. Ideò Deus, qui superbis resistit, eum absque misericordia deturbauit. Vide Seraphicum. Hic sisto: nam, iuxta varias de Auxiliis sententias, quas *prima secundæ, tract.4.disp.1.* examinandas differo, variè etiam loquuntur Theologi. Nobis faciliùs est soluere, qui tenemus, posse vnum cum maiori auxilio recalcitrare; alio cum minori conuerso.



DISPVTATIO VI.

De Gloria Angelorum.



QVÆSTIO I.

Vtrum ANGELI *creati sint, naturaliter beati: An etiam supernaturali beatitate fruentes.*

{ D.Bonau. dist.4. q.1.
D.Thom.q.62.art.1. }

1 OMNES Theologi constanter negant, Angelos fuisse in sua creatione beatos, cum Magistro 2. *dist.4. & 6.* vbi D. Bonauent. D.Thom. *quæst.62. art.1.* quod probant SS. DD. quia beatus est voluntate determinatus, quoad specificationem, & exercitium, in summo bono clarè viso, atque adeò nequit ab eo auerti,& peccare: ex Angelis verò plurimos peccasse, de fide est certum. Neque solidè dicerentur priùs beati, mox beatitate spoliati: nam è lege ordinariâ beatitas est perpetua. Quare, si qui Angelos creatos in gloria dixerunt, temerè locuti sunt, vt ait Valentia *disp.4. quæst.13. punct.2.* Itaque manet quæstio solùm de naturali beatitate.

PRIMA opinio fert, Angelum à primo instanti creationis fuisse BEATVM; quia necessario Deum contemplans adamabat, vt authorem naturæ, & finem. Ità plures Moderni Thomistæ *1.p.q.56.art.3. & q.60.art.5.& q.62.art.1.* Ex quo libenter concedunt, Dæmones etiam nunc esse hac beatitate fœlices; quia naturalia in eis integra permanent.

PARVM distant ab his D.Thom.Caietan.*hic*,& alij Thomistæ recentiores *ad hunc articulum*, vbi Nazarius *controu. prima* Scotus *disput.3. quæst.9. §. Ad quæstionem*,& *disp.4. quæst.1. in primo argumento, initio quæstionis.* Durand. *quæst.1.* Suarez *lib.3. de Angelis, cap.11.* Malon. *d.4.dub.1. concl.1.* Valentia cit. dicentes Angelos in beatitudine conditos naturali. Indicat Morandus *tract. 7. quæst. 35.* allegans Arrubalem *hic, artic.1.* Præposit. *ibidem, dub.vn.* Tannerus *quæst.6. disp.1. numero 6.* ait, hoc à se probatum *quæst.4. dub.vlt.* sed non inueni. Est D.Bonauent. sententia.

Vasquez è regione *disp.226.* negat, Angelum in via esse capacem beatitudinis naturalis: quia est defectibilis.

ASSERO primò, Angelos creatos in beatitate naturæ. 2

PROBATVR à D. Bonau. primo ex 28. Ezech. *Tu signaculum similitudinis, in deliciis Paradisi fuisti*, sed non fuit in deliciis supernæ beatitudinis: ergo fuit in beatitate naturali.

PROBATVR secundò à S.Doctore ex D. Augustino *de mirabilibus Scripturæ, lib.1. cap.2.* vbi ait: *Angelus in summo sui honore constitutus lapsus est.* Profectò summum viæ, est beatitudo viæ. Idem habet *lib.* qui censetur Gennadij *de Eccles. dogm. cap.59. addito 64.* apud D. Bonauenturam.

PROBATVR tertiò à S. Doct. ex D. Fulgentio *de fide ad Petrum, cap. 3.* quem refert etiam Suarez *numero 11.* vbi ait: *Angelici spiritus, pro eo quod rationabiles sunt facti, æternitatis, & beatitudinis donum in ipsa natura suæ spiritualis creatione diuinitus acceperunt.* Hoc verò de beatitudine patriæ non intelligitur, vt infrà.

PROBATVR vltimò, ratione, quâ cæteri vtuntur. Beatitudo naturalis in coniunctione cum vltimo fine, per contemplationem, & amorem posita est, ex Aristotele 10. *Eth.cap.7.& 8.* Loquitur autem de fine, cuius natura capax est; sed Angeli conditi sunt in hac contemplatione: ergo. Ita & Suarez *lib.3.cap.10. numero 6.* & alij apud Vasquez *numero 1.* Neque verò habebant aliquid impediens ab hac beatitudine contemplationis, quam non est necesse inamissibilem fore, sicuti superna, & per hoc eluditur Vasquez; vt aduertit Tannerus. 3

ASSERO secundò, Angelos in hac beatitudine aliqua ratione necessariò fuisse, quatenus necessariò cognoscebant, & amabant Deum, vt dixi *disput. 3. quæst. 7.* Neque tamen concedo cum nonnullis, suprà allegatis, eam mansisse in dæmonibus, non enim actus integri mansêre naturales; sed solæ potentiæ à voluntate deprauatæ, vt docet Seraphicus *tota dist. sexta*, & *dist.7. quæst.1. in corpore.* 4

ASSERO tertiò, Angelos non fuisse creatos in beatitudine patriæ.

PROBATVR primò à D.Bonauent. quia beatitudo patriæ est aggregatio permanens omnium bonorum; at dæmon *in veritate non stetit.* Ioan. 8. ergo. Maior patet ex Boëtio, sic definiente beatitudinem. Hac ratione vtuntur Suarez *numero 6.* Vasquez *numero 8.* Confirmatur ex Diu. Augustino *11. de ciuitate, cap. 11.* apud Vasquez *num. 12.* vbi

vbi ait ad beatitudinem necessariam esse securitatem.'

5 Hinc arguit Seraphicus de essentia beatitudinis, est securitas à casu, & peccato. Sed Angeli omnes fuere incerti, & multi ceciderunt: cæteri verò potuerunt cadere, quod implicat beatitudini. Profectò, si in primo instanti Deum vidissent, fuissent cum summo bono clarè cognito necessariò coniuncti; vt dixi *initio quæst.* Neque dicas, fuisse auulsos; quia, cùm de naturâ gloriæ sit continuatio; non possumus absque miraculo reuelato asserere, illos abstractos. Sic arguit, & Suarez *lib.5. cap.2. numero 5.*

6 Probatur tertiò è Diu. Bonauent. ratione à priori, quâ vtitur Suarez, ante numerum tertium decimum, ex diuina prouidentia, & fine à Deo intento; quia illa beatitudo non est naturæ eorum debita, nec danda eis fuit, vt eorum liberum arbitrium probaretur; vt docet D. Augustinus *de corrept. & gratia, cap.11.* & vt possent eam promereri. Id autem ita factum probat Seraphicus, quia nullus laudatur de his, quæ habet à natura. Sed sicut damnationi essentialis est vituperatio; ità beatitudinis essentialis est laus; quia vtraque est planè à libera voluntate, & propterea, ob beatitudinem, Sancti Angeli laudantur in officio eorum; sicuti & sancti homines in officiis eorum magnificantur, qui pari modo beatitudinem sunt consecuti; vt dixi *disp.4. quæst.2. &* 8. Eadem enim est mensura hominis, & Angeli in gloria; vt dicitur *Apocal.21.* Vnde è regione, damnati in Scripturis iure, ac meritò exsibilantur.

7 Probatur quartò à D.Bonauent. Vel omnes conditi sunt beati, vel aliqui tantùm. Non omnes; quia plurimi ex eis in pœnas æternas corruerunt: at de ratione beatitatis est inamissibilitas: nec aliqui; quia cæteris fuissent absque proportione eminentiores, & ideò non fuisset ausus Lucifer, se eis comparare, aut præferre: qui enim minor est in regno cœlorum, maior est omni sancto viatore.

At, esto Lucifer super vires sit ausus: profectò, si beatitudo naturæ debebatur, hæc debita erat Lucifero, omnium præclarissimo, vt asserunt Patres allati, *disp.4. quæst.5.* & ita Lucifer non cecidisset.

Quod in hac re negotium facessit, est D.Augustinus, qui visus est aliquando oppositum docere, vt cautè obseruat, & explicat D.Bonauent. *in corpore, & ad argumenta.*

8 Qvoad malos quidem Angelos, asserit, illos non fuisse beatos, *lib.11. de Genes. ad litt.cap.23.* & *lib.11. de ciuitate, cap.11.* Quòd, si *lib. de corrept. & gratia, cap.10.* ait, hos aliquando fuisse beatos: loquitur de beatitudine imperfecta: de qua in primo asserto. Et *in eodem, cap. 10.* ait, quod etsi erant beati, antequam caderent; tamen adhuc erat, quod eorum beatitudine adderetur, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis, acciperent: idest, vt magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere vlteriùs omninò non possent. Vbi aduerte, D.Augustinum loqui de diabolo, & Angelis

9 eius. Attamen S.Bonau. *in corpore*, locum hunc allegans ait, intelligi etiam de bonis. Hæc fuit occasio Compilatori operum D. Bonauenturæ aberrandi. Sic enim legit: *Angeli, etsi beati sint:* cùm textus D.Augustini dicat, *etsi beati erant.* Quod si diceret, *etsi beati sint*: de solis sanctis Angelis loqueretur. Debuit ergo relinquere, vt in antiquis Seraphici Codicibus (*erant beati*) nam S. Bonauent. aliunde arguit, D. Augustinum locutum etiam de bonis, quia loquitur sic: *Si permansissent*, perseuerantia enim fuit indicta tam bonis, quàm malis, vt notat Suarez *numero* 8. qui de omnibus dictum asserit: *Non coronabitur, nisi, qui legitimè certauerit*, & *lib.5. cap.12. numero 3.* aduertit, de omnibus dictum: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Idem habet Valentia, post *septimam opinionem.*

Adde, Deum vniformiter se gessisse cum omnibus Angelis, vsque dum illi peccarunt; isti steterunt, vt testatur idem D. Augustinus *lib. de corrept. & gratia, cap.10. & 11.* quod & communi Sanctorum Patrum, & Theologorum assensu confirmatur, vt notat Suarez *lib.5. cap. 1. 2. & 3.* & *cap.11. numero 10.* 10

Præterea, D.Augustinus, ante ea verba, loquens de omnibus Angelis ait: Deum voluisse vt experirentur omnes, primò quidem, quid eorum liberum arbitrium; deinde quid gratia posset: & subdit; aliquos refugas à Deo per liberum arbitrium factos: aliquos verò in veritate stetisse; & sic certos factos de sua salute; subdit: *Diabolus, & Angeli eius, etsi beati erant antequam caderent, erat tamen quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem reciperent*, vt suprà. Subdit verò: *Hanc plenitudinem beatitudinis non habebunt, sed, quia nesciebant suam futuram miseriam, minori quidem, sed tamen beatitudine sine vllo vitio fruebantur.* Ecce sententia D.Bonauenturæ *ad litteram*, hæc dicta esse de malis Angelis quidem; sed in statu communi cum bonis de vtrisque esse asserrum; non autem de solis Sanctis, vt de his legi debeat (*beati sint.*)

Enim verò aliqua S.Augustini loca sunt, quæ de solis Sanctis Angelis loquuntur, & de his videntur asserere, fuisse beatos, & sane supernaturali beatitudine à creatione. Affert autem S.Bonauent. *in corpore* illum 11. *de ciuitate, cap.11.* vbi ait, eodem instanti factum cœlum, & lucem, idest Angelicam naturam: nam lux dicuntur Angeli, quia illuminati sunt, vt beatè, semperque viuerent: & *cap. 9.* ait: *Partem sanctorum Angelorum eo beatiorem esse, quod nunquam est peregrinata à Domino*; peregrinari autem à Domino, est per fidem in via ambulare, vt dicitur secunda Corinth. 5. Sanè 11. *Genes. ad loc. cit. 23. vndecimo de ciuit. cap.13.* negat, dæmones fuisse beatos. 11

Respondent ergo Tannerus *numero* 5. Morand. *quæst.35.* Arrubal. *art.1.* Præposit. *art.1.* & alij cum D.Bonauent. *in corpore*, D.Augustinum concedere Angelis in primo instanti beatitudinem imperfectam, vel si perfectam, in dispositione. Quod verò ait, eos non esse peregrinatos; sensus est; non recessisse à Deo, vt filius ille à patre, de quo *Lucæ* 15. dicitur *peregrè profectus est*, vt exponunt D.Bonauent. *in corpore*, Vasquez *cap. 4.* Suarez *cap.2.* Hinc iterum reuocanda esset disputatio de sensu D. Augustini circa cognitionem matutinam, sed de hac ad satietatem dictum est *tractat.1. disput.11. quæst.23.* & in *hoc tract. disput.2. quæst.26.* Certè arduum est mentem D. Augustini assequi, vt aduertit Tannerus. Et sanè Gregorius de Valentia *disp. 5. quæst.2. part.2.* Molina *Tract. de operibus sex dierum*, carpunt S.Augustinum, vt inconstantem; sed modestè Seraphicus id respuit, vt dixi *disp.2. quæst.26.* 12

Qvæ verò obiicit Vasquez contra beatitudinem naturalem Angelorum, vel quia nequeant diligere 13

diligere naturaliter Deum super omnia; vel quia possint eam fœlicitatem amittere; friuola sunt: primum enim suprà refutatum est, *disputat.* 3. *quæst.* 7. alterum verò satis è D. Augustino manet solutum; nam admittit in Angelis viatoribus beatitudinem amissibilem; neque enim ad naturalem necessariæ sunt conditiones beatitudinis supernaturalis definitæ à Boëtio, vt docet D. ipse August. 11. *de ciuit. cap.* 11. Quæ verò adduci possunt ad probandum beatitudinem Angelorum à creatione, intellige de eximiis donis naturalibus, & supernaturalibus gratiæ, in quibus conditi sunt. Vide Vasquez *loco cit.* Arrubalem *hic, art.* 1. Præpositum *dub.* 1. Morandum *tract.* 7. *quæst.* 35.

QVÆSTIO II.

Quomodo, & quando sancti ANGELI *adepti sint beatitudinem.*

{ D. Bonau. d. 5. art. 3. q. 1.
D. Thom. q. 62. art. 5.

14 QVÆSTIO hæc viam, & terminum Angelorum discurrit.

Suppono autem ex dictis, Angelos acquisiuisse meritis gloriam: scripturæ enim, & Patres asserentes, gloriam esse coronam, & mercedem, etiam de Angelis intelliguntur; vt vidit Morandus *tract.* 7. *quæst.* 5. Tanner. *disput.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 2. Ita sentiunt SS. DD. *hic*, Magister *in* 2. *d.* 5. *cap. vlt.* quæ est doctrina expressa D. Augustini *lib. de corrept. & gratia, cap.* 11. & aliorum Patrum, è quibus Gelas. *decr. contra Pelag.* Fulgen. *lib. de fide ad Petrum, cap.* 3. Isidor. *lib.* 1. *de summo bono, cap.* 10. Gregor. *homil.* 7. *in Ezech.* Ansel. *de casu diaboli, cap.* 6. 13. 14. 15. 24. Rupert. *lib. de timore Domini, cap.* 7. Aliquos indicaui *disputat.* 4. *à quæst.* 2. Id probant S. Thom. *art.* 4. & D. Bonauent. *in Dieta, tit.* 10. *cap.* 5. ex illo *Apoc.* 21. vbi Angelus aurea arundine ciuitatem supernam emensus est; additur autem: *Mensura hominis, quæ est Angeli:* sed mensura gloriæ hominis est meritum: ergo & Angeli.

15 VASQVEZ *disputat.* 229. *num.* 2. dicit, hunc sensum esse à littera alienum; sed genuinum sensum esse, mensuram illam cubitorum, quæ poterat credi esse hominis, tamen esse Angeli sub specie hominis metientis ciuitatem illam, non mensurâ intellectuali; sed humanâ. Adducit Aretam: At expositio extorta est: nam paulò antè dixit, eum, qui mensus est, quique loquebatur cum Ioanne, & multa sensibiliter agebat, fuisse Angelum. Quorsum igitur libet aduertere, cum fuisse Angelum? profectò antea debuisset aduertere, phialam, quam portabat ille Angelus, fuisse amphoram veram; non in intellectu solùm. Deinde, si volebat docere, eam mensuram Angeli fuisse, non intellectualem; sed veram; debuit dicere, mensuram Angeli esse hominis.

16 SECVNDÒ exponit, Angelum illum fuisse Christum, qui, sapientiâ suâ homo, & Angelus, metiebatur. Inanis expositio: nam vnus erat ille Angelus ex iis, qui antea Agnum laudarant adorantes, & iussa facientes visi sunt.

TERTIÒ exponit, Deum eandem prouidentiam habere in gloria de hominibus, & Angelis, cui arridet Interlinearis. Haymo, & Lyra. Laus Deo. Ergo sensus est: sicuti Diuina prouidentia per merita ducit homines ad gloriam (quod de fide est quia: *Reddet vnicuique iuxta opera sua*) ita & Angelos: sic verò à duobus nostris sanctis Ecclesiæ DD. exponitur, à Richardo de S. Vict. Ansberto, 17
Alberto Magno, & quod caput est, D. Gregorius magnus *homil.* 14. *in Ezech.* sic explicat: *Latitudo igitur ædificij ad charitatem pertinet; de qua psalmista. Latum mandatum tuum nimis: altitudo ad intelligentiam contemplatoris; sed altitudo, & latitudo vno calamo mensuratur; quia vnaquaque anima, quantum lata erit in amore proximi, tantum alta erit in cognitione Dei. Et quia ædificium, quod inhabitat Deus, & Angelicâ simul, & humanâ naturâ perficitur, per hoc quod Angelica natura sursum est; humana adhuc deorsum, potest per altitudinem, & latitudinem vtraque hæc creatura significari: sed vno calamo mensuratur, quia humilitas hominum quandoque perducitur ad sublimitatem Angelorum. Vnde per Ioannem dicitur: mensura hominis, quæ est Angeli. Condescendamus fratribus minimis, vt coæquemur Angelis: quia vir, qui sua imagine Redemptorem signat, mensus est altitudinem, & latitudinem ædificij calamo vno. Nunc igitur metitur mores, pensat opera, cogitationes considerat Iesus Christus, vt fine fine retributionem reddat.* Quid clarius?

CONFIRMATVR aliis Patribus, qui per mensuræ aureæ tesseras, exponunt meritorum varietatem. Ita Richard. Rupert. Antonius à S. Michaële, Alensis, & alij apud Ioannem de Haye: sic & Valentia *disput.* 4. *quæst.* 13. *puncto* 2. & Thomistæ. Quoad opiniones circa modum, & durationem, quibus Angeli adepti sunt gloriam. 18

PRIMA opinio est Magistri 2. *d.* 5. qui asserit, Angelos aliquam morulam in via consumpsisse; in ea tamen nil meriti adeptos; gloriam verò eis datam ob merita futura, quæ ministrando Diuinæ Maiestati, & hominum saluti erant cumulaturi. Idem sensit Præpositiuus, Altisiodorensis *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 7. & probabilem censet Albertus 3. *d.* 18. *art.* 4.

SECVNDA opinio est Caietani *quæst.* 13. *art.* 6. 19
qui duobus instantibus putat absolutum negotium. In primo fuerunt omnes Angeli creati in gratia, & meruêre gloriam. In secundo, boni continuantes illud meritum simul receperunt beatitudinem; mali verò in secundo suo instanti non continuarunt meritum, sed obicem opposuêre peccando; & simul fuere damnati. Hanc sententiam adscribit D. Thomæ *quæstione* 62. *artic.* 5. Eam tamen redimere satagit Ripa *quæstione* 63. *artic.* 6. ponendo secundum illud instans diuisum in duas partes; in quarum priori fuerit meritum; in altera præmium: sed non ad mentem Caietani, vt notat Tannerus.

TERTIA opinio est Ferrariensis 3. *contra Gent. cap.* 110. qui duobus instantibus rem describit. In primo instanti omnes creati in gratia emeriti sunt gloriam. In secundo, boni non ponentes obicem beati fuere; non tamen aliquid tunc meruerunt, vt putat Caietanus: mali verò in secundo instanti obicem posuêre demerendo; & sic damnati. Videtur ad mentem D. Thomæ *quæst.* 63. *art.* 6. Attamen germana opinio D. Thomæ est, Angelos in secundo instanti emeruisse gloriam.

QVARTA opinio est Capreoli 2. *dist. quæst. vn. artic.* 2. *ad argumentum primum*, contra quintam conclusionem, totum negotium tribus instantibus absolutum. In primo omnes creati in gratia habuerunt actum dilectionis naturalis erga 20

Deum, non eo tamen meruerunt, quia non erat imperatus à charitate supernaturali, & id videtur D. Thom. *quæst. 62. art. 4. ad 2.* In secundo instanti, boni actu supernaturali meruêre; cæteri verò peccarunt. In tertio instanti boni fuere beati, & mali damnati. Hanc sententiam recentibus Thomistis adscribit Vasquez, quamvis Bannes *quæst. 63. art. 6.* Zumellus *quæst. 62. art. 5. quæstiuncula 2.* eam potiùs refellant.

21 Qvinta opinio est Scoti *in 2. dist. 5. quæst. 1.* qui varios postquam modos scrutatus est, hunc censet veriorem; totũ scilicet hoc opus tribus morulis absolutũ. In prima, omnes creatos in gratia meruisse. In secunda morula, continente multa instantia sibi succedentia, bonos variis actibus rursum meruisse: malos variis peccatis deliquisse. In tertia mora, bonos esse beatos; & malos damnatos. Quoniam verò probabile censet, Angelos non fuisse creatos in gratia; tunc ponendas quatuor morulas asserit. In prima, omnes in puris naturalibus constituit, vt sic experirentur quid eorum liberum posset arbitrium, vt ait D. August. *de correpť. & gratia, cap. 10.* In secunda, omnes in gratia. In tertia, boni meruêre; mali demeriti sunt. In quarta, omnes erant in termino. sequuntur Faber *disp. 30.* Rada *controu. 10. à conclus. 2.* Marcus Baudun. *quæst. 56. art. 3.* Morand. *tract. 7. quæst. 35.* omnes Scotistas allegans; ipse tamen priorem Scoti modum cum Marco amplectitur, qui supponit, Angelos; creatos in gratia.

Addit verò, tres morulas non solùm numerandas, & demetiendas intrinsecè operationibus Angelorum, vt communiter solet dici, vnam morulam, seu vnum instans Angelicum esse, quantum durat vna Angeli operatio; sed morulas metiendas extrinsecè, cum temporis mensurâ, ità vt singulæ durent aliquo breuissimo tempore. Quantum autem durauerit, quis nouit?

22 Aliqui dixêre, durasse diem integrum apud Arrubalem, *disp. 176. n. 2.* Arriaga verò *disp. 20. n. 60.* horæ quadrantem. Hoc certum est, fuisse moram breuem, vt docet D. Bonau. *hic*, D. Thom. *quæst. 62. art. 5.* & *quæst. 63. art. 6.* & ex communi docet Valentia *quæst. 13. puncto 2.* Tannerus *disp. 5. quæst. 6. dub. 2.* & nititur Scripturâ *Ioan. 8.* vbi dicitur Diabolus, non stetisse diu in veritate. Probatur à SS. DD. quia modus hic velox adipiscendæ perfectionis proportionatus est modo naturali operandi Angelorum, qui non egent ad actus suos, longo tempore, & semel appliciti, difficilè eos retractant.

Quare neu probatur Theologis reuelatio B. Amadæi, quæ sic loquitur, Raptu primo. *Nos Angeli omnes, non paruis, & breuibus morulis, vt vos creditis, sed multis temporibus viatores fuimus.* Certè ante Adæ lapsum erat Diabolus. Id tamen rectè admittit, viam omnium Angelorum fuisse æqualem, vt ex communi etiam tradunt Valentia *suprà*, Molina *quæst. 63. art. 6.* cum D. Thom. *q. 62. art. 5.* & *quæst. 63. art. 5. ad 4.* & *art. 6. præcipuè ad 4.* & D. Bonauent. *hic.*

23 Sexta sententia est, omnes in primo instanti, vt creatos in gratia, meruisse beatitudinem, ità tamen, vt boni longiùs meritum protrahentes, & perseuerantes in merito continuarint gratiam, cùm possent eam per peccatum abiicere: mali autem, interrumpentes meritum gratiæ, peccarint in secundo instanti, respondente parti primi instantis, seu primæ morulæ bonorum, illi nempè particulæ, in qua boni perseuerando protraxerunt actum meritorium. Denique in secundo, boni receperunt beatitudinem; in tertio verò mali suppliciis addicti sunt. Hæc est germana D. Thomæ sententia *quæst. 63. art. 6.* sequuntur Valentia *quæst. 13. punct. 2.* Vasq. *disput. 229. cap. 10.* Tanner. *disput. 5. quæst. 6. dub. 2.* &, vt apparet, Bannes *quæst. 63. art. 6.* nec dissentit Zumell. *ibi.* Adducuntur Gregorius 24 *in 2. dist. 5. quæst. 1. art. 3. post quartam conclusionem*, & alij, quos vide apud Aversam *hic, sect. 5.* Alarcon. *dist. 8. cap. 7.* Præposit. *hic, art. 5.* qui plures alios dicendi modos referunt. Porrò hæc sententia sic explicita, à Thomistis plausu excepta, facilè eluit argumentum illud Scoti *dist. 5. quæst. 1. art. 3.* apud Fabrum *num. 2.* & alios Scotistas magni ponderis æstimatum, quasi equuleus Thomistarum. Quicumque pro tota mora viæ manet in merito, necessariò in fine illius moræ erit beatus. Sed per D. Thomam omnes Angeli, tam boni, quàm mali, pro tota mora viæ, scilicet pro illo primo instanti sunt æquales in merito: ergo in termino illius moræ, qui est instans sequens, omnes debuerunt esse beati. Maior probatur ex Matth. 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Minor probatur, quia in primo instanti solo merentur secundùm D. Thomam. In secundo verò instanti, boni sunt in termino, qui habent præmium; instans autem, in quo habetur præmium, est extra viam: ergo in secundo instanti illo, non potuerunt mali ponere obicem.

Hæc argumentatio elabitur, si discursus Angelici attendatur, vt obseruant Valentia, Bannes, 25 Tannerus, Vasquez, & Thomistæ: nam instans viæ bonorum coëxistit duobus instantibus malorum; nam perseuerantia dicit protractionem extra primum indiuisibile ad aliud, in quo posset illa prima actio detruncari; imò retractari. Iam verò boni perseuerantes vnum instans, seu (vt propriè loquar) vnam morulam intrinsecam fecerunt continuam, vi á continuatâ emensam operatione, mali verò peccantes, illam primam morulam in duas secuerunt; quia non continuarunt actum charitatis, à quo instantia Angelica intrinsecè mensurantur, vt notat Caspensis *disput. 6. sect. 6.* subscribens; sed interrupto actu illo, imò retractato peccarunt: ex quo fit, vt in illo secundo indiuisibili, quo dæmones peccarunt, non fuerint sancti Angeli in termino, vt supponit Scotus; sed in via perseuerando. Fuit autem vnum eis instans, quia fuit vna continuata operatio, totâ illâ duratione secta, malorum; atque adeò instans illud bonorum coëxtitit duobus malorum. Hæc censetur communiter mens D. Thomæ 26 *in 2. distinct. 5. quæst. 2. art. 2.* & *quodl. 9. art. 8.* vt fatetur Suarez *lib. 5. cap. 11. numero 6.* vbi quoad hoc, quòd Angeli sancti in secundo instanti, in quo dæmones peccarunt, emeriti sint, allegat etiam D. Bonauent. *2. distinct. 5. art. 3. quæst. 2.* & alios, & ità sequitur hanc opinionem ipse Suarez *loco citato*, etiam ad mentem D. Thomæ *hic*, vt patet *in resp. ad argum. numero 20.* & *lib. 6. cap. 3. numero 5.* vbi notat, secundùm D. Thomam, Angelos, in primo instanti emeruisse sine potestate peccandi: at in secundo perseuerasse cum potestate peccandi, malos autem defecisse. Aduertit verò, in illo secundo instanti fuisse varios actus sibi succedentes, sed quia fuêre connexi cum vno principali actu in se indiuisibili, & permanenti, à quo sumitur vnitas illius instantis, siue moræ; ideò

ideò ait, eos vnum tantùm instans constituere. Sic *cap. illo vndecimo*, *lib. 5. num. 19.* Molina *q. 63. art. 6.* quam Tannerus ad tria instantia Scoti trahit: nam omnes in tertio instanti ponunt terminum cum D. Thom. *ad* 4. Sic Morandus *loco cit.* Fuliensis *lib. 3. cap. 7.*

27 Postrema remanet sententia D. Bonauenturæ, quæ ponit Angelos fuisse primo instanti in puris naturalibus, vt dixi *disp. 5. quæst. 1.* In secundo instanti, ex auxiliis actualibus habuere consensum, & gratiam sanctificantem, meruuntque perseuerantes in charitate; sed in eadem morula habuere etiam beatitudinem. Itaque simul tempore emeriti, obtinuere gloriam in præmium. Hanc opinionem asserit D. Thomas *2. dist. 5. quæst. 2. art. 2.* & *quodl. 9. art. 8.* Richard. *2. dist. 5. art. 2. quæst. 1.* Ægid. *quæst. 2. art. 2.* vbi etiam Argentina, & Maior eam probabilem putant. Idem defendunt Marsil. *2. quæst. 4. art. 2. concl. 4.* Mairo *in 3. dist. 17. quæst. 1.* Albert. *in summa, 2. part. tract. 4. quæst. 19.* Caietanus *p. p. quæst. 63. art. 6.* quem alij moderni imitantur. Hi omnes in hoc conueniunt, Angelos eodem tempore, quo emeriti sunt, accepisse etiam præmium, quod laudat etiam Arriaga *disp. 20. sect. 5. subsect. 1.* tametsi in oppositum inclinet. Hanc opinionem acriter oppugnant authores aliarum

28 opinionum. Eam verò facilè sustinebo; quia, vt vidit Argentina *disp. 4. & 5. quæst. 1. ad 4.* ea, quæ Seraphico opponuntur, nullius momenti sunt, positâ maximè morulâ diuisibili, quam alij quoque adhibent, ac tricas etiam sibi planant arctiores, vt videbis apud Valentiam *disp. 4. quæst. 13. p. 3.* Vasquez *disp. 229.* Alarconem *disp. 8. c. 7.* Auersam *sect. 5.* Præpositum *art. 5.* & alios.

Assero primò, beatitudinem non fuisse Angelis collatam ob merita futura.

Probatvr à D. Bonau. primò ex D. August. *lib. de corrept. & gratia, c. 11.* vbi ait: *Angeli sancti, qui, cadentibus aliis, steterunt, illius vitæ mercedem recipere meruerunt.*

Probatvr secundò à S. Doct. *argumento*, quo vtitur Suarez *lib. 6. cap. 4. num. 5.* Contra naturam est, quòd terminus antecedat viam suam, & sit principium eius; sed meritum est causa; & via ad terminum, qui est beatitudo: ergo non fuit post terminum. Confirmatur, nam licet Deus possit dare gloriam pro meritis futuris; sicuti faceret Rex, qui daret militi arma, & equum, vt ea mereretur in bello, vt docet S. Doct. *hic*, & *dist. 27. art. 2. q. 1. ad 1.* attamen ille miles potest quidem equum mereri, quia non dicit formaliter donum, non potest tamen mereri illam gratiosam donationem, nec gratiam, quæ intrinsecè donationem dicit: & ità etiam diuinitus repugnat, quoad illam primam actionem, qua principium illud meriti producitur, cadere sub merito.

29 Probatvr tertiò à D. Bonauent. *argumento*, quo abutitur Faber *num. 6.* contra D. Bonau. Omnis dispositio præcedit id, ad quod est dispositio. Sed meritum est dispositio ad præmium: ergo. Faber addit: debet præcedere tempore. Sed hoc est falsum, vt aduertit S. Doct. nam vltima dispositio sæpè non præcedit tempore, vt actus contritionis, vel charitatis supernaturalis, non præcedit tempore iustificationem.

Valentia has duas rationes impugnat, quæ sunt etiam Durandi *2. dist. 5. quæst. 3.* & D. Thom. *art. 4. huius quæstionis*, quasi petant principium, assumendo id, quod aduersarij prima fronte negant, de ratione meriti esse, vt sit ad modum termini, respectu dispositionis, & viæ: nam potuit Deus dare gloriam, vt effectum, & terminum moralem, non seruantem iura termini Physici, qui debet esse posterior via, & dispositione; quid enim obstat, quin detur gloria; postea pretio soluenda; sicuti venditur pallium pro pretio soluendo? Sic enim Patres antiqui acceperunt gratiam, posteà Christi meritis emendam, atque soluendam.

Sed argumenta rectè procedunt, iuxta legem ordinariam meriti, quam & in homine pariter seruatam, & in Angelo, suprà ostendi; & concedit Valentia *hic.* Eandem autem mensuram in homine, & Angelo seruatam præmonuit idem Valentia *hic*, §. *Tertiò ponendum est.* Cùm igitur homini vtique adulto non detur gloria antequam currens viam, & se disponens, eam mereatur; optimè infertur idem in Angelo. 30

Quoad emptionem Christi dico, non esse ad rem: nam, licèt possit aliquis accipere emptionem, posteà soluendam; & Patres habuerint gratiam soluendam à Christo; tamen non potest emi gratia, quæ est principium meriti ab eo, qui eam meretur; alioqui non erit gratia, nec principium meriti, vt arguit S. Doct. *fundam. 5.*

Probatvr quartò à S. Doct. si data est gloria Angelis ante meritum: vel data est dignis, vel indignis: non indignis, quia esset inordinatio: si dignis: ergo iam per meritum. Nititur hæc ratio eo fundamento, quod gloria est merces laborum, & brauium initi certaminis, quod de homine ostendi, *tract. 1. disp. 21. quæst. 7.* De Angelis verò idem suprà ostendi, asserendum. Et sanè contra ordinem est, vt detur brauium ante certamen, vt arguit etiam Suarez *num. 6.* Tanner. *num. 4.* 31

Probatvr quintò à S. Doct. *argumento* suprà *indicato.* Supponit autem, gratiam ad meritum esse necessariam, quod est de fide. Similiter gratiam intrinsecè talem esse, vt non sit ex merito, vt ait Apostolus: *Si gratia, iam non ex merito.* Tunc si Angelus bono vsu gratiæ mereretur gratiam consummatam; sequeretur, eam non fuisse gratiam; quia si est gratia, iam non ex merito; sic argumentatur & Vasquez *num. 3.* 32

Probatvr sextò à S. Doctore, *argumento*, quod desumpsêre Scotus *2. dist. 5. quæst. 1. §. In ista*, Richard. *art. 2. quæst. 2.* Vasq. *cap. 3.* Si beatitudo data est Angelis ob futura ministeria; sequeretur, quod si non fuissent futuri homines, quibus ministrarent Angeli, non fuissent beati, sed hoc est falsum, secundùm Magistrum, qui *dist. 2. p. p. d. st.* vult, priùs esse volitum Angelum, quàm hominem. Et ideò *dist. 9. cap. 7.* ait, Ordines Angelorum complendos per hominum glorificationem; & licèt addat, homines saluandos, etiamsi Angeli non cecidissent; innuit tamen, priùs Angelos prædestinatos, quia subdit, *cap. sequenti*, assumendos homines, iuxta numerum Angelorum Dei, & *cap. vltimo* explicat, iuxta numerum Angelorum, qui ceciderunt. Igitur prædestinati sunt priùs Angeli, vt ostendi ego *tract. 1. disp. 21. q. 11.* atque adeò nondum determinatis mediis ministeriorum ad salutem hominum; atque adeò non sunt electi ob ministeria, erga hominum salutem exhibenda. 33

Ex quo redditur inutilis responsio Suarez *n. 7.* pro Magistro; eum respondisse, priùs volitos à Deo homines, atque adeò intentum priùs nobis finem gloriæ quàm Angelis; & consequenter potuisse eligi ad gloriam Angelos, ob ministrationem mediorum ad salutem hominum elaborandam.

34 Responsio verò altera Suarez est, vt rationem infirmet, potuisse, ob alios actus bonos futuros, esse datam gloriam Angelis. Sed iam elisa est à D.Bonau. in eodem argumento: Si enim, non ob ministeria vitæ actiuæ data est Angelis gloria; sed ob actus ex contemplatione producendos. Contrà: nam actus charitatis, & aliarum virtutum in beatis, aliquo modo procedunt ex beatitudine, velut ex principio, secundùm Magistrum: principium autem meriti, non cadit sub merito; vt arguit etiam Tannerus *num.*4. Alioqui non esset, cur negaremus etiam homines beatos substantialiter mereri, vt infert Seraphicus Doctor *ibi*.

35 Adde, quòd non habemus ex reuelatione, Deum, propter tales actus in beatitudine, voluisse Angelis conferre beatitudinem, atque adeò id gratis dicitur, vti ex Suarez *num.*12. colligo, & ostendo, maximè, quia non sunt liberi.

Ipse igitur Suarez arguit contra Magistrum sic *num.*8. Opera facta in statu gloriæ non sunt meritoria de condigno essentialis beatitudinis: ergo non possunt esse meritoria condignè beatitudinis iam habitæ. Antecedens probatur: nam meritum exigit statum viæ, est enim producens terminum. En argumentum primum; secundum,& vltimum D. Bonauenturæ; nititur autem ordine legis Dei ordinariæ, & cùm non constet nobis de diuina voluntate contrarium, non licet aliter asserere, vt notat D.Bonauent. & cum eo Suarez.

36 Assero secundò contra Caietanum. Sed aduerte in quo impugnandus sit. Dicit enim, meritum esse completum in termino, sed inchoatum in via. Quoad primum est cum Seraphico; sed in eo refellitur, quia scrupulosè timet concedere meritum inchoatum in patria, & non timet concedere, fuisse perfectum; quod est maius. Si enim inchoatio meriti pugnat cum statu patriæ; multò magis consummatio, quæ est ipsa formalitas meriti, repugnans statui præmij. In eo etiam deceptus est dicendo, D. Thomam esse cum hoc modo dicendi; nam *in quodl. & lib. sent.* S. Thomas vult, totum meritum esse cum præmio simul tempore, vt notat Faber *num.*5. & alij: *hic*, verò negat omninò, meritum esse posse in patria, vt notat Valentia §. *Hæc opinio*. Tanner. *num.*5. Morand. Vasq. *suprà*, & alij omnes.

Assero tertiò contra Ferrariensem, qui vult totum hoc opus duobus instantibus absolui, vt suprà.

37 Probatur, absonum enim est dicere, Angelos bonos in secundo instanti fuisse otiosos, si gratiam habebant; maximè verò, cùm mali operati sint malum: sequitur enim, eos vocatos non respondisse. Profectò hoc naturæ, gratiæ,& bono arbitrio repugnat, vt docet D. Bonauentura.

Præterea sequitur, Angelos bonos nunquam habuisse libertatem ad peccandum; nam in primo instanti negat, potuisse; neque potuissent in secundo, quia erant in termino beati, vt ait Ferrar. beati autem peccare nequeunt. Vide Vasq. *num.*39.

Vrget etiam argumentum Scoti: nam cùm in primo instanti omnes meruerint; cur in secundo non fuerunt etiam dæmones, sicut & reliqui, beati; cùm fuerit æqua omnium via? vt docet D. Gregor. *lib.*34. *Moral. cap.*7. aliàs 4. Vide Valentiam *p.*2. §. *Hæc opinio*, circa sextam sententiam. Suarez *lib.*5. *cap.*11. Vasq. *cap.*9. Tannerum *num.*7. refellentes fundamentis aliquibus D.Bonau. tametsi alienis etiam vtantur.

Assero quartò contra Capreolum, qui tria exigit instantia, vt suprà dictum est. Angeli enim sua dispositione peruenêre congruè ad sanctificationem, vt iam suprà ostendi *disp.*5. *quæst.*5.

Assero quintò contra Scotum, & eius tres morulas, suprà relatas. 38

Probatur à D.Thoma. Sicut Angelus per naturam ordinatur ad perfectionem naturalem: ita & per meritum ad supernaturalem gloriæ: Sed Angeli statim habita natura, habuêre perfectionem naturalem, sine aliqua successione: ergo & sine multiplicatione actuum merentium habuêre gloriam. Maior probatur: quia, quicquid recipitur admodum recipientis recipitur. Quocirca eundem modum seruat Deus in perficiendo Angelum naturaliter, & super naturam. Confirmatur: nam Patres videntur sentire, Angelos, vno actu perseuerante, in termino fuisse; vt notat Valentia *ad quartam opinionem*, Suarez *lib.*5. *cap.*12. *num.*6. qui & Patres refert *lib* 5. *cap.*2. D. August. *lib.*4. *de Genes. ad litt. cap.*24. & *lib.*11. *cap.*28. & *lib.*12. *Confess. cap.*9. & Gennadium *de Eccl. dogm. cap.*59. existimatum Augustinum, hunc rursus *lib.*11. *de ciuit. cap.*9. & 11. citat.

Vrget Suarez: nam Scotus ponens quatuor instantia & secundum sine merito otiosè transactum, admittit, eos vocationi noluisse respondere. Vide Suar. *lib.*6. *cap.*3. *num.*4. 39

Vrget Vasquez contra Scotum *cap.*8. quia posuerit Angelum in puris naturalibus creatum in primo instanti, se disposuisse viribus naturæ ad gratiam. In secundo, bonos fuisse cum merito, malos cum peccato: In tertio, bonos accepisse gratiam,& gloriam: malos damnatos fuisse. Vnde arguit contra secundum instans; quia sequitur viribus naturæ posse se disponere ad gratiam. Deinde cõtra tertium; quia sequitur, eos simul habuisse gratiam, & gloriam, atque adeò non esse adeptos condignè gloriam, quia non potest simul duratione esse meritum cum beatitudine. Sed, si Scotus ità sentit, est quoad hoc cum D. Bonauent. quem tuebor. Multa sanè alia adscribit Vasquez Scoto, ab ipso aliena, præcipuè verò, varios modos referens, quibus Scotus hæc assignat instantia. Vbique vult, Scotum asserere, Angelos conditos in pura natura, quod est falsum: nam probabile censet, conditos in gratia, & hanc sententiam sequitur, dum assignat moras Angelorum, vt fatetur ipse Vasquez *disp* 227. *num.*2. Vide etiam Fabrum *num.*14. calumnias Scoto immissas purgantem.

Assero sextò contra modum sextæ sententiæ, quoad id, quòd duo fuerint instantia bonorum Angelorum, secta in duo alia: nam, si instans Angelicum sumitur ab operatione, & Angeli boni vna operatione includente quidem plures actus, puta intellectionis necessariæ ad actum charitatis, &c. emeriti sunt, & actum protraxêre perseuerando, cùm alij detruncato actu bono deliquerunt, cur non discernitur secundum instans viæ? Profectò, ea ratione, actu protracto, poterit instans Angelicum esse anni integri,& totius æuiternæ durationis. 40

Assero septimò, optimè à D.Bonau. poni viam Angelorum. Sic: In primo instanti, ait, conditos puris naturalibus. In secundo, auxiliis Diuinis, bonos se disposuisse ad gratiam. In tertio iam sanctificatos emeritos gloriam, & in eadem duratione temporis, sed posteriùs naturâ, habuisse etiam gloriam; ità tamen, vt gratia viæ, priusquam gloria, existens, operata sit ad meritum. Itaque 41

non

non vult, meritum fuisse à gratia consummata; sed à gratia imperfecta viæ, quæ prior naturâ fuit; ac proinde potuit priùs naturâ operari ad meritum, vt exponit etiam Vasquez *num.*27. Neque autem visio diuina aliquid operata est ad meritum, sed supernaturalis cognitio abstractiua, quæ potest simul tempore esse cum gloria, vt concedit Suarez *lib.6. cap.4. num.6.* Hanc assertionem firmat *hic*, & *2. part. Breuil. cap.* 8. & *3. part. Centil. sect.*15.

42 PROBAT primò ex D. Augustino, in cuius sententia hoc penitus est asserendum: nam in principio ait, creatum cœlum, idest naturam Angelicam, gratiâ informem. In prima verò die factam Lucem, idest Angelicam naturam, gratiâ illustratam, deductam in gloriam, ex quo fuit *Mane*, idest cognitio matutina in gloria, & tunc diuisæ sunt Lux, & tenebræ, idest boni Angeli à malis; quæ diuisio per lucem gloriæ facta est. Ex quo fit, vt sententia Seraphici sit D. Augustino consentanea, vt fatetur Suarez *lib.1. de operibus sex dierum, cap.*11.*num.*28.

ID verò ostenditur à D. Bonauent. *dist.*4. *art.*3. *quæst.*1 *fundamento* 2. & 4. additis his, quæ habet in tota quæstione ex D. Augustino, *lib.*1. *de Genes. ad litt. cap.*15. & *lib.*4. *cap.*22. per multa capita, & *lib.*11. *de ciu. cap.*19. vbi sex dies creationis, non diurnis Solis gyris successiuis ait confectos; sed cognitione Angelica, in eodem instanti.

43 Idem magis resolutè affirmat *lib.*5. & *lib.*11. *de ciuit. cap.*7. & 29. Cùm autem Angelus priùs habuerit cognitionem sui, & Dei extra gloriam, quæ cognitio vespertina est, priùs inquam, quàm fuerit in gloria, ità vt vespere ante primam diem successerit *Mane* gloriæ, ac cognitionis matutinæ in Verbo, eò quòd retulerunt illam primam in laudem Creatoris; & posteà ille dies fuerit *Mane* cognitionis matutinæ in Verbo, & vespertinæ rerum in generibus earum, quæ est posterior; sequitur quod prior illa vespertina fuit rerum in se; & relatio in Deum per contemplationem eleuatam diuino auxilio; atque adeò meritoriam gloriæ; & sic vno instanti Angelico facta est Lux sanctificationis, & ipsi operantes opera lucis, lumine gloriæ vestiti sunt; & sic facta est Lux cognitionis matutinæ in Verbo, separata à tenebris dæmonum. Sic explicat se D.August. 11.*de ciuit.cap.*7.& 4.*de Genes. ad lit.cap.*22.23.25.*vsque ad* 34.& D.Thom.*quæst.*9. *de veritate*, *art.*16. *ad* 8. D. Bonauent. relatus *disp.*2.*quæst.*26.

44 Ex quo deducit Suarez *loco cit. num.*26. necessarium non esse, vt illi dies in Augustini doctrina inceperint intrinsecè in primo instanti, in quo fecit Deus cœlum, & terram; sed ad summum extrinsecè, quia hoc etiam inceptioni dierum est magis consentaneum, & in Augustino nil inuenitur contrarium; imò *ex allegatis locis*, hic ordo colligitur. Primò creati Angeli habuêre cognitionem naturalem sui; ac Dei; & hæc fuit vespertina cognitio; licèt tunc non spectaretur sub ratione vespere, seu vespertinæ cognitionis, quia non est relata ad *Mane*: poterat enim tunc etiam obtenebrescere. In secundo instanti, sancti Angeli retulerunt se in laudem Creatoris supernaturali auxilio deliberatè; & hæc contemplatio, respectu præcedentis, fuit matutina; sed vespertina, comparata ad sequentem gloriæ, in quam translati sunt, è contra verò in malis obscurata, facta est nox, vt ait D.August. 11. *de ciuit. cap.*28. *in fine*; & è contrario notat de sanctis Angelis *lib.*4. *de Gen. cap.*25. in eorum diebus non memorari noctem, sed tantùm vesperam, & post vesperam, mane, & diem; quia totam suam cognitionem ad laudem, & amorem Dei retulerunt. Ex 45 quo colligitur saltem in prima die vesperam præiuisse, quæ est vespertina cognitio. Itaque habemus in D. Augustino, Angelos luce gratiæ formatos, sanctificatos, & per gloriam clarificatos habuisse cognitionem matutinam in Verbo, & diuisos à tenebris malis.

RESPONDET Suarez *num.*28. hoc non cogere; quia, vt facta sit diuisio lucis, & tenebrarum prima die, satis est, quòd immediatè post illam moram, in qua sancti Angeli Deum rebus omnibus prætulerunt, matutinam cognitionem acceperint, in qua consummatus fuerit dies primus.

CONTRA: nam, si de cognitione vespertina, & 46 matutina, quæ sunt in patria, sit sermo; hæ non requirunt moram aliquam, vt D. August. passim fatetur, & confitetur Suar. *loco cit.* Si verò de vespertinâ viæ; certum est, illam debuisse præcedere diem; in quo *Mane* gloriæ ortum est, vt sic mererentur, vt ait S. Augustinus, & perseuerarent. Iam verò dies ille, qui incipit à luce matutina gratiæ consummatæ, est vnum tantùm instans, computatâ etiam diuisione à tenebris; vt habetur ex Genesi: *Dixit Deus: fiat Lux, & facta est Lux. Et vidit Lucem, quòd esset bona: & diuisit Lucem à tenebris: & factum est vespere & mane, dies vnus.* Iam verò vna dies, apud D. Augustinum, est vnum instans Angeli- 47 cum indiuisibile: ergo vanum est, quod ait Suarez, vna die, idest vno instanti, factam Lucem in sensu D. Augustini: & posteà diuisam à tenebris; nam quomodò discreta est Lux à tenebris? Sanè per meritum Sanctorum, & demeritum dæmonum, & sic illicò beati sunt eo instanti, quo meruerunt: reprobi verò post peccatum damnati. Ratio diuersitatis est, quia culpa ordine durationis debet præsupponi pœnæ: at gratia, & gloria non repugnant simul, vt infrà dicam, & fatetur Vasquez *num.*12.

FATEOR verò hic, non exprimi à D. Augustino 48 perseuerantiam; nisi dicas, illud instans protractum, quod D. Augustinus non admittit; sed vnam diem, vnum instans ponit. Satis mihi nunc sit, in sententia D. Augustini, simul fuisse meritum & præmium, quod est, in quo S. Bonau. acriter impugnatur, à qua doctrina ipse Suarez nequit se redimere; sed passim extra chorum saltat.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in corpore*, & 49 2 *p. Breuil cap.*8. Ex principiis Sanctorum Patrum Dionysij *de cælest. hier.* Augustini, *locis adductis*, & aliorum, quos retuli suprà passim. Angeli, ob summam propinquitatem cum primo principio, habent intellectum deiformem, & voluntatem velocem, ac stabilem. Igitur probabile est, illicò diuinâ motos gratiâ in Deum exsurrexisse vehementissimo amore, &, vt subiecta disposita, fuisse in gratia confirmatos; sicut multa subiecta eodem instanti, quo vltimo disposita, recipiunt formas. Sic enim eodem instanti, quo quis meretur augmentum gratiæ, accipit illud; cùm tamen augmentum illud sit effectus, & præmium meriti illius. Similiter & Christus beatus emeritus est, vt vidit etiam Arriaga *disp.*20. *sect.*5 *subsect.*1. Ergo in quouis alio merente in instanti non repugnat. Idem habet S. Doct. 3.*p.Centil.* 50 *sect.*15. vbi indicat fundamentum D. Augustini, quòd cùm Angeli per gratiam facti essent Lux: ergo erant dispositi, vt eo instanti fulgerent in gloria.

CONFIRMATVR à S. Doctore *lib. 1. Compend. Theol. cap.* 17. Voluntas Angelica est naturaliter firma,

firma, sicut intellectus clarissimus. Ergo ad Deum tendens velociter. Vnde charitate accensus Angelus, Deo firmiter hæret, iuxta id 1. Cor.13. *Charitas nunquam excidit*. Itaque cùm adeò propinqui, & dispositi essent; sequitur, statim in charitate firmatos, & in gloria immutabiliter constitutos.

51 RESPONDET Suarez *lib.6. cap.1. num.14.* esto non repugnet, gratiam viæ, vt est dispositio, recipere præmium eodem instanti, vt conceditur in augmento gratiæ; tamen repugnare meritum, lege ordinaria, spiritui beato; qui enim meretur, per fidem ambulat, & potest peccare, & licet de potentia Dei absoluta, aliquis beatus cognitione abstractiua possit mereri; tamen non est conueniens; sed potiùs vt viatores ambulent per fidem, sperent, liberè operentur, vt peccare valeant: & sic pro gloria laborent, in opere perseuerent, cum id etiam præstent homines, & nouus hic modus viæ, nullo authoritatis, vel rationis nitatur fundamento. Idem respondet Vasquez *num.13.* Addit verò cum Fabro *d.29. cap.7.* se prætereà ostensurum, id repugnare, quorum rationes mox dissoluam.

52 INTERIM dico, Seraphicum, authoritate nixum D.Augustini, & ratione fundatâ in Angeli natura; quia, *quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur*: atque adeò non est via Angeli cum via hominis commensuranda; alioqui dati essent ei anni, vt notat S.Doct. *ad vltimum*. Data igitur est ei via, vt aliquo instanti esset liber, vt posset à Deo auerti, & hoc potuit esse etiam in actu merendi, si extendamus instans ad perseuerantiam, & solum in vltimo morulæ inclusiuè data sit gloria, & tunc apertus est locus dicendi, eum ambulasse in cognitione quasi fidei, liberum fuisse ad peccatum, perseuerasse, &c.

53 ADVERTO autem, *instans Angelicum* D.Bonau. non esse Æui, vt putat Scotus 2. *dist.2. quæst.4.* & Faber *disputat. 14. num.21.* & *disputat. 31. cap.1.* initio: hoc enim est contra D. Augustinum, ad Orosium, vt notat Seraphicus *dist.2. p.1. artic.2. quæst.2. in fine corp. quæstionis*; sed est morula quædam temporis extrinsecè, vt ait S. Bonau. 2.*dist.2. p.1. art.2. quæst.2. in fine corporis quæstionis*; intrinsecè verò continuatâ Angeli operatione, est constituta, vt probabiliter dixit D. Thomas, & alij authores *sextæ opinionis*.

54 Addo ex Arriaga, gratiam consummatam non auferre libertatem ad peccandum in instanti, quo accipitur; sed in sequentibus ex vi diuinæ visionis, quæ in amore summi boni clarè visi reddit immobilem; atque adeò Angelum etiam in instanti indiuisibili potuisse ea libertate mereri, & gratiâ confirmari.

OBIICIES primò cum D.Thoma *quæst.62.art.4. in corpore*, & *art.5. ad 2.* actus meritorius informatur gratiâ imperfectâ: beatitudo autem est actus gratiæ consummatæ at non potuit simul informari gratiâ imperfectâ, & gratiâ consummatâ. Ergo.

RESPONDENT Scotus 2. *dist. 4. quæst.2.* Faber *d.29 num.3.* rationem non concludere: potest enim etiam in via esse gratia tam intensa, sicut in patria: cur ergo non poterit ad meritum deseruire?

55 AT S.Thomas non sumit ex intensione graduum gratiæ, diuersitatem gratiæ viæ, & patriæ; sed à statu, quia in via est augmentabilis, amissibilis: & hoc habetur ex D.Thoma 2. 2. *quæst.24. art.7. ad 3.* & *art.8.* vt notat Suarez *lib.6. cap.2. num. 13.* & exponit Caietanus *hîc*; & subodoratus est Scotus, vt colligitur ex eius argumento.

Hoc autem sensu, ait Faber, rationem petere principium; nam assumit, quod gratia consummata in termino, nequeat esse principium meriti; hoc autem est, quod vertitur in quæstionem. Idem innuit Valentia, §. *Hæ rationes*.

EQVIDEM non audeo hoc Doctori Angelico inurere; sed reor argumentum esse rectum; nam sumitur medius terminus ex repugnantia viæ cum termino: nam via est motus ad terminum; terminus verò est status. Secundò sumitur ex intrinseco gratiæ, quæ, vt est in via, est mutabilis; in termino est immutabilis. In via est cum libertate ad peccandum (de lege ordinaria;) in patria verò nequaquam; imò & quoad specificationem, & quoad exercitium immobiliter determinata. Quæ omnia Theologi capiunt statim, ac audiunt *gratiam viæ, & gratiam consummatam*. Profectò, & hoc ferè medio arguit Scotus sic: Ad statum merendi exigitur voluntas mutabiliter volens: ad statum præmij requiritur voluntas immutabilis (adde cum gratia, quæ supponitur eodem modo proportionali:) ergo nequit simul mereri, & frui. Hæc ratio D. Thomæ adducitur etiam à Vasquez *n.13.* & toto *cap.5.* & vrget D.Bonauenturam: quia sic gratia illa esset viæ, & non viæ: sic & Tannerus. 57

RESPONDETVR cum D.Bonauent. facilè, nullam esse repugnantiam, quia non ex lumine visionis, in quo gratia, quoad actus consummatur, redditurque immobilis, sed ex alia cognitione, & ex auxilio actuali viæ, operatum esse Angelum, asserimus, non ex gratia consummatâ (vt putat Valentia nos cogi asserere;) sed ex gratia viæ priùs saltem naturâ Angelo inhærente, & operante ex cognitione præcedente supernaturali viæ; esto non ita obscurâ, vt est fides: quod ostendi, *disp.5. quæst.2.* Neque rectè inferunt, dæmones non habuisse in nostra sententia lumen cognitionis supernaturalis: vnde Deum noscerent, & nunc patiantur pœnam damni: nam id lumen, & auxilia actualia habuere, & cum eis peccarunt. At esto; nonne & Pagani, qui non habuêre fidem, patientur pœnam damni? 58

OBIICIVNT secundò Scotus, *loco cit.* & discipuli. Voluntas non potest simul velle mutabiliter, & immutabiliter: sed ad actum merendi requiritur voluntas mutabiliter volens: ad actum præmij voluntas immutabiliter volens: ergo. Sic arguunt etiam Gabriel, Maior, Tannerus, & alij. 59

Miratur Vasquez, Scotum, sui immemorem, hac vti ratione: siquidem is tenet, beatum non necessariò moueri ad dilectionem Dei visi; sed ab ea posse cessare, & contrarium velle, atque peccare.

RESPONDETVR, Angelos eâ morulâ fuisse mutabiles, nec redditos impeccabiles, nisi post instans illud, post quod cœperunt vti lumine gloriæ, vt notat Arriaga suprà. Id verò, in quo Scoto reclamat Vasquez, ostendit, eum non nosse Scoti sententiam de libertate, quæ dicitur essentialis, & stat cum necessitate, & fuit in emanatione Spiritus sancti, & est in beatis; de qua *Tract.2. disputat.13. quæst.3.* actum est: neque enim est ad contradictoria, vel ad contraria, vt notat etiam Fauentinus *num.5.* 60

OBIICIT tertiò Valentia. Illa distinctio actus à vobis data, prout est à gratia, esse meritum; & prout est à visione, esse beatum; significat, esse meritorium sui ipsius, quod est falsum: nam cùm meritum compensetur ex iustitia per præmium, oportet vtrumque distingui. Prætereà actus ille charitatis beatæ est à visione Dei; ideò est omninò necessarius, 61

necessarius, etiam quoad exercitium, & non potest esse meritorius.

RESPONDETVR, hoc argumentum non firmum, sed infirmum esse: non enim vult S. Bonau. eundem esse actum meriti, & visionis; sed actum meriti præcedere, & visionis actum subsequi. Itaque alius est actus præcedens saltem naturâ, non necessarius, vt dixi etiam Suarezio; sed liber. Imò, licèt infusum sit lumen, eodem tamen tempore actus fuit posteà.

62 OBIICIT Faber, nullam creaturæ operationem posse esse in instanti naturæ; sed exigi instans temporis; alioqui posset Angelus plures actus habere in vno naturæ instanti, in quo plura naturæ instantia sunt. Potest quidem (ait) causa præcedere effectum solùm naturâ; vt docet Scotus. Idem vrget Vasquez inferens, sententiam D. Bonau. esse absonam.

RESPONDETVR, quod si eodem instanti temporis, naturâ plurificato, Sol producitur, & operatur; & homo, atque Angelus plures actus diuersos elicere possunt, vt dicunt aduersi, allati *tract.* 3. *disputat.* 1. *quæst.* 11. & *hic disput.* 3. *quæst.* 11. non video quid directè opponant. In nostra verò sententia iam satis, superque factum est suprà.

Respondeo secundò, omnia saluari, datâ morulâ diuisibili, quâ & ipsi seipsos tuentur.

63 Ex dictis colligit piè S. Doct. *ad* 3. quantum valeat conatus ad actum interiorem charitatis in Deum, quo vno Angeli tantopere meruêre, & tam grande præmium sunt consecuti; sicuti & actu prauo dæmones tantam incurrerunt ruinam, & pœnam.

Hanc suam opinionem S. Doct. præfert opinioni Magistri, quam omnes respuunt; non tamen adeò suæ adhæret, vt alias renuat. Quare non est cur adeò Doctores contra eum clament.

QVÆSTIO III.

Vtrum sanctis ANGELIS *reuelata fuerit futura gloria.*

D. Bonau. d. 4. art. 2. quæst. 1.

64 ASSERO, talem gloriam Angelis non fuisse reuelatam.

PROBATVR à D. Bonau. quia hoc est beneficium singulare, quod sine fundamento non licet affirmare. De hoc autem nil constat nobis; imò videtur inconueniens; quia si Angelis bonis reuelata fuisset gloria, fuisset reuelatus & cæteris casus, saltem indirectè, & sic ante culpam habuissent pœnam tristitiæ. Probatur sequela, imò quòd directè fuisset etiam reuelatus casus malis: nam Angeli omnes in via ante lapsum fuere pares in donis; vt ait D. Augustinus 11. *de ciuitate, cap.* 11. 13. 15.

CONFIRMATVR assertum; quia reuelatio futuræ gloriæ potiùs conuenit ad gaudendum, quàm ad merendum: vnde, quia instanti breuissimo erant in statu meriti, non videtur conueniens, ipsis reuelatam fuisse gloriam.

65 Quod si D. August. *de Genes. ad litt.* ait, fortè eis fuisse reuelatam, loquitur disputando; sed assertiue nusquam. Addit verò *ad argumenta*, eos habuisse aliquam certitudinem, quæ non est maior certitudine spei.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ANGELI *crescere queant in beatitudine essentiali.*

D. Bonau. d. 11. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. q. 62. art. 2.

MAGISTER allegatus *quæst.* 3. & *d.* 11. censuit, Angelos in beatitudine essentiali proficere. Idem videtur sentire Abulensis *Matth.* 5. *quæst.* 44. & *cap.* 24. *quæst.* 206.

COMMVNITER tamen Theologi, opinionem illam temeritatis incusant, vt refert Vasquez *disputat.* 230. Itaque oppositam sententiam asserunt SS. Doctores *hic*, quos reliqui sequuntur, quos tamen ait Vasquez vix afferre firmum de hac veritate testimonium.

ASSERO cum hac sententia, Angelos in beatitudine essentiali non crescere.

PROBATVR primò à D. Bonau. *in corpore*, & *argumento primo opposito, addito responso.* Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: ergo in eo quiescitur, atque adeò sicut homines nunc ampliùs non merentur, ita neque Angeli. Hæc comparatio non potest negari, vt ait Vasquez. Quòd verò homines non mereantur essentialiter, probatur à Seraphico 1. *ad Eccl.* 9. ex illis verbis: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Ideò & Ecclesiastici 14. *Ante obitum tuum operare iustitiam: quia apud inferos non est inuenire cibum.* Inferorum verò nomine intelligitur sepulchrum, vt aduertit S. Bonauent. ex D. Hieronymo *in Comment.* Confirmatur ex 11. Ecclesiast. *Si ceciderit lignum ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit.* Hoc de immutabilitate hominis, siue in gloria, siue in damnatione, exponunt Patres. Quod & de Angelis valêre probat Seraphicus *in* 2. *d.* 7. *quæstione* 1. *fundam.* 1. ex Damasceno 2. *de fide, cap.* 4. & *cap.* 18. vbi ait: *Quod est hominibus mors; est Angelis casus.* 66

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in speculo B. V. sect.* 11. vbi ait; idem iniungi à Paulo Galat. 6. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*; & à Christo, Ioan. 9. *Operamini dum dies est: venit nox quando nemo potest operari*, quod figuratum ait illa hortatione, Nehemiæ 4 *Nos ipsi faciemus opus: media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra.* Eadem habet S. Bonauent. *ad cap.* 9. *Ioan.* Ergo. Hoc argumento vtitur Vasquez *p.* 2. *quæst.* 114. *art.* 2. quod ait non posse negari, & Suarez *lib.* 6. *cap.* 6. qui *num.* 4. addit, Magistrum non esse locutum consequenter: nam si Deus ab initio contulit Angelis beatitudinem, ob futura merita præuisa: ergo dedit totam, quam ex operibus præuidit. Eodem argumento vtitur Valentia *disputat.* 4. *quæst.* 13. *punct.* 4. §. *Tertium quoque.* 67

ASSERO secundò, neque extensiuè posse crescere essentialem visionem. 68

Hic Suarez *num.* 6. refert, D. Bonauenturam asseruisse, posse aliquem plura in Verbo videre successiue, sine vllo augmento intensiuo: At non declarare ibi: An illa varietas fiat sine augmento visionis? Ego dico. Quomodò adducit ille Seraphicum

raphicum id asserentem? Cæterùm hîc *in corpore* negat, posse extendi gaudium essentiale, quin intendatur; negat etiam extensionem. Hinc falsò ait Suarez, Bonauenturam nil de hoc specialiter docere, quoad Angelos.

In *te tio* autem *sent.* ait, animam Christi ex priuilegio habere habitum, dicentem ordinem ad infinita videnda, accedente Dei promptitudine: sic *d.14. art.1. quæst.3.* Addit *ad quintum*, videre quidquid est essentiale gloriæ semper actu idem; alia verò, quæ relucent in Verbo causaliter, & spectant ad reuelationes, non semper actu videre.

Itaque non rectè Suarez ait, Bonauenturam concedere absolutè beatis noua videre in Verbo. Quomodò autem hæc sint, dixi *tractat.1. disputat.11. quæst.15.*

69 Obiicies. Innocentius III. *cap. cùm Marthæ, de celebr. Miss.* ait, plerosque non reputare indignum, Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augeri. Hanc autem opinionem non damnat.

Respondet Suarez *lib.6. cap.8. n.6.* ibi loqui de beatitudine accidentali: nam de essentiali vix vnus, aut alter; non autem plerique id asserunt.

Instat Vasquez, id de accidentali gloria non esse; quia de hac omnes fatentur eam crescere.

Contra: nam Magister oppositum tenuit, vt ait Vasquez *disp.230. cap.2.* Fuit autem Magister celebris, & floruit sæculo duodecimo; Innocentius verò III. sæculo tertiodecimo, vt refert Bellarminus *lib.2. de Euch. cap.37. & 38.*

QVÆSTIO V.

Vtrum Angeli *crescant in gloria accidentali.*

D.Bonau. loco cit. sup. & d.1. q. vlt. ad 2.
D.Thom. q.62. art.9.

70 Per accidentalem beatitudinem intelligo alia gaudia, seu alios actus, siue intellectûs, siue voluntatis, circa obiecta creata versantes, qui non consequuntur necessariò gloriam essentialem, neque sunt ab ea inseparabiles, vt sunt reuelationes.

Commvnis Theologorum sensus est (excipe Magistrum) apud Vasq. *disp.230. cap.2.* Angelos in gloria accidentali crescere, vsque ad diem iudicij.

Assero cum hac sententia, Angelos in gloria accidentali crescere.

Probatvr primò à D. Bonauent. *quæst. cit. fundam.1.* ex illo Lucæ 15. *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis.* Hoc testimonio nituntur Suarez, *lib.6. cap.8. num.5.* Valentia, *disp.4. quæst.13. puncto 4.* Vasq. *disp.230. cap.2.* cuius expositio mihi displicet in eo, quòd per iustos explicet, non veros iustos; sed eos, qui apud se videntur iusti; vt erat ille Pharisæus, contemptor Publicani, ac sensus sit: Gaudium esse in cœlis de verè pœnitentibus, non de fictis iustis, etiam plurimis, & refert Haymonem.

71 Cuiuscumque sit, spuria est expositio: nam Christus ità nil magni dixisset; at particula (*quàm*) est apertè comparatiua: & particula (*supra nonaginta nouem*) exprimit excessum. Præterea Filius, qui prodigo comparatur, adeò erat iustus; vt diceret ei Pater: *Fili tu semper mecum es.* Oues nonaginta nouem fuere Angeli sancti non errantes: Drachma perdita comparatur cum aliis quasi pretiosis. Igitur de veris iustis intelligitur, vt exponunt Patres, S. Ambrosius, Eusebius Emiss. Euthymius, Theophylactus *hic*, qui dicit esse manifestum. D. August. *in soliloq. animæ, cap.27. & lib.1. medit. cap.8.* Hos, & alios Patres adducit Vasquez *3. part. quæst.8.* Hæc vide in D. Bonauent. *ad 15. Lucæ.*

Audit Vasquez, secundò exponi: *Maius est gaudium*; non quia comparatum excedat, sed quia est nouiter aduenicns. At Glossa Interlinearis, Gregorius apud D. Thomam *in Catena aur.* Beda, & alij volunt, gaudium crescere, comparatis nonaginta nouem iustis ordinariis cum vehementi pœnitente, sic enim augenda est lætitia.

Hinc arguit S. Doct. *fundamento 1. & vlt.* Si ex pœnitentia hominis crescit gaudium Angelis, quantò magis ex beatificatione, in qua exaltantur merita Christi: & ideò noua materia gaudij additur, vt habetur in officio Ascensionis, dum alia pretia Redemptori exsoluuntur; noui conciues ad sedes reparandas Angelis adueniunt. 72

Probatvr secundò à D. Bonauent. *fundam.2.* Quod datur propter meritum, est beatitudo, vel aliquod eius gaudium; sed Angeli nobis ministrando merentur: ergo datur eis aliquid tale; sed non beatitudo essentialis, cùm sint in termino: ergo aliquod gaudium.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. vbi est desiderij completio, ibi est gaudium, & delectatio; sed Angeli desiderant homines à se custoditos saluari: ergo. Prius autem non gaudebant, cùm adhuc non erant homines salui: ergo ex salute eorum nouum aduenit gaudium.

Probatvr quartò à S.Doct. Angelis custodibus multiplicantur reuelationes, vt patet *in littera*, & probat Magister, & concedit D. Dionys. *cap.7. de cœlest. Hierarch.* Ambros. *lib. de his, qui mysteriis initiantur, cap.7.* August. *5. super Genes. ad litt. c.19.* Hieronymus *in cap.3. ad Ephes.* D. Thom. *q.107. art.2. ad primum.* Ergo noua possunt etiam gaudia hinc habere. Sic arguit, & Valentia. 73

Probatvr quintò *in corpore*, non enim est contra immutabilitatem beatitudinis, vt augeatur accidentaliter, sicut augetur materia gaudij. Sic & Suarez *num.6.*

Argumento secundo supponit S. Doctor, Angelis hæc noua gaudia conferri ob noua accidentalia merita; de quo tamen est controuersia. 74

Mvlti enim negant, posse Angelos accidentaliter mereri. Ità D.Thom. *art.9. ad 3.* & communiter eius expositores. Suarez *lib.6. cap.9. num.7.* Valentia *disp.4. quæst.13. punct.4.* Vasquez *disp.230. cap.2. num.8.* Tannerus *disp.5. quæst.6. dub.2. num.12.* & olim Albertus *2. dist.11. art. vlt.* Caspensis *disp.6. sect.8.*

Opposita sententia est Seraphici, *locis adductis*, Richardi *in 2. dist.10. art.1. quæst.1. & in 4. dist.49. art.5. quæst.6.* Gabrielis *art.3. disp.2.* Adducitur à Vasq. *num.7.* Albertus *2. part. summæ, tract.4. quæst.19.*

Assero cum hac sententia, posse Angelos nouam mereri lætitiam, ob nouos actus accidentalis gloriæ meritorios. 75

Probatvr à D.Bonauent. *dist.5. quæst. vlt. ad 2.* Id, quod est accidens separabile, non ingreditur entitatem substantiæ intrinsecam; sed meritum gaudij

gaudij accidentalis est accidens separabile: ergo non ingreditur essentiam beatitudinis, quæ terminum immutabilem dicit.

Per hoc ruit oppositio D. Thomæ, & aliorum, repugnate statui comprehensoris mereri: nam hoc est verum de merito essentiali.

INSTAT Vasquez. Gaudium illud est fructus charitatis: nam Angeli ex charitate gaudent, qua nos prosequuntur, & proinde est potiùs fructus beatitudinis, quàm effectus meriti, nullus autem fructus beatitudinis meretur alium fructum, alioqui esset processus in infinitum in meritis, & retributione, nec solùm illud augmentum duraret vsque ad finem mundi.

76 Hoc argumentum vrgetur etiam à Suarez *n.*8. Valentia *in fine*; sed falsum assumit: nam charitas consummata initio agit cum voluntate beati summâ, quâ valet intensione, in ordine ad obiectum beatificum, & alia adnexa, atque adeò nouum gaudium ex ea formaliter non producitur, neque est fructus eius; sed est fructus meriti Angelorum gaudentium, quia impetrarunt eam pœnitentiam, ne dum optarunt ex pietate; esto & charitate, quæ etiam in via ferebatur in similes.

At esto ex ea charitate emanent hæc accidentia gaudiorum. Hic effectus sistit in suo principio habitus charitatis, nec abitur in infinitum; nec repugnat substantiæ multiplicare accidentia gaudiorum vsque ad extremos mundi halitus.

PROBATVR vltimò à D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 47. *quæst.* 4. Certum est, Angelos in fine mundi iudicandos à Christo, & Apostolis, vt dicitur 1. Corinth. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus*, vt notat Seraphicus *fundamento* 1. ergo, vt aliquod nouum præmium recipiant; est enim retributionis iudicium: sed gloriam essentialem habuêre ab initio consummatam ex meritis præcedentibus, vt ostendi *quæst.* 2. ergo saltem aliquod meritum accidentale est adiudicandum. Non potest autem aliud meritum excogitari, quàm ministeria: ergo. Hoc argumentum est D. Bonauenturæ *ad vltimum* ibi.

77 D. Thom. 3. *part. quæst.* 59. *art. vlt.* concedit, Angelos iudicandos, quomodò custodierint homines, & hoc iudicium spectare ad Christum hominem. Hinc eruo, quod cùm non sint iudicandi de aliqua culpa, iudicandi sint de aliquo merito.

Nec dicat Vasquez D. Thomam solùm velle, præmium gaudij spectare aliquo modo ad Christum. Contra enim est; quia vult spectare ad iudicium Christi.

Ex omnibus supradictis habetur, Angelos iam confirmatos in gratia esse impeccabiles. Est dogma fidei à SS. PP. præcipuè Augustino acclamatum, vt refert Suar. *lib.* 6. *cap.* 7.

78 PROBATVR à Seraphico *p.* 3. *Stimuli Diuini amoris*, *cap.* 17. ex illo Matth. 6. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo*; idest ab Angelis, *& in terra*, à nobis, vt ipsi tuæ voluntati penitùs conformemur. Hac authoritate nititur Suarez *num.* 3. vbi refert è Feuardentio, multos hæreticos hac auctoritate resipuisse, & confessos Angelorum impeccabilitatem.

PROBATVR secundò à S. Doct. in Psal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte Sancto tuo?* Vbi aduertit, Ecclesiam triumphantem dici tabernaculum fixum, & montem quietis stabilem; & ideò, ratione status, minimus regni cœlorum prælatus est Ioanni, *Matth.* 11.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. 2. *p. Breuil. cap.* 8. quia cùm semper videant faciem Patris, vt dicitur *Matth.* 18. voluntas in summo bono, in quo omnis ratio boni est, & nulla ratio mali apparet, fixa, & immobilis manet. Idem habet 3. *p. Centil. sect.* 15. 79

PORRÒ ex visione Dei colligunt impeccabilitatem SS. Patres. Damasc. *lib.* 2. *cap.* 3. August. *in Enchir. cap.* 57. Fulgentius *de fide ad Petrum, cap.* 23. Gregorius *lib.* 34. *Moral. cap.* 4. *aliâs* 7. Isidorus *lib.* 1. *sent. cap.* 10. Nazianzenus *oratione* 38 *&* 42. vt exponit Nicetas *in oratione* 44. §. *Postea quàm.* Et idem se sentire testatur Nazianzenus *in carm. de laudibus Virginis.* Ea verò ratione vtitur Suarez 80 *num.* 4. De quo agam *prima secunda, tract.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 11. *&* 12. contra Origenem, qui in hoc errauit *homil.* 20. *&* 24. *in Num.* ac 13. *&* 25. *in Lucam.* De hoc agit S. Thom. *hic, quæst.* 62. *art.* 8. vbi cum SS. Patribus ex visione beata arguit eorum impeccabilitatem. Idem omninò arguit S. Bonau. *in* 2. *dist.* 7. *part.* 1. *quæst. vlt. ad primum*, *&* *aliis locis primâ secundâ allegandis.*



DISPVTATIO VII.

De Malitia Angelorum.



QVÆSTIO I.

An possit dari creatura rationalis, naturâ impeccabilis.

D. Bonau. in 2. dist. 23. art. 2. quæst. 1.
D. Thom. q. 63. art. 1.

QVÆSTIO præsens non est: An possit per gratiam, vel gloriam reddi impeccabilis creatura rationalis, sed: An ex natura sua tale ei priuilegium possit esse debitum.

PRIMA opinio est, posse dari creaturam talem suapte naturâ impeccabilem, circa materiam virtutis, & finis naturalis, non tamen circa virtutis supernaturalis materiam. Sic Durand. 2. *dist.* 23. *quæst.* 1. Capreol. 3. *dist.* 22. *quæst. vnic. art.* 3. Caiet. *quæst.* 63. *art.* 5. Ferrar. 3. *cont. Gent. cap.* 109.

SECVNDA opinio est Gabrielis *in* 2. *dist.* 23. *art.* 1. *&* 2. posse dari creaturam impeccabilem circa obiectum, à quo necessariò mouetur. Idem sentit Ocham 1. *dist.* 44. *quæst.* 1. *ad primum dubium.* Maior 2. *dist.* 23. *quæst.* 2.

TERTIA sententia penitùs negat, talem creaturam dari posse. Ità Alensis *quæst.* 91. *memb.* 1. *art.* 2. D. Bonauent. *hic.* D. Thom. *hic*, vbi communiter Thomistæ. Molina *ibi.* Ægid. 1. *dist.* 23. *q.* 1. *art.* 1. Richard. *quæst.* 1. *art.* 1. & *dist.* 6. *quæst.* 1. Argent. *quæst.* 1. *art.* 4. Scotus 1. *dist.* 23. *quæst.* 1. Bassol. *quæst.* 1. *art.* 3. Carthus. *quæst.* 1. Heruæus *in* 2. *dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 1. & *disp.* 7. *quæst.* 1. Valentia *disput.* 4. *quæst.* 14. *punct.* 1. Vasq. *disp.* 231. *cap.* 2. Suarez *lib.* 7. *cap.* 3. Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 3. Holcot. *in* 2. *quæst.* 2. *art.* 6. Malonius *in* 2. *dist.* 6. *disp.* 3. 1

ASSERO cum hac sententia, creaturam suâ naturâ impeccabilem dari non posse.

Quoniam

Quoniam autem Valentia hoc assertum authoritatibus quidem Patrum fulciri, ait; nullis tamen rationibus solidis niti; enitar, validas Seraphici rationes promere.

2 PROBATVR primò à D. Bonauent. Quod est proprium Dei, est creaturis incommunicabile; immutabilitas ad malum est Dei propria: ergo. Maior est euidens. Minor probatur à S. Doct. *in* 1. *dist.*45. *quæst.*1. vbi ostendit, fundamentum impeccabilitatis in diuina voluntate esse, quia intellectus diuinus est vltimo fini coniunctissimus, qui est summum bonum; & ità voluntas illud necessariò amplectitur; at verò creatura omnis, circa quamcunque virtutem versata, non apprehendit in ea firmiter summum bonum, finemque vniuersalem, vnde potest aliunde impressiones contrarias recipere, quamdiu summo bono non est vnita, & versatur circa bona particularia. Hanc rationem desumpsère Scotus, & asseclæ. Vasq. *num.*19. vbi eam optimam acclamat, & aduertit, eam supponere, non posse dari creaturam, cui sit connaturalis visio Dei, quod à vobis ostensum est, *tract.*1.*disp.*11.*quæst.*9. At si creatura talis conderetur, cui esset connaturalis visio Dei, adhuc esset peccabilis; quia posset Deus impedire actum visionis; & tunc, cùm non videret clarè summum bonum, non inhæreret immutabiliter, & posset ab eo auerti, vt ait Vasquez.

3

4 PROBATVR secundò à S. Doct. Omnis creatura rationalis debet esse libera ad vtrumlibet bonum, & malum. Omnis creatura producibilis nobilissima esset rationalis: ergo. Hoc argumentum est Sanctorum Patrum; illud verò vrgent Vasquez *loc. cit.* Tannerus *num.*4.

D. Ambrosius *lib.*2. *de fide, cap.*3. ait: *Ergo corruptionis, & mortis; etiamsi non moriatur, aut peccet, capax est omnis creatura.* Vbi de Angelis id specialiter docet.

D. Hieronymus *epist.*146. *ad Damasum*, ad ea verba Psal.142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Non dicit* (ait) *omnis homo: sed* omnis viuens; *non Euangelista, non Apostolus, non Propheta. Ad maiora conscendo, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Potestates, cæteraque Virtutes: solus Deus est, in quem peccatum non cadit: cætera cùm sint liberi arbitrij in vtramque partem suam possunt flectere voluntatem.* Posteà id confirmat ex prima ad Timotheum: *Qui solus habet immortalitatem.*

5 EODEM modo, eundem locum interpretatur D. August. lib.3. contra Maximinum, cap.12. *Et omnes (inquit) qui non peccauerunt, peccare potuerunt, & cuicumque creatura rationali præstatur, vt peccare non possit, non est opus naturæ propriæ; sed gratia Dei.* Et cap.23. eodem ferè modo exponit id Matth.19. Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus.*

Eandem doctrinam habet D. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum, cap.*3. & 13. Nyssenus *lib.*7. *Philosophiæ*, qui est *de libero arbitrio, cap.*3. seu Nemesius *lib. de Homine, cap.*41. Damascenus *lib.*2. *c.*27. Anselmus *lib.*2. *Cur Deus homo, cap.*10. Gregorius *lib.*25. *Moral. cap.*5. Sentiunt igitur isti Patres, nullam esse posse creaturam, quæ non sit libera, nec liberam, quæ peccare non possit: sicuti non potest creatura vlla fieri Deus.

6 PROBATVR tertiò clariùs *in* 2. *dist.*24. *quæst.*1. *fundam.*1. Quæ sunt ad se inuicem conuertibilia, sunt inseparabilia ab inuicem; sed esse creabile, & esse vertibile sunt conuertibilia: ergo. Maior est euidens. Minor probatur à Seraphico ex SS. Patribus Damasceno *lib.*1.*cap.*3. August. 14. *de ciuit. cap.*13. & *lib.*12. *cap.*1. & 6. Fulgentio *de fide ad Petrum, cap.*3.

PROBATVR quartò à S. Doct. *loco cit. in corpore.* Omnis creatura, quia ex nihilo, vanitati subiecta est. *Rom.*8. estque vertibilis ad peccatum, si rationalis sit, ex D. Augustino *lib.*12. *de ciuit. cap.*6. Gregorio *lib.*25. *Moral. cap.*5. & 27. aliàs 28. Damasceno *lib.*2. *cap.*23. & 27. Nysseno *loco cit.* Hac ratione vtuntur Suarez *num.*16. Vasq. *à num.*7. tacito nomine Seraphici, à quo est in scholas inuecta, eique familiaris. Fundamentum eius est; quia res ex nihilo non est actus purus, nec omnia actu considerat, nec actu immobiliter verum bonum cogitat, & prosequitur. Adde, quòd, cùm ex nihilo, non est bona per essentiam; sed per actus accidentales, moraliter loquendo.

PROBATVR quintò à D. Bonauent. *fundam.*2. 7
Non est magis arctatum liberum arbitrium, seu voluntas, quàm intellectus. Sed intellectus naturâ suâ intrinsecè est aptus intelligere omne verum, & omne ens: ergo & voluntas appetere omne bonum: ergo potest ferri, non modò in bonum concessum; sed in omnia alia vetita. Ità arguit & Suarez *num.*15.

Ex quo ruit Gabrielis, & aliorum effugium, posse creari voluntatem determinatam ad solum bonum honestum, siue quoad specificationem tantùm, siue etiam quoad exercitium, ità vt ex innata voluntatis conditione nequeat aliud velle, præter bonum honestum.

FATEOR, posse dari liberum arbitrium non 8
flexibile ad malum. Tale est diuinum, vt docet Seraphicus, *locis citatis*, & *alibi passim*; quia libertas in rationalitate fundatur: At liberum arbitrium creatum habet libertatem defectibilem ad malum, hæc enim arbitrij conuersio, non est perfectio libertatis; sed imperfectio, & ideò SS. Patres radicem peccabilitatis à creatione auspicantur.

PROBATVR sextò à D. Bonauent. *fundam.*3. Liberum arbitrium, hoc ipso, quòd liberum est, dominatur suo actui, habetque in sua potestate illum; & eo ipso, quòd est creatura, tenetur honorem deferre Creatori. Ergo, si dominatur suo actui finitè, potest non reddere, quod debet; sed hoc est peccare: ergo. Sic & Suarez *num.*16.

PROBATVR septimò à S. Doct. *fundamento* 4. 9
Si daretur liberum arbitrium inflexibile ad malum: ergo stare in bono, & facere bonum, esset ei connaturale; ac proinde omne opus egrediens à libero arbitrio esset in ordine operum naturalium, non autem liberorum, & in genere morum: ergo sic nullum esset laudabile, vel meritorium: sed hoc est contra naturalem liberi arbitrij finiti institutionem: Ego.

Hoc argumentum maximè probat, non posse dari liberum arbitrium, cui sint connaturales actus supernaturales; atque adeò non possit ab obiecto supernaturali deficere. Addit Suarez, etiam gratiis indutos (excipe gratiam vnionis hypostaticæ, & beatam visionem) posse peccare: nam & Lucifer, gratiis præditus eximiis, lapsus est.

PRÆTEREA, vt notat D. Bonauent. *ad* 3. gra- 10
tia infunditur ad supplendos defectus naturæ; vnde tunc non esset liberum arbitrium ex natura inflexibile: sed per gratiam, neque vnquam natura est apta suscipere virtutem gratiæ, quæ est altioris ordinis

ordinis, vnde sicut proprietas operis moralis non potest competere naturali operi, vt sit dignum laude, vel vituperatione; ita neque id, quod est intrinsecum gratiæ potest conuenire naturæ: Et hoc nobis iniungit D. August. *lib.3. contra Maximinum, cap.12.*& Fulgentius, *lib.de fide ad Petrum, cap.23.* vbi docent: Si cui creaturæ præstetur, vt peccare non possit, non esse naturæ; sed gratiæ, vt refert etiam Vasquez *num.* 7. Quare corruit illa obiectio, quam non potuit Suarez soluere *n.*10. illam impeccabilitatem fore connaturalem, etiamsi à gratia sit. Dico enim, fore supra naturam, neque enim natura ad supernaturalia habet proportionem, vt docet D. Bonauent. *hic.*

11 HAS, & alias rationes habet Seraphicus, præcipuè *illâ quæst. disp.*14. vnde isti Moderni eas didicerunt: ausi tamen pro gratiarum actione dicere, Bonauenturam supponere, non probare: sic loquitur Vasq. *cap.*2. Suarez *num.*4. Valentia verò redarguitur: nam rationes Seraphici in omni materia sunt validæ: & quidem *septima* ratio in materia supernaturali, *reliquæ* autem etiam in naturali vrgent.

OBIICIT autem Valentia hoc argumentum, quo ait, ruere omnes rationes oppositas. Peccatum est defectus, quem voluntas liberè admittit. At possit Deus condere creaturam, quæ defectum illum nequeat admittere: ergo. Maior patet. Minor probatur: nam sicuti potest liberè malum admittere, cur non potest natura adeò perfecta à Deo condi, quæ illud non admittat? Confirmatur: nam posset Deus facere talem naturam, quæ esset necessariò determinata ad vtendum Dei auxilio, & operandum.

12 RESPONDETVR, non posse creari naturam rationalem, quæ non sit libera, ob rationes suprà allatas; & consequenter quæ non possit peccare. Quod si crearetur determinata Diuino auxilio supernaturali, iam illud auxiliū non esset connaturale. Profectò nulla creata natura potest esse ipsa regula, nempè ipsa consideratio boni; sicut Deus est sua bonitas, & sua scientia; atque adeò nequit immutabiliter ipsi regulæ conformari, eò quòd consideratio boni in ea potest variari, & sæpè vnum bonum particulare appeti illicitum, & cùm non sit summo bono satiata, potest illud bonum illicitum prosequi.

OBIICIES secundò ex D. August. 11. *de Genes. ad litt. cap.*7. apud Magistrum *dist.*44. *cap.*2. Talem Deus potuit hominem fecisse, qui nec peccare posset, nec vellet.

13 RESPONDETVR, malè adduci: nam ibi solùm dicit, meliorem esse naturam, quæ nolit peccare, quàm eam, quæ non solùm potest, sed etiam vult peccare, vt notat Vasquez *cap.*5.

OBIICIES tertiò cum Capreolo, & Durando. Non est peccatum, nisi ex errore intellectûs; at Angelus in naturali ordine, non admittit errorem: ergo.

RESPONDET Vasq. ex D. Bonauent. posse Angelum trahi ad aliquam inconsiderantiam, vel inaduertentiam, vnde ingruat vehemens boni vetiti appetitus.

14 Neque potest natura aliqua perfectior dari, non libera; si enim omnes naturæ ab homine vsque ad Deum, qui est prima natura, sunt liberæ, & Deus est liber, frustrà confingitur natura supra Angelicam non libera, atque adeò determinata, cùm hæc connexio rationalitatis cum libertate vsque ad Deum perueniat.

Dices. Datur supremum corpus immutabile, puta Empyreum: ergo & spiritus.

RESPONDET D. Bonauent. negando antecedens: nam & Empyreum est mutabile. Secundò negat consequentiam; quia corpus perfectissimum illud adhuc est in genere, vnde mutaretur: at spiritus immutabilis esset Deus. Et licèt dentur corpora, & spiritus, incorruptibilia; tamen nequit dari spiritus impeccabilis, quia debet esse liber, vt dixi.

QVÆSTIO II.

An peccatum primum Luciferi fuerit superbia.

D. Bonau. d. 5. q. 1.
D. Thom. q. 63. art. 4.

PRIMA opinio est Scoti 2. *distinct.* 6. *quæst.* 2. primum Luciferi peccatum fuisse spiritualem luxuriam, seu PHILAVTIAM, quæ est immoderata de seipso complacentia. Eum sequuntur omnes discipuli; qui tamen variè torti in auia abeunt.

Aliqui enim dicunt, Scotum non negasse delectationem illam esse superbiam genericè. Ità Tartaretus ex Bassoli 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 3. 15

Alij fatentur ingenuè, Scotum negasse, primum Luciferi peccatum fuisse superbiam. Ità Lichetus 2. *dist.* 2. *quæst.* 2. Faber *disp.* 32. vbi refert idem sensisse Scotum *in Report.* 2. *dist.* 6. *quæst.* 1.

MASTRIVS *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 4. prælibat, Luciferum verè peccasse etiam superbiâ, vt colligitur *Isa.* 14. *Ezech.* 28. *Eccl.* 10. *Iob* 41. quæ loca exponuntur à Patribus de superbia Luciferi, & in hoc omnes, ait, conuenire.

DEINDE refert, conuenire ferè omnes, primum Angeli peccatum fuisse inordinatum sui amorem: nam similitudinem, quam inquiunt Scripturæ cum Deo Luciferum appetiisse, explicant per vanam complacentiam, & delectationem de sua pulchritudine, & perfectione, tanquam propriâ, & non à Deo dependenti, ipsique subordinatâ. Ità ait testari Suarez, *lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 11. Lezanam *disp.* 8. *quæst.* 5. qui adducit Vasq. Granadum, Caspensem, Salmaticenses. Ex quo deducit quæstionem esse potiùs de nomine, quod asserit etiam Herrera 2. *disp.* 17. *quæst.* 3. *concl. vlt.* 16

Simpliciter tamen, ait, dicendam *Luxuriam*, & radicaliter solùm esse *superbiam*. Adducit Fabrum *disp.* 32. Vulpem *disp.* 31. *art.* 7. Brancasium *disp.* 10. *quæst.* 2. Poncium *disp.* 15. *quæst.* 3. *conclus.* 6. Bassolium, *loco cit.* Zumellum *quæst.* 63. *art.* 3. *quæst.* 2. Consentiunt Gabriel 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. qui tamen addit, illum eundem amorem inordinatum erga se fuisse superbiam. 17

SENTENTIA tamen, grauiter à cæteris amplexata Theologis, est, primum peccatum Luciferi fuisse SVPERBIAM. Ità Magister *in* 2. *dist.* 6. vbi communiter sententiarij. Ægid. *quæst.* 1. *art.* 3. & *dub.* 1. *litt. de aliis dæmonibus*, Richard. *art.* 1. *quæst.* 1. Argentina *quæst.* 5. *art.* 2. Altisiodor. *lib.* 2. *summæ, tract.* 2. *cap.* 2. Albert. 2. *part. tract.* 5. *quæst.* 21. *memb.* 2. Alensis 2. *part. quæst.* 98. *memb.* 2. D. Bonau. *hic*, D. Thom. *hic*, vbi Caietanus, Bannes, Nazarius, cæterique fideliores Thomistæ, *ad art. cit. D. Thom.* Suarez *lib.* 7. *de Angelis, cap.* 9. Vasq. *disp.* 231. Valentia *disp.* 4. *quæst.* 14. *punct.* 3. Molina *quæst.* 63. *art.* 1. *disp.*

disp.vnic.memb.5. Tanner.*disp.5. quæst.6. dub.4.n.2.* Arriaga *disp.24.sect.1.* Granado *tract.13. disp.2. sect.2.* Caspensis *disp.7. sect.4.* adducens Theologos, & Sanctos Patres. Arrubal *disp.178. cap.1.* Auersa *quæst.63. sect.3.* Præposit. *hic, art.3. disp.1.* Morand. *tract.7. quæst.37.* Alarcon. *disp.9. cap.2.* Marcus Baudun.*quæst.57.art.2.* qui tamen, ex more, cum Scoto componit.

18 Commvniter tamen sententiam Scoti reprehendunt Recentiores, vt à Scripturis, & Patribus alienam; tametsi Scotistæ reuelationes, & oracula afferant, præcipuè S. Magdalenam de Pazzis *in quodam raptu, p.3. die quarta*, vbi ait; peccasse Angelos: *Per quel compiacimento disordinato della lor excellenza, senza riferirlo à Dio.* Hæc sanè est superbia.

Addit Mastrius Clementis VIII. dictum, qui dum Seraphicum D. Bonauenturæ Collegium visitaret, eius Alumnos examinaturus; interrogauit Fabrum eiusdem Collegij alumnum: quodnam fuisset primum Luciferi peccatum, qui respondit *Luxuria spiritualis*, ex Scoto *in 2.distinct.6.quæst.2.* & admiratum Papam respondentis promptitudinem, & dogmatis subtilitatem, paterno animo omnes illos Baccalaureos ad sapientiæ studium mirificè cohortatum esse, hoc
19 vnico responso contentum. Id refert ex Ferchio in vita Fabri. Ferchius sanè *in 2.dist.7.* asserit, primum peccatum Luciferi fuisse *Præsumptionem*, quâ quis inordinatè amat se, plusquàm debet. Et probat ex D.Augustino 14.*de ciuit.cap* 27. & hunc ait esse amorem illum assertum à Scoto.

Qvod igitur referunt Clementis VIII. oraculum; non intelligunt, quid Pontificis intenderit, miratus est enim, viros in Collegio à Sixto V. grandi magnificentiâ erecto, & instituto (vbi decreuit, in eo legi tantùm (vt habetur *tom.1.*Opusculorum) Seraphicum Doctorem D. Bonauentur. cui ter maximus ille Pontifex ad admirationem fuit diuinctissimus) prouentus absumere, ad alienas Scoti subtilitates auidè sanciendas: Ideò ad sapidam Seraphici Doctoris admonens sapientiam ediscendam, nihil vlteriùs interrogauit, tam molestâ responsione stomachatus.

Assero primò, peccatum primum Luciferi fuisse superbiam.

20 Probatvr à D. Bonauent. primò ex illo Lucæ 10. *Videbam Sathanam, tanquam fulgur, de cœlo cadentem.* Hæc verba apponit Christus discipulis ad eorum deprimendam elationem, vt exponunt Glossa, D. Gregorius 23. *Moral. cap.7.* vt vidimus *disp 4 quæst.3.* contra Vasquez. Imò per hunc locum aliqui Patres exponunt illud Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* (de quo infrà:) *Dixisti in cœlum conscendam, &c.* Ibi enim Christus leniter carpit elationem discipulorum ex patratis miraculis, vt aduertit D. Chrysostomus *lib. de Virginibus, cap.36.* & *homil.* 33. *in Matth. in fine*; Cyrillus *catech.2.* Hanc expositionem esse magis textui consentaneam testantur Tolet. *ibi*, Suarez *lib.7. cap.8. à num.12.*

21 Qvamvis verò dem Theophylacto, *ibi*, & Isaiæ Abbati, *oratione 16. ad fratres, tom.2. Bibl.* discipulos elatione non elapsos, cum hoc ex Euangelio non asseratur; imò gauisi dicantur, in Christi nomine dæmones sibi subiectos, quod sanè non do; nam Euangelium indicat, Christum intimam eorum euaporationem perscrutatum, dum ait: *In hoc nolite gaudere*, tamen quid obstat, periculum superbiæ voluisse amouere? Sic enim Patres exponunt. quare hoc testimonio, ad rem, vtuntur Suarez, Valentia, Tannerus.

Probatvr secundò à S. Doct. ex 10. Ecclesiastici. *Initium omnis peccati est superbia.* Cui affinis est locus Tobiæ 9. *In superbia initium sumpsit omnis perditio.* Sic exponitur à D. August. 12. *de ciuit.cap.6.* & *lib.14. cap.13.* & *lib.11. de Genes. ad litt. cap.14. & 15.* Ambrosio *lib.4. epist.33.* & *in Psal.118. Octon.* circa id: *Superbi iniquè agebant vsquequaque.* Fulgentio *lib.1. ad Monim. cap.7.* Chrysostomo *in cap.1. Ioan. homil.15.* & Vrbano Papa IV. *Metaphrasi in Psal.50.* 22

Vbi aduerte, aliquos ex his Patribus includere etiam peccatum Adæ; attamen & de peccato diaboli loqui, Patres obseruant; ait enim: *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati superbia.* Reddit igitur causam peccati hominis, nempè primam superbiam Luciferi.

Respondet Mastrius, primum peccatum, idest principale Luciferi, fuisse superbiam; sed Scriptura dicit (*Initium,*) quod significat primum numero.

Respondet secundò cum Scoto, ibi agi de peccatis hominum, & asseri, superbiam Luciferi fuisse initium omnis peccati hominum.

Sed iam ostendi, vniuersalem perditionem, etiam dæmonum, superbiæ adscribi.

Respondet tertiò, primum peccatum fuisse superbiam præsumptionis, qua quis plus se amat, quàm ordinatè amare deberet, quam definit S. Augustinus 14. de ciuit. cap.13. *Esse nimis sibi placere.* Ex hac verò oriri ambitionem peruersæ celsitudinis, & hæc oritur à prima: dum enim quis se plus amat, quàm decet, appetit sibi, & concupiscit inordinatam celsitudinem.

At Præsumptio est nimis sibi arrogare, quam re vera habeat, vt aduertit Arriaga; id autem est formalis superbia, quod frustrà negat Mastrius; & non probat ex Augustino suam negationem, qui ibi solùm describit præsumptionis causam Ecclesiaste 6. dicitur: *Desiderare quod nescias, est præsumptio.* Vbi LXX. *Aspectus oculorum super ambulantem omnia; Hoc vanitas, & præsumptio spiritus.* Hæc sanè est superbiæ species. 23

Ecclesiastici 18. vbi explicuit breuitatem, ac fragilitatem humanæ vitæ, addit: *Vidit præsumptionem cordis eorum*, quasi dicat: homo tam vilis tanta præsumit.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *hic, arg.7. addito responso, & fundamento primo, quæstionis sequentis*, ex illo Isaiæ 14. *Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Dixisti: in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Vbi primum Luciferi peccatum arguitur, vt Patres exponunt. Sic Origenes *lib.1.Periarch.cap.5.* & *lib.2.cap.4.* vult de solo Angelo intelligi, vt refert Leo Castrensis, qui & alios Patres sentire idipsum aduertit.

Alij Patres de Lucifero Angelo ad litteram intelligunt. Tertullianus *lib.5.* contra Marcionem *cap.11. & 17.* Athan.*quæst.6. ad Antioc.* Ambrosius in Psal. 118. *Octon. 3. Increpasti superbos*, & *Octon.16. Suscipe seruum tuum in bonum.* Et *in cap.11. ad Rom.* & in expositione Symboli *cap.13.* Euseb. *lib.7. de præpar. cap.6.* & *lib.4. de Demonstr. cap.9.* Prosper *in dimid.temp.cap.1. & 2.* Cyprianus *epist.55.* aliàs *lib.1. epist.3.* Chrysostom. *homil. de Adam, & Eua*, & *homil.49. in Matth. Imperf.* 24

Nazian

Nazianzenus *oratione* 42. vt exponit Nicetas, Gregorius *in Pastoral.* 2. *part. cap.* 6. & *lib* 4. *epistolarum, cap.* 28. aliàs *epist.* 38. & *lib.* 33. *Moral. cap.* 18. aliàs 23. Epiphan. seu Proclus apud ipsum, *hæres* 64. Rupert. *lib.* 8. *in Ioan. in fine.* Andreas Cæsar. *in Apoc. suo, cap.* 24. Isidor. *lib. de natura rerum, cap.* 26. Bernardus *serm. de D. Benedicto*, & *serm.* 2. *in octaua Paschæ.*

25 Tertiò alij Patres id quidem de Rege Babel intelligunt principaliter, quod non negat S. Bonau. *in Bibl. pauperum, cap.* 35. attamen etiam de Angelo intelligunt mysticè, imò & litteraliter cum Seraphico *hic.* Potest enim vnus Scripturæ locus plures habere sensus litterales, vt ostendi *tract.* 1. *disput.* 2. *quæst.* 8. Ità Hieronymus, & Cyrillus *ibi*, Augustinus *lib.* 3. *de doctrina Christiana, cap.* 37. & 11. *de Genes. ad litt. cap.* 24. & *lib.* 11. *de ciuit. cap.* 15. Basilius, & Haymo *ibi.* Hos, & alios Patres referunt Leo Cast. *ad* 14. *Isaiæ.* Suarez *lib.* 7. *de Angel. cap.* 8. Valentia, *loco cit.* Ascanius mox adducendus, Tannerus, Morandus, & alij.

Hinc leuiter Vasquez dicit, ex hoc textu nil colligi: nam tot Patrum authoritas præualet, qui in sensu litterali sic exponunt. Sensus quoque mysticus, cùm sit per parabolam, seu similitudinem, vrget. Ridiculè autem Vasquez ait, Adamum eruditè obseruasse contra Hieronymum; non benè colligi similitudinem ex eo, quod ibi dicitur: *Sumes parabolam istam*, quia parabola sæpè fabulam, vel sermonem irrisorium significat. At fabella est sanè Vasquez responsio irrisoria, quæ à Patribus ridetur. Innumeri verò Patres afferuntur à Modernis pro nostra sententia, & quidem Ascanius Martinengus *in sua* verè *magna Glossa*, vnum supra triginta Patres recenset, *tom.* 1. *à fol.* 450.

26 Ignatium *epist. ad Philip.* Martialem *epist. ad Burdegal.* Methodium Patharensem Episcopum, & Martyrem *lib. de his, quæ ab initio mundi.* Andream Episcop. Cæsareæ Capad. *in Apocal. serm.* 12. Nazianzenum *de pace, oratione prima*, & *oratione panegyrica in Christi natalia*: & *oratione in Sanctum Baptisma*, quæ est quadragesima. Gregorium Magnum *homil.* 34. *in Euang.* D. Patherium exponentem eundem Gregorium Magn. *in primum Regum*, *lib.* 3. & *lib.* 29. *in Iob, cap.* 6. Chrysostom. *homil.* 4. *in Matth. in opere imperfecto*, & *homil.* 60. *ex variis in Matth. locis*, & *homil.* 15. *in primum Ioan.* Ambros. *in psal.* 118. *serm.* 7. Athanas. *quæst.* 6. *ad Antioc.* Theodoretum *lib.* 5. *Decretorum diu.* Damascenum *lib.* 2. *cap.* 4. Augustinum *de Genes. ad litt. lib.* 11. *cap.* 14. & 15. Leonem Magn. *serm.* 4. *de collectis*, Hieronymum *Comment. in Iob,*

27 *cap.* 40. Claudianum Mamertem Episcop. Vien. *de statu animæ, lib.* 3. Cassian. *collat.* 8. *cap.* 10. & *cap.* 25. Nilum *tract. de octo vitiosis cogitationibus, cap. de superbia.* Prosperum *lib.* 1. *de vita contemplatiua, cap.* 3. Anastasium Nicænum *quæst.* 61. *in Scripturam.* Fulgentium *lib.* 1. *ad Monimum.* Isidorum *lib.* 1. *de summo bono, cap.* 12. Sedulium *in quodam hymno.* Antonium Abbatem *epist.* 2. *ad Arsenoitas*, Nouatum Catholicum *homil. de calcanda superbia.* Vrbanum IV. Papam *in psal.* 50. Hugonem Victorinum *summa sent. tract.* 2. *cap.* 4. Innocentium III. *de contemptu mundi, lib.* 2. Thomam Kempis 2. *part. sermonum ad Nouitios, serm.* 10. Albertum Magn. *p. p. de quatuor coæuis, art.* 4. D. Thomam *in* 2. *dist.* 5. *quæst.* 3. & D. Bonau. *hic.*

Ex quibus omnibus Scotum grauiter coarguunt, Bannes, Valentia, Molina, Granad. Arrubal, Auersa, & alij.

Respondet Faber *num.* 21. Mastrius *num.* 78. Patres, & Scripturas velle, peccatum Luciferi principale, & summum, fuisse *superbiam*; primum verò, *amorem sui.* 28

Contra, quia amor ille à D. ipso Augustino 14. *de ciuit. cap.* 13. Gregorio suprà, dicitur propriè Superbia, qui stat in præsumendo de propria excellentia æquo nimium, & altiora appetendo, vt notat D. Bonauent. *hic*, & 2. *p. Breuil. cap.* 7. Suarez *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 25. Verè quidem amor est primus partus voluntatis, vt fatetur D. Bonau. *ad* 1. Tamen ille Luciferi non est Luxuria spiritualis, sed præsumptio, vt notat Seraphicus *ad* 4. ex D. Augustino *lib.* 14. *de ciuit. cap.* 17. quo solo Doctore frustrà nituntur Scotistæ. Ideò 11. *Genes. ad litt. cap.* 15. turgidum esse spiritum, ait: Neque effugiant Scotistæ dicendo, esse superbiam; sed latè, & impropriè, nisi velint Sanctos Patres, qui illud crimen superbiam vocant, impropriè locutos, quod sanè eruditissimos rerum moralium tractatores non decet. Neque trahat Mastrius præsumptionem ad Luxuriam, nisi velit omnia, susdeque vertere. Neque dicat, significari primum peccatum hominis fuisse inductum à superbia dæmonis: hoc enim est inuidiæ adscriptum: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem*, Sap. 2.

Probatvr quintò à D. Bonauent. *Quidquid est culpa in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* 1. Ioan. 2. Sed in Angelo non potest esse concupiscentia carnis, aut oculorum: ergo est superbia vitæ. 29

Probatvr sextò à S. Doct. è septem peccatis mortalibus, duo sunt carnalia. Luxuria, & Gula; vnum medium, idest Auaritia; & quatuor spiritualia. Superbia, Inuidia, Ira. Accedia; sed in his tribus postremis generibus, primus actus eorum est *nolle*, cùm sit odium illius rei; primus autem actus non est *nolle*, sed *velle*; quia omne odium causatur ab amore, veluti primogenito voluntatis: ergo odium inordinatum oritur ex amore inordinato: ergo ante tria genera oportet aliquod peccatum spirituale præcedere in diabolo; hoc autem aliud non restat, quàm superbia: ergo. Probatur subsumptum, quia primus actus diaboli non fuit aliquod *nolle*, sed aliquod *velle*; hoc autem cùm non possit esse circa materiam aliorum capitalium; sequitur, fuisse circa materiam superbiæ; & ideò potuisse irasci, inuidere, torpere, &c.

Respondent Scotistæ, dari aliud initium capitale, quod est amor sui; vnde diuisionem aiunt insufficientem. At vidimus, appetitum illum, & amorem ad superbiam pertinere. Profectò ille amor inordinatus proprius est fons vniuersalis omnium peccatorum, vt ait Ioannes de S. Thoma; atque adeò sic in omni peccato interueniet Luxuria, quia interuenit motiuum amoris inordinati. 30

Respondet Mastrius; in amore inordinato Angeli interuenire, non vt motiuum, sicut in aliis; sed vt rationem formalem ad specificandum talem actum, tendit enim talis actus in propriam excellentiam, vt sibi delectabilem. At quis non videt, hanc esse superbiam? Probatur: nam, vt ait Mastrius, ratio formalis superbiæ est delectatio propriæ excellentiæ, & sanè in natura spirituali nihil erat, quod posset magis mouere, quàm talis appetitus, vt aduertunt Tanner. & Morandus; nec potuit esse nuda delectatio in propria obtenta excellentia; sed debuit, illa bona appetere sub ali-

Q qua

qua ratione maioris perfectionis, puta inamissibilitatis, [illegible], aut similis, vt monet Suarez: hæc autem est proprissima superbia, vt ait D. Augustinus 14. *de ciuit. cap.* 13. eam definiens. *Est peruersæ celsitudinis appetitus.*

31 PROBATVR septimò à D. Bonauent. [illegible] *fundamento* [illegible] nunquam [illegible] peruertatur [illegible], [illegible] indicium in his, quæ sunt de necessitate [illegible], nisi sit aliqua in ratione excæcatio. Ergo excæcatio rationis [illegible] appetitum, sed excæcatio non potest esse, nisi [illegible] peccatum, & non potest [illegible] peccatum appetitus: ergo præcessit peccatum præsumptionis, sed hæc est superbia: ergo.

32 Hoc argumentum [illegible] supponit multaque [illegible] quidem nunquam voluntatem [illegible], nisi præcedat aliquis defectus in intellectu saltem negatiuus inaduertentiæ: de quo agendum *prima secunda, tract.* 1. qui *de Peccato, d. p.* 3. [illegible] probabile est, Luciferum ex aliqua inconsideratione bonorum, quæ perderet, & malorum, quæ subiturus erat, deliquisse, vt notat Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 2. *num.* 4. & communiter Scotistæ. Neque enim credibile est, Luciferum, tam profunda consideratione, voluisse peccare. Id probat Suarez *lib.* [illegible] *cap.* 5. illo Ezech. 28. *Eleuatum est cor tuum, per didisti sapientiam*, sed hoc potius ostendit contrarium, perdidisse sapientiam in pœnam elationis, sicut & Adam ex peccato excæcatus est.

33 PROBATVR octauò à D. Bonauent. *in corpore.* Certum est è Scriptura, & Patribus, peccatum Luciferi, & asseclarum in via, fuisse superbiæ, sed non fuere plura peccata; imò post primum peccatum fuit ruina irreparabilis: ergo primum fuit superbiæ. Minor probatur à S. Doct. quia non minùs simplex est Angeli voluntas, quàm intellectus; sed intellectus non potest plura præclare cognoscere: ergo nec voluntas de pluribus solidè deliberare. Sed peccatum Angeli fuit maximæ deliberationis; propterea enim Scriptura, & Patres exaggerant illius malitiam, & pœnitentia omninò indignissimum clamitant. Video Scripturas etiam maximam in eo sapientiam exclamare, vt dicatur: *Cherub extentus & protegens*, vt ex maxima lapsus malitia commeatur, *Ezech.* 28. vbi etiam dicitur: *In multitudine negotiationis tuæ, repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, &c.* Et Isa. 14. dicitur: *Lucifer, qui manè oriebaris.* Quibus non aliqua ordinaria in doctrina probatur, vt putat Suarez *lib.* [illegible] *cap.* 7. esto aliquam admittere cogit cum Seraphico Doctore.

Faber [illegible] dicat, plura fuisse peccata Luciferi. At, si res ita se habet, plura instantia sunt numeranda, quàm, quæ ponit in via Angelorum.

34 PROBATVR nonò à S. Doct. 2. *p. Breuil. cap.* 7. Peccatum Luciferi fuit constituendo sibi summum bonum, quod non erat tale, ambiuit enim summum sibi commodum, vt toties reficat Scotus, & Asseclæ. Tunc sic: Angelus constituit sibi summum bonum in re, quam non possidebat: ergo ambiuit, atque præsumpsit; ac proinde præsumptione deliquit & ambitione.

ASSERO secundò, peccatum primum Luciferi non fuit Luxuria spiritualis. Patet ex dictis.

35 PROBATVR à Caietano ex D. Bonauent. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* [illegible] *fundam.* 4. si illud primus actus esset Luxuria, maximè quia delectatus est primò in seipso; sed hoc est falsum; ergo. Maior est fundamentum Scoti. Minor probatur, quia appetitus delectabilis reducitur ad illam spem peccati, ad quam spectat obiectum; & sic delectatio cibi non est Luxuria; sed Gula. Luxuria verò stat in delectatione carnis; sed hæc fuit delectatio propriæ præcellentiæ inordinata. Ergo spectat ad illud peccatum, ad quod spectat inordinatus ambitus præcellentiæ, sed hic est vera superbia: ergo. Quod enim ait Scotus, delectari in aliqua demonstratione Geometrica, esse Lasciuiam, extra chorum est; sic enim & delectatio in quovis malo proprio esset Luxuria, cùm tamen sit Inuidia.

Respondent Scotus, & asseclæ, delectationem illam esse spiritualem, quæ potest dici Luxuria; sicut delectatio corporea, speciali modo dicitur libidinosa.

ENIM verò, quis vnquam dixit, delectationem speciali modo essentialiter dici Luxuriam? Dicitur enim delectatio illa speciali modo, quia est magis sensibilis, cùm sit obiectum tactus, quia est maximè materialis. Vnde elicitur contrarium, quòd, cùm illa delectatio Luciferi fuerit spiritualissima, non potest dici Luxuria. 36

PROBATVR secundò à Seraphico, *fundam.* 3. *supra addicto, quæst.* 1. *art.* 2. *dist.* 5. & hic, *in corpore.* Delectatio recurua, seu reflexa, quæ à se incipit, & ad se reuertitur, nec refertur ad aliud in ratione dominij, sed in propria excellentia sistit inordinate, est superbia propriè, non communi modo; sed talis fuit delectatio Luciferi: ergo. Minor probatur ex D. Gregorio 23. *Moral. cap.* 4. alias 7. nam inter modos superbiæ proprios, primo loco numerat præsumptionem, quæ contingit, cum quis existimat, bonum, quod habet, à se habere; & in eo sic apprehenso gaudet: at hic non est relatio excellentiæ ad alios: ergo. Sic & Moderni argumentantur.

RESPONDET Faber *num.* 20. hoc peccatum includere relationem priuatiuam, quia existimat, se habere illud bonum, non ab alio, cùm possit habere à se. 37

At cùm ea fuerit præsumptio, ex D. Augustino suprà, non vult dicere, ipsum bonum asseri non acceptum à Deo (hoc enim Angeli sciebant,) sed immoderatè delectari in eo, tanquam si illud non esset à principio alio, nec ad finem vltimum, & hoc modo Angelus præsumpsit, vt ostendit Seraphicus 2. *p. Breuil. cap.* 7. Et hoc est, non referri intellectu, alioqui præsumptio semper esset ex errore.

OBIICIES primò cum Scoto. D. Augustinus 14. *de ciuit. cap. vlt.* ait *Duo amores fecerunt duas ciuitates. Amor Dei vsque ad contemptum sui fecit ciuitatem Dei: amor sui vsque ad contemptum Dei fecit ciuitatem Diaboli* amor verò sui est Luxuria.

Respondet D. Bonauent. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *fundam.* 3. non omnem amorem immoderatum esse Luxuriam, sed illum, qui est ex libidinoso obiecto, idest tactu: at amor immoderatus propriæ excellentiæ est superbia. Talis fuit amor diaboli, quem S. Augustinus *cap.* 1[illegible]. vocat [illegible]nem. 38

RESPONDET secundò S. [illegible] *Ecclesiaste*, quòd sicut charitas ædificat supernam Hierusalem, sic [illegible] per auersionem à Deo [illegible]. Speciali ergo modo magis [illegible] ab auersione à Deo, [illegible] in genere, quàm à conuersione [illegible] & si ab hac specificantur peccata, debet sumi ab eo bono, quod nobis

nobis volumus: nam amare, est velle bonum, ex Aristotele 2. *Rhet. cap.* 4. Itaque, si bonum illud sit spectans ad obiectum superbiæ, erit superbia. Talis fuit amor Angeli, qui circa propriam excellentiam, saltem essentialem, non potest separari ab amore ipso amicitiæ, vt fatetur Faber *num.* 15. hic autem fuit Præsumptio ex D. Augustino.

39 Confirmatur responsio; nam, si amor iste est speciale peccatum, vt vult Scotus, apud Fabrum *num.* 18. debet habere obiectum speciale; nam immoderatus amor sui, provt opponitur charitati, quæ est dilectio Dei super omnia, est in eodem genere, ac immoderatus amor aliarum creaturarum supra Deum; cuius signum est, quod opponitur amori Dei; vnum autem non opponitur pluribus, vt clamant Philosophi; cur ergo amor sui erit Luxuria; & amor cibi erit Gula?

40 Confirmatur secundò responsio: nam sicuti lapides, è quibus ædificata est superna Hierusalem, sunt merita charitatis, à qua ratio essentialis meriti mensuratur in præmio: ità & lapides, quibus struitur inferna Babel, sunt demerita: At verò quis dicet, solam Luxuriam in inferno puniri? Profectò & homicidæ, & raptores, & infideles ibi pyram struunt gehennæ, puniti pœnis sensus, & damni. Cur ergo dicuntur à Scoto soli Luxuriosi ædificatores illius Babylonis?

Quòd si fundamentum dicatur amor immoderatus; certè est, quia opponitur amori debito suo Principio, & Fini, à quo auertit, qui amor non est speciale crimen Luxuriæ; alioqui, si hic amor immoderatus est speciale peccatum, tale erit & amor aliarum creaturarum; atque ideò semper erunt duo specialia peccata; alterum amoris immoderati: alterum eius, cuius obiectum appetitur, puta Superbiæ, Auaritiæ, &c.

41 Obiicies secundò cum Scoto. Amor amicitiæ est priùs amore concupiscentiæ. Ergo Angelus priùs amauit se inordinatè; & posteà amore concupiscentiæ appetiit sibi aliquid.

Hic liber suspicere admirandum Seraphici ingenium, qui & argumentum hoc Scoto commodauit, & responsum addidit, quo solueretur à nobis: sic enim arguit dist. 5. art. 2. quæst. 1. fundam. 3. *Amor libidinosus incipit ab ipso amante, immoderatè dilecto affectu amicitiæ, & egreditur ad concupiscendum sibi aliquid, & sic recuruatur ad se, & sic est vnum peccatum. Itaque, si concupiscit sibi gloriam, fit*
42 *superbus. Talis fuit amor Angeli. Itaque vno actu amoris dilexit se, & sibi dilexit excellentiam, qua conficit peccatum superbiæ: At esto essent duo actus; tamen amor sui in genere non constituit speciale peccatum, sed reducitur ad illam speciem criminis, in cuius obiecto clauditur res desiderata, vt dixi. Est enim veluti linea eadem egressa à puncto, & ad idem punctum recuruata.* En argumentum à Scoto arreptum, sed mutilum; quod verò tacuit Scotus, desumpsere omnes nostræ sententiæ Theologi ad argumentum Scoti soluendum, & pro nobis constituendum.

Faber dicit, esse amorem innominatum. Est sanè genericus amor inclusus; sed cur in specie Luxuriæ à te collocatur?

Libet ex dictis eruere, falsò negare Fabrum, nos admittere diuisionem amoris in Concupiscentiam, & Amicitiam, quam docet S. Doct. 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. & *dist.* 5. *loco cit.* & sæpiùs, vt ostendam *prima secundæ, disp.* 18.

43 Instant Lichetus, Mastrius, & alij Scotistæ. Amor hic fuit nimia complacentia propriæ excellentiæ, quæ apud Calepinum dicitur *Luxuria*; non autem amor propriæ excellentiæ comparatiuè ad alios, quæ est propriè superbia: nam superbire, est super alios ambire.

At si immoderantia omnis ad speciem Luxuriæ referatur, confundetur auaritia, in qua immoderatæ cupiuntur diuitiæ, cum Luxuria; in qua venereæ sunt oblectationes; & sic de omnibus. Si autem velit Scotus generali vocabulo exprimere amorem illum immoderatum, non est specie contractus, nisi ad obiectum speciale contrahatur; & hoc, in casu nostro, est superbiæ, quæ non est in solo ambitu comparatiuo super alios; sed super seipsum etiam, idest supra id, quod aliquis est, vel debet, se æstimare, atque præsumere, vt omnes fatentur: & de præsumptione id docet D. Gregor. 23. *Moral. cap.* 4. & notat Vasq. *cap.* 2. & patet: Nam Præsumptio, & Arrogantia opponuntur Humilitati.

Quòd si Mastrio placet, Luxuriam vocare, provt ad generalem immoderantiam reuocatur, sic & vites luxuriantur, vt ipse docet *num.* 68. Cur igitur non dicunt, esse generalem Luxuriam, & volunt esse generaliter Superbiam; & specialiter Luxuriam? 44

Instat; actus Amoris Concupiscentiæ, & Amicitiæ inter se quidem esse connexos, sed amor amicitiæ est finis (*cui*) amor concupiscentiæ est finis (*cuius*) & effectus, ex Aristot. 3. *Eth. cap.* 6. Ità, vt stet aliquando amor amicitiæ solâ beneuolentiâ absque eo, quod illi velim aliud bonum, vt concedit Arriaga *disp.* 27. *sect.* 1.

Contra: quia *amare, est velle bonum*, ex Aristot. 2. *Rhetor. cap.* 4. atque adeò vterque respectus includitur formaliter, cùm in definitione includatur. Profectò amatur semper aliquid illi, vt si delectetur in esse, seu in bonis, vult illud esse, ea bona habere. 45

Dixi verò, etiam dato, eos actus esse distinctos, adhuc actus inchoare peccatum in secundo, scilicet in amando sibi inordinatè aliquid: nam quando obiectum est bonum, non vitiatur amor ex eo solùm, quòd intensior sit; nam intensio non potest dare primò malitiam, sed tantùm augere præcedentem, atque adeò non peccauit Angelus, ex eo, quòd amore amicitiæ seipsum amarit, vt aduertunt Caietanus, Suarez, Vasquez, Arriaga, & alij.

Respondet Mastrius, illum amorem amicitiæ fuisse malum, quia nimius, ex maiori appretiatione sistendo in eo, vt vltimo fine. 46

At talis amor non est vitiosus ex amicitia; sed quia sibi vult bonitatem, quam non habet, infinitam vltimi finis; & sic in omnibus casibus; & ità amor concupiscentiæ est ille, in quo incipit malitia. Talis est etiam, si se amet, vt propterea velit potiùs Deum offendere, quàm suum linquere commodum, vt aduertit Arriaga. Et sic in aliis, vt latè discurrit Suarez *à num.* 20. Quare suam illam *Philautiam* reponant, quæ describitur à Maxim. de charitate, cent. 5. 56. *Amor sui, rationi non consentaneus.* Vnde *Philautus* dicitur nimium sibi placens. Hic profectò est amor Luxuriosus vniuersalis ad omnia vitia.

QVÆSTIO III.

Quid Lucifer, & eius Asseclæ concupierint.

D. Bonau. d. 5. art. 1. q. 1. & 2. & art. 2. q. 1.
D. Thom. quæst. 63. art. 3.

MASTRIVS *in fine disputationis agitata, quæst. præcedenti*; ait, nihil ferè certi hac de re haberi; sed coniecturis procedi, atque adeò quæstionem omittit.

PRIMA opinio est, Angelum appetiisse cum Deo æqualitatem. Id docet Maior 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. & fauet Nazianzenus, oratione 27. carm. 6.

Dum Deus esse cupit, tetra caligine totus obrutus est.

Hanc opinionem præmisi, quia sub hac est grauis controuersia non modò de facto; sed de possibili.

47 PLVRIMI enim negant, potuisse Angelum appetere Deitatem. Ità D. Thom. *p. p. quæst.* 63. *art.* 3. vbi Caietanus, Bannes, Serra, Nazarius, & cæteri Thomistæ. Et idem D. Angelicus *q.* 16. *de malo, art.* 3. Alens. 2. *part. quæst.* 98. *memb.* 3. Guilielm. 1. *partis* 2. *part. de vniuerso, cap.* 109. Albert. *in* 2. *distinct.* 5. *art.* 3. D. Bonauent. *art.* 1. *quæst.* 2. Ægid. *quæst.* 1. *art.* 2. Heruæus *quæst.* 1. *art.* 3. Durand. *quæst.* 1. Marsil. *in* 2. *quæst.* 5. *art.* 2. Capreol. 2. *dist.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1 & 3. Ferrar. 3. *cont. Gent. cap.* 109. Lezana *tract.* 6. *disp.* 8. *quæst.* 5. Malon. 2. *dist.* 6. *disp.* 5. idem significat Valentia *quæst.* 14. *p.* 3.

48 E regione, potuisse Angelum simplici saltem complacentia, vel etiam voluntate efficaci, conditionatâ tamen, appetere Deitatem, docuere Maior suprà, Gabr. *in* 2. *distinct.* 6. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Scotus *in* 2. *distinct.* 6. *quæst.* 1. Bassolis, Lichetus, & Tartaretus *ibi*, Faber 2. *disput.* 31. Poncius *disp.* 15. *quæst.* 3. Brancas. *disp.* 10. *quæst.* 3. Vulpes *disp.* 21. *art.* 9. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 3. Suarez *lib.* 7. *de Angel. cap.* 12. Vasquez *disp.* 234. Molina *q.* 63. *disp. vnic. memb.* 3. Becanus *cap.* 4. *quæst.* 5. Amicus *disp.* 10. *sect.* 5. Alarcon. *tract.* 6. *disp.* 9. *cap.* 2. Arriaga *disp.* 24. *sect.* 4. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 4. Imò id certum apud omnes iam asserunt Præposit. *hic, art.* 3. *dub.* 1. Morandus *tract.* 7. *quæst.* 37. Auersam referens *quæst.* 63. *sect.* 3. Marcus noster *q.* 57. *art.* 3. Caspens. infrà citandus.

Ex his tamen omnes ferè negant, de facto sic peccasse Luciferum. Ità Scotus, Bassolis, Lichetus, aliique Scotistæ *suprà*. Gabr. *loco cit.* quos imitantur Vasq. Valentia, Tannerus.

49 Alij verò Diuinitatem sub aliqua ratione, & forsan in natura, à Lucifero ambitam asserunt, præter Maiorem, Morandus *num.* 774. referens Scotum, Gabrielem, Bassolim, Molinam, Valentiam, Gamachæum, imò & multos SS. Patres, Gregorium Nazianzenum *carm.* 6. Gregorium Magn. 4. *epist.* 38. Ambros. *in Psal.* 118. Alios referunt etiam Præposit. *disp.* 5. Arriaga *sect.* 4. sed nullus dicit, Luciferum appetiisse esse substantialiter naturâ Deum, sed solùm in aliqua similitudine, de quâ infrà. Solus Nazianzenus, Poëticè locutus, tantillum dilatatur. E Scholasticis multos non rectè allegat, vt suprà dixi, eos referendo.

50 SECVNDA sententia est, primum Luciferi peccatum fuisse immoderatam complacentiam suæ beatitudinis naturalis. Ità probabile existimat D. Thom. *loco citato*, vbi Caietanus, & Bannes, & 3. *contra Gentes, cap.* 109. vbi Ferrar. Capreolus verò *in* 2. *distinct.* 4. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad argumenta*, contra primam, & secundam conclusionem, Marsil. *quæst.* 2. *art.* 2. & *quæst.* 5. *art.* 1. Holcot. *quæst.* 3. & *in* 2. *quæst.* 5. Heruæus *quæst.* 1. *art.* 3. Richard. *art.* 1. *quæst.* 1. & 2. Bassolis *quæst.* 1. *art.* 2. Refertur à Suarez etiam Scotus *locis adductis quæstione præcedenti*, vbi vult, primum actum culpabilem Luciferi fuisse delectationem de seipso. Certum est autem, quod illo amore amauit quicquid ad naturæ complementum faciens possidebat; inter hæc verò fuit beatitudo naturalis: nam bonum illud ponit Scotus concupitum in secundo actu, & peccato, vt aduertit Faber *disput.* 33. *initio*. Aliâ verò ratione suprà indicatâ, potest in hac sententia includi Scotus, quatenus beatitudo naturalis videtur de complemento substantiali naturæ Angelicæ; At verò amor amicitiæ fertur eodem actu in amicum, & in bonum substantiale eius. Sic enim Faber *disput.* 32. *numero* 15. expedit se ab authoritate Aristotelis 2. *Rhetor. cap.* 4. vbi ait, *amare aliquem, est velle ei bonum*. Quamvis enim beatitudo naturalis perfectè compleatur in actibus accidentariis contemplationis, & amoris, quibus vnitur suo fini naturali; tamen beatitudo substantialis completur etiam in illa perfectione potentiarum, cum illa habilitate ad vnionem, & in illis etiam actibus.

DICES, sic dæmones nunc adhuc essent beati, beatitudine naturali. 51

RESPONDETVR, voluntatem, etiam quoad potentiam, esse deprauatam odio formali Dei, & habituali auersione.

TERTIA sententia est, Angelos peccasse immoderato appetitu beatitudinis supernaturalis. Sic probabile putant D. Thom. Heruæus, Ægid. Richardus, & Bassolis, suprà adducti, qui tamen probabile censent, appetiisse etiam beatitudinem naturalem. Hanc verò sententiam præcisè sustinent D. Bonauent. *loco citato*, quem sequuntur Scotus *in* 2. *distinct.* 4. *quæst.* 2. vbi Faber *disput.* 33. Albert. *in* 2. *distinct.* 5. *art.* 3. Durandus *quæst.* 1. Argent. *disp.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. Maior *quæst.* 2. (quamvis id ignotum esse concludat.) Idem sentiunt dicentes, Angelos malos voluisse beatitudinem sine meritis. Ità Alens. 2. *p. quæst.* 98. *memb.* 3. Altisiodor. *lib.* 2. *summæ, tract.* 2. *cap.* 2. Marsil. *in* 2. *quæst.* 5. *art.* 2. *concl* 6. Idque S. Bonau. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. clarè asserit.

Ex his aliqui dicunt, ideò Angelos excessisse, quia appetiêre excellentiam beatitudinis, non considerando eam auxiliis Dei esse consequendam, cùm tamen id tenerentur considerari. Ità Altisiodorensis, Heruæus, Durandus, Argent. Holcot. Marsil. Maior. Ferrar. *suprà*, & Caietanus *quæst.* 64. *art.* 2. 52

Alij dixêre, in hoc excessisse, quia amauêre beatitudinem, vt vltimum finem, & Deum amore concupiscentiæ. Adducitur à Vasquez *disp.* 235. *cap.* 2. etiam Scotus *disp.* 6. *quæst.* 2. at Faber *num.* 6. allegat Scotum cum dicentibus peccasse Angelum appetendo beatitudinem; sed viribus naturæ. Est sententia Suarez *lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 22.

Alij dixêre, appetiisse Luciferum beatitudinem propriis viribus. Ità Vasq. *cap.* 3. referens Alensem, Albertum, Seraphicum, D. Thomam, Ægidium, & Bassolium *suprà*.

Addit

53 Addit Vasquez, non explicasse Bonauenturam: Vtrum Lucifer voluerit beatitudinem sine meritis expresse: An verò interpretatiuè, solùm volendo beatitudinem inconsideratè ad merita necessaria, quæ tenebatur ponderare. Tandem ait, Angelum, in sententia Bonauenturæ *dist.7. p.p. art.1. quæst.2.* appetiisse beatitudinem ex errore. Cùm eo adducitur D. Thom. *quæst.* 64. *art.* 2. *ad* 3. & Ægidius.

At non video, qua ratione è Seraphico id deducat; nam id solùm, ait: *Diabolus ad id, quod appetiit, habet pronitatem etiam nunc; sed differenti modo, quàm priùs: priùs enim appetiit cum proposito obtinendi, vnde ait: Ponam sedem meam ad Aquilonem, nunc appetiit quantum in se est.* Atque id etiam falsum est, D. Bonauenturam asserere peccasse primò Luciferum ex errore; asserit quidem *dist.5. quæst.1. fundam.* 5. excæcatam Angeli mentem præsumptione, vt infrà dicam (& hoc agnouit etiam Suarez *lib.7. cap.11. num* 5. At S. Doctor solùm ait, Luciferum appetiisse immoderatè beatitudinem.

54 Quarta sententia est, Luciferum appetiisse aliis Angelis præesse; alios verò cum eo non subesse Diuino ministerio. Ità Alensis 2.*p. quæst.*98. *memb.*3. tamen excludit alios modos. Imò & D. Bonau. *loco cit.* & *art.2. quæst.*1. vult, omnes appetiisse beatitudinem supernaturalem; sed Luciferum in hoc, & in non ministrando, aliis præeminere voluisse. Vnde patet ad id, quod quærit Suarez *lib.7. cap.14. num.5.* quæ fuerit hæc præcellentia à Lucifero concupita? Hanc sententiam sequitur Scotus *dist.5. quæst.2.* & Scotistæ, Lyra, Burgensis & Turingius *ad* 14 *Isaiæ*, Valentia *disp.4. q.14. puncto* 3.. Volunt aliqui eum prætendisse eximi à Dei regimine. Ità Guilielmus Parisiensis *lib.2. de vniuerso, p.1. cap.109. & 110.* Alij, quod voluerit cæteris præesse creaturis. Ità Molina *q.63. art.3.* post D. Bonauenturam *dist.5. art.1. quæst.2.* Caipensis *disp.7. sect.4.*

55 Qvinta sententia est, peccasse Luciferum appetendo vnionem hypostaticam. Ità Viguer. *in Instit. Theol. cap.3. §.2.* Iacobus de Valentia *in Psal.* 83. & 102. Catherinus *Opusc. de gloria beatorum Angelorum, Genes.*3. Naclantus *ad Eph.*3. Ascanius *in Gloss. Magn. tit. de bello Angelico*, Malon. *in 2. dist.6. disp.2. concl.7.* Molina *p.p. quæst.63. art.3. memb.5.* Ruardus *art.8.* circa principium, Carthus. *in 2. dist.5. quæst.1.* Parisiensis *lib.2. de vniuerso, p.1. partis secundæ, cap.106.* Suar. *lib.7. cap.13. num.12.* & 3. *p. tom.1. dist.42. sect.1.* & probabilem censet Molina *quæst.63. art.3. dist. vnic. memb.5.* Fauet Alensis 3. *part. quæst.2. memb.13.* Et ante omnes D. Bernardus *serm.1. Adu.* & *serm.2. in Oct. Pascha*, & *serm.17. in Cant.* apertiùs *epist.42.* dicens in Christi persona: *Inuiderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus, & fœmina: ille potentiæ: illa scientiæ: Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Itaque videtur Lucifer, peccasse prætendendo vnionem hypostaticam, & inuidendo dandam Christo, eique debitum negando obsequium. Hanc sententiam probabilem admodum censet Tannerus *num.*17. Omnes verò incertas, ait Fuliens. *lib.3. cap.8.*

56 Assero primò, Angelum non potuisse appetere Diuinitatem.

Probatvr primò à D. Bonau. ex Glossa ad id 1. Timoth.2. *Adam non est seductus*, vbi ex sapientia Adæ colligit, non potuisse eum appetere Deitatem, vti spoponderat Dæmon. *Eritis sicut dij.* Tunc sic: Sapientior erat Angelus, quàm primus homo: sed hic non potuit appetere diuinitatem, quia sibi implicare sciebat: ergo.

Probatvr secundò à S. Doct. ratione D. Anselmi, *lib. de casu diaboli, cap.4.* vbi ait: *Quomodo potuit diabolus velle, quod non potuit iudicare? non enim adeò obtusæ mentis erat, vt nihil aliud simile Deo cogitari posse nesciret. Nihil appetiit ad quod non peruenisset, si stetisset, aut saltem peruenire potuisset.* Voluntas enim efficax tendit ad dandam existentiam, vt notat Arriaga *num.29.* sed implicabat, eum æquari Deo: ergo. Maior probatur à D. Anselmo, quia Diabolus non peccauit ex ignorantia naturali, vel ex errore contrario euidentiæ naturali; ex tali enim errore peccare non potuit; imò naturalem cognitionem, quam habuit naturalium omnium, nulla ex parte, etiam nunc imminuit, vt ait D. Dionysius *cap.4. de diu. nom.* D. Isidor. *lib.1. de summo bono, cap.12.* relati ad hoc à Seraphico *dist.7. part.2. quæst.1.* At, esto in aliquo sit obcæcatus, vt innuit S. Doct. *dist.5. q.1. fundam. vlt.* (tametsi non omnia, quæ in fundamētis habentur, sint adamussim eius consona sententiæ, nisi in corpore confirmentur;) attamen primò scientia præditus naturali absolutissimà optimè, ac demonstratiuè sciebat id, quod *disp.8. & 10. tract.1.* demonstraui, repugnare plures esse Deos, aut Deum transmutari. Si igitur appetiit esse Deus electiuè, appetiit impossibile; At voluntas ducta ab intellectu non fertur in impossibile sua electione; quia, vt docet Aristoteles 3. *Eth. cap.5.* Electio non est impossibilium: eandem rationem habet *fundamento quinto*, quâ vtuntur omnes nostræ sententiæ, supra relati, authores. Itaque Suarez *lib.7. cap.12. num.4.* ait, esse præcipuum huius sententiæ fundamentum. 57 58

59 Hanc tamen flocci pendit Scotus *loco cit.* §. *Quia tamen*, vt notat Marginista Seraphici.

Respondet igitur Scotus, & cum eo Faber *disp.31. num.12.* Mastrius *n.61.* duobus modis sumi electionem. Primò pro actu voluntatis, consequente plenam apprehensionem intellectûs, vt contrà distinguitur ab actu subreptitio, qui actus sufficit ad peccatum, & ad meritum. Secundò est actus consequens plenam apprehensionem obiecti; & rursus quærens media ad illud consequendum. Prima dicitur volitio inefficax, siue simplex complacentia. Secunda dicitur volitio efficax. Voluntas, primo modo, potest esse impossibilium, ex Aristot. 3 *Eth. cap.2.* licèt non secundo. Subscribunt Morandus *num.775.* Alarcon. *disput.9. cap.2.* & Vasquez *cap.2.*

60 Contra hoc subtile, in aëra euanescens, responsum arguit Vasquez *prima secundæ, disp.42. c.4.* ratione D. Bonau. *in 1. dist.40. art.3. quæst.1. & 2.* & in Itinerario mentis in Deum *cap.3. post medium.* Electio est cum plena resolutione, apud omnes Philosophos, & Theologos. Sumitur enim pro eo actu, qui est finis, & mediorum ad finem. Satiùs erat dicere, electionem altero modo accipi pro selectione alicuius obiecti, vel subiecti, quæ plenà est deliberatione patrata; de qua plurima exempla habet S. Doct. *in Bibliis pauperum, cap.100.* Nos igitur non possumus alias electionis essentias excogitare, nisi velimus omnia susdeque vertere, quod in omni materia naturali est obseruandum, nè nouas, ad placitum, naturæ inuehamus essentias.

Præterea ostendo cum Seraphico *argum.5. addito responso*, electionem Luciferi fuisse plenè delibe

deliberatam, ex illo Isa. 14. *Qui dixisti in corde tuo: in cœlum conscendam, ponam solium meum super altitudinem nubium, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Vbi & finem, & media à se excogitata assumit electione, quam Scotus fatetur perfectissimam, vt arguit Suarez *lib. 7. cap. 7. num. 1.* Valentia *disp. 4. quæst. 14. puncto 3.*

Confirmatvr: nam Luciferi peccatum, maxima ex malitia deliberatum, firmâ, & peruicaci electione firmatum, recitant, & execrantur Patres.

61 D. Gregorius Nazianzenus *oratione* 17. Peccatum huius ait intolerandum.

D. Gregorius Magnus *lib. 4. epist.* 38. aliàs *cap.* 82. apud D. Bonauent. *hîc*, stomachatur in Luciferi superbiam: Sic & *lib.* 34. *Moral. cap.* 17. aliàs 14.

D. Augustinus 14. *de ciuit. cap.* 11. Luciferum tyrannici fastus damnandum clamat.

S. Isidorus *lib.* 1. *de summo bono, cap.* 10. apud D. Bonauent. *hîc*, ait, Luciferum Deo per tumorem se contulisse.

D. Ignatius *epist. ad Philip.* ait: *Tu omnium malignorum spirituum malignissimus.*

Theodoretus *quæst.* 34. *in Genes.* ait, eum in nequitiam sponte declinasse; & maledictiones plurimas ideò ei inflictas. Et *in epist. ad Ephes.* ad id:

62 *Non est nobis colluctatio, &c.* ait: *Erant ex bonis ordinibus mali dæmones; sed propter improbitatem ab illo ordine exciderunt; habent quoque nunc appellationes ad conuincendam eorum execrandam malitiam.*

Bernardus *de grad. humil.* apud D. Bonauent. *quæst.* 2. ait: *Iniquitas tua, non irâ momentaneâ, sed odio digna est sempiterno.*

Ioannes Cassianus, collat. 4. cap. 14. *Spiritualis namque substantia, nec vllâ carnis soliditate deuicta, vt excusationem exorta praua in sese non recipit voluntatis; ità veniam malignitatis excludit, quia nullâ, quemadmodum nos, ad peccandum impugnatione carnis extrinsecùs lacessita est; sed vitio solius malæ voluntatis accensa; & ob hoc sine venia peccatum, & sine remedio languor fuit.* Idem habet D. Leo Papa *serm. 4. de collectis.* Ingentem verò malitiam cum D. Bonauent. *ex illo Isaiæ* 14. colligunt S. Gregorius Magnus *homil.* 34. *in Euang.* Chrysost. *homil.* 4. *in Matth. opere imperfecto.* Ambrosius *in Psal.* 118. *serm.* 7. Athanas. *quæst. 6. ad Antioch.* Cassianus, *collat. 8. c.* 10. Hugo de S. Vict. *tract. 1. summa sent. cap.* 4. Hieronym. *in Psal.* 119. & alij apud Ascanium de bello Angelorum, qui *fol.* 457. tandem concludit, Luciferum contumaci prolapsum voluntate. Ità corruunt dicentes, eum appetiisse inefficaciter Deitatem.

63 Probatvr tertiò à D. Bonau. *fundamento* 6. cum D. Thoma. Qui vult antecedens aliquod, vult & id, quod necessariò consequitur; saltem quando consequens includitur in antecedente, è Scoto *dist. 6. quæst.* 2. & Fabro *num.* 15. sed ad esse Deum sequitur necessariò inclusum, vt terminus *à quo*, non esse Angeli: Ergo si Angelus voluisset esse Deus, consequenter voluisset sui destructionem; at nullus vult sui destructionem, ex D. Aug. *lib. 3. de libero arbit.* Hæc ratio sumpta est ex D. Anselmo *de casu Diaboli, cap.* 4. quâ vtuntur Valentia, & alij.

Respondent Scotus, Faber, & alij, falsam maiorem, quando consequens non includitur in antecedente. Sic aliquis vult culpam, & non vult pœnam necessariò consequentem. Et aliquis potest appetere Episcopatum, non volendo sacerdotium. Cùm igitur non esse Angeli, non includatur necessariò in esse Dei, potest velle esse Deus, etiamsi nolit, non esse. Negant etiam minorem de voluntate inordinata.

Contra verò, quia, vt notat Seraphicus Doctor, stultum omninò est dicere: Volo esse Abbas; & nolo esse religiosus; cùm hoc sit impossibile. Si igitur, cùm terminus *à quo* esse Dei sit non esse Angeli, quia hæc duo sunt entia implicantia; sequitur, non potuisse velle esse Deus, nisi vellet sui destructionem. Quod verò dicunt de non volente pœnam, consequentem necessariò ad culpam, non est ad rem: pœna enim non sequitur absolutè ad culpam, quia potest homo pœnitere, & pœnas euadere. Et qui vult culpam, & vltimò mori impœnitens, nec tamen vult pœnas, dicitur stultus in Scripturis. Profectò duo termini implicantes, non possunt esse politi: sic non possum discedere Parisiis Romam; Parisiisque manere: magis autem implicans est, esse Deum cum esse creaturæ. Hæc luce clariora sunt. 64

Respondet secundò Scotus, Bassolis, Faber, Mastrius, non esse inconueniens, Angelum acceptare non esse sui; vt acquirat esse Dei infinitum, in quo & esse Angeli eminenter includitur. Si enim damnati cupiunt non esse, magis, quàm sic cruciari; multò magis potest Angelus appetere, non esse creatura, vt sit Deus. Deinde simplici affectu potest aliquis velle esse Deus, non considerando, non esse sui. At verò, vt possit voluntas appetere, rem esse sibi conuenientem; non sufficit absoluta apprehensio rei bonitatis in se; sed requiritur comparatiua notitia de bonitate, & conuenientia eiusdem in ordine ad ipsum appetentem, vt arguunt Suarez, Serra, & Amicus. At implicat, vt Angelus comparatiuâ notitiâ apprehendat æqualitatem Dei, vt sibi conuenientem. Maior probatur, quia non potest voluntas appetere aliquid, vt bonum sibi, nisi priùs certa sit de conuenientia illius in ordine ad proprium suppositum; hoc autem haberi non potest per absolutam dumtaxat rei notitiam. Iam verò cùm appetitus sui esse formalis, sit à natura insitus, & Lucifer primò peccauerit inordinato sui amore, è Scoto; non video, quomodò concupierit inordinatè sibi, non esse. Quæso: Cuinam appetebat hoc bonum Deitatis? non sibi, qui destruendus erat: non Deo, quia ab eo auertebatur. Quòd si omne peccatum est per auersionem à Deo, & conuersionem ad bonum commutabile; & Angelus appetendo esse Dei non auertebatur ab eo, non peccabat, vt arguit Seraphicus *fundamento vltimo.* 65

Quod verò dixerunt de damnatis; non est ad rem, quia damnati adhuc absolutè optant esse, sed indemnes; & si potiùs non esse, quàm torqueri velint, non tamen id volunt electione, cùm sciant, decretum Dei immutabile hanc electionem reddere impossibilem. 66

Qvod verò subdunt de voluntate inefficaci, vel conditionata, explosum est: nam Lucifer summa deliberatione elegit obiectum vetitum absolutè, non conditionaliter, dicens: *In cœlum conscendam*, vt aduertunt Suarez, Amicus & Lezana, & ex Patribus ostendi, qui maximam Luciferi malitiam ex hoc loco deducunt. Ex quo tamen loco malè Scotistæ aliqui eruunt, Angelum, simplici complacentiâ saltem, appetiisse deitatem; nam Patres exponunt, eum appetiisse aliquam similitudinem.

Dices etiam hæc similitudo est impossibilis. Respondetur, negando assumptum, vt infrà ostendam.

Proba

PROBATVR quintò à D. Bonau. *in corpore*. Quod implicat euidenter, non potest esse obiectum appetitus electiui. Angelum esse Deum implicat euidenter: ergo. Maior probatur: quod enim implicat contradictionem, non est ens, sed fictio: At obiectum appetitus est ens, & bonum. Minor probatur è Scoto, nam esset Angelus; quia amore inordinato amicitiæ hoc ei est volitum: non esset Angelus, quia esset Deus, quod implicat esse creato. Hinc falsò negat Faber *num.* 13. cum Scoto, hanc esse implicantiam; sed dicunt, esse impossibilitatem.

67 Hoc autem sic tradit Faber dicens, dupliciter posse considerari Angelum esse Deum, primò quatenus est totum quoddam complexum: *Angelus est Deus*, & sic implicat; alio modo, quod Angelus ex creatura fiat Deus, & hoc non includit implicantiam contradictionis; Esto sit impossibile; voluntas autem complacêre potest in re impossibili.

Mastrius *num.* 61. sic redarguit Fabrum. Hæc responsio est prorsus falsa, & chimærica: nam implicat æquè, creaturam fieri Deum; & esse Deum: natura enim Diuina est immutabilis. Deinde si appetitur fieri Deus, ampliùs etiam appetitur esse Deus: at Lucifer plenus omni sapientiâ non potuit hanc stultam propositionem componere.

RESPONDET Mastrius primò, potuisse conditionaliter hoc velle, si esset possibile.

68 At cum electiuè appeteret Lucifer, non chimærizauit dicendo: *Appeto hoc contradictorium* (nisi sit contradictorium) *efficaciter*.

Respondet secundò, iuxta alteram viam docentem impossibile posse appeti simplici complacentiâ, difficilè solui argumentum: quia impossibile inuoluens contradictionem nec est ens reale in se; neque putatum tale.

Respondet tamen, habere bonitatem præfixam, & præstitutam, & ita posse esse obiectum voluntatis.

69 DEINDE è Scoto respondet, non esse necesse, vt Angelus intellectu iudicet hanc propositionem: *Angelus est Deus*; esse possibilem; sed satis est, vt intellectu apprehendente possibilitatem, & bonitatem vtriusque extremi, voluntas illa componat, & vnum alteri amet, abstrahendo à iudicio possibilitatis, vel impossibilitatis totius complexi.

HÆC sanè non minùs chimærica sunt: bonitas enim præfixa, seu præstituta nouam influit contradictionem practicam, vt capax sit boni, quod est euidenter cognitum non ens, & implicans esse.

Quod verò addit secundò, magis adhuc est monstrosum, & metaphysicum figmentum, quod abstrahatur ab appetitu in prosecutione impossibilis, euidenter impossibilis; & quòd bonitatem implicantem, vtrique extremo, in cuius prosecutione versatur appetitus, attribuat; non enim extremum appetit vnum, idest esse Angeli, sed compositum; Angelum esse Deum.

70 ASSERO secundò, Angelum peccasse, appetendo aliquam cum Deo similitudinem inordinatè.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex Isa. 14. *Ascendam in cælum, & ero similis Altissimo.*

PROBATVR secundò à Seraphico, quia similitudo hæc à Patribus asseritur ambitiosè ab illo æmulata, non enim aliquis de æqualitate in natura locutus est, vt ostendit Suarez: quidquid dicat Mastrius *num.* 57. Vide Seraphicum Doctorem, *dist.* 5. *quæst.* 2.

PROBATVR tertiò à S. Doct. quia hæc similitudo erat quid bonum, delectabile, & possibile: ergo erat congruum voluntatis obiectum. Quòd ergo fuerit possibilis, probatur, quia est: *Signaculum similitudinis*, vt dicitur *Ezech.* 28. Ergo poterat altiorem, & perfectiorem appetere; hanc autem poterat Deus creare, quia nulla est creatura, quâ non possit Deus condere perfectiorem. Illa porrò similitudo, quam ponit S. Bonau: vt præesset suâ auctoritate, impugnatur à Mastrio; quia est impossibilis non minùs quàm Angelum esse Deum; cui proprium est dominium independens. Vnde infert, nos cum Lezana elabi in eadem inconuenientia, quæ ex æqualitatis Diuinæ ambitione inferimus.

RESPONDETVR, negando paritatem, nam independentia à Deo in regimine exercendo, in multis pendet à Diuina voluntate libera: & hæc potuit esse ab Angelo volita; v. g. Angelicos exercitus ita ducere, ac si absque datore ex gratia, eos duceret; sed neque Deus cogeret eum Principatum meritis ex gratia acquirere; sed naturæ Luciferi id adderet, quod non implicat; sicut esse Deum. Eodem modo potuit appetere beatitudinem, non ex gratia; sed ex naturalibus, vt dicunt authores plurimi; non enim volebat impossibile, vt beatitudo, idest visio Dei, viribus naturæ fieret; sed vt eam Deus concederet, absque eò quod operaretur. Et hoc indicat illud: *Sedebo in monte testamenti.* Vnde clamat Bernardus serm. de sancto Benedicto: *Millia millium ministrabant ei; & tu sedebis? Quid laborasti, vt sedeas?* Et in hoc deceptus est Meldula, dicens cum Bassoli, nos nobis contradicere, admittentes Luciferum appetiisse impossibilia. 71

SOLVM facessit negotium, quod Angelus plenus sapientiâ sciebat Deum aliter velle, & contra absolutam eius voluntatem iri non posse. Dico, tamen potuisse Angelum nescire: An hoc absolutè decretum fuisset irreuocabiliter, vt precanti tam nobili creaturæ, nollet hæc concedere. Deinde Deo persistente, vt meritis intenderent, ex merâ malitia cum aliquâ consequentium inaduertentiâ dico eos à Deo apostatasse. 72

ID verò appetiisse probat S. Doctor *fundamento* 6. nam cùm sit spiritus nobilissimus, Deo proximus, vix aliud potuit inordinato superbiæ affectu concupiscere, quàm præcellentem aliquam cum Deo similitudinem. Qua ratione vtitur etiam Tannerus *num.* 12. Confirmatur à Valentia, atque D. Bonauentura, quia super omnes creaturas Lucifer erat euectus: ergo superbia super se elatus est, vt vellet præsumptuosè aliquod dominium inordinatum, quo fieret, veluti Vice Dei: & hoc supra se vidit. Et hæc est ratio superbiæ, vt ait S. Doctor; non vt dicunt Scotistæ, in ordine semper ad alios, vt dixi *quæst. præcedenti.*

Hòc sanè fuit bonum maximum: ergo maximè appetibile. Probatur consequentia, quia obiectum voluntatis est totum ens, vt bonum. Hoc argumentum desumpsit Scotus, vt inferret, Luciferum appetiisse diuinitatem, quæ est ens infinitum; sed non aduertit, hunc appetitum, quia fertur in impossibile implicans, non ferri in ens, vt dixi; Et si Aristoteles ait, posse nos ferri in impossibile, loquitur de impossibili non cognito euidenter tali. 73

DICES, damnati oderunt Deum, qui autem odit, nollet, quem odit, esse, ex Aristotele 2. *Rhetor.*

Quoniam autem Valentia hoc assertum authoritatibus quidem Patrum fulciri, ait; nullis tamen rationibus solidis niti; enitar, validas Seraphici rationes promere.

2 PROBATVR primò à D. Bonauent. Quod est proprium Dei, est creaturis incommunicabile; immutabilitas ad malum est Dei propria: ergo. Maior est euidens. Minor probatur à S. Doct. *in* 1. *dist.*45. *quæst.*1. vbi ostendit, fundamentum impeccabilitatis in diuina voluntate esse, quia intellectus diuinus est vltimo fini coniunctissimus, qui est summum bonum; & ità voluntas illud necessariò amplectitur; at verò creatura omnis, circa quamcunque virtutem versata, non apprehendit in ea firmiter summum bonum, finemque vniuersalem, vnde potest aliunde impressiones contrarias recipere, quamdiu summo bono non est vnita,
3 & versatur circa bona particularia. Hanc rationem desumpsère Scotus, & asseclæ. Vasq. *num.*19. vbi eam optimam acclamat, & aduertit, eam supponere, non posse dari creaturam, cui sit connaturalis visio Dei, quod à vobis ostensum est, *tract.*1. *disp.* 11. *quæst.*9. At si creatura talis conderetur, cui esset connaturalis visio Dei, adhuc esset peccabilis; quia posset Deus impedire actum visionis; & tunc, cùm non videret clarè summum bonum, non inhæreret immutabiliter, & posset ab eo auerti, vt ait Vasquez.

4 PROBATVR secundò à S. Doct. Omnis creatura rationalis debet esse libera ad vtrumlibet bonum, & malum. Omnis creatura producibilis nobilissima esset rationalis: ergo. Hoc argumentum est Sanctorum Patrum; illud verò vrgent Vasquez *loc. cit.* Tannerus *num.*4.

D. Ambrosius *lib.*2. *de fide, cap.*3. ait: *Ergo corruptionis, & mortis; etiamsi non moriatur, aut peccet, capax est omnis creatura.* Vbi de Angelis id specialiter docet.

D. Hieronymus *epist.*146. *ad Damasum*, ad ea verba Psal.142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Non dicit* (ait) *omnis homo: sed* omnis viuens; *non Euangelista, non Apostolus, non Propheta. Ad maiora conscendo, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Potestates, cateraque Virtutes: solus Deus est, in quem peccatum non cadit: cætere cùm sint liberi arbitrij in vtramque partem suam possunt flectere voluntatem.* Posteà id confirmat ex prima ad Timotheum: *Qui solus habet immortalitatem.*

5 EODEM modo, eundem locum interpretatur D. August. lib.3. contra Maximinum, cap.12. *Et omnes* (inquit) *qui non peccauerunt, peccare potuerunt, & cuicumque creaturæ rationali præstatur, vt peccare non possit, non est opus naturæ propriæ; sed gratiæ Dei.* Et cap. 23. eodem ferè modo exponit id Matth. 19. Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus.*

Eandem doctrinam habet D. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum, cap.*3. *&* 13. Nyssenus *lib.*7. *Philosophiæ*, qui est *de libero arbitrio, cap.*3. seu Nemesius *lib. de Homine, cap.*41. Damascenus *lib.*2. *c.*27. Anselmus *lib.*2. *Cur Deus homo, cap.*10. Gregorius *lib.* 25. *Moral. cap.*5. Sentiunt igitur isti Patres, nullam esse posse creaturam, quæ non sit libera, nec liberam, quæ peccare non possit: sicuti non potest creatura vlla fieri Deus.

6 PROBATVR tertiò clariùs *in* 2. *dist.*24. *quæst.*1. *fundam.*1. Quæ sunt ad se inuicem conuertibilia, sunt inseparabilia ab inuicem; sed esse creabile, & esse vertibile sunt conuertibilia: ergo. Maior est euidens. Minor probatur à Seraphico ex SS. Patribus Damasceno *lib.*1. *cap.*3. August. 14. *de ciuit. cap.*13. & *lib.*12. *cap.*1. *&* 6. Fulgentio *de fide ad Petrum, cap.*3.

PROBATVR quartò à S. Doct. *loco cit. in corpore.* Omnis creatura, quia ex nihilo, vanitati subiecta est. *Rom.*8. estque vertibilis ad peccatum, si rationalis sit, ex D. Augustino *lib.*12. *de ciuit. cap.*6. Gregorio *lib.* 25. *Moral. cap.*5. *&* 27. aliàs 28. Damasceno *lib.*2. *cap.*23. *&* 27. Nysseno *loco cit.* Hac ratione vtuntur Suarez *num.*16. Vasq. *à num.*7. tacito nomine Seraphici, à quo est in scholas inuecta, eique familiaris. Fundamentum eius est; quia res ex nihilo non est actus purus, nec omnia actu considerat, nec actu immobiliter verum bonum cogitat, & prosequitur. Adde, quòd, cùm ex nihilo, non est bona per essentiam; sed per actus accidentales, moraliter loquendo.

PROBATVR quintò à D. Bonauent. *fundam.*2. 7
Non est magis arctatum liberum arbitrium, seu voluntas, quàm intellectus. Sed intellectus naturâ suâ intrinsecè est aptus intelligere omne verum, & omne ens: ergo & voluntas appetere omne bonum: ergo potest ferri, non modò in bonum concessum; sed in omnia alia vetita. Ità arguit & Suarez *num.*15.

Ex quo ruit Gabrielis, & aliorum effugium, posse creari voluntatem determinatam ad solum bonum honestum, siue quoad specificationem tantùm, siue etiam quoad exercitium, ità vt ex innata voluntatis conditione nequeat aliud velle, præter bonum honestum.

FATEOR, posse dari liberum arbitrium non 8
flexibile ad malum. Tale est diuinum, vt docet Seraphicus, *locis citatis, & alibi passim*; quia libertas in rationalitate fundatur: At liberum arbitrium creatum habet libertatem defectibilem ad malum, hæc enim arbitrij conuersio, non est perfectio libertatis; sed imperfectio, & ideò SS. Patres radicem peccabilitatis à creatione auspicantur.

PROBATVR sextò à D. Bonauent. *fundam.*3. Liberum arbitrium, hoc ipso, quòd liberum est, dominatur suo actui, habetque in sua potestate illum; & eo ipso, quòd est creatura, tenetur honorem deferre Creatori. Ergo, si dominatur suo actui finitè, potest non reddere, quod debet; sed hoc est peccare: ergo. Sic & Suarez *num.*16.

PROBATVR septimò à S. Doct. *fundamento* 4. 9
Si daretur liberum arbitrium inflexibile ad malum: ergo stare in bono, & facere bonum, esset ei connaturale; ac proinde omne opus egrediens à libero arbitrio esset in ordine operum naturalium, non autem liberorum, & in genere morum: ergo sic nullum esset laudabile, vel meritorium: sed hoc est contra naturalem liberi arbitrij finiti institutionem: Ergo.

Hoc argumentum maximè probat, non posse dari liberum arbitrium, cui sint connaturales actus supernaturales; atque adeò non possit ab obiecto supernaturali deficere. Addit Suarez, etiam gratiis indutos (excipe gratiam vnionis hypostaticæ, & beatam visionem) posse peccare: nam & Lucifer, gratiis præditus eximiis, lapsus est.

PRÆTEREA, vt notat D. Bonauent. *ad* 3. gra- 10
tia infunditur ad supplendos defectus naturæ; vnde tunc non esset liberum arbitrium ex natura inflexibile: sed per gratiam, neque vnquam natura est apta suscipere virtutem gratiæ, quæ est altioris ordinis

ordinis, vnde sicut proprietas operis moralis non potest competere naturali operi, vt sit dignum laude, vel vituperatione; ita neque id, quod est intrinsecum gratiæ potest conuenire naturæ: Et hoc nobis iniungit D. August. *lib. 3. contra Maximinum, cap. 12.* & Fulgentius, *lib. de fide ad Petrum, cap. 23.* vbi docent: Si cui creaturæ præstetur, vt peccare non possit, non esse naturæ; sed gratiæ, vt refert etiam Vasquez *num.* 7. Quare corruit illa obiectio, quam non potuit Suarez soluere *n.* 10. illam impeccabilitatem fore connaturalem, etiamsi à gratia sit. Dico enim, fore supra naturam, neque enim natura ad supernaturalia habet proportionem, vt docet D. Bonauent. *hic*.

11 HAS, & alias rationes habet Seraphicus, præcipuè *illâ quæst. dist.* 24. vnde isti Moderni eas didicerunt: ausi tamen pro gratiarum actione dicere, Bonauenturam supponere, non probare: sic loquitur Vasq. *cap.* 2. Suarez *num.* 4. Valentia verò redarguitur: nam rationes Seraphici in omni materia sunt validæ: & quidem *septima* ratio in materia supernaturali, *reliquæ* autem etiam in naturali vrgent.

OBIICIT autem Valentia hoc argumentum, quo ait, ruere omnes rationes oppositas. Peccatum est defectus, quem voluntas liberè admittit. At possit Deus condere creaturam, quæ defectum illum nequeat admittere: ergo. Maior patet. Minor probatur: nam sicuti potest liberè malum admittere, cur non potest natura adeò perfecta à Deo condi, quæ illud non admittat? Confirmatur: nam posset Deus facere talem naturam, quæ esset necessariò determinata ad vtendum Dei auxilio, & operandum.

12 RESPONDETVR, non posse creari naturam rationalem, quæ non sit libera, ob rationes suprà allatas; & consequenter quæ non possit peccare. Quod si crearetur determinata Diuino auxilio supernaturali, iam illud auxiliū non esset connaturale. Profectò nulla creata natura potest esse ipsa regula, nempè ipsa consideratio boni; sicut Deus est sua bonitas, & sua scientia; atque adeò nequit immutabiliter ipsi regulæ conformari, eò quòd consideratio boni in ea potest variari, & sæpè vnum bonum particulare appeti illicitum, & cùm non sit summo bono satiata, potest illud bonum illicitum prosequi.

OBIICIES secundò ex D. August. 11. *de Genes. ad litt. cap.* 7. apud Magistrum *dist.* 44. *cap.* 2. Talem Deus potuit hominem fecisse, qui nec peccare posset, nec vellet.

13 RESPONDETVR, malè adduci: nam ibi solùm dicit, meliorem esse naturam, quæ nolit peccare, quàm eam, quæ non solùm potest, sed etiam vult peccare, vt notat Vasquez *cap.* 5.

OBIICIES tertiò cum Capreolo, & Durando. Non est peccatum, nisi ex errore intellectûs; at Angelus in naturali ordine, non admittit errorem: ergo.

RESPONDET Vasq. ex D. Bonauent. posse Angelum trahi ad aliquam inconsiderantiam, vel inaduertentiam, vnde ingruat vehemens boni vetiti appetitus.

14 Neque potest natura aliqua perfectior dari non libera; si enim omnes naturæ ab homine vsque ad Deum, qui est prima natura, sunt liberæ, & Deus est liber, frustrà confingitur natura supra Angelicam non libera, atque adeò determinata, cùm hæc connexio rationalitatis cum libertate vsque ad Deum perueniat.

Dices. Datur supremum corpus immutabile, puta Empyreum: ergo & spiritus.

RESPONDET D. Bonauent. negando antecedens: nam & Empyreum est mutabile. Secundò negat consequentiam; quia corpus perfectissimum illud adhuc est in genere, vnde mutaretur: at spiritus immutabilis esset Deus. Et licèt dentur corpora, & spiritus, incorruptibilia; tamen nequit dari spiritus impeccabilis, quia debet esse liber, vt dixi.

QVÆSTIO II.

An peccatum primum Luciferi fuerit superbia.

D. Bonan. d. 5. q. 1.
D. Thom. q. 63. art. 4.

PRIMA opinio est Scoti 2. *distinct.* 6. *quæst.* 2. primum Luciferi peccatum fuisse spiritualem luxuriam, seu PHILAVTIAM, quæ est immoderata de seipso complacentia. Eum sequuntur omnes discipuli; qui tamen variè torti in auia abeunt.

Aliqui enim dicunt, Scotum non negasse delectationem illam esse superbiam genericè. Ità Tartaretus ex Bassoli 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 3. 15

Alij fatentur ingenuè, Scotum negasse, primum Luciferi peccatum fuisse superbiam. Ità Licherus 2. *dist.* 2. *quæst.* 2. Faber *disp.* 32. vbi refert idem sensisse Scotum *in Report.* 2. *dist.* 6. *quæst.* 1.

MASTRIVS *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 4. prælibat, Luciferum verè peccasse etiam superbiâ, vt colligitur *Isa.* 14. *Ezech.* 28. *Eccl.* 10. *Iob* 41. quæ loca exponuntur à Patribus de superbia Luciferi, & in hoc omnes, ait, conuenire.

DEINDE refert, conuenire ferè omnes, primum Angeli peccatum fuisse inordinatum sui amorem: nam similitudinem, quam inquiunt Scripturæ eum Deo Luciferum appetiisse, explicant per vanam complacentiam, & delectationem de sua pulchritudine, & perfectione, tanquam propriâ, & non à Deo dependenti, ipsique subordinatâ. Ità ait testari Suarez, *lib.* 7. *c.* *p.* 9. *num.* 11. Lezanam *disp.* 8. *quæst.* 5. qui adducit Vasq. Granadum, Caspensem, Salmaticenses. Ex quo deducit quæstionem esse potiùs de nomine, quod asserit etiam Herrera 2. *disp.* 17. *quæst.* 3. *concl. vlt.* 16

Simpliciter tamen, ait, dicendam *Luxuriam*, & radicaliter solùm esse *superbiam*. Adducit Fabrum *disp.* 32. Vulpem *disp.* 31. *art.* 7. Brancatium *disp.* 10. *quæst.* 2. Poncium *disp.* 15. *quæst.* 3. *conclus.* 6. Bassolium, *loco cit.* Zumellum *quæst.* 63. *art.* 3. *quæst.* 2. Consentiunt Gabriel 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. qui tamen addit, illum eundem amorem inordinatum erga se fuisse superbiam. 17

SENTENTIA tamen, grauiter à cæteris amplexata Theologis, est, primum peccatum Luciferi fuisse SVPERBIAM. Ità Magister *in* 2. *dist.* 6. vbi communiter sententiarij. Ægid. *quæst.* 1. *art.* 3. & *dub.* 1 *litt. de aliis dæmonibus*, Richard. *art.* 1. *quæst.* 1. Argentina *quæst.* 5. *art.* 2. Altisiodor. *lib.* 2. *summa, tract.* 2 *cap.* 2. Albert. 2. *part. tract.* 5. *quæst.* 21. *memb.* 2. Alensis 2. *part. quæst.* 98. *memb.* 2. D. Bonau. *hic*, D. Thom. *hic*, vbi Caietanus, Bannes, Nazarius, cæterique fideliores Thomistæ, *ad art. cit. D. Thom.* Suarez *lib.* 7. *de Angelis, cap.* 9. Vasq. *disp.* 232. Valentia *disp.* 4. *quæst.* 14. *punct.* 3. Molina *quæst.* 63. *art.* 1. *disp.*

disp.vnic.memb.5. Tanner.*disp.5. quæst.6. dub.4.n.2.* Arriaga *disp.24. sect.1.* Granado *tract.13. disp.2, sect.2.* Caspensis *disp.7. sect.4.* adducens Theologos, & Sanctos Patres. Arrubal *disp.178. cap.1.* Auersa *quæst.63. sect.3.* Præposit. *hic, art.3. disp.1.* Morand. *tract.7. quæst.37.* Alarcon. *disp.9. cap.2.* Marcus Baudun.*quæst.57.art.2.* qui tamen, ex more, cum Scoto componit.

18 Commvniter tamen sententiam Scoti reprehendunt Recentiores, vt à Scripturis, & Patribus alienam; tametsi Scotistæ reuelationes, & oracula afferant, præcipuè S. Magdalenam de Pazzis *in quodam raptu, p.3. die quarta*, vbi ait; peccasse Angelos: *Per quel compiacimento disordinato della lor excellenza, senza riferirlo à Dio.* Hæc sanè est superbia.

Addit Mastrius Clementis VIII. dictum, qui dum Seraphicum D. Bonauenturæ Collegium visitaret, eius Alumnos examinaturus; interrogauit Fabrum eiusdem Collegij alumnum: quodnam fuisset primum Luciferi peccatum, qui respondit *Luxuria spiritualis*, ex Scoto *in 2.distinct.6.quæst.2.* & admiratum Papam respondentis promptitudinem, & dogmatis subtilitatem, paterno animo omnes illos Baccalaureos ad sapientiæ studium mirificè cohortatum esse, hoc
19 vnico responso contentum. Id refert ex Ferchio in vita Fabri. Ferchius sanè *in 2.dist.7.* asserit, primum peccatum Luciferi fuisse *Præsumptionem*, quâ quis inordinatè amat se, plusquàm debet. Et probat ex D.Augustino 14.*de ciuit.cap* 27. & hunc ait esse amorem illum assertum à Scoto.

Qvod igitur referunt Clementis VIII. oraculum; non intelligunt, quid Pontificis intenderit, miratus est enim, viros in Collegio à Sixto V. grandi magnificentiâ erecto, & instituto (vbi decreuit, in eo legi tantùm (vt habetur *tom.*1.Opusculorum) Seraphicum Doctorem D. Bonauent. cui ter maximus ille Pontifex ad admirationem fuit diuinctissimus) prouentus absumere, ad alienas Scoti subtilitates auidè sanciendas: Ideò ad sapidam Seraphici Doctoris admonens sapientiam edifcendam, nihil vlteriùs interrogauit, tam molestâ responsione stomachatus.

Assero primò, peccatum primum Luciferi fuisse superbiam.

20 Probatvr à D. Bonauent. primò ex illo Lucæ 10. *Videbam Sathanam, tanquam fulgur, de cælo cadentem.* Hæc verba apponit Christus discipulis ad eorum deprimendam elationem, vt exponunt Glossa, D. Gregorius 23. *Moral. cap.7.* vt vidimus *disp 4 quæst.3.* contra Vasquez. Imò per hunc locum aliqui Patres exponunt illud Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* (de quo infrà:) *Dixisti in cælum conscendam, &c.* Ibi enim Christus leniter carpit elationem discipulorum ex patratis miraculis, vt aduertit D. Chrysostomus *lib. de Virginibus, cap.36.* & *homil.* 33. *in Matth. in fine*; Cyrillus *catech.2.* Hanc expositionem esse magis textui consentaneam testantur Toler. *ibi*, Suarez *lib.7. cap.8. à num.12.*

21 Qvamvis verò dem Theophylacto, *ibi*, & Isaiæ Abbati, *oratione 16. ad fratres, tom.2. Bibl.* discipulos elatione non elapsos, cum hoc ex Euangelio non afferatur; imò gauisi dicantur, in Christi nomine dæmones sibi subiectos, quod sanè non do; nam Euangelium indicat, Christum intimam eorum euaporationem perscrutatum, dum ait: *In hoc nolite gaudere*, tamen quid obstat, periculum superbiæ voluisse amouere? Sic enim Patres exponunt. quare hoc testimonio, ad rem, vtuntur Suarez, Valentia, Tannerus.

Probatvr secundò à S. Doct. ex 10. Ecclesiastici. *Initium omnis peccati est superbia.* Cui affinis est locus Tobiæ 9. *In superbia initium sumpsit omnis perditio.* Sic exponitur à D. August. 12. *de ciuit.cap.6.* & *lib.14. cap.13.* & *lib.11. de Genes. ad litt. cap.14. & 15.* Ambrosio *lib.4. epist.33.* & *in Psal.118. Octon.* circa id: *Superbi iniquè agebant vsquequaque.* Fulgentio *lib.1. ad Monim. cap.7.* Chrysostomo *in cap.1. Ioan. homil.15.* & Vrbano Papa IV. *Metaphrasi in Psal.50.* 22

Vbi aduerte, aliquos ex his Patribus includere etiam peccatum Adæ; attamen & de peccato diaboli loqui, Patres obseruant; ait enim: *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati superbia.* Reddit igitur causam peccati hominis, nempè primam superbiam Luciferi.

Respondet Mastrius, primum peccatum, idest principale Luciferi, fuisse superbiam; sed Scriptura dicit (*Initium,*) quod significat primum numero.

Respondet secundò cum Scoto, ibi agi de peccatis hominum, & asseri, superbiam Luciferi fuisse initium omnis peccati hominum.

Sed iam ostendi, vniuersalem perditionem, etiam dæmonum, superbiæ adscribi.

Respondet tertiò, primum peccatum fuisse superbiam præsumptionis, qua quis plus se amat, quàm ordinatè amare deberet, quam definit S.Augustinus 14.de ciuit. cap.13. *Esse nimis sibi placere.* Ex hac verò oriri ambitionem peruersæ celsitudinis, & hæc oritur à prima: dum enim quis se plus amat, quàm decet, appetit sibi, & concupiscit inordinatam celsitudinem.

At Præsumptio est nimis sibi arrogare, quam re vera habeat, vt aduertit Arriaga; id autem est formalis superbia, quod frustrà negat Mastrius; & non probat ex Augustino suam negationem, qui ibi solùm describit præsumptionis causam Ecclesiaste 6. dicitur: *Desiderare quod nescias, est præsumptio.* Vbi LXX. *Aspectus oculorum super ambulantem omnia; Hoc vanitas, & præsumptio spiritus.* Hæc sanè est superbiæ species. 23

Ecclesiastici 18. vbi explicuit breuitatem, ac fragilitatem humanæ vitæ, addit: *Vidit præsumptionem cordis eorum*, quasi dicat: homo iam vilis tanta præsumit.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *hic, arg.7. addito responso, & fundamento primo, quæstionis sequentis*, ex illo Isaiæ 14. *Quomodò cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Dixisti: in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Vbi primum Luciferi peccatum arguitur, vt Patres exponunt. Sic Origenes *lib.1.Periarch.cap.5.* & *lib.2.cap.4.* vult de solo Angelo intelligi, vt refert Leo Castrensis, qui & alios Patres sentire idipsum aduertit.

Alij Patres de Lucifero Angelo ad litteram intelligunt. Tertullianus *lib.5.* contra Marcionem *cap.11. & 17.* Athan.*quæst.6. ad Antioc.* Ambrosius in Psal. 118. *Octon. 3. Increpasti superbos*, & *Octon.16. Suscipe seruum tuum in bonum.* Et *in cap.11. ad Rom.* & in expositione Symboli *cap.13.* Euseb. *lib.7. de præpar. cap.6.* & *lib.4. de Demonstr. cap.9.* Prosper *in dimid.temp.cap.1. & 2.* Cyprianus *epist.55.* aliàs *lib.1. epist.3.* Chrysostom. *homil. de Adam, & Eua*, & *homil.49. in Matth. Imperf.* 24
Nazian

Nazianzenus *oratione* 42. vt exponit Nicetas, Gregorius *in Pastoral.* 2. *part. cap.* 6. & *lib* 4. *epistolarum*, *cap.* 28. aliàs *epist.* 38. & *lib.* 13. *Moral. cap.* 18. aliàs 23. Epiphan. seu Proclus apud ipsum, *heres* 64. Rupert. *lib.* 8. *in Ioan. in fine.* Andreas Cæsar. *in Apoc. suo, cap.* 24. Isidor. *lib. de natura rerum, cap.* 26. Bernardus *serm. de D. Benedicto*, & *serm.* 2. *in octaua Pascha.*

25 Tertiò alij Patres id quidem de Rege Babel intelligunt principaliter, quod non negat S. Bonau. *in Bibl. pauperum, cap.* 53. attamen etiam de Angelo intelligunt mysticè, imò & litteraliter cum Seraphico *hic.* Potest enim vnus Scripturæ locus plures habere sensus litterales, vt ostendi *tract.* 1. *disput.* 2. *quæst.* 8. Ità Hieronymus, & Cyrillus *ibi*, Augustinus *lib.* 3. *de doctrina Christiana*, *cap.* 37. & 11. *de Genes. ad litt. cap.* 24. & *lib.* 11. *de ciuit. cap.* 15. Basilius, & Haymo *ibi*. Hos, & alios Patres referunt Leo Cast. *ad* 14. *Isaiæ.* Suarez *lib.* 7. *de Angel. cap.* 8. Valentia, *loco cit.* Ascanius mox adducendus, Tannerus, Morandus, & alij.

Hinc leuiter Vasquez dicit, ex hoc textu nil colligi: nam tot Patrum authoritas præualet, qui in sensu litterali sic exponunt. Sensus quoque mysticus, cùm sit per parabolam, seu similitudinem, vrget. Ridiculè autem Vasquez ait, Adamum eruditè obseruasse contra Hieronymum; non benè colligi similitudinem ex eo, quod ibi dicitur: *Sumes parabolam istam*, quia parabola sæpè fabulam, vel sermonem irrisorium significat. At fabella est sanè Vasquez responsio irrisoria, quæ à Patribus ridetur. Innumeri verò Patres afferuntur à Modernis pro nostra sententia, & quidem Ascanius Martinengus *in sua* verè *magna Glossa*, vnum supra triginta Patres recenset, *tom.* 1. *à fol.* 450.

26 Ignatium *epist. ad Philip.* Martialem *epist. ad Burdegal.* Methodium Patharensem Episcopum, & Martyrem *lib. de his, quæ ab initio mundi.* Andream Episcop. Cæsareæ Capad. *in Apocal. serm.* 12. Nazianzenum *de pace, oratione prima*, & *oratione panegyrica in Christi natalia*: & *oratione in Sanctum Baptisma*, quæ est quadragesima. Gregorium Magnum *homil.* 34. *in Euang.* D. Patherium exponentem eundem Gregorium Magn. *in primum Regum*, *lib.* 3. & *lib.* 29. *in Iob*, *cap.* 6. Chrysostom. *homil.* 4. *in Matth. in opere imperfecto*, & *homil.* 60. *ex variis in Matth. locis*, & *homil.* 15. *in primum Ioan.* Ambros. *in psal.* 118. *serm.* 7. Athanas. *quæst.* 6. *ad Antioc.* Theodoretum *lib.* 5. *Decretorum diu.* Damascenum *lib.* 2. *cap.* 4. Augustinum *de Genes. ad litt. lib.* 11. *cap.* 14. & 15. Leonem Magn. *serm.* 4. *de collectis*, Hieronymum *Comment. in Iob*,
27 *cap.* 40. Claudianum Mamertem Episcop. Vien. *de statu animæ, lib.* 3. Cassian. *collat.* 8. *cap.* 10. & *cap.* 25. Nilum *tract. de octo vitiosis cogitationibus*, *cap. de superbia.* Prosperum *lib.* 1. *de vita contemplatiua*, *cap.* 3. Anastasium Nicænum *quæst.* 61. *in Scripturam.* Fulgentium *lib.* 1. *ad Monimum.* Isidorum *lib.* 2. *de summo bono*, *cap.* 12. Sedulium *in quodam hymno.* Antonium Abbatem *epist.* 2. *ad Arsenoitas*, Nouatum Catholicum *homil. de calcanda superbia.* Vrbanum IV. Papam *in psal.* 50. Hugonem Victorinum *summa sent. tract.* 2. *cap.* 4. Innocentium III. *de contemptu mundi, lib.* 2. Thomam Kempis 2. *part. sermonum ad Nouitios*, *serm.* 10. Albertum Magn. *p. p. de quatuor coæuis, art.* 4. D. Thomam *in* 2. *dist.* 5. *quæst.* 3. & D. Bonau. *hic.*

Ex quibus omnibus Scotum grauiter coarguunt, Bannes, Valentia, Molina, Granad. Arrubal, Auersa, & alij.

Respondet Faber *num.* 21. Mastrius *num.* 78. Patres, & Scripturas velle, peccatum Luciferi principale, & summum, fuisse *superbiam*; primum verò, *amorem sui.* 28

Contra, quia amor ille à D. ipso Augustino 14. *de ciuit. cap.* 13. Gregorio suprà, dicitur propriè Superbia, qui stat in præsumendo de propria excellentia æquo nimium, & altiora appetendo, vt notat D. Bonauent. *hic*, & 2. *p. Breuil. cap.* 7. Suarez *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 25. Verè quidem amor est primus partus voluntatis, vt fatetur D. Bonau. *ad* 1. Tamen ille Luciferi non est Luxuria spiritualis, sed præsumptio, vt notat Seraphicus *ad* 4. ex D. Augustino *lib.* 14. *de ciuit. cap.* 17. quo solo Doctore frustrà nituntur Scotistæ. Ideò 11. *Genes. ad litt. cap.* 15. turgidum esse spiritum, ait: Neque effugiant Scotistæ dicendo, esse superbiam; sed latè, & impropriè, nisi velint Sanctos Patres, qui illud crimen superbiam vocant, impropriè locutos, quod sanè eruditissimos rerum moralium tractatores non decet. Neque trahat Mastrius præsumptionem ad Luxuriam, nisi velit omnia, susdeque vertere. Neque dicat, significati primum peccatum hominis fuisse inductum à superbia dæmonis: hoc enim est inuidiæ adscriptum: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem*, Sap. 2.

Probatvr quintò à D. Bonauent. *Quidquid est culpa in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* 1. Ioan. 2. Sed in Angelo non potest esse concupiscentia carnis, aut oculorum: ergo est superbia vitæ. 29

Probatvr sextò à S. Doct. è septem peccatis mortalibus, duo sunt carnalia. Luxuria, & Gula; vnum medium, idest Auaritia; & quatuor spiritualia. Superbia, Inuidia, Ira. Accedia; sed in his tribus postremis generibus, primus actus eorum est *nolle*, cùm sit odium illius rei; primus autem actus non est *nolle*, sed *velle*; quia omne odium causatur ab amore, veluti primogenito voluntaris: ergo odium inordinatum oritur ex amore inordinato: ergo ante tria genera oportet aliquod peccatum spirituale præcedere in diabolo; hoc autem aliud non restat, quàm superbia: ergo. Probatur subsumptum, quia primus actus diaboli non fuit aliquod *nolle*, sed aliquod *velle*; hoc autem cùm non possit esse circa materiam aliorum capitalium; sequitur, fuisse circa materiam superbiæ; & ideò potuisse irasci, inuidere, torpere, &c.

Respondent Scotistæ, dari aliud initium capitale, quod est amor sui; vnde diuisionem aiunt insufficientem. At vidimus, appetitum illum, & amorem ad superbiam pertinere. Profectò ille amor inordinatus proprius est fons vniuersalis omnium peccatorum, vt ait Ioannes de S. Thoma, atque adeò sic in omni peccato interueniet Luxuria, quia interuenit motiuum amoris inordinati. 30

Respondet Mastrius; in amore inordinato Angeli interuenire, non vt motiuum, sicut in aliis; sed vt rationem formalem ad specificandum talem actum, tendit enim talis actus in propriam excellentiam, vt sibi delectabilem. At quis non videt, hanc esse superbiam? Probatur: nam, vt ait Mastrius, ratio formalis superbiæ est delectatio propriæ excellentiæ, & sanè in natura spirituali nihil erat, quod posset magis mouere, quàm talis appetitus, vt aduertunt Tanner. & Morandus; nec potuit esse nuda delectatio in propria obtenta excellentia; sed debuit, illa bona appetere sub ali-

qua ratione maioris perfectionis, puta inamissibilitatis, independentiæ, aut similis, vt monet Suarez; hæc autem est propriissima superbia, vt ait D.August. 14. de ciuit. cap.13. eam definiens: *Est peruersæ celsitudinis ambitio.*

31 PROBATVR septimò à D.Bonauent. *vltimo fundamento.* Nunquam peruertitur affectus, nisi peruertatur iudicium, & nunquam peruertitur iudicium in his, quæ sunt de necessitate salutis, nisi sit aliqua in Ratione excæcatio. Ergo excæcatio rationis præcedit omnem appetitum; sed excæcatio non potest esse, nisi præcesserit peccatum, & non potuit præcedere peccatum appetitus; ergo præcessit peccatum præsumptionis; sed hæc est superbia; ergo.

32 Hoc argumentum multa supponit; multaque etiam opponit. Primò quidem nunquam voluntatem deficere, nisi præcedat aliquis defectus in intellectu saltem negatiuus inaduertentiæ: de quo agendum *prima secunda, tract.3.* qui *de Peccato, disp.3.quæst.6.* Interim probabile est, Luciferum ex aliqua inconsideratione bonorum, quæ perderet, & malorum, quæ subiturus erat, deliquisse, vt notat Mastrius *disp.3. quæst.2. num.43.* & communiter Scotistæ. Neque enim credibile est, Luciferum, tam profundâ consideratâ ruinâ, voluisse peccare. Id probat Suarez *lib.7. cap.5.* illo Ezech.28. *Eleuatum est cor tuum, perdidisti sapientiam*; sed hoc potiùs ostendit contrarium, perdidisse sapientiam in pœnam elationis; sicut & Adam ex peccato excæcatus est.

33 PROBATVR octauò à D. Bonauent. *in corpore.* Certum est è Scriptura, & Patribus, peccatum Luciferi, & asseclarum in via, fuisse superbiæ; sed non fuere plura peccata; imò post primum peccatum fuit ruina irreparabilis: ergo primum fuit superbiæ. Minor probatur à S. Doct. quia non minùs simplex est Angeli voluntas, quàm intellectus; sed intellectus non potest plura præclarè cognoscere: ergo nec voluntas de pluribus solidè deliberare. Sed peccatum Angeli fuit maximæ deliberationis; proptereà enim Scriptura, & Patres exaggerant illius malitiam, & pœnitentia omninò indignissimum clamitant. Video Scripturas etiam maximam in eo sapientiam exclamare, vt dicatur: *Cherub extentus plenus sapientia*, vt ex maxima lapsus malitia conuincatur, *Ezech.28.* vbi etiam dicitur: *In multitudine negotiationis tuæ, repleta sunt interiora tua iniquitate; & peccasti, &c.* Et Isa.14. dicitur: *Lucifer, qui mane oriebaris.* Quibus non aliqua ordinaria inaduertentia probatur, vt putat Suarez *lib.7. cap.7.* esto aliquam admittere cogar cum Seraphico Doctore.

Faber *in eodem* dicit, plura fuisse peccata Luciferi. At, si res ità se habet, plura instantia sunt numeranda, quàm, quæ ponit in via Angelorum.

34 PROBATVR nonò à S. Doct. *2.p. Breuil. cap.7.* Peccatum Luciferi fuit, constituendo sibi summum bonum, quod non erat tale, ambiuit enim summum sibi commodum, vt toties refricat Scotus, & Asseclæ. Tunc sic: Angelus constituit sibi summum bonum in re, quam non possidebat: ergo ambiuit, atque præsumpsit; ac proinde præsumptione deliquit, & ambitione.

ASSERO secundò, peccatum primum Luciferi non fuit Luxuria spiritualis. Patet ex dictis.

35 PROBATVR à Caietano ex D. Bonauent. *dist.5. art.2. quæst.1 fundam.3.* si ille primus actus esset Luxuria, maximè quia delectatus est primò in seipso; sed hoc est falsum: ergo. Maior est fundamentum Scoti. Minor probatur, quia appetitus delectabilis reducitur ad illam spem peccati, ad quam spectat obiectum; & sic delectatio cibi non est Luxuria; sed Gula. Luxuria verò stat in delectatione carnis; sed hæc fuit delectatio propriæ præcellentiæ inordinata. Ergo spectat ad illud peccatum, ad quod spectat inordinatus ambitus præcellentiæ, sed hic est vera superbia: ergo. Quod enim ait Scotus, delectari in aliqua demonstratione Geometrica, esse Lasciuiam, extra chorum est; sic enim & delectatio in quouis malo proximi esset Luxuria, cùm tamen sit Inuidia.

Respondent Scotus, & asseclæ, delectationem illam esse spiritualem, quæ potest dici Luxuria; sicut delectatio corporea, speciali modo dicitur libidinosa.

ENIM verò, quis vnquam dixit, delectationem speciali modo essentialiter dici Luxuriam? Dicitur enim delectatio illa speciali modo, quia est magis sensibilis, cùm sit obiectum tactus, quia est maximè materialis. Vnde elicitur contrarium, quòd, cùm illa delectatio Luciferi fuerit spiritualissima, non potest dici Luxuria. 36

PROBATVR secundò à Seraphico, *fundam.3. suprà adducto, quæst.1.art.2.dist.5.* & *hîc, in corpore.* Delectatio recurua, seu reflexa, quæ à se incipit, & ad se reuertitur, nec refertur ad aliud in ratione dominij, sed in propria excellentia sistit inordinatè, est superbia propriè, non communi modo; sed talis fuit delectatio Luciferi: ergo. Maior probatur ex D. Gregorio 23. *Moral.cap.4.* aliàs 7. nam inter modos superbiæ proprios, primo loco numerat præsumptionem, quæ contingit, cùm quis existimat, bonum, quod habet, à se habere; & in eo sic apprehenso gaudet: at hic non est relatio excellentiæ ad alios: ergo. Sic & Moderni argumentantur.

RESPONDET Faber *num. 20.* hoc peccatum includere relationem priuatiuam, quia existimat, se habere illud bonum, non ab alio, cùm possit habere à se. 37

At cùm ea fuerit præsumptio, ex D. Augustino suprà, non vult dicere, ipsum bonum asseri non acceptum à Deo (hoc enim Angeli sciebant,) sed immoderatè delectari in eo, tanquam si illud non esset à principio alio, nec ad finem vltimum, & hoc modo Angelus præsumpsit, vt ostendit Seraphicus *2.p.Breuil.cap.7.* Et hoc est, non referri intellectu; alioqui præsumptio semper esset ex errore.

OBIICIES primò cum Scoto. D. Augustinus 14. *de ciuit. cap. vlt.* ait: *Duo amores fecerunt duas ciuitates. Amor Dei vsque ad contemptum sui fecit ciuitatem Dei: amor sui vsque ad contemptum Dei fecit ciuitatem Diaboli*: amor verò sui est Luxuria.

Respondet D. Bonauent. *dist.5. art.2. quæst.1. fundam.3.* non omnem amorem immoderatum esse Luxuriam, sed illum, qui est ex libidinoso obiecto, idest tactu: at amor immoderatus propriæ excellentiæ est superbia. Talis fuit amor diaboli, quem S. Augustinus *cap.17.* vocat Præsumptionem. 38

RESPONDET secundò S. Doct. *Proœmio in Ecclesiasten*, quòd sicuti charitas ædificauit supernam Hierusalem; sic amor immoderatus per auersionem à Deo fecit ciuitatem diaboli: Speciali ergo modo magis denominanda est malitia ab auersione à Deo, quæ est principale peccati in genere, quàm à conuersione ad se; & si ab hac specificantur peccata, debet sumi ab eo bono, quod nobis

nobis volumus: nam amare, est velle bonum, ex Aristotele 2. *Rhet. cap.* 4. Itaque, si bonum illud sit spectans ad obiectum superbiæ, erit superbia. Talis fuit amor Angeli, qui circa propriam excellentiam, saltem essentialem, non potest separari ab amore ipso amicitiæ, vt fatetur Faber *num.* 15. hic autem fuit Præsumptio ex D. Augustino.

39 CONFIRMATVR responsio; nam, si amor iste est speciale peccatum, vt vult Scotus, apud Fabrum *num.* 18. debet habere obiectum speciale; nam immoderatus amor sui, provt opponitur charitati, quæ est dilectio Dei super omnia, est in eodem genere, ac immoderatus amor aliarum creaturarum supra Deum; cuius signum est, quod opponitur amori Dei; vnum autem non opponitur pluribus, vt clamant Philosophi; cur ergo amor sui erit Luxuria; & amor cibi erit Gula?

40 Confirmatur secundò responsio: nam sicuti lapides, è quibus ædificata est superna Hierusalem, sunt merita charitatis, à qua ratio essentialis meriti mensuratur in præmio: ità & lapides, quibus struitur inferna Babel, sunt demerita: At verò quis dicet, solam Luxuriam in inferno puniri? Profectò & homicidæ, & raptores, & infideles ibi pyram struunt gehennæ, puniti pœnis sensus, & damni. Cur ergo dicuntur à Scoto soli Luxuriosi ædificatores illius Babylonis?

Quòd si fundamentum dicatur amor immoderatus; certè est, quia opponitur amori debito suo Principio, & Fini, à quo auertit, qui amor non est speciale crimen Luxuriæ; alioqui, si hic amor immoderatus est speciale peccatum, tale erit & amor aliarum creaturarum; atque ideò semper erunt duo specialia peccata; alterum amoris immoderati: alterum eius, cuius obiectum appetitur, puta Superbiæ, Auaritiæ, &c.

41 OBIICIES secundò cum Scoto. Amor amicitiæ est priùs amore concupiscentiæ. Ergo Angelus priùs amauit se inordinatè; & posteà amore concupiscentiæ appetiit sibi aliquid.

Hic liber suspicere admirandum Seraphici ingenium, qui & argumentum hoc Scoto commodauit, & responsum addidit, quo solueretur à nobis: sic enim arguit dist. 5. art. 2. quæst. 1. fundam. 3. *Amor libidinosus incipit ab ipso amante, immoderatè dilecto affectu amicitiæ, & egreditur ad concupiscendum sibi aliquid, & sic recurnatur ad se, & sic est vnum peccatum. Itaque, si concupiscit sibi gloriam, fit*
42 *superbus. Talis fuit amor Angeli. Itaque vno actu amoris dilexit se, & sibi dilexit excellentiam, qua conficit peccatum superbiæ: At esto essent duo actus; tamen amor sui in genere non constituit speciale peccatum, sed reducitur ad illam speciem criminis, in cuius obiecto clauditur res desiderata, vt dixi. Est enim veluti linea eadem egressa à puncto, & ad idem punctum recuruata.* En argumentum à Scoto arreptum, sed mutilum; quod verò tacuit Scotus, desumpsere omnes nostræ sententiæ Theologi ad argumentum Scoti soluendum, & pro nobis constituendum.

FABER dicit, esse amorem innominatum. Est sanè genericus amor inclusus; sed cur in specie Luxuriæ à te collocatur?

Libet ex dictis eruere, falsò negare Fabrum, nos admittere diuisionem amoris in Concupiscentiam, & Amicitiam, quam docet S. Doct. 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. & *dist.* 5. *loco cit.* & sæpiùs, vt ostendam *prima secunda*, *disp.* 18.

43 Instant Lichetus, Mastrius, & alij Scotistæ. Amor hic fuit nimia complacentia propriæ excel-

lentiæ, quæ apud Calepinum dicitur *Luxuria*; non autem amor propriæ excellentiæ comparatiuè ad alios, quæ est propriè superbia: nam superbire, est super alios ambire.

AT si immoderantia omnis ad speciem Luxuriæ referatur, confundetur auaritia, in qua immoderatæ cupiuntur diuitiæ, cum Luxuria, in qua venereæ sunt oblectationes; & sic de omnibus. Si autem velit Scotus generali vocabulo exprimere amorem illum immoderatum, non est specie contractus, nisi ad obiectum speciale contrahatur; & hoc, in casu nostro, est superbiæ, quæ non est in solo ambitu comparatiuo super alios; sed super seipsum etiam, idest supra id, quod aliquis est, vel debet, se æstimare, atque præsumere, vt omnes fatentur: & de præsumptione id docet D. Gregor. 23. *Moral. cap.* 4. & notat Vasq. *cap.* 2. & patet: Nam Præsumptio, & Arrogantia opponuntur Humilitati.

Quòd si Mastrio placet, Luxuriam vocare, provt ad generalem immoderantiam reuocatur, sic & vites luxuriantur, vt ipse docet *num.* 68. Cur igitur non dicunt, esse generalem Luxuriam, & volunt esse generaliter Superbiam; & specialiter Luxuriam? 44

Instat; actus Amoris Concupiscentiæ, & Amicitiæ inter se quidem esse connexos, sed amor amicitiæ est finis (*cui*) amor concupiscentiæ est finis (*cuius*) & effectus, ex Aristot. 3. *Eth. cap.* 6. Ità, vt stet aliquando amor amicitiæ solâ beneuolentiâ absque eo, quod illi velim aliud bonum, vt concedit Arriaga *disp.* 27. *sect.* 1.

Contra: quia *amare, est velle bonum*, ex Aristot. 2. *Rhetor. cap.* 4. atque adeò vterque respectus includitur formaliter, cùm in definitione includatur. Profectò amatur semper aliquid illi, vt si delectetur in esse, seu in bonis, vult illud esse, ea bona habere. 45

DIXI verò, etiam dato, eos actus esse distinctos, adhuc actus inchoare peccatum in secundo, scilicet in amando sibi inordinatè aliquid: nam quando obiectum est bonum, non vitiatur amor ex eo solùm, quòd intensior sit; nam intensio non potest dare primò malitiam, sed tantùm augere præcedentem, atque adeò non peccauit Angelus, ex eo, quòd amore amicitiæ seipsum amarit, vt aduertunt Caietanus, Suarez, Vasquez, Arriaga, & alij.

RESPONDET Mastrius, illum amorem amicitiæ fuisse malum, quia nimius, ex maiori appretiatione sistendo in eo, vt vltimo fine. 46

AT talis amor non est vitiosus ex amicitia; sed quia sibi vult bonitatem, quam non habet, infinitam vltimi finis; & sic in omnibus casibus; & ità amor concupiscentiæ est ille, in quo incipit malitia. Talis est etiam, si se amet, vt propterea velit potiùs Deum offendere, quàm suum linquere commodum, vt aduertit Arriaga. Et sic in aliis, vt latè discurrit Suarez *à num.* 20. Quare suam illam *Philautiam* reponant, quæ describitur à Maxim. de charitate, cent. 5. 56. *Amor sui, rationi non consentaneus.* Vnde *Philautus* dicitur nimium sibi placens. Hic profectò est amor Luxuriosus vniuersalis ad omnia vitia.

Q 2 QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Quid Lucifer, & eius Asseclæ concupierint.

D.Bonau.d.5.art.1.q.1.& 2. & art.2.q.1.
D.Thom.quæst.63.art.3.

MASTRIVS *in fine disputationis agitatæ, quæst. præcedenti*; ait, nihil ferè certi hac de re haberi; sed coniecturis procedi, atque adeò quæstionem omittit.

PRIMA opinio est, Angelum appetiisse cum Deo æqualitatem. Id docet Maior 2.*dist.*6.*quæst.*1. & fauet Nazianzenus, oratione 27. carm.6.

Dum Deus esse cupit, tetra caligine totus obrutus est.

Hanc opinionem præmisi, quia sub hac est grauis controuersia non modò de facto; sed de possibili.

47 PLVRIMI enim negant, potuisse Angelum appetere Deitatem. Ità D. Thom. *p.p. quæst.*63. *art.*3. vbi Caietanus, Bannes, Serra, Nazarius, & cæteri Thomistæ. Et idem D. Angelicus *q.*16. *de malo, art.*3. Alens. 2.*part.quæst.*98.*memb.*3. Guilielm. 1.*partis* 2.*part. de vniuerso, cap.*109. Albert. *in* 2. *distinct.* 5. *art.*3. D. Bonauent. *art.*1. *quæst.*2. Ægid.*quæst.*1.*art.*2. Heruæus *quæst.*1.*art.*3.Durand. *quæst.*1. Marsil.*in* 2.*quæst.*5.*art.*2. Capreol. 2. *dist.*4. *quæst.*1.*art.*1 *&* 3. Ferrar. 3.*cont.Gent.cap.*109. Lezana *tract.*6.*disp.*8. *quæst.*5. Malon. 2.*dist.*6. *disp.*5. idem significat Valentia *quæst.*14. *p.*3.

48 E regione, potuisse Angelum simplici saltem complacentia, vel etiam voluntate efficaci, conditionatâ tamen, appetere Deitatem, docuere Maior suprà, Gabr. *in* 2. *distinct.* 6. *quæst.*1. *art.*3. *dub.*2. Scotus *in* 2. *distinct.* 6. *quæst.*1. Bassolis, Lichetus, & Tartaretus *ibi*, Faber 2. *disput.*31.Poncius *disp.*15.*quæst.*3. Brancas.*disp.*10.*quæst.*3.Vulpes *disp.*21.*art.*9. Mastrius *disp.*3.*quæst.*3. Suarez *lib.*7. *de Angel.cap.*12. Vasquez *disp.*234. Molina *q.*63. *disp. vnic. memb.*3. Becanus *cap.*4. *quæst.*5. Amicus *disp.*10. *sect.*5. Alarcon.*tract.*6.*disp.*9.*cap.*2.Arriaga *disp.*14.*sect.*4. Tanner. *disp.*5.*quæst.*6.*dub.*4. Imò id certum apud omnes iam asserunt Præposit. *hic, art.*3. *dub.*1. Morandus *tract.*7. *quæst.*37. Auersam referens *quæst.*63.*sect.*3. Mareus noster *q.*57. *art.*3. Caspens. infrà citandus.

Ex his tamen omnes ferè negant, de facto sic peccasse Luciferum. Ità Scotus, Bassolis, Lichettus, aliique Scotistæ *suprà*. Gabr. *loco cit.* quos imitantur Vasq. Valentia, Tannerus.

49 Alij verò Diuinitatem sub aliqua ratione, & forsan in natura, à Lucifero ambitam asserunt, præter Maiorem, Morandus *num.*774. referens Scotum, Gabrielem, Bassolim, Molinam, Valentiam, Gamachæum, imò & multos SS.Patres, Gregorium Nazianzenum *carm.* 6. Gregorium Magn. 4. *epist.*38. Ambros. *in Psal.*118. Alios referunt etiam Præposit. *disp.*5. Arriaga *sect.*4. sed nullus dicit, Luciferum appetiisse esse substantialiter naturâ Deum, sed solùm in aliqua similitudine, de quâ infrà. Solus Nazianzenus, Poëticè locutus, tantillum dilatatur. E Scholasticis multos non rectè allegat, vt suprà dixi, eos referendo.

50 SECVNDA sententia est, primum Luciferi peccatum fuisse immoderatam complacentiam suæ beatitudinis naturalis. Ità probabile existimat D. Thom. *loco citato*, vbi Caietanus, & Bannes, & 3. *contra Gentes, cap.*109. vbi Ferrar. Capreolus verò *in* 2. *distinct.*4. *quæst.*1. *art.*3. *ad argumenta*, contra primam, & secundam conclusionem, Marsil. *quæst.*2.*art.*2. & *quæst.*5. *art.*1. Holcot. *quæst.*3. & *in* 2. *quæst.*5. Heruæus *quæst.*1. *art.*3. Richard. *art.*1. *quæst.*1. *&* 2. Bassolis *quæst.*1.*art.*2. Refertur à Suarez etiam Scotus *locis adductis quæstione præcedenti*, vbi vult, primum actum culpabilem Luciferi fuisse delectationem de seipso. Certum est autem, quod illo amore amauit quicquid ad naturæ complementum faciens possidebat; inter hæc verò fuit beatitudo naturalis: nam bonum illud ponit Scotus concupitum in secundo actu, & peccato, vt aduertit Faber *disput.* 33. *initio*. Aliâ verò ratione suprà indicatâ, potest in hac sententia includi Scotus, quatenus beatitudo naturalis videtur de complemento substantiali naturæ Angelicæ; At verò amor amicitiæ fertur eodem actu in amicum, & in bonum substantiale eius. Sic enim Faber *disput.*32. *numero* 15. expedit se ab authoritate Aristotelis 2. *Rhetor. cap.*4. vbi ait, *amare aliquem, est velle ei bonum.* Quamvis enim beatitudo naturalis perfectè compleatur in actibus accidentariis contemplationis, & amoris, quibus vnitur suo fini naturali; tamen beatitudo substantialis completur etiam in illa perfectione potentiarum, cum illa habilitate ad vnionem, & in illis etiam actibus.

DICES, sic dæmones nunc adhuc essent beati, 51
beatitudine naturali.

RESPONDETVR, voluntatem, etiam quoad potentiam, esse deprauatam odio formali Dei, & habituali auersione.

TERTIA sententia est, Angelos peccasse immoderato appetitu beatitudinis supernaturalis. Sic probabile putant D. Thom. Heruæus, Ægid. Richardus, & Bassolis, suprà adducti, qui tamen probabile censent, appetiisse etiam beatitudinem naturalem. Hanc verò sententiam præcisè sustinent D. Bonauent. *loco citato*, quem sequuntur Scotus *in* 2. *distinct.*4. *quæst.*2. vbi Faber *disput.*33. Albert. *in* 2.*distinct.*5. *art.*3. Durandus *quæst.*1. Argent. *disp.*6. *quæst.*1.*art.*1.Maior *quæst.*2. (quamvis id ignotum esse concludat.) Idem sentiunt dicentes, Angelos malos voluisse beatitudinem sine meritis. Ità Alens. 2.*p. quæst.*98. *memb.*3. Altisiodor. *lib.*2. *summæ, tract.*1. *cap.*2, Marsil. *in* 2. *quæst.*5. *art.*2. *concl* 6. Idque S.Bonau. *dist.*5. *art.*2. *quæst.*1. clarè asserit.

Ex his aliqui dicunt, ideò Angelos excessisse, 52
quia appetière excellentiam beatitudinis, non considerand, eam auxiliis Dei esse consequendam, cùm tamen id tenerentur considerari. Ità Altisiodorensis, Heruæus, Durandus, Argent. Holcot. Marsil. Maior. Ferrar. *suprà*, & Caietanus *quæst.*64. *art.*2.

Alij dixère, in hoc excessisse, quia amauère beatitudinem, vt vltimum finem, & Deum amore concupiscentiæ. Adducitur à Vasquez *disp.*235. *cap.*2. etiam Scotus *disp.*6. *quæst.*2. at Faber *num.* 6. allegat Scotum cum dicentibus peccasse Angelum appetendo beatitudinem; sed viribus naturæ. Est sententia Suarez *lib.*7.*cap.*11.*num.*22.

Alij dixère, appetiisse Luciferum beatitudinem propriis viribus. Ità Vasq. *cap.*3. referens Alensem, Albertum, Seraphicum, D.Thomam, Ægidium, & Bassolium *supra*.

Addit

53 Addit Vasquez, non explicasse Bonauenturam: Vtrum Lucifer voluerit beatitudinem sine meritis expresse: An verò interpretatiuè, solùm volendo beatitudinem inconsideratè ad merita necessaria, quæ tenebatur ponderare. Tandem ait, Angelum, in sententia Bonauenturæ *dist.7. p.p. art.1.quæst.2.* appetiisse beatitudinem ex errore. Cùm eo adducitur D. Thom. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3. & Ægidius.

At non video, qua ratione è Seraphico id deducat; nam id solùm, ait: *Diabolus ad id, quod appetiit, habet pronitatem etiam nunc; sed differenti modo, quàm prius: prius enim appetiit cum proposito obtinendi, vnde ait: Ponam sedem meam ad Aquilonem, nunc appetiit quantum in se est.* Atque id etiam falsum est, D. Bonauenturam asserere peccasse primò Luciferum ex errore; asserit quidem *dist.5. quæst.1. fundam.* 5. excæcatam Angeli mentem præsumptione, vt infrà dicam (& hoc agnouit etiam Suarez *lib.7.cap.11. num.5.* At S.Doctor solùm ait, Luciferum appetiisse immoderatè beatitudinem.

54 Quarta sententia est, Luciferum appetiisse aliis Angelis præesse; alios verò cum eo non subesse Diuino ministerio. Ità Alensis 2.*p.quæst.98. memb.3.* tamen excludit alios modos. Imò & D. Bonau. *loco cit.* & *art.2. quæst.1.* vult, omnes appetiisse beatitudinem supernaturalem; sed Luciferum in hoc, & in non ministrando, aliis præeminere voluisse. Vnde patet ad id, quod quærit Suarez *lib.7. cap.14. num.5.* quæ fuerit hæc præcellentia à Lucifero concupita? Hanc sententiam sequitur Scotus *dist.5.quæst.2.* & Scotistæ, Lyra, Burgensis & Turingius *ad* 14 *Isaiæ*, Valentia *disp.4. q.14. puncto* 3. Volunt aliqui eum prætendisse eximi à Dei regimine. Ità Guilielmus Parisiensis *lib.2. de vniuerso, p.1. cap.109. & 110.* Alij, quod voluerit cæteris præesse creaturis. Ità Molina *q.63. art.3.* post D.Bonauenturam *dist.5.art.1.quæst.2.* Caspensis *disp.7.sect.4.*

55 Quinta sententia est, peccasse Luciferum appetendo vnionem hypostaticam. Ità Viguer. *in Instit.Theol.cap.3. §.2.* Iacobus de Valentia *in Psal.* 83. *&* 102. Catherinus *Opusc. de gloria beatorum Angelorum, Genes.3.* Naclantus *ad Eph.5.* Ascanius *in Gloss. Magn. tit. de bello Angelico*, Malon. *in 2.dist.6.disp.2.concl.7.* Molina *p.p. quæst.63.art.3. memb.5.* Ruardus *art.8.* circa principium. Carthus. *in 2.dist.5.quæst.1.* Parisiensis *lib.2. de vniuerso, p.1. partis secundæ, cap.106.* Suar.*lib.7. cap.13. num.12.* & 3.*p. tom.1. dist.42. sect.1.* & probabilem censet Molina *quæst.63. art.3. dist. vnic. memb.5.* Fauet Alensis 3.*part. quæst.2. memb.13.* Et ante omnes D. Bernardus *serm.1.Adu.* & *serm.2.in Oct. Paschæ,* & *serm.17. in Cant.* apertiùs *epist.42.* dicens in Christi persona: *Inuiderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus, & fœmina: ille potentiæ: illa scientiæ: Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Itaque videtur Lucifer, peccasse prætendendo vnionem hypostaticam, & inuidendo dandam Christo, eique debitum negando obsequium. Hanc sententiam probabilem admodum censet Tannerus *num.17.* Omnes verò incertas, ait Fuliens. *lib.3.cap.8.*

56 Assero primò, Angelum non potuisse appetere Diuinitatem.

Probatvr primò à D. Bonau.ex Glossa ad id 1. Timoth. 2. *Adam non est seductus*, vbi ex sapientia Adæ colligit, non potuisse eum appetere Deitatem, vti spoponderat Dæmon. *Eritis sicut dij.* Tunc sic: Sapientior erat Angelus, quàm primus homo: sed hic non potuit appetere diuinitatem, quia sibi implicare sciebat: ergo.

Probatvr secundò à S. Doct. ratione D. Anselmi, *lib. de casu diaboli, cap.4.* vbi ait: *Quomodo potuit diabolus velle, quod non potuit iudicare? non enim adeò obtusæ mentis erat, vt nihil aliud simile Deo cogitari posse nesciret. Nihil appetiit ad quod non peruenisset, si stetisset, aut saltem peruenire potuisset.* Voluntas enim efficax tendit ad dandam existentiam, vt notat Arriaga *num.29.* sed implicabat, eum æquari Deo: ergo. Maior probatur à D. Anselmo, quia Diabolus non peccauit ex ignorantia naturali, vel ex errore contrario euidentiæ naturali; ex tali enim errore peccare non potuit; imò naturalem cognitionem, quam habuit naturalium omnium, nulla ex parte, etiam nunc imminuit, vt ait D.Dionysius *cap.4.de diu.nom.* D.Isidor. *lib.1. de summo bono, cap.12.* relati ad hoc à Seraphico *dist.7. part.2. quæst.1.* At, esto in aliquo sit obcæcatus, vt innuit S.Doct. *dist.5.q.1.fundam.vlt.* (tametsi non omnia, quæ in fundamẽtis habentur, sint adamussim eius consona sententiæ, nisi in corpore confirmentur;) attamen primò scientia præditus naturali absolutissimâ optimè, ac demonstratiuè sciebat id, quod *disp.8.* & 10. *tract.1.* demonstraui, repugnare plures esse Deos, aut Deum transmutari. Si igitur appetiit esse Deus electiuè, appetiit impossibile; At voluntas ducta ab intellectu non fertur in impossibile sua electione; quia, vt docet Aristoteles 3.*Eth. cap.5.* Electio non est impossibilium: eandem rationem habet *fundamento quinto*, quâ vtuntur omnes nostræ sententiæ, supra relati, authores. Itaque Suarez *lib.7.cap.12.num.4.* ait, esse præcipuum huius sententiæ fundamentum. 58

59 Hanc tamen flocci pendit Scotus *loco cit.* §. *Quia tamen*, vt notat Marginista Seraphici.

Respondet igitur Scotus, & cum eo Faber *disp.31.num.12.* Mastrius *n.61.* duobus modis sumi electionem. Primò pro actu voluntatis, consequente plenam apprehensionem intellectûs, vt contrà distinguitur ab actu subreptitio, qui actus sufficit ad peccatum, & ad meritum. Secundò est actus consequens plenam apprehensionem obiecti; & rursus quærens media ad illud consequendum. Prima dicitur volitio inefficax, siue simplex complacentia. Secunda dicitur volitio efficax. Voluntas, primo modo, potest esse impossibilium, ex Aristot. 3 *Eth. cap.2.* licèt non secundo. Subscribunt Morandus *num.775.* Alarcon. *disput. 9. cap. 2.* & Vasquez *cap.2.*

60 Contra hoc subtile, in aëra euanescens, responsum arguit Vasquez *prima secundæ, disp.42.c.4.* ratione D.Bonau. *in 1.dist.40.art.3.quæst.1. & 2.* & in Itinerario mentis in Deum *cap.3. post medium.* Electio est cum plena resolutione, apud omnes Philosophos, & Theologos. Sumitur enim pro eo actu, qui est finis, & mediorum ad finem. Satiùs erat dicere, electionem altero modo accipi pro selectione alicuius obiecti, vel subiecti, quæ plenâ est deliberatione patrata; de qua plurima exempla habet S. Doct. *in Bibliis pauperum, cap.100.* Nos igitur non possumus alias electionis essentias excogitare, nisi velimus omnia susdeque vertere, quod in omni materia naturali est obseruandum, nè nouas, ad placitum, naturæ inuehamus essentias.

Præterea ostendo cum Seraphico *argum.5. addito responso*, electionem Luciferi fuisse plenè delibe-

deliberatam, ex illo Isa.14. *Dixisti in corde tuo: in cœlum conscendam, ponam solium meum super altitudinem nubium, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Vbi & finem, & media à se excogitata assumit electione, quam Scotus fatetur perfectissimam, vt arguit Suarez *lib.7. cap.7. num.1.* Valentia *disp.4.quæst.14.puncto 3.*

Confirmatur: nam Luciferi peccatum, maxima ex malitia deliberatum, firmâ, & peruicaci electione firmatum, recitant, & execrantur Patres.

61 D. Gregorius Nazianzenus *oratione 17.* Peccatum huius ait intolerandum.

D.Gregorius Magnus *lib.4.epist.38.aliàs cap.82.* apud D. Bonauent. *hic*, stomachatur in Luciferi superbiam: Sic & *lib.34. Moral.cap.17.* aliàs 14.

D. Augustinus 14. *de ciuit. cap.11.* Luciferum tyrannici fastus damnandum clamat.

S. Isidorus *lib.1. de summo bono, cap. 10.* apud D.Bonauent. *hic*, ait, Luciferum Deo per tumorem se contulisse.

D.Ignatius *epist.ad Philip.*ait: *Tu omnium malignorum spirituum malignissimus.*

Theodoretus *quæst.34. in Genes.* ait, eum in nequitiam sponte declinasse; & maledictiones plurimas ideò ei inflictas. Et *in epist.ad Ephes.* ad id:

62 *Non est nobis colluctatio, &c.* ait: *Erant ex bonis ordinibus mali dæmones; sed propter improbitatem ab illo ordine exciderunt; habent quoque nunc appellationes ad conuincendam eorum execrandam malitiam.*

Bernardus *de grad. humil.* apud D. Bonauent. *quæst.2.* ait: *Iniquitas tua, non irâ momentaneâ, sed odio digna est sempiterno.*

Ioannes Cassianus, collat.4.cap.14. *Spiritualis namque substantia, nec vllâ carnis soliditate deuicta, vt excusationem exorta praua in sese non recipit voluntatis; ità veniam malignitatis excludit, quia nullâ, quemadmodum nos, ad peccandum impugnatione carnis extrinsecùs lacessita est; sed vitio solius malæ voluntatis accensa; & ob hoc sine venia peccatum, & sine remedio languor fuit.* Idem habet D.Leo Papa *serm.4.de collectis.* Ingentem verò malitiam cum D. Bonauent. *ex illo Isaiæ 14.* colligunt S.Gregorius Magnus *homil.34.in Euang.* Chrysost. *homil.4. in Matth. opere imperfecto.* Ambrosius *in Psal.118. serm.7.* Athanas. *quæst.6. ad Antioch.* Cassianus, *collat.8. c.10.* Hugo de S.Vict. *tract.2.summa sent. cap.4.* Hieronym. *in Psal.119.* & alij apud Ascanium de bello Angelorum, qui *fol.457.* tandem concludit, Luciferum contumaci prolapsum voluntate. Ità corruunt dicentes, eum appetiisse inefficaciter Deitatem.

63 Probatur tertiò à D. Bonau. *fundamento 6.* cum D. Thoma. Qui vult antecedens aliquod, vult & id, quod necessariò consequitur; saltem quando consequens includitur in antecedente, è Scoto *dist.6. quæst.2.* & Fabro *num.15.* sed ad esse Deum sequitur necessariò inclusum, vt terminus *à quo*, non esse Angeli: Ergo si Angelus voluisset esse Deus, consequenter voluisset sui destructionem; at nullus vult sui destructionem, ex D.Aug. *lib.3.de libero arbit.* Hæc ratio sumpta est ex D. Anselmo *de casu Diaboli, cap.4.* quâ vtuntur Valentia, & alij.

Respondent Scotus, Faber, & alij, falsam maiorem, quando consequens non includitur in antecedente. Sic aliquis vult culpam, & non vult pœnam necessariò consequentem. Et aliquis potest appetere Episcopatum, non volendo sacerdotium. Cùm igitur non esse Angeli, non includatur necessariò in esse Dei, potest velle esse Deus, etiamsi nolit, non esse. Negant etiam minorem de voluntate inordinata.

Contra verò, quia, vt notat Seraphicus Doctor, stultum omninò est dicere: Volo esse Abbas; & nolo esse religiosus; cùm hoc sit impossibile. Si igitur, cùm terminus *à quo* esse Dei sit non esse Angeli, quia hæc duo sunt entia implicantia; sequitur, non potuisse velle esse Deus, nisi vellet sui destructionem. Quod verò dicunt de non volente pœnam, consequentem necessariò ad culpam, non est ad rem: pœna enim non sequitur absolutè ad culpam, quia potest homo pœnitere, & pœnas euadere. Et qui vult culpam, & vltimò mori impœnitens, nec tamen vult pœnas, dicitur stultus in Scripturis. Profectò duo termini implicantes, non possunt esse voliti: sic non possum discedere Parisiis Romam; Parisiisque manere: magis autem implicans est, esse Deum cum esse creaturæ. Hæc luce clariora sunt. 64

Respondet secundò Scotus, Bassolis, Faber, Mastrius, non esse inconueniens, Angelum acceptare non esse sui; vt acquirat esse Dei infinitum, in quo & esse Angeli eminenter includitur. Si enim damnati cupiunt non esse, magis, quàm sic cruciari; multò magis potest Angelus appetere, non esse creatura, vt sit Deus. Deinde simplici affectu potest aliquis velle esse Deus, non considerando, non esse sui. At verò, vt possit voluntas appetere, rem esse sibi conuenientem; non sufficit absoluta apprehensio rei bonitatis in se; sed requiritur comparatiua notitia de bonitate, & conuenientia eiusdem in ordine ad ipsum appetentem, vt arguunt Suarez, Serra, & Amicus. At implicat, vt Angelus comparatiuâ notitiâ apprehendat æqualitatem Dei, vt sibi conuenientem. Maior probatur, quia non potest voluntas appetere aliquid, vt bonum sibi, nisi priùs certa sit de conuenientia illius in ordine ad proprium suppositum; hoc autem haberi non potest per absolutam dumtaxat rei notitiam. Iam verò cùm appetitus sui esse formalis, sit à natura insitus, & Lucifer primò peccauerit inordinato sui amore, è Scoto; non video, quomodò concupierit inordinatè sibi, non esse. Quæso: Cuinam appetebat hoc bonum Deitatis? non sibi, qui destruendus erat: non Deo, quia ab eo auertebatur. Quòd si omne peccatum est per auersionem à Deo, & conuersionem ad bonum commutabile; & Angelus appetendo esse Dei non auertebatur ab eo, non peccabat, vt arguit Seraphicus *fundamento vltimo.* 65

Quod verò dixerunt de damnatis; non est ad rem, quia damnati adhuc absolutè optant esse, sed indemnes; & si potiùs non esse, quàm torqueri velint, non tamen id volunt electione, cùm sciant, decretum Dei immutabile hanc electionem reddere impossibilem. 66

Quod verò subdunt de voluntate inefficaci, vel conditionata, explosum est: nam Lucifer summa deliberatione elegit obiectum vetitum absolutè, non conditionaliter, dicens: *In cœlum conscendam*, vt aduertunt Suarez, Amicus & Lezana, & ex Patribus ostendi, qui maximam Luciferi malitiam ex hoc loco deducunt. Ex quo tamen loco malè Scotistæ aliqui eruunt, Angelum, simplici complacentiâ saltem, appetiisse deitatem; nam Patres exponunt, eum appetiisse aliquam similitudinem.

Dices etiam hæc similitudo est impossibilis. Respondetur, negando assumptum, vt infrà ostendam.

Proba

Probatur quintò à D. Bonau. *in corpore.* Quod implicat euidenter, non potest esse obiectum appetitûs electiui. Angelum esse Deum implicat euidenter: ergo. Maior probatur: quod enim implicat contradictionem, non est ens, sed fictio: At obiectum appetitus est ens, & bonum. Minor probatur è Scoto, nam esset Angelus; quia amore inordinato amicitiæ hoc ei est volitum: non esset Angelus, quia esset Deus, quod implicat esse creato. Hinc falsò negat Faber *num.* 13. cum Scoto, hanc esse implicantiam; sed dicunt, esse impossibilitatem.

67 Hoc autem sic tradit Faber dicens, dupliciter posse considerari Angelum esse Deum, primò quatenus est totum quoddam complexum: *Angelus est Deus*, & sic implicat; alio modo, quod Angelus ex creatura fiat Deus, & hoc non includit implicantiam contradictionis; Esto sit impossibile; voluntas autem complacêre potest in re impossibili.

Mastrius *num.* 61. sic redarguit Fabrum. Hæc responsio est protsus falsa, & chimærica: nam implicat æquè, creaturam fieri Deum; & esse Deum: natura enim Diuina est immutabilis. Deinde si appetitur fieri Deus, ampliùs etiam appetitur esse Deus: at Lucifer plenus omni sapientiâ non potuit hanc stultam propositionem componere.

Respondet Mastrius primò, potuisse conditionaliter hoc velle, si esset possibile.

68 At cum electiuè appeteret Lucifer, non chimærizauit dicendo: *Appeto hoc contradictorium* (nisi sit contradictorium) *efficaciter.*

Respondet secundò, iuxta alteram viam docentem impossibile posse appeti simplici complacentiâ, difficilè solui argumentum: quia impossibile inuoluens contradictionem nec est ens reale in se; neque putatum tale.

Respondet tamen, habere bonitatem præfixam, & præstitutam, & ita posse esse obiectum voluntatis.

69 Deinde è Scoto respondet, non esse necesse, vt Angelus intellectu iudicet hanc propositionem: *Angelus est Deus*; esse possibilem; sed satis est, vt intellectu apprehendente possibilitatem, & bonitatem vtriusque extremi, voluntas illa componat, & vnum alteri amet, abstrahendo à iudicio possibilitatis, vel impossibilitatis totius complexi.

Hæc sanè non minùs chimærica sunt: bonitas enim præfixa, seu præstituta nouam influit contradictionem practicam, vt capax sit boni, quod est euidenter cognitum non ens, & implicans esse.

Quod verò addit secundò, magis adhuc est monstrosum, & metaphysicum figmentum, quod abstrahatur ab appetitu in prosecutione impossibilis, euidenter impossibilis; & quòd bonitatem implicantem, vtrique extremo, in cuius prosecutione versatur appetitus, attribuat; non enim extremum appetit vnum, idest esse Angeli, sed compositum; Angelum esse Deum.

70 Assero secundò, Angelum peccasse, appetendo aliquam cum Deo similitudinem inordinatè.

Probatur à D. Bonau. primò ex Isa. 14. *Ascendam in cælum, & ero similis Altissimo.*

Probatur secundò à Seraphico, quia similitudo hæc à Patribus asseritur ambitiosè ab illo æmulata, non enim aliquis de æqualitate in natura locutus est, vt ostendit Suarez: quidquid dicat Mastrius *num.* 57. Vide Seraphicum Doctorem, *dist.* 5. *quæst.* 2.

Probatur tertiò à S. Doct. quia hæc similitudo erat quid bonum, delectabile, & possibile: ergo erat congruum voluntatis obiectum. Quòd ergo fuerit possibilis, probatur, quia est: *Signaculum similitudinis*, vt dicitur *Ezech.* 28. Ergo poterat altiorem, & perfectiorem appetere; hanc autem poterat Deus creare, quia nulla est creatura, quâ non possit Deus condere perfectiorem. Illa porrò similitudo, quam ponit S. Bonau: vt præesset suâ auctoritate, impugnatur à Mastrio; quia est impossibilis non minùs quàm Angelum esse Deum; cui proprium est dominium independens. Vnde infert, nos cum Lezana elabi in eadem inconuenientia, quæ ex æqualitatis Diuinæ ambitione inferimus.

Respondetur, negando paritatem, nam independentia à Deo in regimine exercendo, in multis pendet à Diuina voluntate libera: & hæc potuit esse ab Angelo volita; v. g. Angelicos exercitus ita ducere, ac si absque datore ex gratia, eos duceret; sed neque Deus cogeret eum Principatum meritis ex gratia acquirere; sed naturæ Luciferi id adderet, quod non implicat; sicut esse Deum. Eodem modo potuit appetere beatitudinem, non ex gratia; sed ex naturalibus, vt dicunt authores plurimi; non enim volebat impossibile, vt beatitudo, idest visio Dei, viribus naturæ fieret; sed vt eam Deus concederet, absque eò quod operaretur. Et hoc indicat illud: *Sedebo in monte testamenti.* Vnde clamat Bernardus serm. de sancto Benedicto: *Millia millium ministrabant ei; & tu sedebis? Quid laborasti, vt sedeas?* Et in hoc deceptus est Meldula, dicens cum Bassoli, nos nobis contradicere, admittentes Luciferum appetiisse impossibilia. 71

Solum facescit negotium, quod Angelus plenus sapientiâ sciebat Deum aliter velle, & contra absolutam eius voluntatem iri non posse. Dico, tamen potuisse Angelum nescire: An hoc absolutè decretum fuisset irreuocabiliter, vt precanti tam nobili creaturæ, nollet hæc concedere. Deinde Deo persistente, vt meritis intenderent, ex merâ malitia cum aliquâ consequentium inaduertentiâ dico eos à Deo apostatasse. 72

Id verò appetiisse probat S. Doctor *fundamento* 6. nam cùm sit spiritus nobilissimus, Deo proximus, vix aliud potuit inordinato superbiæ affectu concupiscere, quàm præcellentem aliquam cum Deo similitudinem. Qua ratione vtitur etiam Tannerus *num.* 12. Confirmatur à Valentia, atque D. Bonauentura, quia super omnes creaturas Lucifer erat euectus: ergo superbia super se elatus est, vt vellet præsumptuose aliquod dominium inordinatum, quo fieret, veluti Vice Dei: & hoc supra se vidit. Et hæc est ratio superbiæ, vt ait S. Doctor; non vt dicunt Scotistæ, in ordine semper ad alios; vt dixi *quæst. præcedenti.*

Hoc sanè fuit bonum maximum: ergo maximè appetibile. Probatur consequentia, quia obiectum voluntatis est totum ens, vt bonum. Hoc argumentum desumpsit Scotus, vt inferret, Luciferum appetiisse diuinitatem, quæ est ens infinitum; sed non aduertit, hunc appetitum, quia fertur in impossibile implicans, non ferri in ens, vt dixi; Et si Aristoteles ait, posse nos ferri in impossibile, loquitur de impossibili non cognito euidenter tali. 73

Dices, damnati oderunt Deum, qui autem odit, nollet, quem odit, esse, ex Aristotele 2. *Rhetor.*

Respondetvr, damnatos non odio habere Deum, vt authorem naturæ, sed odisse, vt tortorem, & sub hac ratione torquentis optare, ne sit Deus tortor; & hoc non electiuè.

74 Dices cum Scoto ex D. Augustino *lib.* 83. *qq. quæst.* 30. Creatura potest vti fruendis, & frui vtendis. Ergo potest optare, se esse obiectum fruitionis, quod est Deus.

Respondetvr, hoc non sequi, vt notat D. Bonauent. 1. *dist.* 1. *quæst.* 3. sed solùm quietem intendi in bono finito, non ordinando ad infinitum; alioqui, si Scoti argumentum esset rectum, concluderet, posse creaturam fieri Deum. Arguit enim sic. Creatura potest frui seipsa. Ergo potest habere in se summum bonum: sed hoc est esse Dei: ergo creatura fruens vtendis creaturis: vel etiam se ipsâ, facit creaturas Deum.

75 Probatvr verò à Seraphico, Luciferum appetiisse similitudinem Dei in præsidendo cæteris, Isa. 14. *Super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Hanc authoritatem vrget quoque Valentia.

Deinde id probat ex B. Gregorio *lib.* 34. *Moral. cap.* 13. Ius peruersæ libertatis appetiit, vt præesset cæteris, & nulli subesset, dicens: *Ascendam, &c. super astra Dei.* Idem D. Anselmus *lib. de casu diaboli, cap.* 4. & D. August. 11. *de ciu. cap.* 13. & *in psal.* 70. & D. Bernardus *de gradibus humil.* quos referunt D. Bonauent. Valentia, Martinengus: sed, quia Scotistæ hanc à Lucifero concupitam independentiam, & præsidentiam aiunt impossibilem, non minùs, quàm ipsam Deitatem; referam Patres eam asserentes.

76 D. Avgvstinvs *in psal.* 70. ait: *Si quis peruersè voluerit imitari Deum, vt quomodo Deus non habet à quo formetur, à quo regatur; sic ipse velit suâ potestate vti, vt quomodò Deus, nullo formante, nullo regente viuit: quid restat, nisi vt in deterius mutatus deficiat? Hoc diabolus fecit: imitari Deum voluit, sed peruersè, non esse sub illius potestate: sed habere contra illum potestatem.* Et lib. 11. de ciu. cap. 13. *Suo recusans esse subditus Creatori, & superbia sua, velut priuata authoritate elatus, ac per hoc falsus, & fallax: quia neque quisquam potestatem omnipotentis euadit. Et qui per piam subiectionem noluit tenere, quod verè est, affectat per superbia elationem simulare, quod non est.*

Hic sanè de subiectione, quoad imperium actuale loquitur.

D. Anselmus, loco cit. *Contra voluntatem Dei voluit inordinatè similis esse Deo; quia propria voluntate, quæ nulli subdita esset, voluit aliquid.*

77 Probatvr adhuc ratione penult. D. Bonau. Id diabolus appetiit, quod inuidit. Inuidia enim oritur ex aliqua dignitate sibi concupita; sed diabolus inuidit hoc bonum Deo, vt sibi subderentur omnia; & nullo modo Deo: ergo. Minor probatur. Ideò enim dicitur, hominem tentasse: *Cur præcepit vobis Deus.* Genes. 3. Idque significatur, sap. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Ideò contendunt dæmones, imperium supra homines exercere, vt constat ex his, quæ operantur in Paganorum Idolis, Magis, Lamiis, & strigarum in operibus. Ideò & conqueruntur de Deo in Energuminis, se alligatos, impotentes redditos: quæ prosequitur D. Thom. *hic, art.* 2. & 3. & ante eum Nyssenus, *oratione prima de pauperibus amandis.* Basilius *homil. Quod Deus non sit auctor malorum.* Lege Valentiam, hac, & aliis D. Bonauenturæ rationibus, vtentem.

Assero tertiò, Angeli appetitum non fuisse malum, circa beatitudinem naturalem. 78

Probatvr primò à D. Bonau. *art.* 2. *quæst.* 1. *fundamento* 4. Primum peccatum Angeli fuit appetitus alicuius boni, non honesti, quia aliàs non fuisset malus: ergo fuit circa vtile, & delectabile; quæ in eo conueniunt, vt vtrumque sit commodum; vt notat S. Doct. *in* 2. *dist.* 3. *p.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. cùm autem esset sapientissimus Angelus, appetiit maximum commodum; sed talis non est beatitudo naturalis: nam beatitudo supernaturalis est maior. Hoc argumentum efficacissimum acclamat Faber *disputat.* 33. *num.* 4. & Scoto adscribit. Est autem primò D. Anselmi *lib. de casu diaboli, cap.* 4.

Respondet Caietanus, peccasse Luciferum, non referendo suam beatitudinem naturalem in Deum; & hoc ex inconsideratione.

Contra ait Vasquez *disputat.* 235. *cap.* 5. quia intellectus Angeli non admisit inconsiderantiam: hæc enim ex ignorantia oritur.

At inconsiderantia potest esse sine ignorantia, vt cùm quis, habitu scientiæ præditus, non scientificat. 79

Magis vrget ratio S. Bonau. quam Faber *num.* 5. resumit, quia non potuit in voluntate Angeli appeti, vt vltimus finis, cùm sciret, beatitudinem supernaturalem, sibi propositam, esse longè meliorem.

Per hæc fuit effugium Vasquez, potuisse Luciferum primò appetere beatitudinem naturalem magis quàm illam, ad quam consequendam egeret Dei auxilio. Contrà est, quia beatitudo naturalis non est summum bonum, atque adeò non potuit esse vltimus finis primò intentus. Deinde eam censet impossibilem *d.* 226. vt dixi *disput.* 6. *quæstione* 1.

Assero quartò, Angelum peccasse appetitu beatitudinis supernaturalis inordinato. 80

Probatvr à Scoto, & Fabro *d.* 33. *num.* 6. ratione Seraphici suprà allatâ. Primus actus concupiscentiæ inordinatus Angeli fuit, vel ex affectu iustitiæ, seu boni honesti, vel ex affectione commodi: non primum; quia non esset peccatum: ergo secundum. Tunc sic. Voluntas non sequens regulas iustitiæ appetit maximum commodum; sed hoc est beatitudo supernaturalis: ergo. Maior probatur, quia voluntas talis nullum aliud obiectum, nullam regulam, nisi immoderatum commodum summum, quod nouit, atque adeò potest consequi, totis viribus appetit; qui appetitus, cùm in radice sit naturalis, additâ maximâ cognitione supernaturali, fertur impetu in summum, bonum, quod est beatitudo supernaturalis.

Respondet Vasquez, potuisse primum appetitum esse circa peculiare aliquod delectabile, non circa summum. 81

Contrà, quia agens naturale ex cognitione, agit secundùm totam cognitionis apprehensionem appetendo suum commodum maximum. Angelus autem circa beatitudinem versabatur ex præclarissima cognitione, quæ possit in via haberi.

Probatvr secundò à S. Doct. *dist.* 5. *quæst.* 1. Primum peccatum concupiscentiæ Angeli fuit aliquod *velle*; non aliquod *nolle*: ergo fuit amor, qui est primogenitus voluntatis: vel ergo alicuius boni honesti, vel vtilis, vel delectabilis. Non honesti, vt patet; neque vtilis; quia vtile supponit aliud amatum: est enim ad aliquid vtile: Ergo delectabile: sed hoc (infert *art.* 2. *quæst.* 1.) est beatitudo supernaturalis, quæ est summum delectabile: ergo. Confirmatur à D. Bonau. *loco cit.* quia voluntas

voluntas secuta est dictamen intellectûs: sed iste dictabat, illam beatitudinem esse maximum delectabile: ergo. Hac ratione vtitur Scotus *loco cit.* Faber *disputat.*33. *num.*7. Suarez *lib.* 7. *cap.* 11. *num.*2.

83 Respondet Vasquez, potuisse primò versari circa bonum vtile, quod habet sanè rationem medij: sed peccatum versatur etiam circa media: vt qui furatur, vt subleuet propriam familiam in necessariis; tunc furtum est volitum tanquam medium, & tamen non est peccatum.

Hoc tamen vanum est, quia furtum, seu aliud peccatum, patratum ob amorem familiæ, oritur ex amore immoderato familiæ. Ideò priùs est volitus finis.

Hunc verò appetitum beatitudinis fuisse etiam ex prætensione perueniendi ad eam sine meritis, videntur asserere Ambros. *ep.*84. August. 22. *de ciu. cap.*1. Gregorius 34. *Moral. cap.*7. aliàs 14. Vide Vasquez *disp.*235. *cap.*3.

Hic verò instat difficultas: Quia, vel Angeli volebant beatitudinem sine meritis, etiamsi scirent (quod sanè ex reuelatione sciebant) sibi per merita comparandam, sicuti à Deo proposita erat. Et hic adest, vel tendentia in impossibile, quod esse falsum, ostendi; vel error, qui sanè peccatum supponit; at verò tunc non adhuc peccauerant. Aut volebant beatitudinem viribus naturæ, non aduertentes conditionem comparandi eam meritis. Et hoc supponit in mente Angeli imperfectionem ante peccatum.

Hæc difficultas variè torquet Theologos. Ego enim D. Bonauent. *distinct.*5. *quæst.*1. *fundamento* 1. dico, fuisse mentem Angeli obcæcatam aliquo modo circa supernaturalia; quia non modo otiosus non respondebat diuinæ gratiæ, & fidei illuminanti, seu potiùs illustrationi, vices fidei agenti; sed inceperat de sua præsumere excellentia. Quare non est mirum, si mens aberraret, cùm iam incepisset primum peccatum per præsumptionem, quod quidem in electione, ex aliquo intellectûs defectu, dato in pœnam, consummatum est. Quare etiam Suarez *num.* 8. nullam in hoc esse repugnantiam confitetur. Per hæc patet ad obiectionem Valentiæ.

84 Suarez verò explicat, culpam consistere in intensione non appetitûs, sed obiecti, appetendo excellentissimam beatitudinem; quod probat illo Isaiæ 14. *Super astra Dei exaltabo solium meum.* Quo sensu videntur loqui, Chrysostomus *homil.*7. *in Genes.* Hieron. *in Ezech.*28. Gregorius 24. *Moral. cap.*4. aliàs 7.

Hic modus sanè non extenditur ad cæteros dæmones, qui non ambierunt perfectissimam beatitudinem. Ideò dicuntur: *Angeli eius.* Matth.25. Quòd si excellentissimam appetiissent beatitudinem, cùm essent Lucifero ignobiliores, maior fuisset eorum superbia, vt aduertit D. Bonauentura *ad* 3.

85 Modus autem Vasquez, quòd appetierit beatitudinem sine meritis, non ex errore, quia habuit solam apprehensionem, non autem iudicium compositorium, quod necessaria essent merita, non est probabilis; quia, esto non sit compositio in intellectûs actibus, quod non est necessarium ad iudicium; attamen, quomodò potest prosequi bonum, quod non iudicat? maximè quia sciebat, Deum velle meritis illud acquiri.

Assero quintò, non peccasse primò Luciferum, appetendo vnionem hypostaticam.

Probatur à Vasquez *disput.*233. Quod fuit posterius in diuina ordinatione, non potest esse causa prioris: sed vnio hypostatica fuit à Deo prædestinata post præuisionem peccati Adæ, per Luciferum iam lapsum, tenendi. Ergo vnio hypostatica non potuit esse obiectum peccati Luciferi, iam in diuina præscientia lapsi. Minor videbitur 3. *part. disputat.*4. *quæst.* 1. vbi hæc ratio debilis apparebit. 86

Probatur à Scoto, ratione suprà allata D. Bonauentr. Peccatum concupiscentiæ Luciferi fuit, non boni honesti, sed maximè commodi: sed maximè commodum non est vnio hypostatica; sed supernaturalis beatitudo: ergo.

Dices, beatitudo debetur vnioni hypostaticæ. 87

Tunc sic: Ergo voluit vnionem hypostaticam ad finem beatitudinis: ergo hæc primò est intenta.

Ex quo deducit Faber *disput.*33. primum peccatum non potuisse esse inuidiam humanitati Christi, ob vnionem hypostaticam, quia peccatum primum non fuit *nolle*, sed *velle*; vt ostendit D. Bonauent. *dist.*5. *quæst.*1. *fundamento* 6. nam inuidia oritur ex amore rei, quam postea nollet in alio. Vide Seraphicum *in corpore.*

Obiicies primò, peccatum primum Luciferi fuit tantùm superbiæ: quomodo ergo potuit esse appetitus supernaturalis beatitudinis, & independentiæ in ministeriis?

Respondetur ex D. Bonauent. *dist.*5. *quæst.*1. & *art.*2. *quæst.*1. vnum fuisse peccatum superbiæ Luciferi: nam considerans vanè suam in gratiis excellentiam, nedum strenuitatem naturalium, appetiit maximam, & commodissimam excellentiam, quæ est beatitudo supernaturalis, qua se ita exaltare volebat, vt sederet super Angelos: alij verò ambiêre in beatitudine supernaturali, subditi Lucifero, sedêre absque ministerio. 88

Obicies secundò. Primum Angeli peccatum fuit desiderare esse similem Deo; conditio autem Dei est, vt suaptè naturâ sit beatus. Ergo prima Luciferi culpa fuit inordinata cupiditas beatitudinis naturalis. Confirmatur à Baunes ex D. Augustino 12. *de ciuit. cap.*1. vbi ait: *Mali Angeli suâ potestate potiùs delectati, vt bonum suum sibi essent, à superiori bono ad propria defluxerunt.*

Respondetur, ex D. Bonauent. *dist.* 5. *art.*2. *quæst.*1. desiderium Luciferi fuisse de summo delectabili, quod est beatitudo supernaturalis; sed hanc sine meritis consequi voluisse, habito respectu ad sua naturalia: & hoc vult D. Augustinus. Reliquum est mihi nonnulla argumenta excutere, quæ recentiores Scotistæ obiiciunt contra primum assertum. 89

Opponunt primò Scripturas, & Patres innuentes, Luciferum appetiisse cum Deo æqualitatem. Isa.14. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Ezech. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum.* Addunt Nazianzenum *vers.*6. Hugonem de S. Vict. *tract.*2. *cap.*4. 90

Respondetur communiter cum SS. Doctoribus *hic*, Scripturam, & Patres loqui de appetitu æqualitatis diuinæ, non in naturâ; sed in aliquâ excellenti perfectione; & potest melius dici similitudo, secundùm quam diuinum quoddam præ se ferat. Vnde & dictum est Lucifero. *Quis vt Deus?* Locus præcipuè Ezech. quam vrget Mastrius, nil probat: nam inducitur Lucifer ex fastu, iam post peccatum Deo rebellis, à se excutere diuinum imperium, ait enim: *Deus ego sum, &*

in

in cathedra Dei sedi. Loquebatur igitur mendax ventosus.

91 Obiiciunt secundò. Appetitus inefficax simplicis complacentiæ potest esse etiam de impossibili, vt tali cognito, ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 2. sic ægrotus desperans sanitatem, eam appetit; non sanè sicuti, qui sperat, assumendo media: sic & damnati appetunt, Deum non esse, ideò in cælos efferuntur inuidiâ cupientes Deum inde è suo Throno deturbare, iuxta id psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Neque dicant Thomistæ, voluntatem illam simplicis complacentiæ, de qua loquitur Aristoteles, non sufficere ad meritum: nam possum desiderare, non peccasse, quod est impossibile, estque meritorium, possum & peccare delectatione morosa desiderando, Deum non esse.

92 Respondetur, impossibilia absoluta non cadere sub appetitu; & si cadunt, hoc est ex ignorantia: tale impossibile est, Luciferum esse Deum; At impossibilia ex suppositione, vt, *velle non peccasse*, cadere possunt sub appetitu, quia appetitus fertur in obiectum ante contractam impossibilitatem: desiderat enim pœnitens esse in statu antecedente peccatum, & peccatum detestari. Deinde probabile est, actum præteritum physicum posse reduci ad esse præsens.

Sed instat Mastrius, etiam impossibilia primi generis posse appeti: nam D. August. in Soliloquiis dicebat: *Si ego possem esse Deus, mallem te, quàm me, esse Deum.*

Respondetur, non inueniri hoc dictum; sed ei sanè adscribi; vt aduertit Rebadinera in vita eius.

At esto; tamen appetitus Luciferi fuit completè electiuus, vt dixi. Quare neque fuit conditionalis, *si esset possibile*; sed absolutus; vt expressè dicitur *Isaia* 14. & *Ezech.* 28. vbi & media assumpta ostendat.

Frustra quoque Mastrius cum Hiribarne *tract. de Act. hum. disput.* 7. *sect.* 2. *concl.* 3. fingunt volitionem efficacem circa impossibile sic. Si, me esse
93 Deum foret possibile, mea voluntas verè, & de facto eliceret actum efficacem: hic enim actus, vt sæpè admonet Vasquez, & agnouit Mastrius *hic*; *num.* 56. & *disputat.* 7. *de anima*, *num.* 104. non est aliquis actus existens, qui feratur in obiectum impossibile, sed solùm iudicium quoddam intellectûs de actu illo, qui foret sub hac conditione; vt patet exemplo Hiribarne. Iam verò nos agimus de actu, quem verè habuit dæmon. Adde de electione deliberata, qua, præcedente perfecta cognitione, præsumpsit.

QVÆSTIO IV.

An Lucifer fuerit supremus inter Angelos.

D.Bonau.d.6.q.2.
D.Thom.q.63.art.7.

Hunc fuisse, inter eos, qui lapsi sunt, Principem, omnes concedunt. Ideò *Matth.* 25. dicuntur *Angeli eius.* Iam quæstio est: An fuerit omnium Princeps.

Fuit opinio Damasceni *lib.* 2. *de fide*, *cap.* 4. Angelos omnes apostatas fuisse ex infimo ordine.

94 Enim verò Scholastici omnes censent, Luciferum fuisse inter omnes præstantissimum. Magister 2. *dist.* 2. vbi sententiarij expositores, præcipuè D.Bonau. D.Thom. *hic.* Consentiunt plurimi Patres, Tertullianus *lib.* 2. *contra Marcionem*, *cap.* 10. Chrysostomus *homil. de primo homine*, & *de casu primi hominis.* Hieron. in id Iob. 40. *Ipse est initium viarum Domini.* Gregor. 4. *Moral. cap.* 12. vel 13. & *lib.* 9. *cap.* 2. Isidorus *lib.* 1. *de summo bono*, *cap.* 12. Bernard. *serm.* 1. *de Aduen.* Author Mirabil. Scripturæ *lib.* 1. *cap.* 2. quos refert Suarez *lib.* 7. *cap.* 16. Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 3.

Assero cum hac sententia, Luciferum fuisse 95
principem Angelorum.

Probatur primò à D.Bonau. ex illo *Iob.* 40. vbi dicitur: *Ipse est principium viarum Domini*, quod intelligitur ordine dignitatis. Nam in Græco habes, pro *initium* ἀρχὴ; & sonat Principatum, Magistratum, vt vidit Vasquez *disput.* 124. *num.* 27. cum Seraphico Doctore *hic.*

Ipse tamen Vasquez *disputat.* 237. *num.* 6. nil ex hoc loco deduci ait: nam ibi est sermo de Behemot, qui est Elephas, vel aliud ingens animal, vt multi exponunt.

At verò ea interpretatio, etsi aliquem habeat 96
expositorem, nullum tamen habet è SS. Patribus assertorem, præter Chrysostomum, qui tamen & de Diabolo exponit suprà. Porrò de solo diabolo exponunt ad litteram D. August. 11. *Genes. ad litt. cap.* 20. & 11. *de ciu. cap.* 15. & 17. Hieron. *hic*, Ambrosius *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 13. Cyrillus *lib.* 9. *in Ioan. cap.* 6. Chrysost. *in cap.* 11. *Matth. hom.* 27. & est communis Græcorum *in catena.* Orig. Nazianzeni, Athanasij, Nysseni *oratione sexta in Cant.* Gregorij verò Magn. suprà. His adde Eusebium, Seuerum *catenæ* Authorem, Glossam Ordin. & Interlin. Rabbanum, Philippum, Theodoretum, & Basilium ad id psal. 103. *Draco iste.* D.Thomam, Nicolaum, Dionysium, Hugonem, Caietanum *in comment.* Abulensem *in cap.* 25. *Matth. quæst.* 405. Leonem Castr. *in cap.* 27. Gotopium *in Hyerogl. lib.* 14. *litt. P.* Ioannem Ferdinandum *in suo thesauro* verb. *Behemot*, quibus subscribit Pineda *hic.*

Qua enim ratione Elephas dicitur initium via- 97
rum, seu operum Domini, vt exponunt Patres, & Vasquez confitetur? Fuere enim aliqua creata ante quadrupedia, quæ sextâ die prodierunt; neque inter opera Dei Elephas est nobilissimum.

Probatur secundò à S.Doctore ex 28. *Ezech.* vbi præclarissima de Lucifero asseruntur, vt: *In medio lapidum ignitorum ambulasti.* Lapides autem igniti dicuntur Seraphim; tametsi Cherubinum appellet, quia deficiente charitate ignitâ, sola remansit scientia, vt monet S. Bonauentura. Hoc non aduertens Vasquez *disputat.* 237. *num.* 5. frustra hunc locum conatur elidere, malè afferens Seraphicum expositorem, & Gregorium Magnum *lib.* 32. *Moralium.* Esto & de rege Tyri intelligatur, vt aduertit D.Bonau. Suarez *num.* 6. & 11.

Idipsum confirmat S.Doct. ex illis verbis Ezech. 31. *Cedri Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei. Abietes non adæquauerunt summitatem illius.* Ita exponitur à D.Hieronymo, & aliis relatis *in Glossa Ord.* Et D.Gregor. *homil.* 34. *in Euang.*

Probatur tertiò ratione à D. Bonau. Nullus 98
deliberatè vult id, quod simpliciter impossibile videt; vt ostendi *quæst.* 3. At Lucifer se ipsum præclarè videbat. Et, an sibi esset possibilis principatus super omnes, quem ambiuit. Isa. 14. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Ergo erat ei possibilis Principatus super omnes. Hoc

Hoc argumentum cum ipso Vasquez solidatum est, *quæst.*2. Quare non rectè ipse, *num.*6. nullam ait extare pro nostro asserto rationem.

PROBATVR quartò à S. Doct. ad argumenta, ratione, qua vtitur Suarez *numero sexto*. Occasio peccandi fuit excellentia: ergo in maximo Angelo fuit maxima occasio peccandi elatione.

99 VERVM enim verò mirandum, cur tam eximiam inter creaturas Deus permiserit in summæ calamitatis agi profundum interminabile.

Aliquas rationes adducit S. Doct. præcipuè ad ostensionem iustitiæ, ad odium diuinum ostendendum erga superbas mentes. Vt timeamus Deum, qui nobilissimæ creaturæ non pepercit. Ideò & tremebundus Iob, amicus, horrore expilatus est, audiens vocem hanc, etsi auræ lenissimæ, Zephyro non absimilem: *Ecce, qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem; quantò magis, qui habitant domos luteas consumentur à Tinea?*

OBIICIES primò *Ezech.*28. Lucifer vocatur *Cherub.* ergo non est supremus.

RESPONDENT SS. Doctores, ipsum fuisse Seraph. ideò dicitur: *In medio*, seu vt vertit D. Hieronymus: *in capite lapidum ignitorum constitutus*, vt notat S. Bonauentura: attamen deficientem, à nuda scientia denominari. Itaque hinc habetur argumentum pro nobis, quod Vasquez non inuenit.

100 OBIICIES secundò ex D. Damasceno 2. *de fide, cap.*4. vbi ait; Luciferum præfuisse terrestribus potestatibus.

RESPONDET S. Bonau. potuisse sic denominari à D. Damasceno, ex ministerio notiori.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angeli, asseclæ Luciferi, essent Seraphim.

D. Bonau. d.6. q.2.
D. Thom. q.63. art.9. ad 3.

ASSERO, probabile esse de singulis ordinibus aliquos elapsos. Ita Scholastici cum Magistro *d.*6. & 9. & indicatur à D. Cyrillo *lib.* 1. *in Genes. ad med.* & *lib.*4. *contra Iulianum*, *circa* §. 1. Theodoreto *in cap.*6. *ad Ephesios.*

101 PROBATVR à D. Bonauent. ex Hugone de S. Vict. qui ait: *De quolibet ordine aliqui cecidere, & vnum ordinem contrarium fecerunt.* Quasi dicat. Ordines Angelorum à creatione fuere nouem; sed ex his omnibus aliquis auulsi, ordinem decimum rebellium constituerunt, ad quem supplendum homines prædestinati sunt. Hinc capies id, quod ait Leo Papa VIII. *cap. Hi duo, de consecr. dist.*1. & Salonius Vien. *Non ex nouem ordinibus Angelorum, sed ex decimo cecidisse; & homines subintrare.* De hoc *disp.* 1. *quæst.*10. hoc Vide in D. Bonauent. *lib.* 2. *Compendij Theol. cap.* 23. & Suarez *lib.* 7. *cap.*17.

PROBATVR secundò à Seraphico ex D. Gregorio *homil. Pentec.* vbi ait. Quod ad omnes ordines Angelorum aliqui homines assumuntur ad reparandam illorum ruinam; vt vidimus *disput.*1. *quæst.*3. & 9. Hanc rationem è Patribus erutam ait Suarez *num.*4. Morandus *num.*779.

102 PROBATVR tertiò à S. Doct. Lucifer è supremo ordine cecidit. Ergo & de aliis aliqui ceciderunt.

Tandem de infimo ordine aliquos lapsos ostendit, ex secunda Petri, 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit.* De aliis superioribus ordinibus probat è *sexto ad Ephes.* vbi vocat dæmones Principes, Potestates, quasi dicat, etiam è superioribus ordinibus plurimi tenebrescunt. In his non nominantur Throni, vel Seraphim, quia ab actibus quos exercent, nomen accipiunt, vt notat Morandus. Porrò de omnibus ostendit *ex addicto loco Petri.* Omnes enim sunt Angeli, idest administratorij spiritus. Ex quo habes, falsum, quòd ait Suarez *num.*4. nihil de hoc certum extare.

QVÆSTIO VI.

An Lucifer alios traxerit ad ruinam.

D. Bonau. d.5. art.2 q.2.
D. Thom. q.63. art.8.

FVIT opinio Guillielmi Parisiensis *in* 2. *p. primi de vniuerso, in prima eius parte*, Angelos inferiores non suasos, non motos exemplo Luciferi, sed sua sponte defecisse, Vasquez *disputat.*238. adducit etiam Albertum 2. *dist.*6. *art.*3. At iste solùm vult, non suasos; sed exemplo prauo motos, eos aberrasse. Adducit etiam Alphonsum de Castro *contra hæres.* verbo *Peccatum*, *hæresi* 5. quem tamen aliter accipit Suarez *lib.*7. *cap.*17. *num.*11. Adducitur etiam Alensis 2. *p. quæst.*99. *memb.*2. At iste solùm vult, potuisse esse peccatum eorum ex imitatione, quæ prauum supponit exemplum, seu scandalum Luciferi.

Alij dicunt, nil solidum asseri posse, Ita Durandus *d.*6. *quæst.*2. Vasquez *loco cit.*

THEOLOGORVM plausu fertur, peccatum Luciferi fuisse principium ruinæ aliorum. Ita SS. Doctores *hic*, & omnes Thomistæ: sic & Richardus 103
*d.*5. *art.*2. *quæst.*13. Ægid. *d.*6. *quæst.*1. *art.*3. Argent. *quæst.*1. *artic.*4. Altisiodor. *lib.*2. *summæ*, *tractat.*2. *cap.*5. & alij, quos sequuntur Suarez *lib.*7. *cap.*17. Valentia *disput.*4. *quæst.*14. *punct.*6. Molina *quæst.*63. *art.*6. Tanner. *disput.*5. *quæst.*6. *dub.*3. *num.*18. allegans Præpositum *hic*, *art.*8. Alacornium *d.*9. *cap.*9. Arriagam *disput.*24. *sect.*11. & alios Recentiores. Accinit Caspensis *d.* 7. *sect.*2. Marcus Bauduinius *quæst.*57. *art.*4.

ASSERO cum hac sententia, Luciferum suo peccato fuisse aliis principium ruinæ.

PROBATVR à D. Bonau. 1. *ex* 12. *Apoc.* vbi 104
dicitur: *Draco caudâ trahebat tertiam partem stellarum.* Hac authoritate vtuntur cum D. Thoma, Valentia, Tannerus, & alij. Hunc locum sic exposuêre D. Prosper. *in dimid. temp. cap.*3. Andreas Cæsar. *in Apoc. cap.* 34. siue *serm.* 12. Magister *in* 2. *d.* 6. nostrique duo sancti Ecclesiæ Doctores, vt dixi; Thomas de Kempis *sermonib. ad nouitios*, *p.*2. *serm.*10. Vnde ait Ægidius, sic à Patribus, & magistris explicari. Vide quoque Morandum *quæst.*38. idem dicentem. Allegatis ego addo Glossam Moralem *Apoc.*12. Nazianzenum *oratione* 52. apud Mendozam *in primum Reg. cap.*2. *adnot.*28. *sect.*5. Rupertum *lib.*2. *in Genes.* quem sequitur Celada *in Esther.*, *cap.* 2. *versu* 21. §.86. & alios. Quare non rectè Suarez *num.*10. concedit, nil ex hoc loco haberi. Nec rectiùs Vasq. *num.*5. id de sola militante Ecclesia exponit.

PROBATVR secundò à S. Doct. *ex illo Ioan.*8. 105
vbi Lucifer dicitur: *Pater mendacij.* Ibi verò mendacium

dacium dicitur omne peccatum à prima veritate deficiens. Ergo Pater, seu principium etiam peccati aliorum Angelorum.

Hic locus paulò altiùs recolendus. Ibi Christus retundit Iudæos, gloriantes, se filios Abrahæ, & ipsius Dei, arguens: *Si Deus pater vester esset, diligeretis me. Ego enim ex Deo processi.* Rursus: si ex Abraham essetis parente, opera Abrahæ faceretis. Tandem ex eorum iniquitate, diaboli sobolem, eos esse conuincit. Iam verò incipit parallelos apponere dicens: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*; vbi, non solùm mendacium veracitati oppositum obiicit eis: nam suprà assumpserat probandum, eos à charitate, & aliis virtutibus defecisse. Igitur per veritatem oppositam intelligit vitæ rectitudinem, quæ communem virtutem complectitur: sic enim aliquando in scriptu-
106 ra vsurpatur; sic exponit Leo *serm.* 10. *Quadr.* Chrysostomus *homil.* 54. *in Ioannem*, Euthymius *hic.* Vel per veritatem Legem intelligit, vt ait D. August. *lib. contra Adimantum, cap.*4. Vel intelligit fidelitatem, quâ Deo tenebatur, vt alij exponunt cum D. Cypriano *lib. de oratione Dominica.* Vel infert, non stetisse in obedientia, quâ Deo obstringebatur: nam res eatenus dicuntur veræ, quatenus conformantur primæ veritati, vt exponit Lyra, & ferè Glossa Ord. De quo vide plura in D. Bonauent. ad hunc locum. Quare veritati opponit ementitum vitiorum fucum, vt inde veratum virtutum contemptum in eis redarguat, & magnam in omnibus corruptelam. Quæ non aduertens Toletus, de solo mandato exponit.

Huic adde locum *Iob* 41. apud D.Bonau. in Diæta, tit.1. cap.3. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Ideò autem dicitur aliquis Rex, quia alios mouet, & regit. Ideò ait de illo Nazianzenus, carm.6. De substantiis mente præditis: *sceleris dux fuit, atque Magister.*

107 Respondet Vasquez, ibi loqui Iob de bestia Marina *Leuiathan*; sed non rectè dicitur Rex super filios superbiæ. Ideò, qui de Behemot locuti, diabolum interpretantur, quos retuli *quæst. præcedenti*, etiam Leuiathanum sic accipiunt, quibus addit Pineda Isidorum *lib.*8. *Ethymol. cap. de dominis gentium.* Abulens. supra 12. *Matth. quæst.*62. Riberam *Michææ* 5. Leonem de Castro, *Isa.*27. Dicitur ergo Rex superborum, seu filiorum superbiæ, vt eorum rector, & genitor.

Huc alludit *Matth.*25. dum dicitur. *Diabolo paratus ignis, & Angelis eius.*

Probatur tertiò à D. Bonauent. ex Patribus apud Suarez *num.*16. Tannerus *num.*20. Sic Origenes *lib.* 1. *Periarch. proœmio.* Eusebius *lib.*7. Præpositus *cap.*6. & *lib.*4. *demonstr. Euang. cap.*9. Lactantius *lib.* 2. *instit. cap.*14. Nazianzenus *carm.*6. Cæsarius *dial.*1. Chrysostomus *in psal.*14. Ambrosius *ep.*43. vel 84. Hieronymus *ad Isa.*14. Gregor. *lib.*3. *Moral. cap.* 18. vel 23. Damascenus *lib.*2. *cap.*4. Bernardus *tract. de gradib. humil.* & alij.

QVÆSTIO VII.

Quale fuerit peccatum inferiorum Angelorum.

D.Bonau.d.5.art.2.q.1.
D.Thom.q.63.art.2.

OMISSA opinione Lactantij *lib.* 2. *Inst. cap.*4. qui vult, peccatum inferiorum Angelorum fuisse libidinem, quod omninò falsum conuincitur: tum quia Angeli sunt spiritus, non corporei: tum quia lapsi sunt ante hominum generationes; venit enim vnus ad primam mulierem seducendam, cùm adhuc esset Virgo.

Commvnis sensus Theologorum est, fuisse 108
superbiam. Quodnam autem fuerit obiectum huius superbiæ, incepi dicere *quæst.*3. Iuxta modos autem dicendi, circa obiectum superbiæ Luciferi, in varias abeunt Doctores sententias, quas eâ parte omitto, quâ agitatæ sunt à nobis, *quæst. adductâ.* Id monet quoque Morandus *num.*779.

Supponendo igitur, obiectum superbiæ Luciferi fuisse prælationem super alios in gloria sine meritis; Aliqui dicunt, etiam inferiores idem appetiisse, cæteris dominari absolutè, atque præesse. Pro hac sententia adducitur à Vasquez *disp.*238. *cap.*4. Seraphicus; sed immeritò, vt rectè obseruat Suarez *lib.*7. *cap.*18. *num.*8. qui dicit, nullum pro hac sententia Doctorem extare.

Vera igitur sententia D. Bonau. *loco cit.* est, 109
inferiores Angelos appetiisse prælationem proportionalem, ita, vt sub vmbra Luciferi appeterint potiri voluntaria libertate, exempti à diuinis obsequiis, & ministeriis. Idem sentiunt Gabriel *d.* 6. *quæst.*1. *artic.*3. *dub.*3. Maior *quæst.*2. Alensis 2. *p. quæst.*99. *memb.* 2. D.Thom. *quæst.*63. *art.* 8. *ad* 2. vt refert Suarez *num.*9.

Alii dicunt, inferiores Angelos appetiisse Lucifero vnionem hypostaticam, vt sic eorum natura decorata efferretur deitate. Ita Suarez *num.*13. Arridet Vasquez *num.*12. qui tamen in *calce* concludit, nil certè posse definiri.

Assero primò. Angeli inferiores superbierunt.

Probatvr à D. Bonauent. primò, ex D.Gre- 110
gorio 2. *Moral. cap.*25. & Hugone. Adde D.Augustinum 11. *Genes. ad litt. cap.*12.15. & 24.

Probatvr etiam à S. Doct. *argumento*, quo vtitur Suarez *num.*4. Primum peccatum cuiuscunque inferioris Angeli fuit ex nimio amore beneuolentiæ sui potiùs, quàm aliorum; quia naturaliter plus se diligit, quàm alium Angelum. Ergo incipere debuit peccatum Angeli ex amore sui; amor autem beneuolentiæ sui non est nimius, nisi quatenus est amor concupiscentiæ alicuius boni improportionari, quod bonum in Angelis non potest esse, nisi spirituale, & ad aliquam pertinens excellentiam: ergo in omnibus Angelis primum peccatum fuit superbia. Minor probatur à D. Bonauent. quia: *Quidquid est in mundo; aut est concupiscentia carnis: aut concupiscentia oculorum: aut superbia vitæ.* Sed non potuit appetere obiecta primò dicta: ergo fuit superbia.

Assero secundò, ambitio inferiorum Angelorum non fuit supersedendi cæteris omnibus.

Probatvr primò à Suarez *num.*8. *argum.*4. 111
fundamentali D.Bonau. & *argumento primo ad oppositum*, *addito responso.* Peccatum Angelorum fuit ex amore inordinato proprij commodi, cùm non fuerit ex amore honesti; in hoc autem amore Lucifero consenserunt, vt ait Hugo, & Magister: ergo non appetebant omnibus præesse, quia Lucifero non consensissent, ac multò minùs hoc ipse aliis suasisset; vt sibi vellent dominari. Ergo appetebant aliud commodum excellentiæ sibi ipsis. Minor probatur à Vasquez *num.*11. è D. Bonau. quia superbus non admittit socium.

Probatvr secundò à Suarez, *argument.*3. *Se-* 112
raphici Doctoris ad opp. addito responso, quia si Angeli inferiores appetierunt illam excellentiam, quam appetiit

appetiit Lucifer; sequitur, fuisse maius eorum peccatum, quàm Luciferi; sed hoc est falsum: ergo. Maior probatur à S. Doct. quia maior est superbia eius, qui minorem habilitatem habet ad eam excellentiam. Minor probatur: nam Lucifer dicitur: *Rex super omnes filios superbiæ*; cæteri verò dicuntur *Angeli eius*. Tandem Scriptura tota peccatum Luciferi super omnia extollit.

113 ASSERO tertiò. Angeli inferiores non appetiêre Lucifero vnionem hypostaticam.

PROBATVR à D. Bonau. Omnis amor concupiscentiæ oritur ex amore beneuolentiæ; sed amor beneuolentiæ magis fertur in seipsum, quàm in alium: ergo & amor concupiscentiæ, magis appetit sibi, quàm aliis: est enim amor recuruus; vt ait D.Bonau.*fundam*.3. nempè, quia à seipso incipit, seu egreditur ad redeundum in se, concupiscendo sibi. Hoc totum est concessum à Suarez; vt dixi *assertione prima*.

Nec valet responsio Suarez, cæterós Angelos non appetiisse sibi eam excellentiam, quia non erat tanta occasio superbiendi, sicut in Lucifero; de quo per Antonomasiam dicitur: *Eleuatum est cor eius*; esto enim superbierint appetendo excellentiam, non indiuiduo proprio; sed naturæ Angelicæ, contra decretum Dei ordinantis vnionem illam inferiori naturæ humanæ; Attamen ordo amoris exigebat naturæ nobilitatem magis in proprio indiuiduo, quàm in alieno; nec mirum, singulos etiam infimos dedignatos, videntes naturalium suorum præstantiam super hominum excellentiam paruipendi, & eo acriùs, quò poterat quodcumque diuinum suppositum etiam indiuidua omnia, si voluisset, Angelorum supponitare.

114 VRGEO, argumento ab aduersariis constructo. Ipsi dicunt, non potuisse Angelos inferiores appetere independentiam actualem à Diuino ministerio (vt vult D. Bonau.) quia appeterent impossibile; vel si possibile existimarent, error esset in intellectu illo præclarissimo. Iam igitur cùm scirent naturam Angelicam, decreto diuinæ voluntatis, fore omninò subiectam humanæ, cui soli erat prædestinata vnio hypostatica; vt fatetur Suarez *n*.14. non poterunt eam ambire, cùm viderent esse impossibile eam consequi; *voluntati enim Dei quis resistit*? nisi dicant, fuisse in Angelico intellectu errorem crassum.

Profectò hic error in via D. Bonauent. non occurrit. Quis enim neget, potuisse Deum contentum dependentiâ essentiali, Angelos eximere à ministeriis, idque, num esset decretum absolutè, ignorari absque suæ scientiæ præiudicio, quæ ad futura contingentia non erat necessariò extensa? esto adesset preceptum, quod est signum voluntatis merum.

115 ASSERO quartò, Angelos inferiores peccasse ambiendo quiescere in beatitudine, absque actuali ministerio liberè sub vmbra Luciferi.

PROBATVR à S.Doct.*in fundamentis,& corpore*. Superbia Angelorum inferiorum fuit inordinatus appetitus alicuius boni sibi ipsis; vt ostendi *in primo asserto*, hoc autem bonum fuit excellentiæ propriæ concorditer cum Lucifero: ergo appetiêre aliquam excellentiam sibi sub Lucifero Principe; hæc verò non est vnionis hypostaticæ, vt vidimus *quæst*.3. ergo exemptionis in beatitudine à ministerio. Sic assignatur ambita excellentia, quidquid dicat Suarez *num*.11.

116 OBIICIES cum eo; non est probabile, Angelos superbos, se potiùs Lucifero, quàm Deo, ad ministeria obtulisse.

RESPONDET S. Doct. noluisse eos ministeria, quæ Deo exhibenda erant, Lucifero præstare; sed potiùs sub eo omninò requiescere, non expectandò ab eo beatitudinem, vt putat Suarez *n*.12. ex nostra sequi assertione; sed acceptâ à Deo beatitate absque obsequiis, & ministerio, quiescere cum Lucifero, & sub eo maiori frui libertate. Sic enim æstimat superbus sibi satiùs (vt ait S.Doct. *in corpore*) sub inferiori liberiorem esse; quàm superiori exactè seruire. Sic Angli, occiso Rege, se CROMVVELLO subiecêre.

QVÆSTIO VIII.

An Lucifer, solo exemplo; an etiam subornatione, inferiores Angelos ad ruinam traxerit.

D.Bonau.d.5.art.1.q.2
D.Thom. q.63.art.8.

VIDENDVM fuit priùs inferiorum Angelorum peccatû, antequam hoc Luciferi decideremus. Hoc sanè incertum asserunt Vasq. *disp*.128. *c*.2. Valentia *disp*.4.*quæst*.14.*punct*.6. Tannerus *disp*.5. *quæst*.6.*dub*.3. post Durand. 2.*dist*.6.

ALIQVI dicant, solo prauo exemplo Angelos fuisse in ruinam adactos. Ita Albert.*in* 2 *dist*.5.*art*.3. Guilel. Parisiensis 1.*part*. 2.*partis de vniuerso*,*c*.112. Castro, verbo *peccatum*, *heresi* 3. Arriaga *disp*.24. *sect*.11. Adducitur quoque D. Bonau. *hic*; sed ipse videtur, & exemplum, & suasionem admittere, *fundam*.4.licèt *in corpore*, solum exemplum memoret: & *dist*.5. *art*.2.*quæst*.2. *ad vlt*. solam insinuationem concepti animi in Lucifero concedat.

Alij voluere, etiam suasione tractos ad peccatum 117 à Lucifero. Ità D.Thom.*hic*, vbi Caietanus,& omnes Thomistæ, Alens.2.*part*.*quæst*.99.*memb*.2. Altisiodor. *lib*.2.*summæ*, *tract*.2.*cap*.5. D. Bonau. *hic*,& Richard. 2.*dist*.5.Ægid. Argent.Gabriel,Maior,Durand.2.*dist*.6.Molina *quæst*.63.*art*.6.Suarez *lib*.7.*c*.17. Inclinant Valentia,& Tannerus; estque Sanctorum Patrum, quos retuli *quæst*.3. Et quidem in re, quæ pendet ex *facto*, maximam vim habet authoritas plurium, vt benè aduertit Morandus *tract*.7. *q*.38. cum Arriaga *num*.76. Hac de causa plures sæpè Doctores recenseo ad nostras sententias roborandas.

ASSERO cum hac sententia, Luciferi suasione 118 cæteros Angelos apostatasse.

PROBATVR à D.Bonau. fundam.1.ex 12. Apoc. *Draco trahebat tertiam partem stellarum*; sic exponitur à Patribus. Verbum *trahendi* certè aliquam exprimit maiorem causalitatem, quàm praui solius exempli, vt monent Suarez *loco cit*.& alij.

PROBATVR secundò à S. Doct. ex *Ioan*.8. vbi Lucifer dicitur: *Pater peccati*, vt ostendi *quæst*.7. ergo influit valdè in peccatores Angelos; non Physicè: ergo moraliter, consilio & suasione.

PROBATVR tertiò ab eodem S. Doct. *fundamento* 4. quo nititur Suarez *num*.24. Peccatum Luciferi merè internum fuit ex affectu superbiæ; non potuit autem aliis esse in exemplum, nisi manifestaretur à Lucifero per locutionem, sine qua cæteri non poterant cor eius peruadere: sed non est credibile, Luciferû exposuisse aliis suum prauum affectû, solummodò recitando; sed potiùs, vt eos haberet

sectatores suæ elationis, cui totus erat intentus. Quod optimè exprimitur illo Ezech. 28. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate.* Ergo verosimile est eum manifestasse rationes, quæ eum mouerant ad rebellionem. In oppositum nil solidum, vt ait Morandus *num.* 777. affertur.

QVÆSTIO IX.

An peccatum inferiorum Angelorum fuerit posterius tempore peccato Luciferi.

S. D. Bonau. loco citato.
D. Thom. loco cit. ad primum.

PLVRIMORVM placitum est, inferiores Angelos, posteriùs naturâ quidem; sed simul tempore cum Lucifero lapsos. Ità D. Thom. *loco cit.* Altisiodor. *lib. 2. summa, tract. 2. cap. 5.* Alens. 2. *part. quæst.* 99. *memb.* 5. Ægid. 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 4. Durand. & Argentina suprà, *quæst.* 8. adducti. Valentia *quæst.* 14. *punct.* 6. Vasq. *disp.* 238. *cap.* 3. Suarez *lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 24. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 3. *num.* 21. Auersa *quæst.* 63. *sect.* 1. Præposit. *hoc art.* 8. vbi omnes Thomistæ. Morandus *tract.* 7. *quæst.* 38. Arriaga *disp.* 24. *sect.* 11. *num.* 79.

E regione Seraphicus docet, Angelos inferiores posteriùs tempore deliquisse. Eum sequitur Molina *quæst.* 63. *art.* 6. & fatetur Tannerus, non carere probabilitate, ideò oppositam esse incertam. Inclinat Morandus.

119 ASSERO cum hac sententia, inferiores Angelos deliquisse posteriùs tempore, quam Luciferum.

FVNDAMENTVM Seraphici refertur à Suarez *num.* 18. mutilum, & spernitur: mox verò *num.* 20. affertur integrum, quasi suo marte constructum, & laudatur ab eo. Est autem *Quartum* S. Bonau. quod *in corpore* exponitur. Ad hoc vt Lucifer inferiores Angelos ad peccandum induceret, oportuit priùs, vt Angelus plura per modum plurium intelligeret, siue vt bona facienda, siue mala vitanda, atque, vt ex his simul comparatis vnum eligeret; atque ità eligens bonum commodum, relicto honesto, intus peccaret. Post consummatum verò peccatum, debuit mentem applicare ad loquendum aliis, suam prauam aperiendo voluntatem; ad hoc autem necessaria fuit noua applicatio ad locutionem externam, nouo actu intellectus, & voluntatis trahendi ad seditionem contra Deum alios Angelos. Hæc autem locutio in tot variis Angelorum agminibus debuit esse varia, secundùm eorum capacitatem; variæ scilicet promissiones, variæ rationes, varia motiua. Deinde necesse fuit, vt Angeli perciperent hæc omnia tam diuersa, vt conuenirent ad rebellionem, & consentientes inter se, & cum Lucifero seditionem excitarent. Hæc autem, quis non videt vno instanti indiuisibili non potuisse fieri? 120 maximè si operationes singulæ vnum instans prærequirunt, & in sententia quoque eorum, qui instantia Angelica numerant, iuxta operationes, & actus Angelorum, quos refert Faber *disp.* 30. *num.* 5. Hinc ruit responsio D. Thomæ *hic*, Auersæ *q.* 63. Morandi *num.* 777. Præpositi *art.* 8. *dub.* 3.

OBIICIES primò cum Ægidio, & Arriaga. Si primus Angelus priùs tempore, quàm cæteri, peccasset; priùs tempore damnatus esset, quàm alij; atque adeò non potuisset alios ad peccatum inducere: tum quia alij fuissent iam beati, cùm non priùs fuerit damnatus Lucifer, quàm alij beatificati; tum quia cæteri videntes deformitatem, & exterminium eius, ipsum detestati fuissent. Hoc argumentum sumpsêre ex D. Bonauent. *hic*.

RESPONDENT Suarez, Vasquez, Morandus, 121 pluresque alij ex D. Bonau. *hic*, primum, & secundum instans illud coëxtitisse aliquali nostri temporis durationi. Itaque potuit Lucifer inchoare peccatum, & ante consummationem alios sollicitare, atque ità sicuti intensiùs fuit; ità extensiùs protrahi potuit.

RESPONDET secundò meliùs Seraphicus Doctor, & cum eo Vasquez *num.* 8. quod Sathanas non statim cecidit post ambitionem; sed postquam peccatum eius consummatum est, post odium, & diuisionem bonorum Angelorum à malis. Neque verò dedecus peccati, & carentiæ gratiæ cæteris apparebat, cùm esset internum; neque statim deiectus est de cœlo post peccatum, licèt pœnam subierit bonorum externorum, sicut etiam Adam subiit statim post peccatum; nec tamen statim è paradiso fuit pulsus.

Ex his ruit argumentum Durandi, non potuisse 122 Angelos inferiores seduci à Lucifero, quia nullus intendens ad malum operatur; si autem peccatum Luciferi præcessisset, manifesta fuisset inferioribus eius malitia; sicut & gratiæ, atque donorum dilapidatio.

RESPONDET tertiò S. Bonauent. *ad vltimum* ipsos vidisse carentiam gratiæ, & donorum supernaturalium in Lucifero, erant enim entia satis exposita; sed eos respexisse ad aliquod bonum apparens. Sic & Vasquez *num.* 9. & Molina *loco citato*.

OBIICIES secundò cum Vasquez *num.* 10. Eodem instanti potest aliquis intellectu percipere, volontate adhærere, suumque conceptum exponere; & ità alios trahere.

RESPONDET D. Bonauentura, negando assumptum: nam, vt dixi *in fundamento*, ad hoc concurrunt tot actus, vt nequeant vno fieri instanti; vt aduertit etiam Suarez *num.* 20. 123

Ex dictis colligo, Luciferum suasisse etiam aliis; sed eos pugnasse, ac ei restitisse. Ideò *Apoc.* 12. dicitur: *Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone: & Draco pugnabat, &c.*

Collige etiam, inferiores Angelos non statim peccasse post primum instans creationis; sed post Luciferum, qui nec in primo peccauit instanti.



DISPVTATIO VIII.

De Pœna Dæmonum.

STIPENDIVM peccati pœna: Ideò Angelorum malorum consideratis culpis, proponendæ sunt pœnæ.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

An intellectus Dæmonum sit obtenebratus.

D. Bonau. d.7. p.2. q.1. & 2.
D. Thom. q.64. art.1.

ALIQVA disserui *disputat. 2. quæst. 25.* cætera verò *hic* apponam.

ASSERO primò, Intellectum Dæmonum, aliqua ex parte esse obtenebratum ob culpam.

1 PROBATVR primò à D. Bonau. *quæst. 2. argum. 1. cum solutione*, illo Ezech. 28. *Tu plenus sapientia, eleuatus es in decore tuo, & perdidisti sapientiam*; Hac authoritate optimè probatur, vt ait Suarez *lib. 8. cap. 6.*

PROBATVR secundò à S. Doct. *quæst. 1. argumento 1. & 3.* Non minori seueritate Deus puniuit Angelos, quam homines: sed homines ob peccatum perdidere sapientiam: ergo magis Angeli, quippè qui, maiori malitia intellectûs, donis abutentes, deliquêre. Confirmatur à Suarez ex D. Bonau. *quæst. 1. argum. 5. cum responso*, & *in corpore.*

Excæcatio, & obstinatio sunt pœnæ peccatorum consequentes, & vna est causa alterius: sicut enim bona affectio sequitur cognitionem: ita obstinatio sequitur oppositum cognitionis, quia si vnum oppositum est causa oppositi; & horum oppositorum alterum sequitur ex altero: sed dæmones sunt obstinati: ergo & excæcati; vt constat, nunc enim sæpè decipiuntur, vt ait Suarez cum D. Bonauent. Certè ante peccatum non erant tales.

2 ASSERO secundò, Angelos non fuisse priuatos cognitione naturali.

Probatur à D. Bonauent. *quæst. 1. fund. 1.* ex Lucæ 16. *Filij huius sæculi prudentiores sunt filiis lucis.* Sic isti filiis tenebrarum opponuntur.

Probatur secundò à S. Doct. ex D. Dionysio *cap. 4 de diu. nom.* vbi docet; naturalia dæmonum non esse amissa: quia, quæ per naturam incorruptibilia sunt, non corrumpuntur peccato. Hac authoritate nituntur D. Thom & cum eo Vasquez *ad art. 1.* Suarez *num. 2.* Morandus *quæst. 19.* Tannerus *disp. 5. quæst. 4. dubio quinto.* Confirmatur à D. Bonau. ex D. Isidoro *lib. 1. de summo bono, cap. 12.*

RATIONEM S. Dionysij confirmat S. Doct *quæst. 2. in duobus primis fundamentis.* Omne, quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: sed species rerum sunt in memoria incorruptibili Angeli: ergo sunt incorruptibiles.

Confirmatur à Seraphico, *fundamento 4.* quia species Angelico impressæ intellectui neque habent contrarium; neque ex contrariis sunt; neque sunt in subiecto habente contrarium: ergo secundùm Aristotelem sunt incorruptibiles.

DICES, species in nobis euanescunt. Respondet S. Doct. idesse, quia pendent ab organo corruptili. Vide *fundamentum quintum.*

3 Addit Seraphicus, dæmonem posse proficere experientiâ, quod notauit & Suarez *num. 3.* & est doctrina August. *lib. de diuinatione dæmonum.* Quod si aliquando decipiuntur, hoc euenit, quia, ex coniecturis incertis, præsumunt certò asserere, quod Angelis bonis non euenit; vt ait D. Bonauent. *distinct. 7. p. 2. quæst. 3.* post D. Augustinum, quod aduertit & Suarez *num. 4.* Arriaga *disp. 25. sect. 4.* Morandus suprà.

ASSERO tertiò, dæmones spoliatos cognitione supernaturali. Est communis Theologorum.

PROBATVR à D. Bonauent. *1. quæst. 1. arg. primo cum responsione* ex D. Augustino *1. de Genes. ad litt. cap. 17.* vbi, Angelos prauos ait intelligi per tenebras. Genes. 1. *Diuisit lucem à tenebris.* Sed quoad speculatiua, nonnulla nouit è signis è memoria, &c. Quoad praxim verò, actum est. Ita omnes Theologos sentire, ait Morandus. 4

PROBATVR à S. Doctore *argum. 7.* quia cognitio supernaturalis requirit Dei auxilium supernaturale, quo priuati conuincuntur dæmones, vtpotè de fine huiusmodi desperati, qua ratione vtitur Suarez *num. 5.*

ASSERO quartò, dæmonibus non inesse habitum fidei infusum. Ita S. Bonau. *3. dist. 23. art. 2. quæst. 3.* D. Thom. *2. 2 quæst. 5. art. 2.* & est communis Theologorum, vt notat Suarez *lib. 8 cap. 6. num. 6.* Oppositum verò asserere, ait temerarium esse.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in fine corporis*, tum ratione statûs, in quo sunt tali bono indigni, tum quia superfluus esset ille habitus ex inhabilitate dæmonis obstinati in malo. Tum quia fides est dispositio viatorum, per quam ambulamus ad patriam; at dæmones sunt extra viam desperati. His rationibus, quas refricat S. Doctor etiam *in fundamentis*, vtitur Suarez *num. 6.* 5

Dices. *Iacobi 20.* habetur: *Dæmones credunt.*

RESPONDET Suarez *à num. 7.* ex D. Bonau. *ibi, in corpore*, & *ad primum*, nomen fidei informis æquiuocè sumi, propriè enim significat habitum infusum, quo veritates diuinæ reuelatæ voluntariè, & cum certitudine diuina creduntur: Transfertur verò ad significandum quemlibet assensum cuiuscumque ad veritatem supernaturalem, non visæ, in diuino testimonio aliqua ratione fundatum. Hoc sensu dæmones credunt, puta ex euidentia signorum; quia vident, nullum Christianæ religionis professorem, legisque Christi obseruatorem damnari; & hoc sensu D. Thom. *2. 2. q. 18. art. 3. ad 2.* concedit dæmonibus, aliisque damnatis fidem: & hoc sensu D. Augustinus passim, & Glossa in id Rom. 1. *Iustitia Dei reuelatur de fide in fidem*, ait, Fidem dæmonum esse similem fidei eorum, qui, nomine tenus, dicuntur Christiani. Ità non est habitus fidei, vt notat etiam Morandus *in D. Thoma.* Fuliens. *lib. 3. cap. 9.* 6

Hinc habeo, illos non habere alios actus supernaturales; hi enim funduntur in fide, loquendo de viatoribus.

ASSERO quintò, dæmones esse priuatos rectitudine iudicij moralis practici. 7

PROBATVR à D. Bonauent. *argument. 4. cum responsione.* Veritas iudicij practici moralis sumitur in ordine ad opus moraliter bonum: sed dæmones nequeunt habere affectum rectum ad opus bonum morale: ergo. Minor ostendetur *quæst. 4.* Hac ratione vtitur Suarez *num. 11.*

QVÆSTIO II.

An Voluntates Dæmonum sint adeò obstinatæ, vt nequeant rectificari.

D. Bonau. d.7. p.1. q.2.
D. Thom. q.64. art.2.

OMISSIS hæreticis, qui dixêre, dæmones aliquando rectificandos; iam enim *Matth. 25.* igni

igni æternè destinati asseruntur. Definitur in Quinta, & Septima Synodo *act.* 11. & *cap. firmiter*, & SS. Patres clamant contra Origenem, quos referunt Valentia *quæst.* 15. *punct.* 2. Molina *hic*, *art.* 2. *disp.* 1.

8 Salmeron 2. *Petri*, 2. *disputat.* 3. *dub.* 3. sustinet, potuisse Dæmones in via conuerti ad Deum. Idem ait Gabr. 2. *dist.* 6. *art.* 2. *concl.* 1. secundùm Scotum: quod verò aliqui resipuerint, non audet asserere.

Assero tamen, nullum Angelorum, qui peccarunt, potuisse pœnitêre.

9 Probatur primò à D. Bonauent. ex Damasceno lib. 2. de fide, cap. 4. & 18. *Quod est hominibus mors, hoc est Angelis casus.*

Deinde ex D. Fulgentio, de fide ad Petrum, cap. 3. *Sic creauit Deus Angelos, vt qui vellent, perpetuò boni essent; & qui nollent, nunquam eos Diuina misericordia repararet.*

Mox è D. Gregorio *lib.* 4. *Moral. cap.* 10. vbi ait: *Angelum ita per superbiam cecidisse, vt reparari non possit.* Ita hæc est pœna culpæ; vt ait Mærac. *disp.* 52. *sect.* 1. Tannerus *disputatione* 5. *quæstione* 6. *dub.* 6. Et ex D. Augustino in Enchir. cap. 29. *Placuit vniuersitatis Conditori, vt multitudo Angelorum, quæ perierat, in æterna damnatione remaneret.*

10 Probatur ratione à S. Doct. *distinct.* 6. *art.* 2. *quæst.* 2. *argumento primo*; *sed contra*, adhibita responsione, ex D. Petro, epist. 2. cap. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*; quæ verba vim habent vniuersalis negatiuæ; vt vidit cum Seraphico Suarez *lib.* 8. *cap.* 1. *numero* 5. Tannerus *distinct.* 5. *quæst.* 6. *num.* 7.

Respondet Salmero, Deum non pepercisse eis, quia noluerunt: sed gratis hæc dicuntur: nam aliis scripturæ locis idem colligitur; vt illo S. Iudæ Apostoli: *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

Obiicies ex D. Cyrillo, Catech. 2. *Sed nescimus quanta ille, & Angelis condonauerit; indulget enim & illis.*

11 Respondetur, sensum esse; Deum misereri eorum fragilitati, & punire citra condignum: subdit enim: *Quandoquidem ille vnus est, qui peccare non possit.*

Probatur tertiò à D. Bonauent. *fundam.* 3. Similis est ratio confirmationis in bono, & obstinationis in malo: sed Angeli sancti statim confirmati in bono, facti sunt immutabiles ad malum: ergo & dæmones ad bonum. Hæc est vnica ratio in re tam ardua, vt notat Suarez *numero* 14.

Probatur quartò à S. Doctore *fundament.* 4. Grauiùs peccauit Angelus, quàm homo: ergo & grauius puniendus fuit: sed peccatum hominis fuit statim pœnâ mortis irreparabili punitum: Ergo & Angelus morte spirituali. Hæc similitudo colligitur ex Damasceno citato.

QVÆSTIO III.

Cur nequeant Dæmones conuerti ad Deum.

SS. DD. vt suprà.

Certum est ex ordinariâ potentiâ, Dæmones non posse conuerti; imò de absolutâ, supposito decreto, quod nobis constat esse immutabile: quidquid dicat Faber *disput.* 34. *num.* 5. est tamen in Deo potentia ad rectificandam Angelorum illorum voluntatem, abstracto decreto Diuino; vt ait S. Bonauent. *in corpore*, cui omnes Theologi dant manum, vt ait Morandus *quæst.* 40.

Aduertit autem S. Doct. duo exigi ad rectificandam voluntatem dæmonis; nempè ex parte Dei gratiam; & ex parte dæmonum pœnitentiam. 12

Aureolus 2. *dist.* 7. *quæst. vn. art.* 1. putat, Deum infudisse dæmonibus habitum odij, adeò intensum, vt non admittat actum pœnitentiæ. Huic affines sunt Ocham 2. *quæst.* 19. & *quodl.* 1. *quæst.* 14. & Gabriel. apud Aureolum, dicentes, Deum infundere, vel saltem perpetuò conseruare odium diuinæ bonitatis. Hæc falsa sunt; alioqui Deus esset author peccati; vt infert D. Bonauent. *in corpore*, & Faber *loco cit.* Tannerus *disputat.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 5. *num.* 15.

Respondet Vasquez, rationem non vrgere, quia tunc odium esset necessarium, atque adeò non esset peccatum. At ita certè aggrauatur Deus, vt sit tota causa libera peccati; vt rectè infert Faber cum D. Bonauentura. 13

Confirmatur à Fabro ex verbis Seraphici, quòd ille habitus, seu actus naturalis, non posset cogere voluntatem, quæ naturæ non alligatur.

Neque dicat Ocham, Deum non peccaturum, quia legi non tenetur: Sanè illud odium est contra primam mandatorum tabulam, ex natura sua absolutissimè malum, etiam non datâ lege positiuâ.

Omitto opinionem Thomistarum, confutatam *disp.* 3. *quæst.* 12. in voluntatis Angelicæ innatam immobilitatem refundentium totam causam. 14

Communis sententia decreto Dei totum negotium adscribit, quo negatur in æternùm Angelis gratiæ efficacis auxilium. Ita censent communiter cum D. Bonauent. *ibi*, 2. *dist.* 7. vbi Richard. Scotus, Ægidius, Durandus, Arim. Maior, Bassolis; Altisiodor. *lib.* 2. *summa*, *tract.* 2. *cap.* 6. Albert. 2. *p. tract.* 5. *quæst.* 25. *art.* 4. Marsil. 2. *art.* 5. *quæst.* 3. Ocham 2. *quæst.* 19. & *quodl.* 1. *quæst.* 14. Molina *quæst.* 64. *art.* 2. *d.* 2. Valentia *quæst.* 15. *punct.* 2. Vasq. *disput.* 239. *cap.* 7. & *disp.* 240. *cap.* 3. Suarez *lib.* 8. *cap.* 7. *à num.* 6. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 5. Arriaga *disp.* 25. *sect.* 5. Morand. *num.* 747. & communiter extra Scholam D. Thomæ, præsertim apud Scotistas. Ita cum Scoto *dist.* 7. *quæst. vn.* Lichet. Tartaretus, Faber *disp.* 34. Vulpes *disp.* 32. *art.* 7. Brancas *disp.* 10. *quæst.* 17. Poncius *disp.* 15. *quæst.* 4. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 5. neque eam Thomistæ negant esse causam, tametsi esse inadæquatam dicant; vt refert Ioan. de S. Thoma *dist.* 24. *art.* 2.

Probatur ex Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Isa. 66. *Ignis eorum non extinguetur.* Ex quibus colligit D. Aug. 21. *de ciu. cap.* 14. & 23. Deum nunquam eis daturum gratiam. Et Damasc. 3. *de fide*, *cap.* 18. ait: *Angeli ideò impœnitentiæ incapaces; quia carent gratiâ necessariâ ad debitum pœnitendi modum.* Et D. Gregor. *lib.* 2. *Moral. cap.* 3. ait: *Deus apostatam Angelum nunquam ad pœnitentiam vocat*; Nempè iam in termino sunt constituti. 15

Multas verò afferunt Theologi congruitates, cur tanta Deus seueritate Angelorum culpas punierit. Eas in Seraphico sparsas inuenies, præcipuè *hic*, *in corpore*.

Primò

Primò affert aliquos dicentes, grauissimum peccatum, grauissimè puniendum fuisse.

At S. Doct. redarguit, dicendo etiam sceleratissimos homines, misericordia fuisse præuentos, vt Manaen, Nabuchodonosor, & alios plures.

Secundò refert dicentes, puros spiritus sic puniendos, qui non infirmitate carnis cadunt; vt homo. Ita Nyssenus *lib.* 1. *sua phil. cap.* 3. Cassianus *collat.* 4. *cap.* 14. Damasc. 2. *de fide*, *cap.* 3. Gregor. Magn. *lib.* 4. *Moral. cap.* 9. Isidor. *de summo bono, cap.* 12. *sent.* 11.

16 Vasquez *disputat.* 239. *num.* 9. ait, hanc rationem impugnari à Bonauentura, quia homo consecutus est veniam, etiam si carnis incentiua non haberet. Ipse autem Vasquez honorem Sanctorum Patrum Zelans, ait, eos non incentiuo, sed innatæ fragilitati, hanc adscripsisse Dei in homines misericordiam; qua spiritus purus indignus erat.

17 At S. Doct. solùm ait, hanc verè esse congruitatem, non rationem conuincentem, quia caro non adeò retardabat intellectum Adæ, vt ex mera laberetur fragilitate; non enim deceptus est, vt ait Apostolus; multò minùs fomite scatebat, & tamen misericordiam consecutus est: nec carnis fragilitate exutum reddit necessariò Angelum desperatum.

Alii dixere, Dæmonem non fuisse redimendum; quia cùm esset purus spiritus, cuius intellectus non fatigatur, semper est in actu, & à primo actu peccandi semper peccat.

18 Redarguit S. Doct. quia Angelus non ita est in actu necessario, vt Deus; neque tamen ab omni actu cessans; vt homo, ob somnum, &c. atque adeo poterat gratiâ præueniri, cùm & homines in actu peccandi nonnunquam vocarit; vt Saulum.

Alii dicunt, Dæmonem nullo tentatore deliquisse, vt homo. Ita S. Gregorius *lib.* 4. *Moral. cap.* 10. Prosper *lib.* cui titulus *Dimidium temporis, cap.* 2. Alens. 2. *p. quæst.* 99. *memb.* 7. Vasq. *num.* 30. ait, hos sic redargui à Bonauentura, quia etiam Angeli inferiores tentati sunt, suasi à Lucifero, quod ait Vasquez esse incertum. At S. Doctor de Lucifero loquitur, præcipuè; de quo est certum, non fuisse tentatum; & de hoc admittit comparationem: de cæteris verò ostendi *disput.* 7. *quæst.* 8. fuisse tentatos. Addit verò S. Doct. nil repugnasse, hominem, etiam non tentatione lapsum, redimi.

Aliorum ratio est: quia in homine lapsa est tota natura; non sic in Angelo. Ita D. August. *in Enchir. cap.* 29. Magister 2. *d.* 21. *cap. penult.* Alensis 2. *p. quæst.* 99. *memb.* 7. Richard. *d.* 7. *art* 2. *quæst.* 1.

Redarguit hanc rationem, tanquam meram congruentiam: quia multi peccatores, in quibus tota natura non ruit, vocantur à Deo ex abominationibus plurimis, quibus fœdantur.

Respondet Vasquez, concesso Adæ remedio, fuisse posteà homines singulos vocandos; quia ex eodem genere erant.

Ratio tamen D. Bonauent. hæc est; nil prohibuisse subleuari naturam, & vnum Adam peccantem actualiter, & perdentem omnes, meritò damnari.

19 Alii dicunt, Angelum non esse veniam consecutum, quia creatus in altissimo statu viæ, vno actu amoris diuini confirmandus erat in gratia; & tamen tenuit; homo autem in terra, loco à beatitudine magis remoto, fuerat constitutus. Ita Author *mirab. script. lib.* 1. *cap.* 2. Hanc rationem non refellit S. Doct. *in corpore.*

Aduerte, Seraphicum agnouisse suprà allegatas rationes, allatas fuisse à Patribus, vt congruentias; atque adeo ipse id ostendere satagit ad mentem eorum. 20

Aliam rationem conuincentem putat D. Thom. 4. *cont. Gent. cap.* 45. dicens, errantes circa finem, non posse in finem dirigi, nisi auferatur à voluntate praua dispositio; sicut non potest intellectus à principiis corrigi, nisi praua tollatur erratica dispositio.

Contrà arguit Faber *num.* 24. ex D. Bonauent. *in corpore*: quia praua illa dispositio est accidens, quod non potest voluntatem necessitare ad obstinationem; vt ostendi *disput.* 3. *quæst.* 12.

Præterea culpa, & priuatio gratiæ non potest habere causam positiuam. Et ideò non influxu aliquo Dei, vel Angeli positiuo conseruatur; sed priuatione, seu defectu; vt arguit S. Bonauent. *in corpore*, & cum eo Suarez *num.* 8. 21

Igitur vera sententia est, quam dixi, Angelum esse irreparabilem, quia Deus illi statuit viam in prima operatione terminari, qua peracta fuit in termino, siue gloriæ, siue damnationis. Ita allegati suprà Doctores, & Patres. Addit Vasquez *cap.* 7. (quasi ex proprio) dari in Angelo aliquod demeritum, quo licèt posset dici Deus illum expectare; attamen non conuenisse, quia abusus erat gratiâ, mirè naturalia ipsius perspicacissima ad celerem gloriam efferente. Hæc verò est doctrina D. Bonauent. *in corpore.* Addit Vasquez *disputat.* 140. *num.* 9. non satis explicari à D. Bonauent. de qua gratia loquatur. At S. Doct. clarè dicit, inconuertibilitatem Luciferi venire ex defectu gratiæ gratis datæ, quæ præuenit voluntatem, vt pœniteat, vt sine qua nemo potest se præparare ad gratiam sanctificantem.

Hinc sequitur, dæmones non peccare, ex eo quod pœnitentiam dignam non agant, quia, cùm mediis necessariis à Deo priuati sint; atque adeo impossibile sit eis conuerti; diuina Iustitia, quæ non præcipit impossibilia, illis non imputat, non conuerti. In hoc verò sunt duo; nempe impotentia, quæ est pœna, & propositum permanendi in peccato, quod est culpa, vt monet Morandus *num.* 787. cum Vasquez *disp.* 239. *cap.* 3. Meratio *d.* 52. *sect.* 1. damnati tamen per hoc non demerentur, quippè qui sunt extra viam, vt fatentur omnes Theologi apud Suarez *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 26. Vasquez *disput.* 241. *num.* 19. Tannerum *dub.* 5. *quæst.* 6. Morandum suprà. Demeritum tamen accidentale è ministeriis prauis aliqui dant Dæmonibus. 22

Faber *disputat.* 34. diffunditur ad ostendendum, qua ratione Lucifero repugnet Diuinum auxilium. Dicit autem, in eo esse potentiam Logicam, idest ex parte naturæ non implicare; repugnare tamen extrinsecè, ex Dei decreto. Falluntur autem Scotus *loco cit.* & Faber *num.* 25. concedendo, obstinationem illam habere causam positiuam, quæ est voluntas creata: hanc autem dicunt esse actum Angeli, qui est ab eo solo; non à Deo, qui negatiuè tantùm se habet. 23

Contrà enim est; quia actus, vt negatiuus, non habet causam positiuam: actus autem, vt malus, est negatiuus; & in eo quod habet positiui entis, debet esse à Deo primo Ente. Quare si peccatum est ens positiuum, erit à Deo, vt rectè arguit S. Doctor *hic.*

Assero, causam inconuertibilitatis dæmonum esse statum extra viam.

Probatur à D. Bonauent. ex Damasceno, Fulgentio,

Fulgentio, & aliis Patribus suprà allegatis etiam *quæst.* 2. vbi habes etiam rationes, quas desumpsit Vasquez *disp.* 140.

Probatvr etiam *hic in corpore* argumento. Si aliqua passio inest aliquibus subiectis, inest eis secundum aliquid commune: sed dæmones, & animæ separatæ non possunt conuerti: ergo per aliquod commune: sed hoc non est natura, nec modus peccandi; nec inuenitur communitas, nisi ex parte status: ergo. Confirmatur ex D. Fulgentio *de fide*, *cap.* 5. vbi vult, vnam esse causam, ob quam Deus iudicabit animas simul, & Angelos.

24 Respondet Caietanus rationi, quam putat Scoti, disparitatem esse ex immobilitate Angelicæ voluntatis, quæ non est in anima.

At hæc confutata est *disput.* 3. Deinde illa obstinatio est libera per te: ergo potest non esse. Vide Suarez *lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 4.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *argumem.* 4 Si ex natura Angeli venit immobilitas in peccato: ergo Deus, qui dedit Angelo naturam, est causa peccati.

Obiicies: si diabolus, ratione decreti Dei, nequit conuerti: ergo obstinatio ei non imputanda. sed neque Deus est causa obstinationis: ergo Lucifer potest conuerti.

Confirmatur ex D. Ambrosio in Lucam cap. 15. *Si diabolus veniam peteret, Deus eum non repelleret.* Et ex D. Fulgentio de fide, cap. 3. *Si humana natura, postquam à Deo auersa, bonitatem perdidit voluntatis ex se ipsa, rursus habere potuisset; multò possibilius hoc Angelica natura haberet.*

25 Respondet D. Bonauent. & cum eó Suarez, Vasquez, Faber, & alij suprà, desperatam salutem dæmonum oriri ex ratione status extra viam, cui statutum est denegari omne auxilium, vt suprà ostendi etiam scripturis. Quoad Ambrosium, loquitur, supposito, quòd gratiam haberet. D. Fulgentius considerat solam non repugnantiam ex natura Angeli, quæ est acutioris intellectûs, & magis bonum agnoscit; Ideò ait: *natura Angelica haberet*; non (*habet*,) nunc verò de præsenti iacta est alea, vt definitur in *in cap. firmiter* in Concilio Lateranensi.

QVÆSTIO IV.

An dæmones sint adeò obdurati, vt malum semper operentur, ac nequeant facere bonum aliquod morale.

D. Bonau. d. 7. p. p. q. 2.
D. Thom. q. 64. art. 2.

Certvm est, eos non posse, opus aliquod meritorium operari; quia carent lumine gratiæ necessariò, & in tenebris coniecti sunt: sicuti in tenebris nos non videmus, tametsi oculis prædíti. Quæstio ergo est de actu bono morali. Et quidem suppono, bonum aliquod morale, posse fieri absque gratia per Christum; vt ostendam contra Vasquez *prima secunda*, *tractat.* 4. *disputatione* 1. *quæstione* 10.

Scotvs *in* 2. *d.* 7. *quæst. vn.* & *in Report. ibidem, quæst.* 3. docet, Angelos damnatos posse bonum aliquod morale naturale: sic Durand. *in* 2. *d.* 7. *quæst.* 2. Valentia *quæst.* 15. *p.* 2. & communiter Scotistæ cum suo Doctore subtili. Ibi Lichetus, Faber *disput.* 34. & multi alij apud Mastrium, infrà citandum, & Tannerum *disput.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 5. *num.* 14. concedentes dæmonibus naturalem peccatorum pœnitentiam.

Secvnda sententia negat, posse Angelum operari aliquod opus morale bonum, non conspurcatum, saltem aliquâ prauâ circumstantia. Ita SS. Doctores, Ægid. 2. *dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 2. Richardus *art.* 2. *quæst.* 2. Gregor. *quæst.* 1. *art.* 2. Capreol. *quæst.* 1. *artic.* 1. *conclus.* 2. Gabr. *quæst.* 1. *art.* 1. Maior *quæst.* 1. *concl.* 5. Marsil. 2. *quæst.* 3. *artic.* 3. Scotus *in* 4. *d.* 51. *quæst.* 1. *art.* 5. Holcot. *in* 2. *quæst.* 4. *litt. R. R.* Suarez *lib.* 8. *c.* 8. Molina *hic d.* 2. Le Petit *tract. de dæmon. cap.* 2 *sect.* 3. & Thomistæ omnes, Vasquez *disput.* 241. addens, Seraphicum, & alios, solùm loqui de facto. Eam probabilem putat Valent. *quæst.* 15. *punct.* 2. qui tamen probabiliùs existimat, posse, imò indicat cum Durando, eos re ipsa quandoque moraliter benè operari, diligendo, v. g. suam, vel aliorum Angelorum naturam. 26

Mastrivs *disp.* 3. *quæst.* 5. *num.* 84. conciliator accedens ait, auctores primæ sententiæ intelligi de potentia physica nunquam ad actum redigenda, posse Angelos malos opus bonum morale agere; non autem morali potentia in actum aliquando deducenda; & de hac negare authores secundæ sententiæ. Hac distinctione resoluunt quæstionem Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 5. *num.* 22. Amicus *disput.* 21. *sect.* 1. Arriaga *disp.* 25. *sect.* 6. *subsec.* 2. Suarez *lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 22. & 23. Mæratc. *d.* 53. *sect.* 1. Auersa *quæst.* 64 *sect.* 4. Morand. *tract.* 7. *quæst.* 40. *num.* 788.

Quoad actum verò omninò negant, dæmones de facto bonum aliquod morale operari: Scotus cum suis, Licheto, Bassoli, Fabro, & aliis primæ sententiæ; excepto Durando, & Valentia. 27

Sententia D. Bonau. est primò, dæmonem actu nil bonum operari: deinde concludit. Quantum ad actualitatem est continuatio in actu peccandi; voluntas eius nunquam requiescit, quia nunquam lassatur, cùm sit incorruptibilis, & cùm in ea regnet peruersitas, semper omnem actum, quem elicit deformat, & deprauat; & ita continuè peccat; & concedendæ sunt rationes ad hoc inductæ. Quibus verbis non physicè ex natura ait merè euenire; sed ex moralitate, supposita eius voluntate peruersa, quæ posset ad actum reduci; nunquam tamen, ex libera quidem, sed peruersa voluntate reducenda est.

Assero, (saltem moraliter loquendo) Angelum non posse bonum opus morale operari. 28

Probatvr à D. Bonauent. primò ex Glossa ad id secunda Cor. 6. *Quæ conuentio Christi ad Belial? sicut Christus benè omnia facit: sic diabolus mala omnia facit.* Hoc sanè ampliùs, quam actum probat. Et ex Glossa ad primam Ioannis 3. *Diabolus ab initio peccat. Ab initio creationis suæ incipiens, vsque in præsens, peccat continuè.*

Deinde probatur à S. Doct. ex D. Fulgentio *de fide*, *cap.* 3. vbi ait: *Sicut beati nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt; sic damnati nullam bonam habere poterunt voluntatem.*

Faber *ad* 4. respondet, loqui de voluntate ad bonum gratuitum. Hoc nititur probare ex D. Augustino *lib. de spiritu*, *& litt. cap.* 27. *&* 28. vbi ait: *Gentes, & in infidelitate permanentes, naturaliter faciunt, quæ sunt legis, vt dicitur Rom.* 2.

At frustra mentem D. Fulgentij ex libris D. Augustini emendicat: neque est ad rem illud effatum, quia non est simile de gentibus, quæ non sunt obduratæ, sicut de dæmonibus extra viam; vbi 29

&

& naturalia ád praxim sunt læsa, & omninò deprauata, vt fatentur multi aduersarij.

Probatvr verò à S. Doctore *fundamento* 4. Obstinatio est confirmatio immobilis in malo, si sit in termino; sed obstinatio diaboli est talis: ergo. Talis autem nequit à malo opere recedere.

Respondet Faber *num*.41. è Scoto, obstinationem diaboli excludere solos actus supernaturales.

Contrà, quia à Patribus acclamatur malitia maxima: ergo & ad actus naturales extenditur.

30 Hoc sanè ostendit locus ille Psal.73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, nempè, quia sicut ab initio peccant dæmones, vt ait D. Ioannes, *loco citando*; semper augetur eorum malitia, vt docet Scotus *in report. disp*.6. *quæst*.2. & Mastrius *disp*. 3. *quæst*.4. *num*.78. hunc locum exponens. Ergo si malitia diaboli ab initio vsque nunc crescit, sicuti in totâ viâ continuata est; ità & nunc actu. Et hoc est, quod ait Ioannes, cap.8. *Diabolus peccat ab initio semper*, quia nempè malâ affectus est obduratâ voluntate. Et hæc illatio ex discursu Ioannis colligitur: *Qui facit peccatum* (ait) *ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat*; & affert exemplum de Caino, qui ideò occidit fratrem; quia ex maligno erat. Igitur vult inferre, omnem actu peccantem imitari diabolum, qui, ex maligna stabili voluntate, semper actu peccat, & non potest non peccare. Et subdit antithesim: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccare non potest*, (in sensu, intellige, composito:) ergo è regione, diabolus non potest non peccare semper.

31 Confirmatur ex D. August. 11. *de ciuit. cap*.13. vbi sic exponit illud Ioannis: *Ab initio sui peccati semper peccat*. Ità etiam Beda, Lyra, Suarez *lib*.8. *cap*.10. *num*.15. & D. Bonauent. *distinct*.7. *part*.1. *quæst*.2.

Vrget S. Bonau. *fundam*.5. Sicuti se habent Angeli confirmati in gratia ad bonum; ità confirmati, & obstinati in malo ad peccatum; sed Angeli boni semper in actu bono ita confirmantur, vt nequeant actum malum habere: ergo & mali semper necessariò, saltem moraliter, in malo obstinantur.

Probatvr tertiò à S. Doct. *in corpore* argumento, quo Richardus, fidus Seraphico, nititur, à quo referuntur id accepisse Capreol. Gregor. Caietanus, & Bannes. Quæcumque sit voluntas dæmonis, vel est voluntas finis, quem primò peccando appetiit, aut ex ea oritur: ergo est mala secundùm se. Probatur antecedens: Omnis voluntas aut est vltimi finis, aut ad illum ordinatur virtualiter. Probatur consequens, quia volitio dæmonis, circa vltimum finem, est inordinata; quia dilexit se supra Deum: ergo omnis actus dæmonis est peccatum. Confirmatur à D. Bonau. quia voluntas diaboli nunquam requiescit, non enim lassatur, quia incorruptibilis est, & independens à sensibus, & cùm in eo regnet immobiliter peruersitas; omnis actus, quem elicit, deprauatur; atque adeò necessariò saltem moraliter peccat. Ità & Tannerus.

32 Respondet Faber, voluntatem dæmonis propendere in malum; attamen liberam esse, & ad bonum naturaliter procliuem: ergo potest moralem aliquem actum bonum ad finem naturalem elicere; quia integra in eo sunt naturalia. Idem ferè Scotus respondet.

At argumentum euertit etiam responsionem. Si enim voluntas diaboli adeò est deprauata, vt in vltimo fine inordinato inhæreat, nec obdormit, sed in eo, vel ex eo perpetuò operatur; sequitur, omnem actum ab eo deprauari.

Tandem huius sententiæ sunt S. Ignatius Martyr *in epist. D. Prosper, lib. de vita contempl. lib*.3. *cap*.12. Fulgentius *de fide ad Petrum, c*.3. Innocent. *de contemptu mundi, cap*.10.

Obiicies primò cum Scoto ex D. Dionysio *cap*.4. *de diu. nominib*. In Dæmonibus naturalia integra remanserunt: ergo habent inclinationem ad bonum.

Respondent Gregorius, Caietanus, Bannes, & alij ex D. Bonauent. *dist*.7. *part*.1. *art*.2. *quæst*.3. *fundamento primo*, & *in corpore*, & *p*.2. *quæst*.1. *in corpore*, & *argumento* 2. *addito responso*, naturalia quidem, quoad substantiam integra manere; & deprauata esse à proteruia quoad actus. Referam D. Dionysij verba: *Non igitur malum est Dæmonum genus, quatenus inest in eo, quod inest secundùm naturam; sed quatenus abest: nec mutatum bonum vniuersum, quod eis tributum est; sed ipsi à toto bono, quod eis datum erat, deflexerunt; dataque eis Angelica munera nequaquam* (hæc vocula in versione Pedionij desideratur) *mutata esse dicimus; sed sunt etiam integra, & nitidissima, ipsique non vident, quòd suas facultates, cernendi causa benignè concessas, obstruxerint*. En nostra sententia, quæ, iuxta Perionium, magis obuium textum retinet, immutata quidem substantialiter remansisse naturalia; sed à toto bono, actibus proteruiâ infectis, deflectere, & facultates datas ad cognoscendum practicè obstructas. Ideò enim ipse ait: *In dæmonibus est furor insanabilis, amens concupiscentia, phantasia proterua*. 33

Instat Faber; Inter naturalia est potentia operatiua: ergo potest operari.

Respondet D. Bonauent. *in corpore*, & *ad quartum argumentum*, quòd naturalis inclinatio superatur à malitia obstinatissimè radicatâ; vnde nequit in actus suos bonos exire. 34

Instat secundò: non potest causa posterior, & minùs principalis, determinare causam priorem, & magis principalem; sed voluntas est causa principalis, & prima actuum: ergo non potest determinari à proteruia ei superueniente, minùs principali, vt nequeat actum liberè elicere.

Respondet S. Bonauent. voluntatem seipsam determinare ad malum, cui si immobiliter inhæreat in sensu composito, non potest velle bonum. Talis est voluntas diaboli, qui in seipso, vt vltimo fine hæret; & ideò omnes actus peruicaciâ deprauat: non oritur autem hoc ex immobilitate voluntatis secundùm naturam; sed secundùm statum, in quo obstinatissimi ad malum carent vniuersali etiam concursu ad bonum morale, rabidi enim contra Deum irreconciliabiliter pugnant, quia, desperatâ veniâ, in pœnis à Deo se vident immersos. 35

Obiicies secundò cum Fabro *num*. 34. ex Scoto. Dæmones habent synderesim, seu remorsum conscientiæ de peccatis commissis; hic autem dolor est bonus: ergo possunt in hoc sistere, vt doleant, absque eò quòd apponatur mala circumstantia. Sic & *Sap*.5. dicuntur damnati *pœnitentiam agentes*. Et diues Epulo in inferno pietate mouebatur in fratres; vt exponit Chrysostomus *homil*.4. *de Lazaro*.

36 Respondent Thomistæ ex D. Bonauent. *in corpore*, & *ad argumenta*, Diabolum non sistere in displicentia peccati; sed peruicacem in peccato remorderi sanè à conscientia; sed remorsum odisse, & contra stimulum calcitrare. Ad id de Epulone, respondet D. Bonauent. eam fuisse affectionem inordinatam ad solos fratres, exclusis aliis: prætereà non fuisse amorem fratrum, sed sui inordinatum; ne ex eorum damnatione sibi, qui eos ad malam vitam prauo exemplo induxerat, augerentur tormenta, vt ait D. Gregor. *homil.*40. *in Euang.* Cupiebat quoque se liberare à dolore causato ex memoria fratrum, quam illi ad pœnam Deus reliquerat: Ideò nolebat, eos secum habere, ne tristitiam iustàm sentiret, vt indicat Beda *in Glossa ordin.* Addit Seraphicus Doctor, fuisse helluonem illum crudelitate actum, vt Lazarum è sinu quietis auelleret, & ad loca periculis consita impelleret. Vide S. Bonauent. *in Comment.* Ad D. Chrysostomum dico, locutum oratoriè ad exaggerandam pœnarum grauitatem, quæ & inuidos obstinatissimos possent ad aliorum pietatem trahere: solet enim dici: Illud tormentum adeò est graue, vt neque inimicis ipsis infensissimis ipsum desiderem.

Instat Faber, voluntatem dæmonum esse liberam essentialiter: essentia autem non est peccato mutata, quod est accidens.

37 Respondet D. Bonauent. *ad* 5. & *in corpore*, quòd in voluntate dæmonum præest obstinatio: & ideò, licèt ad plura mala excurrere valeant, nunquam tamen ad bonum, in sensu illo composito semper indiuisibili, vt dicam *quæstione* 7.*&* 8.

Obiicies tertiò. Dæmones possunt nolle pœnam, quatenus est læsiua naturæ: at talis actus est moraliter bonus: ergo.

Respondet S. Bonauent. *in corpore*, & ad primum, omnem actum à diabolo deformari; & ideò non sistere in dolore illo, vt naturæ læsiuo; sed odisse pœnam iustam, vt contrariam naturæ immoderatè sibi constitutæ, vt vltimus finis, & vt à Deo inflictam.

Obiicies quartò. Potest dæmon suspendere actum ex libertate sua: ergo potest desistere à peccando.

38 Respondet D. Bonauent. *in fine corporis*, posse quidem actum vnum suspendere, dum alium prauum exequitur; at non potest omnem actum malum ex peruicaciæ obstinatione. Hoc concedit etiam Scotus, *loco cit.* §. *Quantum ergo ad istud*, vt fatetur Faber *cap.*4. & ità suum ipsi diruunt argumentum.

Obiicies quintò. Vel implicat ex Angeli inflexibilitate, vel ex defectu diuini auxilij: neutrum implicat: ergo potest dæmon actum habere moraliter bonum.

Respondet Seraphicus, implicare ob peruicaciam, cui in sensu composito, actus bonus repugnat; quia omnia ad malum ordinat finem, quem sibi vltimum fixè proposuit.

Obiicies sextò. Homo peccator potest actum bonum elicere: ergo & Angelus. Antecedens est ex Philosophis euidens. Consequens probatur ex D. Fulgentio *de fide, cap.*3.

39 Respondet S. Doct. *distinct.*28. *quæst. vlt.* concedendo antecedens: sed *hic*, negat consequentiam, & paritatem; quia Angelus non solùm est in peccato mortali; sed in summa obstinatione auersissimus à Deo, qui propterea & priuat eum auxilio ordinario, tanquam non ordinabili ad opus. Diuus autem Fulgentius loquitur de naturæ statu recto.

Obiicies septimò. Diabolus cognoscit principia practica, è quibus practicæ ducuntur conclusiones: ergo potest intellectus assentiri alicui conclusioni demonstratiuæ, & Voluntas eam prosequi.

Respondet D. Bonauent. *hic*, *&* *p.*2. *q.*1. subuersum esse iudicium practicum, quod est pars liberi arbitrij, esto enim aliquid cognoscat, v.g. Deum colendum, vt innuitur *Iacobi* 2. tamen actum illum rabida displicentia deformat: idem etiam dic de obedientia, quam sæpè Deo præstat inuitus.

Obiicies octauò. Potuit diabolus Deum diligere ex puris naturalibus: ergo & nunc; quia natura non est læsa in dæmonibus. Ideò S. August. *lib.*2. *de serm. Domini in monte*, ait; *dæmones diligere Deum.* Item, *lib.*1. *retract. cap.*19. vbi ait: 40
Nullius conscientia potest Deum odisse.

Respondet D. Bonau. *ad* 4. naturam dæmonis non extinctam; sed malitia superatam, vt in actum nequeat exire; & hoc euenit ratione status, ex continuatione pœnarum, & consideratione infligentis eas absque intermissione. Idem cum D. Bonau. sentiunt Sotus *in* 2. *dist.*50. *art.*4. *&* 5. Molina *p.p. quæst.*64. *art.*2. *disput.*2. Valentia *quæst.*15. *p.*2. Malon. *in* 2. *dist.*6. *disp.*13. Suarez *lib.*8. *cap.*11. *n.*2. Morandus *suprà.*

Respondet secundò, quòd, sicut voluntas diaboli deformat actum credendi; ità deformat actum naturalem dilectionis: sic & auarus appetit beatitudinem; attamen eam sibi in diuitiis constituit. Sic igitur; esto diligeret Deum, vt suum conseruatorem, tamen deformat hunc ordinans Deum ad sui vtilitatem: & ità Deum ordinat ad se: Ad D. August. Respondetur, eum *eodem loco*, mox subiecisse: *video non esse dicendum*, quippè *nullius conscientia*, *&c.* vnde patet, eum hoc retractando, non asserendo protulisse.

Obiicit sibi adhuc S. Doct. Glossam *ad cap.*2. *se unda Petri*, vbi habet: *Dæmones iudicio territi, à iudicio præsumptionis desistunt.*

Respondet S. Doct. quòd, licèt dæmones non præsumant ampliùs appetere, quod appetebant, quia vident irreuocabile Dei iudicium; tamen adhuc malesuadâ voluntate optant, vt, si viam inuenire possent, adhuc abirent.

Obiicit tandem. Potest diabolus desistere ab hoc tentando: ergo multò magis potest ab actu interno desistere, quia magis sumus domini internorum, quàm externorum. 41

Respondet, non posse desistere ab actu interioris praui desiderij, quia in eo est semper vigilans potentia. Itaque, esto possit desistere ab hoc, vel illo actu malo; non tamen potest ab omni. Neque sumus magis domini actuum internorum, quoad propriam cohibitionem: fateor, exteriùs posse nos magis impediri ab actu exteriori, quàm ab interno: nam ab exteriori possumus compelli, ne extrà operemur; non autem, ne intus.

Qvæstio

QVÆSTIO V.

An mala voluntas in dæmonibus continuò intendatur.

{ D.Bonau.d.7.p.1.q.3.
D.Thom.q.64.art.2.

ASSERO primò. Quoad intensionem simpliciter malæ voluntatis, iam Diabolus est in summo. Ità D.Bonauent. *hic*, D. Thom. Richard. *dist.7.art.7.quæst.2.* & alij adducti *quæst.præced.*

PROBATVR à D. Bonauent. quia simpliciter, quoad hoc, est in termino meriti, & complemento auersionis, finita etiam est via; vt dixi.

42 ASSERO secundò. Quoad administrationem semper crescit dæmonum malitia.

PROBATVR à S.Doct. quia data est diabolo, ab initio antequam caderet, non solùm via meriti essentialis, seu contemplatiua; sed etiam vis administrandi hominibus, secundùm quam, iuxta suam malitiam, adhuc accidentaliter demeretur, cùm sua prauitate multa hominibus intentet, & peior euadat.

Obiicies. Diabolus, dum mala patrat contra nos, mouetur etiam odio in Deum: ergo simpliciter fit peior.

Respondet D. Bonauent. quòd in damnatis inordinatus motus voluntatis conuersus est eis in pœnam, & imputatur eis in supplicium, non in demeritum. Itaque diabolo sic imputatur ille motus inordinatus in Deum, vt dixi *num.22.*

QVÆSTIO VI.

An confirmatio mutet liberum arbitrium.

{ D.Bonau.d.7.p.1 art.1.
quæst.1.

ASSERENDVM primò, liberum arbitrium à confirmatione non mutari, quoad substantiam.

PROBATVR primò à D. Bonauent. ex D. Anselmo *de libero arbitrio*, vbi ait: *Liberum arbitrium esse potestatem seruandi rectitudinem*; sed hæc manet in gloria: neque enim gloria destruit, sed perficit naturam: ergo. Confirmatur, quia confirmatio in bono est perfectio rei, non destructio.

43 ASSERO secundò, mutari arbitrium à confirmatione in bono, quoad melius esse.

PROBATVR à D. Bonauent. quia aufert vertibilitatem ad malum.

QVÆSTIO VII.

An obstinatio tollat à dæmonibus libertatis vsum.

{ D.Bonau.d.7.p.1.art.1.
quæst.2.

NOTAT D. Bonauent. dupliciter sumi vsum alicuius potentiæ. Primò, pro actu elicito ab ea potentia. Secundò, pro actu elicito ad eum finem, ad quem potentia est ordinata. Primò modo vsus liberi arbitrij est liberè velle: Secundò modo est rectitudinem seruare, quia ad eam ordinatur.

ASSERO primò, priori modo non tolli per obstinationem liberi arbitrij vsum. 44

PROBATVR primò à D. Bonau. *fund.am.1.* Vbi est vsus rationis, ibi est vsus arbitrij, sed in diabolo est vsus rationis: ergo.

PROBATVR secundò. Ei, qui non habet liberum arbitrium, non imputatur malum, quod faciat; sed diabolo imputatur, modo dicto *quæst.4. & seq.* ergo.

PROBATVR tertiò. Potentia incorruptibilis, non alligata organo, semper est in suo actu; sed tale est liberum arbitrium in dæmonibus: ergo.

PROBATVR quartò à S. Doctore *argumento*, quo vtitur Scotus *relatus disp.3. quæst.12.* Nihil, quod causatur ab vsu liberi arbitrij, & sine illo non potest causari, aufert vsum liberi arbitrij; sed obstinatio est huiusmodi: ergo non aufert vsum arbitrij. Maior probatur, quia effectus proprius non destruit causam, cùm sit eá posterior, & fluat ab eius innatâ virtute. Minor probatur, quia obstinatio est à mala voluntate.

ASSERO secundò, obstinationem tollere à dæmonibus vsum arbitrij ad debitum finem. 45

PROBATVR primò à D. Bonauent. seruatio rectitudinis est vsus finalis arbitrij, ex D.Anselmo *cap.1. & seq. de libero arbitrio*; sed hanc non habent, nec possunt habere Angeli obstinati: ergo. Minor, *è quæst.4.* liquet.

PROBATVR secundò, *argum.2. addito responso.* Quandocumque aliqua duo indissolubiliter sunt vnita in sensu composito; sequitur necessariò effectus amborum; sed in diabolo est immobilis obstinatio, & auersio à fine, & simul arbitrium. Ergo simul erit liberè operari, & nunquam posse bonum facere.

QVÆSTIO VIII.

An confirmatio in bono, vel obstinatio in malo augeant, vel minuant libertatis dominium.

{ D.Bonau.d.7.p.1.art.1.
quæst.2.

NOTAT D. Bonau. dominium opponi vel coactioni, vel subiectioni. 46

ASSERO primò, non minui, vel augeri per confirmationem, vel obstinationem, libertatem, vt opponitur coactioni.

PROBATVR à D.Bonau. primò ex D.Dionysio *cap.4.de diuinis nominib.* vbi ait: *Data Angelis dona, nequaquam mutata dicimus; sed sunt integra, & splendidissima*: At liberum arbitrium, vt opponitur coactioni, est natura ipsa arbitrij: dicitur enim intrinsecè liberum; quia non potest cogi: nam coactio è diametro opponitur libertati. Et hoc sensu D. Bernardus *lib.de lib. arbitr.* ait: *Manet libertas voluntatis integra tam in malis, quàm in bonis.*

Quòd verò confirmatio in bono non minuat libertatem, probatur: nam perfecta libertas est 47
potestas seruandi rectitudinem, ex D. Anselmo, *cap.1.de lib. arbitr.* sed hæc maximè est in gloria:

ergo

ergo non minuitur, sed potius augetur libertas, dum ampliùs nequit deficere peccando.

ASSERO secundò, minui per obstinationem libertatem, vt opponitur subiectioni.

PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore*, quia peccator magis subiacet culpæ, distare autem à malo, est libertatis. Hoc autem modo, confirmati in gratia, & gloriâ, magis a malo distant.

QVÆSTIO IX.

An tristitia dæmonum spectet ad pœnam sensus, vel damni.

48 SVPPONO, duo genera pœnarum damnatis infligi, idest sensus, & damni.

PROBATVR à Suarez ? ratione Seraphici, *loco citando, & in 2. distin.* 6. *art.* 2. *quæst.* 2. *argum.* 4. *addito responso, & lib.* 7. *Compend. Theolog. cap.* 22. Pœna respondet culpæ; sed in peccatis est auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Ergo auersioni respondet pœna damni; & iniquæ conuersioni pœna sensus. Plurimas verò pœnas sensus refert S. Doctor *in Diæta, tit.* 10. & *loc. cit. in Compend.* & cum eo Suarez *lib.* 8. *cap.* 4.

Confirmatur porrò allata ratio ex Matth. 25. vbi fertur sententia: *Discedi e à me maledicti.* En pœna damni: *In ignem æternum.* En pœna sensus. Vide S. Bonau. *in speculo B. Virg. lect.* 17. & *serm. de decem præceptis.*

49 SVPPONO secundò, dæmones, & alios damnatos, tristari de priuatione visionis Dei. Ideò ait Chrysostomus in sermonibus: *Excludi a bonis æternis, & alienum effici ab his, quæ præparata sunt sanctis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, vt, etsi nulla extrinsecùs pœna torqueret, hæc sola sufficeret.* Ità refert D. Bonauent. *lib.* 3. *Pharetræ, cap.* 50. vbi acerbitatem pœnarum omnium inferni è Patribus confirmat, vbi etiam videtur dicere, tristitiam ad pœnam sensus pertinere lato modo, prout apprehensionem etiam sequitur intellectus, & in voluntate residet.

50 SVPPONO tertiò ex D. Bonau. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. pœnam damni simpliciter esse priuationem Diuinæ visionis, quæ in omnibus damnatis est vna; nam priuatio totalis formæ in pluribus, inducit æqualem priuationem, cùm totalis priuatio non suscipiat magis, & minus: & ideò omnes damnati, æquales sunt in pœna damni, præcisè, vt dicit priuationem illam. Ità sentiunt multi cum Seraphico Doctore, relati à Suarez, *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 18. Hoc sensu ait S. Bonau. *loco cit. in corpore*, quem sequitur Suarez *hic, lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 7. locutum D. Iacobum *cap.* 2. dicendo: *Qui peccat in vno, factus est omnium reus.*

51 SVPPONO quartò ex S. Doct. *locis adductis*; ex ista priuatione sequi in damnatis rabiem, & tristitiam, quæ tantò erit acerbior, quantò plures gradus gloriæ apprehendent, atque cognoscent, se eos assequi potuisse. Vnde Lucifer rabidissimus Cerberus altiùs latrabit: posita enim tali cognitione, necessariò rapitur voluntas à tristitia in statu illo miseriæ. Hæc est communis sententia apud Vasq. *disp.* 242. *cap.* 4. Auersam *quæst.* 4 *sect.* 5. Mæracium *disp.* 54. *sect.* 1. Suarez *cap.* 15. *num.* 15. Morandum *tract.* 7. *quæst.* 42.

52 EST igitur prima opinio, Tristitiam dæmonum ad pœnam damni pertinere. Citatur Scotus *in* 4. *dist.* 50. *quæst.* 6. apud Authorem Controuersiarum inter Scotistas *disp.* 2. qui suum affert Doctorem etiam *in* 2. *dist.* 29. *ad tertium*: quasi dixerit, solam carentiam visionis Dei, sine tristitia, non esse pœnam, sed eam reddi pœnam à tristitia. Hoc autem falsum est, vt rectè ostendit Mastrius, *disp.* 4. *quæst.* 5. *num.* 156. Probatur: nam pueri, sine Baptismo decedentes, pœnâ damni puniuntur, nec tamen tristantur, vt probat Seraphicus *in* 2. *dist.* 33. *quæst. vlt.* cuius argumento vtitur Suarez, *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 13. *sect.* 2. & *hic, lib.* 8. *cap.* 3. *a num.* 3 licèt *hic* doceat, paruulos non cognoscere, quod à D. Bonauent. refellitur. Igitur in re nostra, eandem sententiam sequuntur Suarez *supra*, Malonius *in* 2. *dist.* 6. *ess.* 21. & alij.

SECVNDA sententia est, Tristitiam dæmonum ad pœnam sensus pertinere. Sic D. Bonauent. 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. vbi Durandus, Paludanus, Capreolus, Gabriel, Bassolis, Sotus 4. *dist.* 16. *quæst.* 1. *art.* 1. *dub.* 2. & *disp.* 5. *art.* 1. Molina 1. *p. p. quæst.* 64. *art.* 3. Vasquez *disp.* 242. Arriaga *disp.* 25. *sect.* 3. Mæracius, & alij, quos sequitur Morandus *tract.* 7. *quæst.* 42. *num* 80. Mastrius, *loco cit.* qui allegat Scotum 3. *dist.* 35. *quæst. vnica.*

ASSERO, tristitiam in dæmonibus ex apprehensione carentiæ Diuinæ visionis ad pœnam sensus pertinere. 53

PROBATVR, quia omnis pœna est malum. Dupliciter autem aliquid est alicui malum; primò re ipsa independenter à cognitione. Talis est priuatio visionis Dei, quæ est pœna independenter à cognitione rei perditæ: aliud est malum, ea sola ratione disconueniens, quatenus cognoscitur, & & cognitum, tristitiam affert; & hoc malum, quoties infligitur propter peccata, dicitur pœna sensus, non quia sit per sensum corporeum, sed quia est per cognitionem, quam etiam Sensum communi vocabulo nuncupamus, quia pœna sensus corporei notior est, vt docet D. Bonauent, *in* 4. *dist.* 16. *q.* 2. *ad primum.* Quare omne obiectum eatenus dicitur afferre pœnam sensus, quatenus affert tristitiam: ergo omnis tristitia etiam de pœna damni, est pœna sensus. Hanc doctrinam colligit Vasquez *cap.* 2. ex D. Bonauent. *in* 2 *dist.* 33. *quæst. vltima.*

Confirmatur à Morando, quia tristitia est quid positiuum, affligens naturam cognoscentem, causatum ex mali præsentis cognitione. Ergo non est pœna damni, quæ in sola carentia boni consistit; alioqui, nisi hoc pacto distinguamus pœnam sensus, à pœna damni, nullus reliquus erit locus distinctioni. Confirmatur ab Arriaga, quia carentia visionis Dei non ideò est mala, quia dæmones ea tristentur; sed ideò tristantur, quia mala est: ergo supponitur pœna ante tristitiam. 54

Ex his habes, inæqualem esse tristitiam in dæmonibus pro demeritorum inæqualitate [illegible] tur, quia possunt vehementius [illegible] Addit Morandus cum Hiquæo, *ad* [illegible] *ctum Scoti in* 4. *num.* 3[illegible]. & Arriaga [illegible] in carentia visionis Dei esse magis, & [illegible], quatenus illa carentia est priuatio, quæ dicitur maiorem, vel minorem aptitudinem ad [illegible] gloriam, pro intensione gratiarum. Quare licet Physicè non sit [illegible] magis, & minus; tamen datur moraliter.

QVÆRES: An tristitia dæmonum compatiatur aliquo gaudium.

PRIMA opinio est, nullam veram delectationem esse in dæmonibus, sed solum phantasticam, qualem, 55

qualem, & homines peruicaces ostentant lætitiam, quam non habent. Ità D. Thomæ videtur 4.*dist.* 45. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncula* 1. Gabriel 2. *dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 3. Ocham 2. *quæst.* 19. Vasq. *disp.* 242. *cap.* 3. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 7. *n.* 28. Idem sentiunt Zumel. Bannes, Ripa, Pesantius *ad hunc art. D. Thomæ*, Mæracius apud Morandum, & alij cum Fuliensi *lib.* 3. *cap.* 9.

Opposita verò sententia admittit aliquam in dæmonibus delectationem. Ità D. Bonauent. 2. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 2. *fundam.* 3. & *dist.* 11. *quæst. vlt. ad* 6. Alens. 2. *part. quæst.* 100. *memb* 4. *art.* 1. & 2. Suarez *lib.* 8. *cap.* 15. alios adducens, Auersa *q.* 64. *sect.* 5. Arriaga *disp.* 16. *sect.* 9. Morand. *tract.* 7. *q.* 42. Molina verò *art.* 3. *disp.* 3. rationibus conuictus, aliquam admittit complacentiam, etsi non gaudium integrum. Est autem expressa D. Thomæ 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 4. & *hic*, *art.* 3. *ad* 1. & D. Augustini *lib. de Genes. contra Manich. cap.* 18. vbi loquens de dæmonum potestate in homines, ait: *De hac infœlici potestate lætatur, qui solebat, antequam caderet, sublimi veritate gaudere.*

56 Probatvr primò è Scripturis, quibus dicitur inimicus exultare, gaudere de alicuius ruina; At per inimicum, multi Patres intelligunt dæmonem. Psal. 12. *v.* 3. Psal. 29. *v.* 1. Psal. 37. *v.* 17. Psal. 40. *v.* 12. & *cap.* 18. *Ecclesiastici*, *vers.* 31. sic exponit D. Bonauent. *Psal.* 12.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *in Diæta*, *tit.* 1. *cap.* 1. ratione, quam Morandus efficacissimam acclamat: sic. Id, quod maximo desiderio appetitur, maximè delectat, si obtineatur: Sed diabolus maximè desiderat ruinam hominum: ergo delectatur, si fiat voti compos. Maior est euidens. Bono enim, in quod absens voluntas mouetur desiderio, eo obtento quiescit, & delectatur: sicuti enim timori de malo succedit tristitia, malo adueniente. Ità, &c.

Deinde voluntas aliquid desiderat, quia intellectus repræsentat ei, vt bonum: Ergo desiderat, vt obtento fruatur, & delectetur.

57 Minor probatur à S. Doctore ex primo Iob, vbi Dæmon à Deo interrogatus, quæ negotia haberet tam auidè pertractanda? ait: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Et 1. Petri 5. *Tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* De eo potest dici (ait S. Doctor) id Genes. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Probat verò delectationem etiam dæmonum, ex animarum captura, ex illo Iob 40. *Absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habebit fiduciam, quòd influat Iordanis in os suum.* Confirmat Seraphicus Doctor ex reuelationibus, quibus, dæmones leguntur de ruina, maximè religiosorum, exultare.

58 Probatvr tertiò à D. Bonauent. *loco initio adducto.* Non est reperire malum impermixtum bono: ergo nec tristitia dæmonum; neque verò dicas cùm Gabriele 2. *dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. Ocham, *loco cit.* Deum suspendere concursum, ne obtento bono desiderato delectetur; hoc enim esset perpetuam inferre naturæ violentiam antecedentem, vt notat Vasquez *cap.* 3. Suarez, *lib.* 8. *cap.* 15. *num.* 8.

Dices, tristitia dæmonum est summa: ergo excludit omnem voluptatem, sicuti beatitudinis summa voluptas excludit omnem dolorem, vt ait Aristoteles 7. *Eth. cap.* 14.

Respondet S. Doctor, nullum malum, etiam tristitiæ, esse maximum, excludens omne penitus gaudium. Tristitia sanè dæmonum est citra condignum; sicuti aliæ pœnalitates. Nec est simile de beatitudine, quæ intrinsecè est aggregatum omnium bonorum; bonum autem fit ex integrâ causâ, & impermixtione omnis mali; at verò damnatio non excludit omne bonum naturale etiam minimum. Sic respondet S. Doct. *dist.* 11. *citata*, & cum eo Suarez *num.* 10.

Ex dictis habes, quàm futilis sit ratio apud Vasquez amabilis; Dæmonis statum compati summam tristitiam, & desiderium boni futuri, non autem vt obtentum causet delectationem. Respondetur enim ex dictis, compati aliquam delectationem impuram, vt ait Seraphicus Doctor. 59

QVÆSTIO X.

An detur locus ad torquendos dæmones, & alios damnatos.

D. Bonau. in 4. d. 44. p. 2. q. 1. & 2.
D. Thom. 3. p. q. 97. art. 1. in supplem.

Refert S. Bonauent. errorem dicentium, non dari locum aliquem, suppliciis nocentium, destinatum. Inter hos fuit Origenes *homil.* 9. *in diuersa Matth. loca*, & *lib.* 2. *Periarch.* Idque ei adscribit S. Hieronymus *epist. ad Auitum.* Hunc errorem, qui fuit etiam Marcionitarum, & Albigensium, excitarunt Sectarij nostrorum temporum, quos refert Bellarm. *lib.* 4. *de Christo*, *cap.* 8. & *sequentibus*, & *lib.* 2. *de Purgatorio*, *cap.* 6.

Assero cum omnibus Catholicis, extare vnum locum, damnatis omnibus, & dæmonibus torquendis destinatum.

Probatvr à D. Bonauent. *ex vltimo Isaiæ*, & *Marci* 9. Et quidem Isaias antithesim ponit inter beatos, quos in monte Sancto ait locandos; & damnatos, quorum cadauera in vnum cumulum aggregata describit, eisque applicitos vermes, & ignem: *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Et concludit, eos fore *spectaculum omni carni.* 60

Hunc locum allegat Christus *Marci* 9. vbi ait: *Bonum est tibi claudum, vel debilem introire in vitam æternam, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis inextinguibilis: Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Particula autem (*Vbi*) est localis.

Probatvr secundò à D. Bonauent. ex illo Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Verbum autem (*Ite*) accinit locum aliquem, vt terminum, vbi sit ignis æternus; vt admonet D. Bonau. *dist.* 2. *art.* 2. *q.* 1 *fundam.* 5. & Suarez. 61

Probatvr tertiò à S. Doctore *ad* 5. *Sap.* discursu illo damnatorum: *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, &c.* Addit id *Lucæ* 16 vbi: *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos, cùm esset in tormentis.* Vbi Syriacus: *Cumque torqueretur in inferis, eleuauit oculos suos eminus, &c.* Deinde & diues ille misertimus vocat Abraham. *Mitte eum in domum patris: habeo enim quinque fratres, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Obseruat insuper S. Doct. diuitem eleuasse mentem ex loco illo, qui ideò non poterat esse sepulchrum, vbi iacebat cadauer. Id aduertit & Suarez, *lib.* 8. *cap.* 16. *numero* 4.

Insuper

Insuper locus ille erat in profundo terræ; nam inde *eleuans oculos vidit Lazarum in sinu Abrahæ: & Chaos magnum inter nos, & vos firmatum est.* Eodem testimonio vtitur Bellarminus, *lib. 2. de Purgatorio, cap. 6. §. Nunc de singulis.* Vide S. Doctorem *in Commentario.*

62 PROBATVR quartò à S. Doct. *ad 2. Sap.* vbi dicitur: *Dixerunt impij cogitantes apud se non rectè, non est qui agnitus reuersus sit ab inferis.* His verbis dicebant falsò, non dari locum inferni, quod probant: quia nullus reuersus est ad nunciandum de eo loco. Stultè inquam locuti: quia, vt dicitur Iob 7. *Qui descendit ad inferos, non ascendit.* Monet autem S. Doctor, eum loqui de inferno inferiori; nam de superiori ascenderunt Patres cum Christo. Similiter aduertit *in 4. dist. 45. quæst. 3. ad 2.* intelligi de his, qui diffinitiuâ sententiâ sunt illic damnati.

63 RESPONDENT hæretici, & è Catholicis nonnulli, per infernum intelligi sepulchrum. Eos refert Bellarminus, *lib. 4. de Christo, cap. 10.* & Pineda.

At nomen Hebraïcum שאול SCHEOL significat non sepulchrum, vt Beza somniauit, sed locum subterraneum, receptaculum animarum. Sic *Genes.* 37. ait Iacob. *Descendam lugens ad filium meum in infernum*, vbi est vox *Scheol.* Profectò non in sepulchrum descendere volebat ad cadauer filij, quem à feris voratum credebat; neque id inferebat, quod de sua Amasia ille: *Vno che 'l medesimo ventre ancho me ingoi*: nam venter ferarum nusquam *Scheol* dictus est. Rursus Genes. 42. *Deducetis canos meos ad inferos*, vbi se viuum fore infert. Hæc loca obseruat Seraphicus Doctor 4. *dist. 45. quæst. 1. fundam. 1.*

Confirmatur, nam *Scheol* vbique à LXX. & D. Hieronymo vertitur *inferi.* Chaldæus, *Gehinnon, Gehennam*; de qua sæpè in Euangelio dicitur, esse locus damnatorum. Idem sentiunt Rabbinorum plurimi, quos profert Bellarminus, *loco cit.* Vide Suarez, *lib. 8. cap. 16.* & *3. part. tom. 2. disp. 43. sect. 2.* Idem confitetur Beza, *lib. contra Brentium.*

64 PROBATVR quintò à D. Bonauent. *in Diata, tit. 3. cap. 4.* & *tit. 10. cap. 1.* ex illo Iob 10. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, vbi nullus ordo; sed sempiternus horror inhabitat.* Hic locus est euidentissimus, vt ait Suarez *cap. 16. num. 2.* & *3. parte.* Eundem locum vrget S. Doct. *in 2. dist. 6. art. 3. quæst. 1. argum. 3. ad opposit. addito responso.* Confirmatur à S. Doct. *hic, in corpore*, ex his Scripturis, quibus Deus minatur infernum, vt *Matth. 5. 10. 11. 16. & 23. Marci 9. Lucæ 16.* vbi Gehenna reis indicitur.

Respondent hæretici, has esse meras comminationes.

Quasi verò sint animi terriculamenta (ait S. Bonauent.) Sic igitur & dicite, Incolæ tenebrarum, etiam promissa beatitudinis in cœlo esse lenocinia.

65 EST denique veritas à tota Ecclesia definita, vt legitur in Concilio Florentino *in litt. vnionis, sess. vlt.*

PROBATVR à S. Doctore ex D. Gregorio 4. *Dialog. cap. 36. & seq. lib. 9. cap. 38. lib. 12. cap. 6.* & ex D. Augustino. Affert verò D. Bonauent. *quæst. seq. arg. ... in Genes. ad litt. c. 33.* vbi ait: *Sub terris dicuntur esse inferi, vel creduntur.* At in responsione refert *lib. 2. Retract. cap. 24.* vbi assertiuè definit id, de quo videtur dubitasse, *in lib. de Genes. ad litt.*

Multos Patres recenset *in Diata, tit. 10. cap. 1.* & *lib. 3. Pharetra, cap. vlt.*

DENIQVE probatur rationibus à Seraphico Doctore. Prima est: si de duobus contrariis est inuenire vnum oppositum extremum, & medium; necesse est dari etiam alterum extremum: hæc est enim radix, & via Philosophis trita ad contraria assignanda. Sed est locus patriæ in cœlo, & medius viæ in terra: Ergo & extremus pro reis in inferno. 66

SECVNDA ratio: peccatum opponitur merito iustitiæ, sed merito debetur gloria æterna, in loco gloriæ determinato. Ergo & culpæ locus pœnarum.

Hunc verò locum simul cum pœnis æternum permanere ostendit S. Doctor, *fundamentis vltimis, & in corpore*; quia peccator voluntate in peccato defixâ decedit, vt ait D. Gregorius 4 *Dial. cap. 44.* Has rationes ex parte assumit Suarez *num. 10. & 11.*

ADVERTE, D. Augustinum *lib. de spiritu, & anima*, asserere aliquas animas puniri, vbi peccarunt, quod de pœnis Purgatorij, non Gehennæ, intellige, nullus enim Catholicus de Gehenna hoc dicit, vt notat Suarez *num. 12.* Locum verò D. Augustini recitat S. Doct. *lib. 3. Pharetræ, cap. vltimo.* 67

QVÆSTIO XI.

An locus damnatorum sit Infernus.

D. Bonau. in 4. d. 44. q. 2.
D. Thom. 3. p. q. 97. a. 7.

TAMETSI non sit hoc adeò certum, sicut præcedens assertum, attamen absque temeritatis notâ negari nequit, locum pœnarum æternarum esse infernum sub terra.

PROBATVR à D. Bonauent. ex Apostolorum Symbolo: *Descendit ad inferos.* Idem definiunt Concilia, Tolet. 4. Arelat. 4. ac ferè alia *in professionibus fidei.* Suarez *num. 4.* ait, reperiri & in Symbolo Nicæno. Attamen in Nicæno non reperitur, vt aduertit Anselmus, *lib. de processione Spiritus sancti*; video tamen, id recipi ab omnibus Ecclesiis, Orientis, & Occidentis, magno plausu, vt aduertit Bellarm. *lib. 4. de Christo, cap. 6.* qui addit, reperiri in Symbolo Athanasij, & niti Scripturâ, Act. 2. *Non derelinques animam meam in inferno.* Et Ephes. 4. *Descendit ad inferiores partes terræ.*

In insanas hæreticorum interpretationes de Christi descensu ad inferos, stomachatus, remitto ad Bellarminum, *loco cit.* 68

Inferorum nomen indagandum est ex originalibus Scripturarum, quæ Græco, vel Hebraico idiomate sunt conscriptæ.

Et quidem de Hebraïco *Scheol*, egi *quæstione præcedenti.*

Græco autem idiomate, inferorum nomen sic conscribitur ᾅδης. Lucæ 16. quo vsus est D. Bonau. At sepulchrum scribitur τάφος.

PROBATVR secundò principaliter à Seraphico ex illo *Isaiæ* 14. vbi dicitur: *Regi Babel, & dæmoni. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum* 69

fundum laci. Infernus subter te conturbatus est. Profectò hic locus de diabolo expositus, non accipit infernum pro sepulchro, quia diabolus non habet cadauer. Quatenus verò agit de Rege Babylonis non potest significare sepulchrum; tum quia periret antithesis cum summo cœlo, ad quod Lucifer aspirauit; tum etiam, quia ibidem Rex ille dicitur carituris sepulchro. Hoc loco nititur Bellarminus, *lib.4. de anima Christi, cap.10.*

70 Probatvr tertiò à S.Doctore *primo, dist.37. quæst. 1. in corpore, & in Diata, tit.7. cap. 1. & de septem itineribus æternitatis, itinere 2. cap. 7.* ex illo Psalm. 137. *Si descendero in infernum, ades.* Vbi infernus dicitur Scheol. Dauid ibi immensitatem Dei, secundùm distantiam locorum, exponit: Ergo per infernum, non sepulchrum, sed terræ centrum sumit. Sic etiam cum D. Bonau. exponit Bellarminus.

Probatvr quartò à D. Bonau. *ad 8. Lucæ*, vbi dæmones Christum rogabant, ne ipsos in abyssum deturbaret: neque verò abyssus est sepulchrum; neque sepulchrum est aptum diabolo, neque est aliquid spirituale (vt vult Brentius) vbique diffusum; tunc enim dæmones non orarent, ne in abyssum mitterentur, vt aduertit etiam Bellarminus.

71 Probatvr quintò à S. Doctore *fundamento 3.* Quantò corpora sunt nobiliora, tantò nobiliorem locum exigunt: & è contrà, rebus vilissimis locus debetur vilissimus: Sed corpora gloriosa sunt nobilissima; damnatorum verò abiectissima. Ergo sicut illa in altissimo loco sunt: ita hæc in profundissimo deiiciuntur.

Probatvr sextò *fundamento 4.* Locus debet statui respondere secundum diuinam iustitiam, & prouidentiam; sed status gloriosorum est eminentissimus, damnatorum vilissimus: viatorum medius. Ergo damnati debent esse in loco vilissimo profundissimo. Hac ratione vtitur Bellarminus, & Suarez *lib.8. cap.16. num.21.* cum S. Doct. *hic*, & *in Compend. Theol. lib.7. cap.22.*

72 Probatvr septimò à D. Bonau. *dist. 6. art.2. quæst. 1. argum. 2. ad opp. concesso.* Oppositorum eadem est ratio. Sed Angelis bonis datus est locus sublimissimus. Ergo dæmonibus infimus. Sic arguit, & Suarez *cap. 16. num.21.*

Obiicies. Empyreum erit plenum beatis, vt dicitur Lucæ 14. *Vt impleatur domus mea* discumbentibus: At plures erunt damnati; vbinam ergo habitabunt?

Respondetur, beatos fore in cœlo pereleganti dispositione, veluti stellas in firmamento; at damnatos in angustiis, sicuti in dolio Sardę, premendos.

QVÆSTIO XII.

Vtrum in Inferno sit verus ignis ad torturam.

D.Bonau.in 4.dist.44. art.1. quæst.1.
D.Thom.3.part.quæstione 97. art.5.

Qvorvndam error fuit, Ignem inferni non esse verum ignem; sed metaphoricum. Et quidem Philo *lib. de congressu, eruditionis causa*; dixit: *Ignem damnatos cruciantem, esse vermem conscientiæ.* Hunc errorem secuti sunt aliqui Lutheranorum, relati à Iodoco *in Thes. lib.10. art.7.* E Catholicis idem ausus est asserere Catherinus, *lib. de præmio bonorum, & supplicio malorum*: Ad hanc sententiam reducuntur, qui cum Auicenna dixere, damnatos non cruciari à vero igne; sed apprehensione vehementi, apprehendendo, se pati pœnam ignis. Pro qua sententia Vasq. *disput. 243. cap. 6.* refert D. Bonau. 4. *d. 44. part. 2. art. 3. quæst. 2.* sed malè, quia S. Doct. vt ostendam *hic*, & *quæst. sequenti* constantissimè sustinet, damnatos ab igne vero cruciari, vt agnouit Suarez, *lib.8. cap.12. numero 3.*

Catholica sententia est, Ignem inferni esse verum ignem corporeum. Ità Scholastici *in 4. dist. 44. & dist.50. & in 2. dist.6. & 7.* & D.Thom. *hic, quæst.64. art.4. ad 3. & 4. contra Gent. cap. 90.* vbi omnes expositores, & omnes ferè Patres exponentes loca plurima Scripturarum, asserentia in inferno ignem, quod cum absque inconuenienti ad litteram exponi queat, non est cur ad metaphoras fugiamus, iuxta regulam D. Augustini, & aliorum Patrum. Quo fundamento nititur D. Bonauent. *in corpore*, & omnes communiter. Suarez *lib.8. c.12. num.9.* Vasq. *disp. cit. cap.1.* Bellarm. *lib.1. & 2. de Purgatorio*, Quare Suarez *num.9.* vocat oppositum, errorem. Suario videtur arridere Tannerus *disp. 5. quæst.6. dub.6.* Morandus *Tract.7. quæst.43.* & alij, qui dicunt, esse erroneum, & temerarium. Censet tamen Vasq. cum Mæracio, non esse de fide certum. Quare dum in Concilio Florentino *in litt. vnionis, sess. vlt.* de hoc agitur; nil definitur de fide in hoc; tametsi Græci anteà dixissent, ignem Purgatorij non esse verum ignem. 73

Quod si ille est verus ignis; est censendus eiusdem speciei cum nostro, vt Scotus *in 4. distinct.50.* Suarez, Le Perit, Mærac. Morandus, aliique affirmant cum D.Bonauent. *loco cit. & aliis adducendis.* Innumeris autem locis S.Doctor in Opusculis hoc fatetur.

Assero, ignem inferni esse verum ignem.

Probatvr primò à D.Bonauent. è Scripturis 74
Matth 25. *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Ibi verò, cùm sententia pœnalis pronuncietur, debet pœna esse propria, non metaphoris inaurata, vt aduertit etiam Suarez *numero 10.* Ideò & D. Gregorius 4. *Dialog. cap.29.* ait; *Ignem infernalem corporalem esse non ambigo, cùm dicatur: Ite maledicti in ignem æternum*, vt refert Seraphicus Doctor.

Secvndvs locus relatus à D.Bonau. è Psal.28. *Vox Domini intercedentis flammam ignis*; quod exponens D. Basilius *in Hexaëmer.* ait, *Abscindendum ab igne illo splendorem, vt torqueat, & non luceat.*

Tertivs locus est Apocal. 14. *Cruciabuntur igne.* Idem habetur *cap. 19. 20. 21. & 22.*

Qvartvs locus est Isaiæ 34. *Dies vltionis Domini: conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem. Nocte, & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius.* Alia loca innuit S. Bonauent. *ad 3. Deuter.32. Iudith 16. Psal.10. 20. &c. Eccles.7. & 21. Matth.3. 5. 13. 18. & 22.* quæ refert etiam Suarez. Cùm igitur frequenter adeò Scriptura sic loquatur, & nos teneamur Scripturam propriè interpretari, non secuto inconuenienti, vt docet D. Augustinus 8. *de Genes. ad litt. cap. 2. & lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. & 11.* iam certò astruitur id, quod intendimus. 75

Probatvr secundò à D. Bonau. ex Patribus. Gregor. 4. *Dial. c.28. & 29.* Basilio *in Hexaëmer.*

Augustino *in libris de ciuitate Dei, lib.*11. *cap.*9.10. & 11. & *lib.*21. *cap.*11. Vide alios etiam in S.Doctore, *lib.*3. *Pharetra, cap.vlt. in Diatat, ti.* 10. *cap.* 1. & *in Compend. Theol. veritatis, lib.*7. *cap.*22. vbi & multa refert loca Scripturarum, Lucæ 16. *Crucior in hac flamma.* Isaiæ 13. *Facies combustæ vultus eorum.* Ex quo loco, Seraphicus Doctor vniuersaliter probat, etiam spiritus ab igne torquendos; cùm enim homines reprobi post iudicium puniendi sint in anima, & corpore; patientur ab igne, vt habetur *loco citato Isaia.* Ergo ab eodem patientur, & dæmones, quia eodem igne torquebuntur homines, & Angeli, vt habetur Matth.25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*, quo argumento vtitur Suarez *num.* 16. qui plurimos etiam Patres refert, *numero vndecimo.*

Esse verò eiusdem naturæ cum nostro probatur à Seraphico Doct. quia est calidissimus, atque adeò habet præcipuam ignis qualitatem. Addit verò, hoc non adeò certò sciri posse, nisi ex reuelatione, vt ait D. Augustinus 12. *de Genes. cap.* 33. & 34.

76 Optima verò est ratio D.Bonauent. è Scriptura desumpta, quæ cùm sæpissimè nobis dicat, illum esse ignem, ostendit esse eius naturæ, quem nos nouimus; nos autem alium ignem non agnouimus, quam istum elementarem; esto in materia terrea luce careat.

Obiicies primò *Lucæ* 16. In illa historia diuitis multa dicuntur metaphorica; vt, quòd eleuauerit anima illa oculos; quòd animam Lazari mitteret ad suam linguam refrigerandam: Ergo & illud: *Crucior in hac flamma.*

77 Respondetur ex locis adductis *quæst.* 10. & *ex Commentario S. Doctoris*, cætera ità exigere ad intentum Christi, vt exprimeretur pœna debita helluoni: forsan etiam diues ille scelestissimus etiam corpore in infernum descenderat.

Suarez *numero* 21. respondet, eam esse parabolam, non historiam: sed hoc non eneruat Metaphoras.

Respondet secundò, locum illum non adduci ad probandum, ignem infernì esse verum. Esto: at si concedatur metaphoricus; oberit.

Obiicies secundò. In scripturis cum igne ponuntur vermes, & alia metaphorica.

Respondetur; de hoc *quæstione sequenti* agendum.

Obiicies tertiò D.Augustinus 12. *super Genes. ad litt. cap.* 33. ignem illum vocat spiritualem.

Respondet D.Bonauent. *ad vltimum*, D. Augustinum retractasse hoc, vt dixi *quæst.* 10. *de loco inferni.*

78 Obiicies quartò D. Damasc. *lib.* 4. *de fide, cap. vlt.* dicit, ignem illum non constare materia, sicut noster; sed sicut Deus nouit.

Respondet D.Bonauent. eum ponere materiam, circa quam nutritur, variam, non ex qua essentialem. Ità respondet & Suarez *numero* 40. *cap.* 12.

Obiicies quintò. Corruptibile, & incorruptibile differunt specie: sed ignis noster est corruptibilis, & extinguibilis; ignis verò inferni non: Ergo.

Respondet S. Bonau. negando Maior: nam & corpora damnatorum sunt eiusdem speciei cum corporibus nostris, & tamen sunt incorruptibilia.

Respondet secundò, non variare speciem, quia inextinguibilitas potest per artem igni conferri, vt fit in ignibus æternis sepultis.

Obiicies vltimò. Operari sequitur ad esse: sed diuersæ sunt ignium istorum operationes: Ergo & naturæ.

Respondet D.Bonau. eadem, secundum speciem, 79
pro varietate accidentium varia operari. Maior verò est vera de operationibus essentialibus, naturam sequentibus.

QVÆSTIO XLII.

An damnati solo igne torqueantur.

D.Bonau. in 4. dist. 44. p.2. art.2. quæst.2. D.Thom. 3. p. q. 97. ar. 1. & in 4. dist. 50. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1.

Circumferuntur aliæ damnatorum pœnæ. Frigus, Tenebræ, stridor dentium: de quibus concludunt Suarez *cap.*12. Arriaga *disp.* 26. *sect.* 1. Morandus *Tract.* 7. *quæst.* 43. *num.* 8c8. omnia esse incerta. Ea tamen discutiemus.

Quò ad Frigus.

Prima opinio est, solum ignem, non autem frigus in inferno torquere. Ità Abulens. *Matth.*25. *quæst.*558. Soto *in* 4. *distinct.* 10. *art.* 4. Iansen. *in concord. cap.*4. Maldonat. *Matth.*9. inclinat Suarez.

At D. Bonauent. *loco cit.* D. Thom. *in* 4. *dist.* 50. *cit.* Paludanus, Durandus ibidem, Carthus. *ad* 24. *Iob.* Titelm. nec reclamat Lyra, nec Pineda *ad* 24. *Iob.* ad verba infrà recitanda. Viguer. *de Sacram. Pœnit. vers.* 34. D. Petrus Damian. *serm. de S. Nicol.* Hugo Ethær. *lib. de animarum regressu, cap.* 10. astruunt, inter pœnas illas, frigora torquere.

Assero cum hac sententia, verum apud inferos esse frigus.

Seraphicus ea ratione eleganti vtitur. Per ea, 80
per quæ quis peccat, punitur: sed homo per corporea peccat, quæ ex quatuor constant elementis: Ergo in inferno punitur. Punitur igne, Matth, 25. *Ite in ignem æternum.* Punitur aëre, Psalm. 10. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum:* vbi & in grandine ponitur frigus per antiperistasim. Punitur aquâ: *Transibunt ab aquis niuium, ad calores nimios.* Punitur terrâ: Iob 10. *Terra miseriæ.*

Nunc id 24. *Iob* pensito. *Transibunt ab aquis niuium.* Ponderat S. Hieron. *Matth.*10. duplicem gehennam; ignis alteram: alteram frigoris, & eas probat *hoc textu.* Idem asserit *ad Iob* 24. Beda ad eum locum, Hugo Card. *Matth.*5. Haymo *Matth.* 18. Hugo de S.Vict. *lib.*4. *de anima, cap.*3. Innoc. III. *lib.*3. *de contemptu mundi, cap.*4. Auctor *libri de triplici habitaculo*, Augustino adscriptus, *cap.*2. Carthus. Philip. Presbyter. Lyranus. Eundem locum adducit rursum Seraphicus Doctor *in Diæta, tit.*10. *cap.*1. ad hoc probandum.

Respondet Suarez *numer.*25. ex eo loco non 81
probari frigus esse in inferno. Et adducit Pinedam *hic*, D. Gregorium *lib.* 19. *Moral. cap.* 27. & 28. vbi per ignem, & aquas niuium, non pœnas, sed culpas sumit. Addit D.Thomam, qui vitia contraria intelligit. Ideò subdit Iob, *vsque ad inferos peccatum.* Vel imprecari, ait, vt à pœnis huius vitæ semper crucietur, vel vt ab aquis peccatorum

transeat

transeat impius ad calores ignis æterni. At Pineda inclinat ad nostram sententiam, & concludit: *Quis non ausit cum ingenti Sanctorum PP. atque Scholasticorum patrocinio, quos suprà adduximus, partem istam tueri.*

Vrget igitur S. Doct. Non minùs Iob asserit in inferno ignem, quàm frigus: sed ignis sine tropo asseritur: Ergo.

82 Respondent Suarez *numero* 26. & alij apud Pinedam *ad eum ver. 19. cap. 24.* ignem sæpè in Scripturis asseri; frigus verò semel à Iob; atque adeò diuersam esse rationem.

Contra arguit S. Doct. *ad Luc. 13.* Nam Christus sæpè minatur stridorem dentium. *Matth.* 3.8. 22. 24. 25. & *Luca* 13. stridor autem dentium ex intensissimo frigore resultat: Ergo sæpè & frigus asseritur. Ex his deducunt frigus in inferno, Augustinus, Hieron. Haymo, & Philippus, suprà citati. Idem sentiunt eruditissimi Rabbinorum apud Pinedam, *loco citato, numero* 1. Adde, sat asseri, si semel à Spiritum prolatum sit.

83 Respondet Suarez, diuersam esse rationem: nam fletus, & stridor dentium nequeunt spiritibus conuenire, hæc enim solis animalibus intrinsecè conueniunt; ignis verò potest extrinsecè applicari: vnde ignis propriè sumi potest, non autem fletus, vel stridor dentium, nisi prout ingentem significant perturbationem. Vnde D. Prosper lib. 1. de vita contemplatiua, cap. 12. *Fletus, & stridor dentium acerrimos dolores ostendunt.* Et Chrysostomus, *ep. 5. ad Theodorum lapsum*, ait; *significare cruciatus incredibiles.* Addere poterat D. Bonauenturam *in Dieta, loc. cit.* vbi ait: *Pœna reproborum erunt acerbissima, in signum vehementis doloris, dicit Saluator*, Lucæ 13. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Idem refricat §. *Quarto est in inferno*, &c.

84 At ego arguo cum D. Bonauent. *fundamento vltim. ratione Suarij, num.* 16. Post diem iudicij homines reprobi cruciabuntur etiam in corpore: Ergo per actiones agentis corporei: Ergo patientur ab igne: Ergo etiam ab aliis corporeis, per quæ peccarunt: Ergo etiam ab aqua, vsque ad stridorem dentium frigiditate concutientur, vt concedit Suarez, qui tamen non rectè negat, damnatos ab omnibus elementis cruciandos; vt dixit Paludanus; quia de his non fit mentio in Scriptura.

Respondit enim D. Bonauent. sub igne includi etiam alia affligentia. Est enim ignis ad torquendum actiuissimus. Vnde supplicium ignis, in genere supplicij, est maximum.

Obiicies secundò. Si in inferno esset aqua frigidissima, non periisset eam Diues. Sic vrgent Soto, Suarez, & alij.

85 Respondit iam Seraphicus Doctor, fieri transitum ab extremo frigore ad calores nimios, & acerbissimos reddi cruciatus; tunc autem igne Diues torrebatur; in repentinis sanè mutationibus est maxima naturæ concussio; vt ait Hippocrates apud D. Bonauent. *in Dieta, loco cit.* vnde torridus tunc potuit maximam sentire ariditatem, & forsan perpetuam in lingua, saporum edaci, in quibus humidum dominatur.

Quoad Tenebras.

Assero ibi esse Tenebras. Probatur à D. Bonauent. *hic* ex eo Iob 10. *Terra miseria, & tenebrarum*, sic explicatur à Damasceno, *lib. 2. parall. cap.* 52.

Probatur secundò à S. Doctore *in Dieta, tit. 10. cap. 1.* ex illo Matth. 22. *Proiicite eum in tenebras exteriores.* Confirmat *ex 9. Moral. S. Gregorij*, 28. 86

Ideò Suarez *numero* 31. concedit tenebras corporeas in inferno. Video sanè hunc locum etiam de tenebris spiritualibus explicari à Hieronym. *ibi*, Ambrosio, *lib. 7. in Lucam, ad cap.* 14. Augustino *ep.* 120. & *in Psalmo* 6.

Quoad Vermes.

Vermes asseruntur in inferno *Isaiæ* 66. & sæpè in Euangelio: *Vermis eorum non morietur*, quod de morsu conscientiæ explicat S. Doct. in Dieta *loc. cit.* cum plurimis Sholasticis, ac D. Hieronymo: *Marci* 9. Ambr. *lib. 7. in Lucam, ad cap.* 24. August. 21. *de ciuit. cap.* 9. vbi ignem & vermes tribus modis explicat, & vno modo vtrumque accipit propriè, & hunc modum libentiùs amplectitur. Sic dicitur Iudith. 16. *Dabit vermes in carnes eorum.* Quod magis videtur sentire Isaias *loc. cit.* dicens: *Videbunt cadauera eorum*, & subdit: *Vermis eorum non morietur.* Itaque de veris vermibus intelligit; vt vidit Suarez *numero* 36. Alias pœnas recenset S. Doctor *in Dieta*, vt Horrorem, famem, Tortores; easque demonstrat. 87

QVÆSTIO XIV.

1 *Vtrum* Ignis *actione physica reali torqueat Spiritus.* 71

D. B. in 4. d. 44. p. 2. art. 3. q. 2.
D. Thom. 3. p. q. 97. art. 1. & 1. p. q. 64. art. 4.

Fvit opinio dicentium, ignem non torquere aliquo modo Spiritus; sed eos, ex imaginatione apparentis noxij, seipsis cruciari; Adducitur Auicenna 9. *Metaph. cap. vlt.* à Vasquez *disp.* 143. *numero* 2. At ille negat omninò ignem in inferno corporeum; sicuti & Algazel 5. *Phys. cap.* 5. Tribuitur à multis Alberto 4. *d.* 44. *art.* 20. *ad vlt.* Adducit Vasquez etiam Seraphicum Doctorem; sed immeritò, eam enim refellit, vt vidit Suarez, *lib.* 8. *cap.* 13. *numero* 1. qui tamen non rectè ait, S. Doctorem in hanc sententiam relabi; nam *in corpore* ait: *Credimus, quod pœna illa infernalis sit per veram ignis actionem; non per phantasticam imaginationem.* 88
Addit quidem S. Doct. animam terreri ab igne, qui non potest eam vrere; & trepidare, *vbi non est timor*, Diuina ibi exhibente iustitia ignem non solùm, vt realiter alligantem, sed etiam vt terrentem. Quare non sentit, spiritus solâ apparentiâ ab igne cruciari, neque potuit id rectè Vasquez deducere, vt infrà ostendam, & vidit Mastrius *disput. 3. quæst. 5. numero* 123.

Secvnda sententia est, spirtus torqueri ab igne, cogitatione alicuius mali, quod est sola priuatio boni desiderati. Adducit S. Bonauentura Algazelem suprà. Videtur D. Ambrosij, *lib. 7. in Lucam, cap.* 14. finem versus. Tertull. *apol. cap.* 48. Isidor. *lib. 1. de summo bono, cap. 13. sent.* 1. Innoc. III. *lib. 3. de contemptu mundi, cap. 2. & 6.* eamque refert D. Hieronymus ad ea verba Isaiæ 66. *Ignis non extinguetur*; nec eam refellit. Attribuitur Amico, *disp. 21. sect.* 4.

89 Tertia opinio est, Ignem torquere spiritus in inferno, immittendo aliquid intentionale. Ità Ægid. *quodl.2. quæst.3.* & *quodl.4. quæst.15.* Scotus *in 4.distinct.44.quæst.2.§.De secundo modo.*Richard. *art.2.quæst.3.* Suppl. Gabr. *quæst.3. art.2. concl.5.*In quam sententiam refert Ochamum, *quodl.1.q.19.* Adducitur à Modernis Tannero, Arriaga, Suarez, & aliis, etiam D.Bonauent.*hic*, sed de eius sententia agam. Videtur tamen Alberti 4. *dist.44. art.10. ad vlt.*

Ex his Ægidius, Albert. Richard. dicunt, ignem effectiuè imprimere sui speciem: at Scotus, Ocham, & Gabr. dicunt, ab igne in dæmonibus effici actum intelligendi, simulque impediri liberam, & expeditam aliarum rerum considerationem. Et hoc genus alligationis confundit Mastrius cum reali alligatione ab aliis infrà asserta. Hanc verò spiritualem carcerationem tuetur Faber 4.*disp.*4. Addit Tannerus, S. Bonauenturam asserere, hanc speciei impressionem fieri ab igne, virtute naturali; sed rectiùs ab aliis, adscribi virtuti supernaturali.

90 Quarta sententia in altero est extremo; ignem cruciare dæmones, producendo in eis calorem. Ità Henricus, *quodl.8.quæst.35.*

Quinta sententia docet, dæmones torqueri ab igne per quandam qualitatem spiritualem doloriferam, eorumque substantiam fœdantem, supernaturaliter ab igne productam; eo modo, quo corpus animalis per intemperiem, aut similem qualitatem ab igne productam immediatè torquetur. Ità tradit Suarez, *lib.8.cap.12. à num.41.* referens Malonium 2.*distinct.6. disput.20.* Pesantium *p.p. quæst.64. art.4. disp.5.* vbi etiam Zumel. eandem probabilem censet. Sequitur Arriaga *disp.26. sect.8.* Mærac. *disp.55. sect.6.* Nec distat Poncius *disp.19. quæst.9.* in hoc discrepans à contribulibus, quòd eam qualitatem asserit, non Physicè productam; sed moraliter, ad modum, quo Sacramenta gratiam producunt. Porrò hæc celebris sententia è Durando orta est.

91 Sexta sententia est, dæmones ab igne affligi eo modo, quo anima corpori iuncta affligitur ab eodem igne, quando corpus viuum comburitur; non quidem quòd ignis naturaliter calefaciendo agat in dæmones, vt dicebat Henricus; sed quòd obiectiuè solùm ad hunc dolorem concurrat. Ità Scotus 4. *distinct.50. quæst. vnic. art.2.* Valentia *quæst.15.p.3.* Coninch. *quæst. de purgatorio, dub.3.* dicens, dæmones alligari quibusdam corporibus, & per sympathiam dolere ab igne ad modum, quo anima sentit ignem corpori contrarium. Parum abest Tannerus, *disput.5. quæst.6. dub.6.* Et quoad animas non tenuit Vasq. *c.4.* in reliquo verò eam refellit: Oregius *cap.9. quæst.2.* Le Petit. *cap.2. sect.5.* Addit Coninch. adducto Henriquez, hanc se cum viris eruditissimis contulisse, & ab eis approbatam. Eam sequitur etiam Albertinus *corol.4. & 2. princ. phil.* Diuerso tamen modo à Coninchio cæteri exponunt, nempè ignem diuina virtute eleuari ad imprimendam animæ separatæ qualitatem doloriferam, quam naturaliter causaret in anima, è sympathia cum corpore vnita; eundem verò dolorem producere etiam in dæmonibus.

92 Septima sententia est, dæmones, & animas cruciari ab igne, quatenus ei alligantur, eoque veluti carcere teterrimo clauduntur; & sic ea alligatione violenta tristari, & torqueri, quatenus vel dæmonem detinet, vel eius potentias obstruit, ne actus suos valeat exercere.

Hæc est sententia D. Thomæ *p.p. quæst.64. art.4.* & 4. *contra Gentes, cap.90.* Eum sequuntur Nazarius *ibi, p.p.* Ioan. de S. Thoma *quæst.64. disp.24. art.3.* & cæteri Thomistæ Capreol. Ferrar. Bannes, Nominales 4.*dist.44.* Scotus *quæst.2.* Estque omnium ferè Scotistarum, vt refert Mastrius *disp.3. quæst.6. num.137.* Sic Brancatius *disput.26. quæst.6. art.2.* Hiquæus §. *Ad quæstionem, num.21. ad quæst. Scoti cit.* è Recentioribus est Amicus, *disp.21.sect.4.* Auersa *quæst.64. sect.7.* Vasq. *loco cit.* cum Mærac, & Alarcone. Hanc porrò alligationem omnes ferè aliarum sententiarum authores admittunt; sed aiunt, non sufficere; sed aliis quoque modis torqueri, alioqui nimis vniuersaliter dicerentur torqueri ab igne, cùm eadem ratione possent damnati detineri à terra, ab aqua, &c. & sic ingerere maximam eis tristitiam ex terrena detentione. Quòd si hæc alligatio est per aliquid ab igne, puta vnionem, qua igni alligentur, non minùs igni repugnat, quàm cæteris elementis. Similis ratio erit de alligatione obiectiua, quam Scotus asserit, vt semper cogatur damnatus eum ignem inuisum intueri, & considerare, nec possit considerationem auertere. Fœdius profectò obiectum esset terra horribilis in centro.

Octava opinio est, ignem quidem alligatione torquere dæmones, sed alio tamen modo occulto, quo verè dicantur torrere, comburi, vt verificentur ea, quæ de cruciatibus ignis inferni asserunt Scripturæ, & Patres. Ità Durandus 4. *dist.44. quæst.vlt. num.7. & 29.* Vasq. *cap.vlt.* Innuit Valentia *disp.4.quæst.15.p.3.* Bannes *hic, art.4. dub.3.* Becanus *tract. de Angelis, cap.5.* & alij non pauci, quos refert, & sequitur Morandus *tract.7. quæst.43.* & videtur D. Augustini *lib.21. de ciuit. cap.10.* vbi ait: *Cur non dicamus, quamuis miris, veris tamen modis, spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi?* Nec mirum, nos hoc non capere: nam, vt ait S. August. epist. 5. *Demum aliquid posse Deum, quod nos fateamur, inuestigare non posse.* Idem sentit Hugo *de Sacram.p.16. lib.2. cap.3.* 93

Seraphicus igitur confutatis aliorum opinionibus, vltimò sic suam inducit. Primò suam præmittit confessionem, ne posteri ansam arriperent, chimæras in eius dictis miscendi: *Credimus, quòd pœna illa infernalis sit per veram ignis actionem, non per phantasticam imaginationem.* Itaque authoritates Scripturæ, & Patrum testantes, damnatos spiritus à vero igne verè, cruciari, & dolere, volens, sincerè accipi; sic eorum dolorem è natura etiam ignis, nedum è Diuinæ iustitiæ, eum industri sapientiâ eleuantis, & assumentis vt instrumentum, ad eos fontes grauiter torquendos, auspicatur. 94

Dolor est dissensus ab his, quæ nobis nolentibus accidunt è D. August. 15. & 16. *de ciuit.* Ad dolorem igitur animæ inferendum, duo in anima interueniunt, scilicet apprehensio, perceptioque in cognitione; & in voluntate detestatio. Similiter duo occurrunt ex parte agentis: alterum vt immutet mentem ad perceptionem obiecti noxij doloriferi: alterum quod violenter irreparabiliter admoneat, infigatque tale obiectum renitenti appetitui.

Ignis ergo duas à natura actiones obtinet: altera

tera est merè corporea Physica, calefaciendi, comburendi, & hanc in corpora omnia elementaria exercet rapidè vorax suâ maximâ actiuitate. Hæc in corpora sentientia, si exerceatur, alteram præit, & causat actionem animalem in sensu Tactûs, per immissionem necessariam speciei. Vtraque sanè actio ad Tactum exigitur; sed in secunda stat ratio formalis sensationis. Hæc latè ostendam *tract. 9. disp. 5. cap. 6. quæstione 2.* Igitur, dum ignis agit in animal, duplex est passio; altera Physica corporis, quod crematur à forma, & calore ignis: hæc est separabilis ab altera, quæ est passio animalis: nam & exanime cadauer comburitur. Itaque etiam passio animastica est à natura, non quidem actiuè ab igne, aut specie ab eo immissâ, quæ solùm obiectiuè offeruntur materialiter, vt ostendam *tract. 9. disp. 4. quæst. 10.* sed ab ipsa anima se ipsam ex igne obiecto ad fugam mouente, vt ait D. August *lib. 6. Musica, cap. 5.*

Sicut igitur corpus ab anima segregatum, potest pati ab igne, passione naturali calefieri, cremari naturali vtrinque modo: sic spiritus separatus potest ab igne pati animastica passione. Hæc sanè causat dolorem in anima coniuncta, ex apprehensione, & detestatione illius obiecti noxij, torquentis organum: separata verò torquetur ex eadem ratione obiectiua ignis, suo germano corpori infensi.

Iam verò explicat quo pacto spiritus, ab igne crucientur.

95 Primò actione corporeâ, à Diuina virtute eleuatâ, formando de sua actiuissima substantia, terreis fæcibus compactâ, horribilem, fætidum, angustum & impenetrabilem in profundo illo barathro carcerem, seu feralem caueam pro spiritu illo nobili, ad beatam vitam super Empyreum condito. Videt autem, & comprehendit vorax illud, à quo arctè comprehenditur, elementum acriori violentia se manicis, compedibusque carcere premere, quàm corpora omnia premat, inuadat, aut deuoret; quippè illis in cineres resolutis, aut in se mutatis, ignoscat, vel ea foueat; at verò spiritus nobiliores in Tartaro, diuino brachio factus potentissimus ignis includat inter malorum, & pœnarum abissos, in æternum non emolliendus; heu quam tristitiam! quem dolorem! Ità horribiles ignis actiuitates, inter corporeas, actiuissimas dæmoni imprimit Deus considerandas, longè inferiores ostendens pressuris, quibus, desperato termino, in æternum torquebitur carcere tetetrimo, à beatitatis sede, sibi paratâ, remotissimo, & nunquam referando. Hæ sunt veræ passiones ab igne causatæ.

96 Qvoniam verò ignis ad omnia corporea destruenda est voracissimus, nequit spiritum consumere, idque non ignorant dæmones naturali lumine, Deus itaque eam pœnam sic eis in æquiualentem mutat. Sic enim eorum intellectus subuertit, immittens vertiginem, sicuti & peccatoribus multis hominibus, vt Scripturæ testantur; vt destrui timeant ab igne; & timore, atque dolore exæstuent, vbi non est causa realis; est tamen verus timor, verus horror, verus dolor, quæ Deus immittere nouit, tametsi causa non sit vera causa destructionis, sed benè doloris, & horroris, quæ Deus intendit, vt notat P. Galitius *in com.* & Mastr. *numero* 155. Sed is multa intermiscet, vt Seraphicum ad Scotum rapiat; inconcinna tamen, & extra chorum. Vtcumque, veris, sed miris modis, cruciabuntur ab igne, actione reali, & intentionali (concludit S. Doct.) Si enim Deus spiritum amicabili fœdere corpori vnit, vt ad hoc amore feratur; sanè poterit modis ineffabilibus iungere inuitos spiritus igni, vt ab hoc horreant, doleant, & verè patiantur spiritualem pœnam, veluti concremationis. Sic candidè S. Bonauent. disserit cum D. August. 21. *de ciuit. cap.* 10. quem refert. Addite, non miros videri eos modos spectanti Diuinam potentiam.

Quare neque Seraphicus Doctor est cum prima sententia, vt putat Vasquez, cùm non in sola phantastica apprehensione actiuitatem ignis constituat, & multò minùs in falsa mera imaginatione; sed in propria actione, nobis tamen inexplicabili, vt ait D. August. & infrà ostendam, probans Seraphici opinionem.

Hinc quoque apparet, falsò Tannerum *num.* 8. dicere, totam impressionem intentionalem ignis, apud D. Bonauenturam, fieri naturaliter. In quo decipitur etiam Suarez. 97

Suarez *numero* 6. Saluâ, ait, reuerentiâ, grauissimo Patri S. Bonauenturæ debitâ, eius doctrinam esse creditu difficilem. Quòd enim ignis naturaliter emittat species ad spiritum, falsum est, non enim potest corpus agere in spiritum naturaliter, nec Angelus habet intellectum agentem ad eruendas à sensibilibus species. Nec talia obiecta valent excitare intellectum immediatè. Neque Augustinus ibi dixit, dæmones naturaliter pati ab igne, & licèt inde argumentum sumat ab eo, quòd anima nostra, licet spiritus, pœnam ignis sentiat, mediante corpore; non tamen infert, quòd eodem modo ignis inferni possit Angelum immutare.

Id verò, quod ait, Dæmones trepidare, vbi non est occasio; eum reducit ad primam opinionem, iam à se confutatam, damnatos torqueri ab igne, sola falsa imaginatione.

Hæc tamen facilè soluuntur. Et primò quidem, sensibilia emittere speciem ad Angelos, ostensum est, *disput. 2. quæst. 6.* ibique soluta sunt argumenta Suarez: licèt enim corpus non sit actiuum in spiritum actione Physica; tamen ordo vniuersi exigit, vt sit agens actione intentionali; vel potiùs, vt sit obiectum, in quod actione intentionali agat intellectus agens Angeli, quem probaui *disput. 2. quæst. 3.* Si tamen Angelus non habeat eius obiecti speciem, puta, si sit de nouo creatum. Eorum verò sensibilium, quæ iam sunt, habent Angeli species à creatione; atque adeò non indigent nouas haurire, sed componendo species, cognoscunt singularia, vt dixi *disp. 2. quæst. 6.* 98

Ad id, quod ait, D. Augustinum malè adduci; dico rectè adduci: nam S. Bonauent. non vult, D. Augustinum id inferre; sed, quòd, sicuti anima, ex vnione ad corpus, sentit dolorem: ità ipsam Deo miris modis agente, applicitam igni supernaturaliter cruciari ad modum, quo in corpore naturaliter cruciatur, torsione tamen animali intentionali non reali, vt dicitur *in sexta opinione.* Et hanc, præclarè ait D. Bonauent. alligationem esse opus mirum Diuinæ iustitiæ, iuxta D. Augustini sententiam, suprà *octauo loco* recitatam. Vnde est sola proportio. Nota, S. Doctorem supponere integra dicta D. August. ex littera Magistri. 99

Quoad vltimum dico, eum non reuerti ad primam sententiam; vt dixi contra Vasq. nam præ-

clarè negat semper, dæmones solâ torqueri phantasiâ; atque asserit constanter, dandam esse veram ignis actionem, quâ verificentur Scripturarum oracula, & Patrum effata asserentium, damnatos igne cruciari; miris autem modis diuinâ agente iustitiâ, alligatos igni dæmones torqueri modo intellectuali spiritualiter.

Non negat tamen, etiam phantasticis terroribus eos concuti, non tamen solis, vt ei inurunt Suarez, & Vasq. qui etiam frustrà obiiciunt, non posse dæmones decipi, quorum assumptum probat Scotus: quia non potest Deus erroris esse causa.

Respondetur enim ex D. Bonauent. talem esse Angeli cognitionem, vt sciat, se non posse ab igne consumi; tamen, Deo iustissimè agente, superbissimi illi intellectus perturbati terrentur, vt qui Deum non timuerant, trepident, vbi non est timor. Cùm autem error iste non sit culpa; non est cur metuat Scotus à Deo cum dæmonibus incuti peruicacibus: sic resoluit argumentum Seraphicus.

100 Assero primò, damnatos non è sola phantastica repræsentatione falsa ignis cruciari.

Probatvr à D. Bonau. quia hoc non saluat authoritates Scripturæ, & Patrum, hac de re loquentium: nam *Isaia 66.* & *Marci 9.* dicitur Ignis eorum non extingui, Matth.25. *Ite in ignem æternum.* Lucæ 16. *Crucior in hac flamma.* Idem habetur *Apoc.*14. *Matth.*3. ille ignis dicitur *comburere.* 2. Thessal. 1. dicitur *dare vindictam.* Isaiæ 33. *Ignis deuorans.* D. Gregor. *lib.*4. *Dialog. cap.*29. & 9.*Moral. cap.*38. illum ignem vocat, non phantasticâ imaginatione, sed vltione solidâ cruciantem. D. August.21.de ciuit.cap.10. *cruciantem veris modis.* Cyrillus, oratione de exitu animæ, *vrentem, & concremantem.* D. Laurentius Iustinianus, lib. de casto connub. Verbi, & animæ, cap.16. *Corpora concremantem, spiritus cruciantem.* D. Cyprian. lib. de laudib. Martyr. cap.5. *Æternus ignis inardescit.* Fulgentius de fide ad Petrum, cap.3. ait: *Peccatores interminabilia Gehennæ sustinere supplicia, vbi Diabolus cum Angelis suis in æternum arsurus est*; omitto alios. Quare concludit Seraphicus Doctor, hunc modum animæ fideli non sufficere; sed asserendum, veram pœnam ab igne infligi.

101 Rationem quandam vrgent Scotus, & asseclæ, Suarez, Vasq. Morand. & alij, sumptam ex D. Bonau. quia sequeretur, Angelos esse phantasiâ præditos; quod si hoc intellectûs errori adscribas: Contrà, quia dæmones habent naturalia integra, & nitida, & naturaliter sciunt, se non posse ab igne cremari. Deinde Deus non est author deceptionis.

Respondet S. Doctor, rationem esse infirmam, quia, vt dixi, Iustitiâ Diuinâ iubente, conturbantur mentes superbæ, vt dicitur *Isaia* 13. & 14. & *Ezech.*28.

Assero secundò, torturam ignis non inferri, quatenus damnati vident solùm, se ab eo, vt à beatitudine exulantes, detineri.

Probatvr à D. Bonauent. alioqui pari pœna damnarentur grauissimi peccatores infideles, & qui solo originali conspurcati decesserunt. Omnes enim vident, se aliquo elemento detineri, ne beatitudinem cœlestem adeant.

102 Probatvr secundò à S. Doct. *ibidem, in corpore*; quia Scripturæ asserunt, damnatos cruciati igne. Matth.25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Et quamvis non desint alia loca Scripturarum suprà recitata; hunc tamen satis, superque esse, ait S. Bonau. Sic & Epulo non conqueritur, se ab igne detineri, ne euolet ad Empyreum; sed torreri: *Crucior in hac flamma*; ideò aquam postulat. Hoc fundamento nituntur Suarez *num.*2. Vasq. *num.*4. Valentia *loco cit.* Mastrius, Morandus, & cæteri.

Assero tertiò, dæmones non torqueri ab igne, solâ impressione speciei.

Probatvr à Suarez *num.* 9. argumento Seraphici, *in corpore.* Dolor, ex D. August. 14. *de ciuit. cap.*15. *& 16. est dissensus ab his, quæ nobis nolentibus accidunt.* Itaque aduenit dolor, non dissensui intellectûs; sed voluntatis nolentis illud malum, & priuationem boni, quod est obiectum voluntatis. Tria igitur ibi S. August. requirit ad dolorem sensibilem. Primò læsionem carnis. Secundò perceptionem læsionis. Tertiò fugam appetitûs ab ea læsione. Quare fallitur Ægid. dicens, eum consistere in perceptione sensûs, seu intellectûs; consistit enim in fuga appetitûs sensitiui, & rationalis. Tale autem obiectum horrendum obiicit species ignis à Deo formata, vt ait S. Doct. *lib.*7. *Compend. cap.* 3. *&* 22. & *P.*7. *Breuiloq. cap.*6.

Dicet Richardus, species eleuari, vt Dei instrumentum, ad vehementer immutandum intellectum, sicut sensibile vehemens lædit sensum; & ità præcisè torquere.

Respondetvr, speciem non habere actionem aliquam ad actum vitalem; vt ostendam *tract.*9 *disp.*4. *quæst.*10. cum D. Bonau. *in* 2. *dist.*23. *art.*2. *quæst.*1. & *dist.*24. *p.p. quæst. vlt.* & *in* 3. *dist.*14. *art.*1. *quæst. vlt.* At neque vt obiectum lædit potentiam, sed perficit, & delectat; sensibile verò lædit sensum, qualitate actiuâ corporeâ, contrariâ organi temperamento, vt fatetur Richardus. 103

Neqve rectiùs loquitur Scotus, hanc torturam fieri per impressionem cognitionis ab igne, quia actus vitalis nequit ab extrinseco immitti, vt dicam *tract. de anima, disp.*9 *sect* 4. *quæst.*5.

Præterea modus iste in eo, in quo aduersarij conueniunt, esse actionem intentionalem, falsus conuincitur à Suarez *num.*21. Vasquez *n.*4. argumento D. Bonauent. *fundamento primo, & in corpore.* Actio intentionalis est diminuta; & ideò sola non sufficit ad saluandas veritates Scripturarum, quas retuli *quæst.*10. *&* 11. *& hic*, & dicta Sanctorum Patrum testantium, damnatos igne cruciari, & torreri.

Assero quartò, dæmones non torreri ab igne, impressione caloris, vel similis, aut alicuius qualitatis, quâ reddantur capaces ignei ardoris. 104

Probatvr à Suarez *cap.*14. *num.* 26. Vasq. *num.*17. *disp.*44. *quæst. vlt.* Scoto *quæst.*2. Mastrio *num.*117. ratione Seraphici secunda, *ad opposit. addito responso.* Illa qualitas nec imprimitur naturaliter, nec diuina virtute potest ad hoc eleuari: ergo est commentitia. Probatur antecedens, quoad priorem partem, argumento primo D. Bonauent. Omne agens in aliud agit per contrarietatem, & contactum: sed qualitati corporeæ ad spiritum non potest esse contrarietas vel contactus: ergo. Minor probatur, quia spiritus est indiuisibilis improportionatus contactui rei diuisibilis; neque illi sustentandæ idoneus. Similiter neque contrarietas potest esse; contraria enim sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, vt calor, & frigus sub genere qualitatis elementaris. Hæc clara sunt in Arist. 7. *Physic. text.*8. & *primo de gener. text.*43. & 9. *Metaph. text.*10.

Proba

105 PROBATVR secundò Antecedens quoad priorem partem. Omne agens naturale generat in passo sui similitudinem: sic calor facit calidum, nec agit in aliud, nisi calefaciat illud: At non potest anima esse calida: Ergo.

Quòd verò neque Diuina virtute calor eleuetur ad impressionem faciendam in animam. Probatur ab istis Doctoribus, *argum. 2. D. Bonauent.* Quia illa virtus, vel est spiritualis, vel corporalis. Si secundum: ergo non potest agere in spiritum, cùm sit inferioris ordinis, nec ei potest reddi proportionata, cùm sit ordinis oppositi, nisi destruatur. Si est spiritualis: contra. Omnis virtus spiritualis oritur è substantia spirituali, qualis non est ignis. Confirmatur à D. Bonauent. *argum. 3.* Illa virtus aut est igne nobilior, aut inferior. Si secundum: ergo sicut ignis non poterat agere in animam, multò minùs virtus eius inferior ipso igne. Si est nobilior igne: Contrà, quia non potest effectus esse suâ causâ præstantior: at virtus est effectus substantiæ. Deinde, si datur supernaturaliter igni; cur non aliis creaturis?

106 QVONIAM verò dicit Henricus, passum fieri supernaturaliter capax ad illam impressionem ignis recipiendam. Contrà arguunt allegati Doctores, *argumento 4. D. Bonauent. additâ responsione.* Id, quod de nouo producitur à Deo in spiritu, per quod redditur capax igneæ impressionis, debet esse qualitas, aliud enim non est inuenire. Tunc, vel hæc qualitas est corporea; & sic redimus ad primum inconueniens; quia spiritus non est capax illius: Ergo, vt fiat capax, necessaria est alia qualitas prior; & de hac redit eadem interrogatio, & sic in infinitum. Vel illa qualitas est spiritualis: At hæc nequit reddere capacem spiritum ad recipiendam qualitatem corpoream, qualis est calor; quia non minùs est improportionata spiritui qualitas corporea, quàm substantia corporea.

Frustrà verò Arriaga, *disp. 26. sect. 4.* nititur, posse qualitatem aliquam improportionatam diuinitùs recipi in subiecto naturaliter incapaci.

107 Hoc enim est falsum, vt ostendit Mastrius *disp. 12. Metaph. quæst. 7.* Suarez *lib. 8 cap. 14. num. 27.* Naturæ enim sunt determinatæ, vt manentes in suo esse essentiali possint operari determinatè; non autem quodlibet corporeum. Igitur manens tale, debet vel esse proportionatum, vel proportionari: at verò est limitatæ virtutis ad corporea, extrà rationem spiritus, quòd si extra suum genus vniuersale egrediatur, iam non erit corporeum.

Deinde vrgent Scotus §. *Aliter dicitur*, & *ibi* Commentator Hiquæus, Mastrius *num. 127.* ex Arriaga *sect. cit.* primo argumento opposito D. Bonauent. *addito responso*, quod Morandus *num. 804.* egregium clamat. Esto calor sensibilis posset diuinâ virtute produci ab igne in purum spiritum; nondum tamen apparet, quomodo cruciaret. Etenim ex se non est disconueniens naturæ Angeli, cùm non sit actiuus ad eius destructionem, quia nullo modo ei sit contrarius, vt ostendi. Ergo neque posset agere ad causandum dolorem, vt infert etiam Tanner. *num. 9.*

ASSERO quintò, non produci ab igne Gehennali qualitatem doloriferam spiritualem, deformantem spiritus.
108

PROBATVR à Durando *4. dist. 44. quæst. vlt.* Vasq. *à num. 21.* Morando *num. 804.* Tannero *n. 10.* & à Mastrio, ratione vltima D. Bonauent. *addito responso.* Qualitas dolorifera non affligit ratione eius, quod in subiecto ponit; sed quatenus expellit ab eo aliquam formam conuenientem: At qualitas spiritualis maximè perficit personam, & nihil abiicit illi conueniens, quia nec habet contrarium, neque aliquid tale in Angelo ex cogitari potest. Ergo non potest esse dolorifera. Hinc verò fit, vt, cùm qualitas spiritualis, maximè infusa, perficiat spiritum; absonum sit dicere, eam deturpare, aut deformare. Quæ enim deformitas esse potest? Nihil sanè supernaturalium deformat; quia hæc omninò sunt deperdita, nihil etiam naturæ; quia secundum D. Dionysium manent naturalia, quoad substantiam, nitidissima.

RESPONDET Suarez *à num. 46.* concedendo eam qualitatem nil Angelo auferre; attamen esse inconuenientem; & forsan opponi gratiæ, & sic reddere spiritum maculosum, quæ omnia miris modis à Deo possunt fieri. 109

CONTRA arguit D. Bonauent. *argumento 3.* Virtus spiritualis etiam à Deo immissa, seu educta è potentia obedientiali, debet fundari in substantia spirituali, tanquam radice; at ignis non habet radicem, vnde talis virtus educatur. Si dicas, potentiam obedientialem non supponere fundamentum aliquod rei educendæ, sic enim potest Deus è lapide Angelum condere; dico, illam non esse potentiam obedientialem; sed nihil: Neque sumenda est potentia obedientialis ignis, secum ferens destructionem eius; non enim ignis destruitur, vt ea virtus educatur, cùm Scripturæ ignem afferant torquentem.

DEINDE arguit Seraphicus Doctor, *argum. 3.* Si illa virtus, deformans spiritum, est spiritualis, cur non potiùs dicitur esse in radice terræ, quàm ignis, elementi speciosi? Aut quo pacto saluantur Scripturæ dicentes, damnatos ab igne cruciari, torreri, &c. Et illæ, quæ acclamant pœnam dæmonum esse maximam? Certè qualitas nulla, etiam reddens dæmones Simiis non absimiles, potest adeò cruciare; neque tale tormentum rectè dicitur esse ab igne: magis profectò à peccatis, in quibus sunt obstinatissimi, dicendum esset, tales maculas prouenire. 110

PRÆTEREA non satis consequenter ad sua principia Suarez concedit, hanc qualitatem deturpantem dæmones, deformare, tanquam inconuenientem, etiamsi nullam aliam ab eis pellat perfectionem; nam *disp. 11. suæ Metaph. sect. 1. num. 11. & 12.* docet, nullam dari formam, quæ solùm, ratione suæ entitatis positiuæ sit alteri mala; sed eatenus esse malam alteri, quatenus priuat illam aliquâ bonitate, aut perfectione debitâ. Ratio est, quia malum vniuersaliter tam in genere naturæ, quàm in genere moris, formaliter in solâ priuatione boni consistit. Et sanè hîc modus Suarez posset etiam concedere in peccato aliquid positiuum, vt ait Arriaga. 111

Itaque falsum est, hunc modum dicendi esse plausibilem, rectèque explicare, quo pacto ignis agat in spiritum: nam & Suarez ipse, introducta hac qualitate deformante, coactus dicere, quo pacto sit dolorifera, recurrit ad *miros modos* D. Augustini. Neque enim, vt apprehensa, est dolorifera, aut deformat; imò potiùs intellectum perficit, neque apparet, quid noxij afferat appetitui. Profectò nouum entis genus inuehunt, quod magis quæstionem implicat tricis. Contra Arriagam arguo sic ad hominem. Non minùs repugnat corporeo agenti, vel subiecto producere qualitatem spiritualem, quam possit res spiritualis recipi in subiecto corporeo; v. g. gratia in aqua, vel igne, 112

ex Arriaga *disp.26.sect.4.num.22.* sed per te hoc repugnat: Ergo & illud.

113 QVOD verò dixit, qualitates non esse dissonas; eò quòd aliquid auferant, v.g. fel, auferendo à subiecto dulcedinem, falsum est: nam semper aufert temperiem illam ab extremo recedentem; & si inde læsio non euenit, dicat mihi Arriana, vndenam eueniat?

ASSERO sextò, dæmones non cruciari ab igne eo modo, quo anima in corpore torrido.

PROBATVR contra Coninchium. Illa corpora, quibus alligari dæmones, & animas asseris, vel sunt eis formaliter vnita, vel non. Si formaliter: Ergo Angeli sunt formæ, & consequenter incompletæ substantiæ; & similiter animæ, separatæ à suis corporibus, sunt homines. Si dicas non vniri substantialiter; sed solâ præsentiâ. Contrà, quia non sentiret anima, & multò minùs dæmon qualitates doloriferas corpori impressas; quia in corpore hoc euenit ex vnione substantiali, & sensationes fiunt à toto coniuncto adæquatè, & in eo recipiuntur ex Aristotele 2.*de anima.* Denique Angelus quantumvis alicui corpori alligetur; aliter nequit sentire calorem ei impressum, quàm per intellectionem: at cognitio caloris non est magis molesta cognitione alterius rei. Quæ verò addit *num.*34. ad hoc sustinendum, sunt pura verba.

114 QVÒD autem neque anima separata, eo præciso modo torqueatur ab igne, quo torquetur in corpore, dum hoc vritur, probo, tum ex dictis; tum quia tristitia, quæ sentitur ab anima in corpore, non ab apprehensione ignis; sed à qualitate doloriferâ, impressâ sensui tactus, ex calefactione corporis, oritur; vel (vt aliis placet) ex diuisione continui. Vnde Aristoteles 7. *Eth. & 2. de anima* definit dolorem, quem sentit anima ex carne: *Dolor est sensus diuisionis partium cum vi.* Quæ tamen definitio non est vniuersalis omni dolori, etiam ex carne resultanti. Hic verò meliùs definitur à D.Augustino 14. de ciuit. cap.15.& lib.6. Musicæ, cap.5. *Dolor est dissensus ab his, quæ nobis nolentibus accidunt.* Et venit potiùs ex impedimento operationis animæ, quàm è corporis sectione, sicut constat in paralyticis, in quibus est partium sectio sine afflictione; quia anima non habet ibi operationem, quæ impediatur, vt docet D. Bonauent.*argum.6. addito responso,* & notat Vasquez *num.*15. Neque est qualitas aliqua immissa ab igne; quia vel erit corporalis: At hæc non poterit imprimi in subiectum spirituale. Vel est spiritualis: At hæc non causabit tristitiam, qualis in tactu fit; sed aget merè spiritualiter. Præterea non potest agens inferius producere qualitatem nobiliorem seipso; illa autem qualitas esset nobilior agente corporeo. Hoc argumentum est sextum D. Bonauent. *ad opposit. addito responso,* & ex parte innuitur etiam *argum.* 3. *& 4. additis responsis.* Et sanè conuincit de dæmonibus, vt ait Vasq. *num.* 16. quia illi nequeunt qualitatem illam tactui doloriferam recipere; animam verò ex apprehensione illius concremationis, quam patietur post resurrectionem in corpore, torqueri posse concedit; vnde potest eam, vt noxiam, apprehendere; non sic Angelus.

115 SVAREZ verò *cap.14.num.36.* ostendere nititur, etiam in anima argumentum vrgere, quamvis enim separata possit apprehendere qualitatem illam futuram, vel præteritam doloriferam, & ex ea contristari, quod verè dæmoni nequit molestiam inferre; attamen illa tristitia non est eiusdem rationis cum dolore actuali, qui ex concrematione actuali carnis resultat in tactum, cùm habeat obiectum absens tantùm, præteritum, vel futurum; eò quòd vel præteritam, vel futuram horret concremationem. Quare diuersæ est rationis, quia in his affectibus sufficit differentia futuri, vel præsentis ex parte obiecti ad diuersitatem specificam in passionibus constituendam, vt patet in desiderio, & delectatione; timore, & tristitia.

HÆC diuersitas eruitur è D. Bonauent. *loco cit.* quia enim (ait) dolor ille sensibilis venit, seu ex actuali sectione carnis, seu ex actuali impedimento animæ ad suas operationes; mixtum obiectum est mixtus dolor ex sensibili, & rationali: At verò ille, quem sentit anima separata, est merè spiritualis; inde fit, vt diuersi sit ordinis. Differentia verò illa, à Suarez allata, non probat ordinis diuersitatem, de qua conuincendus est Soto; sed de sola varietate specifica eiusdem ordinis, & generis; de qua tamen Soto non admodum est sollicitus. 116

CONTRA modum verò Tanneri *num.*16. Ignem non solùm obiectiuè; sed etiam effectiuè, vt instrumentum Dei, producere ipsum dolorem in voluntate; arguit Arriaga *disp.26. sect.7.* quia dolor resultat in anima, ab ea productus ex obiecto. Deinde, quâ paritate in Angelo ignis producet dolorem, cùm Angelo non opponatur ad modum, quo est contrarius animæ, vt dissolutiuus corporis, cui vnitur formaliter.

DICES, id præstare ignem moraliter, sicut aqua Baptismi dat gratiam. 117

Contrà, quia ignis singulare est instrumentum Diuinæ iustitiæ: ergo Physicum: nec est simile de Sacramentis, quibus Diuina gratia à Deo infunditur per creationem, solius Dei propriam.

ASSERO septimò, dæmones torqueri ab igne, dum illi alligantur.

PROBATVR à D. Bonauent. ex Scripturis, Matth. 25. *Ite in ignem æternum.* Est autem sententia cadens super confine locale in igne, quo indicatur ignis esse veluti vinciens, & arcens: Illam verò alligationem esse doloriferam, constat ex bestiis, quæ maximè cruciantur catenis, vel caueis detentæ, quantò magis spiritus nobilissimi in teterrimo ignis putidissimi, atque horribilis, terreis fœcibus enutriti, barathro colligati. Idem confirmatur aliis Scripturis, Apoc.20. *Apprehendit Angelus Draconem, qui est diabolus, & sathanas, & ligauit illum per annos mille: & misit in abyssum.* Et 2. Petri 2. *Angelis peccantibus Deus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.* Et S. Iudas. *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Isaiæ 24. *Congregabuntur congregatione vnius fascis in locum, & claudentur ibi in carcere.* Thren.3. *In tenebrosis collocauit me, sicut mortuos sempiternos, vt non egrediar, aggrauauit compedem meum.* Hoc idem indicat petitio illa dæmonum, Lucæ 8. *Rogabant, ne illis imperaret, vt in abyssum irent.* Quas authoritates passim vrget S.Doct.*in 4.dist.45.part.2.art.1.quæst.1. ad 2.* ad *cap.8. Lucæ, & alibi.* 118

PROBATVR secundò à Vasq. *num.* 24. optimo argumento D.Bonauent.*in corpore*, quia sic veritas Scripturæ saluatur de igne torquente; nec alios modos habemus notos realis torturæ; sed cogimur ad *miros modos* D. Augustini confugere. Ex quo etiam habes: cur ignem sordidissimum, & fæculentissimum elegerit ad superbos torquendos. 119

Adde

Adde corporibus cremandis post iudicium destinari; atque adeò etiam animabus, & Angelis ad torturam alligatione præstandam.

Obiicies. Ad torturam ignis tuendam non sufficit, eum materialiter tantùm se habere in alligatione; at si efficienter id præstet; sequitur, corpus agere in spiritum, quod suprà reprobastis.

120 Respondetur, satis esse, ignem à Diuina eleuatum iustitia continere, & alligare alicui *vbi*; imò & sibi ipsi dæmones, nil aliud imprimendo. Et hic modus non displicet Suarez *num.* 10.

Tandem præclarùs mihi est locus Scripturæ è D. Bonauent. *septima parte Breuiloq. cap.* 6. ex 14. *Apocal.* vbi describit ciuitatem inferni, ruinis stratam, ex Isaiæ 21. Hierem. 51. *Et cruciabuntur* (ait de ibi carceratis) *igne, & sulphure, & fumus tormentorum eorum ascendit in secula seculorum*, vbi fœcatiores etiam carceres pro grauitate criminum exhibet, & fætentia igne, vel sulphure antra.

121 Scotvs, quia vidit, alligationem localem non satis exprimere Ignis inferni torturas, ad phrasim Scripturæ, & Patrum, inuenit aliam alligationem obiectiuam, quatenus intellectus Angeli determinatur perpetuò ad intensè considerandum ignem, quod molestissimum est illi, qui facultate sua intellectiuâ vti liberè vellet, ad alia meditanda perfectè: quamvis enim & alia possit cogitare; non tamen ità perfectè id valet, eo quòd intensissimè igni applicetur. Hanc verò alligationem ait eò molestiorem alterâ, suprà allatâ, quò potentia intellectiua est motiua nobilior. Ad hunc modum Mastrius vncino trahit Seraphicum.

Assero octauò, alligationem quamcunque non satis esse ad torturam ignis inferni exprimendam.

122 Probatvr à D. Bonauent. è Scripturis suprà allatis, quæ aliud sonant, præter alligationem, vt rectè vrgent apud Suarez *num.* 11. Henricus *quodl.* 8. *quæst.* 34. Soto *in* 4. *dist.* 50. *quæst.* 1. *art.* 2. Raymund. *in thesauro diuinarum consider. cap.* 164. Vincentius Graccharus *opusc. de inferno*, Pelbart. 4. *part. Rosar. verf. Iudicium*, §. 44. Iansen. *in concord. cap.* 45. Angles *in* 4. 2. *part. quæst. vlt. diff.* 1. *concl.* 2. Viguer. *Inst. cap.* 21 *tit. de iudicio Gehennæ*. Malon. *in* 2. *dist.* 6. *disp.* 20. Morand. *num.* 806. non enim dicitur, *carcer cruciat*.

123 Probatvr secundò à D. Bonauent. *fundam.* 2. authoritate D. Gregorij 4. *Dialog. cap.* 29. quâ nititur Suarez num. 12. *Si diabolus, eiusque Angeli, cùm sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi; quid mirum, si anima antequàm recipiant corpora possint sentire tormenta?* Similia habet *cap.* 31. Alia loca habet Seraphicus, relatus *quæst.* 10. & 11. Vnde concludit S. Gregorius, cap. 29. *Colligere ex dictis Euangelicis possumus, quod incendium anima, non solùm videndo, sed etiam experiendo, patiatur.* Sic enim *Luca* 16. ait ille Epulo: *Crucior in hac flamma.* Et Matth. 3. *Paleas comburet igne inextinguibili.* Quod si alligatio sola interuenitet, non dicerentur damnati excruciari, actione propria, ignis combustione, &c. nam & à terrâ, aquâ, metallis possent detineri, vt optimè arguit Theologorum acies integra.

Respondet Faber, *disp.* 36. *cap.* 4. intellectum naturaliter immutari ab igne, & eius calore; nam dæmones intelligunt ignem esse caloris productiuum, & hæc actio est naturalis: ex Diuinæ autem iustitiæ ordine ad eius ignis obiectiuam repræsentationem trepidant, etiamsi nouerint, non posse illum calorem sibi nocêre. Sic è D. Bonau. responder, quo pacto ignis magis, quàm alia res, dicatur propriè dæmones torquêre.

At S. Doctor non explicat hoc pacto rationem ignis inferni, vt vidi; & testatur Mastrius *n.* 155. & Brancas. *suprà*. 124

Dicit igitur Mastrius, hoc pacto exponi à D. Bonauent. à quo didicit eundem modum Scotus §. *Ad quæst.* duplicem assignando ignis actionem in corpus sensibile. Prima est realis, atque vniuoca calefactionis. Secunda æquiuoca intentionalis in sensum tactûs; quod si corpus sit anima rationali informatum, producitur etiam species intelligibilis in intellectu; & in voluntate tristitia, & mœror. Igitur ait, ignem non comburere actione Physica damnatos, quia fortè Deus eam actionem suspendit circa corpora; & circa animas non habet proportionem: habere tamen in sensum actionem intentionalem affligentem dolore sensitiuo; ex quo tristitia, & mœror resultat in animam. Neque hoc mirum; quia hæ duæ actiones sunt separabiles, vt ait Scotus ex D. Bonauent. nam cadauer actione Physicâ profectò consumitur, non autem intentionaliter sentit.

Qvando igitur Scriptura, & Patres vocant ignem inferni vrentem, cremantem, non intelligunt, ignem exercere actiuitatem illam Physicam vrendo, quasi imprimat in damnatos calorem corporeum, cùm eius sint incapaces, sed quod ex igne visibili trahitur ardor inuisibilis, vt dicebat D. Gregorius suprà, nempè immutatione intentionali, quæ est actio propria ignifera. 125

Deducit autem, Deum igne magis vsum, quam aliâ creaturâ ad torquendos rebelles, quia in agendo Physicè est omnium agentium vehementissimus, & in actione etiam sensitiua terribilis; vnde etiam ad voluntatem transit maximus horror; atque ignis ità torquet damnatorum animas separatas, & similiter dæmones, sicut torquet animas ipsas corporibus vnitas. Hic mutilat, non verò explicat modum, quo D. Bonau. explicat torsionem ignis in Angelos, & animas separatas, quem suprà explicui, non esse penitùs eo modo, quo agit in animam vnitam; sed diuersâ ratione.

Addit verò, quo sensu dicantur dæmones trepidare, vbi non est occasio; quia, scilicet Diuina iustitia incutit timorem, ac tristitiam, ac si verè essent comburendi, etiamsi sciant se non comburendos: tum quia sunt spiritus actiuitati corporum non obnoxij: tum quia naturaliter ignis non imprimit dolorem in animam per actionem animalem, nisi priùs per Physicam actionem imprimat calorem in corpus ei coniunctum; sed trepidant timore, spectato igne, vt instrumento à Diuina iustitia assumpto ad comburendum, idest ad imprimendam talem, ac tantam afflictionem, qualis sequi solet in ipsa, ex ipsa actione comburendi. Et sic Diuina iustitia facit, verè trepidare, vbi spectato solo ordine naturæ, nulla esset occasio timendi. Hoc ex parte admisi suprà; sed non timeo etiam perturbationes admittere in germano Seraphici sensu, & illusiones terribiles, vt dicatur, Deum misisse in illos spiritum vertiginis, vt dicitur *Isaiæ* 19. 126

Qvod verò obiicit Suarez, debere ad phrasim Scripturæ, & Patrum assignari aliquam actionem Physicam ignis; vnde dicatur comburere. 127

Dico, non rectè obiici: nam illa qualitas deformans ab eo posita multò minùs explicat aliquam

vstionem

vstionem; imò neque actionem, quam non produceret etiam terra, &c.

Iam verò, vt redeam ad probandum assertum, quòd sola alligatio non satis est.

PROBATVR quoad alligationem localem à Suarez, & Arriaga: primò, quia minor sic esset pœna damnatorum pœnis Martyrum, qui combusti fuere. Et homines post iudicium acriùs torquerentur, quàm Lucifer. Et infantes æque torquerentur ac dæmones; nam & ipsis est carcer subterraneus vilissimus.

128 PROBATVR verò de alligatione obiectiua; quia non est adeò vehementer igni contemplando alligatus dæmon, vt velocissimè non peruagetur ad alia contemplanda, vt aiunt S. Dionysius, & alij Patres. Quare non est adeò pœna acerba, sicuti dicunt Patres esse ignem. Esto enim quoad actus secundos infirmati sint Angeli mali, vt ait S. Dionysius *cap. 4. de Diuin. nominibus*; tamen naturalia substantialiter sunt integra. Vnde non video tantam hinc pœnam emergere, quanta de igne prædicatur. Fateor & obiectiuè dæmones ab igne pati, & posse torqueri vehementer, quod experimur nos quoque in quibusdam somniis, dum inter vngues feratum esse videmur, in ignem coniecti, &c.

129 ASSERO vltimò, miris modis, nobis inexplicandis, torqueri damnatos ab igne. Ità D. Bonau. & patet ex difficultatibus, quæ irruunt in singulos modos, maximè, quia nullus sufficienter explicat, quo pacto verè torreantur ab igne, sicut Scripturæ, & Patres clamant: Hoc autem solo modo dicendi intelligitur, quantùm licet; hoc ferè inexplicabile sentio. Et sanè si in cor hominis non ascendit præmium bonorum; arbitror & pœnam malorum esse inexplicabilem. Ità claudit etiam Fuliens. *lib. 3. c. 9.* Id probat S. Doct. è D. Aug. *loco cit.* cum quo tandem concludit.

POSSVMVS etiam hinc intellectum captiuare, quomodò actiùs aliqui damnati, præcipuè dæmones, torreantur, vt dicunt Patres, qui omnes confitentur, verum esse ignis cruciatum. Tertullianus verò, initio, pro secunda sententia allatus, palinodiam cecinit, vt videre est *in lib. de anima, cap. vlt.* & *lib. de resurrectione carnis*; tametsi in alium inciderit errorem, animas esse corporeas, in quem lapsus est etiam Origenes.

D. Ambrosius, *loco cit.* solùm negat, ignem calefacere dæmones. Alij verò PP. satis expliciti sunt *quæst. 12. & hic.*

OBIICIES cum Ægidio contra tertium assertum. Dolor consistit in perceptione læsionis ex D. August. 14. *de ciuit. cap. 15.* Vnde D. Gregorius 4. *Dialog. cap. 29.* ait: *Eo ipso dæmonem cremari, quo se videt cremari.* Ergo sola intellectiua perceptione crematur.

130 RESPONDET Suarez *lib. 8. cap. 13. à num. 9.* ex D. Bonauent. *in corpore*, & ad sextum, Dolorem, ex D. Augustino, materialiter consistere in apprehensione, formaliter verò in fuga mali, vt dixi. Diuus autem Gregorius non ait, in sola visione consistere læsionem ab igne, vt aduertit etiam Seraphicus *ad argumenta.*

Cætera, quæ obiiciunt authores opinionum, relati suprà, iam ex dictis patent.

QVÆSTIO XV.

An Dæmones statim in infernum corruerint an verò aliqui in aëre reseruentur.

D. Bonau. d. 6. art. 2. q. 1.
D. Thom. q. 64. art. 4.

ANIMAS, post mortem, vel ad cœlum euolare, si immaculatæ sint; vel ad Purgatorium, si iustæ aliquo næuo aspersæ; vel ad inferos, si lethaliter reæ, certum est. An verò etiam de dæmonibus dicendum, omnes statim in infernum deturbatos fuisse, non adeò constat, vt aduertit S. Doct. *in corpore*, & cum eo Suarez, *cap. 16. num. 25.* Imò D. August. videtur omnibus dæmonibus assignasse, vsque ad iudicij diem, aërem caliginosum, vt vidit S. Doctor.

ASSERVNT autem D. Bonauent. *hic*, D. Thom. *ad vlt.* Alens. *2. part. quæst. 100.* Suarez, *loco cit.* Tanner. *num. 25.* & communiter censent, aliquos adhuc in aëre versari; plurimos verò in inferno, etiam ad damnatos torquendos, vt notat Suarez *num. 28.* cum D. Bonauent. *in Diæta, tit. 10. cap. 1.* Addit Seraphicus Doctor cum Magistro *dist. 6.* Ægidio *ibi*, Alensi *loco cit. memb. vlt.* Suarez *cap. 17. num. 2.* Tanner. *num. 27.* nullos dæmones, excepto Lucifero, ità esse inferno alligatos, vt nunquam indè prodeant. 131

ASSERO primò probabiliter, Dæmones statim post peccatum lapsos in infernum.

PROBATVR à S. Bonauent. *argum. 1.* Altissimo statui Angelorum superbientium spreto, debuit respondere profundissimus casus ab Empyreo in abyssum. Et hoc ità euenisse constat, Isaiæ 14. *Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? &c. Verumtamen ad infernum demergeris in profundum laci. Detracta est ad inferos gloria tua.* Hoc argumento vtitur Suarez *num. 27.* Tannerus *num. 25.* Idem habetur *secunda Petri 4. & Iudæ canonica.* 132

PROBATVR etiam argumento 3. D. Bonauent. quo nititur Suarez *cap. 16. num. 34.* Tanner. *num. 25.* Non sunt peioris conditionis animæ, quàm Dæmones: at verò animæ impiorum statim in infernum truduntur; vt constat de Epulonis anima Lucæ 16. *Mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.* Et Iob 21. *Ducunt in bonis dies suos; & in puncto ad inferna descendunt.* Maior est euidens: nam dæmones, vt moraliter credi potest, grauiùs peccarunt, quàm animæ, vt asserunt Sancti Patres plurimi, qui ideò nec redemptos autumant. Eos retuli *quæst. 9. disp. 7.* Confirmatur à D. Bonau. ex illo Damasceni, lib. 2. cap. 4. *Quod est hominibus mors, hoc est Angelis casus.*

His tamen argumentis, tanquam non conuincentibus, hoc esse assertum, respondet, omnes quidem inferno emerito destinatos; aliquos tamen adhuc posse per aëra euolare ad exercitium bonorum, & hoc à Deo permissum, dicit. 133

ASSERO secundò, plurimos in aëre versari dæmones.

PROBATVR à S. Doctore ex illo Ephes. 2. *Non ambuletis secundùm principem potestatis aëris huius.* Eadem habentur *Ephes. 6.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *ex Euangeliis*, vbi narratur Diabolus tentasse Christum. 134
Matth.

Matth. 4. *Lucæ* 3. Eiecisse dæmones ipse Dominus describitur.

Idem testatur Petrus, prima, cap. 5. *Circuit quærens, quem deuoret.* Et Iob 1. *Circuiui terram.* Apoc. 12. *Descendit ad nos Diabolus.* His testimoniis vtuntur moderni.

Probatvr tertiò à S. Doctore, ex Patribus, quos refert etiam Suarez *num.* 30.

Probatvr quartò à SS. Doctoribus, ex ordine Diuinæ prouidentiæ, vt inferiorum bonum procuret per superiores, vel directè per Sanctos Angelos, vel indirectè per dæmones, permittendo, vt bonos exerceant ad coronam; imò & omnes, volentes ad meritum, peruenire, quam rationem confirmat S. Doct. ex D. August. *lib.* 2. *de ciuit. cap.* 18. vbi ait: *Nunquid Deus, quos præsciebat futuros malos, eos fecisset, nisi pariter nosset, quibus bonorum vsibus eos accommodaret?* Hac ratione vtitur Suarez *num.* 31. Tannerus *num.* 26. & alij.

135 Assero tertiò, nullos dæmones esse continuò inferis alligatos (excipe Luciferum,) sed modò hos, modò illos istinc erumpere. Ità D. Bonau. Alens. Suar. Tanner. cum Magistro *disp.* 6.

Probatvr, quia sæpè referuntur dæmones egredi, vel ingredi infernum. Excipio Luciferum, qui dicitur eiectus foras, è mundo, Ioan. 12. *Et ligatus in abysso.* Apoc. 20. vsque ad tempora Antichristi, vt ait D. Gregor. 4. *Moral. cap.* 13. vel 12. & cum eo Ribera, & Viegas *ibi.* Tannerus *num.* 26.

QVÆSTIO XVI.

An dæmones per aëra vagantes, igne crucientur.

D. Bonau. d. 6. art. 2. q. 2.
D. Thom. quæst. 64. art. 4. ad 3.

Prima opinio est affirmatiua D. Thom. quam sequitur Suarez, *lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 33. dicens, esse communem Theologorum. Sic & Toler. *ad* 8. *Lucæ*, Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 6. *num.* 21. Hi volunt, igne torqueri, considerando imminentem sibi Gehennam, licèt non alligentur. Eis subscribit Morand. *tract.* 7. *quæst.* 43. *num.* 808. qui respuunt Malonium 2. *dist.* 6. *disp.* 2. *sect.* 2. *ad* 8. dicentem, dæmones vbique secum habere portionem ignis, quod videtur eruere ex Glossa in cap. 3.

136 epist. Iacobi, dicente: *Dæmones secum portare ignem Gehennalem, quocumque ierint.* Hanc verò sic interpretantur, Deum supplere actionem ignis inferni, vel ipsum ignem inferni agere in distans; & sic Dæmones virtualiter secum ferre ignem, non formaliter; vt putat Malonius.

Cæterùm, est alia sententia probabilis, non cruciari ab igne dæmones per aëra vagantes. Ità Richard. 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. nec dissonat Bannes *q.* 64. *art.* 4. *dub.* 4. post Canum. Id videri probabilius ait Seraphicus Doctor.

Assero, probabilius videri, dæmones per aëra non torqueri ab igne.

Probatvr à D. Bonauent. ex illo *Matth.* 8. vbi dæmones Christo clamant: *Venisti ante tempus torquere nos.* Ergo adhuc non torquebantur.

137 Respondet Suar. *num.* 23. Tanner. *ibidem*, eos formidasse incarcerationem in infernum. Sic enim & illi dæmones, Lucæ 8. *Rogabant, ne in abyssum irent.*

Contrà arguit S. Doct. *fundam.* 1. *& in corpore*; nam absolutè dicunt: *Venisti torquere.* Ergo de essentiali pœna ignis loquebantur, non de sola alligatione; esto & illam formidarent.

Probatvr secundò à S. Doct. profectò non secum ferunt dæmones ignem, vt fatentur communiter, contra Malonium; alioqui dum in aliqua corpora ingrediuntur, & ibi commorantur, ea comburerent; vel ignis ille miraculo detineretur, ne Energumenos consumeret. Est enim ille ignis actiuissimus super nostri actiuitatem. Gratis verò fingitur perpetuum miraculum. Neque ignis inferni potest torquere eos dæmones, quia non potest ad omnem distantiam operari. Quòd verò torqueantur, timendo futuram vstionem, non est satis, vt putent alij cum D. Thom. *ad* 3. Morandus *num.* 808. ait, Deum supplêre ignis vim.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. quia dæmones multi ità se gerunt, vt non videantur torreri; vt sunt illi, quos vocamus *Foletti.* 138

Præstereà, qualis ignis est iste, quem secum ferre dæmones, ait Malonius? vel enim est carbo, vel flamma: Hæc sanè sensibus paterent in obsessis.

Aduerte, Seraphicum explicare Glossam illam, *cap.* 3. *Iacobi.* Sic, dæmones secum ferre flammas vitiorum, quibus torquentur; vt Inuidiæ, Iræ, &c.

Hoc videtur durum: nam ibi Glossa dicit: *Gehenna est diabolus, & secum fert tormenta flammarum; & his excitatus flammam vitiorum suggerit hominibus, & ea, quæ eis inuidendo suggerit, per linguæ incontinentiam aperit.* Attamen si penitiùs legatur, atque pensetur, patebit ad sensum. Dicit enim, Gehennam esse diabolum, à quo lingua inflammatur, vt ait Iacobus: *Lingua inflammata à Gehenna.* Igitur inflammatus passionibus vitiorum, alios accendit intentus; ignis verò potiùs distraheret; vt notat D. Bonauent. *fundam.* 3. nam vexatio aëris intima distrahit ab alienis. Morandus, Deum supplere actionem ignis, exponit.

Obiicies secundò. Eadem est ratio pœnæ, & præmij: at sancti Angeli statim beatitudine donati sunt: Ergo & mali Gehennâ: Minor probatur, Matth. 18. *Semper vident faciem Patris.*

Respondet S. Doct. negando paritatem; quia Deus pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum. Ideò punit citra condignum: at supra condignum glorificat.

Respondet secundò, non esse simile, quia ministerium Angelorum non impeditur à gloria: at pœna illa acris inpediret hominum exercitia; quia, qui suis vexatur, alienis non attendit.

Obiicies tertiò. Animæ damnatorum non sunt peioris conditionis, quàm dæmones; sed animæ statim igni traduntur: ergo. Maior patet, quia dæmones grauiùs deliquêre. Minor probatur *Iob* 21. *Lucæ* 16. suprà allatis. Hoc vrget Suarez.

Respondet S. Doct. non esse simile: nam animæ sunt omninò in termino; dæmones verò, quoad ministeria, adhuc in via, & demerentur; & ità omnia ad tesseras soluentur in iudicio per æternitatem. Neque tamen concedit S. Doctor demeritum essentiale, vt dixi *num.* 22. 139

Obiicit quartò. Suarez, peccato respondet pœna damni, & sensus; sed dæmones puniti sunt pœna damni: ergo & sensûs. Confirmatur, nam dæmones, qui iacent in inferno, hac pœna puniuntur

puniuntur: Ergo & qui extra infernum, non enim melioris esse debent conditionis. Si dicas, eam pati, dum sunt in inferno præsentes. Contrà, nam hoc est contra pœnæ æternitatem.

RESPONDET S. Bonauent. negando paritatem, quia, sicuti auersio à Deo, cui respondet pœna damni est præcipua, & prima peccati malitia: ità & pœnam meretur statim in termino, quia hæc immediatiùs pugnat cum visione, & fruitione Dei.

Ex his inferunt authores primæ sententiæ, saltem non pati dæmones ab igne carcerationem, dum inter nos excurrunt. Malonius verò mordicùs asserit, eos igne ambiente circumligari. Mastrius verò *disp.3.quæst.6.num.*138.*&* 149. ait, eos alligari, veluti auem, fune, vel belluam catena, vt nequeant, quò volunt, excurrere.



DISPVTATIO IX.

De Loco Angelorum.

MIRABITVR aliquis, me ad hæc vsque hanc distulisse disputationem. Abeat tamen admiratio; cùm enim de Angelorum naturâ esset peragendum, ea priùs, quæ substantiam, potentias, actusque immanentes respiciunt, fuêre absoluenda. Posteà verò ea prosequi teneor, quæ ad actus transeuntes, & eorum externa ministeria pertinent, quæ à loco, tempore, cæterisque dependent; & ad quæ ordinantur potentiæ, & actus ipsi immanentes. Et si de pœnis dæmonum egi; parcite; id præstiti, vt omnes simul pœnas percurrerem; inter quas præcipuè sunt, quæ ad intellectum, & voluntatem spectant. Iam igitur de Loco, Motu, & Ministeriis Angelorum erit sermo.



QVÆSTIO I.

An Substantia ANGELI *sit in loco corporeo.*

D.Bonau.in 2.d.2.p.2. art.2.quæst.1.
D.Thom.q.52.art.1.

FVERE nonnulli apud Picum, *apol.1. de Christi descensu ad inferos*, dicentes, Angelos non esse in loco aliquo præsentes, nisi fortè abusiuè.

Alij apud Durandum *dist.* 37. *quæst.1. num.*22. Ea sola ratione Angelos concedunt esse in loco, quâ causa est in effectu. Hanc sententiam secutus est Heruæus *tract.de motu Angeli, quæst.1.art.1.* perperam verò Faber Fauentinus 2. *disp.* 15. *quæst.1.* eam inurit D. Angelico, vt eum sibi aduersarium exponat.

1 COMMVNITER asserunt Theologi, Angelos esse in loco. Ità Magister 1. *dist.*37. & *in* 2. *dist.*2. vbi Scholastici; & oppositum hæreticum proclamant D. Thom. 1. *dist.*37. *quæst.*1. *art.*1. vt notat Vasq. *disp.*187. *cap.*1. Tanner. *disp.*5. *quæst.*2. *dub.*1. Sic assero cum D. Bonauent. *hic*. Vide Suarez *de anima, lib.4.cap.*1. Molinam *hic, memb.*2.

PROBATVR primò à S.Doct. illis Scripturis, quæ testantur, Angelos in loco existere, & moueri. Sic Angeli creati sunt in cœlo; vt notat Strabus *in Glossa ad Genesis primum*. Ideò *Apoc.*12. describitur ibi prælium Michaelis cum Dracone, & Angelis eius, & subdit: *Neque locus inuentus est eorum ampliùs in cœlo.*

Hîc tamen locus, etsi à multis Patribus relatis *disp.*4. *quæst.*3. sic exponatur: attamen & de bello Draconis cum Ecclesia explicatur ab aliis. August. *homil.9.in Apoc.* Beda, Anselmo, Glossa ordinaria, & D.Thoma.

PROBATVR validiùs à S.Doctore ex illis Scripturis, quæ expressiùs id asserunt Matth.25. *Ite in ignem æternum.* Primo Iob: *Cùm assisterent Filij Dei, affuit quoque & Sathan.* Lucæ 1. *Ingressus ad eam, & discessit ab ea Angelus.* Lucæ 8. *Et rogabant Christum, vt permitteret eis in porcos ingredi; & permisit illis.* Matth. 12. Lucæ 11. *Vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Quæ loca S.Doct. prosequitur præcipuè in Lucam. 2

Ex his arguit Seraphicus, ratione, quam Vasquez *disp.*188. *num.* 16. omnium efficacissimam astruit, & Arriaga *disp.*15. *sect.*4. Tannerus *num.*3. aliique applaudunt. Quod est, & non vbique, debet esse in loco determinato. Angelus est in mundo, & vbique non est: Ergo est in aliquo determinato loco. Alioqui neque fuissent creati in cœlo, aut vllibi; neque fuissent dæmones in infernum damnati. Itaque falsæ essent Scripturæ asserentes, Angelos in aliquo loco, vel ex aliquo loco discedere, vel ad alium transire. Idemque de animabus separatis sequeretur; & ità Sanctissima Christi anima non fuisset in inferno, quod est contra Symbolum fidei. In quo malè sapit Durandus apud Vasq. *disp.*194. *cap.*2.

Confirmatur à D.Bonauent. *fundam.*2. ex Patribus, Damasceno 2. *de fide, cap.*6. Dionysio *cap.vlt. de cœlesti Hierarch.* Nazianzeno *oratione* 34. Hieronymo *epist.*53. Ambrosio *lib.*1. *de Spiritu sancto*, Chrysostomo *homil.*3. *ad Hebr.* Gregorio *homil.*34. *in Euang.*

Quòd verò scrupulum parit ex D.August. 2. *de Genes.ad litt. cap.*26. & D. Thom. *in* 1. *distinct.*37. *quæst.*3. *art.*1. *ad argum.* solùm infert, non esse in loco Aristotelico, qui corporis naturalis est proprius, vt ipse D. Thom. fatetur *hic*, *quæst.* 52. *art.*1. 3

PROBATVR tertiò à Scoto 2. *dist.*2. *quæst.*5. & Fabro *disp.*15. *cap.*2. *argumento*, quod putant ad hominem, contra D. Thomam; & eruitur è D. Bonauent. *fundam.*4. Mouens, & motum debent esse simul *ex* 7. *Phys. text.*4. 6. 9. *&* 10. Ideò enim D.Thom. & D. Bonauent. probant, Deum esse vbique, quia vbique operatur. Deus autem est virtutis infinitæ, quæ non potest à substantia elongari; at verò Angeli virtus, cùm sit finita, solùm finitè potest elongari. Certum est autem, magis necessariam esse substantiam creatam, quæ est virtutis finitæ, esse præsentem, quàm infinitam Dei.

PROBATVR quartò à Scoto *loco cit.* & Fabro *cap.*3. argumento sumpto è D.Bonauent. *in corpore.* Suppono, Angelum habere aliquam operationem in aliquod corpus intra ambitum cœli Empyrei. Debet igitur dari ordo, vt vna res, post aliam, operetur 4

operetur in aliam. Iste ergo ordo, siue Angelum contineat immediatè ante passum, siue mediatè, supponit, dandum esse locum determinatum intra cœlum, in quo Angelus applicetur ad agendum in illud passum.

5 PROBATVR quintò à D. Bonauent. *fundam.* 4. Nulla substantia potest operari, vbi non est virtus eius. Angelus operatur in corpora: Ergo ibi est virtus eius; at virtus substantiæ finitæ non potest elongari, seu extendi, nisi ad determinatam sphæram actiuitatis (virtus enim infinita non egreditur è substantia:) Ergo necesse est, Angelum esse in loco, vbi operatur, vel propè. Ergo cùm operatur in loco corporeo, puta mouendo cœlum; est ibi præsens; similiter & in Empyreo contemplando Diuinam Maiestatem. Idem arguit S. Doctor *q.* 2. *ad* 2. & est ratio Damasceni 1. *de fide, cap.* 17. quam Faber *num.* 3. Scoto adscribit.

SCOTVS *loco cit.* & Faber *num.* 23. Simile argumentum iuxta sua principia, componunt sic: Virtus finita exigit determinatam distantiam. Virtus Angeli est finita: Ergo in determinata approximatione debet adesse. Sed sic, vt à D. Bonau. ponitur, conceditur à Caietano.

6 PROBATVR sextò à Scoto *loc. cit.* & Fabro *num,* 24. argumento Seraphici *in* 1. *dist.* 37. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *fundamento* 4. Eodem modo asserit Scriptura, Angelos esse in loco, & animas esse in inferno; & animam Christi ad inferos descendisse. Sed anima Christi verè fuit in inferno, vt habetur in Symbolo: *Descendit ad Inferos*, & Ioan. 5. *Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam.* De quo vide D. Bonauent. *in Commentario*: Ergo sicuti per verbum *descendit*, significatur anima Christi substantialiter; idem de Angelis dicendum, eos descendisse, & affuisse. Confirmatur à D. Bonauent. *loco adducto*, ex 1. Hebr. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi.* Multa alia habebis, *disp.* 10. *de Motu.*

7 PRO solutione oppositorum aduertit S. Doct. Locum corporeum tria corporibus corruptibilibus conferre: nam mensurat vt quantitas; continet vt vas; conseruat vt natura. Substantiæ igitur corporeæ, quia finitæ sunt, continentur à loco: quia corporeæ, mensurantur: quia corruptibiles, conseruantur; substantiæ verò corporeæ incorruptibiles solùm continentur, & mensurantur: substantiæ verò spirituales solùm continentur, & diffiniuntur; quia finitæ. Addit verò S. Doctor, Angelos habere locum metaphoricè continentem; nempè Dei virtutem, quæ translatè dicitur locus continens Angelos.

Hinc capies, quid velit S. Damasc. 1. *de fide, c.* 17. dicens, *Angelum esse in loco, intellectuali modo, idest sine mole quantitatis, à qua circumscribatur,* ideò enim dixerat; eum non ità esse in loco, vt figuram recipiat.

Est igitur in loco diffinitiuè, quomodo esset corpus, si substantia maneret sine quantitate; nam quantitas est fundamentum localitatis mensuratiuæ, non diffinitiuæ. Hac doctrina S. Bonauenturæ, Scotus omnia soluit, vt notat Faber *num.* 28.

QVÆSTIO II.

Quæ sit ratio, quodque fundamentum ANGELO, *vt sit in Loco.*

D. Bonau. dist. 2. p. 2. art. 2. q. 1.
D. Thom. q. 52. art. 2.

ADVERTVNT Rada *controu.* 6. Vasq. *disp.* 188. *cap.* 1. Albertinus 5. *coroll. Theol. ex Prædicam. quantit. disp.* 4. *num.* 2. Morandus *tract.* 7. *quæst.* 8. duplicem esse rationem formalem, de qua potest esse difficultas: altera est proxima, per quam Angelus est formaliter præsens loco: altera fundamentalis, quæ dicitur ratio, *ex qua*. Dat exemplum Rada: Duo parietes albi sunt similes: similitudo est ratio formalis, quæ est & proxima; sunt enim similes per similitudinem: albedo autem est ratio formalis, *ex Qua*, seu fundamentalis; sic & in proposito: Ratio formalis, vt sit præsens Angelus in loco, est præsentia; vt ait Vasquez, vel *Vbi* (vt assentunt Rada, Morandus, & alij) Ratio fundamentalis, *ex Qua*, est, secundùm aliquos, *substantia*: Secundùm alios, *operatio*, vel simile. Poterat sic quæstio hæc finiri; sed ex diuersitate intelligendi hanc distinctionem, plurimæ oriuntur opiniones, quæ hanc quæstionem, inter cæteras de Angelis, celeberrimam reddiderunt. 8

VERA ratio formalis præsentiæ non potest esse præsentia: nihil enim seipsum constituit, vel causat; sed debet esse quid distinctum. Ratio verò formalis; cur Angelus sit præsens loco, est præsentia; sicut similitudo est ratio, cur paries sit similis alteri: Et de hac non videtur quæstio; sed de fundamento: sicut enim, corporibus ratio fundamentalis, (quam Tannerus *disput.* 5. *quæst.* 2. *dub.* 3. vocat formalem) est quantitas, ità spiritibus debet dari aliquod fundamentum existendi in loco, modo spirituali. Et de hoc est quæstio. Sed iterum dico, quòd aliqui fundamentum accipiunt proximum: alij remotum. Ideò plurimæ extant sententiæ apud Vasq. cit. Suarez *lib.* 4 *à cap.* 4. Valentiam *quæst.* 3. *punct.* 2. Tanner. *loco cit.* & omnes sub hoc titulo: *Quæ sit ratio, seu quod fundamentum Angelo, vt sit in loco.* Et aliqui confundunt rationem formalem cum fundamentali. 9

PRIMA sententia est, fundamentum existendi in loco, Angelis esse qualitatem quandam, illis communicatam diuinitùs. Adducitur Alensis 2. *p. q.* 32. *memb.* 1. à Vasq. At Suarez *cap.* 2. *n.* 10. aduertit, non vocari ab Alensi qualitatem; sed proprietatem, quæ est extrinseca Dei constitutio, efficiens vt sit semper in vniuerso, atque adeò ex sua finitate præsens alicui loco determinato. Quæ opinio, rectè explicita, est etiam Seraphici, eius discipuli, vt dicam. 10

SECVNDA sententia est, operationem transeuntem esse fundamentum, quo Angelus in loco constituitur. Est Ægidij *in* 1. *dist.* 37. 2. *p. art.* 1. *quæst.* 1. Ferrar. 3. *contra Gent. n.* 168. qui eam adscribit D. Thomæ *hic*, dum ait, Angelos esse in loco per applicationem suæ virtutis ad locum; attamen id non *ibi* sentit, vt aduertunt Tannerus, Granado, & alij: Videtur quidem, fuisse D. Thomæ *in* 1. *dist.* 37. *q.* 3. sed eum mox explicabo.

TERTIA opinio est, Angelum esse in loco, aut per operationem transeuntem, aut per aliquid, 11

instar operationis, siue actiuæ, siue passiuæ, dum, nempe Angelus præest loco, eumque conseruat, aut tuetur. Citatur D. Thom. *quodl.* 1. *art.* 4. & sequitur Capreol. 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 1. Picus *in Apol. quæst.* 1. Attamen D. Angelicus, licèt dicat, Angelum per operationem loco corporeo esse alligatum, non tamen negat ei, *Vbi*, intrinsecum, vt aduertit Arriaga *disput.* 15. *num.* 6. & infrà ostendam.

Qvarta sententia est, Angelum non esse in loco, nisi per applicationem virtutis ad operationem transeuntem. Ità videtur S. Thomæ *ibi*, vbi Caietanus & recentiores Thomistæ. Sequitur Albertinus *tom.* 1. *princ.* 1. *corol.* 16. *num.* 9. Argentina 1. *dist.* 37. *quæst.* 1. & 2. Goffred. *quodl.* 8. *q.* 13. Viguer. *ad locum D. Thom.* Valentia verò docet, hoc sanè modo, non tamen solo, Angelum esse in loco, sic *disp.* 4. *quæst.* 3. *puncto* 2.

12 Qvinta opinio est Durandi *in* 1. *dist.* 37. *p.* 2. *quæst.* 1. *num.* 26. Angelum per suam nudam substantiam esse in loco, non quidem determinato, quem possit motu deserere, sed communi; hunc autem, inquit, esse omnia corpora, quæ potest mouère, quibus est præsens substantiâ suâ, antequam in illis operetur.

Sexta opinio est, Angelum esse in loco determinato per suam nudam substantiam. Adducuntur à Vasquio, & Tannero, D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 1. & *in* 2. *dist.* 2. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. Scotus 2. *dist.* 2. *quæst.* 6. §. *Ad quæstionem*, & §. *Ad propositum.* Gabr. *dist.* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. Gregor. *q.* 1. *art.* 2. Marsil. *in* 2. *quæst.* 2. *art.* 1. Henricus verò, videtur *quodl.* 2. *quæst.* 9. vt anceps.

13 Svarez *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. ait, malè hos Doctores adduci à quibusdam Modernis pro hac sententia: nam, licèt aliqui ex his dicant, Angelos esse in loco per suam substantiam; non tamen volunt dicere, fundamentum proximum esse substantiam, sed concedunt esse *Vbi.* Volunt autem, eò modo dicendi, excludere opiniones dicentium, Angelos esse in loco, non per suam substantiam, sed per operationem, vel per aliud extrinsecum; At isti volunt, substantiam esse rationem fundamentalem, & subiectum rationis illius formalis, per quam in loco collocantur.

14 Septimò, Valentia *quæst.* 3. *punct.* 2. asserit, omnibus quatuor modis posterioribus relatis, Angelum esse in loco; diuersâ tamen ratione nixus.

Octava opinio est, nullo ex relatis modis, Angelum esse in loco; sed modo aliquo absoluto, addito substantiæ Angeli, & ex voluntate ipsius pendente, vt pro libito possit eo penitùs carere, quo nempè ipse Angelus realiter coniungatur alicui corpori, ratione cuius ipse secundariò in loco sit, quique diuersus sit ab ipso modo propinquitatis, secundùm locum, seu præsentiæ localis; & proinde inuariatus maneat, etiamsi varietur distantia localis Angeli, à partibus mundi fixis. Ità Vasquez *disp.* 188. *cap.* 7. adducens Henricum *quodl.* 2. *quæst.* 9.

15 Nona opinio est, Angelum esse formaliter in loco per *Vbi*, seu modum intrinsecum in ipsa substantia Angeli, immediatè ei inhærentem, qui moto Angelo, & ipse mutetur, & desinat; alio tamen succedente. Ità Suarez, *disp.* 40. *Metaph sect.* 22. & *hic*, *lib* 4. *cap.* 7. & alibi 3. *p. tom.* 3. *disp.* 47. & 48. & adducit D. Bonauent. Scotum, & alios; sed dicit, hos ponere, substantiam Angeli esse proximum fundamentum existentiæ in loco, licèt non dicant, esse rationem formalem proximam existendi in loco. Hanc vocat Fuliensis *lib.* 3. *cap.* 2. indistantiam substantiæ.

Hanc verò sententiam secuti sunt etiam Gabriel, Gregor. Marsil. *supra*, Richard. 1. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 1. Pesantius *p. p. quæst.* 52. *art.* 1. *disput.* 2. Malon. 2. *dist.* 8. *disp.* 9. *sect.* 2. Molina *quæst.* 52. *art.* 1. *disp. vnic.* Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 2. *dub.* 3. *num.* 13. adducens Alensem, Richardum, Henricum, & alios, præcipuè Hugonem de S. Vict. *lib. de Sacram. p.* 3. *cap.* 18. Rada *controu.* 6. §. *quarta concl.* Præposit. *disp.* 1, *num.* 10. Morand. *tract.* 7. *quæst.* 8. *num.* 687. Arriaga *disp.* 15. *sect.* 2. vbi probat, exigentiam vbicationis in omni re prouenire à propria entitate. Qua doctrina sententiam D. Bonauent. percipies, qui, fundamentum vbicationis Angeli, asserit substantiam ipsius Angeli. Subscribit Caspensis *disp.* 4. alios referens, & Seraphico Doctori attidet.

Sententia D. Bonauent. est, substantias spirituales contineri aliquo loco, quia sunt finitæ; sicut è contra Deus, quia infinitus, loco nullo continetur. Vult igitur finitatem substantiæ esse rationem fundamentalem, non sanè existendi in hoc, vel illo loco; sed existendi in aliquo loco, ità vt contineatur in aliquo spatio, & non compleat omne spatium. Hanc doctrinam cæteris veriorem acclamat Fauentinus *cap.* 3. eam verò adscribit Scoto. 16

Et hoc innuunt Scripturæ indicantes, quemcunque Angelum esse in aliquo loco limitato ex sua ipsorum finitate, & aliqui Patres dicentes, Angelos esse termino locali circumscriptos; non quia ad modum corporum, superficie corporis ambientis, immobilis, primò circumscribantur; sed quia finiti sunt: & hoc directè refellit Durandum 1. *dist.* 37. *p.* 2. *quæst.* 1. *num.* 26. apud Suarez, & Molinam, qui auctoritates allegant. Quamuis enim possit aliquid esse vbique; nec tamen esset immensum immensitate Deo propria; vt acutè vidit Arriaga *disp.* 15. *à num.* 11. & Morandus *tract.* 7. *quæst.* 8. tamen neque hæc vbicatio Angelis à Scriptura, & Patribus, suprà allegatis *quæst.* 1. conceditur.

Enim verò è sola finitate non fit intrinsecè, vt in aliquo loco constituantur. Potuit enim Deus Angelum primò creare ante omnia corpora. Itaque iam quærenda est adhuc ratio fundamentalis, Angelo creato in mundo, ob quam fit in loco, hoc, vel illo, quæ poterit dici ratio formalis eius constitutionis in hoc, vel illo loco. 17

Alteram igitur rationem assignat S. Doct. quæ est ordinatio partium vniuersi, quæ vnicuique rei creatæ dat modum, cuique proprium, vt in aliquo determinato spatio existat ordinatè cum aliis partibus mundi in aliquo continente, quod est Cœlum Empyreum. Quo fit, vt hic modus, qui est, *Vbi*, absolutè quidem constituat Angelum in determinato spatio indiuiduo; sit tamen fundamentum relationis Angeli ad alias partes mundi, seu creaturas secum coordinatas.

Hinc explicat, quomodo locus corporeus possit Angelum continere: quia enim Angelus est simplex quidem; non tamen, vt Deus, infinitus, seu immensus; sed finitus; ideò est hìc & nunc, modo debito, vt sit totus in toto, & totus in qualibet parte. Insuper, quia corpus solum est distinctiuum partium ordinatarum, secundùm hic & illic, sursùm & deorsùm; ideò soli corpori datur vniuersalis potentia locandi, & respectu corporum, & spirituum, 18

vt

vt sic vniuersum esset vnum ex omnibus partibus ordinatis sub maximo continente, quod est Empyreum cœlum. Quo fit, vt Angelus in hoc mundo semper sit in loco etiam extrinseco.

19 Ex his licet colligere, Seraphicum non assignasse pro fundamento locationis determinatæ, seu præsentiæ Angeli, nudam substantiam; sed substantiam finitam: Ad indiuiduum autem spatium determinari modo accidentali, intrinseco sui *Vbi*, qui distinctus etiam ab Angelo conuincitur, quia separabilis ab eo per motum, qui licèt modum accidentalem dicat, & accidentaliter constituat Angelum in tali loco; per se statuit illum *ibi*, sicuti albedo per se reddit album. Vnde non est talis ad eum modum, quo sapientia est in naui, eo quòd in ea est sapiens, vt infert Faber *num.* 15.

Significauit id in altero extremo Suarez dicens, S. Bonauenturam ponere *Vbi*, esse rationem formalem præsentiæ Angeli in loco; inibi non accipiens rationem formalem pro fundamentali; sed propriè.

20 SVPPONO ergo ex Tannero *num.* 2. Seraphicum *hîc*, asserere in Angelo intrinsecum *Vbi*, seu intrinsecum modum præsentiæ, substantiam ipsius Angeli immediatè afficientem, & ex natura rei ab ea distinctum, sine quo existere non potest in loco; & hoc voluit significare, cùm dixit, Angelos esse in loco per suam substantiam, nempè tanquam per fundamentum remotum, subiectumque eius rationis, per quam Angelus formaliter est in loco. Idem asserunt Scotus 2. *distinct.* 2. *quæst.* 6. Gabr. *quæst.* 2. *art.* 2. Arimin. *ibidem.* Marsil. 2. *quæst.* 2. *art.* 2. Et ex professo hunc modum Angelo probant Molina *quæst.* 52. *art.* 1. *disp. vnic. memb.* 5. Suarez *disp.* 51. *Metaph. sect.* 3. & 4. & *lib.* 4. *de Ang. cap.* 2. Albertinus *tom.* 2. *Prædic. quantit. corol.* 15. *disp.* 1. 3. & 4. Tanner. suprà, & alij nonæ sententiæ authores.

21 PROBATVR: quia, Angelum esse in hoc, vel illo loco, est effectus aliquis realis positiuus, qui per motum acquiritur; nec is sequitur è sola existentia talium rerum, puta loci, & Angeli: Ergo est aliquid reale illis superadditum. Consequens probatur, quia non potest esse, nec intelligi nouus aliquis effectus realis, sine noua forma, vel modo reali; quâ ratione etiam de vnione animæ cum corpore, deque mysteriis Incarnationis, & Eucharistiæ Theologi communiter philosophantur: cùm illud principium in omni materia, & per se sit ex terminis necessarium, vt prudenter Suarez *cap.* 2. *num.* 5. Tanner. *num.* 4. aduertunt, & agnouit quoque Vasq. *cap.* 7. qui propterea fatetur, Angelum non esse in loco extrinseco, quin, præter ipsum locum, & actionem transeuntem sit, in ipso Angelo aliquis modus intrinsecus accidentalis; tametsi posteà hunc alio modo explicet per modum vnionis ad corpus, cui coniungitur per indistantiam, ratione cuius modi dicatur Angelus esse in loco, itemque præsens, vel absens loco; vt dixi in octaua sententia referenda, quem modum refellam.

22 PORRÒ allata ratio communiter adhibetur, sumptaque est è D. Bonauent. 1. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. & *quæst.* 2. *ad* 1. vbi etiam indicat, partem huius *Vbi* posse deperdi, alterâ retentâ, vt docet etiam Tannerus *num.* 11.

Explicatur à Morando. Angelus, qui erat in cœlo, fit præsens Nazareth, vbi antè non erat. Ergo tunc acquisiuit *Vbi*, per quod est præsens nouiter. Consequentia probatur; quia non est factus nouiter præsens per suam substantiam, quia hæc eadem antea erat: neque per locum Nazareth, qui antea erat, & tamen Angelus in eo non erat. Neque nunc est iam præsens per motum, quia is transiit. Ergo ponitur ibi per aliquid additum, quod cùm nequeat esse sine Angelo; & Angelus possit sine illo esse, si aliò moueatur, non potest non esse modus, nec alius apparet, quam *Vbi*, vt notant Albertinus, Arrubal, Præpositus, Morandus, & alij. Non enim est substantia, quia à substantia est separabilis: Nec est aliquod accidens materiale corporeum, quia est in spiritu: non qualitas, quia hæc alteratione, non verò motu locali, acquiritur: Neque est relatio, quia ad eam non est motus; Neque aliud Prædicamentum ingreditur. Ergo est *Vbi*.

Ex quo sequitur, hoc *Vbi* esse fundamentum relationis præsentiæ, vel distantiæ Angeli à locis, siue corporibus, à quibus per suam substantiam est indistans, vel distans. Ità Suarez *lib.* 4. *cap.* 8. Tanner. *dub.* 2. *num.* 8. Probatur à simili de *Vbi* corporeo, quod est fundamentum simile relationis. Et hoc exposuit S. Doct. *hic*, & *quæst.* 4 explicans, *Vbi Angelicum*, & dicens, illud includere ordinem ad partes vniuersi, profectò fixas, ad quas, dum manendo seruat eandem distantiam, retinet idem *Vbi* per motum acquisitum, etiamsi corpora contigua mutentur, vt aduertunt Tannerus, & alij ex communi Philosophia; etiamsi Vasquez dicat, mutari *Vbi*, dum mutantur corpora, quibus Angelus est præsens. Hanc Loci immobilitatem ventilabo, *tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 2. 23

ASSERO primò, rationem fundamentalem Angeli existentiæ in loco, non esse qualitatem aliquam, diuinitus ei communicatam. 24

PROBATVR à Vasquez *fundamentis D. Bonau.* quia Angelicæ substantiæ debetur aliquis locus intra circumferentiam Empyrei, conuenit etiam motus localis, quo naturaliter acquirit *Vbi*. Quorsum igitur infundat Deus qualitatem, vt sit alicubi?

ASSERO secundò, Angelum non esse in loco per solam actionem transeuntem.

PROBATVR primò rationibus allatis *quæst.* 1. probantibus, operationibus supponi præsentiam substantiæ. Ergo, cùm operatio sit posterior præsentiâ substantiali, non potest esse ratio illius.

Arriaga *disp.* 15. *num.* 18. ait, rationem hanc validam solùm esse è Thomistarum principiis; quia volunt, in causis creatis necessariam esse ad operandum approximationem; absolutè autem non esse veram, quia, quando Angelus mouet se, & trahit lapidem, operatur in eo aliquid; & tamen pro priori naturæ non supponitur approximatus illi. At principium illud, Mouens, & Motum debere esse simul; ostensum est *tract.* 1. *disp.* 7. *q.* 2. Tractio verò lapidis, etiam à fugiente, supponit, eum iam satis approximatum. Id ipsum ostendam *disp.* 11. *quæst.* 6.

PROBATVR secundò à Scoto, & Fabro *loco cit.* Arriaga *num.* 21. Suarez *cap.* 4. *num.* 7. Vasquez *num.* 6. Tannero *num.* 10. Morando *num.* 685. Rada *ratione* 5. Præposito *num.* 7. Arrubale *cap.* 1. Valentia §. *Porrò*: nam sequeretur, Angelos non fuisse creatos in cœlo, nec modo ibi esse beatos; nec damnatos in inferno; nec iustos aliquos in Purgatorio; nec animas SS. Patrum fuisse in Lymbo, vel sinu Abrahæ; atque adeò non esse inde liberatas; non enim apparet, quæ actio transiens sit singulis assignabilis. 25

Confirmatur: abstractis, nedum actibus, sed etiam potentiis, quæ apud Thomistas sunt accidentia, adhuc substantia Angeli intelligitur alicubi; non autem nullibi, quod adeò certum habuere Doctores Parisienses, vt contrariam sententiam vocarint erroneam, vt referunt Henricus *loco cit.* Molina *quæst.* 52. *art.* 2. Vasquez *cap.* 6. Tanner. *num.* 10. cum D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 23. *in fine*. Hoc est præcipuum Seraphici fundamentum *hic*, & *in* 1. *dist.* 37. vt retuli *quæst. præced.* vrgens Scripturarum, & Patrum auctoritates.

Respondent Capreol. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 2. Scoti. Caietanus *quæst.* 52. *art.* 1. non esse absonum, Angelos sæpè nullibi esse, licèt imaginatio id non percipiat. Addit Capreolus, Angelos esse in Empyreo per operationem, quæ dicit præsidentiam, vel vnionem ad illud Cœlum; & hanc vnionem dicit esse relationem inter Angelum, & Cœlum, significatam per modum operationis transeuntis.

26 Hæc responsio, vt fatetur Caietanus, non satisfacit: si enim Angelus est in cœlo absque operatione transeunte, iam ceditur campus.

Ideò Caietanus respondet, Angelos in Empyreo esse in loco metaphoricè, quia sunt in gloria, ad quam sanctificatum est Cœlum Empyreum; quod confirmat ex Nazianzeno dicente, Angelos abusiuè dici esse in loco, quia deberemus potiùs dicere, eos operari in loco.

Contra arguit Vasquez *num.* 9. ex D. Bonau. *in fundam. & corpore*, quia Angeli non semper fuere in gloria; sed priùs fuere ibi creati: prius autem non pendet à posteriori. Deinde esse in gloria, non dicit operationem transeuntem, sed immanentem. Eodem medio instat Faber *num.* 7. Suarez *cap.* 4. *num.* 12.

27 Respondet Ferrar. Angelos esse *ibi*, per operationem occultam diuinitùs.

Contra arguit Faber, quia antequam operarentur ibi, erant creati, vt arguit Seraphicus Doctor ex Patribus, & Suarez *num.* 6. Ergo ibi erat eorum substantia, quæ est terminus creationis.

Bannes respondet, Angelos esse in Empyreo, perficiendo operationem illius cœli, vt attingat effectus inferiores; sicuti Sol attingit generationes rerum, etiam nobiliorum se, quatenus est instrumentum Angeli viuentis vitâ perfectiori.

Contrà arguit Faber *num.* 7. Arriaga *num.* 21. ex D. Bonauent. *dist.* 7. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. quia hæc responsio supponit, Angelum influere in cœlum, & in hæc inferiora, aliquam qualitatem, quod est falsum, etiam secundùm Thomistas, vt ostendam *disp.* 11. Vel enim influunt creando, vel generando, vel alterando: At omnia hæc sunt inania. Ex quo vides, hoc argumentum efficacissimum, ne punctо quidem dimoueri.

28 Assero tertiò, Angelum non esse in loco per aliquid ad instar operationis.

Probatur à Suarez *cap.* 5. *num.* 10. Vasq. *cap.* 3. Hoc *instar operationis* quidnam est? vel enim est operatio, vel relatio. Si relatio supponit fundamentum. Si actio: vel est immanens, vel transiens, & sic labitur in aliorum difficultates.

29 Assero quartò, Angelum non esse in loco, per applicationem ad operandum.

Probatur, quia hæc applicatio est præuia actioni transeunti. Ergo vbi non potest Angelus transeunter operari, non poterit esse in loco; sed neque Angeli in Empyreum: animæ in Infernum, aut in Lymbum, quidquam possunt operari: ergo. Sic arguunt Suarez, & Vasquez, loco mox citando, & nos suprà, pro secundo asserto.

Probatur secundò argumento facto ibi. Angeli, antequam applicarentur operationi, erant creati in cœlo; nam operari sequitur ad esse: Ergo non potest illa applicatio esse ratio constituendi Angelum in loco. Quo argumento D. Bonauent. vtuntur Suarez *cap.* 5. *à num.* 4. Vasquez *cap.* 4.

Probatur tertiò è D. Bonauent. *in corpore*. 30
Esse in loco aliquo, dicit ordinationem cum aliis rebus, quæ sunt in mundo in ordine ad totum vniuersum corpus mundi: nam solius corporis est distinctio secundùm *hic*, & *ibi*: *Sursum*, & *deorsum*; hoc verò non potest prouenire ab actu aliquo immanenti; ponamus enim, Angelos, ante omnia creatos, elicuisse actum immanentem applicandi suam virtutem terræ, mox creandæ; certum est, illum actum non efficere, vt Angeli sint in terra.

Quod si dicas, debuisse existere terram, vt Angelus applicaret virtutem suam: Ergo sequitur, in actione transeunte poni hanc applicationem: nam si in sola actione immanente conficitur, ad quid necessaria est existentia terræ; cùm intra Angelum illa applicatio perficiatur? Deinde potuit Angelus ablato omni corpore remanere secundùm substantiam, & secundùm operationem, vt aduertit Seraphicus Doctor *argum.* 3. *addito responso*. Tandem, si ratio existendi in loco, est applicatio; cùm hæc quoque sit operatio, requirit aliam præuiam, & hæc aliam in infinitum.

Assero quintò, Angelum non constitui in 31
loco, per suam nudam substantiam.

Probatur à D. Bonauent. *dist.* 2. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *fundam.* 3. quia sic Angelus nunquam mitteretur, quod est contra Scripturas, & Patres relatos *quæst.* 1. & *disp.* 10. referendos. Hoc argumento vtuntur Vasq. *num.* 22. Suarez *cap.* 2. *num.* 14. Et verè magnum est inconueniens hoc, quod sequitur in opinione Durandi: nam Scriptura sæpè enarrat, Angelos mutare locum. Iob 1. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Danielis 3. & 4. *Marci vltimo*, vbi Angeli dicuntur descendisse de cœlo. Lucæ 10. *Videbam Sathanam, tanquam fulgur, de cœlo cadentem.* Apoc. 12. *Et non est inuentus locus eorum ampliùs in cœlo.* Hæc sunt propriè intelligenda, alioqui dicere possemus, Angelos malos adhuc degere in cœlo Empyreo; nam substantia eorum non est mutata. Adde Lucæ 1. 8. 13. 19. Matth. 4. 5. 12. *Marci* 5. 2. *Petri*, *primo*; & alias Scripturas narrantes transitum Angelorum de loco ad locum. Idem ostenditur è Patribus relatis *quæst.* 1. Vide quoque Suarez *lib.* 4. *cap.* 1. *à num.* 6. Morand. *num.* 688.

Probatur secundò à D. Bonau. *in hac quæst.* 32
in resolut. Omne ens finitum, est in determinato loco, nec potest esse vbique; hoc enim proprium est Dei, cui propria est simplicitas cum immensitate: Sed Angelus est finitus: Ergo. Si autem Angelus esset in loco, communi modo, (vt vult Durandus) iam esset vbique. Hoc argumentum D. Bonauent. vrgent Suarez *cap.* 1. *num.* 12. Vasq. *cap.* 5. Valentia *loco citato*, circa initium.

Assero sextò consequenter, nudam substantiam non esse rationem proximam fundandi locationem Angeli determinatam.

Probatur à Suarez *cap.* 2. *num.* 5. *fundamento* 5. *D. Bonauent.* Sicut se habet anima ad corpus in ratione perfectionis, & perfectibilis: ità proportionaliter locus ad locatum: sed ad hoc, vt anima, & corpus faciant vnum in ratione perficientis, &

& perfecti non sufficit existentia animæ, & corporis; sed requiritur vnio, & hæc sanè distincta à substantia vtriusque, cuius signum euidens est, quòd sæpè existunt substantialiter anima, & corpus; nec tamen vnum faciunt. Ergo & ad vnum constituendum ex loco, & Angelo; ità vt Angelus sit in loco, præter entitatem vtriusque, requiritur aliquis modus distinctus. Vbi nota, argumentum Suarez inferre ex Angelo, & corpore fieri vnum; vbi non video, cur *cap.6.* tam acriter vrgeat Vasquium, admittentem hanc vnionem, quæ non est stricta, vt patet legenti; sed talis, qualis ex indistantibus, aut se penetrantibus corporibus resultat, vt probat etiam Arriaga *subsect.4.*

34 Confirmatvr argumentum ex D. Bonau. *in corpore*: nam corporibus inest potentialis distinctio secundùm *hic*, *& ibi*; ità vt non solùm in se habeat *sursum*: *deorsum*: *hîc*, *& ibi*; sed etiam in ratione loci possit illud dare. Ad hoc autem, vt hæc potentialitas veniat in actum, requiritur, vt aliquod spirituale, vel corporeum existat: neque hoc sufficit, si illud spirituale extra omne corpus crearetur; & tunc sanè existeret substantia spiritualis, & corpus; neque tamen illa esset in hoc, tanquam in loco. Ergo requiritur debita approximatio, seu coëxistentia, quæ procul dubio est aliquid distinctum, cuius signum est, quòd sunt separabilia.

35 Probatvr secundò à Vasquez *cap.6. & 7.* doctrinâ ipsâ D. Bonauent. Corpus est in loco ratione quantitatis suæ, non solùm, quia à loco definitur; sed etiam, quia locus illud ambit superficialiter. Ex eo igitur, quòd corpus quantum potest aliena superficie localiter mensurari, & ambiri, fit in eo modus quidam de prædicamento, *Vbi*, ad quem, vt terminum intrinsecum tendit motus localis. Deinde ex hoc modo oritur, vt corpus ab alio distet, vel sit illi vicinum, & ab aliquo valeat contineri. Hic verò modus necessariò conuenit corporibus, nec ex voluntate mouentis pendet ab omni tali modo corpus absoluere, ex quo modo resultat relatio præsentiæ, vel distantiæ à loco corporeo, quæ relatio fundari

36 vtique debet in aliquo absoluto. Idem proportionaliter de Angelo dicendum, vt Angelus sit in locis, non per suam solam substantiam; sed per hoc, quod se habet præsens loco illi, à quo definitur; Vnde resultat relatio præsentiæ: nam si relatio fundaretur in sola nuda substantia Angeli; sequeretur, Angelum, euolantem ad Empyreum, adhuc manere in eodem loco: nam Angelo euolante manet eadem substantia, atque adeò idem fundamentum relationis; & ità nunquam Angelus rectè diceretur moueri de loco ad locum.

Si dicas, tolli relationem præsentiæ motu locali. Contrà: nam motus localis debet tendere ad aliquam formam, priorem fundamento, quia relatio non mutatur, nisi mutato fundamento, aut termino.

37 Probatvr verò vtrumque assertum contra Scotum, qui vult, fundamentum esse solam substantiam, vt finita est, atque præsentiam esse relationem. Omnis relatio etiam extrinsecùs aduenìens habet fundamentum: sed ista præsentia dicit formaliter respectum per se. Ergo habet fundamentum; sed hoc non potest esse substantia præcisè, etiam vt finita, vt respondet Faber, *num.27.* nam semper est substantia finita, etiamsi ponatur in spatiis imaginariis, & vbicunque sit. Cur ergo huic loco potiùs nunc refertur, quàm illi? aut vnum locum deserit, & alteri appropinquat, manente eodem fundamento finitatis substantiæ? deberet enim, manente eodem fundamento, manere eadem relatio præsentiæ; & tamen non manet.

Assero septimò contra Valentiam: neque his 38 quatuor modis refutatis simul assignari fundamentum præsentiæ Angeli. Probatur rationibus factis, quæ ostendunt hoc ipsum; quia nullus modus adiuuat alium, vt simul compositi constituant tale fundamentum, vt constat discurrenti.

Assero octauò, contra Vasq. Angelus non est propriè in loco per modum absolutum, à modo præsentiæ Angeli in loco distinctum, quo Angelus corpori alicui realiter coniungatur, quique inuariatus manens conseruet Angelum in eodem loco, etiamsi motu mutet distantiam à partibus mundi fixis, euolans ab Oriente ad Occidentem; vel ab Austro ad Aquilonem.

Probatvr primò. Sequeretur, Angelum, 39 qui assumpto corpore transtulit Habacuc è Iudæa Babylonem, & è Babylone in Iudæam, eique semper toto illo itinere coniunctus mansit, non mutasse locum; quia, licèt mutaret distantiam à partibus mundi fixis, tamen non mutauit indistantiam à corpore assumpto, & à corpore Habacuc. Idem argumentum vrgetur in aliis Angelorum itineribus, vt Raphaëlis cum Tobia: Angelorum cum Abraham in Pentapolim. Porrò immobilitatem loci à polis sumi, communiter Philosophi asserunt, & probat egregiè P. Galitius *lib.4. Phil. tract.4. quæst.4.* sed de hoc *tract.5. disput.11. quæst.2.* Alioqui verò loquitur Vasq. de loco Angeli, ac de vase, aut veste continentibus corpus, quod vtique à loco est diuersum, vt docet Aristoteles *4. Physic.* & aduertit Tannerus *num.11.* Suarez *cap.6.*

Deinde nimis dependentem facit Angelum à corporibus.

Assero nonò, rationem proximam Angelo 40 essendi in loco, esse modum *præsentiæ*, seu *Vbi*; hæc verò potest etiam dici ratio formaliter constitutiua. Patet ex aliorum refutatione.

Probatvr primò, doctrinâ Seraphici *in corpore*. Corpora enim constituuntur formaliter præsentia alicui loco per *Vbi*, qui est modus distinctus à corpore locato: Ergo & Angelus. Antecedens est certum è Philosophia, vt ostendam *tract.5. disput.15. quæstione 3.* Probatur consequentia; quia differentia, quæ est inter locationem corporum, & spirituum, est solum, quia illa circumscribuntur: hæc definiuntur loco. Confirmatur argumento allato ante asserta, & explicito à Morando. Sic autem optimè seruatur proportio inter spiritum, & corpus, quoad esse in loco; vt ait Tannerus *num.14.*

Neqve verò substantiæ spirituali repugnat 41 modus intrinsecus *Vbi localis*, vt dixi ante asserta. Eo verò posito satis explicantur ea, quæ de loco Angeli, eiusque existentia in loco asserunt Scripturæ, & Patres. Nam, dum Angelus dicitur, esse alicubi, vel hîc: vel alibi; duplex denominatio Angeli potest considerari: vna intrinseca Angelo, in eoque permanens, quamdiu loco non mouetur: alia est extrinseca desumpta à præsentia, seu quasi continentia loci extrinseci: ad

vtramque autem denominationem sufficit *Vbi Angelicum*, simul cum simultanea coëxistentia extrinseci corporis in eodem quasi spatio: nam primam denominationem habet Angelus ex modo intrinsecæ præsentiæ: hanc verò ex coëxistentia cum corpore.

Obiicies primò cum Thomistis. D. Damasc. 1.*de fide*, *cap*.17 D. Nyssen. 2.*Phil.cap*.11. dicunt, Angelum esse in loco per operationem. Idem habet D. Thom. suprà *citatis locis*.

42 Respondetur, eos loqui de locatione quoad contactum; quia enim Angeli carent quantitate, nequeunt habere alium contactum ad locum, in quo dicuntur esse, quam operando, vel per ordinem ad aliquam operationem; huiusmodi verò contactus non est ratio, cur sint in loco simpliciter; sed sunt in loco per *Vbi*, tanquam per causam formalem; fundamentaliter verò per suam substantiam finitam: per quantitatem autem, loco vicinam, ad summum quoad contactum; alioqui animæ, quæ nequeunt mouêre corpora ex D. Thom. *quæst*. 117. *art*.4. separatæ, essent nullibi, apud ipsum. Absit, hoc negasse Angelicum, vt notat Morandus *num*. 688. Granado *tract*. 9. *disput*.3. *sect*. 2. Vnde sensus germanus D. Thom. habetur.

Obiicies secundò. Quod est corporibus *quantitas*, id est spiritibus *virtus*: Sed corpora sunt in loco per quantitatem. Ergo spiritus per virtutem, seu operationem.

43 Respondetvr, virtutem, quæ in spiritu respondet quantitati, esse perfectionem substantiæ. Ideò sicuti corpora per quantitatem molis sunt circumscripta: ità spiritus sunt definiti à loco. Neque rectè aliqui afferunt, Deum esse in loco per operationem: in æquinoco enim laborant. Deus est in corporibus per operationem, quia oportet, vt ea creet, vt in ipsis sit. De hoc satis *tract*.1.*disp*.7.*quæst*.2.& 7.

Dices, Damascenus *loco cit*. ait: *In loco dicitur esse Angelus, quia intellectuali modo adest, atque, vt ipsius naturæ consentaneum est, operatur; nec alibi est.*

Respondetvr ex D. Bonau. *dist*.2. *p*.2. *art*.2. *quæst*. 2. *fundam*. 2. Damascenum non apponere particulam (*atque*) ad coniungendum particulam (*quia*) ità vt hinc reddatur causa, quare sit in loco; sed solùm reddit causam, cur adsit spiritualiter, non quantitatiuè; & hinc à posteriori ex operatione spirituali deducit præsentiam diffinitiuam; & hoc modo à posteriori probatur præsentia substantialis Dei, ex eius operatione.

Obiicies tertiò. Indiuisibilis ad diuisibile nulla est proportio. Spiritus est indiuisibilis: Ergo non potest esse in loco diuisibili.

44 Respondetur, non posse in loco esse quantitatiuè; sed definitiuè, sicut anima est in corpore.

Obiicies quartò. Idem manens idem, semper facit idem. Substantia Angeli est semper eadem; Ergo semper faciet in eodem loco esse; at verò Angelus modò in maiori loco esse potest, modò in minori intra limites loci adæquati. Ergo non est ibi secundùm substantiam.

Respondetvr, quòd substantiæ respondet adæquatus locus, respondens eius finitæ perfectioni; at verò quòd modò sit in maiori, modò in minori, venit ex eo, quod est spiritus liber; & ideò inæqualiter se ponit, vbi est totus in toto; vt anima nostra: Nec est simile de corpore, quod, quia est in loco commensuratiuè, cogitur esse semper in loco adæquato: è contra videmus, animam rationalem esse formaliter priùs in corpusculo infantis; mox in puero, in adolescente, in iuuene adulto. Plura de hac re, verè aurea, in Rada §.*secundò obserua*; & §. *ad tertium* effodienda acclamat Morandus *num*.689. quæ discutientur *quæst*.4.& *disp*.10. *quæst*.3. *in calce*.

Ex his quoque habes, inter Angelos, qui nunc distant, v.g. 200. leucas, puta Angelum custodem Romæ, & custodem Brixiæ, distantiam per se esse; ità si destruerentur corpora intermedia; adhuc distarent duo puncta: alterum Brixiæ: alterum Romæ; sicuti antequam corpora intermedia destruerentur; quamvis enim Angelus, quia indiuisibilis, nequeat secundùm aliam, & aliam partem à se distare ad modum, quo caput in homine distat à pedibus; tamen nil obstat, quin ab aliis distet, vt aduertunt Suarez *cap*.8. Tanner. *num*.16. 45

Obiicies quintò contra vltimum assertum. Si locus Angeli sumitur immobiliter à polis, pendebit à corporibus.

Respondetur, pendêre, quoad hoc, à Loco imaginario. Imò redarguit Arriaga *sect*.3. *subsect*.3. quod si locus ab vnione cum aliis rebus sumeretur, vt putat Vasq. abiretur in infinitum. Sed fallitur: nam, vt ait S. Bonauent. *in corpore*, deueniretur ad vltimam contentam immediatè à superficie conceaua maximi continentis, quod est cœlum Empyreum; vnde veram Loci immobilitatem sumi, ostendam *tract*.5.*disp*.11.*quæst*.2. 46

Ex his habes, *Vbi Angelicum* esse diuisibile. Ità D. Bonauent. *hîc*, clariùs *quæst*.3. *in corpore*, quem sequuntur Suarez *lib*.4. *cap*. 17. Arrubal *disp*.155. *cap*.1. Tanner. *disput*.5. *quæst*.2. *dub*.2. Morand. *tract*.7. *quæst*.9. & ferè Arriaga *disp*.16. *sect*.2. contra Vasquez *cap*.7. Granadum *tract*.9. *disp*.3. *num*.18. Albertinum, Alarconium, Auersam, & alios, quos sequitur Præpositus *art*.1. *disp*.2.

Probatvr primò à D. Bonauent. 1. *dist*.37 *art*.2. *quæst*.1. *fundam*.3. clariùs *quæst*.3. ratione, quâ vtitur Morandus *quæst*.9. Angelus ità est in vno loco determinato, vt per motum successiuum alia loca acquirat: neque acquirit spatium simul secundùm omnes partes; alioqui ad eas non moueretur. Igitur per vnam partem, vbi acquirit vnam partem spatij; & per aliam, partem aliam, & sic de reliquis. Ergo *Vbi Angelicum* est diuisibile in partes, secundùm quas successiuè acquirit, dum mouetur, plures partes spatij. 47

Confirmatur, alioqui, quoties, vel minimum moueretur Angelus, semper amitteret totum *Vbi* præcedens. Confirmatur, motus continuus subiectatur in Angelo. Ergo per partes, & partes, continuas diuisibiles motus acquirit *Vbi* diuisibile. Quo argumento ruit id, quod opponunt, non posse esse diuisibile *Vbi*; quia est in Angelo indiuisibili. Vide D. Bonauenturam, *eodem art. quæst*.3.

Ex his tandem habes, *Vbi*, Angelo esse liberum, quatenus pro libito potest se ponere in maiori, vel minori spatio, intra terminos spatij adæquati; de quo *quæst*.4.

Qvæstio

QVÆSTIO III.

An possit idem ANGELVS *esse in pluribus locis simul.*

D.Bonau.dist.1.p.2.art 2. quæst.2.& q.3 ad vlt. D.Thom. quæstione 52. art.2.

SVPPONO primò, Angelum non posse esse in pluribus locis adæquatis; sed habere aliquem locum maximum, extra quem nequeat alium habere.

48 Probatum est à D.Bonau.*quæst.*1. ante istam, ex differentia inter Deum, & creaturam. Nam cùm Deus sit simplicissimus, & immensus; vbique est totus in singulis partibus; at spirituales creaturæ, quibus non sunt communicatæ diuinæ perfectiones in summo, non possunt vbique esse, vt Deus; & si essent vbique,non adhuc essent immensæ. Sic docent SS. Patres. Athanas. *ep. ad Serapionem.* Ambros. *lib.* 1. *de Spiritu sancto*, *cap.* 7. Gregor. *lib.* 2. *Moral. cap.*3. Damasc. *primo de fide*, *cap.*17. relati à Seraphico *loc.* Eodem medio probatur à D.Thom. *hic.* Valentia *disput.* 4. *quæst.*3. *punct.*3. Suarez *lib.*4. *cap.*1. & 2.

SVPPONO secundò, per Dei potentiam posse Angelum esse pluribus in locis, etiam adæquatis. Probatur à Scoto apud Fabrum *disput.* 18. *num.*6.

49 Bassoli, Gabriele, Gregorio apud Vasq. *disp.*190. *cap.*1. à Suarez *lib.* 4. *cap.* 10. *numero* 2. *argumento Seraphici ad vlt.* Nam si idem corpus Christi in Augustissimo Sacramento reperitur in pluribus locis distantibus: Ergo & Angelus, diuinâ virtute; tametsi non virtute naturali, neque ex vi beatifica.

QVÆSTIO est autem: An possit Angelus naturaliter esse in pluribus locis inadæquatis disiunctis: nam in locis inadæquatis continuè constituentibus locum adæquatum Angeli, non est dubium. Imò, etiam si illa loca non sint continua, sed contiguè locum adæquatum commensurent ad modum, quo præfigitur alicui corpori, quod medium est in aëre: medium in aqua, vt notat D. Bonau. *quæst.* 3. *ad quintum.*

ALIQVI dixêre, posse Angelum esse in pluribus locis inadæquatis disiunctis, quæ simul coniuncta non excedant magnitudinem loci adæquati. Ità Caietanus Nazarius *ad hunc art.* Ferrar. 3. *cont. Gent. cap.*68. quibus arridet Marsil. 2.*quæst.*2.*art.*2. *post septimam concl.* Bassolis 2. *dist.*2. *quæst.*4.*art.*3. Carthus. 2. *dist.*6. *quæst.*1. *art.*1. *concl* 6. Hi tamen solùm probant, posse operari in pluribus locis inadæqeatis,proportionaliter dissitis, quod S.Bonau. *ad* 2. fatetur dicens, posse ex vna parte cœli totum mouêre cœlum.

SCOTVS verò *in* 2. *d.*2. *q.*7. anceps ait, neutrâ ex parte rationem aliquam solidam stare. Sequitur Gabriel. *quæst.*2. *art.*3. *dub.*3. Faber *disp.*18.

50 NEGATIVA tamen sententia est Alensis 2.*part. quæst.*32. *memb.*3. Argent. *in primo*,*dist.*37. *quæst.*1. *art.* 2. Richardi *art.* 2. *quæst.* 3. Gregorij 2. *dist.*2. *quæst.*3. Ocham *quodl.*1. *quæst.*4. Molinæ *quæst.*52. *art.*2. Fuliens. *lib.* 3. *cap.* 2. Vasq. *disp.* 190. *cap.*3. Suarez *lib.*4. *cap.*10. Tanneri *disp.*5.*quæst.*2.*dub.*4. Arrubalis *hic*,*art.*2.*cap.*3. Auersæ *sect.*9. Albertini, & aliorum apud Suarez *loco cit.* & Morandum *quæst.* 11. Nec dissentit Valentia *quæst.*3. *punct.* 3. loquitur enim de locis coniunctis, dum concedit, posse in pluribus locis esse. Neque longè, vt cæteri adeò à nobis distent, abest Rada *controuers.* 6. definiens, posse Angelum esse in pluribus locis inadæquatis; contentis tamen intra latitudinem loci adæquati; vt si locus adæquatus sit decem palmorum per quadrum, possit esse in septem palmis illius spatij discontinuis, relictis aliis tribus. Hoc sensu non tantùm abest à nobis; at si velit,ea loca extra continuum ambitum adæquatum decem palmorum, vt tandem in argumentis sentire videtur, iam est contrarius.Nobiscum verò est Arriag.*d.*16. *sect.* 8. vbi tamen ait, hanc sententiam solâ niti authoritate. Hæc est germana Seraphici Doctoris sententia, qui validis quoque argumentis eam demonstrat. Eadem est etiam S. Thomæ, si attentè legatur *ad argumenta*, vt obseruant Tanner. *num.*4. Vasquez *num.*4.

ASSERO cum hac sententia, non posse Angelum esse simul in pluribus locis, etiam inadæquatis distantibus, aut egredientibus extra ambitum loci adæquati. Suarez dicit,id,hac sola ratione à Bonauentura probari, quia Angelica virtus est limitata; eam verò de solo adæquato loco probare. Videamus igitur validissimas Doctoris Seraphici rationes. 51

PROBATVR primò à D.Bonau. ex D. Ambrosio *lib. de Spiritu sancto*, *cap.*7. vbi ait: *Omnis creatura certis suæ naturæ est circumscripta limitibus.* Subsumit S.Doct. sed constitui in pluribus locis,est contra limitationem naturæ ad vnum definitum terminum: Ergo. Minor probatur à Seraphico ex Damasceno *primo de fide*, *cap.*17. vbi ait: *Angelus dicitur esse in loco, quia adest intellectualiter, & circumscribitur, vbi & operatur. Neque enim in pluribus, ac diuersis locis operari eodem tempore potest.* Idem ait Dydimus, *lib. de Spiritu sancto*, vbi, assignata differentia inter Spiritum sanctum, & Spiritum creatum, quia ille est vbique; hic verò in vno loco; subdit: *Angelus quippè qui aderat Apostolo in Asia oranti, non poterat simul adesse aliis, in cæteris mundi partibus constitutis.* Nequè 52 dicant Aduersarij, hæc intelligi de locis adæquatis, ità, vt in paruis locis intra certam sphæram Angelus esse possit: nam vno loco definiri, est in vno loco tantùm esse, siue magnus ille sit, siue paruus: id enim Patres non distinguunt, vt aduertit Vasquez *num.* 5. Tanner. *num.*6. Morand. *n.*695. Arriaga suprà, & alij.

PROBATVR secundò à D. Bonau. si Angelus 53 potest esse in pluribus locis disiunctis, ità vt parua distantia non impediat, eàdem ratione, nec magna distantia impediet: & ità poterit esse in pluribus locis summè distantibus; neque egebit mitti ad loca diuersa discedendo ab vno; & ad alium euolando, sicuti Scripturæ narrant. Hac ratione vtuntur Vasquez *num.* 6. Morand. 696. Tannerus *numero sexto.* Imò & Suarez *num.*15. hoc sibi arrogat argumentum. Probatur sequela;nam eo ipso, quòd dico; loca partialia non requirunt inter se continuationem, nec pendent à loco medio, seu à præsentia in illo; impertinens esse videtur, quòd distantia inter talia loca sit maior, vel minor; maximè dum egreditur extra ambitum loci adæquati.

RESPONDET Scotus apud Fabrum *numero* 2. 54 in virtute Angeli includi, posse fundare plures relationes præsentialitatis ad plura corpora dissita intra latitudinem magnitudinis loci sibi adæquati, secundùm vltimum suæ virtutis.

At verò hoc iam ex Patribus explosum est. Deinde virtus Angeli est ad fundandum vnum locum adæquatum. Nam, vt arguit S.Doctor *in corpore*, & post eum Suarez *numero* 16. Omnis substantia creata, eo ipso, quòd vna, est etiam finita, & determinat sibi locum, non modò quoad quantitatem; sed etiam quoad vnitatem; natura enim creata, eo ipso, quòd finita, est finita quoad omnes conditiones; vt notant Scotus, Faber, & Suarez *num.*16. Quare oportet fateantur, arguere optimè Seraphicum ex finitate creaturæ, eam non posse esse in pluribus locis, etiam inadæquatis.

55 VRGET adhuc S. Doct. *in corpore*. Quod si semel admittas, Angelum in pluribus locis, non repugnabit, quin ponatur etiam in aliis in infinitum, vt arguit quoque Malonius 2.*dub.*8. *disp.*10. Et posse esse in mundis infinitis, si adessent, vt arguit Arriaga *sect.*3.& Morandus *n.*696. Huius vim argumenti non videtur percepisse Suarez *num.* 12.

PROBATVR etiam à S.Doct.*fundam.*4. Si Angelus posset simul, & semel esse in pluribus locis, posset in vno loqui; in alio tacère: in hoc moueri; in illo quiescere: & ità de eodem vera essent simul contradictoria. Hoc vsus est Scotus ad probandum intentum: illud verò soluit, pro vt videtur probare, id etiam supernaturaliter implicare. Respondet autem apud Fabrum *num.*9. admitti opposita, respectu diuersorum; & ità moueretur respectu vnius *Vbi*: & quiesceret respectu alterius: attamen naturaliter motus, & quies eidem simul implicant.

56 PROBATVR adhuc à S. Bonau. *fundamento* 5. Ponamus, Angelum esse Romæ, & Parisiis. Quæro: Potestne Romà Parisios pergere? si non: Quid impedit? si potest: Ergo mouebitur ad locum, vbi est, contra naturam motus, qui est actus entis in potentia, pro vt in potentia. Itaque si moueatur ad eundem situm, vbi Parisiis est, iam seipsum inueniet: Ergo ibi fuit præsens, & absens. Deinde: Ergo bis est ibidem, & antè distabat à se. Hoc argumentum assumit etiam Scotus apud Fabrum, cui respondet, solà potentià Dei id posse fieri.

PROBATVR adhuc è D. Bonau. *ad vlt.* argumento, quo nituntur Vasq. *loco cit.* Pesantius *hic, ad artic. D. Thomæ.* Præter miraculum, quod in sanctissima Eucharistia fit, vt Christus tali modo sit sub speciebus; aliud quoque interuenit, vt per transmutationem plurimarum substantiarum panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, hæc in pluribus locis reperiantur inadæquatis: Ergo signum est, etiam in rebus spiritualibus non esse naturale, habere plures præsentias in locis distantibus inadæquatis.

57 DICES. Sicuti diuisâ hostiâ manet Christus in illis particulis, etiam elongatis: ità poterit Angelus manere in duobus locis adæquatis.

Respondet Vasquez *num.* 7. ex D. Bonau. *in* 2. *dist.*3. *parte* 2. *art.*2.*quæst.*2. *ad vlt.* diuersam esse rationem; quia Christus est in hostia, virtute diuina; non quia sit terminata, vel quia sit vna: sed quia tota substantia panis, virtute verborum, conuersa est in corpus Christi. Quare, si partes hostiæ separentur, semper manet corpus Christi in quauis distantia ponantur particulæ, & hoc fit virtute primi miraculi, quo positus est Christus ibi, modo indiuisibili: At verò Angelus propria virtute existens in loco, non potest præsentias supra naturam multiplicare. Hanc rationem non admodum efficacem, ait Suarez *num.*14. quia illatio est varia in multis. Primò, quia modus ille existendi sub speciebus non est connaturalis corpori Christi: vnde non magis adæquatum, quàm inadæquatum illum vocare potes. Deinde ibi multiplicatio habet locum ad quamlibet distantiam in infinitum, quod hic fortasse non esset necessarium.

At inadæquata loca profectò confiteberis, si consideres, in tot particulis determinatis corpus Christi, diffitis in locis, apprimè esse constitutum. 58

Quò ad distantiam in infinitum, idem in casu nostro sequi infert Suarez.

OBICIES primò. Angelus ibi est, vbi vult, ex D. Augustino *de Ciuitate Dei*: Ergo potest velle simul esse in Cœlo, & in Terra.

Respondet Seraphicus, maiorem esse veram in sensu diuiso, ibi, scilicet Angelum esse, vbi vult, euolando ab illo loco in alium.

OBICIES secundò è Damasceno 3. *de fide, cap.* 17. Angelus ibi est, vbi operatur: sed Angelus operatur in totum cœlum, mouendo: Ergo est in toto cœlo.

Respondet S. Doct. Angelum ibi esse, vbi operatur immediatè: non autem in toto mobili, puta cœlo; sicut Nauta mouet Temonem, & moto Temone, totam nauim: neque tamen est in tota naui: sed in puppi. 59

OBICIES tertiò. Quantò aliquid est simplicius actu, tantò accedit ad esse diuinum interminatum. Angelus est simplex, ex actualitate: Ergo imitatur Deum, vt sit in pluribus locis. Imò quoque simplicius secundùm potentiam est in pluribus vt vniuersalissimum genus.

RESPONDET S. Doct. Angelum non esse vniuersale genericum: sed simplex simplicitate actuali, qua tamen non adeò accedit ad Deum, vt naturâ suâ sit in pluribus locis: est enim perfectio finita, vt dixit *quæst. præcedent.* quæ tamen nec est sicut Punctum, quod potest esse solùm in indiuisibili: sed sicut anima, quæ potest esse in aliquo extenso tota in toto, & in qualibet parte: non tamen in locis disiunctis; sicuti nec anima est in membris decisis: sed solùm in continuis: quamuis autem non omnes partes corporis immediatè continuentur, v. g. manus cum manu: tamen continuantur mediatè, vt aduertunt Morand. suprà, Valentia *litt. D. puncto* 3. Suarez *cap.* 11. ex D. Bonau. *quæst.* 3. *ad argumenta.*

OBICIES quartò. Spiritus in gloria potest multa simul, vt multa, cogitare: Ergo etiam esse in diuersis locis simul.

RESPONDET S.Doct. non esse simile. Primò, quia vis cognoscitiua per gloriam magis fit Deiformis, quàm vis motiua, motui exteriori. Secundò, quia Diuinum exemplar est ratio cognoscendi plura: non occupandi plura loca, neque per gloriam obtinet locum, qui sit ratio plura loca occupandi. Vnde neque est verum, quod ait Herueus *tract. de motu Angeli, quæst.* 1. *ad primam diffic.* posse Angelum operari in duobus locis: tametsi remotissimis: dummodò valeat illa duo per modum vnius apprehendere: nam apprehensio non est tota ratio virtutis motiuæ locatiuæ, & operatiuæ: imò virtus locatiua, & motiua, est minùs apta ad plura obiecta, quàm intellectiua, quæ collectas habet species intus. 60

OBICIES cum Dionysio Carthusiano. Anima informat partes non continuas, vt medullam, & sanguinem.

RESPONDETVR, ea omnia esse contigua, saltem constituentia vnum locum ad modum, quo aer,

aër, & aqua sunt contigua immerso corpori vsque ad medium. Ità respondet etiam Suarez *cap.* 10. *numero* 9. Deinde dico, sola continuata informari, vt dicam *tract. de anima*, *disp.* 3. *quæst.* 2.

QVÆSTIO IV.

An possit ANGELVS *se constituere in loco minori suo loco adæquato.*

D. Bonau. dist. 2. p. 2. art. 2. quæst. 3.
D. Thom. quæst. 52. art. 2.

IAM vidimus Angelum, ex sua finitate habere locum maximum, extra cuius sphœram non potest extendi. Vidimus etiam hunc locum non esse punctum: nam, tametsi indiuisibilis sit; tamen eius indiuisibilitas non est simplicis priuationis, vt punctum; sed est perfectionis. Quare sicut Deus indiuisibilis est vbique: ità & Angelus; quia est simplex imitans finitè diuinam simplicitatem, potest esse in loco aliquo diuisibili: vt monet S. Doct. *distinct.* 2. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore.* Et *quæst.* 3. *fundamento vlt.* id probat exemplo animæ, quæ indiuisibilis est: tamen tota in toto est corpore. Sequitur tandem *dub.* 4. Suarez *cap.* 11. *numero* 1. cum D. Thoma *hic*, quem imitantur cæteri ferè omnes.

61 QVÆSTIO est igitur: An cogatur stare in loco adæquato suæ virtuti: an verò possit in loco minori se ponere. Si enim esse in loco, est illi passio naturalis, non erit ei liberum, se restringere ad minorem locum; sed necessariò erit in loco adæquato, quod exigit natura.

Id quidem Hybernicus asseruit *primo, distinct.* 8. *quæst.* 2. *in solutione* 4. dicens, Angelum necessariò implere totam suam sphœram localem, & hanc esse circularem. Et infert, quod si Angelus assumat corpus minus suo loco, vel quod non sit sphœricum, substantia Angeli extrà redundabit. Idem videtur sentire Bassol. 2. *dist.* 2. *quæst.* 4. *art.* 1. Valentia *quæst.* 3. *punct.* 3. & Scotus, qui, etsi concedat, posse Angelum esse in loco minori suo adæquato: tamen negat, posse esse in minori in infinitum, cui ferè assentitur Vasq. *disp.* 191. Eandem sequitur author controuersiarum inter Scotistas, *controuers.* 29. allegans Scotum 2. *distinct.* 2. *quæst.* 6. quem titubans sequitur Cisterciens. Dionys. *dub.* 6. *quæst.* 1.

62 E REGIONE Seraphicus, *hic*, *ad* 3. docet, Angelum, tametsi habeat locum, quò ad magnitudinem, adæquatum; tamen posse in minori, & minori in infinitum collocari. Eum sequuntur Gabriel *distinct.* 2. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. Maior *quæst.* 9. Marsil. *quæst.* 8. *art.* 2. *post sextam conclus.* Ocham *quodl.* 1. *quæst.* 4. Gregor. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. Richard. *primo, dist.* 37. *artic.* 2. *quæst.* 2. Ægid. *art.* 1. *quæst.* 2. Caiet. aliique Thomistæ, *quæst.* 52. *art.* 2. & *quæst.* 53. *art.* 2. *ad* 2. secuti suum Doctorem Angelicum: Molina *ibi*, Suarez *lib.* 4. *cap.* 11. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 2. *dub.* 4. *num.* 9. vbi ait, esse communem Theologorum. Malon. 2. *dub.* 8. *disputat.* 11. Arriaga *disp.* 16. *sect.* 3. qui tamen dicit, nec repugnare oppositum. Morand. *quæst.* 10. Albertinus *disp.* 7. Præposit. *art.* 2. *hic*, *dub.* 1. Auersa *sect.* 8. Arrubal. *disp.* 157. *c.* 2. Alarcon. Caspensis *disp.* 4. *sect.* 2. Inter Scotistas Mastrius *disp.* 2. *quæst.* 3. & *disputat.* 11. *Physic.* *quæst.* 5. *artic.* 2. *numero* 84. Marcus noster *quæst.* 46. *artic.* 1. Fuliensis *lib.* 3. *cap.* 2.

ASSERO cum hac sententia, Angelum posse se in minori, & minori loco in infinitum collocare.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in corpore*, & *ad* 3. argumento ad hominem, contra Scotum, quo nituntur Suarez *num.* 18. Morandus *quæst.* 10. Mastrius *num.* 86 *Theol.* Fuliensis. 63

IN diuidendo loco semper receditur à maiori, & scinditur in minores partes, vel in infinitum; vel, si hoc neget Scotus, vsque ad punctum. Sed Scotus concedit, posse Angelum poni in puncto: Ergo multò magis debet concedere, esse posse in loco semper minori in infinitum, qui semper est maior puncto. Huius argumenti vim sentit Vasq. *numero* 5.

Respondet Faber *disp.* 17. *numero* 4. de hoc esse aliam quæstionem, quia punctus est indiuisibilis; locus autem indiuisibilis, est diuersus à loco diuisibili. Quo responso nil respondet. Satiùs ei erat tacere; sicuti & author *Controu.* siluit.

PROBATVR secundò argumento D. Bonauent. *ad* 3. si aliquid impediret Angelum, ne in minori, & minori loco constituatur, hoc esset aliqua alligatio eius ipsi corpori locanti. Sed non datur talis repugnantia: Ergo nihil impedit. Maior probatur: non enim ex parte Angeli inuenitur, qui indiuisibilis est; neque ex eo, quòd sit in loco, quia est totus in singulis partibus. Confirmatur à Diu. Bonauent. exemplo animæ vnitæ ad corpus, & ex differentia existentiæ eius, cum existentia Angeli in corpore: anima enim requirit debitam quantitatem organizationi: Ideò non potest in quolibet corpusculo esse, quia illud debet esse organis omnibus aptis contextum ad vitam. Et quod caput est, corpori sic organico vnitur, vt forma, & perfectio intrinseca: Angelus autem solùm assistit extrinsecè: & ideò potest saluari in loco minori, & minori. Sicut ergo sistitur in corporibus, ascendendo: sed in descendendo non sic, ità poterit Angelus in minori, atque minori loco reperiri. 64

FATETVR Vasq. hanc diuersitatem optimè assignari à S. Doct. atque probare, non inueniri repugnantiam: ait tamen, non rectè eum inferre, posse Angelum esse in minori loco in infinitum; alioqui, si ex eo, quòd non apparet repugnantia, liceret colligere, id esse Angelo possibile, possemus etiam de quauis herba asserere, aptam esse, huic, & illi morbo medẽdo, si nobis non appareret aliqua contradictio. Hoc verò soli Diuinæ conceditur potentiæ, vt possit, quidquid non inuoluit implicantiam. 65

AT Vasquez non percipit Seraphici rationem optimam, quæ ex natura rei colligit possibilitatem. Quia enim Angelus (ait S. Doctor) non est loco aduersus, vt perfectio, seu forma, ad modum animæ: insuper est substantia simplex, non habens extensionem, & ideò est in quauis particula loci totus, ideò ratio loci, debiti naturæ eius positiuè, saluatur in qualibet particula eius: & ideò, cùm Angelus sit in loco, naturâ suâ poterit in qualibet particula loci reperiri. Igitur ex natura rei positiua deducit argumentum. Deinde, esto id colligeret ex eo, quòd non repugnat naturæ Angeli, & loci eius, rebus omnibus perpensis; nonne rectè id colligeret? sic qui herbam agnosceret non esse calidam, & siccam, optimè colligeret aptam esse ardori febris temperando: Sequitur enim, quòd, cùm sit ex elementis composita, contineat à dominio qualitates oppositas frigiditatis, & humiditatis, quæ 66

quæ sunt ardori febrili contrariæ. E negationibus enim deducuntur positiones, quæ, licèt priores sint, sunt tamen ignotiores. Quare exemplum Vasquez potiùs est contra ipsum.

67 Addit Mastrius, locum intra sphœram adæquatum pendere à libera Angeli voluntate; atque adeò posse se constituere in loco semper minori.

Respondet alius Scotista; liberum esse Angelo se constituere in minori intra latitudinem præscripti; non autem in infinitum.

Mastrius redarguit, cum petere principium, quia assumit in responso id, de quo est quæstio.

Sed non video, quare sic inferat, quia vult dicere, hoc liberum esse Angelo intra terminos naturæ debitos: non enim è sola libertate Angeli totum hoc negotium pendet: sed ex naturæ etiam exigentiâ. Quare potiùs ipse in arguendo petit principium, assumens pro medio id, quod expressè negatur ab aduersariis in eorum assertione, scilicet hoc omninò esse in libera Angeli voluntate. Melius igitur à Seraphico probatur ex non repugnantia naturæ, vt infertur, id liberè posse, vt & ostendit Tanner. *num.* 10. Vnde patet ad rationem Hybernici: Esse enim in loco, naturæ Angeli conuenit: at esse tali modo, pendet ab arbitrio naturæ non contrariæ, vt ait S. Bonauent. *ad* 1. *quæst.* 2. è D. Augustino.

Respondet Scotista ille aduersarius, Angeli naturam non pendere ab existentia in vna, vel alia parte intra latitudinem determinatæ paruitatis.

Hoc verè petit principium, vt vidit Mastrius: nam argumentum iam probauit ex modo essendi in loco diuisibili extrinsecè, & indiuisibiliter, non alligati alicui parti determinatæ. Itaque in responso rursus illam determinationem tanti loci præsupponens, quæ, medio termino, est ostensa falsa, petit velox principium.

68 Obiicit Scotus. Si Angelus posset esse in loco semper minori, & non sisteretur in aliquo minimo: sequeretur, posse esse in maiori in infinitum. Consequens est absonum; alioqui posset esse simul in cœlo, & in terra. Probatur sequela è 35. *propositione Euclidis, lib. primo.* Si corpus impleat locum quadratum, implebit quoque quadrangulum æqualem, quantumuis latera coarctentur; intellige, nisi figura obstet, vt si esset aliquis liquor ità crassus, qui non posset in quadrangulo nimis arcto collocari. Cùm igitur Angelus non requirat ex se certam figuram loci, & possit esse semper in minori, poterit esse in ea figura quadrangulari, verb. grat. qua se posuit, etiam si constringatur in infinitum; & ità erit simul in cœlo, & in terra; imò poterit vltra spatia imaginaria extendi simul cum figura illa, quæ quantum amittit de latitudine, tantum extenditur in longum; & cùm in infinitum syncategorematicè extendi queat figura illa, quæ supponitur esse area loci adæquati illius Angeli talis perfectionis,
69 iam ille Angelus erit citò in cœlo, & in terra, imò erit veluti Axis primi cœli.

Maior, quem sequitur Mastrius cum Maitone, non timet concedere, posse Angelum esse in linea longa à cœlo ad terram: neque tamen obstare dicta Patrum negantium, Angelum posse simul esse in cœlo, & terra, vt arguebat Tanner. *num.* 16. nam illi intelligunt secundum omnes dimensiones ad æmulandam Dei Immensitatem: non autem restringendo locum adæquatum secundùm longitudinem tantùm. Morandus, Caietanus, Valentia, & Vasquez respondent, veram esse propositionem Euclydis, de corporibus replentibus quantitate aream commensuratiuè, non de spiritibus. Sed rationem diuersitatis non assignant. Quare adhuc non habeo, cur Angelis nequeat aptari. Morand. tamen, Præpositus, Auersa, & Albertinus dicunt, hoc oriri è speciali natura Angelorum.

Tannerus *num.* 17. cum Suarez *num.* 20. & 70
Molina *loco cit.* respondent, propositionem illam esse veram de re qualibet, quæ non habet terminum magnitudinis secundùm vllam dimensionem: At verò Angelus habet terminum, quem area sphœrica describit, vt magis apta ad exprimendum, quippè quæ vndique æqualiter circumeat; vnde & terminus actiuitatis agentium dicitur sphœra actiuitatis eorum.

Fuliensis ait, non posse Angelum eo modo mutare locum, qui est ei talis præfixus & probabiliter sphœricus.

Rursus Caietanus respondet, neque ipsum quadrangulum extendi posse in infinitum, atque adeò non sequi allegatum inconueniens.

Instat Vasquez. Esto non extenderetur in infinitum, adhuc extenderetur adeò, vt à terra ad cœlum perueniret, quo fieret, vt Angelus esset in cœlo, & in terra simul, contra dicta Scripturæ, & Patrum.

Sed, vt video, non percipit Caietani respon- 71
sum. Vult enim dicere, quòd, cùm ille quadrangulus constringeretur per motum localem, semper amitteret partes determinatas, respondentes partibus motus: atque adeò non abiretur in infinitum, quia partes Physicæ determinatæ, sunt finitæ; non infinitæ, sicuti aliquotæ; atque adeò citò constringerentur latera quadranguli ad contactum, vt sicut quatuor cubitis extendebatur; ità totidem acquirat secundùm longitudinem, quot deperdit secundùm latitudinem: sicuti enim latitudo illa est finita, v. g. ad quatuor cubitos: ità non potest producere longitudinem infinitam. Et hæc doctrina ex parte probatur Mastrio, qui tandem fatetur, argumentum Scoti incerto niti fundamento, cui subscribunt alij Scotistæ apud illum *numero* 93. è quibus Brancasius *disp.* 5. *quæst.* 6. & aliqui alij dicunt, rationem concludere solum, id posse fieri absolutâ Dei potentiâ.

At Scotus, *fundamento Euclidis*, solùm ex na- 72
turali virtute contendit probare, vt fatetur Mastrius: arguit enim ex naturali ratione figuræ quadrangulæ. Imò iste eruditus Scotista retorquet contra Scotistas Scoti argumentum, & ostendit, illud probare, neque dari terminum loco Angelico secundùm magnitudinem: hoc autem demonstrat, quia de facto Angelus est in loco minori, quàm locus, qui poneretur ab aduersariis determinatus, versus paruitatem; quia locus iste minor, est pars illius loci minimi, qui determinatus ponitur paruitatem versus. Sit ergo locus iste minor quadratus aliquis; Iam Angelus est in eo: Ergo etiam poterit esse in quadrangulo, quantumcunque longo, qui ex eo formari potest solâ variatâ figurâ, quæ Angelo non repugnat; atque ità poterit esse simul in Cœlo, & in Terra.

Obiicit secundò Scotus, & cum eo Faber 73
numero 2. & Author ille *Controuersiarum.* Si Angelus posset se ponere in minori semper loco, iam esset infinitæ virtutis. Probatur sequela; quia posse applicare virtutem ad locum minorem in infinitum, requirit virtutem infinitam; si enim ad applicandum ad tantum, tanta virtus: Ergo ad plura

plura loca maior virtus ; & ad infinita requiritur virtus infinita.

74 RESPONDET D. Bonauent. *ad* 3. negando sequelam, quia applicare virtutem ad minorem locum intra propriam sphœram, non requirit maiorem virtutem. Quod si in infinitum minuitur, semper virtus minor exigitur, neque venitur ad vltimum, vel ad infinitum actu ; sed more continui, semper minuitur. Sicut ergo virtus continui, eò quòd diuiditur in infinitum, non est infinita : ita neque illa applicatio locati. Et sicuti ad infinitos effectus sincathegorematicè non requiritur virtus infinita ; sed conseruata causa potest alios, & alios producere ; ità in casu nostro. Sic optimè argumentum resoluunt Caietanus, *loco citato*. Valentia *punct.* 3. *litt. E.* Lichetus verò 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. doctrinam exhibet cum Mastrio *numero* 91. vbi aliqua affert exempla causatum, quæ effectum in infinitum producere valent, vt intellectùs intellectiones ; diuidens continuum, &c. Angelus enim potest diuidere continuum in infinitum, virtute finità, vt ait Mastrius *numero* 95. Et addit, quòd sicuti habens virtutem portandi centum libras, non cogitur augere virtutem ad portandas pauciores ; & pauciores : ita in casu nostro.

OBIICIT tertiò Author ille *Controuersiarum.* Si Angelus posset esse in loco, quantumuis paruo in infinitum, nunquam posset se locare in loco sibi adæquato, versus magnitudinem se mouendo. Sicut enim recedendo à loco adæquato ad minorem, & minorem, nunquam inuenit terminum ; ità se mouendo à minori ad adæquatum, nunquam perueniet ad illum.

75 RESPONDETVR ex D.Bonauent. *ad* 3. Authorem ità discurrere, ac si discedat Angelus ab infinito actu, seu ab vltimo aliquo post infinitas diuisiones, quod repugnat etiam suppositioni nostræ, dum alium, & alium syncategorematicè minorem ponimus, veluti in continuo diuidendo ; & repugnat etiam infiniti discreti naturæ, vt habeat vnum ex parte infinitatis, à quo incipiat. Dico igitur, non eodem modo progredi à loco adæquato, ad inferiorem ; quia à loco adæquato descenditur ad minora loca, sicut in diuisione continui syncategorematicè in infinitum; At verò à partibus minoribus, quæ sunt semper actu finitæ, ascenditur ad locum adæquatum, qui est terminatus actu ; ab infinito autem illo non potest fieri regressus, quia nunquam inuenitur actu ille terminus, à quo recedat Angelus.

Poncius *disput.* 14. *quæst.* 2. obiicit ; hoc,nil conferre ad vtile Angeli. Sed Mastrius ait conferre, vt in obsessis se restringant.

QVÆSTIO V.

Vtrum ANGELVS *possit collocari in puncto.*

D.Bonau.dist.1.p.2.art 2. quæst.3.
D.Thom. quæstione 52. art.2.

NON est quæstio de potentia Dei, quia certum est, id ità posse fieri.

PRIMA opinio igitur est, naturaliter etiam id posse fieri. Ità D.Thom. *hic*, & *in primo*, *dist.* 37. *quæst.* 3. *at.* 2. quem sequuntur Capreol. Caietanus, Bannes, Zumellus, Nazarius *ad ea loca*. Farrar. 3. *contra Gent. cap.* 68. Richard. 2. *disp.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 1. Bassol. *quæst.* 4. *art.* 2. Molina *art.* 2. *quæst.* 12. Suarez *lib.* 4. *cap.* 11. *numero* 23. Tanner. *disput.* 5. *quæst.* 2. *dub.* 4. *num.* 12. Arriaga *disp.* 16. *sect.* 5. & 6. Albertinus 5. *coroll. Theol. disp.* 7. Arrubal. *disput.* 157. *cap.* 2. Præposit. *art.* 2. *dub.* 2. Auersa *sect.* 7. Alarcon. Morandus *tractat.* 7. *quæst.* 10. Mastrius *disp.* 2. *quæst.* 3. *numero* 86. Caspens. *disp.* 4. *sect.* 2. Fuliensis *lib.* 3. *cap.* 2.

SECVNDA sententia est negatiua. Ità Alens. 76 2. *part. quæst.* 32. *memb.* 3. Gabriel 2. *distinct.* 2. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. Gregor. *quæst.* 1. *art.* 2. Maior *quæst.* 9. Ægidius *primo*, *dist.* 37. 2. *part. artic.* 1. *quæst.* 2. Ocham *quodl.* 1. *quæst.* 4. Marsil. *in* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. Malon. *disp.* 12. videtur etiam Seraphici *hic*.

Diuerso tamen fundamento isti incedunt: aliqui enim referuntur, negare, quia punctum non est locus ; ideo repugnant, esse locum, & esse punctum. Sed iam quæstio erit de nomine, vt ait Morandus, allegans Seraphicum, qui non hâc solà ratione negat, Angelum esse in puncto, vt malè asserunt Vasquez *disputat.* 192. *cap.* 2. Suarez *lib.* 4. *cap.* 11. *numero* 21.

ALII id negant ; quia in puncto nequit operari ; putant enim Angelum esse in loco per operationem. Ità Ægidius.

Nominales verò ; quia negant indiuisibilia, vt aduertunt Suarez *numero* 21. Vasq. *numero* 1. qui admonent, hæc à Seraphico concedi, *fundamento* 2. & *in corpore*, & *in primo*, *dist.* 15. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. & *dist.* 35. *p.* 2. *art. vlt. quæst.* 2. *ad* 2. & *in* 4. *dist.* 11. *p.* 1. *quæst.* 5. & *dist.* 15. *p. p. artic.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. & *dist.* 49. *art. penult. quæst.* 1. Quare perperam Fauentinus *disp.* 17. *num.* 5. ait, Seraphicum negare, Angelum posse esse in puncto, quia non credit punctum esse quid reale ; vt ostendam *tract.* 5. *d.* 8. *quæst.* 4.

Scotus autem *disput.* 2. *quæst.* 6. quem sequuntur Faber *loco cit.* & alij, dicit, esse vtrumque probabile. Quapropter etiam Scotistæ, libertate donati, diuisi sunt.

Vasquez verò, *disput.* 192. magis est dubius, & anceps.

Ad mentem Seraphici Doctoris percipiendam, scias, eum sic titulum quæstioni adscribere : *An Angelus sit in loco partibili, vel punctali.*

Tres autem refert sententias. Prima est, Angelum esse in loco corporeo, transcendenti modo, 77 idest nec secundùm totum,nec indiuisibiliter ; quia non est proportio Angeli ad locum.

Hunc modum refellit S. Doctor, quia Angelus in loco definitur, & continetur, vt dixi *quæst.* 1. atque adeò incredibile est, non esse in eo totum, cùm sit indiuisibilis.

SECVNDA sententia est, Angelum esse in loco punctali. Sed redarguit S. Doctor, quia est implicantia in adiecto, esse locum corporeum ; & esse punctum ; sicuti implicantia est dicere, *corpus indiuisibile*. Deinde, cùm punctus non sit locus ; ponere Angelum in puncto, est ponere eum non esse in loco.

Igitur tertia sententia est, Angelum, cùm contineatur à loco partibili, non esse in puncto, vt in 78 loco : & quia non potest in eo extendi, ideò est totus in toto, & in quauis parte. Itaque quæstio, vt à nobis proposita incidenter deciditur, non directè.

ASSERO primò, Angelum in puncto non posse dici locatum.

PROBATVR à D. Bonauent. & Alensi. Omnis locus

locus est diuisibilis: punctum est indiuisibile: ergo Angelus non potest esse in puncto, tanquam in loco. Maior probatur. Omnis quantitas continua est diuisibilis: Locus est de genere quantitatis continuæ: Ergo.

Respondet Suarez *numero* 21. Vasq. *numero* 11. Bonauenturam supponere id, quod deberet probare; nempè locum omnem esse diuisibilem; & licèt verum sit de loco ambiente; tamen de definiente non est probatum.

79 AT nunc Seraphicus agit de loco corporeo, vt constat. Tunc sic arguit S. Doctor. Omne corporeum est diuisibile. Locus, de quo *hîc* est quæstio, est corporeus: Ergo. Sicut igitur implicat corpus indiuisibile: ita implicat locus corporeus indiuisibilis. Hac ratione, quam habet etiam *fundamento primo*, Respondet *in titulo quæstionis*.

ASSERO secundò, Angelum non posse esse in puncto.

PROBATVR primò à S.Doct. *fundam.* 2. Loci
80 ad locatum debet esse proportio: Locus enim ad locatum se habet vt forma, magis, quàm in alio genere causæ, vt ait Aristot. 4.*Phys.tract.*14. apud D.Bonau. 1.*dist.*37.*p.*1.*quæst.*1. Sed punctum quantitatis non habet proportionem cum Angelo; tamersi sint ambo indiuisibiles. Nam punctum habet positionem (vel vt ait D.Th.*p.p.q.*52.*art.*2. situm) fixè in quantitate, de cuius prædicamento est, velut eius modus, imperfectissimaque entitas ad quantitatem reducta, eique alligata: Angeli verò indiuisibilitas est perfectio maxima substantiæ, non alligatæ, aut dependentis à quantitate molis: Ergo Angelus nequit esse in puncto adæquatè. Hoc verò medium solùm probat apud Valentiam *quæst.*3. *p.*3.& D.Thom. *loc. cit.* non necessariò Angelum esse in puncto (& hoc solum videtur etiam D.Bonau. intendere ex defectu proportionis necessariæ ad locum adæquatum.) Quòd si Angeli indiuisibilitas fingatur puncto proportionato, iam Angelus non erit motor sufficiens, quia motor à mobili debet sufficienter distare ex 3.*Phys.tract.*8.& 7.*Phys.t.*40. at forma quantitatiua, vel modus quantitatis est fixus in materia, vt arguit S.Doct. *in* 2.*dist.*14.*art.*3. *quæst.*2.*fund.*3. Sanè independentia iuuat ad motum, vt ait S.Bonau. 1.*dist.*37.*p.*1.*art.*1.*ad* 2. Vrgeo: nam forma, & multò magis modus, alligatus quantitati, nequit reflecti supra se, vt notat S. Doctor *primo, dist.*37. *art.*2. *quæst.*1. *ad vltimum.*

Respondet Arriaga *dist.*16.*sect.*5. posse Angelum mouere vnum punctum aquæ, & eo moto, mouere aquam continuam.

81 Contrà, quia, vt dixi, non est proportio. Ideò punctum neque mouere potest corpus, neque moueri.

PROBATVR ergo secundò. Si Angelus ponatur substantialiter in puncto, nullo modo posset agere in corpus, idest mouere illud, percurrere illud, &c. Probatur sequela. Omnis actio physica est per physicum contactum, proportionatum rei tactæ; sed punctum est improportionabile corpori: Ergo impossibile est, vt virtus eius se extendat ad corpus.

Respondet Faber *num.*5. posse Angelum à puncto ferri super continuum.

Contrà, quia, vt per illud incipiat motus, debet esse aliqua proportio: sed in puncto nunquam est proportio ad continuum diuisibile: Ergo nunquam mouebitur per illud.

82 Hoc argumentum magnam vim habet contra dicentes, Angelum esse in loco tantùm per operationem transeuntem, vt benè notant Albertinus, & Morandus.

At Arriaga *sect.* 5. nititur probare, Angelum, 83
quoad operationem, posse esse in loco indiuisibili.

ASSERO tertiò probabiliter posse Angelum esse in puncto. Sic videtur D.Bonau. *ad argumenta* probabile concedere, etiamsi actu neget, esse necessarium. Hæc autem, vt dixi, non sunt implicantia; quia ad probandum suum intentum (vt dixi) de loco corporeo, quòd non sit punctus, poterat vtramque partem tueri.

PROBATVR primò à Richardo, Tannero, Arriaga. Omne locatum in proportionato loco esse potest: sed Angelus est indiuisibilis, non pendens, vt animâ, à materiâ corporeâ: Ergo potest esse in indiuisibili. Hoc argumentum est secundum D. Bonau. cui addit pro responsione, non esse necessarium poni Angelum in indiuisibili, quia est virtute potens esse in loco extenso, magis, quàm anima, & independentiùs, quàm illa; nec quoad necessitatem est talis proportio cogens Angelum, vt sit in puncto, vel loco extenso, quia est quidem finitus, vt nequeat esse vbique; est tamen indiuisibilis formaliter, vt possit se ponere in puncto: & est virtute aptus esse in loco extenso, vt imitetur Diuinam simplicitatem, qua est in locis extensis, vt dixit *quæst.*1. sic & Vasquez *num.*7. Faber *num.*5. è Scoto, adde *fundamento* 4. D.Bonauent.

PROBATVR secundò à Morando *n.*691. Tanner.13.*arg.*3.D.Bon. Potest Angelus esse in minori, & minori loco intra sphæram sibi adæquatam, vt ostendi *quæst.præc.* Ergo potest esse etiam in indiuisibili tantùm. Confirmatur, quia ex D.Bonau. dantur indiuisibilia actu in continuo, vt suprà ostendi: Ergo cùm Angelus existens in spatio, sit totus in toto, & in omnibus partibus continuis, est etiam in 84
indiuisibilibus continuantibus, cùm & ipse sit indiuisibilis. Confirmatur secundò ex diuersitate animæ, & Angeli. Anima enim, tametsi indiuisibilis, pendet à corpore, quod informat, ità, vt exigat corpus tantæ quantitatis, nec possit esse in minori non habente perfecta, & proportionata organa, ad viuificationem necessaria, quibus vnitur, vt forma: At verò Angelus non pendet à corpore; sed assistit tantùm: atque adeò potest semper in minori loco continuò se ponere, quod nunquam ad impartibile deueniet, quod habeat rationem loci; aut ità, vt cogatur manere in indiuisibili.

Ex quo patet, S.Doctorem negare Angelo solam 85
necessitatem existendi in puncto, non autem possibilitatem, vt constat *in fine corporis*, quod etiam apparet ex argumento sequenti, quod, ex mox dictis, resoluitur. *Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur:* non verò per *modum recepti*, ex Aristotele 3.*de anima, tract.*4. si ergo Angelus est in loco partibili: Ergo partibiliter.

Respondet, maiorem esse veram, vbi receptum pendet à recipiente; sicut species recipitur in intellectu, vel in organo, & existentia eius pendet ex eo, in quo recipitur, & se habet ad illud per modum informantis. Hinc est, quod recipit modum suæ existentiæ ab eo, in quo recipitur: non sic Angelus recipitur à loco, quia non pendet ab illo.

SECVNDVM argumentum simile est. Si Ange- 86
lus est in loco corporeo; vel est totus in toto: & pars in parte: vel est totus in qualibet parte. Si primum: Ergo est partibilis: si secundum: Ergo cum partes loci sint multæ, est in pluribus locis.

Respondet, esse totum in singulis partibus, neque tamen esse in pluribus locis: sicuti nec anima in pluribus

pluribus membris existens, propterea informat plura corpora.

Dices : diuidatur illud corpus, quod est locus Angeli, adhuc erit locus eius : Ergo erit in pluribus locis.

87 Respondet S. Doct. si diuideretur, dummodò partes non sequestrentur longè ab inuicem, erit vnus locus, qui non numeratur ad multitudinem ambientium : videmus enim idem corpus partim in terra defixum, partim in aqua, partim in aere, vt arbores quasdam, vel carecta, aut olera quædam, aut etiam homines.

QVÆSTIO VI.

Vtrum plures ANGELI *possint naturaliter esse in eodem loco.*

D.Bonau. dist. 2. p. 2. art. 2. q. 4.
D.Thom. q. 52. art. 3.

PRIMA opinio affirmatiua est Scoti 2. *dist.* 2. *quæst.* 8. Maioris *quæst.* 10. Ocham *quodl.* 1. *quæst.* 4. Gabr. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. Gregorij *quæst.* 3. Marsilij *in* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. Valentiæ *quæst.* 3. *p.* 4. Molinæ *quæst.* 52. *art.* 3. Vasq. *disp.* 191. Suar. *lib.* 4. *cap.* 9. Fabri *disp.* 19. Malonij 2. *d.* 8. *disp.* 13. Pesan. *quæst.* 52. *art.* 3. Arrubalis *disp.* 15. Auersæ, & ferè omnium *quæst.* 52. *art.* 3. Morandi *tract.* 7. *quæst.* 12. Tanneri *disput.* 5. *quæst.* 2. *dub.* 5. Arriagæ *disp.* 16. *sect.* 9. qui ait, esse omnium ferè Theologorum societatis. Hi omnes, tametsi concedant, locum intrinsecum, *Vbi*, esse cuique proprium ; tamen posse in loco extrinseco inadæquato plures Angelos existere aiunt. Plures verò Angelos esse posse in eodem loco adæquato, si sint eiusdem perfectionis specificæ, asserunt ferè omnes relati, quos refert, & sequitur Tanner. *num.* 6. Caspens. *disp.* 4. *sect.* 3. Valentia verò asserit, etiam eos, qui solo numero distinguuntur, habere locum inæqualem. Subscribit Fuliensis *lib.* 3. *cap.* 2. & alij.

88 Negatiua sententia est tamen D. Thom. *hic*, *in corpore*, & latiùs *ad* 1. Eam autem limitant Caietanus *loco cit. D.Thom.* Ferrar. 3. *contra Gent. c.* 68. & alij recentes Thomistæ *ad art. cit.* primò, vt de solo adæquato loco intelligatur ; quia credunt, omnes Angelos, specie distinctos, requirere loca inæqualia, iuxta suas perfectiones. Deinde id intelligi iuxta modum ordinarium agendi conuenientem naturæ Angelicæ ; non autem iuxta modum extraordinarium ; quia, secundùm illum, vnus in vno loco est, vbi applicat suam virtutem, vel operatur. Vnde negant, secundùm eandem operationem esse posse plures Angelos adæquatè in eodem loco, quia nequit idem effectus esse à pluribus causis adæquatis eiusdem ordinis.

89 Negatiuam verò sententiam absolutè tuentur D. Bonauent. *hic*, Richard. *in* 1. *dist.* 37. *art.* 2. *q.* 4. Ægid. *eadem dist. p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. Capreol. 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. Bassolis *q.* 4. *art.* 4. imò etiam D.Thom. qui absque limitatione aliqua locutus est. Idem sentiunt alij.

ASSERO cum hac sententia, singulos Angelos habere naturaliter sua loca distincta, ità vt plures non occupent vnum.

PROBATVR à D. Bonauent. primò. Ordo vniuersi nequit ab Angelis naturaliter subuerti : sed ordo vniuersi est, vt singulis loca distincta assignata sint, cum ordine vnius ad alium ; & nulla substantia sit in alia, etiamsi spiritualis sit : Ergo. Maior est euidens : nam effectus vniuersales spectant ad causam vniuersalem ; neque vlla causa particularis creata in ordinem causarum, & effectuum vniuersalem extenditur. Minor probatur à D. Bonauent. primò, è Strabone in Glossa *ad primum Genesis*, vbi ait : *Statim, vt factum est Empyreum, repletum est Angelis, non sine quod vacuitas Empyrei sit completa ; sed quoad ornatum, ita vt ordinatim in eo collocati sint.*

PRESSIVS hoc totum argumentum habet D. Fulgentius *de fide ad Petrum*, *cap.* 3. vbi ait : *Inest tamen singulis Angelis naturalis terminus, quo à se inuicem discernuntur, quia nullus in alio est.* Eadem de causa negat S. Augustinus, siue Gennadius, *lib. de Eccl. dogm. cap.* 83. dæmones in obsessorum animas illabi. Idem habet Beda *in cap.* 5. *Actorum* ; nempè, quia sic tolleretur ordo vniuersi secundùm locum, quæ illatio sequitur etiam è sententia allata D.Fulgentij, vt arguit D.Bonauent. *dist.* 8. *p.* 2. *quæst.* 2. *fundam.* 1. 90

RESPONDENT Suarez *num.* 7. Vasquez *num.* 3. Arriaga *num.* 45. Morandus, & alij, Angelum habere ordinem in vniuerso, non situ, & loco ; sed secundùm suam substantiam : hic autem non tollitur, etiamsi plures Angeli in eodem loco penetrentur. Ordo verò, secundùm locum, attenditur solùm in corporibus, quæ ratione quantitatis diuersa loca exigunt ; vnde neque se inuicem penetrare, neque vacuum admittere valent : Spiritus verò simul esse cateruatim, ostendunt, Lucæ 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis.* Lucæ 16. *Lazarus translatus est ab Angelis.* Matth. 26. *Exhibebit mihi modo, plusquam duodecim legiones Angelorum.* Lucæ 8. *In eodem homine erat legio dæmonum.*

AD duos Patres primos respondet Vasq. nil mirum, eos asserere, Angelos inuicem impenetrabiles ; quia credunt eos corporeos. Quoad Bedam, non respondet.

AT D.Fulgentius non credidit, Angelos corporeos, vt vidit Suarez *lib.* 1. *de Ang. cap.* 6. & vides *disp.* 1. *quæst.* 1. Ideò *lib.* 2. *cap.* 5. respondet, S.Patrem, Angelis negare mutuum illapsum, qui, ex infinitate, soli Deo conceditur, habenti virtutem omnia continendi : quare Angeli non prohibentur esse in eodem loco ; sed aliis illabi ex naturæ termino præscripto, quem assignat Fulgentius. 91

CONTRA : nam D. Fulgentius eam rationem affert ad ostendendum, creaturas non posse esse vbique, quod proprium est Dei, vt patet legenti : ait enim : *Ipsos quoque spiritus quis audeat eiusdem naturæ, cuius est Deus, vel putare, vel dicere, cum Deus vtique immutabilis sit, atque immensus.* Et subdit rationem allatam, quasi dicat, probo, creaturas non esse, sicut Deum, in omnibus locis ; quia imò ex ordine vniuersi ad determinatum locum sunt limitati, neque valent se inuicem penetrare. Vnde inox infert, quòd si vni eorum opus quodlibet iniungitur, alij quoque alteri operi implendo diuinæ potestatis deputantur arbitrio. Quare Scripturarum narrationes, recitatæ à Suarez, nil obsunt : non enim conueniunt ad idem numero munus obeundum, missos in eodem numero loco extitisse 8. Vnde & in corpore obsesso potuerunt habere diuersos situs, quod asserere non est voluntarium, vt clamat Suarez ; sed ordini consonum vniuersi, magis autem voluntariè ab eo illos fuisse in eodem loco, dicitur. 92

INSTAT, Patres hinc eruere, Angelos non esse corporeos, quia erant in eodem corpore. Respondeo, optimè hinc deduci, non esse corporeos; quia legioni 6666. debita corpora, non formicarum, vel culicum; sed apta, & procera, inter vnius humani corporis angustias non caperentur; non tamen infertur, illos in eodem loco partiali corporis, & membro fuisse.

93 Dices. Illi dæmones erant in corpore illo animato, atque adeò in eodem loco, vbi anima.

Respondetur ex D. Bonauent. *ad* 4. diuerso modo ab anima, dæmones esse in obsessis, nempè extrinsecè. Quid enim prohibet, ponere dæmones in humoribus, & in fœcibus, vtpotè condigno eorum habitaculo?

ADVERTE, argumentum non assumere repugnantiam ex parte loci, qui non repletur ab Angelo, neque ex parte Angeli, quia, omni corporeo loco destructo, potest permanere; sed totam repugnantiam ex ordine rerum assumere, vt agnouit Vasq. *num.* 1. In quo decipitur Suarez.

94 DEINDE assumo argumentum Fulgentij cum D. Bonauent. *dist.* 8. *loco adducto.* Si posset vnus Angelus esse in loco alterius, vel in anima, tunc posset & in eos agere, cùm sit debitè approximatus; sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequela: nam ideò Sancti Patres negant, posse Angelum in animam intrare, ne cogantur concedere posse in eam agere; & hic est etiam illapsus, quem negant. Sic D. Bernardus *serm.* 5. *in Cant.* ait: *Nullum creatorum spirituum, per se, mentibus nostris ap-*
95 *plicari.* Et infrà: *Nec ipsi Angeli ità se alterutrum capiunt.* Et Beda in 5. Actorum: *Animam, & mentem hominis, nulla creatura, iuxta substantiam, potest implere.* Hoc idem argumentum assumpsit Richardus Victor. *lib.* 4. *de Trinitate, cap.* 25. dum ideò duos Angelos in eodem loco esse negat, quia nequeunt se inuicem penetrare, vbi per penetrationem, persuasionem actiuam intelligit. Sic & loquitur Albertus *p. p. quæst.* 72. *tit.* 18. vt notat Pesantius *loco citato.*

OBIICIES primò. Anima est locus specierum, *ex* 3. *de anima, text.* 22. & plures in ea species sunt: Ergo & plures Angeli possunt esse in eodem loco.

96 RESPONDET S. Doct. non esse simile, quia plures species, plures capacitates, & indigentias animæ complent; non sic plures Angeli in vno loco. Ampliùs nec ordo in eis sic attenditur, sicut in Angelis. Vnde, esto, duo puncta possint esse simul: puta si duæ lineæ continuentur, vt docet Aristoteles 6. *Physic.* & Auer. 5. *Physic. com.* 22. & plura lumina possint esse in eodem medio, quæ tamen sunt minoris simplicitatis, quàm Angelus, & magis pendent à loco corporali, vt docet S. Dionysius, *cap.* 2. *de Diuinis nominibus.* Angeli verò sint lumina spiritualia ex D. Dionysio *cap.* 3. *de cœlesti Hierarch.* non tamen possunt esse simul, ob rationes allatas.

OBIICIES secundò. Corpus glorificatum penetrat non glorificatum: Ergo multò fortiùs duo spiritus sese possunt penetrare.

97 RESPONDET S. Doctor, corpus non glorificatum esse materiale, respectu glorificati. Deinde hoc fit miraculo, ob fines supernos.

Instat S. Doctor: ponamus allatum casum; tunc duæ animæ sunt in eodem loco, & vna non se habet materialiter, respectu alterius.

Respondet idem S. Doct. non corrumpi ordinem vniuersi, quia sunt in diuersis corporibus; at quòd sint in eodem loco, hoc fit virtute supernaturali.

OBIICIES tertiò. Spiritus non occupat locum. Si enim ibi sit vacuum, vbi ponitur Angelus; adhuc remanebit vacuum, & potest ibi poni secundùm ordinem naturæ aër: cur ergo non etiam spiritus? Hoc est præcipuum fundamentum Suarez *num.* 5. Vasq. *cap.* 2. & 4.

Respondet Seraphicus Doctor *ad vlt.* repugnantiam non ex loci capacitate, vel ex natura Angeli; 98
sed ex ordine vniuersi prouenire, vt agnouerat Vasquez *num.* 1. Quare hæc ratio S. Bonauenturæ manet inconcussa.

Hinc ruit quoque oppositio Morandi, quòd sola quantitas molis excludit aliam quantitatem ab eodem spatio. Ideò Angelus, & anima sunt in eodem corpore; sicut & Angeli tentatores, & custodes, dum certatim eundem hominem, bonus ad bonum, & malus ad malum instigat.

Hæc iam ex dictis liquent; neque est cur verbulum addam. 99

Quia tamen Seraphicus Doctor hæc durè non tractat, nec mordicus retinet, non negabit, Angelos, tametsi possent locum alterius peruadere, tamen honoris, & reuerentiæ causa, loco cedere, vt inter homines etiam ciuiles fit, honore inuicem præuenientes. Idem de animabus sanctis docuêre nonnulli, vt ait Tannerus *num.* 7.

Addit Suarez *num.* 7. forsan in eadem parte cœli non esse plures Angelos; & hoc esse in ornamentum. E contra verò in Inferno dæmones premi, vbi *nullus ordo; sed sempiternus horror inhabitat.* 100



DISPVTATIO X.

De Motu Angelorum.



QVÆSTIO I.

An possit ANGELVS *moueri localiter.*

D. Bonau. in 1. dist. 37. p. 1. art. 2.
D. Thom. q. 53. art. 1.

DVRANDVS *in primo, distinct.* 37. *part.* 2. *quæstione* 1. timidè probat, Angelum non moueri localiter, protestaturque, se discurrendi gratia id asserere, vt iudicium peritioribus relinquat. Heruæus autem, qui negat, Angelum in loco; negat consequenter ei motum localem *tract. de motu Angeli, quæstione* 1. *artic.* 1. & 2. Adducitur pro hac opinione à Fabro *disput.* 10. etiam Caietanus; sed immeritò, vt ait Vasquez *disp.* 194. Idem dicendum de Ægidio, ab aliis citato.

SENTENTIA Catholica est, Angelos moueri localiter. Conueniunt Scholastici cum Magistro *in* 1. *dist.* 37. vel *in* 2. *dist.* 2. & 6. vbi D. Bonau. & cum D. Thoma *hic*, cæteri. 1

PROBATVR primò à D. Bonauent. Scripturis, enarrantibus Angelos ad ministeria venientes, iuxta id Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Omissis verò testimoniis assentientibus

rentibus, Angelos venisse in corporibus assumptis, vt sæpè legitur in libris *Genes. Exodi, Numer. Iosuė. Iudic. Regum. Euang. Act. Apoc.* quæ tamen arguunt
2 aliquem motum passiuum in Angelis. Arguit S. Doctor sic: Omnes sunt administratorij spiritus, missi, &c. Sed hæc ministeria sæpè impleta sunt sine corpore assumpto, vt Matth.1. *Cùm Angelus in somnis apparuit Ioseph.* Similiter & dæmones, qui indirectè ministrant nostræ saluti, sæpè eiecti sunt de corporibus: intrarunt in porcos. Quibus testimoniis nituntur Scotus 2 *dist.2. quæst.9.* Faber *num.4.* Vasq. *cap.2.* Valentia *quæst.4. punct.1.* Tannerus *disp.5. quæst.2. dub.6.* Morandus *quæst.13.* & alij.

Probatvr secundò à D. Bonauent. ex Patribus, præsertim Damasceno 1. *de fide, cap.13.* 17. 26. & 33. & *lib.2. cap.13.* Nazianzeno *orat.34.* Chrysostomo *homil.3. in epist. Heb.* Tertulliano *Apol. contra Gent. cap.22.* Hieronymo *epist.53.* Gregorio *homil.34 in Euang.* & *lib.1. Moral. cap.2.* Ambrosio *lib.1. de Spiritu sancto.* Bernardo *in Cant.* & aliis. Propterea, motum Angelorum negantes, grauiter notantur apud Artubaldem *hic, cap.1.* Radam *2.p.controu.7.* Suarez *lib.4. cap.1. n.14.* Morandum *quæst.13.* Caspensem *disp.5.*

3 Probatvr tertiò à D Bonauent. ratione, qua nititur Scotus §. *Quæstionem.* Faber *num.6.* Rada, & Morandus. Omne receptiuum aliquarum formarum, quod nec est determinatum ad habendam aliquam illarum tantùm; nec est illimitatum, vt habeat omnes eas simul, potest moueri ab vna illarum formarum ad aliam. Sed Angelus aliquorum *Vbi* definitiuè est receptiuus; nec est alligatus vni loco; nec est illimitatus ad omnia, cùm sit finitus. Ergo potest mutari ab vno *Vbi* ad aliud, modo conuenienti; sed is est terminus motus localis: Ergo. Maior patet. Minor probatur à D. Bonauent. quia virtus Angeli non est ad vnum arctata; sed ad plura diuersa: Ergo neque substantia eius ad vnum locum, neque est infinita; sed limitata termino, creatoris præscripto. Ergo est in potentia; constituitur autem actu per motum localem. Ergo.

4 Probatvr quartò à D. Bonauent. argumento efficacissimo, vt notat Faber *num.7.* vbi illud Scoto adscribit. Anima beata in gloria æquabitur Angelis, Matth.22. *Erunt, sicut Angeli Dei.* Sed anima beata mouetur secundùm locum: sic anima Christi descendit ad inferos, vt habetur in Symbolo, & ostendi *disp. preced. q.1.* Animæ etiam ascendunt ad cœlos; sicuti ascenderunt animæ Sanctorum Patrum: *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem.* Sed anima non assumit aliud corpus, quam suum; multique ex illis Sanctis Patribus habent corpora apud nos: Ergo moti sunt sine corpore: Igitur etiam Angeli. Idem accinunt Vasq *num.7.* Tanner. *num.5.* Marcus Baudunius *quæst.47. art.1.*

Probatvr quintò à S. Doct. Angelus, qui est in Empyreo, potest eodem modo esse in terra sine corpore. Sed hoc debet fieri per translationem localem, ac mutationem *Vbi*, vt qui erat in Empyreo, non sit ampliùs ibi, sed hìc; hoc autem, cùm sit nouus effectus realis, non potest esse sine causa reali: Sed hic effectus est *Vbi*, qui non acquiritur nisi per motum localem: Ergo. Hac ratione vtuntur Suarez *lib.4. cap.2. n.7.* Tanner. *n.6.* Morandus *num.698.*

Assero secundò. Angelum mouere semetipsum.

5 Probatvr primò à D. Bonauent. Scripturis exprimentibus motum Angeli eodem modo, quo & motum hominum. 1. Petri 5. *Circuit quærens.* Iob 1. *Circuiui terram.* Dicitur, exire; reuerti. *Matth 4. & 12. Marci vlt. Ioan.13. Lucæ 16. & 17.* Tandem Hebr.1. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi.* Essent enim Angeli inepti ad omnia ministeria, si cogerentur semper assumere corpora, eaque mouendo, in eis moueri ad modum, quo Nauta mouet nauim, & ab ea mouetur; vel Auriga currum, & ab eo trahitur; etenim multa ministeria absque corpore sunt exercenda, vt suprà ostendi. Vnde non dicuntur missi per Physicum impulsum; sed per morale imperium. Sic Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel. Ingressus ad eam. Discessit, &c.*

6 Eadem authoritate nititur Suarez *lib.4. cap.13. num.5.* Confirmatur ab ipso *ex secundo fundamento D. Bonauent. & quæst. sequentibus*, quia Angeli sunt viuentes perfectissimi, & sunt finiti: Ergo non sunt vbique: Ergo loci sunt capaces per motum. Probatur consequens, quia supposita imperfectione propriæ limitationis, ad perfectionem vitæ pertinet facultas se mouendi. Hæc contra Capreolum.

Obiicies primò. Discurrere, & de loco ad locum transire, non est, nisi corporum, ex D. Bernardo *in Cant. serm.5.*

7 Respondet S. Doct. verum esse de motu circumscripto, non de finito. Angelus igitur mouetur circumscriptiuè tantùm in corpore assumpto; at definitiuè præcisè ab vno loco ad alium mouetur, etiam secundùm substantiam. Quare, si Angelus mouetur à Cœlo Empyreo in terras; deinde omnia corpora annihilentur, adhuc nouum *Vbi* habebit intrinsecum.

Obiicies secundò. Quod mouetur per se, debet esse diuisibile: nam indiuisibile non potest moueri localiter, quia in motu locali debet esse prius, & posterius, quod in indiuisibili non potest esse: Angelus est indiuisibilis: Ergo solùm per accidens mouetur; sicut Nauta, naui mota. Ergo non potest moueri, nisi in corpore assumpto. Hoc assumpsit Arboreus *lib.1. Theosophiæ, cap.7.*

8 Respondet S. Doct. indiuisibile non moueri motu locali circumscribente, at motu definitiuo posse moueri omne indiuisibile, quod locum definitiuè occupat, quales sunt omnes spiritus, qui non sunt indiuisibiles ad modum puncti, sed sunt indiuisibiles substantialiter, longè altiori modo perfectionis, ratione cuius possunt extendi ad corpus, & ad locum, vt patet de anima: hanc verò mutationem posse fieri successiuè, ostendam *q.2.*

Hanc responsionem D. Bonau. adhibent ferè omnes, vt notat Suarez *lib.4. cap.15. num.3.*

Obiicies tertiò. Omne, quod mouetur, mouetur ob indigentiam: est enim motus actus entis in potentia *ex 3. Physic. text.6. & 10.* Sed Angeli sunt perfectissimi, nec egent perfici à vilissimo *Vbi*: Ergo. Si dicas, eos moueri ob nostram indigentiam. Contrà: Ergo ad alia patranda nequeunt moueri.

9 Respondet D. Bonauent. Maiorem esse veram de motu naturali, qui venit ab appetitu, indigentis aliquâ perfectione, quâ obtentâ quiescit; non de motu voluntario, quo quis mouetur etiam ob aliud; puta, cùm miles mouetur in stadio ad ostentationem.

Respondet secundò, maiorem veram, sumpta indigentia lato modo, vel pro priuatione, quæ dicit imperfectionem, vel naturæ limitationem, ob quam

quam perfici potest. Et talis est in Angelo, qui cùm finitus sit, volens operari in terra, eget moueri è cœlo & acquirere nouum *Vbi*, quod quidem perficit Angelum; licèt sit accidens: quia creatura finita est perfectibilis, etiam ab accidentibus; attamen non implet defectum aliquem priuationis, dicentis monstrositatem. Hoc responsum dant etiam Scotus *distinct.2. quæst.9.* Faber *disput.20. num.7.*

Obiicies quartò. Omne, quod mouetur, differt à motore, ex Aristotele 8. *Physic. text.27.* Angelus non differt à se: Ergo non mouetur à se. Neque verò mouetur ab alio: Ergo non mouetur, nisi mouendo aliud, puta corpus assumptum. Hæc est ratio Capreoli *d.16. quæst.1.*

10 Respondet D. Bonau. quem sequitur Vasq. *disputat.194. cap.3.* Angelos certè moueri à se; vt ostensum est, quod probauit S. Doct. *ad argumentum præcedens*, ratione, qua vsus est Scotus *dist.2. quæst.10.* Faber *disp.20. num.21.* Quando aliquid habet potentiam passiuam ad acquirendum aliquid per motum, non est imperfectionis in eo, quod habeat etiam potentiam actiuam, per quam valeat illud sibi acquirere: Sed Angelus ex sua finitate est in potentia ad *Vbi*: Ergo perfectionis est, illud acquirere posse. Maior probatur in aliis rebus, quæ habent potentias actiuas ad augmentum, & sensationem; & multò maioris perfectionis est habere potentiam ad motum localem, qui supponit mobile ens completum. Itaque hoc potentiæ est in
11 Angelo, & perfectionis. Confirmatur: quando Angeli missi sunt ab Empyreo, certè non potuere assumere corpora vsque dum peruenerunt ad Elementa: Ergo totum illud grande spatium cœlorum percurrerunt, mouendo se ipsos.

Ad argumentum ergo respondet D. Bonau. Maiorem esse veram de motu naturali corporum: non de spirituali, maximè voluntario. Nam voluntas se ipsam mouet, ex D. Anselmo *de concordia liberi*
12 *arb. & præscientiæ, longè ante finem.* Itaque reflectitur voluntas super se, & mouet seipsam, & ità mouens, & mobile est idem, sed diuersa sub ratione, est enim actiua sui actus; & receptiua ratione diuersæ virtutis. Idem dicendum ad motum localem, ad quem Angelus habet potentiam actiuam, respectu formæ, seu eius, quod dicit actum, seu virtutem actiuam: habet verò potentiam passiuam respectu eius, quod dicit potentiam, vel materiam. Idem respondet Suarez *lib.4. c.23. n.3.* Imò hîc faciliùs diuersa ratio assignatur: nam ipse localis motus non recipitur immediatè in ipsa potentia actiua mobilis, si illa est distincta à substantia, vt creditur; sed recipitur immediatè in substantia ipsa. Itaque est receptiuus per substantiam: actiuus verò per virtutem à substantia emanantem.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angelvs *motu Locali aliquid acquirat, & quid.*

SS.DD. vt suprà.

13 Physica quæstio huic porrigit fundamenta. Quid scilicet sit motus localis? An ponat in mobili aliquam formam intrinsecam, siue absolutam, siue relatiuam: vel potiùs solam extrinsecam denominationem; cùm autem motus Angeli sit verus motus localis; vt ostendi *quæst. præced.* & *disp.8. quæst.1.* iuxta Physica principia, decidenda est quæstio.

Prima opinio est, motum localem Angeli non esse aliquid inhærens Angelo intrinsecè, tanquam modum efficientem; atque adeò solâ denominatione extrinsecâ Angelum dici, moueri ab vno loco in alium. Ità Gregor. *in 2. dist.6. quæst.1. art.2.* Ferrar. *3. contra Gent. c.102.* Ægid. *primo, dist.37. p.2. art.2. quæst.1.* Caiet *quæst.53. art.1.* Arboreus *lib.1. Theosophiæ, cap.7.* Ex his aliqui nituntur physico fundamento; nempè idem euenire etiam in motu locali corporum: Alij nituntur credentes, Angelum esse in loco per operationem, dum autem operatur, mutatur intrinsecè. At verò Ferrar. *dicto c. §. Attendendum*, distinguit, dicens, Angelum intrinsecè mutari, quando mouetur per se, non in corpore assumpto; At verò cùm in corpore assumpto euolat, atque adeo mouetur per accidens; tunc sola extrinseca denominatione mutari.

Secvnda sententia est Vasq. *disp.195. cap.3. & 4.* vbi partim cum allegatis Doctoribus conuenit. 14
Dicit ergo primò, quòd, quando Angelus per se mouetur sine motu corporis, in quo est, aliqua intrinseca mutatio in eo fit. Secundò ait, hanc non esse mutationem localem; seu motum localem Angeli non consistere in illa mutatione; sed in extrinseca denominatione distantiæ à punctis finis mundi; atque adeò terminum motus localis Angeli non esse aliquid intrinsecum Angelo; sed distantiam illam. Tertiò ait, Angelum, dum mouetur per accidens ad motum corporis, nullam pati mutationem intrinsecam.

Tertia sententia est, motum Angeli fieri per mutationem intrinsecam ipsius Angeli quomodocunque moueatur. 15
Ità Scotus *in 2. dist.2. quæst.9. & 10.* Licherus *ibi, quæst.9.* Herrera *2. dub.7. disp.2. & 3.* Rada *controu.7. concl.3. art.1.* Gabr. *disp.2. quæst.3.* Ocham *quodl.1. quæst.5.* Richard. *1. distinct.37. art.3. quæst.1.* D. Thom. *1. dist.37. quæst.4. art.1. ad 1.* Alensis *2. p. quæst.33.* si in *memb.1. & 3.* simul legatur. Malon. *2. d.8. disp.14.* iuncta *15.* Pesantius *quæst.53. art.1. disp.3.* Zumel. *ibi*, Suarez *lib.4. cap.12.* Molina *quæst.53. art.1.* Tanner. *disp.5. quæst.2. dub.6 num.13.* Morandus *quæst.3.* allegans Arrubalem, Auersam, Arriagam, Præpositum, & alios. Id tenentur sentire omnes allegati *disp.9. quæst.2.* asserentes, Angelum constitui in loco per *Vbi* intrinsecum. Subscribit Fuliensis *lib.3. cap.2.*

Qvoad D. Bonau. Vasquez dicit, se nihil in eo, 16
in Alensi, Richardo, vel Gabriele inuenisse arridens; solumque eos asserere, Angelum de loco ad locum moueri. At S. Doctor pro tertia hac sententia stat (vt aduertit Tannerus *n.13.*) præcipuè *ad 3.* vbi ait, Angelum volentem aliquid operari in terris, debere transire ad terras, quia habet virtutem limitatam; & ideò, vt operetur, debere acquirere hanc perfectionem. Ideò pro hac sententia allegatur etiam à Suarez *num.8.* Clariùs S. Doct. hanc opinionem profitetur *eadem dist.37. p.2. art.2. q. vlt. ad 3.* vbi dicit, quòd naturalis motus ad situm, est motus ad formam quodammodo. Addit verò voculam (*quodammodo*) alludens ad Arist. 8. *Physic. text.59.* vbi ait, *Lationem non esse ad formam, sicut reliqui motus.* Intelligit verò non esse ad formam, re distinctam, ad modum qualitatis acquisitæ per alterationem; vel quantitatis, per augmentationem. Idem sentit locis allegatis *disputat.9. quæst.2.* vbi

vbi cum omnibus ferè huius sententiæ authoribus fatetur, Angelum constitui in loco per modum intrinsecum *Vbi.* Dixi cum omnibus ferè, quia Scotus, cum asseclis suæ scholæ, dicit, per motum acquiri relationem extrinsecus aduenientem.

17 ASSERO primò, motum localem esse formam intrinsecam Angelo mobili; non autem solam denominationem extrinsecam.

PROBATVR primò à D.Bonau.*ad* 3. Quisquis perficitur secundùm se ad aliquid, ad quod finitas suæ substantiæ non attingit, is mutatur intrinsecè. Sed Angelus per motum localem perficitur ad aliquid faciendum, ad quod ex limitatione suæ virtutis non attingebat: Ergo intrinsecè mutatur. Maior est clara. Nam noua virtus, seu vis addita substantiæ non potest esse sine mutatione à non potente ad potentem. Minor probatur à S. Bonauent. Si enim Angelus existens in cœlo velit operari aliquid in terris, non potest, nisi approximetur descendendo; vt si velit Pentapolim euertere; alioqui frustrà tot missiones è cœlo ad nos fuissent. Hoc argumentum nititur Aristotele 3. *Physic. tract.*10. vbi ait, motum esse actum mobilis, idest perfectionem mobilis; quia de potentia exit in actum, vnde definitur: *Est actus entis in potentia, prout in potentia*: Et ideo ait 3. *Physic. cap.* 3. Motum esse in eo, quod mouetur; quod etiam asserit 9. *Metaph. tract.*16. vt citatur à Fabro *numero* 11. sed à Suarez citatur *c.*13. *numero* 1. sed est *in cap.* 3. *num.*1. 4. 13. Hoc argumento nituntur Doctores tertiæ sententiæ.

18 RESPONDET Vasquez, non omnem realem motum esse in mobili. Dicimus enim, Deus creat realiter; nec tamen denotatur forma aliqua intrinseca, inhærens Deo.

19 Contrà. Non potest forma aliqua mutare aliquod subiectum, nisi illi realiter insit. Exemplum verò de Deo non est ad rem. Tum quia est incapax mutationis: tum quia, non ille transit ad acquirendam perfectionem, sed creatura, quæ transit de non esse ad esse, vt notat D. Bonauent. *in* 2. *dist.*1. Imò hinc retorqueri potest argumentum, exemplo creaturæ transeuntis ad perfectionem essendi.

20 PROBATVR secundò. Mutari est aliter se habere nunc, & priùs ex Aristotele 5. *Physic. tract.*7. & omnis motus est perfectio entis in potentia, ex Aristotele 2. *Phys. tract.* 6. Similiter omnis mutatio fundatur super aliquod mobile, ex Aristotele 8. *Physic. tract.*4. vt notat D.Bonau.*in* 2.*dist.*1.*p.*1. *art.*3. Sed Angelus per motum fit in actu, vbi erat in potentia ad existendum, & operandum: Ergo per mutationem mobilis. Hoc est tertium fundamentum D. Bonauent. quod desumpsit Faber *numero* 12.

RESPONDET Vasquez, Angelum ideò solum moueri, quatenus corpus, cui vnitur, mutat distantiam à Polis. Sed iam argumentum ostendit oppositum: vt notat Faber *num.*14.

21 ASSERO secundò, etiam cùm Angelus mouetur per accidens in corpore assumpto, intrinsecè illum mutari.

NOTA ex D. Bonauentura, tripliciter aliquid dici moueri per accidens. Primò concomitanter, vt cùm aliquis mouet aliud, & mouendo illud, mouet simul & se: Et hoc modo Angelus mouet se in corpore assumpto. Secundò efficienter per accidens, vt cùm Currus trahitur à bobus. Tertiò per accidens formaliter, quando aliquid denominatur moueri ad motum alterius, vt totum, dicitur moueri, mota vna tantùm parte. His verò duobus postremis modis non mouetur Angelus in corpore assumpto, vt notat Suarez *cap.*14. post Seraphicum Doctorem *hic*, *ad secundum.* Quando verò mouet imprimendo impetum, solum corpus mouetur, vt notat S.Doctor 2. *distinct.* 2. *p.*2. *art.*2. *quæst.*2. *ad* 2. vbi affert exemplum de Angelo motore cœli. Rada verò *contron.* 7. *art.* 2. ex Scoto *in* 4. *dist.*10. *quæst.*6. negat, etiam illum primum modum esse per accidens. Sed Auersa *quæst.* 53. *sect.*2. Arrubal. *hic*, *cap.*1. Arriaga *disp.*17. *num.*5. omnibus modis illum tueri posse aiunt.

PROBATVR ergo primò, quia Angelus mouet corpus, cui non alligatur, physicè formaliter, vt notat S.Doct. 2. *distinct.* 2. *p.*2. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 3. Ergo Angelus ad motum corporis tantùm non mouetur; sed oportet, vt aliquis alius moueat Angelum: At nullus alius is esse potest, quàm ipse Angelus mouens se: Ergo non mouetur ab alio efficienter; sed ipse, seipsum mouens, mutatur: Ergo non per extrinsecam denominationem, sed per motum, illi inhærentem. Hoc argumento nititur Suarez *cap.*14. *numero* 2. 22

AT, esto interueniret aliqua physica vnio: adhuc argumentor è D. Bonauent. *loc. cit. fundamento* 4. Non minùs Angelus est in loco, & mouetur in corpore, quàm anima in suo corpore: Sed anima, moto corpore, verè mutat locum, non per denominationem extrinsecam: Ergo. Minor probatur. Quis enim neget B.Virginis animam assumptam in cœlum, acquisiuisse nouum *Vbi*, non minùs, quàm si separatâ animâ ascendisset? Similiter & animas Datani, & Abironis, cùm in infernum descenderunt? Ergo & Angelus in corpore, cui non nectitur adeò intrinsecè, sicut anima. Ità arguit quoque Suarez *numero* 6. 23

PROBATVR secundò à D.Bonau. *in fundamentis*. Non minùs Angelus mouetur in corpore, quàm extra corpus. Sic Angelus Gabriel verè ingressus est ad Mariam. Et Angelus, qui pertexit cum Tobia; & qui transtulit Habacuc, Babylonem. Sed sine corpore mouetur, verè facta in se mutatione, vt suprà ostendi: Ergo illud per accidens moueri, non est per solam extrinsecam denominationem: implicat enim, moueri, & mutari, solâ denominatione extrinseca, idest à formâ existente in alieno supposito: nam, si mutatio non afficit subiectum, reuera non mutat illud. Corpus autem est distinctum suppositum ab Angelo. 24

DICES. Anima, dum mouet corpus, immobilis manet, ex Aristotele, *primo de anima*, *tract.* 36. & 67. adducto à D. Bonau. 2. *distinct.*1. *p.* 1. *art.*3. *quæst.*1. *ad* 1.

Respondetur, ibi loqui de mutationibus corporis propriis generationis, corruptionis, & de altercationibus augmentationibus, quæ animæ non communicantur: non de motu locali.

OBIICIES primò cum Gregorio, ex Aristotele 8. *Physic. tract.* 7. In hoc distinguitur latio ab aliis mutationibus; quia, hâc solâ, nihil, quod insit, mutatur.

Respondetur ex D. Bonauent. *loco citato ad secundum*, omnem mutationem facere, vt res aliter se habeat nunc, quàm priùs, ex Aristotele 5. *Physic. tract.* 7. verum quidem est, in motu locali non acquiri nouam formam re distinctam à subiecto mobili: sicuti fit in augmentatione, & 25

& alteratione: attamen acquiritur modus nouus intrinsecus, mobili adhærens, & est quodammodo forma, vt ait D. Bonau. suprà.

OBIICIES secundò. Terminus motus localis, is est, qui per motum acquiritur. Sed is est locus extrinsecus, à quo etiam denominatur: Ergo. Confirmatur: si enim acquireretur intrinsecè etiam *Vbi:* iam vnius motus essent duo termini.

26 RESPONDETVR, motum localem terminare intrinsecè ad *Vbi:* ad locum verò extrinsecum consequenter, si adest corpus ambiens; hic tamen terminus non est necessarius: ideò, si Angelus moueatur à cœlo ad spatia imaginaria, certum est, eum motum esse localem, nec tamen acquisiuisse locum. Denominatur verò localis à notiori; aliter verò etiam extra mundum Angelus haberet locum intrinsecum, vt docet D. Bonauent. *primo, dist.* 37. *p.* 2. *quæst.* 3. *ad vltimum*, & disseram *tract.* 5. *disp.* 15. *quæst.* 3.

OBIICIES tertiò. Si motu locali Angelus acquirit formam intrinsecam, per intrinsecam mutationem; etiam aliam formam intrinsecam deperdit: quæro, vel hæc forma acquiritur in tempore, vel in instanti? Si in tempore: Ergo secundùm vnam partem, Angelus partem acquirit formæ *Vbi:*

27 Ergo vtrumque est diuisibile. Sic enim secundùm vnam partem quiescit mobile in parte, *Vbi*, adeptâ: & secundùm aliam mouetur ad aliam. Si dicas moueri in instanti. Contrà: Nam, vel in eodem instanti, quo mobile mouetur ab aliquo loco, in quo quiescebat, ad alium locum, habet eandem formam, quæ per motum ponitur in mobili: & dicatur A, vel non: si habet: Ergo simul est mutatum ab illa forma A; & non est mutatum ab A. Est mutatum, quia acquisiuit nouum locum: non est mutatum, quia habet eandem formam, quæ per te, motu locali inducitur in mobile: si non habet A. Ergo acquirit aliam formam. Vel ergo diuisibilem: vel indiuisibilem: non indiuisibilem, quia motu continuo successiuè acquiritur per partes; nec diuisibilem, quia tunc prius esset, mutatum esse, quàm mutari, quod refutatur ab Aristotele 6. *Physic.*

28 RESPONDET D. Bonauent. *primo, dist.* 37. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corpore, & ad argumenta*, acquiri per motum localem, *Vbi* diuisibile in ordine ad spatium, cui correspondet; sicuti & ipse Angelus, tametsi indiuisibilis, ad spatium diuisibile virtute suâ expanditur, vt indicaui *disput.* 9. *quæst.* 2. *ad calcem.* Iam verò hoc *Vbi* acquiritur successiuè per partes: quia, licèt mobilis Angelus transferatur totus; non tamen super totum simul, propter expansionem medij, in qua tota non potest esse simul; vt docet S. Bonauent. *quæst.* 3. *ad* 4. Itaque deperdita parte vna posteriori sui *Vbi*, aliam acquirit, in qua incipit esse totus in toto: ità tamen, vt sit etiam in alia parte loci adæquati, non adhuc deperdita.

QVÒ ad corpora verò, respondet S. Doct. *quæst.* 1. & 3. ibi esse successionem partium, etiam ex parte mobilis. Quod si demus, mobile corporeum moueri secundum indiuisibilia, vt cùm Sphæra trahitur super planum, semper coacta tangere in eodem

29 puncto: tunc dico cum D. Bonauent. *quæst.* 2. *ad vlt.* indiuisibile non moueri, in via Aristotelis, sed solùm diuisibile: vel si concedere velis, moueri illud punctum præcisè: tunc dico, non tangere toto motu in puncto; sed in linea. Tangit enim semper continuum, vt suppono; non per saltum, nec omnia singillatim puncta partium proportionalium: non enim transit diuidendo in partes aliquotas: sed dimetiendo partes determinatas, & finitas, metiendo partes æquales lineæ, quam signat: alioqui, si partes singulas aliquotas, & singula puncta in eis existentia (esto existant) tangeret; nunquam ad finem plani, etsi tantùm palmaris, perueniret. Acquirit igitur sphœra illa in tempore nouo, *Vbi* diuisibilia super partes lineæ in tempore, & indiuisibilia *Vbi* super puncta plani in instantibus, correspondentibus in continuo successiuo temporis, continuo permanenti mobilis, & plani, super quod motus peragitur. Et sicut acquirit noua *Vbi*: ità alia deperdit, ità vt forma desinat per primum sui non esse, & noua adueniat per primum sui esse. Vide Suarez *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 8. 30

OBIICIES quartò. Corpus, dum quiescit, non habet modum intrinsecum *Vbi:* Ergo neque dum mouetur; si enim illum habet, dum quiescit, poterit illum auferre: Nec apparet, sub quo alio modo sit.

RESPONDETVR ex dictis *quæst. præcedenti*, posse quodcunque *Vbi* separari, non tamen omnia; sicut à quantitate potest separari hæc, vel illa figura, non tamen omnes simul.

QVÆSTIO III.

Vtrum ANGELVS *motu continuo moueri queat, & discreto.*

D. Bonau. in 1. dist. 37. p. 2. q. vlt.
D. Thom. q. 53. art. 3.

HYBERNICVS apud Ariminensem *in* 2. *dist.* 6. *quæst.* 2. negauit, posse Angelum motu continuo se ciere. Videtur idem sentire olim D. Thom. *in primo, dist.* 37. *quæst.* 4. *art.* 1.

VERA tamen, & communis sententia est, posse Angelum motu continuo, se mouere. Ità S. Bonauent. *hic*, D. Thom. *hic*, vbi Caietanus, & reliqui Thomistæ. Ferrar. 3. *contr. Gent. cap.* 102. Scotus *in* 2. *distinct.* 2. *quæst.* 9. quem sequuntur Rada 2. *p. controuers.* 7. & cæteri Scotistæ, præcipuè Faber *disputat.* 20. Maior 2. *distinctione* 2. *quæst.* 12. *concl.* 2. Marsil. *in* 2. *quæst.* 7. *concl.* 3. & 4. Gregorius *in* 2. *distinct.* 6. *quæst.* 2. Vasq. *disputat.* 195. Valentia *disput.* 4. *quæst.* 4. *punct.* 2. Suarez *lib.* 4. *cap.* 20. *numero* 7. Molina *ad art. D. Thom.* citatum, vbi cæteri expositores. Morandus *quæst.* 14. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 2. *dub.* 6. *numero* 7. Caspens. *disput.* 5. *sect.* 2. Baudunius *quæst.* 47. 31

QVÒ ad motum discretum, eum asserunt D. Thom. *quæst.* 3. *art.* 1. & 2. & quotquot *quæst.* 4. dicunt, posse Angelum transire de extremo ad extremum, sine transitu per medium. Est ferè omnium Recentiorum: Valentiæ *disp.* 4. *quæst.* 4. *p.* 1. Arrubalis *disp.* 161. *cap.* 2. Præpositi *hic, art.* 1. *dub.* 4. Auersæ *ad art. cit. sect.* 2. Morandi *quæst.* 14. Tanneri *loc. cit.* Baudunij *quæst.* 47. Caspensis *disp.* 5. *sect.* 4. Vasquez *disp.* 197. *cap.* 4.

ATTAMEN S. Doct. *hic* motum localem discretum non admittit. Eum sequuntur Richardus *art.* 3. *quæst.* 3. Henricus *quodl.* 13. *quæst.* 7. Ægid. & alij apud Arrubalem. Fuit Alensis 2. *p. quæst.* 33. *memb.*

memb.. Alberti *dist.*37. Sequitur Fuliensis *lib.*3. *cap.*2.

32 OBSERVA ex Ioanne Rada *tract.*2. *controu.*7. *art.*3.§.*Tertiò obserua*, motum aliquem localem dici discretum à Thomistis, duobus modis. Primo impropriè, & latè, est quæcumque aggregatio diuersarum patiium motus, quamvis quælibet earum sit per se vnus motus successiuus, & continuus. Secundo modo dicitur transitus de vno termino ad alterum, qui constat desertione simultaneâ vnius termini, & simili acquisitione alterius, in quo differt à motu continuo, qui fit deserendo paulatim, & per partes, terminum *à Quo*, & acquirendo eodem modo terminum *ad Quem*; vel saltem acquirendo paulatim terminum *ad Quem*, etsi subitò terminus *à Quo* deseratur.

33 ASSERO primò, Angelum moueri posse motu continuo.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *fundam.*1. *&* 2. quo nititur Scotus §.*Ad quæstionem*, & Faber *loco cit.*Inter duo *Vbi*,alterum,quod habet Angelus in termino *à Quo*: alterum in termino *ad Quem*, est spatium: nam super illud mouetur corpus continuè. Ergo ibi sunt plura *Vbi* in potentia: hæc verò percurruntur in tempore, quia mediant inter extrema indiuisibilia; extrema verò indiuisibilia habent medium continuum diuisibile, cuius ipsa sunt termini, & nexus: Et hoc in duratione proportionata diuisibili percurritur: Sed Angelus potest totum illud spatium diuisibile percurrere: Ergo motu proportionato ipsi spatio, idest motu

34 continuo. Confirmatur consequentia; quia cùm Angelus sit finitus, non potest esse simul in extremis, & in medio, nec in toto medio; cùm possit excedere sphæram Angelicæ locationis: Ergo.Hac ratione vtuntur etiam Vasquez,Tannerus, Morandus, & alij.

OBIICIES primò. In omni motu continuo, mobile partim est in termino *à Quo*: partim in termino *ad Quem*, ex Aristot. 6. *Physic. text.*7. *&* 32. Sed Angelus non potest esse partim in termino *à Quo*; partim in termino *ad Quem*, quia non habet partes: Ergo.

35 RESPONDET S. Doct. Maiorem esse ex omni parte veram in mobili quanto, super magnitudinem ad formam extensam; at verò in Angelo saluari propositionem, ratione magnitudinis, seu spatij, quod percurritur. Et sic Angelus est partim in termino *à Quo*, idest obtinet partem spatij, termino *à Quo* affini; partim est in termino *ad Quem*, quia ad spatium illud accessit, quod est affine termino *ad Quem*. Et hoc spatium occupat Angelus, vt dixi, quia extensus est virtute, licèt formaliter indiuisibilis. Eandem responsionem assumit Scotus *loco cit.* §. *Ad tertium principale*, & Faber *num.*19. Suarez *num.*12. Vasq. *num.*25. Valentia *puncto* 2. Tanner. *num.*8. Morand. cum D. Thom. *ad primum*. Igitur successio ad continuationem motus, potest venire è spatio, etsi mobile sit indiuisibile.

OBIICIES secundò. Indiuisibile non acquiritur motu continuo; sed mutatione instantanea. Sed *Vbi* Angeli est indiuisibile,sicuti & ipse Angelus, in quo est: Ergo.

36 Respondetur ex dictis *disp.*9. *quæst.*2.In fine, *Vbi* Angeli esse diuisibile.

OBIICIES tertiò. Si Angelus ponatur in puncto, non magis poterit moueri, quàm punctum. Sed hoc nequit moueri, ex Arist. 6. *Physic. text.*7.*&* 32. Ergo.

Respondet S. Doct. *quæst.*2. *huius articuli*, *ad* 2. Primò, Aristotelem loqui de impartibili quantitatis, quod situ impartibili situatur; hoc enim non potest moueri supra magnitudinem; quia si mouetur,mouetur ad acquirendum situm,& quod acquiritur, per motum acquiritur; ità vt pars post partem acquiratur; & ideò verum est, quod tale impartibile nequit moueri supra magnitudinem. Sed Angelus est ità impartibilis, vt non habeat situm in quantitate impartibiliter; sed ex suæ perfectione substantiæ potest extendi ad magnitudinem. Ità respondet etiam Scotus, & Faber, *loco adducto*.

RESPONDENT alij, quòd si Angelus semper 37 esset in puncto, adhuc posset moueri continuò, quia posset moueri per puncta illa, sibi succedentia continuè; sicut sphæra, quæ continuâ latione fertur super planum, tangens in puncto, & describens lineam vnam ex infinitis, quæ sunt in potentia. Ità respondet Scotus *loco cit.* Faber, Vasq. *cap.*6. Attinus *tom.*1.*princ.*1.*coroll.*46.*dub.*4.Tanner. *n.*9. At Seraphicus *quæst.*2. *ad vlt.* his non omninò assentitur.

OBIICIES quartò. Successio in motu venit ex resistentia, vel mobilis ad motorem, vel medij ad mobile, vel medij ad motorem; sed nulla talis resistentia est in re nostra: non enim medium resistit Angelo, neque vt motori, neque vt mobili, quia medium est corpus: Angelus est spiritus: Neque mobile resistit sibimet mouenti: Ergo nulla est resistentia: Ergo nulla successio. Probatur hæc consequentia simul cum primâ Maiore ex Aristot. 4. *Physic. text.* 66. vbi motum in vacuo fieri posse negat, quia nulla est ibi resistentia. Sed non magis resistit aër Angelo, quàm vacuum corpori: Ergo, sicut in vacuo nequit corpus moueri continuè; ità nec Angelus per aërem.

RESPONDET D. Bonauent. *ad* 2. quòd id dicitur intelligendo per vacuum, priuationem aeris, 38 vel similis corporis implentis; similiter & priuationem distantiæ, ità vt si nihil ibi esset,tunc non esset ibi motus, quo sensu videtur locutus Aristoteles: At verò dato vacuo intra aliquam distantiam,puta intra orbem Lunæ,esset etiam ibi propè, & longè; & consequenter elongatio, & approximatio. Iam verò medium, comparatum ad Angelum, facit distantiam inter extrema; ideo sufficit ad successionem, a [illegible]dita finitate mobilis, & virtutis mouentis, quæ est in Angelo, qui, licèt sit indiuisibilis; tamen habet esse in maiori, vel minori distantia, etiam dato, quòd in indiuisibili poneretur more puncti: nam mediabunt partes diuisibiles spatij, & priùs pertransibit vnam partem spatij; deinde aliam. Ità respondet & Faber *Theor. de motu in vacuo*, & *hîc*, *num.*20.

ASSERO secundò, non potest Angelus moueri 39 localiter, motu discreto.

PROBATVR à Rada *loco cit. argumento Seraphici vltimo fundamentali.* De ratione intrinseca motus est successio, & continuitas, iuxta Aristot. 6.*Physic.* Est enim motus de genere continuorum successiuorum: Quod satis ex definitione Temporis ab Aristot. tradita,4. *Physic. cap.*10. colligitur: *Est enim mensura motus secundum prius, & posterius.* Sed mensura est successiua: Ergo & mensuratum: quia mensura, & mensuratum debent esse homogenea: Ergo, si Tempus,quod est mensura motus, est successiuum, erit similiter & motus. Repugnat ergo alicui rationem motus conuenire,cui tempore mensurari repugnet, atque successio.

40 Respondet Morandus *num.*702. neglecto antecedente, negando consequens: erit enim motus, licèt non adeò rigorosè propter defectum successionis: Erit enim deperditio vnius loci, & acquisitio continua alterius, quia ex pluribus partibus; in quo imitatur motum localem rigorosè dictum; sed simultaneè, in quo deficiet ab eodem, sicuti potest dari alteratio instantanea, in qua producatur qualitas diuisibilis, quo casu vtique est productio continua; sed non successiua.

Contrà instat S. Doct. quia verus, & proprius motus est successiuus, vt ostendi. Motus autem localis inter omnes est motus propriissimus: Vnde, si desit conditio successionis, vt ostendi, requisita, non erit motus. Deinde *quæst.*4. id refellam.

Obiiciunt Tannerus, Morandus, & alij. Potest Angelus simul totum spatium deserere, in quo est; & aliud acquirere, neque est inuenire repugnantiam, maximè si attendatur Angelorum velocitas. Sed hic est motus discretus: Ergo.

41 Respondetur, negando maiorem, vt dixi: quia vt ait S. Doct. *ad* 4. licèt Angelus se totum transferat, quia indiuisibilis; non tamen se transfert super totum spatium, quod est extensum; vt dixi. Sed hoc ex professo, *sequenti quæstione* volo discutere.

QVÆSTIO IV.

An possit Angelvs *moueri locali motu in instanti.*

D.Bonau.1.d.37.q.vlt.
D.Thom.q.53.art.3.

Motvm Angelorum localem esse velocissimum habeo ex Patribus allatis *q.*1. qui ideò eos comparant Pernicibus volantibus; & addunt, posse momento esse vbique, nempè quasi moraliter. Ratio sumitur à natura, quæ perfectissima est, atque adeò potentiis, etiam motiuâ facultate perfectissimâ prædita. Sumitur ratio etiam ex habitudine Angeli ad medium, à quo non inuenit repugnantiam.

42 Svppono autem, motum continuum Angeli fieri non posse in instanti. Ità S. Doctor *hîc*, & D. Thom. & est certa omnium Doctorum sententia; neque de hoc est controuersia. Quod verò dicebat Morandus *quæstione præcedenti*, *in fine*, posse esse motum continuum; non successiuum, implicat: nam quantum diuiditur adæquatè in permanens, & successiuum. Quare si motus Angeli non est permanens quantitas; sed intrinsecè dicit mutationem, vt ibi fatetur Morandus; non potest negare illi esse successiuum. Esset enim ponere illum sub vno genere, & illi negare illudmet genus: sicuti, si diceres. Illa est substantia corporea; sed non est corpus: vel est corpus animatum; sed non viuens.

Neque est controuersia de motu, qui fit intra spatium adæquatum Angeli per ipsum medium.

43 Prima opinio est, motum Angeli ab vno loco in alium locum, ità distantem, vt cùm suo spatio excedat locum adæquatum eiusdem, fieri posse in instanti: Et est Alberti *in* 1. *dist.* 37. *art.*23. *&* 14. Henrici *quodl.*13. *quæst.*7. Arimin. *in* 2. *dist.*6. *q.*3. Maioris *art.*2. *disp.*2. *q.*12. Marsilij 1. *q.*7. Hybernici apud Ariminensem.

Secvnda sententia est cæterorum Scholasticorum, id negantium. Sic D.Bonau. *hîc*, D.Thom. *hîc*, vbi omnes Thomistæ. Richard. 1. *dist.*37. *art.*3. *quæst.*3. Ægid. *p.*2. *quæst.*3. Scotus 2. *dist.*2. *quæst.*11. Gabr. *quæst.*3. *art.*3. Capreol. 2. *dist.*6. *quæst.*1. *art.*1. Ferrar. 3. *contra Gent. cap.*102. Valentia *quæst.*4. *p.*2. Molina *quæst.*53. *art.*3. Vasq. *disp.*197. *cap.*2. Suarez *lib.*4. *cap.*21. Tanner. *disput.*5. *quæst.*2. *dub.*8. Faber *disp.*21. Rada *controuers.*7. *art.*4. Arriaga *disp.*17. *sect.*3. Caspens. *disp.*5. *sect.*3. Fuliens. *lib.*3. *cap.*2.

An verò possit Angelus transire de vno loco ad alium contiguum, seu immediatum, motu discreto instantaneo. Asserunt Scotus 2. *distinct.* 2. *quæst.*11. & omnes Scotistæ. Ferrar. 3. *contra Gent. cap.*102. quos sequuntur omnes ferè Recentes. Molina *loco cit.* Arrubal *disp.*162. *cap.*1. Auersa *sect.*5. Granado, Præposit. Arriaga *disp. cit. sect.*5. Morandus *quæst.*16. Vasq. *disp.*197. *cap.*4. Suarez *lib.*4. *cap.*21. Albertin. *tom.*1. *corrol.*16. *p.*1. Tanner. *disp.*5. *quæst.*2. *dub.*8. Bauduuius *quæst.*47. Caspensis *disp.*5. *sect.*3. Idem sentiunt multò magis Nominales, & alij, *primo loco* relati, atque Albert. & Hybernicus. Ex authoribus etiam secundæ sententiæ Gabr. *quæst.*3. *art.*3. & alij, mox adducti. Hi omnes dicunt, motum localem Angeli discretum vnicum, adeoque non compositum ex pluribus *mutatis esse* eiusdem motus, fieri in instanti. Hunc verò non dici propriè motum aduertit Rada *controuers.*7. *art.*4. vbi latè opinionem Scoti amplectitur, & explicat.

Oppositum è diametro asserunt cum D. Thoma *hîc*, Thomistæ, & Gregorius de Valentia *quæst.*4. *puncto* 2. Arriaga *disp.*17. *sect.*3. & alij.

Enim verò, omnem motum localem, & omnem acquisitionem loci esse in tempore, censet D. Bonauent. *hîc*, Richard. & alij allegati *q.*3. negantes, omnem motum Angeli discretum. 44

Assero primò, omnem motum ad locum, distantem extra spatium Angelo adæquatum, fieri in tempore.

Probatvr à D. Bonauent. *fundamento* 2. quo nituntur Scotus *loco cit.* Faber *num.*10. Richard. *loco cit.* Suarez, & Vasq. *num.*5. Tanner. *num.*10. & est demonstratio. Si Angelus in instanti pertransit ab extremo per medium, superans locum Angeli adæquatum, sequitur esse simul in toto medio, & in extremis. Ergo non mouetur per medium; imò extra locum adæquatum, vel in pluribus locis adæquatis simul constituitur. Imò sequitur esse simul; & non esse in termino *ad Quem*, quod est contra rationem transitus per medium: particula enim (*per*) significat aliquam prioritatem. 45

Respondet Gregorius, & Maior, non posse Angelum permanenter esse in loco, maiori maximo, posse tamen transeunter.

Contrà: nam, si etiam transeunter est in omnibus illis locis; sequitur aliud implicans, quod non moueatur, vt indicat S. Doct. *fundam.*2. & post eum Suarez, & Vasq *num.*6. 46

Secvndò: quia, vt notat Suarez ex D.Bonau. *loco cit.* existentia Angeli in loco adæquato non est res, de se transiens; sed permanens. Itaque si acquirit illum locum totum in instanti, potest in eo permanere. Itaque etiam permanenter habebit loca plurima adæquata simul; non enim, dum mouetur extendit alas (vt crassiori loquar Minerua) deinde, dum sistit, contrahit se ad minorem locum restringens. Vnde responsio ludit.

Respondent aliqui ad hanc rationem, particulam (*per*) cùm dicimus per medium, non successionem 47

sionem durationis, sed ordinem aliquem causæ denotare; & ita, etiamsi Angelus non sit priùs duratione in medio, quàm in fine, & extremo spatij, dici nihilominus moueri per medium; quia existentia in medio habet rationem causæ, respectu existentiæ in extremo: velutí Sol dicitur illuminare aquam per aërem; non quia priùs duratione aër illuminetur, quàm aqua; sed quia hoc ordine Lux solis illuminat corpora diaphana, vt per modum causæ priùs illuminet medium, quam extremum, ex D.August. *lib.5 respons.*

Hanc opinionem ait Vasquez subtilem, eamque resoluit, negando paritatem. Optimè autem Seraphicus Doctor *hic*, ante Vasq. *num.7.* & Suarez *cap.22. num.3.* sibi hoc obiecit, & assignauit duplicem solutionem. Prior est, negando, corpus luminosum eodem instanti diffundere radios ad loca propinqua, & ad remota; sed repentè, seu breuissimo tempore; tametsi videantur sensu in instanti diffundi. Et hoc sensu ait locutum D. Augustinum.

48 Respondet secundò, radiationem non fieri per motum localem; sed per diffusionem, quæ est generatio, sicut generatur Idolum ab obiecto; & quia Lux, simul ac est, lucet; simul cùm est, generat splendorem; & ità in eodem instanti in subiecto disposito: At mobile per locum debet transire de extremo, & illud deserere, & excurrere per medium, & pergere ad terminum, recipiendo in seipso motum, secundùm locum; & si mouetur in instanti, debet in eodem indiuisibili esse in maiori se, v.g. corpus pedale, vel Angelus habens pro loco adæquato cubitum, debet esse in quantitate excedente suam capacitatem, quod non potest esse, nisi Deus idem corpus, quasi replicatum ponat in diuersis distantiis. Tunc autem non mouetur de vno loco in alium, vt patet. Hoc responsum sibi adscribit Vasquez, qui ait, ostendere, id neque per Dei potentiam

49 fieri posse. At Faber *disp.22. conclus.4.* ait, hoc non probari; quia, sicuti Deus potest facere idem corpus in pluribus locis; ita potest facere, idem moueri ab extremo ad extremum in instanti. Enim verò non est par ratio: quia in motu includitur intrinsecè recessus à termino ad terminum, qui tollitur illo transitu instantaneo, dum simul ponitur in extremis, & in medio; at collocatio in pluribus locis non est per motum; sed per replicatas præsentias in ordine ad locum, quæ cùm sint accidentia quantitati, possunt replicari, vt ostendam *tract 5.disp.11.quæst.3.*

50 Assero secundò, nullatenus motum localem Angeli obtinere mutationem loci in instanti.

Probatur primò à D. Bonauent. *fundam.1. quæst.3.* & *fundam.2.quæst.2.* & D.Thom. *in corpore.* Angelus in vno instanti est in termino *à Quo*, & non mouetur in eo: in alio verò est in termino *ad Quem*, neque in eo mouetur: Ergo mouetur necessariò in spatio intermedio, quod est tempus. Antecedens probatur à D. Thom. quia Angelus quiescens in vno loco per aliquod tempus, necessariò in illo quiescit vsque ad instans terminatiuum illius temporis: quies enim definit per vltimum sui non esse ex Aristotele *6. Physic. text.31.* vbi ait, *Illud quiescere, quod eodem modo se habet nunc, & priùs, quod verificatur vsque ad vltimum instans quietis.* Ergo motus Angeli nequit esse in

51 instanti. Probatur, quia motus etiam in Angelo succedit quieti: non potest autem instans immediatè succedere instanti: Ergo nec motus Angeli, cùm succedat quieti, potest esse in instanti. Hinc etiam patet prima consequentia, quia operationes Angeli, vt suppono, mensurantur tempore, vel saltem coëxistunt nostro tempori, in quo vnum instans mediatur tempore; & ità, dum Angelus manet, vel mouetur localiter, vt tenent SS. Doctores, & post eos Vasquez *disp.36. cap.1.* & *disp.198. cap.4.* & mox ostendam, ad retundendas responsiones Suarez *ad secundum argumentum*; tempus mensurat, vel coëxistit illi motui, & quieti; Tametsi existentia Angeli æuo mensuretur, de quo egi *tract.1.disp.9.quæst.4.*

Contra hanc rationem arguit Scotus *quæst.11.* 52 & Faber *num.2.* Rada *conclus.1.* Si omne, quod per aliquod tempus quiescit, in quocumque instanti illius temporis se haberet eodem modo, & sic in vltimo etiam instanti quiesceret; sequeretur, in vltimo instanti prolationis verborum consecrationis non esse ibi corpus Christi; sed panem, quod est erroneum. Probatur sequela, quia illa forma panis quiescit sub illis speciebus toto tempore, quo verba consecrationis proferuntur.

Secundò sequeretur, quòd aër in vltimo instanti illuminationis esset tenebrosus. Probatur, quia in toto tempore præcedenti fuit sub tenebris, & eodem modo se habuit: Ergo & in vltimo instanti erit eodem modo; & sic illuminatio non fiet in instanti.

Respondetur, propositionem illam veram esse 53 de veris motibus naturalibus: at transubstantiatiò nec est motus, sed mutatio substantialis; nec est naturalis, ideò in instanti fit, vt docet D. Bonauent. *in 4 dist.11. quæst.5.* & indicat *hic*, *in fine corporis.*

Ad illud de illuminatione respondet D. Bonau. *ad primum*, in irradiatione esse aliquam successionem; tametsi vix perceptibilem.

Respondet secundò, vt suprà, illuminationem in- 54 stantaneam esse, quia est generatio ad modum, quo generatur etiam idolum ab obiecto. Et quia Lux simul est, & lucet, simul etiam generat splendorem in eodem instanti. Et de his loquitur Aristot. *5. Physic. text.7. primo Physic. text.23.* & *6. Physic. text.32. octauo Physic. text.23. vndecimo Metaph. cap.10.* D.Thom. *quodl.11.quæst.3.art.4.* D. Bonau. *loco cit. in quarto.* mutationes autem omnes sunt termini motus successiui; sicut generatio est terminus alterationis: At motus localis Angeli non est terminus alterius motus; sed per se fit: Ergo non est mutatio instantanea; sed successiua. Neque benè respondet Faber, hoc esse per accidens, vt ostendam *argumento 3.* Motus autem localis ha- 55 bet totum suum esse successiuum, vnde in instanti nequit intrinsecè incipere. Sicut igitur transubstantiatio non est motus, ità nec mansio panis est propriè quies. Per hæc patet ad Fabrum.

Arguit secundò Faber *num.6.* ex Scoto. Si illa propositio adducta à D. Thom. esset vera, sequeretur, quòd Angelus quiescens in aliquo *Vbi*, nunquam posset moueri de illo *Vbi* ad aliud *Vbi*. Probatur sequela. Pono Angelum vnâ horâ quiescere: quæro, vel in vltimo instanti illius horæ incipit moueri in sequenti immediatè, vel in alio sequenti mediatè: non in instanti immediato, quia non dantur duo instantia immediata in successione; alioqui componeretur tempus ex instantibus. Ergo in instanti mediato; inter illud autem instans, quod est finis horæ, à quo supponimus incipere motum: & instans sequens, mediat tempus. Ergo toto illo tempore, quo supponis moueri

moueri, quiesceret, quia incipit moueri solùm in instanti sequenti.

56 Respondetvr facilè, motum, & ea, quæ per motum habent esse, incipere extrinsecè per vltimum sui non esse; & desinere etiam extrinsecè per primum sui non esse: quo fit, vt nulla pars motus fiat in instanti, sed incipiat aliquid motus, & aliquid formæ acquisitæ solùm in tempore. Vnde nec datur primum, & vltimum in motu, dum factus est, sed solùm, dum fit; neque enim motus fit in instanti. Incipit igitur motus ab instanti vltimo horæ, vt dixi, in quo tamen mobile se habet intrinsecè eodem modo, ac priùs, quia illud instans est extrinsecum: incipit enim motus in instanti extrinseco per vltimum sui non esse. Idem pariformiter dicendum de quiete; vnde 6. *Physic. text.* 31. dicitur, illud quiescere, quod eodem modo se habet nunc, & priùs, quod verificatur vsque ad vltimum instans quietis, vt notat Suarez *cap.* 21. *num.* 11.

57 Eandem rationem conatur euertere Suarez. Et primò quidem concesso, quod quies in corporibus duret vsque ad vltimum instans existentiæ mobilis in termino *à Quo*, negat, in Angelo id necessarium; quia potest in instanti totum aliquem locum acquirere; & ità illud idem primum instans, potest esse primum non esse quietis in priori loco. Solùm ergo quando Angelus, post quietem in vno loco, vult transire successiuè ad alium, necesse est, vt quies in præcedenti loco duret vsque ad aliquod vltimum instans. Eodem medio eam impugnant Tannerus *num.* 19. & alij.

58 At, licèt Angelus indiuisibilis incipiat totus esse in vno spatio, non tamen incipit esse totaliter, neque totum illud acquirit vno instanti; sed per partes, ex parte spatij, quod cùm sit diuisibile, non capitur totum simul, vt aduertit S. Bonauent. *ad* 4. & suprà ostendi.

Respondet Suarez secundò, *num.* 12. Esto, quietem Angeli desinere per vltimum sui esse, negat consequentiam: quia post vltimum instans quietis, potest immediatè sequi mutatio, seu acquisitio alterius loci, facta in instanti, quia in Angelo possunt dari duo instantia immediata, licèt secundùm coëxistentiam ad nostrum tempus necesse sit, vt, si illud instans Angelicum, quod est vltimum quietis, coëxistit intrinsecè instanti nostri temporis; aliud, in quo primo acquiritur alius locus, coëxistat tempori nostro, quod immediatè sequitur post instans.

59 Enim verò tempus nostrum metitur etiam operationes Angelorum, quo fit, vt frustrà admittatur vnum instans post aliud in eadem numero actione, vt notat Vasq, *disp.* 36. *cap.* 1. cum D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 37. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad primum*, vbi id probat ex D. August. 8. *de Genes. ad litt. cap.* 21. & ad Orosium *quæst.* 40. & dicam *quæst.* 5. *ad secundum argumentum*, vbi S. Augustinus refertur dicens: *Deus mouet creaturam spiritualem per tempora.*

60 Neqve adducatur contra S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 11. *p.* 1. *art.* 1. *quæst.* 5. vbi duo instantia admittit contigua in transubstantiatione panis in corpus Christi; ibi enim sunt duæ mutationes disparatæ, diuersis numeratæ mensuris.

Vasqvez *ad argumentum* negat, *cap.* 2. de ratione quietis esse, habere vltimum esse, non enim implicat aliquod mobile sub aliqua forma esse per tempus, & desinere esse sub illa per primum non esse; & per primum esse, sub forma existere sequenti, atque vt idem instans sit primum esse formæ sequentis; & primum non esse præcedentis, vt in tenebris, & illuminatione fit: Ergo quies non postulat terminari vltimo esse; & proinde non repugnat, Angelum esse in vno loco per tempus vsque ad primum non esse, in quo per primum esse incipiat in alio esse loco.

Hæc responsio iam elisa est. Concedit enim, omnem quietem, quæ præcedit motum successiuum, durare per tempus, & habere vltimum esse in quodam vltimo instanti, & hoc sufficit: nam motus localis, omnisque motus proprius est successiuus, vt suprà dictum est. 61

Probatvr secundò nostra assertio à D. Bonauent. *fundam.* 3. ex Aristot. 6. *Physic. text.* 13. Si tanta virtus mouet in tanto tempore; etiam maior in minori, & maxima in breuissimo, & infinita in instanti. Ergo secundùm maiorem virtutis perfectionem velocior est motus: Sed instans excedit tempus improportionabiliter: Ergo virtus, quæ mouet in instanti superexcedit illam, quæ mouet in tempore in infinitum: Sed nulla virtus creata excedit aliam in infinitum; & virtus Angelica est creata: Ergo cùm omnis motus localis creatus sit successiuus, talis erit etiam motus Angeli.

Quòd si Aristoteles apud Gabrielem, Vasq. *cap.* 3. vt deduceret ad absurdum dicentes, totam motûs successionem esse è resistentia medij; intulit, admisso vacuo, futurum motum in instanti: Hoc ideò intulit, quia motui, vel acquisitioni locali vidit repugnare, fieri in instanti à virtute finita. Quod si latitudo spatij non obest; iam poterit percurri spatium infinitum in instanti. Ex his ruit Arriagæ responsio, negantis vim illationis virtutis infinitæ. 62

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *fundamento vltimo.* Si Angelus acquireret locum in instanti, sequeretur motum localem non esse motum; sed mutationem: Ergo hæc erit generatio, vel corruptio ad quas reducitur etiam illuminatio, vt notat S. Doct. *ad argumenta.* Hæc est doctrina Aristotelis 3. *Physic.* passim. Et 5. *Physic. text.* 7. & 9. 63

Obiicies primò cum Scoto. Quòd terminus motus non statim inducatur, oritur ex imperfectione agentis, quæ imperfectio non est in Angelo. Eodem arguunt Faber, & Rada.

Respondet S. Doct. *in corpore*, & *fundamentis*; hoc oriri ex finitate virtutis motiuæ Angeli, neque enim semper imperfectio in eo genere actionis facit successionem; nam corpus mouetur successiuè, non quia imperfectè moueatur; sed quia mouetur quantitatiua mole onustum, & per spatium quantum, quæ singula exigunt successionem ex natura in suo genere perfectâ. 64

Obiicies secundò. Aliqui motus fiunt in instanti, vt illuminatio. Ergo magis fiet adeptio loci ab Angelo, qui est maioris virtutis, quàm à Sole, & sine aliqua medij resistentia.

Respondetvr ex dictis suprà, illuminationem fieri in instanti, quatenus generatio est luminis; sed successiuè, tametsi ocyùs, vt est emissio radiorum. 65

Obiicies tertiò. Omne indiuisibile acquiritur in instanti. *Vbi* Angelicum est indiuisibile: Ergo. Quod si dicas, esse diuisibile, cùm sit in Angelo tanquam in subiecto, erit & Angelus diuisibilis: eò magis, quòd fuit subiectum motus diuisibilis.

Responde

66 Respondetur ex dictis *disp.9.quæst.2.in fine*, hunc modum *Vbi* Angelici, licet ex parte subiecti indiuisibilis sit; nihilominus per habitudinem ad spatium, siue locum extrinsecum, esse diuisibilem. Ità & Suarez.

Hoc responsum demiratur Vasquez *disp.188. cap.7.num.*30.quòd spiritualia,modo corporeorum, solummodò capiat. Dicit igitur, illum modum esse formaliter indiuisibilem; sicut modus animæ rationalis, dum vnitur corpori,est indiuisibilis, tamen facit eam vniri corpori diuisibili.Quæ doctrina videtur D.Bonauent. *hic*, ad argumentum adductum, quod est quintum, & *in 2.dist.2.p.2.quæst.3. in corp.re.*

67 Suarez, qui hanc quæstionem pertractat 3. *p. tom.3.disp.48.sect.1.* & *in Metaph. disp.51. num.36.* & *disp.30. a num.49.* & *lib.4. de Angelis, cap.17.* modestissimè sic suum tuetur responsum. Non erubescô confiteri ingenij mei tarditatem, cùm enim idem iudicium feratur de Angelo, & de Anima; Animæ verò ad corpus vnio possit amitti secundùm partes; vt, cùm truncatur manus; tunc enim fit aliqua mutatio in anima, non quoad substantiam; sed quoad modum vnionis; sequitur eam habere partes: Cur ergo & Angelus non eâdem Philosophiâ dicatur esse capax modi diuisibilis? Similiter vnio animæ ad corpus successiuè acquiritur, vt constat in puerulo, qui fit proceræ magnitudinis per augmentationem. Sic igitur Angelus potest deperdere partes spatij, & loci, in quo est, & aliquantulum recedere, ac partem aliam acquirere.

68 Hac comparatione, Seraphicus Doctor 2. *dist.2. p.2.art.2.quæst.3.* & *in 1.dist.37.* passim philosophatur *de Vbi*, & *Motu* Angeli, & animæ. Negat quidem *in secundo loco*, adducto pro Vasquez, *Vbi* Angelicum esse subiecto diuisibile; attamen in ordine ad spatium illud admittit diuisibile, & ait, declinare à modo existendi Dei in loco: *hic* verò *ad quintum* concedit, accidens diuisibile transiens, posse esse in Angelo indiuisibili; non autem accidens, quod habet partes actu: sicut enim (ait) duratio successiua potest esse in Angelo secundùm quod manet, eò quòd de illa non est, nisi nunc; ità motus successiuus potest esse in eo, secundùm quod fertur.

Non tamen negat *Vbi* permanens diuisibile in Angelo, quia non ponit formalem diuisibilitatem *Vbi* in esse subiectiuo; sed tantùm in ordine ad spatium; in subiecto autem ponit diuisibilitatem virtualem. Tales sunt, & Angelus, & Anima.

QVÆSTIO V.

An possit Angelvs *transire de loco ad locum, absque transitu per medium.*

D.Bonau.in 1.dist.37. p.2.art.2.q.2.
D.Thom. q.53.art.2.

PRIMA opinio censet, posse omninò Angelum transire, motu discreto, de vno loco ad alium remotum, puta de cœlo ad terram, absque transitu per medium, puta aërem. Ità D. Thom. *hic*, vbi Caietanus, Serra, Bannes *disp.2.* Zumel. *q.3.* Nazarius *controu.1.* Vasq. *disp.196.cap.2.* Zanardus *art.2.* Ioan. de S.Thoma *disp.20. art.4.* & Salmaticenses *ibid.* Lezana *tract.6.disp.6.quæst.4.*

Fuit verò Heruæi *in 1. dist.37. quæst.1. art.2.* & *tract.de motu Angeli, quæst.1. 3.* & *4.* Marsilij *in 2. quæst.7. art.3.* Carthus. *in 1.dist.37.quæst.4.* Capreol. *2.dist.6. quæst.1.art.1.* Hispal *.disp.6. quæst.2.* Ferrar. *3. contra Gent. cap.102.* Inclinant Henricus *quod l.4. quæst.17.* Arimin. *2.dist.6. quæst.3.art.1.* eamque probabilem censet Suar. *lib.4.de Ang.cap.18.* Caspensis verò *disp.5. sect.5.* id reducit saltem ad Dei potentiam. Baudunius autem *quæst.47.art.2.* ait, posse ità moueri per operationem, non per substantiam; sic vellet, nolentes, fœdere iungi. Sanè moueri localiter, non est moueri ab operatione ad operationem, vt ipse fatetur *quæst.47.art.1.in fine.* 69

Secvnda sententia opposita omninò negat, posse Angelum, motu discreto, seu indiuisibili, aut mutatione locali instantaneâ, transire de loco ad locum, absque transitu per medium. Sic Alensis *2.p. quæst.33. memb.2.* Albert. *1.dist.37. art.23.* D. Bonauent. *hic*, Richard. *art.3.quæst.2.* Ægid. *1.p. dist. art.2.* Henricus *quodl.13. quæst.7.* Hanc, inter antiquos Theologos, communiorem aiunt Richard. *loco cit.* & Suarez *lib.4. cap.19.* Eandem habuit Rubion *2.dist.2.quæst.5. art.vlt.* Ea multis aliis adscribitur, sed explicant, se loqui de loco distanti ab illo, ad quem fit transitus. Tuetur eam Fuliens. *lib.3. cap.2.*

Tertia sententia media distinguit duplex medium: aliud participans de extremis: & aliud non participans, quod ita à Scotistis explicatur. Dupliciter possunt designari Loca extrema: Aut enim hæc sunt inter se disiuncta, & dissita; vt inter ea sit aliquod spatium medium, non compactum ex eisdem extremis, vt est orbis elementorum; nam à sphœra ignis veniens ad terram, inuenit medium ab extremis distinctum, idest aërem. Simile est in vlna trium palmorum, in qua palmus medius distinguit duos extremos. Secundò, aut loca sunt inter se coniuncta, ità, vt non detur inter ea aliud medium, nisi compactum ex illis extremis; vt si vlna sit duorum palmorum, potest in medio assignari palmus, sed participans de extremis è semipalmo vnius, & semipalmo alterius cum vtrisque communicans. Quo pacto non solus ille palmus medius communicans designari poterit, sed plures, & plures in infinitum; sicut dici solet de partibus cõmunicantibus quantitatis.Inter hæc autem duo genera mediorum hoc est discrimen, quòd communicans, cùm fiat per diuisionem, secundùm partes proportionales, non actu mediat; sed potentiâ. Secundum verò actu mediat, quia designatur per partes æquales non communicantes, facitque actu latera distare. Igitur hæc sententia sic habet, Angelum transeuntem ab extremo ad extremum, intermediatum medio, distincto ab extremis non communicante, necessariò transire per medium; non autem si transeat ab extremo ad aliud extremum contiguum. Hæc est opinio Scoti 2. *dist.* 2. *quæst.* 12. quem sequitur Schola. Lichetus, Maior *ibi*, *q.13.* Rada *tom.2. controu.7. art.5.* Brancasius *disp.6. q.4.* Faber *disp.22.* Vulpes *d.19.art.vlt.* Poncius *disp.14. quæst.4.* & Recentiores plurimi, Becanus *tract. 3. cap.1.quæst.6.* Auersa *quæst.53.sect.4.* Amicus *disp.6. sect.4.* Molina *quæst.53.art.2.* Granad. *disp.4.* Suarez *lib.4.cap.19.* Arriaga *disp.17. sect.1. subsect.2.* Morand. *quæst.15.* Arrubalem adducens, Auersam, & alios. Albertinus *tom.1. princ.1. corol.16. p.1.* Tannerus *disp.4.quæst.2.dub.7.* tametsi in assertione sibi contradicat. Idem sentit Valentia *quæst.4.p.1.* qui vna cum Tannero, & Albertino aduertit, etiam

The right-margin numbers 70 and 71 stand beside the lines "Tertia sententia media distinguit duplex me-" and "solet de partibus cõmunicantibus quantitatis.Inter" respectively.

D.Tho

D.Thomam esse pro hac sententia, quia de extremis solùm participantibus nititur probare, vt constat legenti rationem Angelici.

72 Hunc modum dicendi medium, omnes à Seraphico in corpore didicerunt, vt patet. Ibi enim difficultatem ponit, vbi medium interiacet, & dat exemplum transitus è Parisiis versus Romam. Enim verò aliud obstat, ne in hanc descendat sententiam, quia negat, motum discretum Angeli, vt vidimus suprà *quæst.3. & 4.* Fieri verò motum continuum necessariò per medium, vbique supponit. Motus enim continuus non est, si interrumpatur: continuitas enim motus huius à continuitate loci pendet ex 4. *Phys. text.99.* Id probat, *fund.3.* vt dicam.

Assero primo, non posse Angelum transire ab extremo ad extremum distans, absque transitu per medium, non participans de extremis.

73 Probatur primò à D.Bonau. ex Damasceno, *primo de fide, cap.17.*

Probatur secundò à S. D. Angelus, dum mouetur localiter, vel mouetur in termino *à Quo*, vel in termino *ad Quem*; vel *in medio*. Non in termino *à Quo*, quia adhuc quiescit: nec in termino *ad Quem*, quia iam motus transijt, & est in termino. Ergo mouetur *in medio*. Hoc argumentum probat, non moueri instantaneè vllo modo, vt dixi *quæst. præced.*

74 Probatur tertiò à S. D. Certum est, Angelum, existentem Parisiis, posse esse Romæ; & sanè per motum auolando approximatur semper magis ad vnum locum, quò magis ab alio recedit: Ergo per medium. Hoc tamen argumento solùm vult probare, transitum per medium esse in motu aliquo Angeli. Vnde Arist.6. *Phys. text.77.* ait: *Quod prius ad medium oportet peruenire id, quod fertur* & *l.5. text.22.* ait: *Inter duo extrema esse id, in quod aptum est natura peruenire id, quod mutatur. Quàm in quod vltimum mutatur.* Quæ omnia de loco contiguo, & distante æquè procedunt. Attamen si argumentum hoc fulciatur his, quæ implicitè includit, quæquè *in corpore* addit: quia intellectus nequit capere, quomodo Angelus Parisiis discedens, abeat Romam, & non transeat per medium, optimè infert. Ideò Suarez *num.17.* hoc vnum argumentum probabile acclamat, eoque nituntur cæteri authores secundæ, & tertiæ sententiæ. Concludit ergo S.

75 Doctor, primam sententiam esse reijciendam, quia inintelligibilis est, tametsi non neget, potuisse Deũ Angelis talem virtutem tribuere, quamvis mens nostra carnalis non satis id valeat comprehendere.

Respondet Vasquez *num.7.* facilè id percipi à se, quia cùm Angelus non vniatur loco ad modum corporis, sed modo illo, quem retuli *disp.9. q. 2.* ratione cuius secundariò in loco esse dicitur, potest Angelus voluntate sua huic corpori coniungi; & non alteri; Et ita coniungi extremo, etiamsi non vniatur medio. Idem intelligit, si dicamus, Angelum esse in loco per operationem, vel per applicationem ad operandum exterius. Et quod Angelo concedit; asserit etiam, fieri posse à corpore Christi in sanctissimo Sacramento, vt ratione modi indiuisibilis, quam habet ibi, moueri posset de extremo ad extremum, non per medium. Addit Vasquez, prudenter Ægidium, hoc argumento, tanquam inepto, non esse vsum; sed alios Recentiores, qui de spiritualibus Philosophantur ferè in omnibus, instar rerum corporalium, quibus necessarium erat sensibilia relinquere, & altiorem modum spiritualia inuestigandi adire.

76 Enim verò & Seraphicus hoc argumento vsus est, non adeò obtusus; non adeò crassus, vt à perspicaci Vasquio dicitur.

Et quidem, si firma essent omnia eius fundamenta, fateor, intelligi posset; at verò ea ruinosa esse, ostendi, *disp.9. quæst.2.*

Imò aduerto, præsentiam Angeli in loco non percipi, nisi Angelus ipse substantialiter adsit. Vnde arguo cum Tannero *num. 8. è D. Bonau. in corpore.* Minus est agere in distans, seu virtutem, & actionem suam transmittere in distans, sine transitu per medium, quàm suam substantiam ad locum distantem transferre: v. g. à cœlo ad terram, non transeundo per medium. Sed Angelus non potest agere in distans, nisi transmittendo suam virtutem per medium; vt ostendam *disp.11. q.6.* Ergo: Eundem modum mox refellam cum Arriaga.

Quod etiam dicit de sanctissimo corpore Christi, eodem modo refellitur, & eò magis, quò vnitur, & alligatur immediatè illis speciebus corporeis; vnde, sicuti Angelus custos Petri & assistens substantialiter, tenetur euntem Roma, Hierosolymam comitari, transeundo cum eo omnia media, ex suppositione, vt ostendit S. Doctor *in corpore*; ita & Corpus Christi, quamdiù est ibi in Sanctissimo, vbi adeò alligatur speciebus, vt eis desinentibus, cesset ibi esse, nec lato quidem vngue recedat. 77

Probatur quartò à D.Bonau. ratione, quam sumpsit Scotus *q.12.* Faber *num.16.* Mastrius *n.104.* & alij accurati Scotistæ. Ordo præfixus à supremo Agente, vt authore naturæ, est necessariò seruandus à quocunque inferiori agente, si operari tenetur iuxta ordinem naturalem. Sed à Deo, authore naturæ, præfixus est ordo, vt non deueniatur ab extremo ad extremum, nisi cum transitu per medium. Ergo talis ordo seruandus erit etiam ab Angelo in acquisitione loci distantis, tanquam ab agente inferiori. Major probatur à D.Bonau. nam ordo formarum naturalium succedentium sibi in generatione naturali determinatus est ab instituente naturam; & ideò, respectu cuiuscunque agentis naturalis, est necessarius. Mi: Probatur. Nullum agens naturale potest facere immediatè album ex nigro: acetum ex vino: carnem ex cibo, nisi prius transeat per medium, & fiat chylus, sanguis, &c. *ex libris de anima*, & 8. *Metaph.* & *aliis locis, suprà adductis.* Sic à Deo præfixus est ordo partium principalium vniuersi cuilibet agenti creato, & virtuti creatæ; atque adeò, cùm mouetur Angelus per corpora, non potest de quocunque *Vbi* transferri ad quodcunque *Vbi* immediatè. Tunc enim nulla distantia impediret actionem eius; atque adeò virtus eius non esset finita, nec haberet determinatam actiuitatis sphœram, quæ repugnant ordini vniuersi, & toti Philosophiæ. Hæc ratio, quæ ad litteram est S. Doctoris, adhibetur etiam à Suarez *cap.19.* Amico *sect.4. num.48.* Arriaga *l.c.* Tannero *num. 10.* & aliis. 78 79

Ex hac doctrina arguit Arriaga contra Vasquez suprà, vbi dicebat facilè percipi, quo pacto Angelus valeat ab extremo ad extremum transire, sine transitu per medium, quia Angelus est in loco per vnionem voluntariam cum eo, & ità potest ad libitum vniri huic statuæ Brixiæ, & alteri Romæ, absque eo, quòd se coniungat aliis corporibus mediis.

Contrà. Igitur poterit Angelus coniungere se stellæ Azimech cum nodo Piscium firmamenti, absque eo, quòd vniatur mediis stellis; & ita totum mundum ferè suâ sphœrâ actiuitatis peruadere, quod est creditu difficilius cæteris. 80

Addit

Addit tamen Arriaga, nostrum argumentum esse inane. Tum quia existentia Angeli in loco non pendet ab existentia vniuersi; vnde in vacuo esset eadem difficultas: Tum quia non turbaretur ordo vniuersi, transeunte, hoc modo, Angelo.

At verò argumentum iam ostendit, Angelum hoc ordine teneri, & esse de ratione vniuersi, quod è partium enumeratione comprobaui.

81 Eodem fere modo rationem impugnant Caietanus *hic*, Suar. *num.*2. Vasq. 13. dicentes, talem ordinem ex natura rei non haberi, neque ex libera Dei voluntate, quæ sine reuelatione temerè asseritur: Ideò gratis poni; vel argumentum petere principium, dum assumitur id, quod in quæstionem vertitur, & negatur; nempè Angelum alligari legibus corporum.

At S. Doctor iam ostendit, Angelum alligari legibus definitiuis loci, quippè substantia finita cùm sit, determinatum *Vbi*, & determinatam sortitur virtutem; & si eo modo, quo volunt aduersarij, Angelus moueretur, iam nullam finitatis limitationem agnosceret. Hic igitur ordo præfixus est, attentis rerum naturis, vt exemplis declaraui. Et si Angelos non videamus hunc ordinem seruantes; tamen optimè discurrimus ex his quæ videmus, idem seruari in his, quæ non videmus, quando non habemus de eis aliud fundamentum, vt cautè

82 obseruat Arriaga *num.*14. Prætereà ex dæmonibus obsidentibus, exorcismo coactis, habemus, eos in tempore sua peragere itinera; sunt autem & ipsi in naturalibus integri. Itaque, esto potuerit Deus Angelis hanc virtutem conferre; tamen, quamdiu non suppetit nobis fundamentum, non debemus tanta difficultate hoc concessum asserere, vt ait Mastrius *num.*107. cum D. Bonau. *in corpore*.

Confirmatur; si enim Deus à stella aliqua auferret quantitatem, quis negabit, eam, gyrantem ab oriente ad occidentem, transire per meridianum? Confirmatur à Valentia, ratione D. Bonauent. *quæst. vlt. dist.* 37. *ad* 2. nam ideò defenditur; Christum incipere esse de nouo in Sacramento, & non pertransisse medium, quod est à cœlo vsque ad terram, quia nec deserit locum, vbi erat in cœlo, nec in Sacramento incipit esse per approximationem, aut motum localem; sed per transubstantiationem panis in ipsum, supplente diuina potentia id, quod contulisset motus localis corporis Christi ad acquirendam præsentiam in Sacramenti loco, cùm motus non sit aliquid intrinsecum præsentiæ: Ergo cùm Angelus adsit in termino motus per approximationem, deserendo priorem locum, non potest naturaliter transilire medium locale.

Assero secundò, non posse Angelum transire ad extremum, non transeundo medium, etiam participans.

83 Probatur primò *argumento* 4. *D. Bonauent.* quo nititur Scotus, & asseclæ, ad hominem, contra ipsum, vt vidit etiam Vasquez, atque Scotistæ timent. Si ordo partium in medio seruandus est, ex præscripto authoris naturæ: Ergo multò prius seruandus est ordo in decursu per medium, participans de extremis; siquidem hic est ante illum.

Respondet Scotus, *loco cit.* & Mastrius *n.*108. & anteà Lichetus 2. *dist.*2. *quæst.*12. non esse validum de hoc argumentum; quia, dum Angelus transit de vno extremo ad aliud per medium non participans in instanti, habet omnia illa loca participantia, ordine quodam naturæ; tametsi, ordine durationis, illa non habeat, idest non habeat ipso motu per illa successiuè durante; quod si Angelus transiret de extremo ad extremum sine medio participante, & non participante, neque ordine durationis, neque naturæ, omnia illa loca intermedia haberet.

Sed fateor cum Vasquez, non satis explicari 84
mihi hanc diuersitatē. Quid enim aliud esse potest, habuisse omnia illa loca media, ordine naturæ, & non ordine durationis, quàm ita de extremo ad extremum transisse, ac si in illis reuera fuisset, & per illa transisset; hoc autem idem dici potest, etiamsi fieret transitus in medio non participante. Quare ratio Scoti contra ipsum rectè conuertitur; si enim ordo ille non obstat in extremis, habentibus medium communicans, neque obstabit in extremis, habentibus medium non communicans.

Respondet Rada *loco citato*, & Brancasius *num.*29. negando, hanc rationem oppugnare illam assertionem, quia in illa non conceditur absolutè, quod Angelus possit ab extremo ad extremum transire, quin transeat per medium; sed solùm, quod id potest absque transitu successiuo; vnde colligit, quòd Angelus, motu propriè dicto, non potest transire ab extremo ad extremum, nisi per medium, quocumque modo medium sumatur. Nec potest transire de vno extremo in alterum, etiam mutatione instantanea; 85
nisi transeat per media *Vbi*, ita vt, saltem priùs natura, transeat per media *Vbi*, quàm sit in extremo loco; quia, agentibus creatis, hic ordo est à suo auctore impositus; vnde mobile pertranseundo ab vno *vbi* immediatè, ad aliud *vbi* in instanti, habet omnia illa *vbi* ordine quodam naturæ. Ex quibus tandem deducit, quòd nullo modo potest Angelus transire ab extremo in extremum, quin transeat per medium, ita vt, vel ordine naturæ, vel durationis habeat illa *vbi* sic, vt sit prior naturâ in vno, quàm in alio; vel priùs tempore.

Verum hi Scotistæ sic recedunt à conclusione Scoti, in qua absolutè dixerat, motu indiuisibili posse Angelum pertransire ab extremo ad extremum immediatum, non transeundo per medium, quod est participans aliquid vtriusque extremi: nunc verò ad euitandam difficultatem dicunt, nullo modo posse Angelum transire ab extremo in extremum, quin transeat per medium, siue hoc sit participans, siue non participans, ità vt priùs esse debeat in medio, quàm sit in extremo, vel prioritate temporis, vel saltem naturæ, vt benè aduertit Mastrius *num.*108. 86

Ideò Faber *num.*6. sic resoluit, quòd Deus ordinauit, vt mobile transeat ab extremo ad extremum per medium. Potest verò dupliciter seruari hic ordo: Primò, vt mobile sit in medio, ordine naturæ. Secundò etiam ordine durationis: medium verò inter extrema potest esse, vel ex natura loci, quale est Lugdunum inter Parisios, & Mediolanum, & dicitur medium per participationem extremorum; vel non est naturâ loci, sed ratione motus. Talis est Brixia inter Bergomum, & Cremonam, non enim Brixia est inter eas vrbes media; sed potest esse media ratione motus, ei, qui vult Bergomo ire Cremonam, transeundo Brixia. Iam verò Angelus potest moueri Parisiis Mediolanum in instanti, 87

absque eo quòd sit Lugduni; quia licèt non seruet ordinem in hoc motu, existendo in medio, quod est Lugdunum, per aliquod tempus;
88 tamen seruat ordinem naturæ, existendo in illo medio, priùs ordine naturæ, quàm in extremo: At non potest moueri Bergomo Cremonam, transeundo Brixiâ in instanti, ità vt ordine durationis non sit priùs Brixiæ, quia tunc nullo modo seruaret ordinem præfixum à Deo in motu locali, inter illa extrema, & media. Non ordinem naturæ, quia, ex natura loci, Brixia non est media inter Bergomum, & Cremonam. Si ergo nec ordine durationis in hoc motu priùs esset Bergomi; deinde Brixiæ, & tandem Cremonæ, faceret transitum ab extremo ad extremum, absque eo, quòd transiret per medium, contra diuinam dispositionem. In transitu verò è Parisiis ad Mediolanum transiret Lugduno, ordine naturæ, licèt non ordine durationis. Hanc dicit esse Scoti solutionem.

89 Hæc tamen responsio est crassior; nec ad aures Doctoris subtilis (ait Mastrius *num.* 109.) nam medium non participans esse potest, siue inter extrema iaceat lineâ rectâ, siue non. Deinde ordinem eo modo institutum esse, gratis meditatur. Præterea, si talis ordo est ab authore naturæ institutus, multò decentius est seruari inter media ex naturâ locali, quam inter ea, quæ per arbitrium è transuerso conficiuntur. Præterea, supponamus Angelum moueri Bergomo Salodium; & inter has Vrbes ordine naturæ (sicuti verè est) locari Brixiam. Quomodò in transitu medij seruatur ordo, si, vt supponit, Bergomo itur Salodium, absque eo, quòd transeat Brixiâ? Ordo enim institutus esse debet, non in solo situ (id enim Aduersarij fatentur;) sed in motu, & transitu ipso. Quomodò verò est aliquando ordine naturæ Brixiæ, si Brixiam non tangit? Quod si eam non attingit; quomodo ordine naturæ priùs est Brixiæ, quàm Salodij? Nam tactus comparatiuus supponit tactum positiuum. Præterea ridiculè excogitatum est, Deum instituisse talem ordinem, vt qui voluntate declinat per deuia ab extremo per medium extraneum, & non vult seruare ordinem naturæ, seruet ordinem durationis: Similiter seruet ordinem naturæ inter loca rectè consequentia, transeundo ab extremo ad extremum; non per medium naturaliter connectens. Quinam, obsecro, est ordo iste naturæ? Ordo enim motus naturæ, debet respondere ordini situs naturalis: At situs naturalis extrema coniungit per medium. Præterea,
90 si iste est ordo naturæ institutus à Deo, seruandus ab omni causa inferiori; quomodo seruatur ab eo, qui per auia declinat, inter quæ nullus est ordo? quomodo igitur sic excusatur, vel cogitur seruare transitum per medium extraneum, proprio marte confictum? Profectò hæc implicantia difficilè solui possunt, vt fatetur Faber.

91 Respondet Mastrius *num.* 110. & Vulpes ex Scoto, disparem esse rationem: Nam ordo naturæ inter extrema, habentia medium communicans, est tantùm potentialis: Ordo verò inter extrema habentia medium non communicans, est actualis. Ratio est, quia medium non communicans actu, reperitur inter illa extrema, & actu facit illa distare quantitatiuè, vt patet de quantitate tripalmari, in qua palmus medius actu reperitur inter duos extremos palmos: Medium verò communicans, quia non assignatur secundùm partes æquales, & determinatas; sed tantùm proportionales, & indeterminatas, non facit actu distare extrema, inter quæ versatur, vt suprà explicitum est de vlna bipalmari. Vult igitur Scotus, in transitu ab extremo ad extremum distans, fieri transitum per medium prius naturâ, & duratione; 92
quia tale medium actualiter mediat inter illa extrema, facitque ea actu distare: At si moueatur ab extremo ad extremum, inter quæ designetur medium participans, dicetur tantùm habere illud prius ordine naturæ, non actuali, & positiuo; sed tantum potentiali, & negatiuo; quatenus, si tale medium designaretur inter illa extrema, vt quid determinatum, prius naturâ actualiter deberet Angelus in eo existere, quàm in extremo.

Hæc sanè responsio speciosam præ se fert 93
apparentiam; verè tamen inanis est: neque enim rectè accipit medium participans, dicens, illud esse partes aliquotas. Nam neque corpus, dum transit super planum, metitur omnes partes potentiales, quæ sunt infinitæ; alioqui non perueniret vnquam mobile ad spatium, vel vnius palmi, quia excurrendæ in eo essent partes aliquotæ infinitæ in qualibet particula actuali æquali. Igitur oportet accipere medium actu, de quo redit difficultas; cur non seruetur idem ordo, qui & in medio non communicante; in quo fateor, maiorem esse deordinationem; quia medium non participans de extremis, est propriè medium: At medium participans, puta punctum, nectens duo extrema, non est adeò propriè medium: Attamen non video, qua ratione etiam circa illum non seruetur ordo naturæ, authoris institutione inuectus. Vnde vrgeo argu- 94
mento, quod Rada, aliique Scotistæ, nec non exteri plurimi Scoto attribuunt, quo vtitur etiam Tannerus. Ità essentialis est ordo inter partes loci, respectu creaturæ; sicut inter partes temporis. Sed à tempore præterito in futurum non potest esse transitus, nisi per præsens: Ergo similiter ab vno loco non potest transiri ad alium, nisi per medium. Hoc argumento suauiter rapiuntur isti ad confitendum necessarium transitum, & per medium communicans cum extremis.

Valentia respondet rationi suprà al- 95
latæ, diuersam esse rationem: nam medium participans non est propinquum extremo, quod Angelus vult acquirere, sed est plusquam propinquum, cùm participet de vtroque extremo. Non enim id extremum, quod est extremo immediatum, proximum est ei; medium verò, de aliquo extremo participans, partim est illi extremum; non autem illi proximum: vnde tunc solum sequitur, quod si Angelus continuè moueatur acquirendo partem vnam loci post aliam, prius debet esse in medio participante, quàm in extremo; quia prius debet esse in quadam parte eius extremi, ad quod mouetur, quàm in toto; atque adeò manere in alia parte alterius extremi, quod relinquit. Itaque debet esse in loco medio, constante ex parte vnius extremi, & ex parte alterius. Sed ad hoc, vt Angelus motu discreto acquirat totum locum extremum simul, sufficit, illum fuisse in loco immediato illi extremo; sicut vt corpus suo motu acquirat locum,

cum, sufficit antè fuisse illud in loco immediato. Et hæc est ratio, quâ omnes authores tertiæ sententiæ nituntur.

96 FATEOR me non percipere hanc solutionem. Et primò quidem ruinosa est; cùm ostenderim *quæst.*4. nullum locum acquiri in instanti: At esto Ponamus lineam A. B. C. & Angelus stans in medietate A. vsque ad B. acquirat in instanti totam medietatem B. C. quis negabit, eum transire punctum B? Quid enim prodest, cùm sit peragrandum medium dimensum?

Ex his alia ratio nostræ assertioni suggeritur ex dictis *quæst.*4. quia adeptio loci non potest fieri in instanti; atque adeò tollitur omnis motus localis discretus Angeli, quo ablato, totum corruit aduersariorum fundamentum.

OBIICIES primò contra primum assertum. Angelus nullo modo pendet à loco, seu spatio, in quo est, aut per quod mouetur, nec alligatur legibus eius: Ergo potest moueri non transeundo per medium. Probatur consequens à contrario: nam corpus ideò nequit hoc facere, quia subditur legibus loci.

97 RESPONDENT communiter ex D. Bonauent. *hic*, & *in* 2.*dist.*2.*p.*2.*art.*2. *quæst.*1. pendere à conditionibus loci definientis, similiter & spatij, in eius acquisitione; & ideo, licèt is non per partes varias sui acquirat partes loci; tamen cogitur acquirere successiuè spatium diuisibile, vt dixi latiùs *quæst.*4.

OBIICIES secundò. Nulla apparet implicantia, id fieri posse à Deo; sicuti & adducitur corpus Christi in Sanctissimo Sacramento, & sanguis in vtero B. Virginis vno instanti ad locum confluxit generationis.

RESPONDET Suarez ipse, cuius est argumentum *cap.*19. *in calce*, Mastrius *num.*112. & alij ex D. Bonauent. *in corpore*, non rectè sequi, id naturaliter Angelo conuenire, eo quod non implicat fieri à Deo: requiritur enim ratio aliqua è natura Angeli elicita, vel ex aliquo experimento, aut reuelatione. Nulla autem talis ratio adest. Ad id de corpore Sanctissimo, dico, non fieri præsens per adductionem. At esto; adhuc dico, esse miraculum; sicuti, & coadunatio sanguinum virginalium. Quare & S. Doctor. non negat, supernaturaliter idem posse fieri à Deo in motu Angeli; sed nos stamus in naturalibus. Vide Seraphicum Doctorem 2.*dist.*2. *p.*2. *art.*2. *quæst.*2. *ad vltimum.*

98 INSTANT, id naturaliter fieri: nam Sol illuminat partem distantem in instanti. Et anima intellectiua potest informare partes extremas corporis dispositas, absque eo, quòd informet partes medias non dispositas.

RESPONDETVR, lumen induci in instanti non per motum localem; sed per productionem momentaneam; (esto instantaneam) quia non adest repugnantia ad eductionem; at verò in motu locali est dimensio medij, quæ exigit successionem, vt dixi *quæst.*4. cum D. Bonauent. Idem respondet Scotus *hic, ad secundum.*

99 AD exemplum de anima respondetur, eo casu, quo pars media aresceret, non recessuram animam motu locali; sed cessaturam ab ea parte informandâ, ità tamen, vt aliæ partes sint continuæ, quæ remanent informatæ. Ex quo non rectè concedit Mastrius, *num.*113. Similiter & Angelum esse posse in extremis; & non in medio, quia nec anima ità se habet; sed ad modum sphæricum, relictâ aliquâ parte mortuâ in medio, puta Rene, vel Liene, demortuis à putredine, erit in vno loco continuo. Ità D. Bonauent. *ad vltimum.*

OBIICIES tertiò cum Ioanne de S. Thom. *art.*4. Angelus, quia indiuisibilis, potest se pluribus partibus spatij applicare: Ergo potest vno instanti vnum spatium deserere, & aliud acquirere. Deinde potest Angelus se contrahere intra locum suum adæquatum, vt dixi *disp.*4.*quæst.*9. hoc autem fit per indiuisibilem contractum.

Respondetur, hæc omnia falsa, vt ostendi *q.*4. semper enim hæc fiunt in tempore, quia, vt dixi cum D. Bonauent. *quæst. vlt. ad* 4. licèt Angelus sit indiuisibilis, tamen, ratione spatij diuisibilis acquirendi, tempus insumit. 100

OBIICIES quartò contra secundùm assertum ex D. Thom. Motu discreto nequeunt pertransiri omnia loca media, cùm ea sint infinita, alioqui in fine motûs erunt numerata loca infinita. Addit Valentia, quòd sicuti potest aliqua media *Vbi* intermittere; ità & omnia.

RESPONDET S. Bonauent. *ad vlt.* & cum eo Faber *num.*11. quòd ex Aristotele 6.*Physic. text.*18. & 19. duplex est infinitum: Alterum diuisione, seu potentia, non actu: talis est omnis magnitudo super quam fit motus, quæ, licèt diuisibilis sit in infinitum; tamen habet extrema; & ideò potest pertransiri: Alterum est infinitum non habens extrema, & hoc nequit pertransiri. Spatium autem, per quod transit Angelus, est infinitum priori modo; vnde potest pertransiri, quod si non posset, sequeretur neque palmum spatij posse percurri; imò neque vnum digitum tantùm, quia in eo sunt partes infinitæ in potentia: at percurritur spatium, quia non fit motus per singulas partes aliquotas; sed per aliquas non distinctas in æqualibus inuolutas. Dimetimur enim spatium per partes æquales, tangendo aliquas, non quidem distinctas. Similiter & indiuisibilia quædam actu; & interim, multa simul indiuisibilia, & multæ partes simul aliquotæ pertranseuntur. Dat exemplum S. Doctor de sphœra, quæ trahitur super planum, & ad metam breui peruenit; & ille motus, licèt ex parte continuus sit, attamen potest etiam dici sub alia ratione discretus, quatenus sphœra semper tangens in puncto, atque adeò non adæquatè tangens partem lineæ sequentem ad punctum; neque semper in tractu tangens puncta, quia non sunt in continuo immediata, motum quendam conficit discretum impropriùm. 101 102

Ex quo ruit id, quod addit Vasquez *ad art.*2. *quæstione* 53. D. Thom. vt eius rationem validam ostendat. Ait igitur, motu quidem continuo plures partes simul percurri, quia infinitum illud est tantùm per assignationem, & diuisionem in potentia: motus autem continuus non numerat: nam numerare, est discreta distinctione assignare. Itaque si discretè moueretur Angelus per singula loca communicantia, motu discreto, numerando illa, non tantùm pertransiret; sed etiam numeraret: fieret enim motus ille quasi per saltus, & ità necesse erat, esse primum saltem, & vltimum; ac proinde omnia discretè numerare in transitu. 103

SED ostendi, etiam in aliquo motu continuo discretum admisceri; & ità quoque in motu discreto Angeli pertransitur infinitum, vt infert Faber, dum enim 104

enim per saltum ab extremo pedali A. transilit ad alterum extremum pedale C. & omittit medium palmare B. omittit infinitas partes, & infinita puncta: Ergo inferam: motum infinitum agit. Deinde cùm transit ab extremo ad extremum, tangit discretè secundùm vos. Ergo tenetur tangere singulas partes aliquotas, & puncta infinita tactu assignabilia, quod ipsi non concedent. Sicut igitur vno tactu discreto tanguntur tot partes, quia tanguntur simul in partibus æqualibus: ità dicam in motu Angeli discreto, si daretur. Enim verò rem obtruncabo, negando motum discretum Angeli, vt dixi *quæst.*4.

105 Hic mirari non desinam, Mastrium *num.* 99. afferre D. Thomam pro prima sententia: deinde ad saluandum Scotum in tertia sententia, *num.* 100. vti ratione D. Thomæ, eiusque distinctione de partibus æqualibus, & aliquotis.

Obiicies secundò. Angelus in suo motu non inuenit resistentiam: Ergo potest medium omittere communicans saltem, & acquirere alium locum.

Respondetur ex dictis *quæst.*4. & *hic*, inuenire successionem, ratione spatij.

106 Obiicit Arriaga argumentum suo iudicio arduum: In priori naturæ instanti, quo Angelus Pragæ, v.g. se mouet à ponte ad spatium immediatum, tam non est approximatus illi spatio, quàm non est approximatus spatio, quod est immediatum ponti Romano, quia in eo priori nulla est adhuc vbicatio; sine vbicatione autem nulla est ad corpus approximatio: Ergo in eo instanti, tam poterit se ponere iuxta pontem Romanum, quàm iuxta Pragensem.

Respondetur tamen facilè primò, idem inferri de corporibus, vt aduertit ipse; & tamen facilius est, poni, & acquirere vbicationem in parte viciniori; quia, licèt non habeat ibi adhuc vbicationem; quis negabit, esse vicinius ponti Pragensi, quàm Romano, in quod ideò citiùs poterit agere acquirendo vbicationem. Aliud argumentum mox soluo *quæst. sequenti.*

QVÆSTIO VI.

Quæ & quanta sit potentia in Angelo *ad motum.*

Dvo hic quæruntur. Primum: Quæ sit hæc potentia, qua Angelus se mouet: Alterum, Quanta sit.

107 Circa prius punctum multi Theologi dicunt, esse Voluntatem: alij esse Intellectum; quia verò eadem est potentia, qua Angelus mouet seipsum, & corpora; infrà agam de principio vtriusque motionis, *disp.*11. *quæst.*5. Pro nunc dico, non posse esse Intellectum, qui solùm cognoscit, & iudicat, nec habet imperium; per cognitionem autem nequit corpora mouère, neque seipsum, in quem non habet imperium, ab his actibus distinctum. Quare necessaria est voluntas, quæ tamen solum potest imperare: Ideò adhuc necessaria est potentia executiua distincta.

108 Libet hic aduertere, forsan aliquos vsos argumento ex intellectu sumpto, plura dispersa considerante, vt inferrent, posse similiter; & plura loca dissitissima capescere, absque medio, quia cogitabant in intellectu esse vim motiuam.

Sed S. Doctor *in corpore* negat hoc, & assignat, quoque necessariam disparitatem inter virtutem motiuam, & intellectiuam. Hæc enim potest plura simul remotissima comprehendere, quia eorum habet species, quæ situm non ambiunt, nec operationem realem immediatam in illa obiecta; sed solam intentionalem diminutam; at verò motus localis est realis acquisitio locorum realiter distinctorum, secundùm situm implicantem simultatem coëxistentiæ in ente, definito ad determinatam sphæram (*Vbi*) qualis est Angelus. Ità respondet & Mastrius *in calce.*

Quoad quantitatem virtutis motiuæ quæstio est: An habeat certum terminum velocitatis; an verò possit velociùs semper se mouere in infinitum, in quocumque minori tempore. 109

Prima opinio est, posse Angelum moueri, & pertransire quodlibet designatum spatium, breuiori, ac breuiori tempore in infinitum. Sic Capreol. 2. *dist.*6. *quæst.*1. *ad* 3. & 4. *Scoti*, contra tertiam conclusionem. Consentit Gregor. quem allegat Alens. 2. *part. quæst.*33. *memb.*1. Suarez *lib.*4. *cap.*24. *num.*7. & sumitur è sententia D. Thom. & assecclarum, quos retuli *quæst.*5. dicentium, posse Angelum subitò transire ab vno loco ad extremum, non transeundo per medium: si enim in indiuisibili potest moueri. Ergo, & in minori quovis tempore. Attamen id, etsi concedant de motu discreto; de continuo tamen asserunt, Angelum habere determinatum limitem velocitatis. Idem & de discreto dicant, quia inter instantia motuum est quies in tempore aliquo.

Itaque concedant motui continuo, & discreto præfixam determinatam velocitatem. Sic verò dictant Vasq. *disp.*197. *cap.*4. Delrius *lib.*2. *disq. Magic. quæst.*16. Tannet. *disp.*5. *quæst.*2. *dub.*8. *n.*27. Auersa *sect.*5. Arriaga *disp.*17. *sect.*5. Morand. *q.*16. Fauet Suarez *disp.*35. *Metaph. sect.*6. & probabilem existimat Albertinus *corrol.*16. *n.*15. Est D. Bonau. 1. *dist.*37. *quæst. vlt.*

Assero cum hac senteutia, quodlibet designatum spatium breuiori, & breuiori in infinitum tempore non posse ab Angelo pertransiri. 110

Probatur primò à D. Bonau. *fundamento* 3. Omnis potentia finita habet terminum. Potentia motiua Angeli est finita: Ergo habet terminum. Maior est euidens. Minor probatur à S. Doct. 2. *dist.*2. *p.*2. *art.*2. *quæst.*1. & 2. *in corpore.* Virtus sequitur naturam proportionaliter. Ergo finitam naturam sequitur virtus finita.

Respondet Suarez *num.*11. ad velocitandum motum localem in infinitum, non esse necessariam virtutem infinitam, si motus fit sine resistentia ex parte spatij, & mobilis; sed sufficere virtutem superioris rationis. Virtus autem Angeli talis est; neque necesse est, vt potentia finita terminetur ad maximum in modo agendi, maximè in temporis breuitate, quando illa potentia talis est, vt & sine resistentia operetur, & possit similem effectum in instanti, seu instantibus efficere.

Contra tamen arguit S. Doct. ex Aristot. 6. *Physic. text.*13. Si tanta virtus mouet in tanto tempore, & maior in minori, & maxima in minimo, & infinita in instanti: Ergo velocitas motus crescit ex maiori intensione virtutis; & ideò virtus mouens in instanti erit improportionabiliter maior illa, quæ mouet in tempore. Sed Angelus per te est talis, 111

vt

vt infinitum velociùs possit mouere: Ergo infinita. Hoc autem repugnat naturæ creatæ, vt dixi.

112 Eodem argumento vtitur Vasq. qui ideò argumentatur, potentiam Dei esse infinitam; quia potest velociùs, & velociùs semper mouere in infinitum. Confirmatur: nam si virtus Angeli est talis, poterit eadem in infinitum velocitate mouere etiam alia. Confirmatur; quia poterit sic etiam ad spatia categorematicè infinita, se mouere. Si enim vnâ horâ potest ire, v.g. Romam, & semper velociùs moueri absque termino: Ergo ibit in infinita spatia in infinitum, vt infert Arriaga *num.* 29. Deinde satis mihi est, virtutem non excedere talem gradum, vt sic infinita non sit.

113 Obiicies primò. SS. Patres dicunt, Angelos mira velocitate posse vbique adesse. Sic Damasc. *primo de fide, cap.* 17. & alij adducti *q.* 1.

Respondit S. Doct. *ea dist. quæst. penult.* Angelos id præstare velocitate, & potestate naturæ, quæ finita est; licèt, quia perfectissima est, habeat potentias etiam perfectiores cæteris creaturis; atque adeò & potentiam motiuam. Ideò Aquilis sunt velociores. Neque dicas, etiam hominem esse Aquilis perfectiorem; nec tamen adeò celerem. Respondeo enim, homini, hoc esse necesse, ob proportionatas operationes, debitas suæ compositioni ad finem suum attingendum.

114 Hinc collige, Angelos ita esse determinatæ velocitatis, vt quò sunt naturâ perfectiores, eò sint etiam velociores, vt obseruat Morandus.

Obiicies secundò. Angelus in instanti potest loca capescere.

Respondetur *ex dictis quæst.* 4. & 5. id falsum esse.

DISPVTATIO XI.

De Potentia Angeli in creaturas.

Svppono, Angelum creare non posse, vt ostendi *tract.* 3. *disp.* 1 *q* 6. *& sequentibus.* Id verò probat S. Doct. *in* 2. *dist.* 7. *p.* 2. *dub,* 3. *litt,* quia non potest super nihilum, infinitè distans; sed eget materiâ, quam sicuti nequit producere, cùm nullum supponatur subiectum, ità nequit intimam eius naturam attingere, dando illi potentiam, & rationes seminales; sed magis se habet extrinsecè ad modum Agricolæ applicantis semina. Erit igitur disputatio: An saltem medio modo, se habere queat ad modum naturæ educentis formas substantiales, generando; vel accidentales, alterando; aut motu locali, ciendo.

QVÆSTIO I.

An possit Angelvs res substantialiter transmutare.

D. Bonau. in 2. dist. 7. p. 2. art. 2. q. 2. & d. 8. p. 1. art. 2. q. 1.
D. Thom. q. 100. art. 2.

Vnanimes Theologi in hoc conspirant, non posse Angelum è materia educere formas substantiales. Ità SS. Doctores *hic*, & cæteri. Albertus *dist.* 7. *art.* 8. Ægid. *quæst.* 3. *art.* 1. Richard. *art.* 4. *quæst.* 1. Durand *quæst.* 4. Scotus *dist.* 8. *quæst. vnic.* Argent. *quæst.* 1. *art.* 2. Ballol. *quæst. vnic.* Ferrar. 3. *contra Gent. cap.* 103. omnesque Recentiores, quam ideo Vasq *disp.* 218. *cap.* 1. & Tannerus *disp.* 5. *q.* 5. *dub.* 4. vocant concordem Scholasticorum sententiam. Et Suarez *lib.* 4. *cap.* 25. cui Tannerus accinit, sine magna temeritate, eam non posse negari. Eadem habet *disp.* 15. *Metaph. sect.* 6. vbi concedit cum D. Bonauent. *dub. litt. allegato*, posse solùm educere formas substantiales eo modo, quo viridarij custodes, variis insectis, varios educunt flores, ac fructus. Vide & Fabrum *disp.* 32. *cap.* 3. cum D. Bonau *locis adductis.* 1

Assero, non posse Angelos aliquid naturaliter generare. Quicquid dixerit Plato apud D. Aug. *lib.* 12. *de ciuit. cap.* 24. & alij damnati in Concilio Brachar. *can.* 8.

Probatvr à D. Bonauent. primò, ex illo Exod. 7. *Absorbuit virga Moysis virgas Magorum.* Ibi D. August. in Glossa: *Moysis virga absorbuit virgas, non Dracones; absorbere enim potuit, quod erat, non quod non erat.* Tunc sic. Eadem est potentia naturalis in Angelis sanctis, quæ & in dæmonibus, ex D. Dionysio *cap.* 4. *de Diuinis nominibus*; vt docet etiam D. Bonauent. *dist.* 7. *p.* 2. *quæst.* 1. *fundamento* 2. Sed dæmones summè enixi, vt supponitur, ad decipiendum Regem, non potuerunt producere veros Dracones: ergo. Confirmatur à D. Bonauent. è D. Augustino *lib.* 3. *de Trin. cap.* 7. & 8. & 9. *de Genes. ad litt. cap.* 18. Et 12. *de ciuit. cap.* 24. & *lib.* 18. *cap.* 18. vbi damnat errorem Platonis dicentis, secundarios Deos, siue Angelos, ex præiacente materia produxisse res corporeas. Contra quem nititur etiam Aristot. 7. *Metaph. à text.* 22. *vsque ad* 32. Auerroës, & alij Aristotelis interpretes *ibi.* Hinc D. Bonauent. *in corpore*, optimum eruit argumentum, quod Gregorius de Valentia *disp.* 5. *quæst.* 1. *p.* 4. ante medium adscribit Victoriæ *in relect. de Magia, num.* 35. Si Angeli possent producere, & corrumpere res corporeas, sibi ipsis subiecissent materiam; imò & orbem. Sed hoc est falsum: Ergo. Maior est sequela D. August. Similiter & Minor. 2 3

Probatvr verò à D. Bonauent. optima ratione, sumpta ex ordine agentium, instituto à Diuina sapientia. Primum enim agens est Deus: Secundum Natura: Tertium Intelligentia: Ita autem disposita sunt hæc agentia; vt primum supponatur à secundo, & secundum à tertio. Deus enim operatur ex nihilo. Natura verò facit non ex nihilo; sed ex ente in potentia, seu è præiacente materiâ: formæ enim naturales è materia educuntur; at artificiales inducuntur; ars enim supponit operationem naturæ, & operatur super ens 4

completum, non enim facit lapides; sed ex lapidibus aulam. Vnde sicut Natura nequit antecedere operationem Dei, quæ est de nihilo producere; sic nec Ars operationem naturæ. Hac ratione vtitur etiam Pererius.

5 PROBATVR secundò à D. Bonauent. *in corpore.* Non potest vna substantia producere aliam, nisi habeat similitudinem cum effectu specificam, vel genericam. Angelus eam non habet: Ergo. Maior probatur; quia ideò natura producit sibi simile, saltem in genere secundum naturam; at, è contra, ars producit sibi simile tantùm secundùm Ideam, vel exemplar: Minor probatur, quia Angeli toto genere differunt; cùm in prima diuisione substantiæ in corpoream, & incorpoream, distinguantur opposité. Hanc ferè rationem habet Suarez *disput.35. Metaph. sect.6.* & D. Thom. *hic.*

Arriaga *disp.19. sect.1.* negat Maiorem: Deus enim producit creaturas non similes in genere.

Respondetur, hoc non esse ad rem: nam Deus non producit ad modum naturæ; sed artis ad ideam intellectûs. Artis inquam, Diuinum enim exemplar in rerum productione, cæteras causas transcendit.

6 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Nihil operatur in aliud dando actum, nisi respectu eius sit ens actu *ex 7. Metaph.* nihil enim dat, quod non habet. Sed Angelus nec specie, nec genere conuenit actu cum istis corporeis: Ergo nequit dare eis formas, & species. Vrget, quia agit ad modum artis, non ad modum naturæ. In hoc autem differt natura ab arte, quod natura est in actu, respectu potentiæ, vnde impertitur verè actum, & formam eliciendo eam de potentia; Ars verò solùm dat figuram, scindendo, & glutinando. Ideò nil dat formam intrinsecam substantialem, nisi quod operatur per modum naturæ.

SI dicas, Angelum excellentioris esse naturæ, & ideò eminenter continere formas substantiales.

7 CONTRA arguit S. Doctor *ad primum.* Virtus superior, vt producat effectum, quem producit inferior, debet esse ad illum ordinata, nec sufficit si sit eminentior: Sed virtus Angeli non est ordinata ad effectus substantiales: ergo. Maior probatur à D. Bonauent. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Rom.13. In hoc enim stat harmonia Vniuersi, vt ait D. Augustinus *in Enchir. cap.10.* & Aristoteles 11. & 12. *Metaph.* Minor probatur: nam ordo Vniuersi est, vt causæ superiores moueant inferiores per earundem inferiorum virtutes. Vnde S. Dionys. *lib. de cœlest. Hierarch. cap.5.* ait, infima moueri à summis per media; alioqui non esset subordinatio aliqua causarum in agendo, & non esset necessaria virtus inferior, si omnes superiores causæ per se solæ immediatè effectus attingerent. Igitur cum Angelus sit superior, debet attingere effectus causarum inferio-

8 rum, applicando earum virtutes. Quòd verò non sufficiat eas continere eminenter, probatur: Homo enim excellentior est Asino, & continet eminenter sensibile Asini, & potest producere Hominem; non tamen Asinum; imò nec Muscam. Qua ratione vtitur Valentia *p. cit. ad medium.* Minor probatur à D. Bonauent. *in corpore*, circa finem, argumento, quod assumit Durandus, eique illud adscribit Suarez, *locis adductis*: quia in rebus naturalibus est virtus sufficiens ad educendas formas de potentia materiæ, quantum ad conseruationem vniuersi necessarium est; alioqui Deus deesset in necessariis ordini naturæ: Ergo non eget ordine sequenti intelligentiæ, & artis. Præterea patet ex rationibus superioribus. Hac ratione vtitur Valentiã. Hæc ratio, vt affertur à D. Bonauent. rectè concludit. Quod si Durandus, & Suarez assignent pro ratione, quod sufficienter per alias causas Deus prouideret generationibus rerum; & inferant, ideò superfluam esse aliam causam in ordine naturæ; hanc verò supponant esse Angelum, infirma est ratio: nam ad generationes rerum Deus, ob ornatum, multiplicauit causas indiuiduas, & ità numerum infinitum formicarum, auium, &c. cùm per pauciores posset conseruare vniuersum. Similiter & multas causas specificas addidit, nam multa per generationem vberrimè, & suprà necessitatem prodeunt, vt Mures; & tamen addidit etiam causas alias, vt solis, tanquam patris, & putredinis, tanquam matris, vt aduertit D. Bonauent. *ad vlt.* loquens de Ranis: & *dist.8.p.1.art.2.q.1.* Et hoc sensu visus est eam accipere etiam Tannerus, *disp.5.quæst.5.dub.4.*

RATIO ergo est, quòd cùm Deus sit primus 9 ordo agendi ex nihilo, & agentibus ordine naturæ dederit sufficienter virtutem operandi è seminali virtute materiæ, vt probauit *quæstione præcedenti*, & refricat *hic*; non est necesse, vt eum immisceamus, tanquam necessarium agens per intellectum, & voluntatem, quod est posterioris ordinis agentium, cui non est subordinata series causarum corporearum ad opera naturæ.

HINC habes quam vim habeat ratio Scoti, allata à Fabro *ante numerum quintumdecimum*, non posse Angelum producere substantiam, quia agit per intellectum, & voluntatem, (adde & aliam virtutem,) quæ producunt accidentia tantùm, non substantias; cùm intellectio, volitio, & exercitium aliarum virtutum; sint accidentia, hoc enim Seraphici sensu verum est; at falsum est, non posse accidens producere substantiam, vt ostendit P. Galitius *p.p. Phil. lib.2. tract.3.q.2.* cum D. Bonau. vt ostendam *tract.5. disp.7.q.2.*

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *fundam.5.* 10 Si in productione rerum Angelus operatur: vel agit vt natura: vel vt ars. Si primum: Contra: Natura est vis insita rebus, similia è similibus procreans; Igitur producet alios Angelos, vt causa vniuoca; atque adeò eos creabit, quia non adest ad productionem materia apta. Ex quo sequitur, productorum, vt causam æquiuocam, omne ens inferius, quod S. Augustinus detestatur *3. de Trin. cap.9.* vt infert D. Bonauent. *in fine corporis.* Præterea, si ageret æquiuocè, non posset in omnia agere, nisi demus, esse agens vniuersalissimum, quod est inauditum.

Ex his habes, Solem, Cælosque, licèt Angelo 11 inferiores, posse producere substantias corporeas, quas nequit Angelus producere. Sunt enim eiusdem naturæ, atque adeò virtutis. Quamvis autem contineat Angelus eminenter animas brutorum, non tamen continet virtutes ordinatas ad eos effectus, ad modum, quo sensibilia continent arbores, flores, &c. non tamen hæc valent producere; & vegetabilia continent inanimata, puta saxa, metalla; nec tamen possunt ea producere. Tandem & Homo reliqua continet; nec tamen potest producere muscam, flosculum, vel saxum. Igitur neque Angelus satis probatur, posse producere aliqua ex his, eò quòd eminenter ea contineat, vt notat

notat D. Bonauentura *ad primum*, & *dist.* 8.*citata.* Hinc habes, non oriri implicantiam ex distantia infinita agentis, & effectus, sed quia sunt diuersi ordinis; vt notat S.Bonau. *dist.* 8.*argum.* 3.*cum responso*, & cum eo Suarez *num.*9.

12 INSTANT alij, non benè nos inferre ex diuersitate naturæ corporeæ, & incorporeæ, Angelos non posse producere corporea. Nam & Deus incorporeus producit corpora.

RESPONDET S. D. *ad calcem corporis*, quòd Deus est actus plenus, & perfectus respectu omnium; vnde omnia continet; & in essentia eminenter, & virtute in omnipotentia. Ideò omnes effectus attingit vsque ad nihilum,& ità extenditur ad omne factibile, & ad omnem modum; & cùm habeat omnem formam eminenter infinitè, & modum operandi transcendentem, non requirit aliquam similitudinem cum effectu; sed cum sit primus inter agentes, potest omnia, quæ factibilia sunt, producere; ideò non est simile de Angelo. Hoc responsum desumpsit Suarez *num.*8. è D. Th. *q.*100.*art.*2.

Ex allatis argumentis apparet falsum id, quod aiunt Arriaga *disp.*19.*sect.*1. & 2. Auersa *quæst.*51. *sect.*4. Morand. *tract.de Angelis*, *quæst.*7.*n.*679. sola auctoritate omnium Theologorum, non aliqua ratione, quæ conuincat,comprobari nostrum assertum; & multò minùs, quòd Angeli nequeant formas educere accidentales.

13 OB rationes sanè allatas videtur assertio solida, è quibus prima est etiam Concilij Ancyræ, vt habetur *can. Episcopi, d.*26.*q.*5. & Concilij Brachar. *can.* 8. Reliquæ verò etiam solidæ comprobantur, dum innuuntur à Patribus,qui nostram assertionem acclamarunt. Sic Ambrosius *lib.* 1. *de fide*, *contra Arrianos*, *cap.* 8. August. *lib.*12. *de ciuit.cap.*24. & *lib.*3.*de Trin.cap.*7.& 8. Leo *epist.*93.*cap.*8. imò & Aristot. 7. *Metaph.cap.*6.*à text.*22.

14 OPPONVNT autem aliqui prodigia Magorum Ægypti, vt refertur Exodi 7. & 8. qui & ranas, & serpentes fecerunt, vt asserit D.August. 3. *de Trin. cap.*7. D.Thom. *quæst.* 6. *de potentia*, *art.*5.*ad* 8. & *q.*16. *de malo*, *art.*9. *ad* 10. & D.Bonau. *hîc dist.*7. *quæst.cit.* probabiliùs existimat: nam cum Moyses fecisset veros serpentes, &c. virtute diuina. Subdit Scriptura. *Magos fecisse similiter.* Multa alia referuntur passim ab authoribus exempla huiusmodi effectuum vera, vt ab Abul. *qu.*47.*in cap.*4. *Matth.* Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticorum punit*: *cap.*16. & ab authore *libri*, qui dicitur *Malleus Maleficarum*, vt notat Valentia *loco citato.*

15 RESPONDET D.Bonau. *dist.*7. *quæst.cit. in corpore*, ex D.Aug. 3.*de Trin. cap.*8. Magos ea præstitisse virtute aliena, applicando agentia passis, à quibus velut seminibus educebantur formæ ranarum, serpentium, &c. Deo etiam operante ad fallaces Ægyptios confundendos, & ostendendum, non esse magnum quid, huiusmodi operari, & vt posteà reiecti illi malefici in sua infirmitate apparerent impotentes ad producendas minutulas muscas,quas vocant *Cyniphes*; sæpè tamen sunt apparentia tantùm præstigia, vt sagarum in varias formas Luporum, Felium, Bufonum, Ranarum; non enim vnquam in huiusmodi bestias transmutantur vt aduertunt D. Bonau. *hîc* D.Thom. *quæst.* 114. *art.*4.*ad* 2. Caietanus, & alij Thomistæ *ibi*. Tyreus de spirituum apparitionibus, *cap.* 14. Delrius *lib. disq.*2. *cap.*24. & communiter Doctores recentes, quos allegat Tannerus *n.*4.& 8. Transmutare etenim homines in belluas, solius potentiæ Diuinæ est opus: mutationes verò illæ decantatæ sociorum Vlyssis in belluas, à Circe effectæ; Arcadum in Lupos; hospitum à quibusdam sagis in belluas, deridentur à D.Aug. *lib.*18. *de ciuit. cap.*17. & 18. vbi concludit. *Non ita solum animum, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim dæmonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse conuerti, &c.*

HINC habebis, non ideò magicam artem præcisè damnatam, quia præstigiis semper fallens; sed quia, etiamsi aliqua vera efficiat, ea tamen ad prauos fines,dæmonum auxiliis operetur. Iure autem Diuino prohibita est. *Deuter.*18. Leuit. 19. & 20. Iure Can. *in Decret.* 26. *quæst.*5. *canone. Si quis aliarum.* & *seq.* & *cap. Episcopi.* Iure Ciuili. *C. de Maleficiis*, & *Mathematicis*, præsertim *Lege Culpa*, *L. Nullus*, *L. Nemo*, in qua decernitur pœna capitis,vtentibus hac arte,& optimè probatur à D. Bonau. *dist.*7. *quæst. vlt.* & nos Secunda secundæ, *tract.de Religion.* satis agemus. 16

OPPONVNT secundò. Maior est potestas dæmonum,quàm hominum per artem: sed homines, arte Alchimiæ, inducunt species auri: Ergo. 17

RESPONDET D.Bonau. *serm.*5. *Hexaëmer.* non produci per artem Chimicam verum Aurum, quod definit Ioannes XXII. *in Extrauaganti*: quod si id posset fieri; iam pridem id dæmones docuissent Magos, quod non fecêre. Addit verò S. D. *ad* 3. quod si dæmones aliquid valent super corporea, id agunt, applicando agentia passiuis, continentibus rationes rerum seminales, ad modum agricolarum, applicantium terræ semina; plantis insecta, &c.

INSTANT adhuc. Ordo vniuersi est, vt superiora influant in inferiora. Sed Angeli sunt superiores creaturis corporeis: Ergo.

RESPONDET Suarez *num.*10. ex D.Bonau. *ad* 3. superiora influere in inferiora secundùm proportionem, & secundùm capacitatem suscipientium. Ideò aliter influunt cœli: aliter Angeli: illi enim influunt virtute proportionata,producendo formas corporeas: Angelus verò solùm applicando agentia, passis proportionata. Ità & Fonseca 7. *Metaph. cap.*7.*quæst.*2. præsertim *sect.*3. 18

DICES. Formæ sunt in ratione seminali materiæ: cur ergo nequeunt à quouis agente educi.

RESPONDET D. Bonau. *ad* 2. formas esse in potentia remota; ideò egere agente proportionato secundùm formam.

QVÆSTIO II.

An possit ANGELVS *alterare corpora.*

SS.DD. vt suprà.

ARGVMENTA probantia, non posse Angelum producere formas substantiales, concludunt etiam de accidentalibus, quia eadem improportio reperitur. Ità sentiunt D.Bonauent. *loco cit.* D.Thom. *loco cit. ad argumenta*: & 3. *contra Gentes*, *cap.*103. Richard.Durand.Argentina,Ferrar. *suprà*, Valentia *disp.*8. *quæst.*8. *quæst.*5. *puncto* 1. Molina *quæst.*110. *art.*2. Fonseca, *lib.*7. *Metaph. cap.*7. *q.*7. *sect.*1. & 3. Suarez *disp.*35. *Metaph. sect.*6. & *hîc*, *lib.*4.*c.*26. Vasquez, *disp.*218.*cap.*3. Arriaga *disp.*19. *sect.*2. & alij suprà, quos allegat, & sequitur Tannerus, *disp.*5.*quæst.*5.*dub.*4.*num.*4.

19 Assero igitur primò, non posse Angelum producere formas accidentales, merè Physicas materiales.

Probatur. Idem est agens, disponens materiam, & inducens formam, saltem vsque ad dispositionem proximam (quod dico, ob animam rationalem, quæ creatur:) Sed Angelus, ex dictis, non habet virtutem educendi formas, nec vltimò disponendi ad animam rationalem, quia requiruntur vasa viri, & mulieris, vt arguit S. Doct. *dist.*8.*p.*1.*quæst.*1.*ad* 3. Ergo. Hinc arguit S.Bonau. *dist.*7. *citato loco, in fine corporis*, & cum eo Suarez

20 *num.*7. efficaciter: Efficientia talium qualitatum supponit in Angelo virtutem principalem effectricem illarum formarum, ad quas instrumentaliter faciendas illæ qualitates instrumentariæ præmittuntur; quia istæ dicuntur efficere in virtute principalis agentis, vtique Angeli: Ergo illæ qualitates supponunt in Angelo virtutem principalem. Sed Angelus non habet virtutem principalem ad efficiendas formas substantiales; propter quas efficiendas introductæ sunt qualitates instrumentariæ: Ergo. Quod si semel concedamus, Angelum per huiusmodi instrumenta posse per se, ac principaliter educere substantiam; eadem ratione, poterit saltem perfectior Angelus efficere eodem modo perfecta animalia: At omnia hæc falsa esse, confirmatur; quia nullam habent conuenientiam cum his formis disponentibus, neque cum forma aliqua substantiali corporea. Itaque agerent vt Creator, sine dispositionibus.

21 Ex his habes, neque posse inducere formam augmentationis, quæ non potest fieri sine substantiali aggeneratione, atque præuia alteratione.

Arriaga conatur superius infirmare argumentum; nam calor disponit (ait) ad ignem, nec tamen inducit formam ignis. Lux est productiua caloris, non formæ substantialis: Astra producunt dispositiones animalium; non autem animas, quæ sunt ipsis perfectiores.

Respondetur, calorem esse merum instrumentum agentis principalis, quod etiam inducit formam. Lux verò producit substantias, etiam animatas, & Ranas, &c. neque est necesse, vt sit nobilior toto effectu; sed sufficit, vt tota causatum massa nobilior sit: interuenit autem & materia, in cuius potentia sunt formæ etiam animatæ sensibiles.

Est autem aliqua maior controuersia circa formas intentionales. Thomistæ enim nonnulli asserunt, eas ab Angelo produci. Capreolus, Caietan. Ferrar. *suprà*, Soncinas 7.*Metaph.quæst.*15. & Suarez apud Tannerum.

Oppositum tamen sentiunt cum D. Bonauent. Suarez *num.*5. Vasquez *suprà*, Arriaga *disput.*19. *sect.*2.Tanner.*disp.*5.*quæst.*5.*dub.*4.*num.*5.Fagundez *in primum praeceptum, lib.*1.*cap.*41.

22 Probatur à D.Bonauent. *dist.*8. *p.*2. *quæst.*3. *ad primum.* Si Angelus id posset; sequeretur, posse repræsentare Asinum sine obiecto, producendo speciem eius. Sed hoc est falsum: Ergo. Minor probatur; nam species est partus ex obiecto expressus, vt similitudo, puta coloris, aut luminis. Potest quidem dæmon excitare species in phantasia depositas, puta Christi, & luminis, & exhibere Christum luminosum; vel simile corpus ex aëre, & igne fingere.

Probatur secundò à D.Bonauent. *in corpore.* Inter agens, & passum debet esse proportio; sed species intentionales sunt qualitates materiales corporeæ: Ergo non possunt produci à spiritu.

Posse verò producere sibi proprium *Vbi*, in aliquo corpore, est sententia S. Bonau. *dist.*8.*p.*2. *quæst.*1. & apud cæteros confessa: nam certum est, dæmones è corporibus fuisse eiectos, vt probat S. Doct.*in corpore*,ex pluribus locis Euangelij. 23

Ex his tamen non sequitur, posse eos illabi in animas,vt ostendit S.Doct. *quæst.*2.*post præcedentem.* Probatur à S. Doct. quia illapsus dicit penetrationem in animam cum quodam dominio; hoc autem soli Deo conuenit, vt dicam *disput.*14. *quæst.*7.

QVÆSTIO III.

An possit Angelvs *mouere localiter corpora.*

D.Bonau.dist.14.p.p.art.3. per duas quæstiones.
D.Thom. in 2.d.14.q.1. art.3.

Assero. Probatur à D.Bonauent. *in* 1.*dist.*37. *p.*2. *art.*2. *quæst.*1. *fundam.*1. & in corpore: *Angeli sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Sed aliqua ministeria sunt adimplenda in corpore: Ergo debent mouere corpora. Maior habetur 1.*ad Hebr.* Minor constat ex apparitionibus Angelorum,qui venerunt ad Abraham. *Genes.*18.ad Loth. 24
*Genes.*19. ad Tobiam, Raphaël. ad Danielem, & Mariam, Gabriel. Michaël in Persidem: ad Christum illi, qui ministrabant; & *Matth.*4. vt ostendit S.Doct. *dist.*8. *p.*2. *quæst.*2. *fundamentis*; sic Angelus transtulit Habacuc Babylonem. Sathanas Christum in montem, & super templum. Vide Suarez, *lib.*4.*cap.*27.*num.*2.

Probatur secundò à D.Bonauent. *in corpore*, ex Angeli perfectione, cui non videtur hoc denegandum.

Probatur tertiò à D.Bonauent. *in* 1. *dist.*37. *p.*2.*loco cit.*quia sæpè circumscripti sunt aliqui Angeli, puta in domo Abrahæ, in cœnaculo, vt habetur *Hebr. vlt.* vbi dicitur: *Quidam Deo placuerunt, Angelis hospitio receptis*, vt aduertit S.Doct. *in* 2.*dist.*8 *p.p.art.*1.*quæst.*2.*fundam.*2.

Probatur quartò à S. Doct. *in* 2. *distinct.*14. *loco cit.* quia Angeli mouent cœlos, ex Aristot. 12. *Metaph. text.*44. & alibi, vt ostendam *tract. sequenti.* 25

Probatur à D. Thoma, *loco cit.* Supremum infimi attingit infimum supremi; in corporibus autem motus localis est supremus, & perfectissimus omnium motuum: Ergo Angeli, qui sunt supra corpora: saltem hunc motum efficere valent. Minor est Aristot.8.*Physic.cap.*7.

Dices: nobilitas motus sumitur ex termini præstantia; at terminus motus substantialis est perfectissimus,quia est substantia: Ergo.

Respondet D.Bonau. *in* 1. *dist.*37. *p.*1.*dub.*2. *litt.* motum localem esse ex parte subiecti perfectiorem: quia est entis actu completi; & ideò minùs habet de potentia, minúsque transmutatur. Hanc rationem assignat ibi Aristoteles, & exponit D.Thom.*suprà*,& 3.*contra Gent.cap.*82.vbi Ferrara. Idem habet Suarez *num.*4.Tanner. *disp.*5.*dub.*1.*q.*5. vbi his authoritatibus, & rationibus vtitur. 26

Adverte

Adverte autem, Delrium *lib.2. disq. magic.* malè adscribere Guilielmo Parisiensi, quòd negauerit Angelo hanc motiuam potentiam, vt notat Tannerus *num.* 3. & videre est in ipso Guilielmo, *tract. de vniu. p. 2. secunde p. cap.* 71. tametsi potentiam motiuam non distinguat ab imperio. De hoc verò infra *quæst.* 5.

Curiosa, *hic* quæstio fit obuiam: An Sagæ, Striges, & Magi transferantur verè ad conuenticula, & choræas, vbi nocturnis, luce indignis, voluptatibus commisceantur.

27 Prima opinio vult, eas translationes esse phantasticas, & merè imaginarias à dæmone strigis immissas, vt delusæ arbitrentur, se verè, eò delatas, voluptatibus frui.Ità sentiunt non solùm Acatholici scriptores communiter, Vvierus Codelmanus, Agrippa, & sectariorum huius temporis antesignani, Lutherus, & Melancthon, quos refert Martinus Delrius, *lib.2. disq. Mag. quest.*16. sed etiam, qui Catholicum nomen profitentur non pauci Iureconsulti, & Physici apud eundem, tùm Itali, in quibus Ponzinibius *lib. sing.* Porta, Alciatus; tùm Galli, speciatim Duarenus, Ærodius, Michael Monianus. Ex Hispanis Frater Samuel, *lib. sing. Author Fortalitij*, Martinus de Arles. Ex Germanis, Philippus Camerarius, Vvlricus Molitor, Leonardus, Vvairus, & alij.

28 Contraria sententia est, verè striges non nunquam ad conuenticula ferri. Ita censent communiter Theologi, & Iurisperiti Catholici. E Theologis eam tuentur Guilielmus Parisiensis *part. vlt, de vniuer. cap.*23. Abul. *in cap.*4. *Matth. quest.*47. Siluest. *verb. Heresis, num.*3. Caietanus 2. 2. *q.*95. *art.*3. Castro *de heret. punit. cap.*16. Sixtus Senensis *lib.*5. *Biblioth. annot.*73. Victoria *Relect. de Magia, q.*7. Picus Mirandul. *lib.*3. *dialogo strix*, Angles *in* 2. *quest. vn. de Magia, art.*4. Binsfeldius *concl.*11. Delrius *lib.* 2. *disq. quest.* 16. & *lib.* 5. *sect.* 16. & apud eundem è Canonistis, Turrecremata, Remigius Grillandus, Basinus Pegna. Arnoldus, & Malleus Maleficarum. Nauar. *Man. cap.*11. *n.*38. Idem habet Inquisitorum fidei à Summis Pontificibus constitutorum, & omnium in Italia, Hispania, Germania, & Gallia, Ecclesiasticorum Tribunalium communis sensus, & praxis, vt videre est,

29 tùm ex gestis; tum ex fama publica, tùm ex diuersis Bullis Pontificum ad Inquisitores fidei transmissis, Innocentij VI. Iulij III. Adriani VI. Clementis VII. relatis apud Binsfeldium, *edit. vlt.* & Delrium *lib.* 5. *sect.* 16. Tannerum *disp.*5. *quest.*5. *dub.*3. Valentiam *disput.*6. *quest.*2. *punct.*2. *col.*794. qui præcipuè nituntur experimentis, visu comprobatis, fœminarum delatarum, & constanti Maleficorum vtriusque sexus confessione. Videtur sententia D. Bonauenturæ *loco* mox *citando*, & *in* 2. *dist.*8. *p.*2. *quest.*3. & *in* 3. *dist.* 19. apud Fagundez *in primum preceptum, lib.*1. *cap.* 41. Ratione etiam Theologica D. Bonauenturæ *dist.*37. *p.*2. *art.*2. *q.*1. id confirmant. Sumitur verò ex Angeli perfectione ad mouenda corpora localiter; vt dixi, neque aliqua ratio est negandi, Deum id permittere; cum & filius Dei asportatus fuerit verè à Sathana, vt arguit S. Bonau. *ad* 3. *Luce*, & post eum Fagundez *num.*9. vbi alios allegat.

30 Oportet verò aduersariorum soluere fundamentum, quod nouiter admittit Morandus *tract.*7. *quest.*7. *num.* 679. & eruitur è Iuris can. decreto, *Can. Episcopi*, 26. *quest.* 5. quod tribuitur ibidem Concilio Anquirensi, seu Ancyrano, vbi videtur omnes has translationes imaginarias, & fictitias proclamare, vt refert Tannerus *num.*3. sic autem loquitur Canon.

Illud etiam non est omittendum; quod quædam sceleratæ mulieres, retrò post Sathanam conuersæ, dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt; & profitentur, se nocturnis horis cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus obedire, velut dominæ, & certis noctibus ad eius seruitium euocari. Sed vtinam hæ solæ in sua infidelitate periissent; & non multos secum ad infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo, hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt, & credendo, à recta fide deuiant, & errore Paganorum inuoluuntur, cùm aliquid diuinitatis, aut Numinis extra vnum Deum arbitrantur. Quapropter Sacerdotes per 31 Ecclesias sibi commissas populo Dei omni instantiâ prædicare debent, vt nouerint, hæc omninò falsa esse, & non à Diuino, sed à maligno spiritu talia phantasmata, mentibus fidelium irrogari. Siquidem ipse Sathanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cum mentem cuiuscunque mulierculæ ceperit, & hanc per infidelitatem sibi subiugauerit, illicò transformat se in diuersarum species personarum, atque similitudines: & mentem, quam captiuam tenet, in somniis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per deuia quæque deducit; & cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens, hoc non in animo; sed in corpore euenire opinatur. Quis enim non in somniis, & nocturnis visionibus extra se educitur, & multa 32 videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis verò tam stultus, & hebes sit, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? cùm Ezechiel Propheta *cap.* 1. 2. *&c.* visiones Domini in spiritu; non in corpore vidit? & Ioannes Apostolus Apocalypsis sacramentum in spiritu, non in corpore vidit, & audiuit, sicut ipse dicit? (*Statim*, inquit, *fui in spiritu.*) Et Paulus 2. *Cor.* 12. non audet dicere, se raptum in corpore, &c. Omnibus itaque publicè annunciandum est, quòd, qui talia, & his similia credit, fidem perdit. &c. Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso

Creatore,

Creatore, qui omnia fecit, proculdubio infidelis est, & Pagano deterior.

33 NAVARRVS citatum Canonem ità explicat, vt communiter quidem locum habeat; in aliquo tamen raro casu oppositum contingat. Idem sentit Caietanus.

At verò vniuersaliter loquitur negans, eam translationem esse realem.

Alij dicunt, Canonem loqui de strigibus illorum temporum. Ità Castro.

At nulla diuersitatis ratio inuenitur, vt rectè ait Vasquez *numero* 16. Tannerus *numero* 10.

Alij verò omninò se expediunt negantes, Canonem vllius esse authoritatis. Sic Delrius.

AT verò hoc est merum effugium, Canon enim insertus est in corpore Iuris Canonici ab antiquis Pontificibus admisso, & nunc à Gregorio XIII. approbato; neque verbulum aliquod apponitur, vt assolet, quo suspectus reddatur. Deinde à Glossa, & ab aliis Canonistis, & Interpretibus, nullo excepto, recipitur. His adde Suarez *tom. primo de Relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 6. *numero* 26. Vasquez *disp.* 184. *cap.* 3. Valentiam, Tannerum, & alios.

34 PRÆTEREA Gratianus, atque alij Canonistæ, & Doctores eum agnoscunt Concilij Ancyræ, non quidem è canonibus ordinariis; sed appendice, vt refert Binnius *tom.* 1. *Concil.* vbi etiam refertur Concilium illud à Nicæna Synodo approbatum, & à Synodo Trullana *can.* 2. vt notat Caranza *in summa Conciliorum.* Alij verò eum canonem à Damaso sancitum; vel confirmatum notant. Sic aiunt Baronius *anno* 314. & Binnius *loco citato*, Suarez *loco citato*, Tannerus *numero* 11.

Adde, eadem haberi apud D. Augustinum *lib. de Spiritu, & litt. cap.* 28. etsi liber ille non censeatur D. Augustini, est tamen doctus, & pius, vt refert Bellarm. *de Scriptoribus Eccl.*

35 TANNERVS *numero* 12. censet primò, deludi aliquando Sagas, vt dicebant Nauarr. Caietanus, & Vasquez, aliquando tamen realiter corporibus deferri; neque id negasse Canonem; sed solùm, non admittere eò deferri illis modis ad Diuini numinis fruitionem, vt constat ex vltimis ferè verbis, vbi diuinum quid à Deo subripi infert ab his. Sic intelligunt etiam Turrecremata *ibi, art.* 3. Tostatus *in* 13. *Genes. quæst.* 354. Syluester *verb. hæresis* 3. Suarez *loco citato, de Religione*, Delrius *lib.* 5. *sect.* 16.

ILLVD tamen mihi obstare videtur, quod assumitur à Canone in argumentum, è Scripturis eductum; nempè, quòd si Prophetæ, ibi recensiti in spiritu tantùm visiones habuere; neque ipse Paulus audet se corpore raptum asserere; multò minùs Sagæ; hæc enim ratio nulla erit, si prædicta expositio admittatur.

36 RESPONDEO tamen, eam rationem optimam esse, contra sagas illas, quas refert Canon, non opinatas esse; sed certò credidisse id necessariò ità fieri; nec vnquam delusas istæ se arbitrantur; vt constat ex Canone. Sic igitur arguit Canon. *Prophetæ multi visiones authenticas habuere in spiritu solùm; cur ergo stryges ad suas visiones, delationem corporum necessariam autumant?*

EAS verò sæpè, etiam sola imaginatione, eò
37 deferri, est euidenter probatum. Primò, quia sæpè in locis clausis sunt, nec possent transferri per ferrea repagula portasque clauibus conclusas, nisi confractis foribus, quod absque strepitu fieri non posset; neque è mariti latere tamdiu abesse, quin aduerteretur. Neque verò credibile est, suppositio cum corpore, Deum permittere, viros coniungi, aut semper profundè adeò sopiri, vt non sentiant. Adde, eas confessas, se in figuram Æluri, Muris, aut auis per rimas educi, quod ridiculum est corpori humano sic aduenire. Profectò delusæ comprobantur, dum epulas narrant, vt ego ab eis audiui, panis, atque caseoli, quæ sæpè in carbones transmutata dicunt, & cætera ludrica. Sanè modus iste illusorius est Diabolo conuenientior, qui est Pater mendacij, estque facilior, quàm tot apparatus epularum, harmoniarum, &c.

ALIQVOS sanè ex his vtriusque sexus audiui narrantes, se fuisse corpore in illis conuenticulis, mensis insedisse, cibos ad saturitatem comedisse, inter Choræas lusisse, & cum mulieribus viros; & cum viris mulieres turpissimis copulis coniunctas; personatas tamen mulieres, maximè sagas, astitisse, ne agnoscerentur; eò quòd sæpè vna, à Præsidentibus comprehensa, alias denunciasset vi tormentorum; Dæmonemque procerâ admodum staturâ armatum, sæpè etiam purpura indutum, præsedisse, quem inclinato in latus humero adorabant omnes, eique rationem de omnibus gestis reddebant; & si iussa non impleuerant, flagellabantur, itavt altè clamores attollerent, præsertim verò si aliquid iussum in Beatissimæ Virginis contemptum, vna saltem die omitterent. Quod ego expertus sum in duobus adolescentibus, mihi à parentibus consignatis, vt illos ab eo statu reuocarem, quorum alter, quadam die, manus ad genas vtrinque apponens, & digitos vtrinque in os, & ad oculos infigens, atque monstrosè dilatans, conuictus est, 39
id se iussu Diaboli, quem *Bonum* ausus est vocare, in Beatissimæ Virginis delusionem, & ignominiam, idque se quotidie peragere; quod si semel negligebat, grauissimis verberibus impeti; cui ego, fune, verbera permulta inflixi, dicens. Vah! num meliora sunt, quæ dæmon infligit? Hæc retuli, vt appareat, quam infensas, ac irreconciliabiles gerat spurcissimus serpens, cum fatali muliere Augustissima, inimicitias. Is se matrimonio coniunctum cum eleganti puella iactabat, cumque à turpissimis amoribus, & impudicitiis auellere satagerem, ipse vultu inflammatus, ingentia edebat suspiria, donec interrogans; num rectè eam obseruasset in manibus? respondit eam constrictos tenere digitos, vnguibus, gallinarum more, præacutis munitos. Tunc: Vide obsecro, nullam puellarum portentosos illos vngues gestare. Is dæmon est, tibi insidians, &c.

Ex tunc mitior, ac temperatior factus audiebat. Is, vultu eleganti admodum, sed animo deformi, pincerna Diaboli conuenticulorum præsidis, ab eo vehementer amatus, illi in deliciis erat; eique multos alios dedere, à fide reuocatos, conabatur. Plurima alia, heu deploranda, ab eo, aliisque audiui, qui tamen fatebantur, se etiam non rarò solà imaginatione ad choræas deferri, dum eo tempore à parentibus custodibus in eodem cubiculo affuisse obseruabantur. Huius scholæ multos in Rhetiæ ditione offendi sectatios. 40

INTER plurimos vnam ad mortem deduxi; aliam, tormentis inconfessam, in exilium ad nostras terras transuehendam euraui, vt iam decrepita, dentibus, colore, calore, fœdus cum morte soluentibus, à turpissima illa arte recederet; ipsa insolens, se Angelo sancto innocentiorem eiurauit. Sequenti nocte, extra se rapta, imaginariè, vt creditur, delata ad choræas, iacebat. Tunc maritus, 41

ritus, eâ ignominiâ saturus, summo mane, mortuam conclamans, clerum conuocauit, eamque ad sepulturam portandam curauit, atque in cæmeterio profundè sub terra sepultam, optimo, ac læto vale, dimisit. Sequentibus verò noctibus ingentes, ac nigri videbantur Æluri circum saltantes, ac festiuissimè colludentes. Omitto cætera, quibus compertum habeo id, quod suprà assertum. Hoc Fagund. Epiphonemate concludo. Hanc negare translationem, est insanire.

QVÆSTIO IV.

Vtrum vnus ANGELVS *alium mouere queat.*

42 VASQVEZ *disput.* 194. irridet dicentes, posse vnum Angelum, virtute in alium impressâ, eum impellere, atque mouere ad alium locum, cùm hoc sit proprium corporum.

COMMVNIS tamen sententia est assertiua. Eam tradunt Maior 2. *dist.* 2. *quæst.* 7. Molina *quæst.* 52. *art.* 3. Suarez *disp.* 30. *Metaph. sect.* 6. *numero* 28. & *hic, lib.* 4. *cap.* 28. Zumel. *quæst.* 53. *art.* 3. *quæst.* 5. Pesantius *art.* 1. *disp.* 2. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 2. Arriaga *disp.* 18. *sect.* 4. Alarcon *disp.* 7. *cap.* 1. Morand. *tract.* 7. *quæst.* 17. Id verò supponere videtur D. Bonauent. 2. *dist.* 6. *duabus vltimis quæstionibus.* Imò probat ex illo 11. *Lucæ*, vbi Christus probat, se non reiicere dæmonia è corporibus, impulsu aliorum dæmonum, tali medio: *Si Sathanas Sathanam eiicit, quomodò stabit regnum eius?* Ibi supponitur, vnum Angelum posse alium eiicere; tametsi dæmones id non præstent, vt regnum suum impium conseruent.

43 Falsò igitur Vasquez, ait, solo id fieri posse imperio Dei. Confirmatur ab Arriaga, contra eundem Vasquez. Magis est proportionatus Angelus Angelo, quàm corpori: at mouet corpora: Ergo.

PROBATVR secundò à Suarez ex D. Bonauent. *loc. cit. quæst. vlt.* D. Thom. *p. p. quæst.* 109. *art.* 2. ex prælatione, quæ est inter Angelos ex naturali dispositione, quippè qui, sicut in perfectione naturæ, ità in operatione, inferiores superioribus subduntur. Igitur, cùm inter eos sit moralis potestas, requiritur etiam aliqua potestas physica ad eam exequendam, coercendo, impellendo, &c.

Confirmatur, nam dæmones animas deferunt ad infernum; & Angeli sancti in Paradisum, vt de anima Lazari ad sinum Abrahæ scribitur *Lucæ* 16. Cur & Angelus non poterit alium mouere?

44 RESPONDET Alarcon, animas moueri ab Angelis solo imperio.

At debemus saluare proprietatem Scripturæ, quantum possumus. Dicitur autem de anima Lazari. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*; neque verò est vllum fundamentum dicendi, id fieri supernaturaliter, vt notat Tannerus.

45 POTEST autem inferior, etiam inuitus, moueri à superiore, quod frustra negat Zumel. Probatur, quia actio oritur ex virtutis excessu in passum, atque adeò non poterit quidem inferior mouere superiorem, vel æqualem; poterit tamen inferiorem, vt notant Tannerus, Suarez, & alij.

Ex dictis autem *quæst.* 2. sequitur, Angelum non mouere alia, imprimendo eis qualitatis impulsum. Probatur, quia nequeunt producere qualitates. Ità Suarez *disp.* 35. *Metaph. sect.* 6. *num.* 24. Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 2. *num.* 15.

QVÆSTIO V.

An potentia loco motiua ANGELI *distinguatur ab eius intellectu, & voluntate.*

PRIMA opinio est negatiua. Sic D. Thom. *quæst.* 54. *art.* 5. *& quæst.* 89. *art.* 1. *ad* 3. & *q.* 16. *de malo, art.* 1. *ad* 14. & *quodl.* 6. *art.* 2. & *opusc.* 11. *art.* 3. *&* 13. Heruæus *in* 2. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 4. Capreol. *dist.* 7. *quæst.* 2. Soncinas *in Metaphys. quæst.* 35. Durand. *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 5. Argentina *dist.* 8. *quæst.* 1. *art.* 1. Bassolis *dist.* 14. *quæst.* 1. Scotus apud Fabrum *in* 2. *disp.* 42. *num.* 14. Colleg. 2. *cæli, cap.* 5. *quæst.* 7. *art.* 2. Ruuius *quæst. vlt. tertij de anima*, probabilem censet Vasq. *disp.* 102. *cap.* 5. *&* 4. Zumel. Molina, & alij *p. p. quæst.* 54. D. Thom. *art.* 5. Alarcon. *disp.* 6. *cap.* 8. Granado, & alij.

SECVNDA sententia est, potentiam motiuam esse distinctam ab intellectu, & voluntate Angeli. 46 Ità Aureol. 2. *dist.* 8. *quæst. vnic. artic.* 3. Henricus *quodl.* 13. *quæst.* 6. Godfred. *quodl.* 1. *quæst.* 4. Mairo *primo, dist.* 43. *quæst.* 5. Caiet. *p. p. quæst.* 54. *artic.* 5. Conimbric. 2. *de cælo, cap.* 5. *quæst.* 7. Suarez *in Metaph. disput.* 35. *sect.* 6. *à numero* 21. & *lib.* 4. *de Angelis, cap.* 29. Arriaga *disp.* 17. *sect.* 7. Morand. *tract.* 7. *quæst.* 17. Ruuius 2. *cæli, cap.* 5. *quæst.* 10. & alij apud hos. Videtur autem sententia D. Bonau. 2. *dist.* 8. *p.* 1. *quæst. vlt. & art. primo, quæst.* 2. *eiusdem dist.* Assentitur P. Galitius *p.* 2. *Phil. lib.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 6. loca referens S. Bonau. *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *ad vlt. & distinct.* 8. *art.* 1. *quæst.* 2. *& art.* 3. *quæst.* 2.

ASSERO cum hac sententia, potentiam motiuam Angeli distingui ab eius intellectu & voluntate.

PROBATVR ex D. Bonauent. *distinct.* 8. *loc. cit.* 47 Actus intellectus, & voluntatis sunt ab Angelo, vt imitatur animam, in se exercentem opera vitæ, siue actus immanentes; at mouere corpora imitatur animam, non vt est perfectio, seu forma intrinseca, sed vt est motor: anima autem non est motrix corporis ad progrediendum per solum intellectum, & imperium voluntatis: Ergo. Minor probatur; quia actus intellectus, & voluntatis sunt immanentes; & ideò non egrediuntur extra ipsas potentias; vt docet Aristoteles *primo Eth. cap.* 7. Et 9. *Metaph. cap.* 9. Confirmatur quia actus voluntatis potest ad summum imperare motum: Ergo requiritur potentia executiua. Hanc rationem laudat Ruuius. Deinde confirmatur, nam Angelus vnitur corpori, non vt forma; sed vt motor: Ergo exercet virtutem mouendi, egrediendo: sed intellectus, & voluntas in suis actibus non egrediuntur: Ergo. Antecedens patet. 48 Consequentia probatur: nam & anima, vt exerceat motum progressiuum, vel aliquem alium ascendendi, aut descendendi, eget potentiâ distinctâ ab intellectu, & voluntate. Eodem argumento vtitur Suarez *num.* 7.

Vltimò tandem confirmatur. Nam ea, quæ sunt distincta in Ente supremo simplicissimo, multò magis distinguuntur in Ente inferiori: sed in Deo

Potentia

Potentia distinguitur ab Intellectu, & Voluntate; vt ostendi *Tract.* 1. *disp.* 24. *quæst.* 1. Ergo.

Hinc patet ad argumenta aduersariorum. Licèt enim Angelus, vt gradum habet cognoscitiuum, habeat solùm duas potentias, Intellectum, & Voluntatem; tamen, vt est etiam motiuus, eget potentiâ motrice.

49 SIMILITER ex D. Bonau. patet, non rectè eos arguere. Quod est sparsum in inferioribus, est vnum in superioribus: Sed potentia motiua in anima est distincta à voluntate: Ergo in Angelo, qui est superior, est vna.

Maior enim sic est falsa; alioqui oporteret, etiam intellectum, & voluntatem Angeli esse omninò vnam. Vera est igitur, quando illa diuersitas in inferiori oritur ex imperfectione eius, quæ à formali ratione superioris excluditur.

QVÆSTIO VI.

An debeat ANGELVS *esse coniunctus mobili.*

HÆc quæstio vniuersaliter de motoribus tractatur 8. *Phys.* Eam verò *hic* agitabo, quia in Angelo posset aliquis præsumere, non requiri propinquitatem eius cum mobili.

PRIMA opinio est Scoti *in primo*, *distinct.* 37. *quæst. vn.* quem discipuli omnes comitantur, Lichetus, Burgius, Bassol. Mairo, Vigerius, Tartaret. Posnan. *ibidem.* Faber *disp.* 52. & *Theor.* 33. Vulpes *tom. primo*, *disp.* 18. *art.* 5. Smisingh. *tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 1. Brancas *disput.* 9. *quæst.* 2. Rubion *eadem disp.* 37. Rada *controu.* 28. *art.* 2. Mastrius *in primo*, *disp.* 2. *quæst.* 5. *art.* 2. vbi falsò affert Trigosium, vt ostendi *tract.* 1. *disp.* 7. *quæst.* 2. vbi ex operatione Dei intuli substantialem eius præsentiam. Liuius Rabesanus 7. *Phys. disp.* 1. *quæst.* 1. Poncius *disp.* 19. *quæst.* 2. Subscribunt Nominales, Gabr. *dist.* 37. *quæst. vn. art.* 3. *dub.* 1. qui adducit Ochamum *ibi.* Citantur quoque Auic. Alex. Aphrod. & alij apud Suarez *disp.* 8. *Metaph. sect.* 8. Hi omnes dicunt, non esse necesse, vt mouens, & mobile sint simul.

50 IN contrarium vrget Philosophorum, ac Theologorum torrens. D. Bonauent. vniuersaliter de omni Motore *primo dist.* 37. *p. p. quæst.* 1. *& vlt.* & *de Ang. in* 2. *distinct.* 2. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. D. Thom. *p. p. quæst.* 8. *art.* 1. Et *secundo contra Gent. cap.* 68. vbi Caietanus, Ferrar. Capreolus, & *in* 4. *dist.* 37. *quæst. vn. art.* 1. Bannes *primo de Gener. quæst.* 1. *cap.* 6. Zanard. 7. *Phys. quæst.* 2. qui pro ea refert etiam D. Bonauent. *in primo*, *distinct.* 18. *p.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. & Durand. *ibi*, *quæst.* 1. vbi neuter de hac re loquitur, vt vidit P. Galitius *p. p. Phil. lib.* 3. *tract.* 4. *quæst.* 1. vbi eruditissimè quæstionem ex more persoluit, referens præter allegatos, etiam alios Thomistas, & Iesuitas, Toletum 7. *Physic. quæst.* 2. Suarez *loco cit.* Conimbric. *lib.* 7. *Physic. cap.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2. Ruuium 7. *Physic. c.* 2. *quæst.* 1. Vasq. *p. p. disput.* 179. & 3. *p. dist.* 57. *cap.* 5. Hurtadum *disput.* 9. *Phys. sect.* 6. Valentiam *tom. primo*, *disp.* 1. *quæst.* 8. *p.* 1. Tannerum *tom. primo*, *disput.* 6. *quæst.* 4. *dub.* 3. His adde alios citatos, *tractat.* 1. *disp.* 7. *quæst.* 2. Arctium *disp.* 5. *de gener. quæst.* 41. Picolom. *disp. de effec. & perpess. operum per naturam*, *cap.* 6. Eustachium Cisterciensem *p. p. Phys. tract.* 3. *quæst.* 9.

51 FVNDAMENTVM huius sententiæ sumitur à D. Bonauent. *in primo*, *dist.* 37. *citata*, *quæst.* 1. *in corpore*, *addita responsione ad* 2. *& vlt.* ex Aristotele *primo de gener. text.* 43. & 7. *Physic. text.* 10. Et *primo Meteor. cap.* 2. *Agens*, *& passum*; *mouens*, *& motum debent esse simul.* Quia, cùm agens creatum habeat virtutem limitatam, & determinatam sphæram suæ actiuitatis, sicut ab omnibus sapientibus conceditur, non potest agere in distans; alioqui per quamcunque distantiam non minueretur virtus, & consequenter posset agere extra omnem sphæram in quâuis distantiâ, etiam infinitâ. Ideò igitur ordo vniuersi tali pacto est 52 constitutus, vt ait Aristoteles, adductus à Fabro, vt veluti exercitus causarum constipatus, se inuicem adiuuet contiguitate, vt vna causa, alteram adiuuando, deferat virtutem proportionatè. Igitur quòd agentia creata non operentur immediatè, nisi in propinquum, est, quia Deus voluit, vt, iuxta eorum virtutem limitatam, haberent certam sphæram actiuitatis, protensæ ab ipso agente vsque ad certum terminum, in qua etiam operarentur, non discretè, sed continuè, ne permiscerentur, aut confunderentur actiones diuersorum agentium. Hæc autem finitas virtutis, & sphæræ cùm omnibus creaturis conueniat, vt fatetur Mastrius *num.* 229. vbi in hoc virtutem creatam opponit, 53 increatæ infinitæ. Frustra limitare conatur dicens, id sæpiùs, & regulariter euenire, ob talem finitatem sphæræ actiuitatis, vt creatura non possit agere in distans. Profectò idem manens idem, semper facit idem. Sed per te finitas in creaturis semper est, eaque semper eadem: Ergo semper facit in omnibus idem, vt nequeant agere in distans; alioqui aliqua virtus finita extra omnem sphæram in infinitam aget distantiam. Ex hac doctrina, quam conciteri cogitur Mastrius, ruit eius asylum, quò fugerat 7. *Phys. quæst.* 4. *art.* 3. & *hic*, *num.* 228. dicens, quòd causa efficiens, cùm sit extrinseca, quæ non se communicat per intimam sui exhibitionem effectui, ad modum causæ materialis, & formalis; sed dat esse, à se seiunctum, non eget intima inexistentia in passo. Contrà enim est, quia agens est actus passi; actus autem, vt perficiat passum, debet illud suâ virtute attingere; quæ cùm finita sit (esto extrinseca) ex vi agentis talis creati finiti, exigit indistantiam, vt rursum concedit Mastrius *num.* 230.

ITAQVE, si Angelus, vel aliud agens posset in 54 distans operari, non deriuato influxu per medium, vt volunt aduersarij, nullus terminus assignari posset, intra quem necessariò deberet in distans operari: Ergo potest mouere in quauis distantia: nam, si medium vacuum influxui Angeli nihil conducit, nec nocet motioni, sed negatiuè se habet, poterit augeri distantia in infinitum, ad quam semper Angelus mouebit. Hæc ratio sumitur ex D. Bonau. *ad* 2. *& vlt.* vbi etiam addit, agens creatum, quia differt à suâ virtute, posse eam extendere, vbi ipsum non adest supposito, ad finitam tamen distantiam, seu sphæram, quia virtus finita non potest elongari, nisi finitè, vt docet S. Doct. *fundamento* 4. *quæst.* 1. *articuli secundi eiusdem distinct.* 37. Deus autem intrinsecè adest supposito, vbi operatur, non concomitanter, vt putant Scotistæ; sed ex perfectione intrinseca agendi, vt ostensum *tract.* 1. *disp.* 7. *quæst.* 2.

CONFIRMATVR à S. Doct. *eadem dist. parte* 2. 55 *quæst.* 2. *articuli secundi*, *argument.* 2. ex D. Damasceno *primo de fide*, *cap.* 17. vbi ait: *Angelus ibi est*, *vbi operatur*, qua authoritate nititur Suar.

numero

numero 5. licèt alleget *caput* 3. Ratio verò affertur à S.Doct. *ad locum Damasceni, & in corpore* è finitate virtutis Angelicæ, quæ ratio, vt dixi, vniuersalis est. Confirmatur adhuc à S. Bonau. *in* 2. *disput.* 8. *p.*1. *quæst.* 2. è Scripturis, quæ indicant, Angelum ibi esse, vbi operatur. Id probat illo *Heb. vltim.* vbi dicuntur multi placuisse Deo, Angelis hospitio receptis, vt Abraham, Loth, apud quos Angeli operabantur, quia aderant. Sic Tobiam consolatus est Raphael; & alibi, manducabant, sedebant, & præsentes operabantur. Quod si possent operari in distans; quorsum Angelis omnibus missiones à Deo iniunguntur, vt dicitur *Heb. primo*? His authoritatibus nititur quoque Suarez *numero* 5.

56 Qvod enim corporibus necessaria sit indistantia ad agendum, non oritur è peculiari corporum natura, sed ex finitate virtutis, quæ etiam Angelis est communis.

Respondet Faber *num.* 34. tunc solùm necessariam esse actionem agentis per medium; quando eadem ratione debet etiam extremum tangere; & agens ex finitate virtutis non potest agere in totum passum, constans ex extremo, & medio; at quando agit diuersa actione in extremum, & medium; & agens est perfectè potens agere in totum; & passum non est impeditum à contrario, falsum est; quod patet, quia actiones disparatæ, & diuersæ proueniunt à diuersis virtutibus actiuis. Igitur ratio, ob quam agens agit in passum sibi immediatum, non est distantia, siue propinquitas, sed proportio: Propinquitas enim solùm requiritur ob finitatem agentis virtutis, & propter ordinem vniuersi, in quo non datur vacuum; non autem, vt agens per eam propinquitatem recipiat aptitudinem ad agendum, & passum ad recipiendum; vnde, stante alio ordine vniuersi, posset agens agere in vacuo ad distans, si illo posito seruaretur proportio inter agens, & passum. Hinc etiam corpus interpositum non impedit actionem, quando agens agit diuersâ actione in medium, atque in extremum; sed quando agit eâdem actione, impedit; non quia agens agat priùs in medium, quàm in extremum, vt patet de Sole operante in toto aere; sed euenit propter agens contrarium obsistens, & reddens passum improportionatum.

57 Igitur per accidens verum est id, quod ait Aristoteles, *agens, & passum debere esse simul*, non quia natura actionis id exigat; sed propter ordinem vniuersi, qui exigit, vt agentia, & passa proportionata, simulque sint, ne detur vacuum, quo tolleretur vniuersi harmonia.

58 Contra responsum sic arguo primò. Quando agens agit diuersâ actione in medium, & extremum, seu passum, & est agens perfectum; nec impeditum à contrario est passum, potest agere in distans, per te. Demus Solem, qui est tale agens perfectum, & diuersâ actione agit in aërem, & in terram, in eâ producendo germina, & aurum. Interponamus montem vastissimum, cur non vegetabit terra? Si dicas, quia mons ille impedit: ego quæro, cur impedit? Sanè, quia impedit medium: Ergo signum est, actionem debere per
59 medium transire. Quòd si actio sola, quæ est eiusdem rationis, debet transire per medium, & hæc cùm sit diuersa, nam aërem illuminat: terram verò fœcundat; cur mons interpositus impediet germinationem? Dicere verò hoc esse ex ordine vniuersi à Deo instituto, est nobiscum dicere: nam Deus, & natura nil frustra faciunt: Si enim talis est ordo vniuersi, vt exigat agens, & passum esse simul: Ergo actio, & passio idipsum exigit. Quod si alius ordo vniuersi instituatur, oportebit naturas immutare; nunc autem de naturis, quæ sunt, disputamus; non de his, quæ non sunt. Quòd verò addit, actiones disparatas venire à diuersis virtutibus semper; falsum est: nam sæpè venit ex dispositione varia passi; idem enim radius liquefacit ceram, & lutum exsiccat.

Qvod etiam ait, rationem agendi esse solam proportionem; non autem indistantiam. Dico in 60
sensu Scotico, falsum conuinci. Demus ignem Brixiæ, & lignum aridum Romæ, cur non combureti si dicas, ob finitatem virtutis. Igitur oportet, vt diffundat virtutem per medium: nam si medium nil confert, cur non potest ignis Brixiæ comburere paleas dispositas, atque adeò proportionatas Romæ? Si dicas, venire ex finitate virtutis; profectò cùm, posito quouis ordine vniuersi creaturarum finitarum, perseueret eadem ratio; necessaria erit semper approximatio, & continuatio virtutis vsque ad passum. Si dicas, requiri hoc propter ordinem vniuersi, propter quem arcetur & vacuum; Ego dico; cur natura refugit vacuum? Deus enim, & natura nil frustra faciunt. Cur agentia, dum agunt diuersâ actione, nituntur arcere vacuum, si medium non confert? Videmus enim aërem, dum 61
fistulam humectat, & madefacere satagit, aliâ actione eniti, ne detur vacuum: & Sol, dum illuminat, & calefacit aërem rarefaciendo, impellit humores, & halitus, ne dissoluatur continuitas vniuersi; & dum illum frigore condensat per Antiperistasim; alia corpora apponit. Sanè, vt ait Aristoteles suprà, quia agentia ità sunt ordinata tali proportione, qualis necessaria est ad agendum; alioqui tantus conatus esset frustrà. Quod si demus alium ordinem vniuersi, dabitur & alia ratio naturarum. Et si eatenus secundum hunc ordinem agentia sunt proportionata; quia hunc ordinem seruant, cùm ad hunc ordinem requiratur, per te, vicinitas agentis, & passi; iam confiteris, proportionem necessariam eâ contiguitate seruari.

Obiicit primò Scotus, & cum eo discipuli: 62
Sol in terra producit aurum, & alia metalla; nec non & gemmas, arbores, &c. Sed non potest ea producere lumine, vel radio: quia accidens, cùm sit imperfectius substantiâ, nequit producere substantiam; nullus enim effectus est suâ causâ præstantior.

Respondetvr, accidentia posse causare substantiam, neque necesse est, agens, quod producit, vt instrumentum virtute principalis agentis, esse nobilius passo, seu effectu; tale enim agens tantum potest producere, quantum potest disponere, ex D. Bonau. *in* 4. *dist.* 49. *p.* 2 *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 1. formæ enim sunt in materiæ potentia.

Deinde addo, aliquos sanè effectus exquisitos 63
exigere proprium etiam agens, vt generatio hominis, vt notat D.Bonau. *dist.* 8. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. in aliquibus etiam operatur aliqua substantia, vt in mineralibus ignis subterraneus, sulphur concoquendo, & alia huiusmodi. Itaque exempla Scotistarum nil premunt, suppositis eis, quæ ostendo, *tract.* 5. *disp.* 7. *quæst.* 2.

Obiic. 2. multos effectus produci à causa absente; nam Torpedo stupefacit manum piscatoris, non arundinem, non chordam, non hamum. Magnes remota trahit Ferrum, Adamas paleas, non alia

intermedia. Phalangius Apulus mordens excitat appetitum soni; moriente illo cessat venenum. Eclenis retinet (ob id Remora dictus) nauim; non retentâ aquâ. Bufo aperto ore trahit ad se mustellam. Galgalus, ictu oculi, trahit morbum ictericium. Struthiocamelus, oculo fouet oua. Ex oscitatione visa, excitatur appetitus oscitandi. Aliqui medentur vulneribus remotis medendo telæ. Homicida præsens è cadauere interfecti sanguinem trahit, etiamsi non tangat: Serpentes incantantur verbis.

64 Respondetur in his, & similibus experimentis id, quod naturaliter euenit, modo à nobis dicto euenire, diffusâ virtute, vel physicâ, vel in quibusdam intentionali per phantasiam ad aspectum obiecti, quod si in medio non succedit idem effectus, id euenit ex indispositione, vt monet Eustachius è D. Bonauent. *serm.* 1. *de vno S. Doctore*, & *Compend. Theol. lib.* 2. *cap.* 7. Multa verò sunt vana: multa dæmonis operâ eueniunt, aliqua verò forsan à Deo, vt in sanguine interfecti, qui, præsente homicidâ, è vulneribus erumpit.

Obiicies vltimò. Angelus mouet cœlum: Ergo vbique cœli adest: sed hoc est inconueniens: Ergo agens in distans.

Respondet D. Bonau. *in* 2. *dist.* 2. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. quem sequitur Scotus *ead. distinct.* D. Thom. *p. p. quæst.* 52. *art.* 2. Suarez *lib.* 4. *cap.* 31. *numero* 12. Tanner. *disp.* 6. *quæst.* 4. *dub.* 3. *num.* 21. Angelum in vna parte cœli mouere partem post partem; & mediante illa totum cœlum continuum. Ità etiam Aristoteles 8. *Phys. cap. vltim.* & *secundo cœli*, *cap.* 2.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Angeli *vera corpora assumant.*

D. Bonau. in 2. d. 8. q. 2.
D. Thom. q. 51. art. 2.

Certissimum est, Angelos sæpè visibiliter in speciebus virorum apparuisse *Genes.* 18. Abrahæ; 19. Loth; 32. Iacob, &c. Quæstio est autem: An veris corporibus assumptis appareant; an potiùs illudant.

65 Dixerunt aliqui, eas apparitiones esse illusorias. Ità Vvldaricus *lib.* 4. *summa*, & allegat Albertum suum præceptorem, apud Dionysium Carthus. *dist.* 8. *quæst.* 1. cùm tamen Albertus 2. *dist.* 8. *art.* 2. & *in opere de quatuor coæuis, p. p. quæst.* 9. *artic.* 10. & 11. & *in summa, tract.* 9. *quæst.* 33. oppositum docuerit. Aliquos adducunt etiam Vasquez *disp.* 183. Valentia *disp.* 4. *p.* 1. & Auersa.

Vera igitur sententia est, Angelos verè corpora assumere. Ità Scholastici omnes cum Magistro *in* 2. *dist.* 8. vbi S. Bonauent. *quæst.* 2. D. Thom. *hic*, & cæteri, vt referunt allegati: ac Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 5. Morand. *tractat.* 7. *quæst.* 7. Suarez *lib.* 4. *cap.* 33. Faber *disputat.* 42. Fuliensis *lib.* 3. *cap.* 2.

66 Probatur ab omnibus, argumento D. Bonauent. ex apparitionibus in Scriptura descriptis. Sic enim tres Angeli apparuêre Abrahæ in specie virorum, qui etiam comedisse ab eo sunt visi; & posteà Sodomam ingressi, apud Loth hospites narrantur, *Genes.* 18. & 19. Sic Angelus in specie virili Gedeonem ad bellum animauit, *Iudic.* 6. Rursus Angelus apparens Manue, eiusque vxori ortum prædixere Sampsonis, *Iudic.* 13. Similia habentur *Tobiæ* 5. & 12. *Lucæ* 2. & 24. *Matth.* 4. 28. *Marci* 16. *Ioan.* 20. *Act.* 1. 12. Eas verò fuisse in veris corporibus apparitiones testatur communis Patrum consensus. Tertulliani, *lib. de carne Christi.* Athan. *serm.* 4. *in Arrianos.* Gregorij *homil.* 34. *in Euangel.* & *lib.* 28. *Moral. cap.* 2. Isidori *lib.* 2. *de summo bono*, *cap.* 12. Bernardi *serm.* 5. *in Cant.* Damasc. *lib.* 2. *de fide*, *cap.* 3. & 4. præcipuè August. 67
lib. 3. *de Trinit. cap.* 10. & 11. & *lib.* 15. *de Ciuit. cap.* 23. vbi ait: *Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, quæ non solùm videri; sed etiam tangi possent verissima Scriptura testatur; vt hoc negare impudentiæ videatur.* Sic etiam Beda *de natura rerum*, & *lib. variarum qq. quæst.* 9. apud D. Bonau. *hic*, *art.* 2. & *lib. primo Pharetræ*, *cap.* 6.

Probatur secundò à D. Bonauent. argumento D. Bernardi. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Hebr. primo.* Sed ad ea ministeria, sæpè necessaria sunt vera corpora assumpta, vt loquantur, doceant, amplectantur, consolentur, &c. Inter corpora autem, aptissimum est humanum ad sociabile consortium. Hoc argumentum attigit S. Doctor. & *in primo, dist.* 37. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *fundam.* 1. & fuit olim D. Athanasij, quo nituntur moderni.

Obiicies primò; debet esse proportio assumentis ad assumptum. Sed Angeli ad corpus non est proportio: Ergo. 68

Respondeo, hoc, & similia argumenta ruere, si notemus cum D. Bonau. *ad argumenta*, quem sequuntur Fauentinus *numero* 6. cum Scoto. Vasq. *numero* 7. Suarez *cap.* 36. Tanner. *à numero* 9. Angelum quidem non habere proportionem ad vnionem formalem, siue etiam hypostaticam cum corporibus. Et quidem cùm sint entia completa, nequeunt vniri, vt formæ, quod aduertit S. Bonau. *ad* 3. Neque possunt naturaliter hypostaticè vniri, quia habent personalitatem limitatam, suæ naturæ commensuratam; & si aliqua talis facta esset, iam etiam fuisset communicatio idiomatum; & sic Angeli passi, corrupti cum corporibus fuissent, quod est nouum; vt aduertit S. Bonauent. *ad vltimum.* 69

70 Non igitur aliqua vnione substantiali vnitur Angelus corpori. Probatur à Suarez *num.* 4. *argumento D. Bonau. ad vlt.* Inter duas substantias distinctas nequit intelligi vnio substantialis, nisi vel in vnâ natura per modum partium essentialium; vel in vno supposito per hypostaticam vnionem; sed neutra istarum in assumptione corporis Angelici interuenit: Ergo. Omitto compositionem è partibus integralibus, quia hæc nequit fieri ex anima, & corpore.

Ex quo etiam concludimus, Angelum non vniri corpori propria formali vnione, etiam accidentali; ac proinde solùm assistere, veluti motorem ad mobile, intimâ substantiali præsentiâ, cum particulari respectu ad vsum proportionatum ministerio, vt docet D. Bonauentura *ad argumenta*, D. Thomas *ad secundum.* Suarez *numero* 5. Tannerus *numero* 10.

Quæstio

QVÆSTIO VIII.

An corpora ab ANGELIS *assumpta sint organica.*

D.Bonauent. dist. 8. p.1. a t.2. quæst.1.
D. Thom. in 2. dist. 8. quæst.1.art.3.

TAMETSI concesserim, corpora ab Angelis assumpta, esse vera corpora, adhuc manet dubitatio: An sint illius speciei, quæ apparet. Non negauerim, posse Angelum, applicando actiua passiuis, efficere, vt producatur animal imperfectum artificioso modo (sunt enim aliqua, quæ egent necessariò parentum generatione, vt docet D. Bonauent. *hic, & ad* 3.) Quæstio igitur deciditur præcipuè de corpore humano, quod est nobilissimum.

ASSERO ergo, ea non esse vera corpora organica, maximè humana, contra Tertullianum *lib.* 3. *contra Marcionem, cap.* 9. & *lib. de carne Christi, cap.* 6. Est assertio omnium Theologorum,
71 vt notat Suarez *lib.* 4. *cap.* 34. & 35. Vasquez *disp.* 185. *cap.* 2. & 4.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in fundamentis.* Eiusdem virtutis creatæ est corpus formare, & informare; quia vis formatiua est ab informatiuâ, siue perfectiuâ. Sed nullus spiritus Angelicus potest corpus informare: Ergo. Hac ratione vti'ur Suarez *numero* 3. *cap.* 34. & *numero* 4. *cap.* 35. non enim potest corpus humanum fieri extra vterum fœminæ, & vasa generationis; vt notat Suarez *numero* 4. cum D. Bonauent. *ad* 5.

Confirmatur à S. Doct. quia Angeli nequeunt producere corpus, nisi cum adiutorio naturæ. Sed natura non potest producere corpus humanum, nisi illa, quæ est ei similis in specie, nempè homo; hic autem non potest producere, nisi generando: Ergo nec Angelus potest formare corpora humana, nisi per humanam generationem.

72 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. quia hæc fierent vel per nouam creationem, vel per reparationem cadaueris, quod fingere est forsan erroneum, vt ait Suarez *num.* 5.

PROBATVR quartò à S. Doct. Si illa essent vera corpora humana, haberent appetitum ad animam rationalem. Deus autem complet appetitum naturæ: Ergo Deus infunderet eis animam; & sic esset verus homo, non ex genere Adæ, nec peccato originali obnoxius, vt infert etiam Suarez *cap.* 35. *numero* 3.

PROBATVR quintò. Vel ea corpora essent gloriosa, vel non. Si primum: Ergo non essent corruptibilia: si secundum: Ergo ponderosa, exposita sexcentis necessitatibus, quas supplere, esset Angelo admodum difficile; vt aduertit S. Doct. *ad* 4. *quæst.*2.*d.*8.*p.*2. *art.*2.

PROBATVR sextò à S. Doct. quia eo modo possunt naturaliter res prod ci, quo institutum est à Deo: At Deus instituit productionem corporis humani per solam generationem, qui enim dixit terriæ: *Germinet herbam; & producant aquæ reptile, &c.* dixit hominibus: *Crescite, multiplicamini, &c.* Ratio est maior per- 73
fectio. Hac ratione vtitur Faber *disputat.* 42. *numero* 8. Quamuis autem initio è terra, & aquâ etiam animalia eduxerit miraculosè, tamen postea eorum etiam multiplicationem generationi commendauit dicens: *Crescite, multiplicamini, &c.* Vim autem germinatiuam dedit terræ, indidit tamen semina herbis, & plantis: *Cuius semen, &c.*

Potest sanè Dæmon cadauer mouêre; attamen cadauera assumere non videtur illi concessum; quia cogitur talia assumere corpora, vt saltem ex vnguibus discernatur, vt obseruat Binsfeldius, *tract. de confess. malefic. prælud.* 12. & ego à strigibus audiui. Angeli verò sancti talia assumunt, quæ illicò euanescunt; neque asserenda sunt miracula sine necessitate.

QVÆSTIO IX.

Ex quâ materiâ fiant corpora ab ANGELIS *assumpta.*

D.Bonauent. dist.8. p.2. art.2. quæst.2.
D. Thom. quæst. 51. art. 2. ad 3.

TERTVLLIANVS *libro de carne Christi* docuit, ea corpora è nihilo fieri.

ALII apud D. Bonau. dixêre, ea fieri è materia cœlesti, videtur Isidori, & Bedæ, *locis citandis.*

Alij dixere, ea ex aëre constipari. Allegantur à Fabro *disput.* 42. *numero* 7. D. Thom. *loc. cit.* Durand. *dist.*8. *quæst.*1. *num.*7. At verè dicunt, ea fieri ex corpore mixto, seu impuro aëre.

VERA igitur sententia est, hæc componi ex 74
elementis admixtis. Ità D. Bonau quem sequuntur Scotus *dist.* 8. *quæst. vn.* Faber *loc. cit.* Suarez *cap.* 34. *numero* 5. Vasquez *disp.* 185. *num.*17. Tannerus *disp.* 5. *quæst.*5. *dub.*5. *num.*15. qui adducit etiam Richardum *dist.* 8. *art* 1. *quæst.* 3. Gabr. *quæst.*1. *art.*2. Alensem *p. p. quæst.*34. *memb.*4. Albertum 2. *p. tract.*9. *quæst.*33. *memb.*2. & *de quatuor coæuis p. p. quæst.*9. *art.*11. qui duo postremi videntur admittere, ea fieri saltem à bonis Angelis etiam ex aëre puro, quibus fauent Isidorus *lib.* 1. *de summo bono, cap.*12. *num.* 19. Beda *lib. qq. quæst.*9. fieri verò ex aëre crasso, mixto vaporibus, & similibus, tenent etiam Arriaga *disp.*19. *sect.*3. *subsec.*2. Morandus *tract.*7. *quæst.* 7. *num.*679.

ADDIT verò Tannerus *numero* 17. cum Molina 75
*quæst.*51. *art.*2. Delrio *lib.* 2. *quæst.*28. *sect.*2. corpora, quæ à dæmonibus assumuntur, & durant ad palpum Sagarum, non è sola materia tenui contexta esse, sed etiam ex luto, sulphure, resina, è cadaueribus animalium, & hominum damnatorum constipari, contra Chirlandum de sortilegiis *quæstion.* 1. Anglem *in secund. distinctione* 8. *quæstione* 2. quibus consentire nisi sunt Vasquez *cap.* 3. & 4. *disp.* 184. Suarez *lib.* 4. *cap.* 35. *numero* 8. qui diuersitatem inter partes assumpti corporis, quoad duritiem, & mollitiem, referunt in solam maiorem, vel minorem Angeli resistentiam ad tactum.

QVÆSTIO X.

Vtrum ANGELI *in corporibus assumptis actus vitæ exerceant.*

D.Bonauent. dist.8. p.2. art.3. per duas quæstiones.
D.Thom. q.51. art.3.

FACILE ex dictis solui potest hæc quæstio. Cùm enim Angeli non informent corpora assumpta, vt ostendi *quæst.*7. sequitur, eos non posse ea munera exercêre, quæ competunt animæ, vt est forma.

NOTAT verò S. Doct. *quæst.* 2. *in corpore*, tria esse genera operationum animæ *in corpore.* Primum est eorum, quæ sunt ab anima, vt est intrinseca perfectio, ac forma, vt vegetare, sentire. Secundi generis sunt ab anima, vt est motrix, vt currere. Tertij generis sunt mixta, vt ridêre; in quo sunt duo, idest motus genarum, & exhilaratio cordis: Cùm igitur Angelus vniatur corpori, non vt formâ, & perfectio intrinseca, sed vt motor; facilè est argumentari, quæ opera valeat exercêre, vt aduertit Suarez *lib.*4. *cap.*38. cum D. Bonau. Omnia per assertiones expediam, incipiendo ab actibus vegetatiuæ, qui sunt, nutrire, augmentare, generare: Deinde ad actus sensationum, & cætera media progrediar.

ASSERO primò, non posse Angelum exercêre opus nutritionis. D. Bonau. *quæst.* 1.

PROBATVR à S. Doct. ex illo *Tobiæ vltim.* vbi sanctus Raphael ait: *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere; ego verò cibo vtor inuisibili.*

PROBATVR secundò à S. Doct. Vbi est nutritio, est non modò sumptio cibi per os; sed etiam consumptio, & conuersio substantialis in alitum, restaurando deperditum; quod si id, quod conuertitur, est maius, quàm deperditum, fit augmentatio.

PRÆTEREA in nutritione est concoctio, separatio Chili, Sanguinis, & aliorum humorum. Similiter & fœcum. Sed Angelus nequit formam substantialem producere, ex dictis *quæst.*1. nec cætera dicta perficere, cùm careat organis, vt dixi *quæst.* 8. Ergo. Esto cibum dissoluat applicatione alicuius agentis, & illum resoluat in aërem, & alia elementa. Sic etiam Suarez *num.*13.

87 HINC patet, illum non posse nutritiuam exercere, applicando actiua passiuis; debet enim esse subiectum aptum, viuens, transmutabile.

Ex his quoque claret, non posse exercêre actus augmentatiuæ, quia hæc nutritiuam supponit.

Enim verò, quia Nutritiuam præcedit comestio; dubium insurgit: An Angeli comedant.

ASSERVNT Alensis 2. *p. quæst.* 35. *memb.* 2. Scotus 2. *dist.* 8. inclinat Gabriel. *quæst.* 1. *artic.*3. *ad* 2.

Negant S. Bonauent. *distinct.* 8. *p.*2. *art.*3. *q.*1.
88 D.Thom. *loc. cit. ad* 5. Richard. *disp.*8. Scotus *in* 4. *distinct.* 45. *quæst. vn. art.* 5. Clictou. *in Damasc. lib.*2. Faber 2.*disp.*42.*num.*12. Suar. *lib.*4. *cap.*38. *num.*15. Valent.*disp.*4. *quæst.*2. *p* 3. Tanner. *disp.*5. *quæst.*5. *dub.*5. Arriaga *disput.* 19. *sect.* 2. Molina, Præposit. *ad locum cit. D.Thom.* Morand. *tractat.*7. *quæst.*7. Fuliens. *lib.*3. *cap.* 2. & cæteri apud hos. Video tamen quæstionem esse de nomine: nam authores prioris sententiæ sumunt comestionem, vt est motus cibi ad internum corporis, vt addit contritionem ipsius cibi; sic autem comederunt Angeli, *Genes.* 18. & alibi, vt obseruat D. Augustinus *lib.*15. *de Ciuit.cap.*22. & *epist.*49. Posterioris autem sententiæ authores negant Angelis comestionem, vt est actus disponens ad nutritionem. Ideò Raphael, *Tob.* 12. ait: *Videbar quidem vobiscum manducare*, vt aduertit D. Bonauent. alioqui posset & statua comedere, si panis immitteretur, & arte confractus, in ventrem æneum deiectus, concoqueretur, vt notant Suarez *num.*16. Valentia *in fine.*

OBIICIVNT. Christus verè comedit, *Lucæ vltim.* & *Ioan.*20. hinc enim argumentatur Christus sui corporis veritatem. Et sanè validiùs, quàm ex palpo; cùm enim palpassent ab illo aduocati: *Palpate, & videte, &c.* subditur. *Illis autem non credentibus, &c. dixit. Habetis hic aliquid, quod manducetur?* 89

Scotus *loc. cit.* & Faber *numero* 13. censent, eam fuisse adeò veram comestionem, vt secuta sit nutritio.

HOC tamen esse dictum temerè, ait Suarez *in* 3. *p. tom.*2. *disp.*47. *sect.* 3. & *hic, numero* 18. tum quia est contra communem sensum Sanctorum, & Ecclesiæ: tum quia est contra impassibilitatem corporis gloriosi; quia per conuersionem cibi in substantiam corporis Christi, aliquid de priori substantia perdebatur; & ità corpus fuisset passibile, & animale, contra Apostolum, *prima Corinth.* 15. si verò nil deperdebatur, vt vult Scotus; sequitur, vel corpus Christi antè fuisse imperfectum; vel postea aliquid habere superfluum. Præthereà, vt illa substantia cæteris vniretur, necessaria erat rarefactio, condensatio, &c. quæ corpori glorioso repugnant. Denique talis, nutritio non erat necessaria, aut apta ad veritatem corporis Christi probandam, cùm sit inuisibilis: neque ad veritatem comestionis, quia non est pars eius; sed terminus extrinsecus: substantia autem comestionis stat in traiectione cibi, factâ à potentiâ vitali. Talis fuit Christi, & in hoc distincta à comestione Angelorum, vt obseruat S.Doct.ad ea loca, & cum eo cæteri. 90

Hæc verò aliquo modo potuit apparêre è cibi manducatione, è motu oris, & vultus, indicantium gustum manducantis, &c. vt innuit S. Doct. *ad* 24. *Lucæ* dicens, *vt si non moueat visus, non moueat auditus, non moueat tactus, saltem moueat gustus.* Et hoc est expressum signum resurrectionis. 91

SANE comestio in beatis non est, vt obseruat S.Doct. 4.*dist.*49.*p.*2. *art.*3. *quæst.*1. & *art.*2. *principali suprà allegat. quæst.* 1. *ad vltim.* neque potest corpus beatum nutriri: nam qui nutritur, restaurat deperditum, vel superfluum admittit, segregat fœces, humores; vt etiam notauit Suarez cum D.Bonau. qui ad ea loca Euangelij admittit veram comestionem, non causâ necessitatis, sed potestatis probandæ, vt docet D.Aug. *lib.*13. *de Ciuit.cap.*22. & *lib.*22. *c.*19. & *ep.*49. quibus locis docet, transmutasse cibum; non eo modo, quo terra humorem in se; sed sicut radius Solis in præiacentem materiam, vt obseruat S. Doct. *his locis.* Eadem refert ex authore etiam *Mirab. Scripturæ, lib.* 3. *cap.* 15. Chrysost. *homil.* 86. *in Ioan.* nutritio verò ad nihil seruiebat. 92

HINC malè Faber *num.* 13. persistit, nutritum esse Christum, non ob necessitatem; sed ad demonstrandam veritatem corporis. 93

Dices. Abraham parauit cibos Angelis, quos agnoscebat: Ergo putabat Angelos comedere.

Respondetur, Abraham initio existimasse eos viros sanctos; vt aduertit D. Augustinus *lib.* 16. *de Ciuit. cap.* 29. & *quæst.* 37. & 41. *in Genes.* Chrysostom. ad id Hebr. vlt. *Hospitalitatis nolite obliuisci, per hanc enim quidam placuerunt, Angelis hospitio receptis, idest nescientes, receperunt Angelos hospitio.* Neque decipiebant Abrahamum; quia, cùm apparuissent ad eius consolationem, modo humanæ conuersationis apto, se adaptabant.

94 Assero tertiò, Angelos non generare aliquod perfectum viuens. Patet ex dictis *quæst.* 1.

Probatur à S. Doct. Generatio viuentis est productio viuentis à principio coniuncto in similitudine naturæ, vt notat D. Thom. *p. p. quæst.* 27. *artic.* 2. D. Bonauent. *primo, distinct.* 9. *quæst.* 1. ex Damasceno 2. *de fide, cap.* 8. *adducto* à S. Doct. *primo, dist.* 13. *quæst.* 2. *argumento* 2. & sequuntur Philosophi: sed talis productio non potest esse ab Angelo in corpore assumpto: Ergo. Minor probatur, quia corpus illud non est viuens, nec à principio coniuncto est talis productio, vt notat etiam Suarez *cap.* 38. *num.* 8. Tanner. *num.* 24.

95 Assero quartò, posse Angelos applicando actiua passiuis producere animalia imperfecta. Ità D. Bonauent. *quæst.* 1. *art.* 2. ex D. Augustino *lib.* 3. *de Trin. cap.* 7. & 8. Ad hæc enim sufficit applicare talem putredinem Soli; quæ se habent vt genitores, vt docet D. Bonauent. *in corpore.* D. Thom. *quæst.* 114. *art.* 4. *ad* 2. Suarez *num.* 9.

Assero quintò, posse Angelum in corpore assumpto, applicando actiua passiuis in debitis vasibus, producere animalia perfecta. Ità D. Bonau. *hic*, D. Thom. *quæst.* 51. *art.* 3. *ad* 6. & consentiunt reliqui *in* 2. *dist.* 8. vbi Scotus, Carthus. Gabriel, Castro *de heret. punit. cap.* 16. Medina *p.* 2. *quæst.* 72. *art.* 1. Suarez *lib.* 4. *cap.* 38. *num.* 10. Tannerus *disput.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 5. *num.* 24. Caiet. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 3. Faber *in* 2. *disp.* 14. *num.* 14. & cæteri apud Fagundez *in primum Decalogi præceptum, lib.* 1. *cap.* 41.

Probatur primò à D. Bonauent. ex Iosepho, & Patribus ad ea verba Genes. 6. *Gigantes autem erant in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filij Dei*, Hebræus habet (Angeli Dei) *ad filias*
96 *hominum, illaque genuerunt.* Sic Tertullianus passim, cuius loca Pamelius collegit, *parad.* 1. cui addit Iustinum, Clem. Alex. Athenagoram, Methodium, Euseb. Lactantium, Cyprianum. Idem sentit S. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 70. D. Augustinus *lib.* 15. *de Ciuit. cap.* 23. & *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 8. aliique apud Vasquez *disp.* 178. *cap.* 2. Suarez *lib.* 1. *de Angel. cap.* 6. Addit Tostatus *ibi* cum D. Bonauent. ex incubo dæmone natum Merlinum. Idem asserunt alij de Martino Luthero.

97 Probatur à S. Doct. *in corpore*, & *argumento vltimo, addito responso*, quia tota illa actio stat in infundendo semine apto, recenti, calido, virili, in matricem fœminæ dispositam, quæ non excedunt virtutem Angeli naturalem. Ideò S. Augustinus id negare, damnat impudentiæ. Id asserunt Isidor. *lib.* 8. *Ethym.* Beda *lib.* 3. *in Lucam, cap.* 31.

Dices id negant Chrysostom. *homil.* 22. *in Genes.* Cassian. *collat.* 8. *cap.* 21. Philastrius *lib. de heresibus, cap.* 19.

Respondetur, hos tantùm negare, Angelos generare, vt notat D. Bonauent. *loco cit. in corpore* referens D. Augustinus *lib.* 15. *de Ciuit. cap.* 23. Ità etiam Suarez *numero* 9.

Assero sextò, non posse Angelum in corpore assumpto exercere actus potentiæ sensitiuæ. 98

Probatur à S. Doct. *geminis primis fundamentis.* Sensus supponit vitam, sed corpus illud non est viuens: Ergo.

Probatur deinde ab eodem S. Doct. quia operationes sensuum sunt à potentiâ organicâ substantialiter compositâ ex animâ, & corpore. Sed Angelus non vnitur substantialiter; vt dixi *quæst.* 7. nec corpus illud est animatum: Ergo. Ità etiam Suarez *numero* 2.

Potest tamen producere operationes similes, 99 vt edere sonum similem locutioni, vt aduertit S. Bonau. *quæst.* 1. *ad* 3. & alij. Sic enim locutus est Gabriel Mariæ, Raphael Tobiæ, Gabriel Danieli. Sic potest calamo scribere, quæ tamen non erunt actiones vitales, ea motione veri organi, vel phantasiæ. Sic D. Bonau. *loc. cit.* D. Thom. *ad* 4. Suarez *num.* 21. Durand. 2. *dist.* 8. *quæst.* 2. *ad* 1. Vasquez *disput.* 186. *cap.* 2. contra Alensem 2. *p. quæst.* 35. *memb.* 4.

Quoad motum progressiuum, asserit D. Bonau. posse esse ab Angelo in corpore assumpto. Ità *q.* 2. *in corpore.*

E regione stant D. Thom. *loc. cit.* Scotus *disp.* 8. 100 & communiter Scholastici. Vasquez *num.* 4. Suar. *num.* 20. quod probat, quia talis motus debet esse ab appetitu elicito, & phantasiâ, directus ex Aristotele *primo de anima*, & quod fiat virtute existente in membris. Sic & Marcus noster *quæst.* 46 *art.* 2.

At verbis solùm differunt, vt fatetur Valentia *disput.* 4. *quæst.* 2. *p.* 3. Tanner. *numero* 21. Imò D. Augustinus *lib.* 15. *de Ciuit. cap.* 22. Vult enim S. Doctor, ab Angelo esse motum progressiuum, vt pedetentim procedente, non autem secundùm esse formale. Scit enim ex Aristotele *primo de Gener. text.* 34. quem refert *quæst.* 2. *argumento primo*, idem esse principium sensus, & motus; & hoc esse cor mouens alias animalis partes, vt etiam ait Suarez, cum D. Bonauent. *ad* 1. attamen materialis motus esse potest absque motione phantasiæ, vt constat in deambulante abstracto. Itaque deambulatio est quid minus risu, locutione, &c. Nam deambula- 101 tio est eodem ferè modo per impulsum, & extensionem crurium à motore; at locutio neque est ab instrumentis, similibus pulmoni, Asperæ arteriæ, linguæ, palatui, gutturi, Laryngi. Risus ille neque est à dilatatione Septi transuersi, quod transuersim diuidit ventrem medium ab infimo; seu dicitur Diaphragma à distinguendo, cuius neruuli delati è medulla colli, inter quartam, & quintam vertebram, ramulis, in maxillarum, & labiorum musculos diuaricatis, in transitu miscentur: hinc in percussione diaphragmatis risus oritur ille qui dicitur Sardonicus, quia non est verus, sed ex conuulsione prouocatur. Sic aliqui videntur, quibus traiecta præcordia rident; vt ait Aristoteles, Plinius, & Homerus apud Bartolinum *lib.* 2. *de Thorace.* Ità cùm nec exhilaratio cordis ibi fit; sed genarum mera commotio, non est verus risus

Quæstio

QVÆSTIO XI.

Vtrum omnes apparitiones in veteri Testamento à Deo hominibus factæ, per ANGELOS *effectæ fuerint.*

D.Bonau. in 1.dist.16.q.1. & in 2.d.10. quæst.vlt. ad vlt.
D.Thom. 1. 2.q.98.art.3. & in 2.d.8.art.6.

102 CERTO certius est, Deum veteris Testamenti sæculis, se identidem manifestasse apparitionibus, neque video aliquem id negantem. Exordiamur à primorum hominum creatione, *Genes.* 1. vbi eis apparuit dicens: *Crescite, & multiplicamini.* Rursus ait: *Ecce dedi vobis, &c.* Cap. 2. & cap. 3. *Vocauit Adamum.* Sic probat D. August. 2. *de Trin. cap.* 10. & *lib.* 11. *de Genes. ad litt. cap.* 33. Eodem modo apparuit Caino, *Genes.* 4. vt notat D. Augustinus *epist.* 112. Sic Abrahæ *Genes.* 11. & 17. 18. 21. 22. & Iacob *cap.* 28. super scalam. Et *cap.* 32. cùm luctatus est, de quo ait: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Post hæc apparuit Moysi. *Exod.* 3. 19. 20. Sic pedetentim excurrite Biblia, & vbique fulgebunt diuinæ apparitiones.

QVÆSTIO est igitur: An Deus apparuerit immediatè; num verò per Angelos.

103 PRIMA opinio est, Deum ipsum absque ministerio Angelorum semper apparuisse, vbicumque asseritur Deus apparuisse. Ità tenent multi Patres dicentes, è Diuinis Personis solum Filium apparuisse. Sic Concilium Syrmiense *can.* 14. vbi sub anathemate definitur, Filium, non Patrem, Abrahæ apparuisse, & cum Iacob luctasse; vt est apud Hilarium *lib. de Synodis, cap.* 15. Idem sensit Clemens Papa *lib.* 5. *Constit. cap.* 19. Eusebius *lib.* 1. *Demonstr. cap.* 5. & *lib.* 5. *cap.* 10. & 11. Chrysost. *homil.* 16. *in Acta*, Tertull. *lib. contra Prax. cap.* 14. Theophylact. *in cap.* 7. *Actorum*, & alij, vt refert Suarez *lib.* 6. *cap.* 20. Licèt Vasq. *disp.* 185. solos Eusebium, & Theophylact. concedat negasse, ministeria Angelorum ibi interuenisse, cui subscribunt Arriaga *disp.* 19. *sect.* 4. *subsect.* 2. & Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 5. *num.* 11.

104 SECVNDA sententia est, Deum ante Incarnationem nunquam immediatè apparuisse, sed mediis Angelis, ipsum repræsentantibus. Ità SS. DD. *hic*, Ægidius *in* 2. *dist.* 8. *quæst.* 2. *art.* 2. & moderni ferè omnes *ad art.* 1. *quæst.* 51. D. Thomæ. Ioannes Arboreus *lib.* 4. *Theosoph. cap.* 1. *in fine.* Tyreus *lib.* 1. *de apparit. Dei, cap.* 24. Lorinus *in Act.* 7. qui alios adducit. Vasq. *disp. cit. cap.* 2. Suarez *loco cit. num.* 28. Fauent. 2. *disp.* 42. *num.* 9. Tanner. *loco cit.* Valentia *disp.* 4. *quæst.* 2. *p.* 2. & SS. Patres communiter infra afferendi.

105 ASSERO cum hac sententia, Deum, ante Incarnationem semper Angelorum ministerio, hominibus apparuisse.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *dist.* 16. *loco cit. in corpore* argumento, quo vsus est D. Augustinus 2. *de Trin. cap.* 10. & *lib.* 3. *cap.* 10. & 11. vbi ex professo id sustinet, si Deus aliquando apparuisset immediatè, hoc colligeretur ex illis locis, in quibus Scriptura id notat, vel ex dicto Scriptoris Canonici, vel ex veneratione eorum, quibus apparebat, qui vti Deo, honorem deferebant, vel ex loquutione ipsius apparentis, qui præcipiebat, & promittebat, Leges, cæremonias, præmia, & pœnas statuebat. (Hæc enim signa sunt diuinæ apparitionis;) sed in his Scripturis aduertitur, hos fuisse Angelos, non ipsum Deum: Ergo. Minor probatur primò ex apparitione facta Agar, *Genes.* 16. & 21. vbi Deus promisit: *Multiplicabo.* Deinde ipsa vocauit nomen Domini, qui loquebatur ad eam: *Deus, qui vidisti me.* Et tamen Scriptura dicit, fuisse Angelum.

SECVNDÒ. *Genes.* 18. Apparuit Deus in specie trium virorum, & tamen dicitur de duobus ex 106
his, c. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* Fuerunt autem iidem, vt dicitur cap. præced. *Conuerterunt se, & abierunt Sodomam*, & tamen illos, vt Deum agnouit, ac veneratus est Loth, dicens: *Quæso Domine mi.* Rursus dicitur: *Pluit Dominus, super Sodomam à Domino.* Eos autem fuisse Angelos asserit Apostolus, *Hebr.* 13. vt aduertit D. August. *suprà*, & *serm.* 60. & 70. *de Temp.* & Chrysost. *ibi*, & D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 8. *p.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *fundam.* 2. Et *in* 3. *dist.* 9. *art.* 1. *quæst.* 5. *argum.* 1. *addita solut.* vbi notat ex D. August. *lib.* 10. *cap.* 8. *de ciu.* & *lib.* 16. *cap.* 29. eos tres fuisse Angelos, eisque exhibuisse adora- 107
tionem Latriæ, quatenus repræsentabant Sanctissimam Trinitatem. Vnde non est verum, vnum ex illis fuisse Deum, & alios duos Angelos, vt aliqui putant. Idem aduertit *in* 2. *dist.* 8. *p.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *argum.* 1. *addita solutione.* Et quamvis infrà videatur Deus, dicens: *Num celare potero Abraham, quæ facturus sum?* Tamen fuere iidem Angeli, è quibus vnus locutus est, vt notat D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 11. *art.* 2. *quæst.* 1. *in fine*, & *de Eccl. Hier. p. p. cap.* 2.

SIMILITER *Genes.* 22. dicitur: *Ne extendas* 108
manum super puerum: Nunc cognoui, quòd timeas Dominum, & non pepercisti filio tuo propter me. Vbi loquitur idem Angelus, de quo suprà: *Ecce Angelus de cœlo clamauit, &c.*

Arriaga *loco cit.* respondet; ibi nil aliud asseri, 109
quàm corpora illa assumpta, fuisse Angelorum ministerio; ea tamen assumpta immediatè à Deo, & allegat multos Patres apud Tannerum.

AT sine fundamento hoc asseritur: nullus enim est è Patribus adductis à Tannero, qui sic exponat; & sanè est expositio extorta. Cur enim dicerentur Angeli in decursu operum, quæ patrauerant, postquam dudum erant corpora illa formata? Quod si hoc libet; libeat etiam statuam, dum effertur, vocare Polycletum, statuarium, seu Phydiam. Quod si dicas; vocandam ab eo, quem repræsentat. Et ego dico; vocanda corpora illa, homines Reges, quos repræsentabant.

Sic & Iacob *Genes.* 28. vidit Deum super sca- 110
lam. Et *cap.* 31. eundem audiuit: *Ego sum Deus Bethel.* Et tamen ibidem Iacob ait: *Dixit Angelus ad me in somnis.* Similiter *cap.* 32. luctatus est cum viro, qui se vocat Deum, dicens: *Si contra Deum fortis fuisti.* Et ipse Iacob ait: *Vidi Dominum facie ad faciem*; & tamen non modò verisimile est, vt putat Suarez *num.* 33. sed certum, illum fuisse Angelum. Probatur à D. Bonauent. *p. p. Eccl. Hier. cap.* 1. *circa medium*, ex 12. Oseæ: *In fortitudine sua directus est cum Angelo. Et prænaluit ad Angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit eum.*

PARITER asserendum de apparitionibus. *Exodi* 111
cap. 3. vbi in rubo dicitur, apparuisse Dominum Moysi. Eum verò fuisse Angelum asserit D. Stephanus, Act. 7. *Hunc Moysen Deus principem, & redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit* illi

illi in rubo, vt notat D. Bonauent. *in* 2. *dist.*10. *quæst.vlt. in corp.* At ibi seipsum vocat: EGO SVM QVI SVM, vbi persona illa, pronomine, Ego, expressa, est persona VERBI repræsentata, & loquens per Angelum, vt notat D.Bonauent. *primo, dist.*2. *dub.*4. Eum porrò, qui loquebatur, fuisse Angelum, ostendit S.Bonau. *p.p. Eccl.Hier.cap.*1. *ad medium.*

112 CELEBRES verò Dei apparitiones *Exodi* 19. vsque *ad* 34. & *cap.*40. vbi Legem dat, præcipit, se Deum vnum adorandum. Eum tamen fuisse Angelum, probatur à D.Bonau. *dist.*16. *cit. ex Galat.*3. vbi dicitur: *Lex ordinata per Angelos.* Idem habet *serm.*1. *de S. Michaële*, finem versus. Idem asseritur Hebr.1. *Si enim, qui per Angelos factus est sermo*, de veris autem Angelis, se loqui Apostolus testatur: nam anteà compararat eos Christo, vocans omnes eo inferiores, administratorios spiritus. Atque hæc Apostoli testimonia sic intellexêre Theodoretus in vtroque loco. Hieron. *ad Galat.*3. Dionys. *cap.*4. *de cœlesti Hier.* Augustinus 10. *de ciu. cap.* 13. & 15. Cyrillus *lib.*8. *Thesauri, cap.*2.

113 HINC etiam libet colligere, alias apparitiones *Genes.&c.* fuisse ministerio Angelorum, cùm principaliores, & apparentiores, tales extiterint. Hoc argumento vtuntur Moderniores, præcipuè Suarez *à num.* 29. Vasq. *cap.*2. Faber *loco cit.* Valentia *disput.*4. *quæst.*2. *p.*2. *ad medium*, Tannerus *loco cit.* & alij.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. è Patribus, præsertim è D.August. *locis allatis.* Gregorio *in præf. Moral. cap.*1. & *lib.*28. *cap.*2. Hieronym. *in* 3. *ad Galat.* Cypriano *lib. de Baptismo Christi.* Dionysio *cap.*4. *de cœlesti Hier.* vbi ait: *Has autem Diuinas visiones* (ait intelligens omnes visiones, vt dixerat) *clarissimi illi Patres nostri, cœlestium Virtutum operâ didicerunt.* Quare non de aliquibus tantùm visionibus loquitur, vt putat Vasquez; antea enim dixerat, Angelorum præcipuè nomine appellantur, propterea quòd primum in eis insit Diuina illustratio, ac per eos ad nos peruenerant ea, quæ naturam nostram superant, patefactiones. Et subdit: *Etenim Legem per Angelos latam; Deumque à nemine Sanctorum vnquam visum, sicut ipse est, per quasdam visiones sensibus accommodatas*; eas verò per Angelos factas asserit addens: *Has autem Diuinas visiones*, vt suprà. Idem docet S.Doct. *dist.*8. *p.*1. *dub.*2. explicans 33. *Exodi. Num.*12. vbi videtur Moyses Deum vidisse.

114 PROBATVR tertiò ratione D. Bonauent. *in* 2. *dist.*10. *quæst. vlt.* quæ sumpta videtur ab eo ex D. Gregorio 28. *Moral. cap.*2. Deus ità ordinat creaturas, vt per eas agat, ità vt causa prima per secundas inferiores opera faciat, quando commodè id potest. Sed hæ apparitiones possunt fieri per Angelos: Ergo. Hanc rationem sumunt Tannerus *numero* 13. Suarez *numero* 38. & dicit esse Sancti Dionysij, & D. Augustini, ac Theologorum, præcipuè D. Thom. & D. Bonauent. *loco cit.* & *ead. dist. art.*1. *quæst.*1. *fundam.*4. & *ad primum.*

Pro solutione oppositionum nota primò, Christum, seu Verbum, dici Angelum, idest nuntium solùm pro tempore post Incarnationem, & hoc pacto intelligitur *Isaiæ* 9. Itaque non rectè in reuelationibus veteris testamenti per Angelum intelligunt Filium Dei.

QVARE sæpè dicitur loqui Deus; & est Angelus, qui loquitur in persona Dei, vt aduertit D.Bonauent. *in* 2. *dist.*10. *quæst. vlt. in corpore*, ex Augustino, & Gregorio suprà. Igitur Patres antiqui sæpè Dominum inuocabant, adorabant in Angelo, Deum sibi loquentem venerantes, & ad eum verba dirigentes, vt monet S. Doctor, *loco citato ad quartum*, & alij cum ipso.

VNVS mihi locus negotium facescit, Genes. 1. 115
Creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fœminam fecit eos, benedixitque eis, dicens: Crescite, & multiplicamini, &c. Iam verò, qui creauit, est Deus, non ministerio Angelorum, neque ad eorum imaginem, sed ad suam condens Diuinam. Idem autem erat, qui dicebat: *Crescite, &c.* qui addit: *Ecce dedi vobis, &c.* qui præcepit: *de omni ligno Paradisi, &c.* qui deambulabat ad meridiem; qui vocauit Adamum, vt fatetur etiam Suarez *num.*3. Ergo Deus non semper adhibuit Angelorum ministerium.

RESPONDEREM, verè Deum esse, qui creauit, & locutus est; attamen non apparuisse; sed intus allocutum, tertio illo modo, expresso à Seraphico Doctore *loco citato.*

Similiter explicabo Syrmiense Decretum, nempè Filium repræsentatum in Angelo; non Patrem, cui non conuenit mitti.

QVÆSTIO XII.

Vtrum in noui Testamenti apparitionibus DEVS *vsus sit* ANGELORVM *ministerio.*

{ SS. Doctores locis citatis.

IAM prælibandum est in limine, me non loqui de apparitione VERBI in carne; de qua Apostolus *ad Titum* 2. & 3. & *Ioan.* 1. & *epistola prima.*

Primò dixere nonnulli, Patrem, & Spiritum sanctum nunquam apparuisse; sed solum Filium.

COMMVNITER tamen asseritur, eos etiam 116
apparuisse, vt patet *Matth.*3. in Baptismo, à Ioanne Christo exhibito: *Ecce aperti sunt cœli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis: Hic est Filius meus, &c.* Tunc ergo apparuit Spiritus sanctus, vt clariùs testantur *Lucas* 3. *Ioannes* 1.

Similiter *Matth.*17. in Transfiguratione Christi 117
apparuit nubes, & vox de nube intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Sub nubis autem specie apparuit Spiritus sanctus; vt testatur Ecclesia in ipsius officio.

PRÆTEREA *Act.* 3. Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, vt testatur Ecclesia in Officio, & Canone Missæ. Similiter *Act.*8. & 19. datus est sensibiliter Spiritus sanctus.

Hi tamen diuisi sunt: Aliqui enim dicunt, Deum immediatè apparuisse. Ità videtur Clictouæus *lib.*4. *cap.*17. *in Damascenum*, vbi videtur id adscribere priuilegio legis gratiæ. Clariùs Abulensis *Exodi* 19. *quæst.*6. Idem videtur Chrysost. *homil.*4. *in Matth.* Cyprian. *serm. de Baptismo*, Ambrosius *cap.*4. *de initiandis.*

Alij dicunt istas apparitiones per Angelos factas. 118
ità

Ità D. Augustinus 2. *de Trin. cap. 6. & 7. ac seqq.* & *lib.4. cap. vlt.* D. Gregorius 28. *Moral. cap.2.* Cyrillus *lib.3. in Ioan. cap.3.* & omnes ferè Theologi, quos refert Suarez *lib. vlt. de Trin. cap.6.* Est autem sententia D. Bonauent. *in 1.dist.16. quæst.1.* vbi allegat etiam Augustinum, & Gregorium *locis citatis*, & eundem D. Augustinum *lib.2. de Trin.cap.10.* & *lib.3. cap.10.& 11.* & *cap.21.* Idem asserit S. Doct. *qq. seqq.* & *in 2. dist.10. quæst.vlt. ad vltimum.*

119 QVOAD secundam Personam; Omitto apparitiones eius in vita, & post resurrectionem. Quæstio est de apparitionibus eius, post Ascensionem. Videtur, sanè ipsum apparuisse Saulo, *Act.9.* vbi Lorinus multos id asserentes refert: & Suarez 3.*p. tom.2. disp.51. sect.4.* vbi ostendit apparuisse etiam Petro in via Romana: Eam tamen apparitionem ministerio Angelorum factam asserit Tyreus, *lib. de apparitionibus Christi, cap.3. & 8.* vbi talem credit eam Stephani, *Act.7.* quam à Christo factam putat Lorinus *ibi.* Similiter apparitiones Christi, factas Paulo, *Act.18. & 23.* ministerio Angelorum adscribit Tyreus, *lib.de apparitione spirituum, cap.5. num.12.* Easque impersonales vocat; attamen *lib.de apparit.Christi, cap.8. num.23.* eam, *Act.23.* vocat personalem. Ambas verò impersonales vocat Suarez, *lib.6.cap.21.num.21.*

ASSERO primò, apparitiones Patris, & Spiritus sancti in nouo Testamento fuisse impersonales, seu non in personis propriis; sed Angelorum.

120 PROBATVR à D.Bonauent.*locis adductis*, argumento, quo vtitur Suarez *num.12.* quia ad ordinem prouidentiæ Dei spectat; neque est ratio specialis contraria.

Obiiciunt. Deus in veteri Testamento apparuit in specie nobili humana: Ergo non est credibile, apparuisse in nouo sub specie animalis, ignis, &c.

RESPONDET Suarez 3.*p.loc.cit.* & *hic, num.14.* ex D. Bonauent. *in 1.dist.16.quæst.vlt.* maximè *ad 4.* illam non fuisse veram Columbam, nec illum, verum ignem; nam statim desiêre. Idem sentiunt D. August. *lib.2.de Trin. cap.5.* Chrysost. *homil.12. in Matt.* Caiet.3.*p. quæst.39.art.7.* Valentia *disp.4. quæst. 2. p.2.* Tanner. *num. 13.* quoad Columbam, in cuius specie apparuit; quia columba erat pretium redemptionis primogenitorum. Et in Linguis igneis, ob mysteria erudiendi mundum, eumque à fœcibus errorum expurgandum; vt habet S. Bonauent. *ad vlt.*

121 Addo probabile esse, Christum personaliter apparuisse Saulo, *Act.9.* Ità cum aliis videtur sentire D.Bonau. *serm.1.in conuersione D.Pauli.*

QVÆSTIO XIII.

Quid possint naturaliter ANGELI *in mundum.*

D.Bonau.dist.8.p.1.& 2. passim.
D.Thom.q.110.art.2.

122 ASSERO primò, non posse Angelum destruere substantialem ordinem vniuersi. Quare nec potest vacuum inuehere, aut penetrationem efficere, nec stellam ad terras detrahere, nec terram ad cœlum tollere, aut suo loco dimouere; nec vniuersalem elementorum situm peruertere, aut integrum aliquod elementum destruere; nec Solis astrorumve cursum turbare; nec lumen Solis sine medio intercipere, nec influxum cœli impedire, nec similia, quæ solus Deus potest, negando suum concursum. Ità supponit passim D. Bonau. 2. *dist.7. p.2.art.2.& cæteris locis.*

Idem sentiunt reliqui Theologi, præcipuè D. Thom. 3.*p. quæst.13. art.2.* & *p.p. quæst.110. art.2.* Suarez *disp.19. Metaph. sect.1.* & *disp.43. sect.4.* & *lib.4. de Ang.cap.27.* Guilielm.Paris. 2.*p.de vniuers.* Albertinus *tom.1.quæst.1.corrol.2.* Delrius *lib.1.& 2. disquis.*Tanner.*disp.5.quæst.5.dub.6.* cum D.August. *lib.3.de Trin.cap.7.8.& 9.*

RATIO est, quia quædam naturam totam superant; ideò miracula sunt: quædam verò transgrediuntur leges, & ordines à Deo constitutos in vniuerso, iuxta promissum Dei factum Noë, *Genes.8.& 9.* 123

ENIM verò quid possint de reliquo Angeli super vniuersum, est difficile cognitu, vt docet D.Augustinus.

Possent sanè Angeli montes transferre, si à Deo sibi relinquerentur, animalia occidere, &c. vt aduerit Suarez *loco cit.* Tannerus *num.5.*

Possunt quidem Angeli, Deo permittente, tempestates noxias ciere, adeoque imbres, grandines, pruinas, fulmina, typhones, procellasque excitare, vel immittere; at non nisi applicatione causarum secundarum. Ità communiter DD. cum D. Bonauent. *loco cit.quæst.2.* D.Thom.*quæst.110.art.4. ad 2.* Vide Brisfeldium *quæst.4.& lib.4. Cod.de malef. & mathem.* Delrium *lib.2.quæst.12.* contra Senecam *lib.4.qq.natur.* quod *quæst. sequenti* probabo. Sæpè verò impedit, vt ait Morandus *q.44.*

PROBATVR primò *ex Iob 1. Apoc.7. & 26.* Hæc autem præstant Magi, tesseris, & characteribus dæmones aduocando, quæ nullam in se habent ad hæc exequenda virtutem: sed tamen his signis exhibitis, malis artibus, fine pessimo decipiendi, obsequuntur, vt discurrit S. Doct. *dist.7. p.2.quæst.vlt.* D.Thom. *loco cit.* ex D. August.*lib.83. qq. quæst.79.* 124

Dices. Concilium Brachar. *can.8.* id videtur negare. Respondetur, solum negare, id posse dæmones per se, absque Diuina permissione, vt dicebat Priscillianus.

QVÆSTIO XIV.

An possint Dæmones habitare in corporibus hominum.

D.Bonau.dist.8.p.2.q 1.
D.Thom.2.d.8.q.1.art.4.

CERTISSIMVM est, Dæmones sæpè corpora humana intrare.

PROBATVR à D.Bonauent. *hic*, & *ad 8. Lucæ* illo Energumeno, qui à legione dæmonum agebatur, à quibus liberatus est, ipsis postulantibus ire in gregem porcorum.

Ex quo colligit S.Doct. dæmonem non posse intrare in ipsa animalia bruta, absque diuina concessione. Vide ibi præclara Scripturæ loca, ostendentia, posse quidem, Deo concedente, non aliter, dæmones hæc operari. Idem probat ex illo, cap.13. *Ecce eiicio dæmonia, &c.* Et ex *Act.16.* vbi Paulus spiritum pythonicum expulit. Idipsum ostendit *ad 11. Lucæ* ex illo dæmone immundo pulso. 125

Cæterâ

126 Cætera quoque Euangelij loca alligat *hic*, in quibus narrantur dæmones pulsi. Vnde arguit: Id, quod eiicitur de aliquo habitaculo, ibi est. Dæmones è corporibus pulsi sunt: Ergo. Sanctus quidem Bonauentr. vocat dæmones *obsessores*: Marcus verò noster à Baudunio *quæst.46.art.1.* dicit, ea corpora assumi à dæmone; sunt enim ibi definitiuè, loquuntur diuersis idiomatibus, agitant, rapiunt obsessum in omnem modum, &c.

Probatur secundò à D. Bonauentr. ex D. August. *lib. de diuinat. dæm.* vbi docet dæmones miris modis corpora humana penetrare.

Ostendit autem, in eodem loco esse dæmonem, & animam obsessi. Vide S. Doctorem, vbi etiam aliquas è causis recenset, ob quas Deus permittat dæmonibus hæc agere.

QVÆSTIO XV.

An Dæmones animabus illabi queant.

D. Bonau. dist. 8. p. 2. q. 2.
D. Thom. de ver. q. 21. art. 9. & q. 16. de malo, art. 11.

127 ILLABI dicit, non solùm intimam peruasionem localem in aliud; sed etiam operationem, illud immutando: Quare Theologi hoc axioma versant: *Solam Trinitatem illabi in animam*, vt ait D. Augustinus, vel Gennadius *de Eccl. dogm. cap.* 83. & sequuntur Theologi. D. Bonauentr. *loco cit.* D. Thom. *3. p. quæst. 98. art. 8. ad 1.* & *q. 64. art. 1.* & *in 2. dist. 8. art. 5. ad 3.* cum Magistro, Ferrara *4. contra Gent. cap. 18.* Heruæus *in 2. dist. 9. quæst. 1. art. 2. ad 2.* Argent. *dist. 7. q. 1. art. 3. concl. 3.* vbi adducit D. Fulgentium *de fide ad Petrum, cap. 3.* vbi ait: *Inest singulis* (idest Angelis) *naturalis terminus, quo à se inuicem discernuntur; quia nullus eorum in alio est.* Sic refert D. Bonauentr. *fundam. 1.* Tametsi etiam aliud inferat, vt dixi *disp. 9. quæst. 6.* Clariùs D. Bernardus, *serm. 5. in Cant.* circa finem, dicens: *Nullum creatorum spirituum per se mentibus nostris applicari.* Neque verò illapsum formaliter propriissimè intellexit D. Gregor. *lib. 17. Moral. cap. 20.* cùm ait: *Dæmon, si suggestioni eius primò non resistitur, repente totus ad interiora cordis illabitur*; hic enim est ingressus mediatus tantùm; at illapsus debet esse immediatus.

128 PROBATVR secundò à D. Bonauent. Si dæmon posset illabi animæ, possent omnes dæmones in eadem anima esse; si verò id non conceditur: Ergo vnus spiritus implet totam animam, quod est contra D. Augustinum *loco cit.* & Bedam, *Act. 5.* dum ait: *Animam, & mentem hominis nulla creatura, iuxta substantiam, potest implere.* Addit verò, Sathanam interdum animas implere, suæ malitiæ virus inserendo, non tamen per seipsum intrando; siquidem hæc potestas solius Diuinitatis est; Et sic etiam loquitur Gennadius.

129 PROBATVR tertiò à S. Doct. Si dæmon illaberetur animæ, esset intimus animæ, eique toti dominaretur: Ergo posset pertrahere ad mala, quæcumque vellet, & ità anima liberum arbitrium non haberet.

PROBATVR quartò ab eodem S. Doct. Si dæmon animæ illaberetur, nihil esset in anima ità intimum, in quo non esset, & super quod non posset dæmon. Sed sicut Deus illabendo, animam rectificat, & conseruat; sic dæmon, quantùm potest, deordinat, & deprauat: Ergo si dæmon illaberetur animæ, posset Synderesim, & voluntatem deprauare, & ad malum inclinare, quod est impossibile.

Explicat verò *in corpore*, illapsum consistere in duobus: alterum, vt illabens intimam rei substantiam penetret; alterum, vt in eam intimè operetur, tanquam superius prædominans parti supremæ illius; Quia igitur portioni superiori non dominatur aliquis, præter Deum, idcirco nullus præter Deum animæ nostræ illabitur. 130

Hic sanè est illapsus apud omnes ferè Theologos perfectus. An verò aliis quoque modis fiat, dixi *disput. 2. quæst. 8. & 11. finem versus.* Hinc vide quid velit Sixtus V. in Bulla Laureæ S. Bonauent. *Diuina quadam vi doctrinam S. Bonauentura in intimos animi recessus illabi.*

OBIICIES primò. Glossam ad ea verba Lucæ 4. *Ecce homo habens dæmonium: Intrauerat diabolus* (inquit) *vnde exierat Christus*; sed Christus exierat de anima: Ergo.

RESPONDET S. Doct. sensum esse, ingressum diabolum malitiâ; vnde exierat Christus secundùm gratiam. Itaque sermo est de egressu, & ingressu, quoad effectus. 131

OBIICIES secundò. Impartibile additum impartibili, illud totum peruadit, ac penetrat: sed diabolus, & anima sunt impartibiles. Ergo diabolus peruadens animam, totam penetrat.

RESPONDET S. Doct. maiorem esse veram de peruasione secundùm situm: ità enim & punctum, puncto additum, illud peruadit, nec facit extensionem; at secundùm virtutem, & operationem negatur; in simplici enim substantia est magnitudo virtutis, & intensio, & secundùm illam considerari potest in anima maior, vel minor ratio dignitatis, secundùm accessum ad originem illius virtutis, vel recessum.

OBIICIES tertiò. Sicut est ordo in corporibus; ità & in spiritibus: sed in corporibus vnum influit in aliud vsque ad intimum; aliter totum non alteraret. Ergo & in spiritibus: Ergo spiritus potest influere virtutem suam passo vsque ad intima; at virtus Dæmonis non est spiritualior substantia: Ergo Dæmon vsque ad intima illabi potest. 132

RESPONDET S. Doct. negando paritatem ordinum. Primò; quia animæ omnes sunt aptæ ferri in Deum immediatè, & in hoc vna alteri non præest; At corpora non se habent æqualiter ad fines. Deinde id, quod est intus, & extra in corporibus, est eiusdem rationis; at in anima id, quod est intimum, accedit ad Deum, & proximè ordinatur, vt ab eo influxus recipiat; tanquam ab efficiente; ideò quod inter corpora potest influere, exteriùs operationem vigorando, seu continuando, penetrat intrò, non sic in spiritum, cuius intimum est supereminens, & nobilissimum.

OBIICIES quartò. Ibidem est culpa, vbi est gratia priùs, vel posteà; sed per gratiam Deus animæ illabitur: Ergo diabolus per culpam. 133

RESPONDET S. Doct. diuerso modo esse in anima Deum per gratiam, & diabolum per culpam. Deus enim adest influendo, intiméque operando, vt dicitur *Hebr. 4.* sed Diabolus solùm suggerendo; peccatum verò nihil ponit; sed tantùm priuat: ideò illapsum non facit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVI.

An Dæmones possint illudere sensibus, & Quomodo.

{ D.Bonau.d.8.p.2.q.3.
D.Thom.q.111.art.4.

134 OMnes concedunt, posse dæmones sensibus internis, & externis illudere. Sic D. Bonau. & D. Thom. *hic*, & is etiam *quæst. 6. de potentia, art.5. ad 6.* & *quæst.16. de malo, art.9. ad 2.* & *in 2.dist.8. quæst.vnic. art.5. ad 4.* Alens.*p.2. quæst.43. memb.3.* Gabr.& alij Scholastici *in 2.distinct.8.* Caietanus *2. 2. quæst.95. art.3.* Valentia *disput. 4. quæst.2. p.2.* Tanner. *disp.5. quæst.5. dub.6.* & alij apud hos.

Quomodò autem id fiat, multi multos tradunt modos.

FACILIS, ac verus modus a Seraphico traditus est, suppositis ex Philosophia his, quæ ad sensationem requiruntur; nam, præter potentiam animæ, requiruntur etiam organum sanum; item obiectum, ac species, tum debita approximatio obiecti, atque medium rectè dispositum: Denique & attentio. Igitur potest illudi sensui vel offerendo formatum à se extraneum obiectum, adducendo, remouendo, dissoluendo, immutando, atque aliter conformando obiectum, similiter intus excitando phantasmata, offerendo ea validè; vt apparet in freneticis, qui ex perturbatione phantasmatum, læso sanè etiam organo fumosis euaporationibus, rheumate, vel obnubilato, vel compressione, percussione confracto, & euerso. Adde vehementem applicationem potentiæ, sicut, de quodam narrat D.Augustinus, apud Seraphicum, cogitante ex imaginatione cuiusdam fœminæ, verè cum ea labi. Hoc modo, potest dæmon sensum ad imaginem contorquere; potest, fumos immittendo, spiritus animales immutare, phantasmata commouere, & hic modus est diabolo frequens; neque enim imagines phantasiæ repræsentat, quarum species, seu phantasmata non acceperit. Quare nec cæcos faciet, vt somnient colores, aut surdos imaginari sonos, operabitur.

135 Potest etiam humorem sanguineum, vel alterius coloris variare obiectum, siue etiam in figuras varias extorquendo, siue medium ad modum inspiciliorum excauando, & innumeris perspectiuæ modis variando, ità vt monstrosum, difforme, capite inuerso, & oblongo, appareat homo, siue etiam aliquid commiscendo cum medio, quo figuræ variantur, sicuti (ait D. Thomas 2. *dist.8.*) ad vaporationem cuiusdam fumi trabes domus videntur serpentes; seu, vt ait D. Bonauentura, ex positione candelæ, factæ ex adipe serpentis, & dispositione palearum, videntur paleæ serpentes. Idem fit quibusdam mineralibus, quæ omnia dæmones eruditissimi norunt, & citò conficiunt, ac confingunt.

136 Possunt dæmones imponere obstaculum, ne obiectum videatur, illudque veluti euanescens, & inuisibile facere, vel impedire propagationem speciei vsque ad organum, seu intercipere spiritus vitales, qui sunt vehicula, vel receptacula specierum, & sic impedire sensationes etiam internas: sic multi aiunt, opera Angelorum, Aorasiam Sodomæis factam spirituum repressione, vt Angelos, iuuenum specie non viderent, aut portam Loth. Hunc tamen modum non adeò certum dæmonibus, obseruat SDoct. vt reddant hominem ἀεράλεν inuisibilem.

ALIVM modum addit S. Thom. *dist. 8. quæst. vnic. art.5. ad 4.* quem sequitur Valentia. Si dæmon deferat species, quæ sunt in imaginatiua ad organa sensuum, tunc videntur, audiuntur res velut præsentes; sicut in somnis euenit.

HVNC modum refellit D. Bonauent. tum quia 137 dæmon nequit sensationes externas efficere, absque obiecto aliquo: tum quia species ordine inuerso reuerterentur à sensibus exrernis ad externos, qui non mouentur per phantasmata; sed per species magis materiales ab obiecto immediatè productas, atque pendentes. Si dicas, adhiberi speculum. Contrà: arduum est, quo pacto dæmon inueniat tam grande speculum, quo integrum regnum repræsentet: sicuti aliquando visui ostensum est, aut exercitus Gotifredi, aut Attilæ, vel Tamerlani, vel Xersis, aut Semiramidis; sicuti aliquando ostensi sunt. Mirum est etiam quo pactò videantur tot res, non viso speculo. Tandem mirum quomodo tale speculum possit species suscipere, & tenere, ab obiecto pendentes, & inseparabiles. Quare Tannerus *num.8.* hanc opinionem difficilem confitetur.

OBIICIES primò. Sensus particularis non fallitur circa proprium obiectum, ex Aristotele. 138

RESPONDET S. Doct. verum esse per se, & seruata debita expositione obiecti, dispositione medij, atque organi. Adde, in his elusionibus admisceri sensui particulari phantasiam, & sensum communem.

OBIICIES secundò. Vt dæmon ostendat alicui vnum, v.g. Asinum, oportet, vt vel ostendat præsentem Asinum, vel eius similitudinem ipse in oculo producat; at similitudo illa nequit produci, nisi ab obiecto, neque enim potest è nihilo educi. Igitur si Asinum offert, non illudit: &, si non exhibet, non immutabit sensum.

Respondet S. Doct. dæmonem offerre speciem 139 Asini, quæ est in phantasia, viuaciter eam excitando, & obiiciendo: Vel circa strigem format corpus Æluri: Ideò sauciantur illæ.

OBIICIES tertiò. Dum facit dæmon, vt homo videatur Capra, aut similitudo hominis defertur vsque ad oculum, aut non. Si defertur: Ergo videt hominem; si secundum, quid impedit? & videtur, quòd nihil.

Respondetur, detinere speciem, ne perueniat ad visum, & loco eius offerre phantasiæ speciem capræ, quæ intus est adeò vehementer, vt videre capram, credat.

OBIICIES quartò. Cùm facit videri, quod non est, aut hoc præstat immutando virtutem, aut oculum, aut obiectum. Si obiectum: Ergo est verum miraculum: Si organum, aut virtutem; cùm hæc sint nobiliora, erit maius miraculum.

RESPONDET S.Doct. immutare posse quodcumque horum, neque tamen esse miraculum, quia 140 non est ibi vera formarum transmutatio. Sed aliqua alteratio, vel apparens immissio, aut vera puta ignis immissio, sed super infuso liquore igni resistente, quo pacto Cingari (Gens illa vaga) videntur ignem stramini apponere, & tamen non comburitur. Profectò virtutem igni substrahere, vel eripere solius Dei est, vt notant Basilius, & alij ad id Psalmi 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVII.

An possint Dæmones immittere cogitationes.

D.Bonau.d.8.p.2.q.4.

141 OBSERVAT S.Doct. immittere cogitationes, esse agere principaliter ad cogitationes efformandas simul cum potentia, non verò extrà immittendo, non cooperante potentia, quia cogitatio est actus vitalis, quæ debet esse à principio vitali. Igitur, quia immissio dicit quandam præpotentiam super effectum; at dæmones solùm excitare, & sollicitare valent.

IDEÒ Assero, Dæmones non posse immittere cogitationes: Hac doctrina ruunt opposita.

PROBATVR à S. Doct. primò ex Glossa Bedæ, ad id Matthæi: *Nihil, quod in os intrat, coinquinat hominem*, vbi ait: *Diabolus non est malarum immissor cogitationum.*

SECVNDÒ, quia sequeretur, dæmones posse cogitationes nostras formare, contra D. August. 4.*de Trin.cap.vlt.* & *lib.*83. *qq. quæst.* 51. & *lib.*9.*de ciu. cap.*11. & *lib.*11. *cap.*2. Probatur sequela ab ipso, quia in cogitatione formatur acies intelligentiæ.

142 TERTIÒ, quia, cùm nihil magis sit intimum nobis, quàm cogitatio, iam posset dæmon in animam illabi, quod reprobaui *quæst.*8.*&* 11.*disp.*2. & *hic, quæst.*15.

QVARTÒ, quia sic cogeremur mala semper cogitare, atque adeò cogitationes malæ non essent reprehensibiles, cùm tamen arguantur à Christo, Matth.9. *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

143 Quærit autem S. Doct. An possit Diabolus cogere, vt mala cogitemus.

RESPONDET primò, non posse Diabolum cogere ad cogitationes malas; esto compellat ad cogitationes de rebus malis; cogitatio enim de re mala non est mala, nisi comitetur affectio nostra praua. Hoc responsum ex aliorum sensu præbet.

Respondet secundò ex proprio sensu, non posse dæmonem facere, vt necessariò cogitemus rem malam, nisi inueniat mentem otiosam; tunc enim (ait) potest ei vaganti turpem imaginem afferre. Quare hortatur S.Doct. vt semper vtilibus cogitationibus distineamur, ne ansam tentationum diabolo exhibeamus, qui non trahit; sed pellicit.

QVÆSTIO XVIII.

An Dæmones malas in nobis affectiones incendere queant.

D.Bonau. d.8.p.1.q.5.
D.Th.p.p.q.111.art.2.

144 INCENDERE est actus translatus à corporeis ad spiritualia, in rebus autem corporeis incendere, non est ignem generare; sed potiùs igni pabulum ministrare. Sic igitur in spiritualibus, incendere est escam cogitationum, & affectionum fœdarum suggerere; Quia igitur hæc potest subministrare diabolus, verè potest dici affectiones incendere.

ID probat S. Doct. ex Glossa, *Oseæ* 7. Beda *ad Act.*6. Gregorio *in* 9.*Iob.* Vide S.Doct. Argumenta opposita solùm probant, non posse efficere affectiones, posse tamen excitare, vt ait Arriaga *disp.*27. *sect.*2. Tannerus *quæst.*6. *disp.*5. Morandus *quæst.*44. cum D. Thoma *quæst.*111. Fuliensis *lib.*3. *cap.*11.

Cætera, quæ ad potestatem tentandi pertinent, dicentur *disp.*14.

DISPVTATIO XII.

De Missionibus Sanctorum Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum ANGELORVM *aliqui mittantur.*

D Bonau. in 2.dist.10. quæst.1.
D.Thom.q.112.art.1.



SSERO Angelos mitti. Probatur à D.Bonau. primò è Scripturis, Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel.* Psal.103. *Qui facit Angelos suos spiritus.* Angelus enim nuntium sonat. Ideò *Hebr.*1. Apostolus hunc locum exponens: *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* 1

Hinc missiones Angelorum resumit S.Doctor ex charitate, & desiderio Angelorum, & ipsius Dei erga nostram salutem.

PROBATVR adhuc à S.Doct. *fundamento* 4. quo vtitur D. Thomas. Deus enim gubernat creaturas inferiores per superiores. Sed Angeli sunt superiores rebus corporeis, etiam animatis: ergo. Sed non possunt esse vbique: Ergo mittuntur. Idem argumentum habet S. Doct. *in* 1.*dist.*37. *p.*2. *art.*2. *quæst.*1. *in fundamentis*, vbi supponit id Hebr.1. *Omnes, &c.* 2

Assumit verò ex Damasceno, eos velociter ire, quò mittuntur. Infert verò, quòd cum finiti sint, nec possint esse vbique, egent motu locali.

Rationem verò harum missionum ex parte Dei affert; quia, licèt Deus sit omnibus præsens, ac in omnia potens, attamen omnia inferiora per superiora, admirabili regit prouidentia.

QVÆSTIO II.

Vtrum ANGELI *ex omnibus ordinibus mittantur.*

D.Bonau.dist 10.q.2.
D.Thom. q.112.art.2.

GEMINAS classes Aulicorum Dei distinguimus: aliqui enim assistentes sunt, alij ministrantes. Assistentes exponuntur, Tobiæ 12. *Ego sum Raphaël vnus è septem, qui astant ante Deum.* Vterque verò ordo ponitur, Danielis 7. *Millia* 3

millium

millium ministrabant ei ; & decies millies centena millia assistebant ei. Et Apoc. 5. *Vidi , & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni : & erat numerus eorum millia millium.* Deinde pergit narrare, multos Angelos missos in terras. Ita aduertit Suarez *lib.6.cap 9.* cum D. Bonauent. *serm.1. & 2. de Angelis , & in fundamentis hic* , quem cæteri imitantur.

4 QVÆSTIO est igitur : An ex assistentibus etiam aliqui mittantur.

PRIMA opinio est , ex omnium ordinum Angelos mitti à Deo ex aula cœlesti ad nos ; E suprema tamen hierarchia, nonnisi rarò. Ità Alensis *2.p. quæst.36.memb.3.* Scotus *2.dist.10.quæst.1.* Durand. *quæst.1.* Argentina *art.1.* Gabr. *art.2.* Marsil. *in 2.quæst.7. art.3.* Molina *p.p. quæst.112. disp. vnic.* Valentia *disp.8. quæst.6. puncto 2.* Malonius *in 2. dist. 10. disp.2.* Arriaga *disp.11. sect. vlt.* Tanner. *disp.5.quæst.6.dub.8. num.10.* Suarez *loc. cit. cap.10. num.45.* Morand. *tract.7. quæst. vlt.* Vasq. verò *disp.244.* inclinat in neutram. Sic & Fuliensis *lit.3. cap.12.*

SECVNDA sententia est , nullum è classe supremà Assistentium mitti extra Cœlicam curiam ad nos. Ità D. Bonauent. & D.Thom. *hic*, vbi Caietan. & alij Thomistæ, Capreol. *in 2.dist.10.* vbi Albertus *art.3.* Richard. *art.11. quæst.2.* Ægidius *quæst.1. & 2.* Marcus à Baudunio *quæst.65.art.1.* & Valentia probabilem censet.

5 ENIM verò Seraphicus, vt Scripturas eas saluet, quæ videntur testari , etiam supremos aliquando mitti , quas infra referam , apponit distinctionem, quam sumpsit Scotus , & cum eo discipuli, præsertim Faber *disp.42. cap.1.* duplicem esse Missionem, Visibilem,& Inuisibilem : prior est ad nos ; Altera est Angelorum superiorum ad inferiores, & de hac locutum Apostolum , Hebr.1. *Omnes sunt administratorij spiritus, missi propter eos, &c.* non dixisse autem mitti *ad nos* ; sed *propter nos* , quia aliqui non immediatè mittuntur. Idem habet 3. *p. Centil. sect.18.* & *serm.2. de Angelis ad Festum S. Michaelis.*

SVAREZ *à n.15.* hanc doctrinam carpit dicens, Angelos non posse dici missos , nisi localiter : non enim in eis habet locum Missio ad effectus, quæ est personis Diuinis, sine motu locali , propria ob earum immensitatem. Non negandum est sanè duplicem dari Missionem ; visibilem , & inuisibilem, etiam Angelis. Visibilem sanè , cùm assumpto corpore , vel ad effectus visibiles mittuntur , vt fertur *Zachar.1. Apoc.7.9.& 16.* Inuisibilem verò, cùm ad effectum inuisibilem, veluti ad venerandam Augustissimam Eucharistiam mittuntur, vt docet Concilium Aquisgranense *cap.132.*

6 Attamen nimis materialiter spiritualia accipit: Missio enim, inter spiritualia, est dirigi,& ordinari, quod sæpè etiam sine motu fieri potest, dum legati, vel interpretis modo, superior inferiores purgat ab ignorantia , & illuminat ; quod sanè potest inter Angelos sæpè motum exigere per Aulam cœlestem, vt si Deus imperet Seraphino, vt Angelum infimi chori instruat de aliqua legatione obeunda : non enim credibile est , Seraphinum , altè clamando, alloqui Angelum in remotissimo choro iacentem.

7 ASSERO primò , non omnes Angelos mitti ad nos.

PROBATVR à D.Bonauent. primò, *ex Daniel.7.* vbi diuiduntur Angeli in duas classes , idest Ministrantium,& Assistentium ; vt dixi initio. Vt autem sit bona diuisio, oportet , classes ità esse distinctas, vt altera alteram non confundat : Ergo nec vllus assistentium est è classe ministrantium : nec è contra.

OPORTET autem aduertere , *assistere* non esse idem ac in præsentia Dei stare : nam *Omnes vident faciem Patris.* Matth 18. vt aduertit S. Gregorius *homil.34.in Euang.* & *lib.2. Moral. cap.3.* & *lib.17. cap.9.* in dicta verò diuisione multi videntes Deum, non sunt è classe assistentium, vt Patres aduertunt. Consistit igitur in hoc assistentia, vt immediatè hi à Deo illuminentur de rebus nouis , vt aduertit D.Gregorius suprà, & D.Dionysius, qui in hoc ponit proprietatem assistentium , quòd immediatè coniungantur supremo Lumini, vt radios eius participent ; & ideò ad hos pertinere , vt inferiores illuminent. Aliquando verò significat specialem dignitatem. Sic *Apoc. 1.* dicuntur septem Angeli specialiter Deo assistere,& *Tobiæ 12.* Raphaël dicit, se esse vnum ex illis , qui astant. Ità aduertit etiam Suarez *à num.10.* ad doctrinam D. Bonau. *hoc fundamento, & in corpore.*

PROBATVR secundò à D.Bonauent ex D.Dionysio *cap.10.de Angelica Hier.* vbi ait : *Superna illa agmina ab imimis nunquam recedunt ; quia ea , quæ præeminent, vsum exterioris officij nunquam habent.* Cùm igitur *à cap.7.* regulam generalem constituerit, quod Angeli assistentes foras ad ministrandum non exeunt ; postea *cap.13.* ne admittat , Seraphinum missum ad purganda Isaiæ labia ; cum locum interpretatur, vt infrà dicam. Eum sequitur D.Gregorius *loco cit.in Euang.* 8

VASQVEZ , Morandus , & alij has authoritates conantur infirmare : Dicunt autem , D.Dionysium non tractare quæstionem hanc ; sed quare Seraph dicatur missus ad purganda labia Isaiæ. At præclarè S.Dionysius quæstionem definit , vt constat ex relatis verbis : mox respondet , *loco Isaiæ 6.* vt præclarissimè aduertunt SS. Doctores , & ante eos D. Gregorius , vt fatetur ingenuè Tannerus *num.9.*

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Plus distat actus ministrandi ab actu contemplandi , quàm ministerium à ministerio. Sed diuersa sunt ministeria secundùm diuersos ordines , adeò vt vnus ordo ministerium alterius non assumat : Ergo & aliqui sunt ordines Angelorum itè dediti contemplationi , vt ad ministeria non mittantur. Maior probatur, quia penès differentiam contemplationis, & actionis fit distinctio Hierarchiarum , & penès secundam fit distinctio ordinum. 9

PROBATVR quartò à S.Doct. Maior est ordinatio in hierarchia Angelica , quàm in Ecclesiastica. Sed in Ecclesiastica aliqui ità sunt contemplationi intenti , vt ad actionem non exeant : Ergo multò magis idem in triumphanti Ecclesia quietis.

PROBATVR quintò à D.Bonauent *dub.2. litt. &* 10
lib.1.quæst.1. argumento, quo vtitur D.Thom. Certum est, Deum secundum legem ordinare,& gubernare inferiora per media , & media per suprema. Id verò in Angelis præsertim obseruari , ostendit S.Doct. argumento D.Gregorij *28.Moral. c.3.* nam *Zach.3.* vnus Angelus alium misit, dicens: *Curre, & loquere ad puerum illum.* Aduertit autem, non dici inferiores Angelos ministros superiorum , quia mittunt hi, non suâ, sed Dei authoritate. Idem aduertit Suarez *num.30.* quod S.Doct. rursus probat *dist.11. quæst.1.fundam.3.* ex D.Dionysio *cap.8. de Angelica hier.in fine* , & *cap.5.de diuin. nominib.* August.3. *de Trin.cap.4.* Origene *4.Dial.cap.4.*

11 Vasqvez *num.*10. Faber, Valentia, & alij dicunt, talem ordinem non semper seruari. Sic enim Rex ad grauissima, puta, si velit cum Regina filium suum, nuptias inire, mittit vnum è Dynastis, qui perpetuò assistunt aulæ; & ità euenit, cùm filium suum naturæ humanæ voluit copulare; misit enim Paranymphum Gabrielem, qui est de supremis, vt ait D.Gregor. *homil.*34.*in Euang.*& D.Bernard.*homil.*1.in *Missus est.*

Respondetvr, Gabrielem dici summum, non absolutè; sed inter ministros. Stat enim S. Gregorius cum D. Dionysio, nec audet opponere. Diuus verò Bernardus solum ait, non fuisse de minoribus. Profectò, si esset summus, præcelleret etiam Michaëli, quod est falsum; nam *Dan.*8. Missus est à Michaele, vt aduertit D.Hieronymus, & Suarez *num.*3.cum D.Bonauent.*p.*3.*de Eccl.hier. cap.*2. *ante medium*, & *p.p. post medium.* Sic etiam Reges mittunt sanè Dynastas ad grauiora; habent tamen intimos, quos nunquam mittunt: Fuisse autem Gabrielem mediæ hierarchiæ probat S. Doct. *serm.*21.*Hexaëmer.* ex D.Dionysio.

12 Assero secundò, omnes Angelos superiores mitti missione inuisibili, modo dicto.

Probatvr à D.Bonau. primò ex illo Hebr.1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi*; quem locum vrget etiam 1.*p.Centil.sect.*18.

Respondent aliqui, è quibus D. Thom. Apostolum loqui solum de Angelis, per quos Lex data est Moysi.

13 Contra arguit Suarez *num.*35. Vasq.*num.*15. argumento D. Bonau. *in corpore*: quia, si non loqueretur de omnibus, etiam Seraphim, infirmum esset eius argumentum; contendit enim Christum omnibus Angelis præferre, quod probat, quia sunt ministri; ipse vero filius: *Tantò melior* (ait) *Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu? Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi?* &c. Quo argumento vtitur *Coloss.*1, nominans Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes. Quod si omnes, etiam Seraphim, non includeret, non satis Christi dignitatem comprobasset.

Quòd verò non mittantur extrà; sed inuisibiliter ad alios, aduertit S. Bonau. *in fine corporis*, ex illis verbis: *Missi propter eos*,&c. non ad eos,&c.

14 Hac distinctione explicat hunc locum etiam D.Thomas *ad primum.*

Sed carpit Vasq.*num* 15. & Suarez suprà, distinctionem hanc; quia illuminatio non est missio. At suprà satis respondi.

Dicvnt Suarez *num.*40. Vasq. *num.*16. & alij, geminam esse Apostoli propositionem. Alteram vniuersalem: *Omnes sunt administratorij spiritus*; alteram non vniuersalem: *In ministerium missi*, & hanc non esse viuersalem; sed sensum facere: ex illis administratoriis mittit, quos vult. Sic in aula diceres Regis: Omnes hi sunt Regis ministri, quos mittit, idest ex his mittit, quos vult ad negotia. Addunt, ità indicasse D. Anselmum. Confirmant. Non potest hinc argui, singulos mitti: Ergo neque è singulis choris aliquos. Probatur consequens, quia Apostolus non magis præfert Christum singulis ordinibus, quàm singulis Angelis, & è contra; sed omnibus, & singulis.

15 At verò parui momenti est responsio: nam vniuersalis nota (*omnes*) vnam tantum propositionem adeò stringit, vt nullum appareat signum distinctionis, cùm neque particula (&) apposita sit; sed dicat: *Omnes sunt administratorij spiritus, missi.* Quoniam verò assumptum Apostoli erat, totum genus, totamque naturam Angelorum Christo postponere; satis fuit genus singulorum probare missum, non autem descendere ad singulos generum, ad quos non est legitima illatio. Si enim dicam: Omne animal fuit in arca Noë, intelligo pro generibus singulorum, idest ex omni genere aliqua; non tamen licet inferre: Ergo singula generum animalia fuere in arca; plurima enim diluuio periere. Exemplum verò est mancum. Dicito: Omnes hi aulici sunt ministri Regis, missi in ministerium, & tunc significabis, saltem ex horum omnibus gradibus aliquos esse missos. Quod si Apostolus supponeret, ex inferioribus choris tantùm mitti; iam eius argumentum nihil inde traheret roboris, ad exaltandum Christum à toto genere super omnes Angelos. At si sensus sit, superiores Angelos mitti, quando Deus id vult; signum est, eos missionibus esse destinatos à Diuina prouidentia; atque adeò ne sit frustrà, aliquos aliquando mittere; &, si non mittat singulos; sed aliquos, erit inde consequens; omnes Angelos esse Christo inferiores, & singulos, cùm sint eiusdem rationis. 16

Respondet Suarez *num.*42. Vasq.*num.*16. satis Apostolum argumentari præcellentiam Christi super Angelos à toto genere, dum omnes administratorios asserit, & probat. Itaque ostensâ naturâ seruili vnius, rectè infertur de omnibus, esse inferiores filio, etiamsi non actu mittantur omnes; sed soli inferiores. 17

Enim verò sic Apostolus illa prima enunciatione: *Omnes sunt administratorij*, consummasset argumentum; actualis autem missio inferiorum esset frustra apposita, si solos inferiores includit, à quibus non satis præcisè infertur illatio de superioribus, aut saltem nil roboris addit Apostolus. Igitur nouum robur addit argumento ex actuali omnium missione: *In ministerium missi.*

Erat autem hinc etiam vrgendum argumentum, ostendendo, etiam supremos mitti, vt ministros: qui si non essent actu aliqui missi, posset aliqua apparentia æqualitatis cum Christo colorari, cùm & Christus sit actu missus *Matth.* 15. *Ioan.* 10. & apud Apostolum *Rom.*8.*Galat.*4. non sanè vt minister. Hoc videtur subodorasse Chrysost. *orat.*3. *in epist. ad Hebr.* Ideò Apostolus missionem filij recensens, ait: *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*; & ità esse missos, multò magis ministros etiam supremos, nouo medio argumentatus est; vt saltem ex forma missionis præcellentiam Christi auspicaretur.

Probatvr secundò ex Isaiæ 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim.* Geminas autem huius loci expositiones habet S.Dionysius *cap.*13.*cit.* quarum vtraque supponit, non fuisse hunc, vel assistentes illos ambos, veros Seraphinos. Altera vero expositio nobis prodest, nempè dici Seraphinos, quia inuisibiliter à Seraphinis Empyrei missi erant, eosque repræsentabant, sicut & dicitur Deus, qui in throno sedebat, cùm tamen esset Angelus Deum repræsentans. vt ostendi *disp.*11.*quæst.*11. sic interpretatur D.Bonau.*serm.*21.*Hexaëmer.* finem versus. Eos verò repræsentasse veros Seraphinos indicat S. Bonau. etiam *p.p. de Eccl. hier. cap.*2. illos tamen Archangelos innuit, *p.*3. *cap.*2. 18

Instat Suarez: nisi fuissent veri Seraphini, non haberemus alibi in Scriptura, vnde colligeremus, dari chorum Seraphinorum. 19

Respon

RESPONDETVR ex D. Bonauent. *p.p. hier. cit.* & *serm.de Ang. ad festum S.Michaëlis apposito*, haberi, & Psal. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus; & ministros suos flammam ignis*, vt multi Patres exponunt, quos indicat Suarez *cap.*10. *num.*5. vbi tamen ipse de omnibus exponendum vult, quatenus sunt charitate ardentes, vel alios incendunt.

Frustrà verò suo marte sic exponit locum, quem vrgeo, ibi vocari ministros Seraphinos. Ergo inuisibiliter saltem mittuntur.

20 SECVNDA expositio illius, 6. *Isaiæ*, affertur à D.Bonau. *ad primum*, illum Angelum dictum Seraph, ex officio incendendi: sic exponunt cum S.Dionysio Euseb. *lib.*7.*de demonstr.cap.*1.Chrysost. *homil.*7.*ad popul.*Cyrill. *lib.*1.*in Isa.*Basil.& Hieron. *ibi.* Abulensis *in cap.*13.*Iudicum, quæst.*35.

Enim verò vtramque expositionem impugnant aliqui, quia de veris Seraphim exponitur à Patribus, Athanasio, Nazianzeno, Chrysostomo, Theodoreto, Damasceno, & aliis apud Suarez *num.*6. Arriagam *disp.*21. *sect.*5. qui vrgent, alioqui nos non posse probare Seraphinos existere.

21 RESPONDETVR, satis esse in Scriptura nos habere repræsentantes Seraphinos; sicuti si adueniret Legatus Papæ, eum repræsentans, sciremus existere Papam. Hæc tamen expositio ad nostrum assertum secundum roborandum non conducit.

OBIICIES primò contra prius assertum. Cherubini ex octauo choro missi sunt ad custodiam Paradisi *Genes.*3. & *ad Ezech.cap.*10.

MVLTIS modis exponuntur, vt refert Suarez *lib.*6. *cap.*10. *à num.*9. Arbitror, eos fuisse repræsentantes Cherubinorum, vt videtur innuere S.Bonauent. *p.p. de Eccl. Hier. cap.*3. Sicut enim Angeli repræsentantes Deum, maiestatem quandam Dei præferebant; multò magis repræsentantes supremos spiritus creatos, horum maiestatem, & speciem obtinebant. Si autem Angelis etiam inferioribus conceditur in persona Diuina apparere, vt docent Chrysostomus *homil.*18. *& serm. de Ascensione Domini in fine tertij tomi*, August.11.*de Genes. ad litt.cap.*40. Albinus *quæst.*81.*in Genes.* Eucher.& Gennad. *in Genes.* Glossa, Interlin. Lyra, Strabo *Genes.*3. Rupert.*lib.*3. *in Genes. cap.*32.*&* 33. Caiet. Lippom. *ibi.* Perer.*lib.*6.*in fine*; quos Cherubinos vocent, vtpotè repræsentantes, vt indicat D.Bonauent. *dist.*10. *dub.*2. *litt.* cur negabitur Angelis apparere in similitudine Cherubim, & Seraphim?

22 MVLTI quidem Patres dicunt, Cherubinos Ezechielis fuisse Angelorum exercitum. Ità Beda *lib.*1. *de tabernac.cap.*5. & *lib.de templo*, *cap.*13. Caiet.*in Genes.* Vide Pradum *in Ezech.*& hi dicunt, Cherubinos Arcæ, & Eden, fuisse imagines Angelorum, non alicuius specialis chori. Ita videtur etiam D. Bonauent.*p.*4.*de Eccl.hierar. cap.*6. attamen ibi loquitur allegoricè; fuisse verò repræsentantes veros Cherubinos indicat *lib.*1. *cap.*3. & hoc saltem necesse est fateri, vt in Scripturis Cherubinorum inueniamus chorum; propter quod eos fuisse veros Cherubim asserunt Patres aliqui apud Suarez *cap.*10. *à num.*17. neque tamen sequitur, mitti ad extrà Cherubinos; nam illi assistebant: agebant verò inferiores currum mouentes ad Dei contemplationem, & ad diuina ministeria, vt aduertit S.Doctor *loco citato.*

23 OBIICIES secundò. S. Michaël fuit missus extrà *Dan.*10. sed hic est primus inter omnes: Ergo. Minor probatur ex D. Basilio *homil.*1. *de Angelis*, Pantaleone Diacono *homil.de S.Michaële*, & B.Laurentio Iust. *ibid.* Confirmatur ex *Apoc.*12. vbi dicitur: *Michaël, & Angeli eius præliabantur cum Dracone*: Ergo est Dux omnium Sanctorum Angelorum. Item Ecclesia canit: *Collaudemus venerantes omnes cœli milites; sed præcipuè Primatem cœlestis exercitus, Michaëlem in virtutem conterentem Zabulon.* Eundem acclamat Principem militiæ cœlestis; & rursus: *Archangelus Michaël præpositus Paradisi, quem honorificant Angelorum ciues.* Tandem in officio Angelorum celebrat super alios Michaëlem; hic autem apparuit in monte Gargano, vt habetur in officio, 7. die Maij.

Respondet S.Doct. *p.*3. *de Eccl.Hier.cap.*2. Michaëlem esse de choro Archangelorum, & inter eos Principem; sicuti etiam Gabriel, quod probat ex Glossa *ibi*, ad ea verba Danielis: *Vir vestitus lineis.* Quod idem asserit de Gabriele, & Raphaële *lib.*2.*Compend.Theol.cap.*20. Et de Vriele 3.*p.Centil. sect.*18. de quo *Esdræ* 4.*cap.*4. 24

PROBATVR verò, nam Ecclesia vocat Michaëlem Archangelum: *Sancte Michaël Archangele defende nos in prælio.* Et in festo S. Michaëlis inuitat: *Regem Archangelorum Dominum, venite adoremus.* Et in primo Responsorio: *Factum est silentium in cælo, cùm Draco committeret bellum cum Michaële Archangelo.* Et in quarto Responsorio: *Hic est Michaël Archangelus, Princeps militiæ Angelorum.* Et in Laudibus: *Dum præliaretur Michaël Archangelus.* Et in Antiphona ad Magnificat: *Princeps gloriosissime, Michaël Archangele.* Quare hinc habes, eum vocari Principem militum, qui destinantur ad externa ministeria, non autem omnium absolutè: sicuti in Regno, Dux militum non est super omnes. Consentit D.Thom. *quæst.*113. *art.*3. Imò & S.Iudas *in sua Canonica* vocat eum Archangelum: *Cùm Michaël Archangelus altercaretur.* Sic exponunt Hieronym. *Dan.* 12. Aponius *lib.*4. *in Cant.*

ALIQVI tamen plures asserunt Michaëles; & quidem illum, qui fuit Dux Belli in cœlo, statuunt supremum, etiam inter Seraphim; eum verò, qui venit ad Danielem, qui præfuit Synagogæ; & nunc Ecclesiæ, esse Archangelum. Ex dictis constat idem sentiendum de Gabriele, Raphaële, & Vriele. 25

DICVNTVR verò hi Deo adstare, *Lucæ* 1. *Tobiæ* 12 ob singularem puritatem, qua cum Virginibus consentiunt, quibus tantoperè Deus delectatur, vt ait D.Bonauent. *p.*3.*de Eccl.hier.cap.*2. *in calce.* Isti igitur adstant ad ministeria exercenda, vt dicitur Zach. 3. *Dabo tibi ambulantes ex his, qui nunc hic assistunt*, idest, qui sunt in hac aula; non enim *hic*, *assistere*, sumitur eo rigore, quo S.Dionysius accipit; dum ab assistentibus ministrantes distinguit. 26

Dices. Si non dedecuit venire extra Filium Dei; cur dedecet Seraphim? Hanc rationem obiicit Magister, & Valentia.

RESPONDET D. Bonau. *ad* 3. Missionem filij esse ad redimendum, quod nulli alij poterat conuenire, quia pretium infinitum, debitum, soluere non valebat; at missio Angelorum est ad seruiendum Redemptori in hominibus, quæ ministratio non est tantæ dignitatis, vt supremis conueniat. 27

QVÆSTIO III.

Vtrum ANGELI *mittantur ad Viatorum hominum intellectus illuminandos.*

D.Bonau. dist.10. art.2. quæst.2.
D.Thom.q.111.præcipuè art.3.

28 PRÆLIBANDVM censeo, homines à Deo per Angelos illuminari. Id ostendit S. Doct. 3. *p. Centil. sect.*18. Sic enim Raphaël missus est ad docendum Tobiam, dumque à cæcitate eum sanauit, simul perbellè ostendit, Angelos ad ignorantiam, quæ est cæcitas mentis ab Adam nobis relicta, eluendam frequentiùs euolare. Vriel etiam, qui sonat *Lucentem Deo*, missus est ad Hebræos, tenebris obuolutos, erudiendo, vt habetur 4. *Esdræ, cap.*4. sunt enim Angeli veluti stellæ, vt differit S. Doct. *serm.*21. *Hexaemer.* Pergit verò *serm.* 22. ostendere, Ecclesiam militantem à triumphante erudiri, quæ & dicitur: *Mater nostra.* Galat.4. Ipsum vide ibi diuinitus differentem.

Idem ostendit *serm.*1. *de Sancto Michaële*, & affert aduentum Angelorum ad Agar *Genes.*16. ad Petrum, *Act.*12. ad Tobiam *cap.*5. Frequentissimè autem ad erudiendum Moysen in lege, & cæremoniis, vt dicitur Galat.3. *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris*; & latè refertur *in Exodo, Leuit. Numer.* Similiter ad prophetas erudiendos, vnde dicitur Zachariæ 1. *Angelus, qui loquebatur in me.* Sic & ad Ioannem Apoc.1. *Misit Dominus Angelum seruo suo ostendere, &c.* 21. *Sustulit me in spiritu, &c.* Sic ad Pastores Lucæ 1. *Euangelizo.* Matth. vlt. ad mulieres. Ipsum vide etiam *serm.*2.

29 Est autem expressa mens D.Dionysij *cap.*4. 13. *&* 15. *Cælest. hierarch.* vt refert D.Bonau. *argum.*1. *addita solutione.*

IGITVR Angeli edocendo Ecclesiam, eam illuminant. Docere enim, est illuminare; vt ait Apostolus *Ephes.*5. His authoritatibus vtitur quoque Suarez *lib.6. cap.*16.Hinc D.Cyrillus ad id Ioan.1. *Illuminat omnem hominem*, lib.1.in Ioannem cap.9. multis Scripturæ locis ostendit, Angelos docendo illuminare. Ideò enim & Ecclesiæ Doctores dicuntur: *Lux mundi*, Matth 5. Vide D. Bonau. *lib.2. Compend. Theolog. cap.*18. Id etiam ratione in argumentis confirmat; quia Angeli multa nobis reuelant. Vide quoque Arriagam *disput.*22. *sect.*7. Morandum *tract.*7. *quæst.*31. Suarez *lib.*6. *cap.*16.

30 SVPPONO etiam, posse Angelum illuminare sensibiliter, & insensibiliter: sensibiliter quidem per visum,& auditum, quæ sunt præcipua scientiarum organa. Sic Gabriel erudiit Danielem, & Mariam, assumpto corpore. Sic erudiit Angelus Samuelem sola voce, 1. *Reg.* 3. & *Danielis, cap.*5. Scripturâ in muro descriptâ eruditus est Daniel.

Illuminant Angeli etiam per sensus internos. Sic illuminatus est Ioseph, *Matth.*1. & Iosephus antiquus, *Genes.*37.40.*&* 41.

QVÆRITVR ergo, quomodò hominum intellectum erudiant Angeli; certum est autem, naturaliter id fieri per sensus; & quidem intelligentem speculari phantasmata.

PRIMA opinio est Alensis 2. *part. quæst.* 40. *memb.*4. posse Angelum imprimere sensibus internis phantasmata, seu species similes illis, quas faciunt sensibilia obiecta, si sensibus externis essent præsentia; & ità mediis hisce speciebus, siue phantasmatibus Angelos illuminare etiam intellectum; putat verò Alensis, hanc virtutem esse Angelo naturalem. Idem sentit Albertus *de quatuor coæuis p.p. quæst.6 art.*11. 31

SECVNDA sententia est, Angelum non imprimere phantasmata, sed mouere humores, vel spiritus vitales, quibus commotis, ipsa phantasia excitatur ad operandum; & hoc modo intellectus mouetur ordinarè, sicque naturaliter Angelos inuisibiliter hominum mentes illuminare. Ità SS. Doctores *hîc*, insuper S.Thom. *quæst.*11. *de ver.art.*3. & *quæst.*16. *de malo*, *art.*11. Thomistæ omnes *p.p. ad hunc art.*3. *quæst.*111. Capreol. 2. *dist.*8. *quæst.*1. Durand. Argent. Richard. cum D. Bonau. *dist.*10. & ex parte Scotus *quæst.vnic.*§.*Ad secundum*, Bassol. *art.*3. Aureol. *quæst.*2.*art.*2. Ægid. *quodl.*6.*quæst.*16. quos refert, & sequitur Suarez *à num.*10. Valentia *disp.*8.*quæst.*6.*p.*1. Arriaga,Morand.*loco cit.* Supponunt autem, non posse Angelum immediatè illuminare intellectum nostrum. 32

ASSERO, illuminationes ab Angelis fieri nostro intellectui per veterum phantasmatum comotionem; non per immissionem nouorum.

PROBATVR à Suares *num.*11. Quod in nobis potest fieri per motum localem spirituum, & humorum, potest fieri etiam ab Angelo. Sed interna motio phantasiæ fieri potest per motum localem: ergo. Maior patet. Minor probatur experientia; phantasmata enim in organo conseruata ab extrinseco ità mouentur, vt phantasiam commoueant, & excitent ad plura repræsentanda & concipienda, quæ nec exteriùs tunc apparent, nec vllo modo à sensibus percepta sunt: hoc verò fit voluntaria hominis applicatione, vel in somniis; non autem per transmigrationem phantasmatum de subiecto in subiectum: Ergo per mutationem localem spirituum, seu humorum, in quibus sunt phantasmata. Hoc argumentum est D. Bonauent. *lib.*2. *Compend.Theolog.cap.*18. Vbi obseruat etiam, transferri phantasmata per fumositates, quæ dispergunt sinus, in quibus phantasmata degunt, tunc verò excitatur apprimè intellectus, vt circa varia phantasietur confusè; obuersa in somnis, & sæpè etiam in vigilia, à vino. Et hoc fit etiam à Dæmone illusionibus. Idem docet S. Doct. *dist.*8. *p.*2. *quæst.*3. *in corpore*, vbi affert exemplum phrenetici, qui ex fumositatibus, phantasmata confundentibus, multa phantasiatur. 33

Quod verò nequeat fieri per nouam phantasmatum productionem, ostensum est *disp.*11. *quæst.*2. alioqui posset Angelus cæco à natiuitate imprimere phantasmata Iridis, vel alterius colorati, absque obiecto, quod falsum est, cùm species sit velut semen obiecti, & è specie externa formetur phantasma. Ità etiam Suarez cum D. Bonauent. *fundamento* 3. 34

Neque potest Angelus immediatè illuminare intellectum,quia si Angelus nequit producere formas sensibiles; multò minùs poterit intelligibiles, quæ præstantiores sunt, vt dixi *quæst.*1.*&* 2.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. quia ad intellectionem prærequiruntur tria. Primò species, quâ res cognoscatur. Secundò Lumen, in quo cognoscatur. Tertiò Intentio, qua intellectus 35

lectus ad speciem conuertatur; at nequit Angelus immittere speciem, vt ostensum est, neque lumen; quia, vt arguit S. Doct. *funda n.4.* vel proprium lumen infundit, & tunc ingreditur etiam substantia dominans, & illabitur: vel producit; & tunc vel ex nihilo creans; vel ex aliquo: & tunc quæro, ex quo? Neque potest illuminare portionem superiorem rationis, quod est proprium Dei, ex D. Augustino ad illud Ioan.1. *Erat Lux vera*, tract. 1. Et oppositum est erroneum Auicennæ commentum *lib.6. natural. cap.6.* Neque potest intellectum conuertere ad libitum in obiectum; alioqui cogeret arbitrium. Hoc argumentum est D.Bonauent.*in Compend.loco cit.*

36 Probatur tertiò à S.Doctore *fundamento 5.* Si alio modo illuminaret, adhiberet aliquod medium, cùm nequeat per se lumen immittere in animam, eique illabi. Hoc igitur medium erit spiritus, deferens spiritualem illuminationem: Ergo inter Angelum, & animam, est spiritus medius. Rursus ille medius, vel illuminat per se, vel alio medio: non per se, vt ostensum est; neque per medium, quia rursus quæritur de illo medio, & abitur in infinitum.

Probatur quartò. Ità natus est ferri immediatè intellectus in Deum, sicut voluntas: sed Angelus non potest voluntatem nostram rectificare: Ergo nec immediate illuminare.

37 Si dicas, posse Angelum, qui est speculum, se obiicere animæ. Contrà arguit S. Bonauent. *in corpore*, quia oportet, vt se obiiciat modo connaturali animæ, qui est per sensus: nam aliter non potest, dum ipsa est in corpore, nisi in animam ipsam penetret. Itaque, licet Angeli sint lumina, vt ait D. Dionysius, sunt tamen sibi lumina; non enim est simile de lumine corporeo, quod potest per medium deferens portari, vt notat D. Bonau. *ad 3.* Sequitur ergo, quod exteriùs illuminent, vt Magister docens discipulum vocibus, vel imaginibus per sensum auditus, aut visus; interius verò commouendo spiritus, vel humores, in quibus sunt phantasmata, eaque componendo, diuidendo, atque adeò repræsentando in eis lectionem, aut rationem rei faciendæ. Hæc S. Doctor *in corpore*, in quibus Scotus insudat *disp.9.quæst.vnic.*

38 Addit S.Doctor *in Compend.loco cit.* posse Angelum impedimenta amouere à phantasia, quantum potest, motu locali, vel quiete, v.g. sedando commotionem spirituum, vel humorum; vel si ex intemperie qualitatum id oriatur, poterit applicando actiua passiuis ad temperiem reuocare, non aliter immediatè producendo qualitates, vel alias formas, vt dixi *quæst.1.* Hanc doctrinam Scoto adscribit Suarez.

39 Obiicies primò cum Aureolo. Intellectus non agit in phantasma, sed cum illo producit speciem in intellectu possibili. Hoc est tertium argumentum D.Bonauent. *ad opp.* licèt aliò directum.

Respondetur cum D. Bonauent. *in corpore*, Suarez *num.13.* & aliis, nos non ponere Angelum agere in phantasmata, sed in subiectum phantasmatum applicando actiua passiuis, vt organum magis disponatur ad phantasmata exhibenda.

Obiicies secundò. Tota illa applicatio phantasmatum fit per motum localem, neque potest variari species, & erui de vno subiecto, & migrare in aliud: Ergo translatio phantasmatum cum subiecto nil facit ad variandam phantasiationem; quia phantasmata non sunt in spiritu secundùm diuersas partes eius, alioqui non possent tot phantasmata capere in cellula Cerebri: Ergo sunt in eadem parte spiritus, & sic translatio spiritus non variat situm Phantasmatum.

Respondetur, variationem hanc posse euenire, vel ex varia locatione phantasmatum, quæ non sunt omnia in eodem situ: sed in pluribus, vel ex variis humoribus dominantibus in spiritibus; v. g. si Melancholia dominatur in spiritibus, exhibet tristia; si verò bilis, ardua. Si sanguis, læta, & lucidiora; Si humores terrestres, varia, & onerosa cogunt somniari. Ità Suarez ex D.Bonauent. *3.part. Centil. sect.23.* vbi ponit etiam alias mutationes somniantium, inter quas est, ea, quæ dicitur Ephyaltes, qua videntur aliqui inuadi, & opprimi ad immobilitatem, quæ nihil est aliud, quam fumositas conscendens ad cerebrum à stomacho, vel corde, vim comprimens animalem. De his *tract.9. disp.10.* 40

Obiicies tertiò. Sequeretur, Angelum posse illuminare homines, deferendo phantasmata in speciebus, v.g.è Cerebro Petri ad Cerebrum Pauli: & sic posset Paulus cæcus habere phantasmata colorum, translata è cerebro Petri videntis. Huic obiectioni non potest Scotus satisfacere.

Respondetur ex D. Bonauent. *in 2. dist.24. art.2. quæst. vlt. ad 2.* phantasmata subiectari in organo integro animalis; atque adeò ibi phantasmata viuere. Possunt quidem ex fluiditate cerebri localiter moueri in eodem organo; at verò si eruantur, non ampliùs erunt animata, nec per appositionem in cerebro alieno animabuntur. Ideò neque poterunt deseruire ad phantasiandum; requiritur enim proprium organum, tanquam potentia passiua, & vis imaginaria, tanquam potentia actiua, quæ debent esse coniunctæ, & proportionatæ, quales sunt in eodem animali; at verò si extrahatur subiectum, non poterit informari imaginatiua aliena. Hæc responsio laudatur à Suarez *num.19.* 41

Obiicies quartò. Si Angeli Sancti sic illuminant, nil minùs faciet homo, vel Dæmon.

Respondet S. Doctor *ad 5. & 6.* in hoc excellere Sanctum Angelum, quòd potest meliùs docere, cùm sit sapientior: præterea habet maiorem efficaciam circa applicationem phantasmatum. Subscribit Suarez *num.24.* 42

Obiicies quintò. Angeli sæpè aliqua reuelant, quæ nobis per sensus non sunt expressa: Ergo immediatè influunt in intellectum.

Respondet S.Doctor, posse per verbum sensibile hæc reuelare, sicuti ego possum meæ recondita mentis alteri pandere.

QVÆSTIO IV.

An mittantur Angeli *ad Voluntates inflammandas.*

D. Bonau. dist. 10. art. 2. q.1.
D. Thom. q.111. art.2. & p.2. q.9.art.6.

Tres sunt Actus hierarchici, scilicet purgare, illuminare, perficere. Hi adscribuntur à quibusdam intellectui, vt purgatio sit in initio; illuminatio

minatio in progressu; & perfectio in termino. Vel aliter sumuntur à finibus, ad quos doctrina Angelica ordinatur. Primus est, remouere impedimenta. Secundus est ad cognitionem verorum. Tertius ad dilectionem promouere. Ad hæc autem tendit per modum excitantis; sicut sermo compositus oratoris, & ideò non incongruè bonus Doctor dicitur auditores purgare, illuminare, perficere, vt docet S. Dionys. *cap.7. de Cælest. Hierarch.* & D. Bonauent. *ad vlt. quæst.2. huius articuli*, & *3. part. Centil. sect.18.*

43 QVÆRITVR ergo, quomodo possit Angelus perficere voluntatem in dilectione. Et quidem nulla ferè difficultate resoluitur quæstio.

SENTENTIA erronea quorundam philosophantium fuit, animam esse instrumentum Intelligentiæ, & moueri ab ea, sicut artifex mouet serram. Vnde tres operationes ponebant in anima, idest animalem, & hanc esse ab anima: intellectualem, & hanc ab Angelo: Diuinam, & hanc à Deo fieri. Hanc sententiam hæreticam proclamat S. Doctor *in corpore:* aufert enim liberum arbitrium, meritum, culpam, &c.

44 CATHOLICA sententia est, non posse Angelum directè immutare voluntatem alienam immediatè, & per se. Ità SS. Doctores, quos reliqui sequuntur. Concedunt verò, posse hominis voluntatem indirectè inflammari ab Angelis, morali persuasione, & propositione obiecti, remouendo etiam impedimenta, vt dixi *quæst.3.* Prætereà, quia voluntas nostra est cum appetitu sensitiuo colligata, & in eadem animæ essentia radicata; appetitus autem, licèt per se tantùm possit moueri ex parte obiecti, & media phantasia, nihilominus quoque mouetur ex parte corporis; quia, cùm appetitus sensitiuus sit materialis potentia; moto, & alterato corpore, excitatur appetitus, & ille quodammodo trahit voluntatem, dum ratio non potest satis aduertere; vt patet in motibus *primò primis.*

45 Quia ergo Angeli, mediis humoribus, & spiritibus, vel aliis causis applicitis, possunt corpus alterare; ideò, mediante appetitu, possunt non tantum excitare prauas cogitationes in phantasia, & intellectu; sed etiam in voluntate ipsa, vi appetitus, prauos motus excitare quodammodo naturales, & necessarios; tametsi nequeant voluntatem, & consensum necessitare. Ità præcipuè Suarez *cap. 16. numero 28.* ex D. Bonauent. *lib. 2. Compend. Theolog. cap.18.* & *in 2. distinct. 41. artic.2. quæst.1.* Idem verò à fortiori de dæmonibus concludit S. Doctor *2. dist.8. p.2. art. 1. quæst. 5.* non posse eos voluntatem peruertere.

46 ASSERO primò, non posse voluntatem hominis immediatè effectiuè ab Angelo accendi.

PROBATVR à D. Bonauent. *fundamento primo*, quo vtitur Suarez *numero 26.* vbi id significatum, ait etiam à D. Thom. Omnis motus voluntatis est volitio, orta è principio libero, & non solùm, quia vitalis est; sed quia taliter vitalis, debet esse à principio libero intrinseco. Ergo non potest ab aliquo necessitati, præter quàm à Deo, vt est author naturæ. Sicut ergo motus naturalis est à natura intrinseca rei, quæ est principium motus, & quietis: ita & motus voluntatis est à principio intrinseco tali, quod est liberum arbitrium: Ergo nequit ab Angelo immutari. Ex quo patet, neque posse immediatè immutare etiam appetitum sensitiuum producendo actum; quia, cùm sit vitalis, debet esse à suo principio, intrinseco vitæ. Idem argumentum habet S. Doctor *distinct.8. loco cit.* Confirmatur à Suarez argumento D. Bonau. *adducto quæst.1. & 2. disp.11.* quia non potest Angelus alterare ad aliquam formam producendam.

PROBATVR secundò à S. Doctore. Illius solius est immutare voluntatem, cuius est facere iustum. Sed solus Deus potest hominem cooperantem facere iustum: Ergo. Maior probatur ex D. Anselmo *de lib. arbitr. cap.9.* nam iustitia est rectitudo voluntatis, propter se seruata. 47

PROBATVR tertiò à S. Doctore. Secundum rectam inflammationem consistit in voluntate charitas. Sed hæc est donum solius Dei. *Rom. 5.* Ergo.

PROBATVR quartò ab eodem S. Doct. In affectu nostro consistit animæ nostræ deiformitas. Sed solius Dei est deiformem facere: Ergo est solius Dei inflammare.

ASSERO secundò, posse Angelum inflammare voluntates excitando, vt suprà. 48

PROBATVR primò à Seraphico, è S. Dionysio, *cap.13. de Cælest. Hierarch. in fine*, vbi ait, vnum de Seraphim Isaiæ esse missum ad eum inflammandum.

PROBATVR secundò à S. Doct. ex D. Dionysio *cap.7. de Ang. hier. in medio*, vbi ait: vnum de actibus hierarchicis esse inflammare. Hæc verò cùm nequeant fieri per infusionem alicuius actus, vel habitus, vt dixi; reliquum est, vt per applicationem fiat, vt dixi initio. Et quidem de actibus probatum est; quia, cùm sint vitales, debent esse à principio vitæ. Quoad habitus probatur, quia vel producuntur ex propriis actibus, vel infunduntur. Et quidem habitus, inflammatiui ad Deum, sunt supernaturales: *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Rom.5. Ità arguit Suarez *num.27.* ex D. Bonauent. *in fundamentis.*

SIMILITER nec potest Angelus imperare actum, quia solus Deus est superior, vt notat Suarez *ibi* cum D. Bonauent. *fundam. 1.* & *dist.8. l. suprà cit.* nam solus Deus est causa vniuersalis suprema. Neque potest partialiter concurrere, quia actus voluntatis sunt ab anima, & à Deo, vt causa vniuersali; alioqui vitales non erunt, si causa secunda exteriùs eos operaretur; sequitur ergo, eos posse inflammare solùm applicando intellectui per phantasiam, & voluntati, per appetitum, obiectum amabile, sicuti is, qui applicat lignis ignem: vt ait D. Bonauent. *hic*, & *distinct.8. loco cit.* & Suarez *numero 28.* modo tamen proportionato, non detrahenti voluntatis arbitrio: immediatè enim anima à solo Deo peruaditur, & completur, vt admonet S. Doct. *in corpore*, ex D. August. *4. de Trin. cap.8.* qui vbicumque contendit hunc errorem euellere. 49

AN verò etiam mali Angeli mittantur.

RESPONDET D. Bonau. *distinct.10. dub.1.* eos mitti. *3. Reg.22. Psal.77. Matth.8.* ait verò, illos non mitti imperio, sed permissiuè, ad malum.

DISPVTA

DISPVTATIO XIII.

De Custodia Angelorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Sancti ANGELI *deputentur ad ministrandum hominibus.*

D.Bonauent. dist. 11. quæst. 1.
D.Thom.q.113.art.1.

ASSERENDVM de fide, sanctos Angelos deputari ad hominibus ministrandum.

PROBATVR primò à D.Bonau. hîc, ex Isai.62. *Super muros tuos constitui custodes.* Hos autem esse Angelos, ait Glossa. Idem probat eo Matth. 18. *Angeli eorum, &c.*

1 PROBATVR secundò à S. Doct. 3.*p. Centiloq. sect.*18. vbi etiam præcipuas affert Scripturas, & rationes etiam eleganter apponit. Quatuor enim præcipuis necessitatibus nostris, totidem deputatas Angelorum acies, sub præcipuis Principibus, aduertit. Primò enim eget homo adiutorio, contra pronitatem ad malum. Secundò, contra difficultatem, quam experitur ad bonum. Tertiò, vt reuocetur ad Deum. Quartò, vt confortetur, & accendatur in virtute. Ad hæc autem destinantur cum legionibus quatuor Angeli, qui soli nominantur in Scripturis. Primus est Raphael, qui *medicus salutis* dicitur, contra malum; ideò ad curandum Tobiam, ad præseruandum Tobiolum, & compescendum Asmodeum, est missus; vt toto
2 libro illo enarratur. Secundus est Gabriel *fortitudo Dei* ad roborandum ad bonum, sic ad Zachariam missus est, *Lucæ primo* ad annunciandum Ioannem Præcursorem, cuius prædicatione, & exemplis, homines in via Dei gressus figerent. Deinde ad Mariam diuinitùs descendit annuncians Saluatorem, per quem omnes in gratia constituti firmarentur in diuinæ legis, & consiliorum obseruantia. Tertius est Michael, vt omnes ad Dei cultum viriliter reuocet. Ideò enim *Apocal.*12. prælium acerrimè cum Tartareis phalangibus commisit. Is dicitur: *Quis vt Deus?* Diuinam etenim ostendens Maiestatem eam super omnia adorandam monstrat, & summâ colendam obseruantiâ. Sicque ad perfectum Dei amorem disponit. Quartus est Vriel accendens omnium corda ad Dei optimi amorem. Ideò *quarto Esdræ, c.*4. ad populum, tempore illo remissum, tanquam *ignis Domini*, vt nomen sonat, missus est accendendum.

3 PROBATVR tertiò à S. Doct. *in Compend.Theol. ver. lib.*2. *cap.*18. plurimis Scripturæ locis, quibus beneficia per Angelos delata recensentur. Vbi etiam aduertit, sæpe exercitus integros ad hominum custodiam immitti, vt *Genes.* 32. *Quarto Reg.* 6. vbi castra Dei ad tuendos Iacob, & Elisæum exponuntur. Ibi etiam obseruat, Angelos ad nationum custodiam destinatos, *Exodi* 33. *Iudic.* 2. *Danielis* 9.

Latiùs, *sermonibus de Angelis*, vbi præcipuè apponit *Psalm.* 90. in quo de hominibus cunctis in adiutorio Altissimi commorantibus, dicitur: *Angelis suis mandauit de te, &c.* & ità vniuersaliter dictum explicant communiter Patres. Sic Basilius, Theodoretus, Arnoldus ibi, Bernardus *serm.* 13. Chrysostom. *homil.* 13. Hieronymus, Beda, Anselmus, D.Thom. & alij. Vide Seraphicum eleganter differentem.

IN secundo verò sermone ponit Seraphinos, 4
Cherubinos, & Thronos, Diuinæ Maiestati assistentes. Dominationes quasi Duces, aliis imperantes. Potestates virtute executiua præcellentes. Virtutes ardua exantlantes. Principatus, Regum ac Principum regimini destinatos. Archangelos ad instruendas gentes. Sic Michael Prælatus fuit Synagogæ; nunc autem Ecclesiæ, vt ait S. Dionysius, *cap.*9. *de Cælesti hier.* Tandem Angeli hominum custodiæ destinantur. Vide Seraphicum. Eadem confirmat vnanimi Patrum consensu. Dionysio *cap.*7. *&* 9. *Cælestis hier.* Hieronymo *lib.* 3. *in Matt. cap.*17. Augustino *lib.* 5. *de Genes. ad litt.* Alios refert *in Pharetra lib. primo, cap.* 6. & *aliis locis suprà adductis*, quæ abstulerunt Suarez, *lib* 6. 5
cap. 17. Valentia *disputat.* 8. *quæst.* 6. *p.* 3. Tanner. *disputat.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 8. Morand. *tract.*7. *quæst. vlt.*

PROBATVR quartò ratione, quæ est tertium fundamentum S. Bonau. & clariùs habetur *quæst. seq. in corpore, & argumentis.* Ordo vniuersi, ex Diuinâ prouidentiâ, hoc exigit, vt omne malum habeat bonum sibi oppositum; vt Eccl.33. *Contra malum bonum.* Si ergo extant dæmones vexantes, aucupantes, expiscantes animas ad perniciem, vt habetur Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes, & Potestates tenebrarum harum*, vt ait S. Bonauent. *serm. primo de Angelis*, vbi idem vrget argumentum; decuit; imò oportuit, nos à sanctis Angelis muniri, adiuuari, custodiri; & hoc est argumentum etiam Sanctorum, Cyrilli *lib.* 4. *contra Iulianum*, & Chrysostomi, *serm. de Ascens.* quod desumpsit Suarez, *loc. cit.*

PROBATVR quintò à D. Bonauent. *fundam.* 4. 6
Diuina Lex, & ordinatio exigit, vt infima per media, & media per prima reducantur ad suum principium, ex D. Dionysio *cap.*8. *de Angel.Hier. in fine*: Ergo, si Angelus beatus est superior homine viatore etiam iusto; videtur quòd, mediante Angelo, debeat ad beatitatem reduci. Idem argumentum habet S. Doct. *serm. de Angelis in fine.*

PROBATVR sextò à D.Bonauent.ex necessitate 7
nostrâ, quia enim plurimis indigemus, vt ad destinatum finem perueniamus; sequitur, Deum nobis destinasse Angelos auxiliares, qui nobis possunt ea ministrare. Hoc argumentum latiùs prosequitur, *sermone citato*, & Suarez suprà.

TANDEM probatur à D. Bonauentura *dist.*10. ex amore Dei, & Angelorum erga nos; quod innuit quoque Suarez *loco citato.*

QVÆSTIO II.

An singulis hominibus singuli ANGELI *destinentur custodes.*

SS.DD. vt suprà.

CALVINVS, cuius nomen æterno sepulchro dignum, Angelorum custodiam cachinnis sectatur *in Psal.* 90. Eum imitantur Magdeburgenses, Sacrorum irrisores.

Aliqui solis prædestinatis Angelos custodes concedunt. Ità refert Origenes *Tract.* 5. *in Ioan.* neque refellit.

8 Alij, solos iustos habere Angelos genios autumant. Sic Dydimus apud Damascenum, *lib. primo parallel. cap.* 7. Idem videtur Basil. *in c.* 5. *Isaiæ*, & *in Psal.* 33. & *in Psal.* 48. Parum abest Origenes *homil.* 31. *in Lucam*, qui solis fidelibus eum concedit.

VERA sententia est, singulis hominibus destinatum esse Angelum Custodem. Ità sancti Doctores, quos imitantur Scholastici omnes, *dist.* 7. & D.Thomæ interpretes *quæst.* 113. *art.* 2. & 5. nec absque temeritate negabitur, vt notant Valentia *disp* 8. *quæst.* 6. *puncto* 3. Vasquez *disp.* 245. Suarez *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 8. Tannerus *disp.* 5. *quæst.* 6. *d.* 8. *num.* 13. Et si Molina *quæst.* 113. *d. vn.* aduertat, non esse de fide, quod ait etiam Suarez *num.* 10.

ASSERO primò, Angelos sanctos, hominibus singulis custodiendis, singulos deputari.

9 PROBATVR à D.Bonau. *hic primo* ex Matth. 18. *Angeli eorum*, idest pusillorum, *semper vident faciem Patris mei.* Vbi D. Hieronymus: *Magna est dignitas animarum, vt vnaquæque habeat, ab ortu natiuitatis suæ in custodiam sui, Angelum delegatum.* Idem colligunt Chrysostomus *homil.* 60. *in Matth.* Athanas. *lib. de communi essen.* Eusebius *lib.* 3. *de præparat. cap.* 7. Clem. Alexandrinus *lib.* 6. *Strom.* Basil. *lib.* 3. *contra Eunom.* Nyssen. *lib. de vita Moysis.* Theodoretus *in cap.* 10. *Danielis*, & ante omnes Origenes *homil.* 23. *in Lucam.* E quibus plerique de omnibus hominibus loquuntur: aliqui verò loquuntur de fidelibus, sed non excludunt cæteros. Addit his S. Doct. 3. *p. Centiloq. sect.* 18. D. Gregorium *lib.* 2. *Moral. cap.* 13. & 16. Vide S. Doctorem etiam *serm.* 2. *de Angelis.* & *serm. primo*, vbi apponit illud Iudith 13. *Viuit Dominus, quia custodiuit me Angelus eius.* Et id Psalm. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te.* Et id *Actor.* 12. vbi Angelus soluit Petrum, quem venientem existimarunt esse Angelum eius. *Act.* 10. Vbi Angelus dixit Cornelio, orationes eius, & eleemosynas fuisse acceptas Deo. Et 3. *Reg.* 19. vbi Angelus suscitauit Eliam dormientem. Et id Zach. 2. *Angelus, qui loquebatur in me.* Alia loca refert *lib.* 2. *Compendij Theol. cap.* 18.

10 OPPONIT Caluinus magnum Ædepol argumentum, extenuari sic gratiam Dei, qui omnes Angelos omnibus destinauit; nos verò ad vnum singularem reducimus custodiam singulorum.

RESPONDET S. Bonau. *sermonibus, & aliis locis adductis*, nos optimè confiteri, etiam ab aliis Angelis homines adiuuari. Nam *Isaia* 62. dicitur. *Super muros constitui custodes.* Num. 22. Angelus corripuit Balaamum, qui non erat ei in custodiam. *Dan.* 6. Misit Angelos ad claudenda ora Leonum. *Zachar.* 1. plures Angeli venerunt. *Luca* 2. Angelus edocuit pastores. Dan. 7. *Millia millium, &c.* Genes. 32. *Exercitus Angelorum venit in auxilium Iacob.* 4. Reg. ad Eliseum. Heb. primo. *Omnes sunt administratorij spiritus, &c.* Isaiæ 18. *Ite Angeli veloces ad gentem, &c.* Attamen dicimus, vnum præcipuum singulis assistere, quod maioris est bonitatis. Quare impudenter infandus iste hæc nobis opponit, vt aduertunt Suarez, & Valentia.

ASSERO secundò, etiam infideles, & quoscunque scelestissimos habere Angelum Custodem. 11

PROBATVR primò à D. Bonauent. è Scripturis multis, & Patribus relatis, qui vniuersaliter loquuntur.

PROBATVR secundò à S. Doct. *in corpore*, quia cùm Deus omnes creauerit ad beatitatem, omnes redemit; omnibusque media, & auxilia ad salutem præparauit, è quibus vnum est Angelorum custodia. Idem argumentum innuit S. Thom. *quæst.* 113. *art.* 4. *ad* 3. Minor probatur à S.Doct. *in fundam.* & *aliis locis adductis quæst. præcedenti.* Homo est infirmus ad resistendum insidiis dolosi, & potentis aduersarij: Deus autem permittit, etiam reprobos tentari: Ergo & auxilium præbet; hoc autem, iuxta suauem prouidentiam, fit per Angelorum ministerium. Subscribit Suar. *num.* 12. Confirmatur à D. Bonauent. *loco cit. Compend.* vbi concedit etiam Antichristum habiturum Angelum Custodem, licèt non inde profecturus sit. Et hoc erit ei, cæterisque reprobis in accusationem. Idem edisserit Suarez *numero citato*, & 21. ac D. Thomas.

QVÆSTIO III.

An homines in statu innocentiæ habuerint ANGELVM *Custodem.*

D.Bonauent. dist. 11. quæst. 2.

ASSERO. Probatur à D. Bonau. è Scriptura, & Patribus, custodiam nobilitati animæ adscribentibus, præsertim *Psal.* 90. è Patribus expositoribus.

PROBATVR secundò à S. Doct. quia in eo statu multis egebat homo, ne deciperetur, aut læderetur, maximè verò, quia Deus magis prouidentiam extendit in bonum effundendum, quàm ad malum permittendum. Cùm igitur homini in statu innocentiæ permiserit dæmones tentatores, vt dicitur *Genes.* 3. *Ephes.* 6. debuit, iuxta ordinem prouidentiæ, concedere Angelum tutelarem, vt erudiret contra stratagemata inimici, & exhortaretur ad bonum, ne pelliceretur blanditiis. Idem habet Suarez *numero* 19. qui *numero* 20. deducit, etiam Beatissimam Virginem habuisse Angelum tutelarem. 12

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An Christo datus fuerit tutelaris ANGELVS.

D Bonauent. dist.11. quæst.3.
D.Thom. quæst.113. art. 2. & 4.

NEGANT omnes cum sanctis Doctoribus, vt referunt Suarez *cap.*17. *numero* 21. & alij.

13 PROBATVR primò à S. Doct. quia iam fuit Christus à Conceptione beatus; ille autem status non eget custodiâ externâ.

PROBATVR secundò à S. Doct. quia cùm anima illa sanctissima, & corpus fuerint vnita Verbo hypostaticè, erat humanitas illa absolutè impeccabilis, omni sapientia super Angelos incomparabiliter prædita, vt arguit Apostolus *Hb.* 1. Has rationes allegat Suarez *loc. cit.* Tannerus *disput.*5. *quæst.*6. *dub.*8. *numero* 18. Morandus *num.*813.

In corpore verò id ampliùs declarat Seraphicus Doctor. Ad tria enim iuuat Angelica tutela, vt dixi *quæst.*3. illuminati, contra fictiones diabolicas; roborari, contra vitiorum lenocinia, & contra violentias corporis armari; at Christus erat sapientissimus, impeccabilis, potentissimus: Ergo.

14 Aliam apponit rationem; non enim decebat, Christum sub Angeli eruditione statui, vel directione, cùm omnes eius essent ministri. Sic *Matth.* 4. *Accesserunt, & ministrabant ei.* Ioan. 1. *Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis.*

DICES Psal. 90. dicitur. *Angelis suis mandauit de te.* Quem locum Christo applicuit Lucifer. *Matth.* 4. Sic illum antonomasticè intelligunt de Christo Augustinus ibi, Ambrosius *Luca* 4. Irenæus *lib.*5. *cap.*12.

15 RESPONDET D.Bonauent. intelligi de Christo capite in membris. Vnde D. Augustinus. *Videtis quomodò, cùm loqueretur de corpore, ipse cœpit loqui de capite.* Quare fallitur Suarez *num.*6. dicens, hæc intelligi de Christo in propriâ personâ à D. Augustino. Idem volunt alij Patres. Vel intelligunt de ministerio, quo omnes Christo subiecti erant.

OBIICIES secundò Lucæ 22. *Apparuit Angelus, confortans eum.*

Respondet S. Doct. confortasse, non vt custoditum; sed vt armigerum acclamantem duci, vt dicam 3. *p. Tract.*1. *disp.*39. *quæst.*7.

QVÆSTIO V.

Quandonam ANGELVS *Tutelaris incipiat homini assistere.*

D.Bonauent. dist.11. dub.1. litt.
D.Thom. quæst. 113. art. 5.

ALIQVI dixêre incipere Angelum à baptismo assistere, indignum existimantes, Angelos infidelibus ministrare. Sic refert Origenes *Tract.*5. *in Matth.*

D.THOMAS *ad* 3. existimat incipere à natiuitate. Eum sequuntur Thomistæ ibi Valentia *disput.*8. *quæst.*6. *p.* 3. Tanner. *disp.*5. *quæst.*6. *dub.* 8. *numero* 16. Morand. *num.*815. Caspens. *disp.*8.

TERTIA sententia est, ab infusione animæ in corpusculum deputari Angelum. Ità D.Bonauent. Gabriel, & alij *disputat.* 11. vbi etiam D.Thom. *quæst.*1. *art.*3. *ad* 3. Suarez *lib.*6. *cap.*17. *num.*18. 16

ASSERO cum hac sententia, quæ est etiam D. Anselmi *in Elucidario*, Tertulliani, *lib. de anima*, *cap.* 37. nec renuit Tostatus *quæst.* 65. *in* 18. *Matthei.*

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex D. Hieronymo suprà, vbi dignitati animæ adscribit, destinari ei assistentem è cœlis, ab ortu eius. Sanè anima oritur in vtero matris.

DEINDE probatur à S Doct. quia in vtero incipit esse viator obnoxius dæmonum insidiis, licèt enim sit pars matris physicè, quod aduersariis non nego; attamen est pars solùm, ratione corporis; at verò anima moraliter est distincta per ordinem ad salutem; vnde est capax culpæ originis, etiamsi Mater sit sancta, & potest per gratiam esse capax meriti, vt constat in Hieremia, & Ioanne, ac BEATISSIMA VIRGINE semper IMMACVLATA.

Præterea potest in vtero interimi, & damnari, matre impiâ, suo tutelari repugnante. Vide etiam Suarez.

HINC eruit, multò magis ante vsum rationis in infantia egere Tutelari, potest enim puer astu arceri à Baptismo; interimi potest, reddique stolidus, inhabilis ad bonum, &c. An verò Custos ante vsum rationis pueri habeat aliquem effectum in promotione ad bonum; assignare arduum est; negare non tutum, vt ait S. Doctor. Profectò Angelum paruulis assistere, docet Christus *Matt.* 18. *Angeli eorum, &c.* Sic exponit Chrysostom. *homil.* 59. *in Matth.* Ambros. *lib.* 7. *in Lucam, c.*9. Eo verò loco videtur Christus innuere, Angelos tutelares paruulis adstare, vt à scandalis absint, ne aliquid apprehendant, quod postea culpatè exequantur; esto iam tunc solùm materiale facti percipiant. 17

Præter Angelos singulorum custodes, dantur etiam Angeli Custodes Prouinciarum, vt docet S. Doct. *locis suprà adductis*, & infrà *allegandis.* 18

PROBATVR à S. Doct. primò *p.* 3. *de Eccles. Hier. cap.*2. ex illo *Dan.*10. vbi Michael (vt multi tenent) dicitur Princeps populi Israel; tametsi Tostatus *quæst.* 71. *in* 5. *Iosue* dicat, fuisse Gabrielem, qui, *cap.* 8. 9. *&* 10. curam gerebat populi. Vide & Suarez *num.* 22.

CONFIRMATVR à D. Bonauent. 3. *p. Centil. sect.*18. *ex Apoc.*12. vbi Michael iniit prælium pro Ecclesia contra Luciferum, vt multi Patres aiunt. Sic author *Comment. in Apoc.* apud D.Augustinum *homil.*9. Beda, Ansel. Primas; Rupertus, Arethas, D.Thom. Carthus. Gagnæus, Richard. Victor. *in Apocal.* Ideò ibi acclamatur: *Nunc factum est regnum Iesu Christi: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum* (idest hominum.) Confirmatur à D.Bonauent. *serm.*2. *de Angelis* è S.Dionysio, *cap.*9. *de Cœlest. Hier.* qui Michaelem olim Synagogæ, nunc autem Ecclesiæ præsidem acclamat. Vide etiam Vasquez *disp.*225. *cap.* 2.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *serm.* 2. *de Angelis* è 5. *Iosue*, vbi Angelus ait: *Princeps sum* 19

ſum exercitus Domini. Eum porrò fuiſſe Angelum monet D. Auguſtinus *quæſt. 7. in Ioſue.* Iam verò dicitur, non Princeps exercituum Angelorum; ſed exercitus Iſrael: nam proteſtatur, ſe defenſorem eius; at verò, ex eo, quod eſſet Dux militiæ cœleſtis, non ſequeretur, veniſſe ad defenſionem populi Iſrael; potuit enim venire ad puniendum, vt notat etiam Suarez *numero* 24.

PROBATVR tertiò à D.Bonau. ex illo Eccl. 17. *In vnamquamque gentem poſuit rectorem.* Gloſſa *Angelos.* Ideò id certiſſimum aſtruunt cum D.Auguſtino *lib.8.de Geneſ.ad litt.cap.*24. vbi ait: *Vnaquaque res viſibilis habet poteſtatem Angelicam propoſitam.* Vide Morandum *num.* 313.

20 Aliquos verò præcipuos deſtinari etiam cuſtodiæ Principum, & Regum, aſſerit Suarez *num.*24. addens, probabile eſſe, eos habere duos Angelos; inferiorem, vt perſonæ ſunt, & alium præclarum ad regimen. Id tamen incertum, ait Morandus *numero* 813. cum Arriaga *diſput.*22. De his egregiè S. Doct. *de Eccleſ. Hier.*

PROBATVR à D.Bonau. *ſerm. cit.* & *de Eccleſ. Hier. p.*3. quia, cùm Principes teneantur plurimos regere, egent præcipua aſſiſtentia. Ideò S.Dionyſius Principatus Principibus eſſe deſtinatos, ait.

AD ordinariam verò hominum cuſtodiam deputatos Angelos infimi chori, docent D. Bonau. *locis adductis*, D.Thom. *quæſt.*113. *art.*3. S.Dionyſ. *cap.9. de Cœleſti Hier.* adductus à D.Bonau. *loc.cit.* Athanaſ. *lib.de communi eſſentia.* Archangelos verò ad Regnorum cuſtodiam. Principatus ad Principum, & Regum aſſiſtentiam. Vide Seraphicum *de Eccleſ. Hier.*

QVÆSTIO VI.

Vtrum ANGELI *cuſtodes deſerant obſtinatos.*

D. Bonauent. diſt. 11. art. 2. quæſt. 1.
D. Thom. quæſt. 113. art. 6.

COMMVNIS ſententia eſt negatiua. Ità S. Bonauent. & D. Thomas *hic*, *& in* 2. *diſt.*11. vbi Ægid. Richardus, Durand. Gabriel, & alij. Alenſis 2. *p. quæſt.* 41. *memb.* 5. Albertus *ſumma p.*2. *quæſt.*36. Altiſiodor. *lib.*2. *tract.*4.*quæſt.*5.& 6. Suarez *lib.*6. *cap.*17. *num.*15.

21 ASSERO, Angelum non relinquere ſuum alumnum in tota vita, etiam peſſimum, vt Caluinum.

PROBATVR primò à D. Bonauent. paratior eſt Angelus bonus ad conſeruandum in bono, quàm malus ad præcipitandum in malum. Sed Angelus malus non deſinit infeſtare vſque ad mortem quemcunque, quantumuis bonum: Ergo. Minor probatur à S. Doct. ex Gloſſa, ad id Tob. 6. *Apprehende branchiam eius*, vbi ait: *Diabolus vſque ad Crucem ſecutus eſt Chriſtum.*

22 PROBATVR ſecundò à S. Doct. quia Angelus tutelaris datur, vt retrahat à malo, & reducat ad ſtatum ſalutis: at in tota vita non ceſſat Deus vocare impium, eique alia ſalutis media exhibere; ipſe verò toto vitæ halitu eſt liber, poteſtque reuerti: Ergo neque amouet Angelum tutelarem.

Confirmatur à S. Doct. exemplo ægroti, qui non deſeritur à medico, quamdiù poteſt curari. Subſcribit Suarez.

CONCEDVNT tamen S. Bonau. *locis adductis*, & D.Thom. *quæſt.* 113. *art.* 6. *& in* 2. *diſtinct.*11. *quæſt.*1. *art.*4. ex communi ſenſu, Angelos aliquando remittere exercitium cuſtodiæ ob clientis incapacitatem, & indiſpoſitionem. Hoc pacto intellige Patres, quando dicunt, impium à ſe profligare ſuum Angelum. Origen. *homil.* 1. *in Hierem.* Baſil. *in Pſal.* 33. Hieronymus, & Gloſſa, in id Iſa. 5. *Auferam ſepem eius.* Ambr. *in Pſalm.* 37. Bernard. *ſerm.*1. *de S. Michaele*, & *ſerm.*7. *in Cant.* Volunt autem, Angelum cuſtodem ceſſare aliquando hortari ad bonum peruicacem animam obſurdeſcentem. Et idem ſignificant Gloſſæ, in id Hierem. 51. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam*; & alia Gloſſa idem dicens, & Damaſcenus, aſſerens, Antichriſtum non fouendum Angelorum præſidio, vt monet D. Bonau. *hic*, & Tanner. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *dub.*8. *numero* 19. Morand. *num.*813. Suarez *num.*16. 23

ADDIT S. Thomas *ad* 3. & Tanner. Cuſtodes aliquando ad cœlum euolare, vbi tamen etiam cuſtodito inuigilant, & dicto Ocyùs ad eum reuolant. Sic & Morandus. 24

An verò ſingulis hominibus ſucceſſiuè viuentibus diuerſi adſint Angeli, ita vt idem duos homines, diuerſis temporibus, cuſtodierit, incertum eſt. Aſſerunt multi poſt Iuſtinum *lib. vlt. quæſt.* 3. negat Magiſter *diſt.* 11. cui arridet Suarez. Alij, ſuppoſita multitudine Angelorum, aſſerunt, vt Tannerus *numero* 21.

QVÆSTIO VII.

De effectibus Angelicæ cuſtodiæ.

D.Bonauent. quæſt. 1. in calce.
D.Thom. quæſt. 113.

DVODECIM effectus, ſeu operationes Angeli tutelaris recenſet D. Bonauent. *quæſt. citata*, & *in Compend. Theol. lib.*2.*cap.*18. & *in ſermonibus de Angelis.*

PRIMVS eſt corripere peccatores, vt reſipiſcant, Iud. 2. *Venit Angelus ad populum aberrantem à ſalute, & increpauit. Eduxi vos de Ægypto: & noluiſtis audire vocem meam: Cur hoc feciſtis?* Sic 2. *Reg. vlt.* minitatus eſt Angelus ſubuertere Hieruſalem. Et Geneſ. 19. *Venerunt ſubuertere Sodomam.* Et Iſa. 37. *Angelus occidit centum octuaginta quinque millia Aſſyriorum.* Sæpè etiam ad vindictæ oſtenſionem vtitur dæmonibus, vt docet D. Auguſtinus *lib.*5. *in Iul. cap.*3. Hieron. *Iſa.* 13. ex illo Pſal. 77. *Miſit in eos iram indignationis, immiſſiones per Angelos malos.* Vbi etiam D. Auguſtinus, qui *lib.* 9. *de Ciuit. cap.* 5. dicit, *Deum etiam per Angelos bonos punire peccatores.* 25

SECVNDVS effectus eſt diſponere ad exeundum à peccatis. Ideò in huius figuram, *Act.* 12. Petrum ſoluit à catenis. 26

TERTIVS effectus eſt impedimenta ad bonum auferre. Ità Exod. 12. *Angelus occidit primogenitos.* Ad hoc ſpectat auertere pericula animæ, & corporis, ſeu auertendo agentia; ſeu remouendo obiecta. *Eiicite prauos ſocios.* Exod. 32. Sæpè etiam immittendo obiectum, & per hoc cogitationem ſanctam, vt imminentem declinet prauam.

QVARTVS effectus eſt dæmones arcere. Sic *Tob.* 12. Dæmonem compeſcuit. Imò author *Imperf.*

Imperf. in Matth. homil. 5. ait, Solam Angeli sancti obiectam præsentiam frænare dæmones.

QVINTVS effectus est docere. Dan.10. Act.5. & 8. Mouere ad bonum, Act.10. Succurrere in necessitate, Matth. 1.

Sextus est reuelare Mysteria, Genes. 18. Pleni sunt his Libri Scripturæ.

Septimus consolari, Tob. 5. *Forti animo esto, in proximo est vt cureris.*

Octauus in via Dei confortare, 3. Reg. 19. *Surge, comede: grandis tibi restat via.*

Nonus in viam deducere, Tob.5. & 13.

Decimus, profligare hostes, Isaia 37.

27 Vndecimus Tentationes mitigare. Exprimitur Genes. 32. *In tactu femoris Iacob.* Et Dan. 3. *Descendit Angelus in fornacem, & fecit quasi ventum roris.*

DVODECIMVS est orare pro clientulo, & orationes deferre, Tob. vlt. Apoc. 8. Id docent etiam Ambrosius lib.18. in Lucam. Athanas. Nyc. q.61. ex Nicephoro Archiepisc. Constantinop. Petr. Cell. lib.1. de Tabernac. Hilar. in Psal.129. & can.18. in Matth. Andreas Cæsar. in Apocal. cap.47. D. Augustinus epist.120. cap. 19. & in Solil. cap.27. Bernard. lib. 5. de Consider. cap.4. & 5. & serm.31. in Cant. B. Laurentius Iustinianus lib. de castis connub. cap. 8. & lib.6. de discipl. cap. 5. Quibus alia addit D.Bonauent. sermonibus de Angelis. Et p. 3. de Eccles. hier. & quæst. mox adducenda ad vlt.

REFERT verò, Angelos curam habere animarum, etiam in Purgatorio, easque in cœlum deferre, vbi cessat tempus assistentiæ, sicuti, & in inferno. Sic omnes communiter docent cum D. Thom. loc.cit. art.4. Suarez cap.17. numero 11. Tanner. num.17. Deferre animas narratur Luc.16. de Lazaro. Et ex Patribus refert Suarez cap.19. num. 9. Imò Angelum quemque ducturum clientem suum ad iudicium, probabile censet Origen. homil.11. in Numeros.

28 ALIVM effectum addunt D.Augustinus lib.9.de Ciuit. cap.5. Suarez lib.6. cap.19. Tanner. num.23. punire medicinali castigatione clientem. De his vide Gersonem tract.8. super Magnificat p.3. Albertinum opusc.de hac re, Morandum n.814. Caspensem disp. 8. Marcum Baudunium quæstione 56. artic. 2.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum ANGELVS *ex perditione Clientis aliquid patiatur.*

D.Bonauent. dist. 11. art.2. quæst.3.
D.Thom.quæst.113. art.5.

AN Angelo amplificetur gaudium ob salutem Clientis, dixi disp.6. quæst.4.

NONNVLLOS verò refert S. Bonau. dicentes, Angelos è perditione tristari, quod probant illo 33. Isa. *Angeli pacis amarè flebant.* Hoc sensu loquuntur aliqui Patres, Chrysost. homil.de Ascens. Antonius Abbas epist.2. ad finem, Andreas Cæsar. in Apoc.cap.25. & 47. Leo VIII. vel IX. in cap. Hi duo sunt 55. de consecr. d.1. Bernardus, & alij.

29 NEGAT tamen S.Doct. tum è statu beato, qui omnem excludit tristitiam; tum ex perfecta Angelorum conformitate cum voluntate Dei. Tum etiam, quia pœna est à culpa; at ipsi nullâ in custodiendo culpâ scatent. Sic & Suarez lib.6. c.19. numero 12. Tanner. numero 24. Quicquid repugnet Origenes Matth. 18. & Numer. 25. putans, eos peccare. Attamen S. Doct. conatur eum excusare, quòd locutus sit metaphoricè, sicuti & alij Patres allati. Sic etiam Suarez, Tannerus, & alij exponunt.

30 TANDEM, inter Angelos custodes aliquando videtur oriri contentio. Dan. 10. quod de Angelis bonis exponunt communiter Patres, & Interpretes, D.Thom. quæst.113. art. 8. Lyran. Carthus. Perer. post D.Dionysium cap.9. Cœlest. Hier. Theodoretum in Danielem. Gregorium lib. 17. Moral. cap.8. Suarez lib.6. cap.19. numero 13. & Scholastici communiter cum D. Bonauent. locis adductis. Monet Morandus id fieri priusquam erudiantur.

Etsi de malis id intelligant Hieronym. Cassianus, Rupertus, & alij.

Sic autem contendunt boni, non absolutè; sed conditionaliter nescientes, quæ sit voluntas Dei absoluta in eo negotio. Sic Angelus Custos Persarum restitebat, ne Iudæi abirent; sed optabat eos remanere, ob gentium illarum bonum; Angelus verò Custos populi Dei, ob eius bonum, volebat eum educere. Vide Pererium lib. 12. in Danielem. D.Thomam art.8. & ibi Doctores, Suarez cap.19. Morandum num.814. Marcum quæst.66. art.2. d.1.

DISPVTATIO XIV.

De Infestatione Dæmonum.

QVÆSTIO I.

An sint DÆMONVM *tentationes, & quæ.*

ANGELOS malos in aëre vagantes à Deo permitti ad hominum exercitium, ostendi disp. 8. q. 15. Commorantur verò ibi ad homines infestandos, vt notat Suarez lib. 8. c.18. post D.Bonauent.disp.8. adductum. Sic Morandus quæst.44. Marcus disp.67.

1 OBSERVANDÆ sunt autem variæ tentationum species ex D.Bonauent. dist.21. art.2. quæst.1.in corpore, quem imitatur Suarez lib. 8. cap. 19. & est doctrina D. Augustini lib. de Cons. Euang. cap. 30. & quæst.58. in Exod. & epist. 146. *Tentatio enim venit à tactu; quia ad probandum aliquem effectum dirigitur.* Ità cæcus tentat, cùm conatur in alicuius rei cognitionem venire, quam tangit. Iam igitur in spiritualibus tentatio dicitur quidam tactus ad experiendum ordinatus. Hoc autem quatuor modis euenit. Primò, quando is, qui tentat, intendit approbare, vel approbatum ostendere: & hoc modo Deus tentat, vt dicitur Sap. 3. *Deus tentauit eos, & inuenit dignos se.* Sic Genes. 22. *Tentauit Deus Abraham.* Et Psal.25. dicitur: *Proba me Domine, & tenta me.* Secundò fit, quando tentans palpat, vt reprobet. Sic tentat Diabolus; vt dicitur Act. 5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum?* Tertiò, quando is, qui tentat, quærit experimentum solùm de homine aliquo, & sic homo cautus tentat alium; de quo Eccles. 13. *Ex multa loquela*

loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis. Quartò est, quando, licèt tentans nihil intendat, ad eius tamen pulsationem sequitur approbatio, vel reprobatio; & sic tentat Caro. Iacobi primo. *Vnusquisque tentatur à propria concupiscentia.* Hinc D. Ambrosius, *lib. 1. de Abraham, cap. 8. Aliter Deus tentat; aliter diabolus; diabolus tentat, vt subruat: Deus tentat, vt coronet.* Idem tradit Cyprianus, *lib. 3. Testim. ad Quirin. cap. 15.* & *lib. de oratione Dominica.*

3 AFFERT S. Doctor tentationis definitionem *p. p. Centiloq. sect. 1.* ex Hugone Victor. *Tentare est callidè experiri, & quasi quibusdam blandis conatibus probare.* Vnde D. Augustinus *in Psal. 52. Omnis tentatio probatio est.* Definit posteà ex Cassiodoro tentationem Diaboli. *Est assimulatio apparentis boni ad fallendum.* Diuidit verò ex D. Gregorio tentationem in eam, quæ est per vitia; & eam, quæ per flagella.

Dæmonem tentare certum est. Id probat S. Doct. *in Centiloq.* suprà, ex Patribus: Gregorio *homil. 16. in Euang. in Gloss. ad Psalm. 90.* Richard. *ad eum Psalm.* D. Augustino *in Psal. 55. 100. 105.*

IN Pharetra verò *lib. primo, cap. 50.* refert D. Gregorium *lib. 8. Moral. cap. 13.* & *lib. 15. cap. 16.* & *lib. 9. cap. 28.* & *lib. 4. cap. 10.* & *lib. 2. cap. 6. & 16.*

4 & *aliis locis.* In libro verò secundo Pharetræ *c. 1.* refert D. Gregorium *lib. 9. Moral. cap. 25.* & *lib. 31. cap. 4.* D. August. *lib. 4 contra Iulianum, c. 2.* Isidor. *lib. 3. de summo bono, cap. 5. sent. 11.* Ambros. in Lucam *lib. 4. cap. 4.* Bernard. *serm. 85. in Cant.*

IN *Compendio verò Theol. ver.* refert D. Gregorium *lib. 5. Regist. cap. 1. admon. 30.* D. Augustinum *lib. 2. de Genes. contra Manich. cap. 24.* In aliis etiam operibus, multa de tentationibus diabolicis congerit Seraphicus Doctor. Vt *lib. primo, de profectu Relig. cap. 2.* & *lib. 2. cap. 2. & 6.* & *3. p. Breuil. cap. 2.* & *in reg. Nouitiorum, cap. 10.* Et *3. p. Stimuli Diuini Amoris, cap. 13. & alibi.* De qua re agam, cum de tentatione primorum parentum, *Tract. 10. disp. 2. quæst. 1. & seq.*

5 TENTATIONIS diabolicæ exempla refert Seraphicus Doctor passim. Sic *lib. 2. Compend. Theol. cap. 66.* id *Genes. 3.* cùm tentata est Eua. In *Bibliis pauperum, cap. 104.* eam refricat. Secundò, tentationem Christo factam, *Lucæ 4. Matth. 4.* Tertiò, tentationes initas contra Iob *cap. 1. & 2.* Quartò, tentationes factas Apostolis, *Lucæ 22.* Similiter ad Iudam, ad Ananiam, *Act. 5.* Hæc congerit, & Suar. *lib. 8. cap. 18.*

QVÆSTIO II.

Qua de causa Dæmones tentent Homines.

D. Bonau. in 2. dist. 21. quæst. 1.

AGIT Seraphicus Doctor de motiuo diaboli, præcipuè in tentandis primis parentibus, quod ferè in aliis interuenit.

ASSERO. Dæmones tentare ex superbia, & inuidia.

6 EXPLICAT S. Doct. *in corpore*, quomodo id eueniat. Hæc duo crimina obruunt mentem diaboli, hisque Lucifer factus est Nocticola, vt habet D. Augustinus *lib. 11. de Genes. ad litt.* Vide S. Doct. *dist. 5. passim.* Hæc sunt duo peccata germana. Superbus enim propriam adamans excellentiam, nullum patitur habere parem: ideò expetit præcellentiam, & statim cæteris inuidet. Diabolus igitur videns, hominem supra se exaltatum, motus superbiâ, voluit eum sibi subiicere, & à beatitudine deturbare. Itaque superbia fuit mouens primum; inuidia autem mouens proximum immediatum: Esto enim non posset dominium super hominem acquirere, adhuc studuisset eum à paradisi gaudiis impedire. Hinc Scripturæ, & Patres id inuidiæ adscribunt.

IGITVR probatur primò ex illo Sap. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem.* 7

SECVNDÒ ex illo Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio*, quòd si intelligatur de homicidio Adæ, & totius humani generis, ortum habuit ex odio; odium verò ex inuidia. Si verò de homicidio Caïn, inuidiæ stimulos addidit.

PROBATVR etiam ex Patribus: Clem. Alexandr. *lib. 2. Strom.* Euseb. *lib. 4. demonstr. cap. 9.* Antonio *epist. 2.* D. Augustino *ad Orosium, cap. 5. & 8. de Ciuit. cap. 11.* Leone *serm. 4. de collect.* Tertullian. *in Apol. cap. 22.* vbi alterum motiuum superbiæ addidit, idem D. Augustinus *lib. 9. de Ciuit. c. 23.* Eusebius *lib. 3. demonstr. Euang.*

PROBATVR etiam à D. Bonau. *fundam. 4.* Qui vult casum alterius sine proprio commodo, peccat inuidia, nempè ex odio alienæ fœlicitatis, etiam sibi non obuenientis ad commodum. Hoc autem Scopo diabolus volebat hominis ruinam. 8

Quod etiam ex motiuo superbiæ tentauerit, probatur, quia volebat eum sibi subiicere, & ne ad statum gloriæ super se eueheretur, nitebatur retrahere.

QVÆSTIO III.

An conuenienter data sit Dæmoni potestas homines tentandi.

D. Bonau. in 2. dist. 23. art. 2. quæst. 1. & 2. D. Thom. 2. 2. q. 165. artic. 1.

DVAS potestates oportet distinguere. Alteram physicam ad materiale tentationum, quod est etiam à Deo, vt authore naturæ, & dicit cogitationum, aut phantasmatum immissiones, vt disserit Cassianus *coll. 7. à cap. 9. ad 16.* & D. Bonau. *2. dist. 8. p. 2. art. 1.* maximè *quæst. 2. & 3.* Altera potestas dicitur moralis, quæ duplex est: Altera positiua, per quam vel consilium, vel aliqua moralis facultas datur: Altera negatiua, qua permittitur agere, nec impeditur agere illicitum. Et hoc secundo tantùm modo Deus concedit Diabolo facultatem tentandi. Prima enim potestas repugnat diuinæ bonitati, vt docet Suarez *lib. 8. cap. 18.* post D. Bonauent. *hic*, & *quæst. præced.* & *dist. 10. dub. 1. litt.* vt dixi, & dicam *quæst. 5.* Hæc verò licentia est permissa diabolo etiam in sæculo gratiæ, vt dicitur *Prima Petri 5. Ephes. 6.* de quibus eruditè S. Doct. *locis initio disp. adductis*, quæ excerpsit Barrad. *lib. 2. Concord. à cap. 8.* Suarez *numero 14.* Et idem sentiunt Patres adducti à D. Bonauent. *ibi.* 9

Enim verò tantam potentiam, quantam describit *Iob 41.* An congruè Diuina Bonitas Dæmonibus concedat, est humiliter videndum.

ASSERO

Assero, conuenienter licentiam homines tentandi concessam esse dæmonibus.

Probatur primò à D. Bonauent. *quæst.* 1. *fundamentis*, & *corpore*. Et *quæst.* 2. *in corpore* ex parte Dei; quia debuit Deus in homine ostendere vias suas, scil. misericordiam, & veritatem; insuper & potentiam suæ gratiæ; & nostram infirmitatem; ac denique sapientiam suam. Iam verò potentia gratiæ ostenditur, dum nos roborat ad victoriam contra aduersarium fortem. Ostendit sapientiam, erudiendo victos ad prælium resumendum, & nobis mira subministrando remedia ad spolia diripienda, præstans nobis, in sua Incarnatione, exempla, Sacramenta, &c. Ostendit misericordiam, dum voluntariè lapsos reuocat; & nolentes resurgere, cùm & spontè lapsi fuerint, exercet: quippè *Deus non permittit tentari supra id, quod possumus: sed dat etiam cum tentatione prouentum.* Prima Corinth. 10. *Ostendit iustitiam, dum punit.* Has rationes affert etiam Suarez à *numero* 19.

Tandem id probat *fundam.* 3. *quæst.* 2. quia decuit Diuinam prouidentiam ita res omnes administrare, vt eas motus suos agere sinat, vt ait D. Augustinus *lib.* 7. *de Ciu.* Ergo Luciferum pernicacem ad tentandum debuit permittere. Idem habet *in corpore*.

11 Aliam rationem addit *in corpore*, *quæst.* 2. ex parte Diuinæ prouidentiæ, quia volebat Deus, si homo caderet, porrigere remedium potentissimum; ideò sustinuit, eum tentari, & labi ex dæmonis tentatione potius, quàm voluntatis præcipitio, quia sic indigniorem se pietate reddidisset.

Probatur secundò à D. Bonauent. *hac secunda quæstione* ex parte hominis, primò ex maiori hominum gloria, quæ ex victoriis resultat. Ex contradictione enim euadunt actiones gloriosiores, vt ait Magister. *Opposita enim iuxta se posita magis elucent*, vt ait Seraphicus Doctor *in corpore*. Deinde, quia hinc certamen legitimum meritò coronatur, vt dicitur *prima Tim.* 2. Quomodò autem certabimus, si desit impugnator? vt ait D. Bernardus *serm.* 64. *in Cant.* Quæ ratio adducitur etiam à D. Bonauent. *quæstione* 1. *fundam.* 1. Tertia ratio adducitur *quæst.* 1. *in corpore*, vt homo agnosceret suam infirmitatem, & dependentiam à Deo, sciretque, quòd sicut à Deo *in fieri* pependerat: ità nunc *in permanendo*. Et sic humilis esset. Subscribit Suarez *numero* 22. Alias rationes affert, *locis initio disput. allatis*, v. g. vt ad Deum confugeret, &c.

12 Adde cum Seraphico, tentationes in statu innocentiæ permissas ad exercitium virtutis tantùm: pòst peccatum verò etiam in pœnam: licèt nunc Dei gratia coerceantur dæmones, maximè in baptizatis, & hoc vult D. Cyprianus *lib.* 7. *epist.* 4. dicens: *Potestatem diabolo contra baptizatos esse demptam.*

Ad rationem initio oppositam respondet S. Bonauent. *præcipuè ad* 3. Dei gratiam esse Diabolo fortiorem, *Deumque fidelem, qui non deserit, nec permittit, tentari supra id, quod potestis, sed dat etiam cum tentatione prouentum*, vt dicitur *prima Corinth.* 10. Ità etiam Suarez *numero* 27.

QVÆSTIO IV.

An etiam Caro *sit hominum tentatrix.*

D. Bonauent. in 2. distinctione 21. artic. 2. quæstione 1.

Assero. Probatur à D. Bonauent. primò, ex Diuo Iacobo *cap.* 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua.* A carne enim homo pulsatur, & quasi tangitur, & titillatur, cui titillationi si consentit, reprobatur. 13

Secundò ex Cassiodoro: Tentatio est assimilatio boni ad fallendum: sed carnalis appetitus assimilat falsum bonum bono simpliciter, & sic fallit spiritum. Tandem, quia carnalis prudentia inimica est Deo: Ergo inclinat ad peccatum, eaque concupiscit contra spiritum, vt ait Apostolus. Vide S. Doctorem.

QVÆSTIO V.

An etiam tentationes carnis sint à Diabolo.

D. Bonauent. loc. cit. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 114. art. 3.

Fvit error Valentini, vt scribit Diuus Augustinus *lib. de hæres. cap.* 12. Armenorum, & Albanensium, vt refert Castro, *verb. peccatum, hæresi* 3. Sanderus *lib.* 7. *de visibili Monarchia*, *hæresi* 118. & 151. omnem tentationem, omneque peccatum causari in nobis sine 14
nostro consensu. Quin Armeni dixere, omnia peccata ità esse à dæmone, vt nullum peccatum existeret, nisi dæmon cogeret voluntatem.

Vterque error fatuus est. Primus sanè, quia aufert liberum arbitrium: *Deus ab initio reliquit hominem in manu consilij sui.* Eccles. 15. Alter verò negat arbitrium defectibile ex se, cùm dicat Iacobus. *Vnusquisque tentatur à propria concupiscentia: concupiscentia verò cum conceperit parit peccatum.* Ex nostrâ enim inclinatione ad malum insurgit bellum illud deploratum à Paulo, *Rom.* 7. *Gal.* 5.

Fvit verò opinio multorum Patrum, omnem tentationem, etiam carnis esse à diabolo. Ità videtur S. Dionys. *cap.* 4. *de diuin. nomin. p.* 4. Origen. *homil.* 15. *in Iosue*, *cap.* 11. Damasc. *lib. cit. cap.* 24. vbi ait: *Nullum vitium, nullum impurorum affectuum genus est, quod non ab ipsis excogitatum sit.* Idem videtur sentire D. Hieron. *in Psal.* 33.

At S. Bonauent. *in corpore*, & *ad* 1. exponit de causalitate remotissima, quatenus fuit 15
author peccati primi parentis. Idipsum ait, D. Thom. *quæst.* 114. *art.* 3.

Hanc expositionem refellit Suarez *lib.* 18. *cap.* 19. *numero* 14. Primò, quia Damascenus ait: nullum esse impurum affectum, non excogitatum à dæmone: Ergo loquitur de singulari astu dæmonis.

Aa Respon-

Respondetvr, Damascenum dicere, nullum esse genus impurorum affectuum. Non ergo de singulis; sed de generali malitia locutus est, pro generibus singulorum.

Instat secundò ex D. Leone *serm.* 4. de collectis. *Quidquid igitur hominum, quibuslibet impietatibus Deum læsit, huius fraude traductum: huius est nequitia deprauatum.*

16 Respondetur, id sentire, traductum esse omne genus mali à primâ tentatione, & casu Adæ.

Instat tertiò ex Diuo Augustino ad fratres in Eremo, *serm.* 65. *Cum malum aliquod cogitamus, aut facimus, siue parum, siue multum; nulli dubium, quin malignum Angelum hortatorem habeamus.* Similia habet D. Cyrillus Hierosol. *Catech.* 2. Cassian. *coll.* 7. Hieronym. *ad Ephes.* 6. vbi Apostolus idem sentit, dum ait: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes, &c.* Iam verò non vult negare tentationes carnis, quas alibi deplorat; sed vult, eas à dæmonibus excitari.

17 Respondetvr ex D. Bonauent. *in corpore*, sensum esse, omnes tentationes carnis esse à dæmone, vt primo mouente, qui corrupit carnem, & ideò virtualiter in carne pugnat. Apostoli verò sensus à Suarez detorquetur: Sensus enim est, contentionem nostram non esse contra carnem, idest contra homines nobis æquales; sed contra Principes, & Potestates maximi iudicij, ac sapientiæ, nobisque inuisibiles. Ideò auxilium Dei per Christum esse maximè necessarium. Ità videtur soluere Diuus Bonauent. *in* 3. *distinctione* 19. *quæstione* 3. *in corpore*, & *ad* 1. Homo verò dicitur caro, & sanguis, vt Matth. 16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi.* Et Ioan. primo. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, &c.*

18 Igitvr S. Bonauent. *hic*, & D. Thom. *hic*. Et *p.* 1. *quæstione* 80. *artic.* 4. docet, non omne peccatum esse ex dæmonum suggestione. Est sententia Origenis *lib.* 1. *Periarc. cap.* 2. D. Augustini, seu Gennadij *de Eccles. dogm. cap.* 81. Basilij *in reg. breu. numero* 75. Authoris *imperf. in Matth. homil.* 49. quod adscribitur Chrysostomo, qui id etiam docet *homil.* 45. *in Acta.* & Nazianzeni *in carm. Tetrast. in* 52. Suarez verò *lib.* 8. *cap.* 19. *numero* 20. problematicum se exhibet, resoluitè Morandus *numero* 8. 9.

Assero, tentationem carnis esse sine incentiuo nonnunquam dæmonis.

19 Probatvr à D. Bonauent. Quæcunque ex opposito diuiduntur, ità se habent, vt possint esse separata. Sed tentatio dæmonis, & tentatio carnis, in Scriptura, & Patribus, diuiduntur ex opposito: Ergo. Maior probatur ex diuisione prædicamentali substantiæ in corpoream, & incorpoream; constat enim, has esse diuisas, etiamsi possit dari vna completa constans ex corporeâ, & incorporeâ, vt homo. Minor probatur à S. Doctore *locis initio disputationis adductis.*

Probatvr secundò à D. Bonauent. *fundam. tertio.* Quod habet principium distinctum operationis, potest operari distinctim ab alio. Sed talis est concupiscentia: Ergo. Minor probatur à Seraphico Doct. *Genes.* 6. vbi Deus videtur compati hominibus, quia caro sunt; quia sensus nostri proni sunt ad malum ab adolescentia; non affert autem concurrisse etiam diabolum ad eos tentandos. Idem habetur *Matth.* 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, &c.* Idem ostendit D. Gregorius *lib.* 11. *Moral. cap.* 25. ad ea verba Iob: *Qui quasi putredo consumendus sum.* Hoc vnicum fundamentum ex Origene, & D. Bonauent. acclamat Suarez *numero* 19.

Assero secundò, sæpè tentationem dæmonis esse absque carnis incentiuo, vel concupiscentiæ incitamento. 20

Probatvr à D. Bonauent. *fundamento secundo.* Nam tentauit Christum, & Euam; caro autem Christi, atque Euæ, ad malum non incitabant.

QVÆSTIO VI.

An tentatio carnis sit vehementior, quàm diabolica.

D. Bonauent. dist. 21. art. 1. quæst. 3.

Assero primò, tentationes ad peccata carnalia Luxuriæ magis à carne vrgeri, quàm à dæmone.

Probatvr à D. Bonauent. ex intima coniunctione carnis ad spiritum, & amore spiritus erga carnem, quia *nullus vnquam carnem suam odio habuit.* Ephes. 5. 21

Assero secundò, tentationes ad peccata diuersa esse magis à carne iniuncta ex corruptione interna, de qua *Genes.* 6. & D. Paulus passim. Vnde Seneca allatus *fundamento secundo*, ait: *Nulla pestis efficacior, quàm inimicus familiaris.* Sæpè etiam ex inclinatione maiori illius, qui tentatur, inclinatur ad ea, quæ sensus offert. Ex alio capite difficilior est tentatio dæmonis. Tum quia potentior, Iob. 41. *Non est potestas super terram, quæ ei possit comparari*; *tum quia astutissimus*, vt obseruat S. Gregorius *in c.* 39. *Iob.* Tandem, quia inclinat homo talis ad honores, &c. ideò faciliùs à dæmone ad illos impetitur. Vide S. Bonauenturam.

Inter has est etiam tentatio mundi; de quo dicitur. *Mundus, Caro, Dæmonia, diuersa mouent prælia.* Vide Seraphicum maximè *dist.* 21. *dubio tertio litterali.* 22

QVÆSTIO VII.

An Dæmones puniant homines ex Dei iustitia.

Primò certum est, dæmones tortores esse reproborum in inferno: vt dixi *disputatione* 8. Deinde etiam in hac vita, vt constat è multis Scripturis. Affert verò Seraphicus Doctor *distinctione* 10. *dub.* 1. id *Matth.* 8. de missione dæmonum in porcos. Tertiò certum est, dæmones etiam ad pœnas interiores infligendas immitti: ad eas verò, quæ sunt obdurationis, &c. permitti. 23

Probatvr

Probatvr à D. Bonauent. *distinctione* 10. *dub.* 1. *litt. ex* 3. *Reg.* 22. vbi Deus ait spiritibus : *Quis decipiet Achab ?* Et cùm vnus se obtulisset dicens : *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Respondit Deus : *Egredere , & fac ità* ; vtique in pœnam peccatorum Achab. Idem exemplum affert S. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 37. *artic.* 2. *quæstione* 1. *argum. primo cum responso.*

24 Deinde eo dubio affert id Psal. 77. *Misit in eos iram indignationis , immissiones per Angelos malos.* Eo vtitur etiam Suarez *lib. cit. cap.* 20. Quod verò hæc , quæ ad culpam spectant , permissiuè tantùm concedantur , ostendit Seraphicus Doct. *primo , distinctione* 40. *artic.* 4. *quæst.* 2. & *in secundo loco citato* ; quia Deus non vult peccata , vt ostendi *tract.* 1. *disp.* 16. *quæstione* 13.

Similiter possunt dæmones torquere inuadendo , de quo D. Bonauent. *disputatione* 8. *p.* 2. *quæstione* 1. nam eiecti è corporibus dæmones anteà torquebant , vt in variis locis Euangelij constat. Vide etiam , quæ dixi *disput.* 11. *quæstione* 2.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum in infestationibus dæmonum sit ordo prælationis.

25 Assero , inter dæmones esse subordinationem , secundùm potestatem.

Probatvr primò à D. Bonauent. ex Iob 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ* loquitur autem de Lucifero.

Probatur secundò ex illo Matth. 25. *Ite in ignem æternum , qui paratus est Diabolo , & Angelis eius.* Idem probatur , *ex Matth.* 12. & 13. *Marci* 3. *Lucæ* 11. vbi obiiciebant. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eiicit dæmonia.* Imò Christus respondens : *Omne regnum in se diuisum desolabitur. Et si Sathanas diuisus est, quomodò stabit regnum eius ?* Sic astruit Regnum illius. Ità D. Bonauent. *loco adducto Lucæ* , quem sequitur Suarez *lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 5. Morandus *num.* 810.

26 Probatvr etiam ratione à D. Bonauent. *Seruitus è peccato introducta est* , vt ait Diuus Ambrosius *lib.* 2. *de Abraham* , *cap.* 11. *circa initium.* Sed peccatum superbiæ maximè meretur seruitutem ; illo autem peccato scatent dæmones : Ergo.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *in corpore.* Tum quia filij tenebrarum conantur æmulari filios lucis in agendo validè ad finem, quem iuuat ordo agentium : tum quia filij tenebrarum prudentissimi sunt ; ideò , licèt superbi , subiacent aliis , vt nobis ruinas struant exercitu constructo.

27 Obicies primò. *Inter superbos semper iurgia* , vt dicitur Prouerb. 13. At dæmones sunt valdè superbi : Ergo.

Respondet D. Bonauent. malitiam , quam nequit superbus sine adiutorio exercere , efficere , vt aliis etiam subiiciatur , tum propter appetitum triumphi ; tum propter odium inimici.

Obicies secundò. Prælatio inter dæmones aut est à naturâ , aut violentiâ , aut electione voluntatis : non primum , quia natura semper manebit ; at prælatio post iudicium cessabit , vt ait Magister. Si violentiâ : Ergo quilibet , si potest , subiugat sibi alium. Ergo dæmones semper rixantur ad diuisionem regni, contra 11. *Lucæ.* Si voluntatis electione. Contrà ; quia superbi sunt : Ergo eligere subiectionem non sini tumida mentis elatio.

Respondet S. Bonauent. prælationem esse ibi ex naturâ ad ministeria exercenda acceptâ : At malitiâ regente , in malum vsum natura conuertitur. Cessante igitur exercitio ministerij , cessabit prælationis ordo. Sed de hoc *quæstione sequenti.* 28

Obicies tertiò. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter ; ità magis ad magis : sed seruitus est ex peccato : Ergo maior seruitus ex maiori peccato. Sed Lucifer culpa est grauissima : Ergo deberet & seruitus esse summa.

Respondet S. Bonauent. prælationem Luciferi nullum ius acquirere , cùm ius ad rectitudinem sit ; dæmones autem ruperunt ius , & dissipauerunt fœdus sempiternum ; ideò ibi prælatio rabida ad maiorem pœnam.

QVÆSTIO IX.

Vnde prælatio inter dæmones habeat fundamentum.

D. Bonauentura loco citato.
D. Thomas loco citato.

Prima opinio est, fundamentum prælationis inter dæmones esse maiorem naturæ excellentiam. Ità D. Thomas *quæst.* 109. *art.* 2. & discipuli.

Secvnda opinio est D. Bonauent. *hic* , non in sola naturæ maiori perfectione niti dæmonum principatum ; sed etiam in ordine Diuinæ prouidentiæ , accedente aliquo eorum consensu voluntatio , licèt ex superbiâ renitente ; vt dixi *ad primum argumentum* , *quæstione præcedenti* , cum D. Bonauent. & Suarez *lib.* 8. *cap.* 21. *numero* 17. Guillielmo Parisiensi 2. *p. vniuersali de vniuerso p.* 2. *illius* , *cap.* 14. 15. & 16. ita etiam Arriaga *disputatione* 27. *sect.* 3. Morandus *numero* 810. Tannerus *quæstione* 6. *dub.* 3. 29

Assero primò , dæmonum prælationem non solâ niti prælatione naturæ. 30

Probatvr à D. Bonauent. *fundamento secundo* , ex illo Matth. 25. *Ite in ignem æternum , qui paratus est Diabolo , & Angelis eius.* At certum est , eos non habere , vt sint Angeli Sathanæ sequaces , à naturâ ; sed post consensum seditiosum : Ergo.

Probatvr secundò à Seraph. Doct. nam etiam inter homines sæpè aliqui egregiæ naturæ subduntur stolidis , & abiectis , vt notat etiam Suarez *numero* 7.

Probatvr tertiò. Nam , cùm natura Angelorum 31

gelorum sit perpetua, deberet prælatio Luciferi in æternum permanere. Sed hoc est falsum, vt ait Apostolus prima Corinth. 15. *Deinde finis: cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, & euacuauerit omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem.* Vbi Glossa Ord. *Quamdiù durat mundus, Angeli Angelis præsunt: Dæmones Dæmonibus. Sed hominibus collectis, omnis prælatio cessabit.* Id docet D. Augustinus *lib.* 83. *qq. quæst.* 69. & alij Patres apud Mastrium. Vide etiam Suarez *numero* 10. Hoc argumento nititur Morandus.

32 PROBATVR quartò à Seraphico Doctore *ibi*, & in aliis argumentis. Vel natura dat Lucifero prælationem directiuam moralem, quæ dicitur iurisdictionis; vel dat physicam coactiuam: neutrum dici potest: Ergo. Minor probatur, quia iurisdictio, seu ius nititur aliqua dependentia inferioris, vel secundum esse, & conseruationem, qualis est patris ad filium; & creaturæ ad Creatorem; vel in dependentia secundùm regulam operationum; qualis creaturæ intellectiuæ à primâ regulâ diuinâ, vel in aliquo fœdere inito, vel in electione;

33 qualis est Regum inter gentes. Rursùs hoc Ius, debet esse ad iustum, vt sit ex titulo iusto, seu iuris: at verò prælatio illa est ad praua. Neque potest esse coactiua physica, nam illa non sufficit ad prælationem: Lupus enim in oues potestatem exercet, nec habet in eas prælationem.

DICES Beelzebub præest tyrannicè, ad quod sufficit potestas *de facto*, non *de iure*. Contra arguit Suarez *numero* 11. *argumento secundo D. Bonauent.* quia tunc illud regnum præliis agitaretur, nec esset ad homines oppugnandos validum, vt dicitur Lucæ 11. *Si Sathanas Sathanam eiicit, quomodò stabit regnum eius?*

34 Vbi Christus inde argumentatur, se non eiicere dæmonia, in potestate Principum dæmoniorum, quia dæmones constructo exercitu necessariò bellantur; alioqui dissiparentur.

ASSERO secundò, hoc dominium initium habere ex naturâ; sed complementum ex dæmonum consensu, & permissione Diuinæ prouidentiæ.

35 PROBATVR, quia consentaneum est, vt superiora superstent inferioribus, eo genere superioritatis, cuius sunt capaces: Ergo & in Angelica natura reperitur. Quia verò inter rationales potuit hic ordo recusari, necessarius fuit consensus liber dæmonum, non quidem libens, cùm omnes superbi sint; sed rabidus, ad homines faciliùs expugnandos; sicut igitur in peccando secuti sunt Luciferum; vt dixi *disputatione* 7. *quæstione* 6. ità eum sibi elegerint in Principem seditionum. Tandem ex Diuinâ prouidentiâ comprobatur, quæ naturalem eis potestatem, & virtutem dedit ad operandum materiale culparum; tametsi malitiam solùm permittat, illam eorum relinquens arbitrio, vt differit Seraphicus Doctor *distinctione* 10. *dub.* 1. *litt.* & D. Thom. *quæstione* 114. *artic.* 5. Suarez *lib.* 8. *cap.* 21. *numero* 19. qui tamen *numero* 24. carpit Seraphicum, quòd dixerit, Principatum dæmonum esse à Diuinâ institutione completiuè. Contra quod instat. Nam Principatus ille est ad malum: Ergo non à Deo.

AT Seraphicus Doctor luce clariùs ait, ministerium, seu vsum potestatis (quod sanè est merum accidens) esse à Deo permissiuè: at Principatus essentiam esse à naturâ institutâ à Deo, & à consensu eorum mutuo, qui substantialiter, quò ad se, est à Deo; sed vt eorum malitiâ directus ad seditiones, est à libero arbitrio deprauato. Vide Seraphicum Doctorem, *dub. cit. litter.* & *distinctione* 21. *ac* 23. passim. 36

QVÆRES: An singulis hominibus, atque locis destinentur à Lucifero dæmones.

ASSERIT Seraphicus Doctor cum Diuo Gregorio 2. *Moral. cap.* 15. & 16. vbi ait. *Vnusquisque habet vnum bonum Angelum sibi ad custodiam; & vnum malum ad exercitium.* Vide Seraphicum 3. *p. Centiloq. sect.* 18. Imò, sicuti Vrbibus, ac Prouinciis sunt destinati Custodes sancti Angeli, vt ostendit Seraphicus Doctor *lib.* 2. *Compend. Theolog. veritatis cap.* 16. illo Apocalypsi. 2. *Angelo Ephesi, &c. Angelo Pergami, &c.* ità à Prouidentiâ Luciferi, diuinæ Simia, Angelos prauos immitti ad ruinam. Ibi verò obiter obserua, prælationem quandam dæmonum in homines damnatos perpetuò duraturam; de quâ Psalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper:* tametsi cessatura sit in ordine ad tentationes; tunc autem dominabuntur torquendo, insultando, &c. 37

PORRÒ singulos homines habere dæmonem impugnatorem asserit Magister *disputat.* 6. & 11. & indicat S. Bonauent. *distinctione* 11. *dub.* 1. *litt.* & *quæst.* 1. *fundam.* 4. quod probat illo Eccles. 33. *Contra bonum malum*, vnde educit, prouidè à Deo destinatum Angelum sanctum tutelarem ad salutem, cùm & malus Genius à Lucifero immittatur ad ruinam. Idem habet *in corpore*, & *quæstione* 2. *fundamento secundo* & cum eo alij Scholastici post sanctos Patres, apud Suarez *numerò* 30. Probatur verò ab eo *numero* 31. *argum. D. Bonauent. quæst. vlt. d.* 6. nam Lucifer, Dei prouidentiam, & alias perfectiones prauè æmulatur, & contra homines bellum proclamat. Ideò educit Seraphicus Doctor, Dæmonem Genium apponi cuique à natiuitate, vel conceptione; quando è cœlis mittitur à Deo etiam Custos sanctus; quod probat *loc. citat. Centiloq.* ex Diuo Gregorio. Subscribit *Suar. numero* 32. Morand. *num.* 810. 38

EX his omnibus habes id, quod ex professo ostendit Seraphicus Doctor *distinctione* 6. *artic.* 3. *quæstione* 1. inter dæmones esse ordinum distinctionem, quod probat *Ephes. vlt.* Vbi appellat dæmones Principatus, & Potestates. Secundò, quia à naturâ habent naturalium distinctionem, & præcellentiam; naturalia verò non sunt deperdita; vt docet Diuus Dionysius *cap.* 4. *de diuinis nominibus.* Hic tamen ordo deprauatur à dæmonum malitia, quæ fit, vt præcellentiores sint deteriores. 39

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

An vir iustus rectè exoptet tentationes.

D.Bonau.dist.13. art.1. quæst.3.
D.Thom.in 2.d.21.q.2. art.3.

ASSERO primò, tentationem, prout est à Deo ad exercitium, esse optandam.

PROBATVR primò à D. Bonauent. Iacobi 1. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis, &c.* vbi etiam motiua apponit.

40 Deinde id probat illâ Dauidis postulatione. *Proba me Domine, & tenta me.*

PROBATVR tertiò à S. Doct. Omne, quod facit ad virtutis exercitium, & profectum, est optabile. Talis est Dei tentatio: Ergo. Totum probatur illo Tob.12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Confirmatur à S. Doct. quia facit ad gratiæ augmentum, vt dicitur prima Corinth.10. *Faciet cum tentatione prouentum.* Deinde, quia est effectus diuinæ prædestinationis; vt dicitur *Tob.* 12. *citato.* Tandem, quia germinat inde patientia; patientia verò opus perfectum operatur, vt ait Iacobus *cap.*4.

41 ASSERO secundò, tentationes carnis non optandas. Probatur ex periculo, & ordinaria culpa, saltem veniali, ex illis obueniente.

ASSERO tertiò, tentationes dæmonis humiliter suscipiendas, non optandas.

PROBATVR, quia petere docemur: *Et ne nos inducas in tentationem.* Deinde, quia potiùs debemus ab ea cauere, Matth. 26. *Vigilate, ne intretis in tentationem.* Tertiò, quia audaciæ arguitur, vt dicitur Matth.4. Iesus non sponte, sed ductus à Spiritu sancto, in arenam descendisse, vt tentaretur à diabolo, quod Glossa obseruat.

42 AGVNT *hic*, aliqui de vsu ministeriorum dæmonis: An magicis artibus possint adhiberi. De hoc vide D. Bonauenturam *distinct.*7. *quæst. vltim.* D. Thomam *ea distinct. quæst.* 3. *art.* 2. hanc artem detestantes, cum *Leuit.*20. vbi pœna mortis statuitur, & aliis Scripturæ locis. Sed agam de his *secunda secundæ*, *Tractatu de Relig. disput. de Superstit. quæst.*1. *& seq.*



DISPVTATIO XV.

De Mensura Durationis, & operum Angelorum.

TRACTATV *primo*, *disput.*9. *quæst.*5. pollicitus sum de mensura ista disputare.

QVÆSTIO I.

Quæ sit mensura Angelicæ durationis.

D.Bonauent. d.2. p.1. q.1. & 2.
D. Thom. quæst. 10. art. 5. & 6.

PRIMA opinio est, mensuram existentiæ, ac durationis Angelorum esse Tempus. Ità Durand. *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 3. Gabr. *quæst.*1. *art.* 2. Ocham *quæst.* 16. Hi volunt, Æuum esse ipsam Angeli durationem. Eos sequitur Valentia *disput.*1. *quæst.*10. *p.*3. allegans Scotum *distinct.*2. *quæst.*1. *in* 2. *part. principali*, qui tamen *quæst.*3. concedit, vnum Angelum esse posse mensuram existentiæ alterius Angeli; vnde videtur secum pugnare, vt aduertit Faber 2. *disp.*13. Addit Valentia, probabile esse, Luciferum, qui, apud D. Thomam, fuit Angelorum supremus, esse mensuram, seu Æuum aliorum æuiternorum. Pro hac allegat Durandus 2.*dist.*2.*quæst.*5.*num.*18. illos, qui asseruêre, aliquod æuum externum esse mensuram Angelorum. 1

SECVNDA sententia est, Angelorum existentiam, ac durationem mensurari æuo. Ità D. Bonauent. & D. Thom.*hic*, & *quodl.*5. *art.*7. & *in* 2. *distinct.*2. *quæst.*1. *art.*2. Richard. *disp.* 3. *art.*1. *quæst.* 1. Alens. *p. p. quæst.* 12. *memb.* 9. *art.*3. *ad* 2. Eos sequitur etiam Scotus *quæst.*4. adducta, Faber *disput.*13. Soncinas 2.*dist.*2.*quæst.*2. vbi allegat D.Thom.*quodl.cit.*Hi tamen in varios modos scinduntur,

ALIQVI enim ponunt duplicem mensuram cuiusque rei: alteram extrinsecam, & communem, qua omnes res immortales mensurantur, quam aliqui credunt esse Æternitatem, siue Æuum Dei. Ità Ægid. *tract. de mensura Angelorum*, *quæst.*2. Alij tenent esse Æuum supremi Angeli beati. Ità D. Thom. Alensis, Henric. Richard. Soncinas. Ponunt verò alteram mensuram intrinsecam, quam dicunt esse vniuscuiusque æuum; non enim omnes res immortales simul inceperunt, vt patet de animabus: Ergo debet dari singulis mensura durationis. Alij admittunt vnicum æuum extrinsecum, illudque, aiunt, esse æuum supremi Angeli; Ità Valentia. Hunc verò modum confutat D. Bonauent. *quæst.*2. *In corpore*, licèt vnicum specie æuum admittat; vt mox dicam. Eam verò probabilem censet Scotus cum Fabro *à num.*11. licèt opposi am non refellat. 2

SENTENTIA igitur D. Bonauenturæ *quæst.*2. est, quòd, sicut Tempus sumitur ab vnitate subiecti, à quo causatur, quod est materia vt mutabilis, & ità ens in potentia: Sicut autem materia est vna per essentiam, varia secundùm esse; vna inquam, non vnitate singularitatis, vel vniuersalitatis; sed medio quodam modo, sic & tempus in omnibus temporalibus. Simili igitur pacto Æuum sumitur à materia, vt est actuata actu stabili (vult enim etiam Angelos materiâ constare) & ideò, sicuti vnitas temporis conformatur materiæ; sic vnitas Æui conformatur formæ, non in quantum hæc, vel illa; sed in quantum est stabilis in materia 3

immutabiliter. Vnde ficut linea in corporibus, quantumcunque diuerfis, eft eadem fpecie: fic Æuum habet vnitatem. Et ità, ficut plures funt formæ Angelicæ; ita plura funt æua, numero diftincta: nam, tametfi concedamus, Angelos plures, fpecie diftinctos; tamen, quia non menfurantur fecundùm ftabilitatem communem; fecundùm formam Angelicam non erunt plura Æua, fpecie diuerfa, vt putat Valentia *difput*.1. *quæft*.10. *p*.4. poft D. Thomam, quia menfuratio fecundùm effe eorum, quod eft omnibus commune, ftabile, effe debet.

4 Igitur S. Doct. negat, æua extrinfeca fumpta ex Angelo fupremo; imò etiam ex influxu Dei, vel ex æternitate, aut æuo Dei; fed ponit fingula æua, numero diftincta, in fingulis Angelis, à quibus differt æuum modaliter. Hinc ruit ratio Scoti *dift*.2. *quæft*.2. qua vult, non diftingui plufquam formaliter ea ratione apud Fabrum *difput*.12. *num*.3. Quando funt aliqua duo; alterum prius alio, fi prius non poteft effe fine pofteriori, ambo funt idem realiter. Æuum autem eft Angelo pofterius: fed non poteft fine eo Angelus effe. Ergo eft idem illi realiter.

5 Respondetur enim primò, dari aliquem modum realem infeparabilem, vt exiftentia, ab effentia Phyfica, vt docet D. Bonauent. 2. *diftinct*.7. *p*.2. *art*.2. *quæft*.1. & *in* 4.*dift*.43. *art*.1. *quæft*.4.

Deinde refpondet Caietanus redarguendo ad hominem. Id, quod eft ab alio infeparabile, per te non diftinguitur realiter ab eo. Totum eft infeparabile à partibus, vt conftat; vbi enim erit totum, fi ex partibus non conftet? Ergo non diftinguitur realiter ab illis, contra Scotum.

Respondet Faber *Theor*. 21. Totum diftingui à partibus fuis non tranfactis in tertiam entitatem per generationem; quando verò tranfactæ funt in tertiam entitatem, nequeunt feparari.

6 Contra enim, quia vnio partium intrinfecè terminatur ad tertiam entitatem: quomodo ergo erunt partes vnitæ; neque tamen tranfactæ in tertiam entitatem?

Deinde fumo illud Totum Fabri. Iam per Diuinam potentiam diuidatur. Si non eft totum, quid faciet diuifio partium? Vel fi illa vnio facit aliquod vnum; quidnam diffoluitur, feu deperditur? vtique aliquod vnum compofitum ex partibus, aut illa vnio terminata eft ad chimæram. De hoc *tractatu* 5. *difput*. 5. *quæft*.5.

7 Tertiò, ego redarguo Scotum ex D. Bonauent. *quæft*.2. *in corpore*. Suppono autem cum S. Doctore, in tempore non effe femper *idem nunc*; non enim *idem nunc* ftat, aut percurrit, modò hoc, modò illud mobile; alioqui migraret de fubiecto in fubiectum. Sed dicitur *idem nunc*, quia non fecernitur ab aliis *nunc* fuccedentibus in continuo reuinctis, quod libenter concedit Scotus *diftinct*. 2. *quæft*. 2. & Faber *difputatione* 12. *numero* 6. & eft doctrina D. Auguftini *lib*.83. *qq*. *quæft*.72. vbi ait: *Hoc* (*fcilicet nunc æui eft ftabile*;) *Illud* (*fcilicet nunc temporis*) *eft fluxibile*, vt notat D. Bonauent. *quæft*.1. *in corpore*. Tunc fic argumentor. Ità fe habet *nunc temporis* ad fubftantiam mobilis, quam menfurat, ficut fe habet *nunc æui*, quod menfurat fubftantiam Angeli, ad ipfam fubftantiam Angeli. Sed *nunc temporis* diftinguitur realiter à fubftantia mobilis. Ergo & *nunc æui* à fubftantia Angeli. Probatur Maior, primò, quia vtrumque eft in fubftantia fubiectatum, tanquam accidens, & ideò ne migret de fubiecto in fubiectum, *nunc temporis* afferitur à Scoto, & Fabro, effe multiplicatum. Probatur fecundò Maior; quia vtrumque eft menfura vnigenea menfurato, & confequenter debet effe diftincta. Primò, quia menfura eft nota; menfuratum ignotum. Secundò, quia menfura eft fimplex: menfuratum verò non. Tandem, quia fi vnigenea; Ergo diftincta: nam vnigeneum eft diftinctum ab eo, quod fibi eft vnigeneum, habens aliquam relationis, feu æqualitatis rationem. Minor verò probatur: tum quia, *nunc*, eft accidens refpectu fubftantiæ: Tum quia manet fubftantia, *nunc temporis* euanefcente. 8

Respondet Scotus, & Faber, negando, 9
nunc temporis diftingui à mobili, fi concedatur fe habere eodem modo ad fubftantiam mobilis, ficut fe habet æuum cum Angelo.

Sequitur ergo, non effe veram menfuram, quod Scotus concedit, dicens, fubftantiam rerum generabilium, & corruptibilium menfurari æuo, quod eft ipfa fubftantia Angeli, licèt per accidens menfuretur tempore.

Contra. Menfura per te debet effe vnigenea menfurato, non folum in genere, puta; fi menfuret durationem, vt vtraque fit menfura in genere durationis: & menfurata fint durationes, vt acurè obferuat Faber *num*. 18. contra Vafquez, qui afferit, tempus effe menfuram durationis Angeli, quia vtrumque eft duratio. Menfura enim debet effe vnigenea in genere proximo, & non tantùm in remoto; alioqui etiam æternitas poffet fieri menfura Angelorum, & rerum corruptibilium; quia ipfa eft duratio. Quòd fi menfurata fint varia, debent etiam menfuræ variæ applicari: vnde cùm genere differant æterna, & temporalis permanentia, neceffe eft quoque diuerfis menfuris ea menfurari, vt ait Faber: Ergo æuum non poteft menfurare fimul corruptibilia fucceffiua, & incorruptibilia permanentia per fe, contra Scotum. Et, cùm æuum, fecundùm ipfum, fit permanens, non poterit menfurare entia fucceffiuè corruptibilia. Quod fi teneat cum D. Bonauentura, æuum effe fucceffiuum (quod probabile putat) & nos probauimus *tractatu* 1. *difputatione* 9. *quæftione* 4. non poterit eo menfurari exiftentia Angeli, cùm non fit menfura vnigenea in genere proximo, vt requirit Ariftoteles 10. *Metaph*. & probat Faber *loco citato*, & arguit S. Bonauent. *quæft*.1. *in corpore*, ex differentia *Nunc Æui*, & *Nunc temporis*. 10

Quod verò addit Scotus, & poft eum Faber, quod fi tempus differret à motu, qui per ipfum menfuratur, non propter hoc dici deberet Æuum differre ab Angelo; quia non intercedit differentia inter æuum, & Angelum, quæ eft inter tempus, & motum; quia tempus, licèt fit idem realiter cum motu primi mobilis; tamen differt realiter ab aliis motibus particula 11

particularibus. Æuum verò est idem realiter cum omnibus Angelis.

Hoc inquam est falsum; vt notat D. Bonauent. *in corpore, quæstione 2.* nam tempus non sumit suam vnitatem à motu primi mobilis, ita vt, eo motu cessante, cessaret tempus: nam, vt ait D. Augustinus, cessante motu primi mobilis, adhuc moueretur rota figuli, & constat, eum motum tunc mensurandum fore, vt dicam *tract.5.disp.14.quæst.3.*

12 Hic oportet adnotare ex Aristotele 10. *Metaph. cap.2.* definiri mensuram. *Est, quo quantitas cognoscitur.* Seu: *Est id, quo venimus in quantitatis cognitionem.* Et quia quantitas cognoscitur vnitate; ideò vnitas propriè dicitur mensura quantitatis. Et subdit, quod mensura est applicata à quantitate aliis rebus; vnde factum est, vt quod est primum in vnoquoque genere, dicatur primum, ideò maximè, quia est mensura aliorum, quæ sunt sub eo genere, similitudine sumpta ab vnitate, quia est primum in quantitate, est etiam mensura quantitatis. Deinde subdit, mensuram habere tres proprietates. Prima est, quod est indiuisibilis; debet enim esse certissima: Quod autem est simplex, & indiuisibile, est notissimum; quia totum cognoscitur, si aliquid eius cognoscitur. Secunda conditio est, quod, licet Metrum sit vnum, non est tamen vnum semper naturâ; sed ad placitum, quia sic est institutum ab hominibus, vt sit mensura aliorum. Tertia conditio est, vt sit vnigenea mensurato.

13 Hinc colligit Faber *numerò 7.* falsò aliquos ad mensuram exigere, vt sit mensurato nobilior, quod ait assertum à D. Thoma *p. p. quæstione 53. artic.3.* sed ibi solùm dicit, mensuratum in ratione mensurati pendêre à mensura. Vnde, ait, Angelicas operationes transeuntes non mensurari motu cœli, quia etiam, non moto cœlo, Angelus moueretur. Hoc ipsum habet S. Bonauent. *quæstione 2. in corpore*, vbi probans durationem Angelorum non mensurari Cœlo Empyreo permanente, ait, non posse immutabilitatem cœli esse mensuram immortalitatis Intelligentiarum, quia immortalitas priùs competit Angelis, quàm Cœlo Empyreo, cùm Angeli sint digniores, & dignius non habet mensurari per respectum ad minùs dignum: nam mensura vel est propria in quantitate molis; & tunc debet esse actualior, & simplicior, vt ait Aristoteles, ac notior: vel est appropriata per quantitatem vnitati, & hæc exigit, perfectiorem esse mensurato.

14 Qvod igitur mensura, secundùm perfectionem rerum debeat esse in subiecto perfectiori, verissimum est. Sic ignis est mensura omnium rerum calidarum, & Sol mensura lucidarum. Non autem vult dicere, materiale mensuræ, puta quantitatem, debere esse nobilius re mensuratâ; nam quantitas, quæ est mensura substantiæ, est ignobilior substantiâ. Quoad dependentiam verò res clara est, mensuratum à mensura pendêre.

Dices cum Scoto: post diem iudicij ambulabit Petrus, & illa ambulatio mensurabitur tempore nostro, neque tamen pendebit à motu primi Mobilis.

Respondeo, mensurandum illum motum à sæculo, vt dicam *quæstione 2.* Secundò dico, mensurandam intrinsecè à propria materia.

Instat secundò. Quies mensuratur tempore potentiali, quo motus rei oppositus mensuratur, si actu existeret. Ergo à simili, si non esset motus Petri, illa ambulatio posset mensurari tempore potentiali cœli. 15

Respondetvr, negando consequentiam. Quies enim mensuratur motu actuali cœli per accidens, quatenus per diametri cœlestis cursum: v.g. duodecim horas quiescit, & alio motu regulato noscitur: post diem verò iudicij mensurabitur æuo illa quies, vel sæculo, vt dicam *quæst 2.*

Dices: mensurati sunt motus belli, tempore Iosuë, stantibus cœlis.

Respondetvr, mensuratos aliis durationibus, v. g. horologiorum, aliorumve motuum, quorum habebatur exprimentum, quantum durarent: melius est hoc dicere, quàm negare stationem primi mobilis, vt negat Caietanus; nam omnes cœli steterunt, vt latè probant Abul. *in Iosuë, cap.10. quæst.22.* & D. Augustinus *lib.11. Confess. cap.23.* vbi ait: *Nemo mihi dicat, cælestium corporum motus esse tempora; quia cùm Sol stetisset, cùm victor Iosuë prælium perageret, Sol stabat; sed tempus ibat.* 16

Instat quartò Faber. Mensuratio quanti per quantum, non requirit, quod mensuratum pendeat essentialiter à mensura; sed sufficit, quòd quantitas mensurans talis sit, vt notificet quantitatem mensurati ignotam. Non est ergo necessarium, motum Angeli, vt mensuretur tempore nostro, pendere à motu cœli. 17

Respondeo, me non negare operationes Angeli mensurari nostro tempore, quod tamen intrinsecum est sumptum à materia, vt dixi cum D. Bonauent. *quæstione 2. in corpore*; attamen fatemur in mensura extrinseca, quæ est motus cœli, pendere à motu cœli in ratione formali mensuræ. De hoc vero *quæstione sequenti.*

Assero primò, durationem Angelorum non mensurari tempore, contra primam sententiam.

Probatvr primò à D. Bonauent. *fundamento tertio, & quarto, quæstione prima*, quo nititur Fauentinus *numero 18. disputatione 13.* Omnis mensura debet esse vnigenea mensurato, in proximo genere. Sed tempus non est mensura vnigenea Angelis: Ergo. Maior est Aristotelis suprà. Minor est S. Dionysij *de diuin. nominib. cap. de Æuo*, vbi ait: *Proprietas æui est inueteratum, & antiquum, secundùm totum esse mensurans; tempus verò in alternatione aliter, & aliter se habens.* Sed Angeli sunt perpetuò durantes: Ergo eorum mensura non est Tempus; sed Æuum. 18

Hæc ratio expugnat Gabrielem, Ocham, & Vasquez, qui fatentur mensuram esse vnigeneam mensurato; & dicunt, Tempus esse mensuram vnigeneam Angelis, quia est duratio, sicut etiam Angelica. 19

Contra enim, *ex fundamento quarto, S. Bonavent.* quia debent mensura, & mensuratum proximè conuenire, ità vt rebus, quæ variantur

variantur; mensura variabilis; at stabilibus, stabilis applicetur; alioqui, si duratio est ratio adæquata constituendi mensuram, nil prohibet vti æternitate ad mensurandas elementorum durationes, vt rectè infert Faber post D. Bonauent. *quæstione 2. in corpore, & quæst. 1. fundamento vltimo.* Et hoc assertum à nullo potest negari, vt notat D. Bonauent. *quæstione 1. in corpore.*

20 DVRANDVS verò tenet, Tempus esse mensuram Heterogeneam; hanc verò esse vnicam applicabilem Angelo probat, quia nil habet rationem mensurabilis, nisi quatenus induit rationem *quanti.* Sed duratio Angeli non est in se quanta, quia non habet partem, & partem; induit autem rationem *quanti*, quatenus coëxistit durationi quantæ, puta motui. Ergo non habet mensuram per se; sed vt coëxistit motui.

21 Hoc argumentum est D. Bonauent. *quæst.3.* Et respondet S. Doct. Angelum habere mensuram durationis intrinsecam, quæ est quantitas successiua, sine innouatione, commensurata Angelicæ durationi, quæ non dicit mutationem, & fluxum; sicut res corruptibiles; sed nouum, ac nouum Dei influxum, à quo pendet; anima enim Petri, v. g. nunc diutiùs durauit, quàm, cùm introiuit in gloriam. Ideò in mensura, & mensurato sunt partes, & partes.

22 ASSERO igitur secundò contra Durandum, Æuum esse mensuram Durationis Angelorum.

PROBATVR à D. Bonauent. primò *ex lib. de causis, proposit.7.* vbi habetur: Inter rem, cuius substantia, & operatio est in æternitate; & rem, cuius substantia, & operatio est in tempore, est res media, cuius substantia est in æternitate; & actio in tempore. Sed hoc nequit intelligi de Æternitate increata: Ergo de creata; & hanc distinguit à tempore, & ponitur mensura substantiarum spiritualium: Ergo, &c.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. Eccl.1.

23 *Omnis sapientia à Domino Deo est, & ante Æuum.* Ergo æuum dicit quid creatum, non substantiam: Ergo mensuram, non rerum materialium: Ergo spiritualium. Et hæc differt à tempore, vt ait Boët. *de Consol. lib.3. metro 9.* initio:

—— *Qui tempus ab æuo*
ire iubet.——

PROBATVR tertiò ex D. Dionysio, *loco suprà addicto.*

PROBATVR quartò à D. Bonauent. Omnis mensura est vnigenea mensurato; ex Aristotele *loco cit.* Sed Tempus non est tale; tale verò est Æuum: Ergo.

24 PROBATVR quintò à S. Doct. Omne ens limitatum actu habet mensuram, per quam possit cognosci eius limitatio, & excessus super alias res, & eiusdem inferioritas respectu aliarum. Sed Angelus habet esse limitatum; attamen permanens immortale. Ergo debet habere mensuram, per quam ab aliis discernatur. Sed tale non est tempus; sed Æuum: Ergo. Minor probatur à D. Bonauent. *in corpore*, ex D. Augustino ad Orosium *quæst. 41.* vbi ait: *Æuum est mensura solius esse incommutabilis.* Deinde probatur *fundamento vltimo.* Mensura durationis respicit modum durandi: Sed spiritualia habent modum durationis diuersum à corporalibus, maximè mutabilibus, cùm durent perpetuò immutabiliter: Ergo per hanc mensuram mensurantur.

ASSERO tertiò, non posse *Nunc Temporis, & Æui*, idem esse ad mensurandum. 25

PROBATVR à S. Doct. *in corpore.* Quæ habent proprietates incompossibiles, non possunt in vnam mensuram conuenire. Tales sunt, *nunc* Æui, & *nunc* Temporis: Ergo. Minor probatur ex D. Augustino *lib.83. qq. quæst.72.* vbi ait: *Hoc nunc Æui est stabile; illud (scilicet nunc Temporis) est fluxibile*; non potest autem idem secundùm idem stare, & fluere.

ASSERO quartò, Angelorum durationem non mensurari Æternitate Dei. 26

PROBATVR *ex lib. de causis* suprà *allegato.*

PROBATVR à D. Bonauent. *quæstione 3. in fundamento primo*, ex D. Anselmo *in Prosol. cap.18.* & *Monol. cap.18.* ad ea verba Exod.14. *Dominus regnabit in æternum, & vltra*, vbi ait: *Hoc dictum esse, quia Dei Æternitas, quæ tota simul est, excedit Æternitatem creaturæ, quæ non omnino est tota simul.*

PROBATVR secundò à S. Doct. Sicut Angeli duratio, deficit à Deitatis simplicitate, quæ secundùm nostram rationem, est mensurata Æternitate, ità debet deficere mensura ipsa durationis Angelicæ, à mensura durationis diuinæ. Sed duratio Angeli infinitè deficit: Ergo.

PROBATVR tertiò. Si æternitas esset mensura Angelicæ durationis, Angelica duratio esset tota simul infinita; & sic Angelorum existentia, & essentia esset infinita actu. 27

PROBATVR quartò. Si Angeli duratio mensuraretur Æternitate Dei, quæ est tota simul; sequeretur, Angelum semper fuisse, esse, & non posse non esse in perpetuum; imò semper fuisset, & esset actu necessariò, nec Deus posset ipsum destruere. Cætera vide *Tract.1.disp.5. quæst.4.*

ASSERO quintò, mensuram durationis Angelicæ non esse extrinsecam, puta, primi Angeli existentiam. 28

PROBATVR à D. Bonauent. *quæstione 2. in corpore*, primò, *argumento*, quod timuit Scotus, vnde & nostram sententiam probabilem censuit, vt notat Faber *numero 11.* Quæcumque ita se habent, vt æqualia in omnibus sint secundùm rationem mensuræ, nequeunt ad inuicem esse mensura. Sed omnes Angeli ità se habent, vt omnes sint æqualiter incorruptibiles, & immortales: Ergo.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *ibi.* Mensuratum aliquo modo pendet à mensura, ex dictis. Sed vnus Angelus non pendet ab alio, etiam supremo, in sua duratione: Ergo nec in mensura.

HIC aduerte primò, posse quidem Angelum superiorem esse mensuram perfectionis inferiorum; sed hæc mensura non est durationis, sed quidditatis, quæ dicitur mensura apppropriata per quantitatem virtutis, vt dixi. 29

ADVERTE secundò, S. Doctorem non assumere pro ratione mensuræ Angelicæ durationis ex Deo solo dependentiam effectiuam; nam etiam vlna mensurat pannum, quod tamen ab vlna non pendet in esse, sed assumit dependentiam formalem mensuræ. Sic etiam Caietanus

tanus *p.p. quæstione* 53. *artic.*3. Ideò Aristoteles 10. *Metaph. text.*21. ait, Mensuratum ad mensuram realiter referri; non mensuram ad mensuratum. Confirmatur: nam si Deus solus est independens, & omnes ab eo dependent, oportet omnibus assignare idem æuum, eandemque mensuram; si autem primus Angelus est mensura aliorum, ipse carebit mensurâ.

30 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *ibi*: nam vel primus Angelus, qui est mensura durationis aliorum, est Lucifer; vel est primus inter beatos. Si Lucifer, cùm per peccatum distractus sit ad disparata, & abiectus sit, non videtur conueniens mensura Angelorum: nam, licèt in eo naturalia permanserint, atque adeò immortalitas; vnde non sit sufficiens ratio D. Thomæ *quodl.* 5. *artic.* 7. quod non sit apta mensura, eò quòd per peccatum conuersus est ad multa, & varia, quam rationem laudat Valentia *disputatione* 1. *quæstione* 10. *p.*3. *ad finem*: nam conuersio illa non minuit durationis stabilitatem; sed tantùm operationum soliditatem; attamen per peccatum detractus in infernum, dignus destructione, non videtur assumi vt mensura permanentiæ Sanctorum. Hic enim non disputamus de necessitate; sed de conuenientia quadam, vt notat Valentia.

31 SI verò ponatur primus inter beatos esse mensura. Contrà: nam ille potest destrui, & sic manebunt omnes durationes Angelicæ absque mensura.

Respondet Scotus *loco citato*, & Faber *num.*16. mutationem futuram tantum extrinsecam; eò quòd non mensurarentur ampliùs illo æuo primo; sed alio.

Contrà tamen: quæro, quo alio æuo mensurarentur extrinseco? si dicas, æuo Angeli sequentis. Contrà primò: quia ille succedens nullo ampliùs æuo mensuraretur, cùm tamen æqualiter incorruptibiles sint etiam alij. Aliud argumentum afferam, quod erit tertium pro vltima assertione.

32 ASSERO sextò, Æuum Angelorum non sumi à stabilitate Cœli Empyrei.

PROBATVR à D. Bonauent. quod est posterius non est mensura prioris; sed Empyreum est posterius Angelis: Ergo. Minor probatur: nam incorruptibilitas primò conuenit spiritibus; postea corporibus. Deinde dignius non mensuratur per minùs dignum; Angeli vero sunt digniores Cœlo Empyreo: ergo.

ASSERO septimò, Æuum Angelorum non esse sumendum à Diuina influentia in Angelorum durationem.

33 PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore*. Vel Diuina influentia sumitur actiuè, & sic est ipse Deus; & ità non datur mensura æui. Vel sumitur passiuè, & tot sunt, quot suscipientes: Ergo ab vnitate cuiusque Angeli sumitur vnitas æuorum, & debet ab eis distingui ex Aristot. 10.*Metaph.*

ASSERO octauò, Æuum non esse idem realiter cum Angelo, seu esse existentiam ipsam Angeli contra Scotum.

PROBATVR, quia si Æuum est existentia Angeli: Ergo duratio Angeli erit à nobis incognoscibilis. Probatur sequela, quia eius existentia est quoque nobis incognoscibilis, quod cogitur Scotus concedere, vt colligo ex Fabro *numero* 10. vbi infert: Si non adest mensura mensurans durationem Angeli: Ergo Angelus ipse non potuit cognoscere suam durationem.

RESPONDET, illam existentiam ex Scoto esse notam intellectui Angelico.

PROBATVR adhuc: Si æuum est existentia Angeli, cùm sit indiuisibile, vt probabiliùs credit Scotus, relatus *tract. primo*, *dispu.*9. *quæstione* 4. sequitur, neque Angelos ipsos ex illa mensura scire posse, quinam Angeli creati fuissent priùs, si aliqui eorum inæqualiter crearentur. Multò magis elucet illatio in animabus, quæ simul non creantur. Similiter si tollatur tempus post diem iudicij, & destruatur primus Angelus, non poterit veniri in cognitionem, vtrum ille Angelus minùs durauerit cæteris, cùm æuum intrinsecum similiter, & extrinsecum illius Angeli mensurati, & mensurantis sint simul. Hæc autem sunt absona. Similiter antè quartum diem, quando non apparebat tempus, non poterant per accidens mensurari Angelicæ durationes: Ergo mensurabantur æuo, & si intrinsecum erat ignotum; pariter extrinsecum ignotum erat. 34 35

ASSERO vltimò, tot esse Æua, quot Angeli.

PROBATVR à D. Bonauent. *quæstione* 2. primò ex D. Dionysio cap. 5. & 10. de diu. nominibus: *Ipse est* (ait) *Æuum æuorum.* Ergo plura sunt æua, non per interruptionem, vt vnum sit post aliud: Ergo per diuersitatem, scilicet existentium. 36

PROBATVR secundò, vnitas accidentalis venit ex vnitate subiecti. Sed non est ponere vnum subiectum omnium æuiternorum, cùm quædam spiritualia non habeant aliquid commune, ad cuius aspectum mensurentur: Ergo non est ponere, Æuum esse vnum. Quod autem nullum sit tale subiectum contentiuum spiritualium, probatur: quia haberet continentiam, excellentiam, & influentiam, respectu spiritualium, sicut primum mobile, respectu temporalium; sed tale respectu spiritualium dari non potest: Ergo.

PROBATVR tertiò. Omnibus aliis corruptis, possibile est, vnicum Angelum remanere, cùm non dependeat ab aliis Angelis, & si remanet in esse completo, haberet mensuram consequentem illud esse, & hoc est Æuum, quod cuilibet Angelo remanenti remanet: Ergo quot sunt Angeli; tot sunt æua. 37

PROBATVR quartò. Æuum est mensura rei perfectæ, & multum habentis de specie, seu forma. Si ergo Æuum maximè consequatur esse perfectum, cùm illud non sit vnum numero, sed tantùm specie, videtur quòd Æuum sit vnum tantùm secundùm speciem, & multiplex numero secundùm multiplicitatem formarum.

PROBATVR quintò *in corpore*. Ità Æuum respicit formam, cùm sit stabile actuale, sicut Tempus materiam ob potentialitatem; sed vnitas temporis conformatur materiæ: Ergo & vnitas æui conformatur formæ, vt stabilis est. Vide D. Bonauenturam. 38

OBIICIES primò cum D. Thoma *quæst.*10. *artic.*6. & Valentia *disputat.*1. *quæstione* 10. *p.*4.

Mensura in aliquo genere debet esse id, quod est perfectissimum in eo genere. Sed vnicum tantum æuiternorum est omnium æuiternorum perfectissimum, & simplicissimum: Ergo per vnicum Æuum perfectissimi æuiterni reliqua
39 æuiterna mensurantur. Maior probatur primò ex Aristotele 4. *Metaph. text.* 3. Roboratur è nostri temporis similitudine; nam idcircò est vnicum tempus nostrum; quia est vnus motus perfectissimus, & simplicissimus omnium, idest primi mobilis; & ità tempus comparatur ad illum motum, non solùm vt mensura ad mensuratum; sed etiam vt accidens ad subiectum; ad alios verò motus comparatur solùm, vt mensura extrinseca, & propterea ad multiplicationem eorum non multiplicantur tempora. Minor verò probatur à D. Thoma infrà, quia non omnes Angeli sunt æquales, puta in eadem specie; sed vnus est primus, &c.

40 Respondet D. Bonauent. *quæstione* 2. non sumi Æuum ab aliquo extrinseco, neque à materia, vt tempus ab ea sumitur; sed à formis durantibus immutabiliter; & quia in immutabilitate omnes sunt æquales; nam omnes durabunt semper naturaliter immortales; ideò vnum est æuum specie, & tot numero, quot formæ. Igitur Æuum, secundùm specificam vnitatem, est simplicissimum; tamen multiplicatur numero, ob multiplicationem originis intrinsecæ, idest formæ, quæ dat esse stabile; At materia non multiplicat Tempus, quia est vna sine distinctione potentiæ; neque Tempus sumit vnitatem à primo Mobili, quia cessante motu primi mobilis adhuc posset moueri rota figuli. Solùm ergo extrinsecè est vnum ex motu supremæ sphœræ, vt habet Aristoteles 4. *Phy. c. text.* 110. & D. Bonauent. *art.* 2. *quæst.* 1. *corp. dist.* 2. ipsum vide.

41 Nota verò, motum primi mobilis mensurare seipsum, non simpliciter, sed secundùm partes: nam cum aliquæ sint partes notiores, possunt deseruire ad mensurandas ignotas; vt colligitur ex Aristot. 4. *Physic. text.* 114. & notat Valentia *disputat.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 3. Scotus *loco citato*. Faber *num.* 16.

Obiicies secundò. Si tot sunt æua, quot Angeli; illa æua erunt simul, aut successiuè; Non primum: Quia sic essent in eodem instanti & sic illud instans esset mensura omnium Angelorum: Non etiam secundum; quia æua, cùm sint infinita à parte post, vnum nequit alteri succedere: Ergo.

Respondet D. Bonauent. *ad quartum* omnia quidem æua illa esse in eodem *Nunc*. Istud tamen *nunc* non esse cæterorum mensuram, quia plura possunt esse simul, vel simultate concomitantiæ; vel simultate vnitatis, & indifferentiæ: quæ sunt simul priori modo diuersas possunt habere mensuras. Sic Deus, Angelus, homo existunt in eodem *Nunc*, hoc est per mensuræ concomitantiam. Quæ verò posteriori modo sunt simul; eadem mensurâ, qua mensuratur vnum, mensuratur etiam & aliud, sic dicitur: Petrus & Paulus currunt, vel comedunt simul; hoc est per mensuræ vnitatem. Vnde cùm plures Angeli sint in eodem *Nunc æui*, non sunt tamen in *Nunc* eiusdem æui, sed diuersi, pro diuersitate Angelorum existentiæ.

Obiicies tertiò. Vbi maior est stabilitas, ibi constantior est vnitas; sicut è contra; Vbi frequentior mutabilitas; ibi videtur assignari multiplex mutabilium mensura. Sed in Angelis maior est stabilitas, quàm in cæteris creaturis: Ergo cùm hæc vnà tantùm mensurâ regulentur; à potiori iure, hoc Angelis conueniet.

Respondet sanctus Doct. vt suprà *in corpore*. Res mutabiles considerari secundùm quod sunt in potentiâ, & cùm istud sit vnicum, nimirum potentiale principium, in quo recipiuntur, vnica erit quoque mensura mutabilium: Res verò stabiles considerantur, secundùm quod sunt in actu; & cùm illud sit multiplex, principium scilicet formale, quod quemque Angelum perficit; pro multiplicitate Angelorum, multiplex quoque erit æuum.

Obiicies quartò. Ideò tempus est vnum, quia est accidens extrinsecum, extrinsecè etiam mensurans. Sed hoc conuenit æuo: Ergo.

Respondet D. Bonauent. *ad tertium*, non ideò tempus esse vnum, quia extrinsecè mensurat; sed quia comitatur, & respicit materiam vt suum subiectum, & vt in potentiâ ad plures variationes; vnde ab vnitate huius subiecti, & potentiæ, ipsum quoque vnum est. Minor quoque falsa est, vt suprà patet. Hinc intellige, quare diuersitas motus non obstet vnitati temporis; hoc enim, vti dixi, intimè associatur materiæ, quæ illi communicat suam vnitatem.

Motus verò definitur in ordine ad diuersa, ad motorem, ad mobile, & ad terminum.

Hinc etiam sequitur, quare quantitas, licèt intimè coniuncta materiæ, non tamen vna est: non enim in illa habet esse completum, dum adhuc nuda est, sed dum vestitur aliquâ formâ; tempus verò habet totum suum esse in ordine ad motum, & acquisitionem formæ, vnde illam præcedit; non vult tamen D. Bonauent. hic *in corpore* quòd tempus habeat totum suum esse ante omnem formam in materia: Contra enim stat D. Augustinus *liber* 12. *Confess. cap.* 12. vbi dicit nullam dari in materiâ vicissitudinem, nisi quando subiacet alicui formæ: Sed vult, tempus, licèt sit simul cum forma iam habita in materiâ, non tamen in ordine ad hanc formam, sed in ordine ad illam, quæ mox est introducenda, materiam comitatur.

QVÆSTIO II.

An detur mensura media, qua mensurentur opera Angelorum.

D. Bonauent. dist. 2. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. quæst. 10. art. 5.

Divus Thomas ponit quinque durationis mensuras, nempè Æternitatem, qua diuinum esse, secundùm nostrum modum concipiendi, mensuratur. Æuum, quo mensuratur substantia rerum incorruptibilium. Tempus, quo mensuran 42

mensurantur corruptibilia. Æternitatem participatam, qua mensurantur operationes beatificæ Angelorum, & Hominum. Tandem & Tempus discretum, quo mensurantur conceptus, & affectiones Angelorum, in quibus est successio. Est autem Tempus discretum, apud D. Thomam, vt exponunt Caietanus *hic*, & Valentia *disput*. 1. *quæstione* 10. *puncto* 3. *ad finem*, successio plurium operationum naturæ Angelicæ, quarum quælibet solet vocari vnicum instans temporis huius discreti, seu Angelici. Differunt verò à nostri temporis instantibus. Nam potest vnicum tale instans Angelicum,
43 vel aliquanto nostro tempori coëxistere, vel etiam vnico instanti nostro, prout Angelus voluerit in vnicâ operatione intellectûs magis, vel minùs perseuerare, atque ità successio istorum instantium Angelicorum, dicitur tempus discretum; quia constat ex indiuisibilibus operationibus intellectûs Angelici, quæ nullo aliquo termino, sed secundùm vniformem aliquam seriem successionis continuari dicatur. Hoc igitur tempore discreto mensurantur operationes intellectûs, & voluntatis, exceptis operationibus naturalibus intellectûs, & voluntatis, quas habet Angelus necessariò, quia hæ mensurantur æuo, cùm sint omninò immutabiles, & eodem modo durant, quo durat etiam esse
44 Angelicum. Excipiendæ quoque sunt operationes transeuntes, quæ secundùm hanc sententiam mensurantur tempore nostro, sicut & ipsi effectus extra producti: Veluti motus, quo Angelus tulit Habacuc in Iudæam. Ità D.Thom. 3. *contra Gent. cap.* 61. quem sequuntur Thomistæ *hic*, ac Patres multi, Iesuitæ; præcipuè Valentia *loco citato*. Capreolus etiam *in* 2. *distinctione* 1.

At verò Scotus *in* 2. *distinctione* 2. *quæstione* 4. & *in* 4. *distinctione* 49. *quæstione* 6. *ad* 2. *dubium*, vult, operationes naturales Angeli, & operationes beatificas; imò & esse substantiale rerum corruptibilium, mensurari æuo. Itaque explodit Tempus Angelicum, & Æternitatem participatam. Addit verò tempore nostro mensurari motum, & operationes transeuntes. Sequitur Faber *disput*. 14.

45 Henricus verò *quodl.* 12. *quæstione* 8. vult, operationes Angelorum mensurari tempore discreto, quod non est merus numerus prioris, & posterioris in operationibus discretis, seu successio vnius operationis ad aliam spiritualem, quales sunt duæ intellectiones absque ministerio phantasmatum, vt volebat D. Thom. sed esse quantitatem veram discretam, distinctam specie à quantitate continua; non tamen esse numerum, vel orationem, quæ ab Aristotele ponuntur species quantitatis discretæ; sed speciem ab illis partim differentem, partim conuenientem. Conuenit cum oratione; quia partes eius raptim transeunt; differunt, quia partes orationis sunt connexæ; non sic partes temporis discreti. Conuenit cum numero, quia partes numeri sunt discretæ; ab eo autem differunt; quia partes numeri permanent. Itaque Tempus discretum est quantitas discreta, constans ex pluribus *Nunc* indiuisibilibus, ordinatè sibi succedentibus absque vlla continuatione. Hoc Tempus discretum esse mensuram actuum immanentium, asserit quoque Suarez *libro primo de vniuerso*, *cap.* 9. *à numero* 8. qui tamen ponit illud in instantibus succedentibus.

Sententia D. Bonauent. hæc est. Primò quidem *quæstione* 1. *distinctione* 2. docet, æternitatem esse mensuram (nostro modo concipiendi) solius Dei. Æuiternitatem verò esse durationis immutabilium mensuram, vt Angelorum, & animarum. Quare excludit ab hac mensura multitudinem affectionum Angelicarum. Hanc Æuiternitatem *quæstione* 2. ostendit, esse vnam vniuersalitate; & multiplicem secundùm multitudinem formarum immutabilium. Itaque est vna vniuersalitate; multiplex in indiuiduis, quia formæ vnum quid specie sunt; multæ autem indiuidualiter. Hanc verò Æuiternitatem ostendit *quæst*. 3. esse successiuam, vt ostendi *tract*. 1. *disp*. 9. *quæst*. 4. 46

Pergit verò *artic*. 2. *quæstione* 1. ostendere ordinem æui, & temporis; & ait, Tempus quatuor modis sumi. Primò communissimè, vt dicit mensuram cuiuslibet durationis creatæ, quo sensu dicit Beda, quatuor fuisse coæua in creatione: Angelicam naturam; Materiam primam; Cœlum Empyreum; & Tempus; quod etiam Æuum includit. Secundò sumitur communiter, & dicit mutationis cuiuslibet mensuram: Et sic dicit Richardus, quòd *omne, quod cœpit, ex tempore cœpit*. Et ità significat Glossa ad id Genes. 1. *In principio creauit*, *&c.* idest in principio temporis. Tertiò sumitur propriè, & sic dicit mensuram variationis successiuæ, siue sit successiua, successione regulari; siue non. Et ità dicit D. Augustinus ad Orosium, quæst. 41. *Affectiones variæ Angelorum mensurantur tempore; & omnis variatio rerum.* Quartò sumitur propriissimè; & dicit mensuram motus, seu variationis successiuæ, & regulatæ continuæ secundum regulam motûs primæ sphæræ. Et ita sumitur ab Aristotele 4. *Physic. text.* 110. Iam verò si tempus sumatur primo modo, includit Æuum; & sic temporis ad Æuum nullus est ordo. Si secundo modo; sic Tempus præcedit Æuum, secundùm rationem intelligendi; sicut creatio est ante esse creatum. Si tertio modo; Æuum, & Tempus sunt simul duratione; sed Æuum prius est dignitate. Si quarto modo: Sic Æuum præcedit Tempus, & duratione, & dignitate. 47

In secunda igitur *quæst.* definit, Æuum, tertio, & quarto modo sumptum, dupliciter accipi, vel vt dicit mensuram cuiuslibet durationis variæ, siue variationis successiuæ. Et sic inter Æuum, & Tempus, non est medium re, sed tantùm ratione; non inquam est medium differens ab vtroque in genere mensuræ, sed medium in genere mensuratorum participans vtrumque, vt est illa substantia, quæ est in confinio Æternitatis, & Temporis. 48

Aliter verò accipitur Tempus, prout est mensura variationis, in qua est successio, habens continuationem, & regulationem à motu primi orbis, & hæc mensura habet finem, & desinet esse, & inter hanc, & æuum est ponere mediam mensuram, in qua est variatio, nec oportet vt sit desitio, vel primi motus regulatio, cuiusmodi fuit in triduo, ante creationem Luminarium, & post iudicium in inferno, vbi variabuntur pœnæ, & non ad mensuram

suram primi mobilis perpetuò quiescentis. Hæc verò appellatur sæculum.

49 Assero primò, non dari Æternitatem participaram, quæ sit mensura actuum beatificorum in Angelis. Ita S. Bonauent. *quæstione* 1. *in corpore*.

Priùs tamen adnotare oportet, aliquos intelligere per Æternitatem participatam eandem, quæ est mensura diuini esse primariò; & dicunt, secundariò mensurare actus beatificos Diuinos Beatorum. Alij dicunt, eam Æternitatem esse creatam, nobiliorem tamen Æuo.

50 Contra primum modum probatur assertio primò à D. Bonauent. 2. *distinct*. 2. *quæst*. 3. *fundamento* 3. Quantùm vnitas Angelicæ essentiæ, & operans deficit à Diuina perfectione; tantùm debet deficere mensura Angeli, à mensura Dei. Sed omnis creatura, etiam Angelica, infinitè distat à Diuina vnitate: Ergo & mensura Angeli, eiusque operationum.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *fundamento* 5. 6. & 7. quo vtitur Scotus *loco cit*. & Faber *numero* 19. Quod mensuratur æternitate, est totum simul indefectibile. Sed nec operatio, nec esse Angeli sunt totum quid simul indefectibile: Ergo. Maior patet. Minor 51
probatur à D. Bonauent. quia, si esse Angeli, esset totum simul, & indefectibile; cùm eius esse sit infinitum, esset Angelus actu infinitus, & sic haberet totum esse actu necessarium, nec posset Deus illum destruere. Solum autem esse Diuinum est tale, vt potentia sit tota actus, vt aduertit S. Bonauent. *ad secundum*.

Respondet Caietanus, & alij, Æternum quidem per essentiam esse tale; non verò esse per participationem; hoc enim habet potentiam Logicam ad non esse.

52 Contra arguo ex D. Bonauent. *in corpore*, primò Angelus ex se, & ex tota sua quidditate non habet esse, neque operationem, sed ab extrinseco influxu Dei efficientis: Ergo habet potentiam Physicam ad non esse: Ergo non potest mensurari Æternitate, nec mensurâ, quæ sit tota simul. Ità arguit autem Faber *num*. 19.

Argvo secundò ex eodem S. Bonauent. *quæstione* 2. *artic*. 2. *fundamento penultimo*, & *vltimo*. Mensurato non magis perfecto, nequaquam debetur mensura perfectior. Sed operatio beatifica Angeli non est perfectior in genere durationis ipso Angelo: Ergo non debetur ei mensura perfectior Æuo, quod est Angeli mensura. Hoc argumento nititur Faber *numero* 18. Minor probatur è Seraphico *ibi*: quia reducitur ad immutabilitatem operantis; ideò non distinguunt authores aliud genus immutabilitatis in operatione Angeli, quæ autem habent eundem modum manendi, habent eandem durationis mensuram.

Respondet Caietanus, beatitudinem esse immutabiliorem Angelo, secundùm suum esse diuinum, & æternum.

53 Contra arguo ex D. Bonauent. *lib*. 1. *Compend*. *Theolog*. *ver*. *cap*. 18. Nihil potest participare de Æternitate, quod non habet Æternitatis formalitatem; sed nulla creatura est talis: Ergo. Minor probatur à D. Bonauent. ex Boët. de consol. lib. 5. prosa 6. *Æternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*; illud autem est perfectum, cui nihil potest addi, vel detrahi, vel vllo indiget. Sed Angelus, atque adeò operatio eius beatifica potest à Deo perfici, ac destrui, & eget continuo influxu diuino: Ergo. Si autem operatio beatifica Angeli esset immutabilior Angelo; sequeretur, eam non posse auferri; nec Angelum, qui est subiectum eius operans, à Deo destrui; vel si destrueretur, adhuc remanerent actus beatifici Angeli sine Angelo. Quæ omnia sunt inania. Vide etiam Fabrum à *numero* 18.

Assero secundò, neque Æternitatem aliquam creatam perfectiorem Æuo, esse mensuram actuum beatificorum cœlestium spirituum. 54

Probatvr *argumentis allatis*, præsertim, quia illi actus non minùs pendent à Deo in conseruari, & non sunt minùs annihilabiles, quàm Angelus; cur ergo his debemus nobiliorem mensuram? Confirmatur, quia ex maiori Dei nobilitate, & stabilitate arguunt SS. Patres Æternitatem, Deo esse mensuram, vt dixi *disputat*. 9. & refert D. Bonauent. *loco cit*. *Compend*. Hoc argumento nititur Faber *num*. 18. cum aliis.

Assero tertiò, operationes ordinarias immanentes, non mensurari tempore discreto. 55

Probatvr primò à Scoto §. *Dico ergo*, & Fabro *numero* 13. quia hoc Tempus discretum est superfluum: Ergo. Probatur Antecedens ex D. Bonauent. *art*. 2. *quæst*. 2. *fundamento* 3. & 4. quia omne esse creatum, vel est stabile, & incorruptibile; vel variabile. Sed variabile per tempus; inuariabile per Æuum, sufficienter mensuratur: Ergo.

Respondet Caietanus, non esse superfluum; 56
At non soluit argumentum.

Probatvr secundò à Scoto *loco citato*, & Fabro *numero* 8. quia darentur multæ species temporum discretorum, quia alij habent suum actum in instanti: alij in hora: alij in die; non possunt autem hæc facere tempus discretum, vnum specie.

Fateor, hac ratione me non flecti: quia vt rectè notat D. Bonauent. *distinct*. 2. *quæst*. 2. *in corpore*, cùm mensura rei actualis sumatur à formis, non est mirum, multiplicari ad multiplicationem formarum; quòd verò secundùm magis, & minùs varient, quid tum? non variatur species.

Ratio ergo est D. Bonauent. *distinctione* 2. *quæstione* 1. *in corpore*, ex D. Augustino 8. *de Genes*. *ad litt*. *cap*. 20. 21. 22. & 23. Varietas mensuratarum affectionum debet habere etiam mensuram variam: ideò negat S. Augustinus, eas posse mensurari Æuo, quia mensura debet esse vnigenea mensurato, ex Aristot. 10. *Metaphys*. *adducto*, *quæst*. *præcedenti*. Ergo debetur illi ea mensura, qua mensurantur etiam alij actus eiusdem rationis immanentes intellectûs, & voluntatis humanæ. Sed hi mensurantur tempore nostro: Ergo superfluum est, nouas mensuras excogitare. Nobilitas enim maior actuum immanentium Angelorum, puta intellectionis in pluribus comprehendendis; & voluntatis in resoluendo firmiùs, non faciunt, vt noua eis mensura debeatur, vt putat Valentia *disput*. 1. *quæst*. 10. *p*. 3. non enim sunt altioris ordinis in immutabilitate, & duratione.

Hoc

57 Hoc Seraphici argumento magis conuincitur Scotus *loco citato*, vbi operationes immanentes vult mensurari Æuo, quem sequitur Faber *disputatione 14. numero 3.* Est enim, vt aduertit Seraphicus Doct. contra D. Augustinum, *cap. 20. & 23. cit.* vbi ait: *Spiritualem creaturam corporali prepositam: quod spiritualis per tempora mutari posset, exempli gratia, per tempus mouetur animus, vel reminiscendo, quod oblitus erat, vel discendo, quod nesciebat, vel volendo, quod nolebat.* Idem aduertit D. Thomas *ad vltimum*, & accinit Valentia *col. 156.* Igitur S. Augustinus apertè negat, actiones immanentes ordinarias intellectus, & voluntatis Angelorum mensurari Æuo, vt notat D. Bonau. *loc. cit.* Idem habet S. Augustinus *quæst. 21. ad Orosium*, vt notat etiam Faber.

58 Respondet Scotus, operationes immanentes habere eundem modum durationis cum Angelo; nam quamdiù durant, sunt stabiles, ideò eâdem mensurâ mensurandas. Enim verò, quis non videt, actiones immanentes essentialiter mutari de vno obiecto in aliud, etiam in beatis. Ideò enim dixit S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 1. *In beatis non erunt volubiles cogitationes*, quò ad visionem essentialem, quia quò ad alios actus erunt volubiles, vt tradit D. Bonauent. *in 3. distinctione 14. art. 2. quæstione 2. ad 1.* vel dari volubilitatem considerationis de vna re in aliam, esto non agant inquirendo, vel discurrendo. Eundem locum explicat *in 4. distinct. 49. p. 2. art. 1. quæstione 2. ad 3.*

Deinde verò consideranda est natura rerum, non solùm iuxta actum secundum; sed etiam secundùm aptitudinem. Cùm igitur actus immanentes sint mutabiles; sequitur, &c.

59 Respondet Faber, non considerari mutabilitatem, vel immutabilitatem in potentiâ; sed mutationes actu; nam mensura est actualis. Iam verò mutantur actu, vt notat Valentia post D. Bonauenturam *in primo, distinctione 37. art. 2. quæstione 2. ad 1.* Nam cogitationes nouæ succedunt in spiritibus per naturam, & intenduntur, & remittuntur; ità vt verè sit partibilitas à parte formæ, siue proprietatis acquirendæ. Ideò S. Augustinus *loco citando in 6. Asserto*, ait: *Deum mouere creaturam spiritualem per tempora.* Idem habet *in 2. distinctione 2. p. 1. art. 2. quæstione 2. argum. 3. & 4.* Hinc Seraphicus Doct. argumentatur. Vbi est varietas in mensurato, debet esse & in mensura. Sed in actibus immanentibus Angelorum est varietas: Ergo. Ideò Seraphicus Doctor *in 2. distinctione 2. p. 1. art. 2. quæstione 2. fundam. 3.* ponit mensuram mediam ratione. Ipsum vide.

60 Ad locum D. Augustini respondent Thomistæ, relati à Fabro *num. 1.* spiritum moueri per tempora discreta; non per tempus nostrum.

At Diuus Augustinus loquitur de tempore nostro, vt patet ex verbis, & exemplis allatis, vt notat Faber *cap. 7. ad 2.* præsertim, cùm ostensum sit, (ait Faber,) per illud operationes transeuntes aptè metiri.

At verò sic arguo subsumens: D. August. *hic* loquitur de operationibus immanentibus intellectionis, & reminiscentiæ: Sed hæ mensurantur tempore nostro per te, secundùm D. Augustinum: Ergo actiones immanentes mensurantur tempore nostro.

Assero ergo quartò, operationes immanentes ordinarias Angelorum, non mensurari Æuo. 61

Probatur ex dictis à Seraphico Doctore probatur primò *distinctione 2. p. 1. art. 1. quæstione 3.* illis argumentis, quibus ostendit, Æuum non esse mensuram permanentem: nam si actiones immanentes essent mensuratæ Æuo, quod secundùm Scotum est permanens; sequeretur, etiam actiones mensuratas esse totas actu semper, nec possent non esse, vel tolli à Deo; & supposito, quòd Angelus incepisset vnam cogitationem, non posset ab eâ recedere; nec vnus Angelus longiùs protraheret suam cogitationem, quàm alius. Multaque alia sequerentur illata *tract. 1. disp. 9. quæst. 4.*

Probatur secundò à D. Bonauent. *quæstione 2. articuli secundi in corpore.* Eâdem mensurâ mensurantur cogitationes Angelorum, quâ mensurantur omnia corruptibilia ex D. Augustino *lib. 8. de Genes. ad litt. cap. 20. 21. & 23.* & *quæstione 21. ad Orosium.* Sed corruptibilia mouentur per tempora; nec mensurantur Æuo: Ergo. Probatur. Minor validè, quia si mensurarentur Æuo, haberent totum esse simul; & proinde sequerentur omnia absurda inducta argumento *pro quarto asserto.* Maior conceditur à Scoto *loco citato*; & Fabro *cap. 4.* Probatur verò Minor adhuc validiùs *artic. 2. quæstione 2. fundam. 3. & 4.* Substantiæ corruptibiles eâ mensurantur mensurâ, quæ est corruptibilitatis. Sed hæc mensura est Tempus: Ergo. 62

Maior patet, nam mensura, & mensuratum sunt vnigenea. Minor efficacissimè probatur. Mensura, quæ est tota simul indefectibilis, non potest mensurare, quod est defectibile. Sed Æuum, per Scotum, est totum simul; res verò corporeæ intrinsecè defectibiles: Ergo. Præterea id supponit Seraphicus Doct. tanquam certum *in illis fundamentis*, & *arg. primo ad opp. addita declaratione corporis*, & est sententia Aristotelis *4. Phys. text. 120. & 133.* 63

Respondet Faber *numero 31.* Aristotelem, non distinxisse inter Æternitatem, & Æuum; dixit autem, substantias corruptibiles mensurari tempore, quia non seiunxit esse substantiale à motu, & quantitate eam consequente, ob quæ, ipsa substantia, quæ per se mensuratur Æuo, mensuratur per accidens tempore. 64

Contra; nam Aristoteles *1. cœli, text. 110.* seiunxit Æuum à tempore, & dixit, substantias abstractas esse extra locum, tempus, & alias passiones corporis naturalis: Eas verò perfrui Æuo sempiterno, idest, habere aliam durationem à tempore distinctam, vt fatetur Faber *ibi.* Iam verò sic arguo: Quando aliqua duo distinguuntur per aliquid, non potest illud vtrique conuenire; sed Æuum, per Aristotelem, conuenit substantiis spiritualibus; & tempus corporalibus naturalibus: Ergo. 65

Probatur secundò Minor principalis à D. Bonauent. argumento, quo nititur Fonseca *5. Metaph. cap. 13. quæstione 12.* Id, quod mensuratur motu primi mobilis, mensuratur tempore; sed talis est duratio substantiarum corporalium corruptibilium: Ergo. Maior est certa;

 nam

nam è motu primi mobilis habetur tempus extrinsecè; vt docet Scotus *disputat.* 2. *quæst.* 4. & Faber *disputat.* 13. *numero* 16. *& infrà.* Minor probatur ex consensu omnium Patrum, Historicorum, Philosophorum, ac Theologorum, qui durationes rerum inscribunt ex gyro primi mobilis; et dies, menses, & annos.

66 RESPONDET Faber *num.* 32. varias substantias habere varias ætates; sed negat, esse ætates temporum: At hoc ridiculum est; nam si libros omnes peruoluamus, inueniemus Monumenta Maiorum, Pyramides, Theatra, Colossos durasse tot annos, Olympiades, sæcula, quæ ex annis componuntur, vt scribit S. Bonau. *proœmio Breuil.* §. *De longitudine Sacræ Scripturæ.*

67 ASSERO quintò, operationes immanentes necessarias, puta amoris erga se, & beatificas erga Deum, mensurari probabiliter Æuo: Est sententia D. Fulgentij *de fide ad Petrum*, *cap.* 18. aut 24.

PROBATVR ratione, quia sunt immanentes successiuæ absque innouatione mutationis: ergo sunt proportionatæ ipsi mensuræ. Consequens patet ex dictis *Tract.* 1. *disp.* 9. *quæst.* 4. Idem ait Faber *disp.* 14. *cap.* 3.

68 ASSERO sextò, operationes transeuntes mensurari Tempore.

PROBATVR à D. Bonauent. 1. *distinct.* 37. *art.* 2. *quæstione* 2. *ad* 1. ex D. Augustino 8. *super Genes. ad litt. cap.* 21. *& ad Orosium*, *quæstione* 21. vbi ait: *Deus mouet creaturam spiritualem per tempora.* Hoc verò fit, quia in his actionibus est innouatio cum varietate. Hoc argumento vtitur Scotus *loco cit.* & Faber *num.* 39.

Respondet Caietanus, Angelum non esse subiectum *Vbi*; sed nos *disp.* 9. *quæst.* 2. oppositum probauimus.

69 ASSERO septimò, dari mediam durationem inter Tempus, & Æuum, sumpto Tempore, vt dicit numerum motûs primi mobilis.

PROBATVR primò à D. Bonauent. Ante quartam diem non erat Tempus, dicitur enim ibi: *Fiant Luminaria, vt sint in tempora*; neque tunc erat solum Æuum, cùm darentur operationes multæ transeuntes Angelorum: Ergo aderat aliqua mensura media.

RESPONDET Scotus *loco citato*, & Faber *numero* 40. fuisse Tempus nostrum. At profectò erat ignotum, cùm per Luminaria non posset discerni. Consequens est Scoti, & Fabri, vt retuli pro quarta assertione.

70 VRGEO secundò cum D. Bonau. *fundamento* 2. Post diem iudicij non erit Tempus, vt dicit *Apocal.* 10. vbi Angelus iurauit per viuentem in sæcula; *quia Tempus non erit ampliùs*; & tamen erit successio, & variatio in tormentis damnatorum. Hæc autem non poterunt æuo mensurari, ob rationem improportionis, sæpiùs repetitam. Quare ruit Scoti, & Fabri responsio; qui aiunt, mensuranda fore tempore nostro. Quomodò enim mensurabuntur motu primi mobilis immoti?

QVÒD verò detur medium, sumpto tempore, vt dicit mensuram durationis variæ, siue variationis successiuæ. Probatur *fundamento* 3. à S. Bonauent. In affectionibus Angelorum est successio, & variatio, & ipsi sunt supra Tempus, vt dicitur *in lib. de causis.* Ergo mensura illa affectionum est supra Tempus; sed non potest esse Æuum, cùm in Æuo non cadat variatio: Ergo oportet, vt sit in alia mensura, quæ sit media per negationem vtriusque.

PROBATVR à D. Bonauent. *fundamento* 4. 71
Angelus, cùm conuertitur ad Deum, eleuatur supra Tempus: Ergo & illa conuersio, & id, quod in illa conuersione accipitur, supra Tempus est, & mensurari debet mensurâ supra Tempus: Sed ibi Angelus aliquid cognoscit, quod potest desinere cogitare: Ergo non potest mensurâ rei inuariabilis mensurari, nempè Æuo: Ergo aliquid ratione distinctum exigitur habens rationem mensuræ.

OBIICIES primò cum D. Thoma; potest Angelus in vno instanti operari, & in alio immediatè aliam habere operationem; sed illæ operationes non mensurantur æuo per vos, neque tempore: Ergo erunt duo instantia immediatè succedentia.

RESPONDETVR ex D. Bonauent. *in primo, distinct.* 37. *artic.* 2. *quæstione* 2. *ad vltim.* non 72
succedere immediata instantia; sed dari mediam morulam cogitationum, &c. Et quod dico de actibus immanentibus, contingentibus tempus inadæquatè, dico de motu locali in relinquendo vno loco: sic & Sphœra, tangens planum in puncto dum mouetur, tangit in linea inadæquatè. Vide Seraphicum 1. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad vltimum.*

OBIICIES secundò cum Scoto. Quæ habent eundem durationis modum, eâdem mensurâ mensurantur. Sed operationes omnes immanentes habent eundem modum permanendi cum Angelo, dum durant: Ergo vnâ cum Angelo mensurantur Æuo.

Respondent Thomistæ, habere eundem modum actu; sed esse mutabiles. Contra eos arguit Faber.

RESPONDET S. Bonauent. *distinctione* 2. *ar-* 73
tic. 2. *quæstione* 2. *argum.* 3. *&* 4. *ad opp. cum resp.* & *in primo*, *distinctione* 37. *suprà adducto loco*; operationes immanentes ordinarias Angelorum pati variationem intensionis, remissionis, &c. quæ Æuo nequeunt competere, cùm sit stabile; nec etiam tempori, cum operationes Angelicæ tempus transcendant.

TERTIÒ obiicit sibi ipse Seraphicus. Ex Philosopho, authore *lib. de causis*, *propos.* 31. Omne ens substantiale habet substantiam & actionem suam in momento æternitatis, vel in momento temporis; vel substantiam in momento æternitatis, & actionem in momento temporis; sed ad aliquam ex his omnis substantia creata est reducibilis, & per æuum, aut tempus, est mensurabilis, vt ibi patet: Ergo.

RESPONDET ipse *in corpore.* Si tempus opponatur æuo, vt hoc dicit mensuram stabilem; illud verò mensuram quomodocumque variabilem, & successiuam; nulla dabitur media mensura, saltem re; licèt detur medium mensuratum, de Tempore, & Æuo participans, qualis est illa substantia, in confinio æternitatis, & temporis, vt suprà: Verùm si tempus opponatur æuo, vt tempus mensurat res successiuas, & variabiles iuxta motum primi mobilis: tunc dabitur media mensura, quæ nec sit æuum, nec tempus; non quidem æuum, quia mensurabit res alterabiles post diem iudicij in alteratione pœnarum damnatorum, sicut & mensurauit, ante primi Mobilis ortum varia,

varias rerum successione, in biduo, vel triduo primæ rerum creationis: Non etiam tempus; quia cessante motu cœlorum post vltimum diem, tempus non erit vltra: erunt tamen variationes variæ absque desitione, vel primi mobilis regulatione, quibus assignanda est aliqua mensura; & non altera, quam quæ ab æuo, & tempore differat.

Hac responsione soluit etiam D. Bonauent. alias obiectiones *in fundamentis*, quòd omne ens vel est terminabile, & ad hoc sufficit tempus, quod est corruptionis principium: vel interminabile; & sic mensuratur æuo: item quod è D. Dionysio *de diuin. nom. cap.* 10. æui proprietas sit, totum absque variatione metiri; & temporis sit proprium aliter, atque aliter se habere: quidquid autem mensuratur, vel se habet totum absque variatione, vel aliter atque aliter; ad vtrumvis autem sufficit æuum, vel tempus: Ergo.

Respondet enim *in corpore*, hæc vrgere si tempus sumatur, prout excludit primi orbis regulationem, & vt includit quamcunque rerum successiuarum variationem: sed hæc temporis acceptio, lata est, nec huic loco quadrans.

QVÆSTIO III.

Vtrum priùs sit Æuum, quàm Tempus.

D.Bonauent. d.2.p.1. art. 2. q.1.
D. Thom. q.10.art 4.

Svppono, quatuor modis accipi Tempus, nimirùm communiter, & communissimè, propriè, & propriissimè, vt dixi *quæstione præcedenti*.

Assero primò. Si Tempus accipiatur communissimè, vt dicit mensuram cuiuslibet durationis creatæ, sic æuum includit tempus.

74 Probatvr à D. Bonauent. ex Beda dicente, quatuor fuisse ab initio concreata, intér quæ non est Æuum, quod verè tamen incepit; sed benè inter ista quatuor numeratur Tempus: Ergo vel æuum omisit, vel inclusit in tempore, vel fuit posteà creatum. Hoc autem vltimum est falsum, quia ex tunc creati fuerant Angeli, quorum durationis mensura est Æuum.

Assero secundò. Si Tempus sumatur secundo modo, communiter, vt dicit mensuram mutationis cuiusque, sic Tempus est ante Æuum secundùm rationem intelligendi, sicut creatio præcedit esse creatum.

75 Probatvr à D. Bonauent. ex Richardo de S.Vict. Omne quod cœpit, ex tempore cœpit: Sed Æuum cœpit: Ergo ex tempore: quod verò incipit ex tempore, non antecedit Tempus, sed consequitur: Ergo. Maior est etiam D. Augustini, vt notat Richardus de S. Vict. habetur etiam in glossa ad principium *Genesis*.

Assero tertiò, si Tempus sumatur propriè, vt dicit mensuram variationis successiuæ, siue sit successiua successione regulari, & continuâ; siue non; Æuum, & Tempus sunt simul duratione;

76 sed Æuum est prius dignitate. Illud patet. Hoc probatur à D. Bonauent. *in fundam.* Sicut motus & omne mutabile reducitur ad immobile, vt ad prius; ita & omnis mensura rei mobilis ad mensuram rei immobilis: Ergo & Tempus ad Æuum. Probatur antecedens, quia sicut se habet mensuratum ad mensuratum; ita & mensura ad mensuram. Consequens patet, quia sicut Tempus est mensura rei mutabilis; ita Æuum rei immutabilis. Hoc tamen argumentum non probat prioritatem temporis, sed dignitatis.

Assero quartò. Si Tempus sumatur propriissimè, vt dicit mensuram regulatam primi Mobilis. Sic Æuum est ante Tempus. 77

Probatvr à D. Bonau. *argumento quarto*; quia Æuum simul fuit cum Angelo, creato ante diem quartum, in quo cœpit motus primi mobilis, saltem quoad nostram notitiam. Vide Seraphicum Doctorem.

Obiicies contra primum modum: tempus, iuxta Boëtium, vt suprà, exit ab æuo: ergo etiam communissimè sumptum in eo non includitur.

Respondet S. Doctor, quòd exit ab æuo; quia continuè deficit, & defluit; non autem quod vnum ab alio causetur; cùm Deus vtrumque produxerit, exit ergo conditionis disparitate, & vt propriè accipitur; non verò causalitatis ordine.

Obiicies primò contra secundum: secundùm rationem etiam intelligendi, non potest immobile reduci ad motum, sicut ad prius, sicut fluxibile reducitur ad stans, non è contrà: Sed tempus dicit motum, & fluit: æuum verò stat, & est immobile: Ergo præcedit tempus, vt dicit etiam mutationem cuiuscumque rei.

Respondet D. Bonauent. *loco cit.* non posse concipi, immobile reduci ad motum, sicut nec stans ad fluxibile, quando immobile est ipsum mouens, & increatum: verùm si immobile, & stans, sit creatum, & motum, potest reduci ad id quo creatur, & mouetur; tale est tempus, quod mutatione signatur: vnde cùm æuum cœperit, ex tempore cœpit.

Obiicies secundò. Prius & posterius in tempore supponit prius & posterius in motu; similiter & motus supponit idem in magnitudine: Ergo esse substantiale primi corporis, seu primæ magnitudinis est prius motu, qui mensuratur tempore; istud verò æuo: Ergo æuum omnimodè præcedit tempus.

Respondet S. Doctor *ibid.* Prius & posterius temporis, seu motus, non oriri è priori & posteriori magnitudinis, nisi in quantum hæc est mobilis: vt autem est mobilis, mensuratur tempore, non æuo: vnde ipsum primum mobile, vt sic, regulatur per *nunc* temporis, sicut tempore mensuratur motus.

Obiicies contra vltimum. Natura ab imperfecto procedit ad perfectum; sed tempus habet esse imperfectum; cùm sit motus, qui definitur *actus entis in potentia*: æuum verò est in actu, & ens completum, nullam dicens potentiam ad vlteriorem perfectionem: Ergo iuxta mensuram ipsius primi mobilis, qua regulantur naturæ mutationes, Tempus est prius Æuo.

Respondet D. Bonauent. ad finem quæstionis, naturam procedere ab imperfecto ad perfectum, quando vtrumque stat circa idem; sic priùs producit embrionem, inde fœtum, deinde prolem; sic in arboribus prius profert frondes, postea flores, tandem fructus: At quando imperfectum, & perfectum sunt circa diuersa, diuersa quoque erit vtriusque ratio.

Hæc

HÆC DE ANGELIS satis dicta sint maiori, qua potui, claritate & breuitate.

QVI verò lucidiorem, & ardentiorem de his tractatum poposcerit, ipsum adeat Fontem, vnde limpidissimos riuulos sursum decurrentes, quotquot eum adierunt, hausêre; & vbi, tanquam fulgentissimum Seraph, calculo ignito ediscentium labia mundantem, SERAPHICVM BONAVENTVRAM licet suspicere, in cuius Angelica doctrina, FVLGOR, & ARDOR emula quadam dissertatione sese vicissim superare nituntur; licèt altiùs euolet ardor, & intimiùs penetret, vrgente charitate, quæ est supereminens SCIENTIA CHRISTI.

SI quid autem minùs Fidei Catholicæ consonum, moribusve non satis congruum è currente calamo, hìc, aut alibi, quoquomodò irrepserit; totum ad apicem iuxta intemeratam ROMANÆ ECCLESIÆ censuram, veræ Fidei, & Veritatis Magistram, castigandum, & iudicandum concludo: Hæc enim Spiritu sancto erudiente, erroris nescia, Erronum abigit cohortem, ipsasque tenebras suâ Luce clariùs perfundit.

Qui fecit Angelos suos, spiritus; & ministros suos ignem vrentem, illi sit honor & gloria.



INDEX



INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, Quæ in hoc Tractatu de Trinitate, & Angelis appositè continentur,

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.



E TESTAMENTO VETERI.

Index locorum

Liber Prouerbiorum.

Ecclesiastes.

Sapientia.

Ecclesiasticus.

Isaïas.

LX. *Surge*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

E TESTAMENTO NOVO.

 Spiritus

Ad Timotheum prima.

Ad Titum.

Ad Hebræos.

Iacobi Epistola.

Secunda Petri.

Prima Ioannis.

Apocalypsis.

Finis Indicis Scripturarum de Sanctissima Trinitate.



INDEX

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Quæ in hoc Tractatu de Creatione in genere apposité continentur.

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.

E VETERI TESTAMENTO.

Quoniam

Oseas.

Oseas.

Amos.

Habacuc.

Zacharias.

Nehemias.

E NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

Actus Apostolorum.

Ad Romanos.

Prima ad Corinthios.

Ad Corinthios secunda.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Colossenses.

Ad Timotheum prima.

Ad Titum.

Ad Hebræos.

Omnes

Prima Petri.

Secunda Petri.

Ioannis prima.

Iacobus.

Iudas.

Apocalypsis.

Finis Indicis Scripturarum de Sanctissima Trinitate.





INDEX



INDEX

RERVM, ET VERBORVM magis Notabilium, quæ in hac secunda Parte Tomi secundi de Creatione, & Angelis continentur.

Prior Numerus Paginam, posterior Numerum denotat Marginalem.

A

Accidens.

Creatio

Nequeunt

sed

FINIS.




LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA